# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA;

**OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,**

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

*QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO* 1216) *PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN.* 1439) *PRO GRÆCIS FLORUERUNT.*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA:

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

## SERIES LATINA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

**Bibliothecæ Cleri universæ**

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

*PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CCXV*

INNOCENTIUS III PONTIFEX ROMANUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE, EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1891

SÆCULUM XIII

# INNOCENTII III

## ROMANI PONTIFICIS

# OPERA OMNIA

## TOMIS QUATUOR DISTRIBUTA

QUORUM PRIORES TRES REGESTORUM BALUZIANAM RECENSIONEM COMPLECTUNTUR, ACCEDENTIBUS ANECDOTARUM EPISTOLARUM LIBRIS, QUOS FRUSTRA OLIM A BALUZIO EXPETITOS EX BIBLIOTHECA VATICANA IN LUCEM EMISERUNT LA PORTE DUTHEIL ET BREQUIGNY; QUARTO VOLUMINI INSUNT EPISTOLÆ EXTRA REGESTUM VAGANTES, PONTIFICIS DENIQUE SERMONES ET OPUSCULA VARIA, TUM JAM OLIM EDITA, TUM RECENTIUS AB EMINENTISSIMO CARDINALI MAIO, D. LUIGI TOSTI, ETC., ETC., TYPIS MANDATA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE

**Bibliothecæ Cleri Universæ**

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS SECUNDUS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ, PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1891

# ELENCHUS

## AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCXV CONTINENTUR

INNOCENTIUS III PONTIFEX ROMANUS

# INNOCENTII III

## ROMANI PONTIFICIS

# REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM

## LIBER SEXTUS

---

### PONTIFICATUS ANNO VI, CHRISTI 1203

---

I (1).

JOANNI PRIORI, ET FRATRIBUS JUXTA SPECUM BEATI BENEDICTI REGULAREM VITAM SERVANTIBUS.

*Eis concedit sex monetæ libras ex annuo censu castri Porciani.*

(Laterani, VI Kal. Martii.)

Inter holocausta virtutum nullum magis est medullatum, quam quod offertur Altissimo de pinguedine charitatis. Hoc igitur attendendes, cum olim causa devotionis accessissemus ad locum solitudinis vestræ, quem beatus Benedictus suæ conversionis primordio consecravit, et invenissemus vos ibi secundum institutionem ipsius laudabiliter Domino famulantes, ne pro temporalis sustentationis defectu spiritualis observantiæ disciplina torperet, apostolicum vobis subsidium duximus impendendum, sperantes quod idem beatissimus Benedictus nostræ devotionis affectum suis meritis et precibus apud piissimum Patrem et justissimum judicem commendabit. Vestris itaque cupientes necessitatibus providere, sex libras usualis monetæ vobis et successoribus vestris, de Camera beati Petri singulis annis percipiendas concesssimus, donec in aliquo certo loco vobis essent utiliter assignatæ; statuentes ut ea, quæ ad sustentationem vestram consuevistis percipere de monasterio Sublacensi, vobis et successoribus vestris propter hoc minime negarentur. Postmodum autem, cum reversi fuissemus ad Urbem, quosdam de fratribus vestris ad nostram præsentiam destinastis, humiliter implorantes ut concessionem ipsam in aliquo certo loco dignaremur perpetuo stalibire, de quo præfatas sex libras percipere valeretis. Nos igitur, habito fratrum nostrorum consilio et assensu, jam dictas sex libras vobis et successoribus vestris percipiendas singulis

A annis de annuo censu castri Porciani concedimus et concessionen ipsam præsenti privilegio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, etc., *usque* incursurum. Amen, amen, amen.

Datum Laterani, per manum Blasii, Turritani electi, VI Kal. Martii. indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1202, Pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno sexto.

II (2).

PRIORI DE OSENE.

*De salutari pœnitentia ei imponenda, qui incestum simul et adulterium perpetravit.*

B (Laterani, VI Kal. Martii.)

Pertuas nobis litteras intimasti quod W., lator præsentium, post matrimonium cum quadam muliere contractum, cum sorore illius incestum simul et adulterium perpetravit, et per triennium sorduit in hac sorde, ita quod geminam prolem ex adultera prædicta suscepit, per quod crimen devenit ad notitiam vicinorum. Verum idem W., in pœnitentiarii nostri præsentia constitutus, paupertatem nimiam allegavit, asserens quod non posset Jerosolymitanam provinciam visitare. Quia igitur facultatem ejus plenius nosse potes, ipsum ad te duximus remittendum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus injungas ei pœnitentiam quam videris expedire. Cæterum, quia qualiter C cnm uxore sua de cætero habere se debeat requisisti, tuæ inquisitioni breviter respondemus [quod (3) ut ab ejus commistione prorsus abstineat propter publicam honestatem, et in continentia maneat, donec vir viam fuerit universæ carnis ingressus,

(1) Indicata apud Raynaldum, an 1202, § 19. Vide etiam, lib. V, epist. 78.

(2) Epistola hæc inter Decretales non reperitur, sed conferenda est cum duobus aliis Innocentii epistolis, quæ in Decretalium collectione, lib. IV, tit. 13, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ*, leguntur, cap. 6, ad Madgeburgensem, et cap. 10, ad Strigoniensem archiepiscopos directæ. In quibus epistolis., idem ac in nostra decretum, iisdem omnino verbis declaratum, emittitur.

(3) Decret. loc. cit. cap. 10.

uxor est diligentius commonenda; quod si forte commonitioni parere recusans talis fuerit, ut de lapsu timeatur ipsius, vir ejus poterit et debebit tamen cum timore Domini debitum ipsi solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat quæ iniquitatis particeps non existit.] Unde, [jure (4) suo sine sua non debet culpa privari, quanquam a quodam prædecessorum nostrorum (5) dicatur in simili casu fuisse distinctum, utrum videlicet adulterium, vel incestus, manifestum fuerit vel occultum, aliis asserentibus inter gradum proximum et remotum esse potius distinguendum.]

Datum Laterani, VI Kal. Martii pontificatus nostri anno sexto.

III (6).

ABBATI SANCTI LUPI TRECENSIS (7) EJUSQUE FRATRIBUS.

*Recipit eos sus protectione beati Petri eorumque jura ac privilegia confirmat.*

(Laterani, X Kal. Martii.)

Fervor religionis et ordinis quem tenetis, vestræque fragrans honestatis opinio, nos inducit justis petitionibus vestris clementer annuere, et eas ad effectum utilem, volente Domino, promovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam Sancti Lupi, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regularem in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; molendina de Ponte Beatæ Mariæ, et quidquid habetis ex dono illustris recordationis Caroli Calvi, regis Francorum, in eadem villa, tam in hominibus quam in terris; vineam post Sanctum Martinum de Areis, quæ vocatur Clausum; vineam, quæ Haste dicitur, sitam ab opposita parte; vineam Thesauri; vineam quæ Laboras nominatur; villam de Lusiniaco, cum parochia et furno, molendinis, terris, pratis et aliis possessionibus; villam de Molins cus ecclesia, decimis, terragiis et aliis consuetudinibus, cum justitia, procuratione et custodia, quæ dilectus filius, nobilis vir, Walterus, comes Brenensis, ecclesiæ vestræ in perpetuam eleemosynam contulit, sicut in ejus, J.., fratris sui, et venerabilis fratris nostri G... (8) episcopi, et bonæ memoriæ J... comitis Trecensis, authenticis continetur; parochiam de Lueriis, cum capella de Fontibus, vobis a dicto episcopo intuitu charitatis collatam; terragium et consuetudines quas habetis tam in hominibus quam in terris in eadem villa: libertatem etiam majoris ejusdem villæ, ab illustris memoriæ H.., Trecensi comite, ecclesiæ vestræ concessam, sicut in ejusdem authentico continetur; redditus quos habetis apud Selerias, Arbrosellum, Curterangiam, Tenelerias, Ruliacum, et Bairum, tam in hominibus quam in terris et cæteris consuetudinibus; ecclesiam de Buceio, cum capella de Chart, ecclesiam de Laneis, quas piæ memoriæ M. Trecensis episcopus ecclesiæ vestræ in eleemosynam assignavit; altare Sancti Vinebaldi, terragia et decimas, quæ habetis in Riveria de Arduceon, cum consuetudinibus, censibus et servagiis hominum vestrorum de eadem Riveria; terragia de Ouciaco et de Marigniaco; ecclesiam de Marigniaco, sicut limitata est ab antiquo, cum eleemosynis, quas ibidem G., quondam dominus Trianguli, ecclesiæ vestræ pia largitione concessit, sicut in ipsius authenticis continetur; possessiones vobis apud Marigniacum a fratribus Jerosolymitani hospitalis concessas; ecclesias de Lonsoldo et de Ausona, cum decimis et aliis pertinentiis earum; libertatem domus vestræ de Ausona et omnium quæ ad vos in eadem villa pertinent, a G...., quondam comite Brenensi, ecclesiæ vestræ charitative concessam; grangiam de Bretoneria, cum omnibus pertinentis suis, tam in aquis quam terris, pratis et nemore; libertatem majoris et submajoris, et duorum matriculariorum, granetarii et cellerarii, quos habetis in civitate Trecensi; præbendam Sancti Stephani Trecensis; viginti solidos, quos habetis in ecclesia Trecensi, in quatuor festis annualibus; domos et vineas, quas Godfridus de Hesternai ecclesiæ vestræ in perpetuam eleemosynam assignavit; terragium de Chamaio cum libertate majoris et suæ possessionis; aquam a Clarino de Chauderiaco vobis in eleemosynam assignatam; ea quæ habetis per commutationem ab R., domino de Pogiaco, tam apud Trecas quam apud Molins, in hominibus sive terris.

Liceat sane vobis clericos vel laicos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero, etc. *usque* retinere. Cum autem generale interdictum

(4) Decret. loc. cit. cap. 6.

(5) Scilicet ab Alexandro, sed illa Decretalis a compilatione Gregoriana remota est.

(6) Laudata a Raynaldo, anno 1203, § 67.

(7) S. Lupi Trecensis monasterio tunc temporis præerat Drogo, qui ab anno 1194 circiter, usque ad annum 1206, in instrumentis innotescit. *Gall. Christ.* t. XII, col. 588.

(8) De eo dictum supra.

terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis ex- A communicatis et interdictis, etc., *usque* celebrare. Prohibemus autem ne episcopus vel prælatus alius, absque manifesta rationali causa, personas vestras excommunicare, aut ecclesias vestras præsumat subjicere interdicto. Sane qui ecclesiæ B. Martini Trecensis fuerit præferendus, aliunde nullatenus eligatur nisi de ecclesia Beati Lupi Trecensis, aut etiam Sancti Martini, sicut est hactenus observatum et a prædecessoribus nostris indultum, dummodo in alterutra earum ad abbatiæ regimen quis idoneus valeat reperiri; si, quod absit! a suis status integritate et religionis vigore deciderit, per disciplinam et ordinem ecclesiæ B. Lupi, ad honestatem et religionem pristinam reparetur. Ut autem religionis integritas in ecclesia Beati Lupi futu- B ris temporibus conservetur, liberam damus abbati et suis successoribus facultatem, juxta ordinem professionis acceptæ, ipsius ecclesiæ canonicos corrigendi, et eos, sive in capite, sive in membris ecclesiæ memoratæ consistant, secundum quod suorum exegerit qualitas meritorum, appellationis obstaculo interposito in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ nequaquam obstante, regulariter judicandi. Libertates præterea, et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ concessas, et hactenus observatas, necnon privilegia et indulgentias a prædecessoribus nostris, Romanis pontificibus, vobis indultas, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, etc., *usque* C obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, etc.. *usque* profutura; salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur.... Cunctis autem, etc.

Datum Laterani, per manum Blasii, Turritani electi, x Kal. Martii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1202, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno quinto.

IV (9.)

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS IN REGNO UNGARIÆ CONSTITUTIS.

*Ut, Henrico rege ad bellum sacrum ituro, curent fidem a populis Ladislao ejus filio exhiberi.*

(Laterani, v Kal. Martii.)

Ecce charissimus in Christo filius noster. H., Un- D gariæ rex illustris, assumpta cruce Christum sequi proponit, regnum temporale dimittens, ut æternum acquirat, propriaque relinquit, ut ab hæreditate Domini excutiat Pharaonem, et libere virgam hæreditatis ipsius et ejus signa demonstret his qui prophetam non esse testantur qui eos ultra cognoscat. Jamque manum in superbiam elevavit eorum, ne deinceps qui Christum oderant, glorientur, sed dicant potius durum esse contra stimulum calcitrare, aut pugnare hominem contra Deum. Ut igitur in absentia tanti principis, qui peregrinatur a regno ut ducat in patriam peregrinos, ad regni tutelam et defensionem taliter pontificalis accingatur auctoritas, quod regnum ejus transferri non possit ad hostes, sed potius conservetur eidem, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, antequam rex ipse iter peregrinationis arripiat, cum, juxta doctrinam Apostoli, sit regi tanquam præcellenti ab omnibus deferendum, Ladislao, filio ejus, quem Dominus per gratiam suam illi concessit hæredem, debitum juramentum fidelitatis exhibere curetis, omnes, tam clericos quam laicos, qui post recessum prædicti regis contra præstitum juramentum fidelitas venire præsumpserint, omni occasione et appellatione postposita, per excommunicationis sententiam compescentes; illis etiam, quos idem rex, tam ad filii sui curam, quem annuente Domino exspectamus et optamus hæredem et patri successorem in regno, quam administrationem regni commiserit, juxta ordinationem regis ipsius reverentiam debitam exhibere curetis, et si forte regem ipsum, quod Christus avertat! in peregrinatione sua persolvere debitum conditionis humanæ contingeret, nullus vestrum ab illorum ordinatione se subtrahat, donec dilectus filius ejus ad annos perveniat ætatis illius, quod sedere possit potenter in solio regni sui, et illud feliciter gubernare.

Datum Laterani, v Kal. Martii, pontificatus nostri anno sexto.

V.

AURIENSI EPISCOPO.

*Transactionen inter eumdem episcopum et archiepiscopum Compostellanum initam approbat.*

(Laterani, X. Kal. Martii.)

Qui tenemur jurgiis et contentionibus finem imponere, ex officio administrationis injunctæ, providendum est ne contentiones inter personas dignitate præditas existentes, amicabili compositione sopitæ, valeant denuo suscitari, et sic ad litigandum iterum succingantur, super his de quibus ad amicabilem concordiam devenerunt. Sane, cum inter te et venerabilem fratrem nostrum.... Compostellanum archiepiscopum, super votis (sic) Auriensis episcopatus quæstio emersisset, tandem super his amicabiliter componere studuistis, sicut tam ex tuis quam ejusdem archiepiscopi litteris authenticis cognovimus evidenter. Nos igitur, tuis justis postulationibus annuentes, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus observata, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo..... hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, xv Kal. Martii.

(9) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 19, etsi epistolam hanc numero peculiari designatam non audet.

VI

EIDEM.

*Sententiam ab apostolicis delegatis, de lite inter monasterium Cellæ-novæ et episcopum Ovetensem, latam confirmat.*

(Laterani, XVI Kal. Martii.)

Ex litteris venerabilis fratris nostri...Astoricensis episcopi, et dilectorum filiorm, sancti Isidori Legiensis et... de Carraceto abbatum, nuper accepimus, quod cum causam, quæ inter te ex una parte, et venerabilem fratrem nostrum... Ovetensem episcopum ex altera, super monasterio Cellæ-novæ vertebatur, eisdem commisissemus sine debito terminandam, ipsi, juxta mandatum apostolicum procedentes, partes ad suam præsentiam convocarunt, et rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, pro Auriensi ecclesia sententiam protulerunt, eidem Ovetensi super hoc perpetuum silentium imponentes. Venerabilis etiam frater noster...Ovetensis episcopus, omni juri si quid in dicto monasterio, vel in quacunque parte Auriensis episcopatus, suæ ecclesiæ competebat, de communi consensu sui capitule voluntarie cessit, sicut tam dictorum judicum, quam ipsius etiam nobis præsentatæ authenticæ litteræ continebant, conventum ipsius monasterii ab obedientia et jurisdictione sua reddens per suas litteras penitus absolutum. Nos igitur, quod per eosdem judices provide factum est, firmitatem volentes debitam obtinere sententiam ipsam, sicut est justa, nec legitima provocatione suspensa, nec non cessionem Ovetensis episcopi legitime factam de communi consensu capituli sui, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum... hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

H. ILLUSTRI REGI UNGARORUM

*Ut promoti ad præposituras quæ apostolicæ sedi in spiritualibus immediate subsunt, infra annum ad apostolicam sedem accedant.*

(Laterani, II Kal. Martii.)

Regalis magnificentia nuper nobis per suas litteras supplicavit, ut cum regales præposituræ, quæ sunt in Ungaria, sicut ad te in temporalibus, sic ad nos in spiritualibus nullo pertineant mediante, statuere dignaremur, ut novus præpositius ad sedem apostolicam infra annum vel in persona propria, vel per idoneum nuntium cum litteris regalis assensus, accedat, cenferentis gratiam ostensurus. Nos ergo tuis precibus inclinati, præsertim cum consonent canonicis institutis, præsentium auctoritate statuimus ut quicunque de cætero ad regimen præpositurarum illarum, quæ ad nos in spiritualibus nullo pertinent mediante, fuerit evocati, ad apostolicæ sedis præsentiam, infra annum, in personis propriis, vel per idoneos nuntios, cum litteris regalis assensus, accedant, pro confirmationis munere obtinendo; ita, quod interim in spiritualibus non ministrent; qui, si forte infra prædictum terminum venire neglexerint, extunc præposituris illis se noverint spoliandos. Nulli ergo... hanc paginam nostræ constitutionis infringere, etc. Si quis autem, etc,

Datum Laterani, II Kal. Martii, anno sexto.

VIII (10).

REGI UNGARORUM.

*Ungarorum regi crucem sumpturo promittit se curaturum, ne scandala et lites eo absente oriantur.*

(Laterani, II Kal. Martii.)

Dum personam tuam, inter christianissimos reges, et catholicos principes, speciali dilectionis prærogativa in Domino amplexemur, preces et petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, et ad ea gratanter intendimus, quæ serenitati regiæ novimus complacere. Fuit sane propositum coram nobis ex parte magnitudinis tuæ, quod cum pro subventione Terræ sanctæ crucem assumpseris, et Domino proposueris reddere quod vovisti, ne regnum tuum interim aliqua posset seditione turbari, venerabilibus fratribus nostris... Strigionensi et.... Colocensi archiepiscopis injungere dignaremur, ne in absentia tua ecclesiarum occasione suarum aliquas lites moverent, per quas in regno dissentiones et scandala orrirentur, nec nos etiam ad eas, quæ jam ortæ sunt, cognoscendas, vel etiam committendas, usque ad reditum tuum intendere curaremus. Licet autem petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, præstare velimus assensum pariter et favorem, quia tamen sapientibus et insipientibus sumus, secundum Apostolum, præsertim in justitia, debitores, petitioni tuæ taliter respondemus, quod in his eam discretionem et cautelam curabimus adhibere, ut si aliquæ inter personas ecclesiasticas regni tui lites emerserint, taliter auctore Domino procedemus, quod nostri occasione processus regnum ipsum nullum poterit scandalum formidare, cum ad illud in tui fidelitate pacifice conservandum, quodcunque cum honestate poterimus consilium et auxilium impertiri, prompta simus voluntate parati.

Datum Laterani, II Kal. Martii.

IX.

EPISCOPIS CABILONENSI ET SILVANECTENSI; ABBATI TRIUM-FONTIUM (11).

*Causam electionis Philippi Belvacensis episcopi in archiepiscopum Remensem examinandam ipsis committit* (12).

(Laterani, V Kal. Martii.)

Venientes ad apostolicam sedem dilecti filii.... decanus (13), et alii quidam Remenses canonici, litteras nobis suffraganeorum Remensis ecclesiæ, cathedralium capitulorum, necnon archiepiscoporum quorumdam, abbatum etiam, et aliorum religiosorum virorum, humiliter præsentarunt, cum eis suppliciter implorantes, ut postulationem quam fecerant

(10) Laudat Raynaldus, anno 1203, § 19.
(11) De istis jam dictum est supra.
(12) De argumento epistotolæ hujus, consulendi Marlotus et novæ Galliæ Christianæ auctores; sed epistola ipsa eis prorsus incognita fuit.
(13) De isto jam dictum etiam supra.

de venerabili fratre nostro Philippo, Belvacensi A episcopo, ad Remensem metropolim transferendo, propter evidentem utilitatem et urgentem necessitatem ejusdem ecclesiæ, misericorditer admittere dignaremur, ostendentes per postulationis decretum canonicorum subscriptionibus roboratum, quod duæ partes canonicorum quantum ad numerum, et tres quantum ad dignitatem, et longe plures quantum ad ordinem, hujusmodi postulationis convenere consensum. Hoc ipsum charissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francorum illustris, per dilectum filium. F. (14), Aurelianensem decanum, quem propter hoc cum litteris suis et multorum nobilium ad Romanam Ecclesiam specialiter destinavit, ex multo devotionis affectu petebat. Postmodum autem, dilectus filius, T (15), de Pertico, Re- B mensis archidiaconus, cum quibusdam canonicis ejusdem ecclesiæ supervenit, proponens postulationem hujusmodi recipiendam non esse, quia post appellationes ad nos legitime interpositas fuerat celebrata. Cumque super appellationum juribus coram nobis et fratribus nostris aliquandiu disputassent, nos, auditis quæ fuerant hinc inde proposita, interlocuti fuimus, propter hujusmodi appellationis objectum non debere postulationis officium impediri, cum causæ, propter quas fuerat appellatum, ostensæ sint falsæ, secundum exhibita juramenta. Verum idem archidiaconus consequenter, et in factum et in personam quædam objecit, et alia volebat objicere, quæ quoniam coram nobis tunc probare non poterat, inquisitionem et decisionem C ejusdem negotii oportuit ex necessitate committi. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus partes ad pacem diligenter et efficaciter inducatis, quatenus quod, si forte, quod absit! infra octo dies non poterit provenire, vos extunc, ut utrique parti jus suum per omnia conserventur, ad locum convenientes communem audiatis quæ hinc inde duxerint proponenda, et eis examinatis prudenter, nisi ex parte contradicentium aliquid canonicum fuerit sufficienter ostensum, propter quod hujusmodi postulatio admitti non debeat, auctoritate nostra suffulti, omni contradictione et appellatione remota, postulationem approbantes eamdem, præfatum episcopum ad Remensem metropolim transferatis, facientes ei reverentiam et D obedientiam debitam exhiberi; contradictores, si qui fuerint, per districtionem ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Alioquin, postulatione prædicta nequaquam obstante, volumus eidem Ecclesiæ de persona idonea secundum formam canonicam provideri. Si qua vero partium legitime citata non venerit, vos juxta formam prescriptam nihilominus procedatis, attentius provisuri, ne ultra festum apostolorum Petri et Pauli proxime venturum mandatum apostolicum prorogetur. Quod si non omnes... valueritis aut volueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur, ita quod, s vel vos non conveneritis in unam sententiam, vel partes non consenserint ut sententiam proferatis negotium sufficienter instructum ad sedem apostolicam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent, ad quem, si forsam earum aliqua venire neglexerit, nos nihilominus sicut justum fuerit procedemus.

Datum Laterani, v Kal. Martii, pontificatus nostri anno sexto.

X (16).

ADELFONSO AURIENSI EPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM

*Recipitur sub protectione apostolicæ sedis. Privilegia et bona confirmantur.*

(Laterani, v Kal. Martii,)

Cum simus viris ecclesiasticis, imo Christi fidelibus universis de suscepto ministerio debitores, fratribus et coepiscopis nostris tanto propensius volumus et debemus adesse, quanto digniorem obtinent in Ecclesia locum, et plura in salutem et profectum cleri et populi per eorum ministerium procurantur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, postulationibus tuis clementer annuimus, et ecclesiam Auriensem, cui, auctore Deo præesse dignosceris, ad exemplar felicis recordationis prædecessorum notrorum, Lucii et Urbani PP. sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo præfata ecctesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; totum Limium quæ alio nomine Palla aurea dicitur; ecclesias de Penna Cornuria; ecclesias de Orzelon; ecclesias de Cusanc.; Castellum Buvalum, Caldelas, Intertisam, et alias ecclesias. quæ sunt sub castello de Portello citra flumen Tueha; Lumba, Baruncelo, Soutouerimni; monasterium Cellæ-novæ per judices delegatos a nobis adjudicatum ecclesiæ Auriensi; abbatiam de monte de Rama: abbatiam Sancti Stephani de ripa Sili; abbatiam Sanctæ Christinæ; abbatiam Sancti Claudii; abbatiam de Bouada; monasterium de Juncaria; prioratum Sancti Martini de Grou; prioratum de Juncaria; prioratum Sancti Petri de Rocas; prioratum Sanctæ Columbæ; monasterium de Ramirans; monasterium de Arnoia; ecclesiam de Villaruvin, cum tota villa; ecclesias de Armentar. Jougues; ecclesiam de Masidi; ecclesiam de Eires; monasterium Servæi, cum pertimentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte; ecclesiam Sancti Jacobi de Aleris;

(14) Fulconem I, de quo et alias.
(15) Thomas de Pertico, ex auctoribus citatis.

(16) Indicata apud Raynaldum, anno 1203, § 67,

ecclesiam Sancti Stephani in eadem villa; ecclesiam Sanctæ Marinæ de Frigidofonte; rivum Calidum, cum pertinentiis suis; Lovios; hæreditates Sanctæ Mariæ de Palo; Pereiram malam, Parietes rubeos, monasterium Sanctæ Mariæ de Palo, Goestei, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Nicolai de Portu Auriensi, cum hæreditatibus suis; Canedo; Nugariam; Mauriscum; Nidum Aquilæ; Padernum; ecclesias Sancti Georgii et Sanctæ Leocadæ, cum hæreditatibus suis; ecclesiam Sancti Petri de Meschitacum pertinentiis suis; totam hæreditatem Cantoris Aviæ; castellum de Araugis, cum omni jurisdictione sua, sicut rex Ferdinandus tibi et successoribus tuis in perpetuam ipsum eleemosynam dedit; aliam medietatem de Rivo Calido, sicut idem rex ecclesiæ Auriensi donavit; omne vetus Cantum et novum, et omnes alias hæreditates, quas eadem ecclesia juste possidere dignoscitur. Ad hæc indemnitati volentes commissæ tibi ecclesiæ providere, auctoritate apostolica prohibemus ne monachi, canonici regulares, Hospitalarii, Templarii, fratres militiæ Beati Jacobi, fratres Sepulcri Dominici, seu quilibet alii religiosi, ecclesias episcopatus tui vel decimas, te vel tuis successoribus inconsultis ac contradicentibus, auctoritate propria vel concessione laica vendicare præsumant; quod si fecerint, nullam factum eorum habeat firmitatem, sed ad potestatem et dispositionem vestram sine contradictione aliqua revertantur, nisi præscriptione legitima vel alia se potuerint rationabili causa tueri. Interdicimus etiam, ne excommunicatos vel interdictos a vobis, salva indulgentia quæ concessa est religiosis aliquibus de aperiendis ecclesiis semel in anno, cum terræ generale fuerit interdictum, et divinis celebrandis, excommunicatis exclusis, ad divina officia vel ad sepulturam admittant. Si qui vero parochianorum ecclesiæ tuæ apud eos elegerint sepeliri ecclesiis a quibus mortuorum corpora assumuntur canonicam præcipimus justitiam reservari. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur... cunctis autem, etc.

Datum Laterani, per manum Blasii, Turritani electi, v Kal. Martii, indictione vi, Incarnationis Dominicæ anno 1202, pontificatus vero domini Innocentii PP. III anno sexto.

XI

......EPISCOPO (17), ET CAPITULO HILDESEMENSIBUS.

*Monet et mandat ut Hermanum diaconum in canonicum recipiant.*

(Laterani, vi Kal. Martii.)

Cum nos favorabiles quandoque inveneritis et benignos, vos in precum exauditione nostrarum crederemus invenire devotos, et nobis obedientiæ debitum exhibituros humiliter, cum rogamus, nec exspectaturos coactionem apostolicæ jussionis, ut de obedientia cito nobis exhibita potius commendari, quam de rebellione ac duritia vestra reprehendi possetis. Recolimus enim, pro dilecto filio, Hermano, diacono, preces vobis apostolicas destinasse, ut eum, ob reverentiam beati Petri et nostram, in canonicum reciperetis et fratrem, et mandatum postmodum inculcasse precibus et præceptum, sed nec præceptum nec preces apud vos valuisse noscuntur, sicut ejusdem diaconi labor indicat iteratus. Ne igitur quod de ipso diacono pro Deo, et propter Deum inchoasse dignoscitur, dimittamus aliquatenus imperfectum, devotionem vestram iterato monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus diaconum ipsum divinæ pietatis intuitu et precum obtentu nostrarum, in canonicum et fratrem recipere non tardetis, præbendam, quam bonæ memoriæ C. (18), Herbipolensis episcopus, imperialis aulæ cancellarius, in ecclesia vestra tenebat, cum vacare dicatur, ei sine difficultate qualibet conferentes. Alioquin noveritis nos dilectis filiis..., abbati de Valle Sancti Georgii..., præposito Sancti Severi, et..., decano sanctæ Mariæ de Erfordia Maguntin. diœceseos, in mandatis dedisse, ut vobis in exsecutione mandati nostri cessantibus, ipsi præbendam illam eidem diacono, si eam vacantem invenerint, vel aliam, si qua vacat ad præsens, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstantibus, conferant et assignent, vos ad recipiendum illum in canonicum et fratrem, et assignandum in capitulo locum et stallum in choro, ecclesiastica districtione cogentes.

Datum Laterani, vi Kal. Martii, anno sexto.

*Scriptum est illis super hoc.*

XII.

MAXIMO, CLERICO.

*Indulget, ut aliquid ex proventibus ecclesiæ Sancti Michaelis de Oliveto possit percipere.*

(Laterani, v Kal. Martii.)

Dilectis filiis, R...., tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytoro cardinali...., abbati et conventui Cassinen. scripta recolimus apostolica destinasse, ut ob reverentiam beati Petri et nostram tibi ecclesiam Sancti Michaelis de Oliveto conferrent. Idem vero conventus, tam per suas litteras, quam etiam per monachos ad nostram præsentiam destinatos, asseveravere constanter, quod præfatus abbas, de communi fratrum consilio, ad usus infirmorum, eamdem ecclesiam duxerat irrevocabiliter conferendam, quam petebant humiliter ab eorum usibus minime subtrahi, cum absque ipsius redditibus non valeant infirmis fratribus necessaria ministrari. Abbas autem per suas nobis litteras intimavit, quod nostram nolens offensam incurrere, nostris paratus erat obedire mandatis. Ne igitur remaneat penitus imperfectum quod de te sedes duxit apostolica inchoandum, neve quod infirmorum usibus deliberatione provida, communique fratrum consilio, fuerat deputatum, contingeret improvide revocari, tam tibi quam ipsi conventui, paterna sollicitudine taliter duximus providendum, quod de proventibus ipsius ecclesiæ annis

(17) Vide supra, lib. v, epist. 14, not.

(18) Vide etiam supra, lib. v, epist. 99, not.

singulis, in festo Sancti Michaelis in Septembri, in duodecim unciis auri præfati abbas et conventus tibi providere procurent, donec tibi fuerit per eos in majori beneficio ecclesiastico, vel equivalenti provisum. Ad indicium autem hujus nostræ provisionis, præsentes litteras tibi duximus in testimonium concedendas. Nulli ergo... hanc paginam nostræ provisionis.

Datum Laterani, v Kal. Martii.

XIII.

EPISCOPO MUTINENSI (19).

*Mandat, ut Cremonenses, ob curtes Guastallæ et Luciariæ. de quibus cum monasterio Sancti Sixti Cremonensi litem moverant, publice excommunicati denuntientur; civitas Cremonensis ecclesiastico interdicto subdatur, et contumaces presbyteri ab officiis et beneficiis amoveantur.*

(Laterani, II Kal. Martii.)

Qualiter in causa, quæ inter monasterium Sancti Sixti et Cremonenses, super curtibus Guastallæ et Luciariæ mota fuerat, sit processum, tua fraternitas non ignorat, cui fuit per sedem apostolicam delegata. Cum ergo Cremonenses in sua contumacia perseverent, latas in potestates, consules et consiliarios excommunicationis, et civitatem interdicti, sententias contemnentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus potestatem, consules et consiliarios antedictos, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam, excommunicatos publice ac solemniter nunties, et mandes a vicinis omnibus, tam in mercimoniis quam aliis, arctius evitari, sub interminatione anathematis inhibens, ne aliqua civitatum ullum de prædictis excommuuicatis in potestatem assumat, vel assumptum audeat retinere; civitatem etiam Cremonensem denunties suppositam interdicto. Quia vero Joannes, presbyter in majori ecclesia ...Præpositus quoque sanctæ Luciæ... sancti Apollinaris... sancti Michaelis... Sancti Pauli, et... sancti Salvatoris, presbyteri, post sententiam interdicti publice præsumpserunt in Ecclesiis suis celebrare divina, volumus, et sub eadem tibi districtione mandamus ut tam eos quam archipresbyterum, et... archidiaconum Cremonenses, qui auctoritatem huic temeritati præstitisse dicuntur, si res ita se habet, ab omni officio et beneficio, sublato appellationis obstaculo, suspendere non postponas, et cogas per censuram ecclesiasticam, cum litteris tuis rei seriem continentibus ad nos venire suspensos. Ne autem jus monasterii memorati per defectum testium valeat deperire, volumus et mandamus, ut testes senes et valetudinarios, quos dilectus filius... abbas Sancti Sisti, duxerit producendos, omni occasione appellatione et excusatione cessantibus, recipias, et depositiones eorum in scriptis per manum publicam redigere non postponas, eos, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, ad perhibendum testimonium veritati, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas.

Datum Laterani, II Kal. Martii.

XIV.

COMITISSÆ VIROMANDENSIS

*Gratiose requirit ab ea, quæ jus patronatus habebat, unam præbendam primo vacaturam, quam ex gratia recognoscit, licet de sua potestate disponere possit*

(Laterani.)

Sicut preces tuas apud nos credis et speras paternum invenire favorem, sic credimus et speramus quod nostræ, nec immerito, apud te devotionem inveniant filialem. Rogamus igitur nobilitatem tuam monemus attentius et hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præbendam, si qua vacat ad præsens, vel primo vacaturam in ecclesia Sancti Quintini, in qua jus patronatus habere dignosceris, nostræ donationi facias reservari personæ idoneæ conferendam, de tuis partibus oriundæ. Quod licet de plenitudine potestatis, quam nobis Dominus in Beato Petro concessit, possemus facere per nos ipsos, tuæ tamen nobilitati deferre volentes, maluimus apud te quod intendimus precibus obtinere, quam apostolica nunc exsequi potestate. Sic autem velis precum nostrarum primitias exaudire, quod apud nobilitatem tuam non videamus sustinere repulsam.

Datum Laterani.

*Scriptum est super hoc* . . . . decano, et capitulo Sancti Quintini, *in eumdem fere modum ut supra usque in finem.* Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ad præbendam, si qua in ecclesia vestra vacat ad præsens vel primo vacaturam, nullum in canonicum recipere præsumatis, nisi cui eam duxerimus conferendam.

Datum Laterani. . . . . anno sexto.

XV (20).

POLINIANENSI (21) EPISCOPO.

*Mandat ut cognoscat de stipulatione quadam, an sit contra canones.*

(Laterani, IV Non, Martii.)

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod cum R.... Laicus de Mar. (22) mutuum recipere voluisset..... creditor *Tranensis diæceseos*, ne per

(19 Episcopum Mutinensem, tunc temporis, Ægidium agnoscit Ughellus, quem electum fuisse anno 1195 asserit. Idem postea ad metropolitanam Ravennatensium sedem anno 1206 translatus est. Bononiensem, e Garzonia gente fuisse asserit Paschalinus. *Ital. sacr.*, t. II, col. 150. Ad hunc sæpius scripsit Innocentius.

(20) Relata inter Decretales, lib. III, tit. 17, *De emptione et venditione*, cap. 5. Quæ Italico charactere notantur, desunt in editionibus Decretalium.

(21) In collectione Gregoriana, *Palliensi*, in Innocentiana, *Pallionensi*, hic, *Polinianensi* episcopo, inscribitur hæc epistola; incorrecte ubique, ut nobis videtur. Legendum potius *Polymniacensi* (de *Polignano*). Civitatis enim alicujus Tranensi vicinæ episcopo dirigi debuit epistola nostra. Verum, de Polymniacensibus circa hæc tempora episcopis, apud Ughellum nihil.

(22) Decret. *lator præsentium, ab M.*

canonem contra usurarios aditum posset in posterum conveniri, domus et olivas *ipsius* recepit ab eo titulo emptionis, cum revera contractus usurarius ageretur, quod patet ex eo quod creditor, *sicut publicum continet instrumentum*, debitori promisit, quod, quandocunque a septennio usque ad novennium daret ei sexaginta uncias Tarenorum, quæ vix dimidiam justi pretii contingebant, domos ei restitueret et olivas. Quia igitur fraus et dolus cuiquam patrocinari non debent, *fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus, quatenus, si res ita se habet, instrumento conditionis confecto in fraudem canonis promulgati contra usurarios non obstante, prædictum M... ad restituendum domos et olivas *prædictas* ei, ad quem debent hæreditario jure devolvi, cum debitor viam sit universæ carnis ingressus, per pœnam in Lateranensi concilio contra usurarios promulgatam, appellatione remota, compellas.

Datum Laterani, IV Non. Martii

XVI (23).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET ECCLESIARUM PRÆLATIS ET UNIVERSIS CLERICIS PER SARDINIAM CONSTITUTIS.

*Indulget ne cogantur extra Sardiniam per litteras apostolicæ sedis respondere, nisi aliter caveatur.*

(Laterani, v Id. Martii.)

Licet quod legalis sancit auctoritas, ut quis in sua debeat provincia conveniri, apostolicæ non præjudicet potestati, quominus controversias subjectorum, et quibus, et ubi voluerint, valeat delegare, sic tamen apostolica sedes auctoritatem propriam moderatur, ut plus quod expedit quam quod licet attendens, potentiam suam publicæ utilitati conformet, ibique causas, quæ fuerint ad ipsam delatæ, deleget, ubi sine partium poterunt gravamine pertractari. Eapropter, vestris precibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut non cogamini per litteras apostolicæ sedis extra Sardiniam respondere, nisi de hac fecerint indulgentia mentionem. Nulli ergo... hanc paginam nostræ concessionis, et.

Datum Laterani, v Id. Martii.

XVII.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS, IN SARDINIA CONSTITUTIS

*Jubet, ut interfectores episcopi Plavacensis et aliorum publice excommunicatos denuntient, nec in Sardinia commorari patiantur* (24).

(Laterani, VI Id. Martii.)

Quoniam impunitas criminis incentionem generat delinquendi, vestræ potest negligentiæ imputari, quod sicut accepimus, in Sardinia scelus nefarium usque adeo inolevit, ut ductum sit in consuetudinem, vobis tacentibus frequenter, cum passim jam in partibus illis ecclesiastici viri mactentur, nec his parcat etiam iniquitas præsumptorum, qui ejus vices exercent in terris, qui parcit semper et miseretur in cœlis. Sane, cum in partibus illis, bonæ memoriæ..... Plavacensis episcopus..... abbas de Sergo, et..... Camaldulensis prioris vicarius, fuerint nequiter interfecti, vos, quod dolentes referimus, tanquam canes muti non valentes latrare, nihil in eos, sicut dicitur, statuistis. Quia vero tantæ temeritatis excessum dissimulare nec volumus nec debemus, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus eos, qui talia præsumpserunt, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuntietis, et mandetis ab omnibus arctius evitari, donec apostolico se conspectui præsentaverint absolvendi. Nobiles viros judices Sardiniæ per censuram ecclesiasticam compellentes, ut eos ad satisfaciendum juxta formam canonicam tradita sibi potestate compellant nec permittant, donec satisfecerint competenter, hujusmodi sceleratos in suo judicatu, si ab alio judicatu se transferant, commorari in quacunque autem civitate, villa, vel oppido hujusmodi moram fecerint homicidæ, quandiu præsentes fuerint, divina prohibeatis officia celebrari. Illos vero, qui manus in clericos injecerint violentas, secundum præscriptam formam excommunicatos publice nuntietis. Similiter de cætero processuri, si, quod absit! simile quid contingat.

Datum Laterani, VI Id. Martii.

XVIII.

PISANO ARCHIEPISCOPO (25); ET SUFFRAGANEIS EJUS,

*Significat se recepisse sub apostolicæ sedis protectione judicem Turritanum.*

(Laterani, VI Id Martii).

Nobilis viri..... judicis Turritani, devotio promeretur, ut, in quantum honeste possumus, favorem ei apostolicum impendamus. Cum ergo ipsum.... filium et terram ipsius, cum omnibus bonis suis, sub protectione sedis apostolicæ duxerimus admittendum, fraternitatem vestram monemus et exhortamur attentius et per apostolica vobis scripta præcipimus, quatenus ipsam terram et homines ejus, ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram, in jure suo manutenere ac defendere, et ab iniquorum conatibus, quantum pastoralis officii gravitas patitur, tueri curetis; parochianos vestros ab ipsius et terræ suæ infestatione per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes, nec permittentes eum ab ipsis, quantum in vobis fuerit, indebite molestari.

Datum Laterani ut *supra*.

---

(23) Laudata a Raynaldo, an. 1203, § 67.

(24) In hac epistola Innocentius mentionem facit vicarii prioris Camaldulensis, qui barbare in Sardinia interfectus fuerat, de qua re nullum superest ulterius monumentum. Fama tantum est, circa hæc tempora plures monachos Camaldulensis et Vullumbrosanæ congregationis, trucidatos fuisse a Saracenis Sardiniam invadentibus vel depopulantibus. MITTAREL. *Annal, Camald.* t. IV, p. 192.

(25) De eo dictum multoties.

XIX.

ABBATI DOLENSI (26) ; E. SUBDIACONO PAPÆ, PRIORI DE LEPROSO.

*Ut non obstante episcopi Nivernensis morte, præbendam in ecclesia Nivernensi P. nepoti archiepiscopi Turritani, juxta tenorem mandati apostolici de hoc ad dictum episcopum Nivernensem directi, faciant assignari.*

(Lator. v Id. Maii, *potius* Martii)

Bonæ memoriæ..... episcopo (27), et dilectis filiis, capitulo Nivernensibus, scripisse recolimus, ut dilectum filium, P..... nepotem venerabilis fratris nostri.... archiepiscopi Turritani (28), in possessionem præbendæ vacantis, quondam nostræ donationi servatæ, obtenu B... de Sancto Porciano, qui viam est universæ carnis ingressus, inducere procurarent, vobis super hoc exsecutoribus assignatis eidem. Unde, præfatis canonicis præcipiendo mandavimus, ut, non obstante quod prædictus episcopus Nivernensis interim fuit ab hac luce subtractus, mandatum apostolicum exsequi non postponant. Quorcirca, discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus, si canonici memorati mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos in ipso negotio, nullius contradictione vel appellatione obstante, juxta tenorem prioris mandati procedere non tardetis : contradictores districtione ecclesiastica compescentes. Quod si non ambo... alter vestrum, etc.

Datum Laterani, v Id. Maii (26), anno sexto.

XX.

EIDEM.

*De argumento simili, in favorem L. in ecclesia Liniacensi.*

(Laterani, *ut supra.*)

Dilectus filius, C. [*al.* J.] de Pertico, decanus Beati Martini Turonensis, ad quem ecclesiæ Liniacensis pertinere dicitur donatio præbendarum, quamdam præbendam ibi vacantem dilecto filio, L. nepoti venerabilis fratris nostri, B.., archiepiscopi Turritani, concessit, litteras ei super hoc conferens proprio sigillo signatas. Unde, dilectis filiis.... Præposito et capitulo ejusdem ecclesiæ, per apostolica scripta præcipiendo mandavimus, ut, quod ab ipso decano super hoc provide factum est ratum et firmum habentes, ipsum L. vel magistrum P. de Vico ipsius nomine, in canonicum recipiant et in fratrem, vacantem, præbendam ab ipso decano collatam cum integritate solventes eidem, stallumque sibi in choro et locum in capitulo non differant assignare, non
A obstante quod in choro B. Martini debet primitus installari, cum illuc propter guerrarum tumultus ire non possit. Quorcica, discretioni vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, si ipsi quod mandavimus neglexerint adimplere, vos super hoc, remoto appellationis obstaculo, mandatum apostolicum exsequi non tardetis, contradictores, etc., *ut supra*,

Datum *ut supra.*

XXI.

ABBATI ET FRATRIBUS SANCTÆ MARIÆ FORIS PORTAM, FAVENTINIS (30).

*Recepiuntur sub protectione, Privilegia confirmantur.*

(Laterani, v Idus Martii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu, monasterium
B vestrum, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem plebes Sanctæ Reparatæ et Sancti Andreæ, cum consuetis portionibus decimarum, primitiarum et oblationum ; capellam Sancti Andreæ in Lacuna ; ecclesias Sanctæ Mariæ in Nocareto, Sanctæ Mariæ in Casanico, Sancti Martini in Fundo Rasonis, Sancti Laurentii in Manzanico, Sancti Michaelis in Bacagnano, Sancti Georgii, Sanctæ Mariæ in Campora, Sanctæ Mariæ de Casale, Sanctæ Mariæ in Vezano, Sanctæ Felicitatis in Mucello, Sancti Blasii Ravennatis, Sanctæ Mariæ in Runcis, Sanctæ Apollinaris, Sanctæ Mariæ in Andecimo, cum omnibus posses-
C sionibus et pertinentiis earum ; Massam Ambroniacam, quæ dicitur Populanum, Massam in alpe Casalia, cum possessionibus earumque pertinentiis; curtem de Cuturn. cum pertinentiis suis, villas, videlicet, de Adilian. et de Nocareto, de Rosan. Huminis, de Mintignagno, de Mlitian. de Viulo, de Capezan., cum omnibus possessionibus et pertinentiis earum; Castella, videlicet, Varnellum et Andecimum, cum pertinentiis suis ; fundos, scilicet Galiani de Casanola, de Lacuna viridi, de Sidero, de Albareto de Loreto, de valle Appiolis, et de Vicelo, cum omnibus pertimentiis suis, et quidquid juris habetis in fundo de Vincereto ; sicut ea omnia juste ac pacifie possidetis, vobis, et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad hæc,
D rationabiles consuetudines et antiquas in monasterio vestro pacifie hactenus observatas, vobis et eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, di-

(28) De abbate Dolensi dictum est supra.

(27) Vide epistolam libri quinti 131.

(28) Notandum quod Blasius (agitur enim hic de ipso, quanquam tacito nomine), qui paulo ante, v Kal. Martii (Vid, epist. hujusce libri x), adhuc vocabatur *electus* nunc (v Id. Martii) *archiepiscopus* Turritanus dicitur. Vid, not. seq.

(26) Legendum omnino videtur *Martii*, cum plures tam superiores quam posteriores numero epistolæ, mense Martio datæ diserte dicantur.

(30) Macchabæum, abbatem monasterii S. Mariæ foris portam, anno 1202, XVII mensis Martii, agnoscunt chartæ hujus loci (Fasc. v). Mox, eodem anno 1202, intrante mense Octobris, indictione v, reperitur Theodinus abbas (*ibid.*) ; et abhinc, anno 1203, necnon anno 1264, die v intrante mense Februario. indictione VI, idem Theodinus, in instrumentis continua serie, actor vel testis adest. Verum, anno 1205, die 5 intrante mense Decembri, indictione VIII, Macchabæus abbas, velut redivivus, iterum diserte nominatur. Hujusmodi difficultatem solvore non ad nos pertinet. Vide *Monum, Faven'.* col. 493.

strictius inhibentes, ne quis vos audeat contra eas indebite molestare. Præterea, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut aliquem virum idoneum monasterio vestro œconomum statuatis, qui monasterii causas tractet, et ubi, opus fuerit, præstet calumniæjuramentum. Nulli ergo omnino hominum. hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis, inhibitionis et concessionis infringere, etc.

Datum Laterani, v Id. Martii, pontificatus anno sexto.

### XXII.

EISDEM.

*Mandat, ut bona monasterii in emphyteusim locata juxta emphyteuseos leges, ad monasterium revertantur* (31).

(Laterani, Kal. Martii.)

Proposuisti nobis, fili abbas, in nostra præsentia constitutus, quod cum ecclesia tua multas in emphyteusim possessiones locaverit, et is, qui taliter illas recepit, eidem ecclesiæ velit dimittere, pro suorum remedio peccatorum, ut finito tempore ad ecclesiam revertantur, nepotes vel propinqui ejus illas invadunt, et quandiu aliquas fuerit de progenie illa superstes, easdem possesiones reverti ad ecclesiam non permittunt. Nos igitur, gravamini Ecclesiæ tuæ paterna volentes sollicitudine providere, auctoritate præsentium inhibemus, ut nulli liceat occasione constitutionis ipsius, quam, utpote factam contra canonicas sanctiones irritam reputamus, possessiones ejusdem eclesiæ detinere, sed libere ad ipsam ecclesiam prout ad eam pertinent revertantur. Statuentes, ut si illi, qui possesiones aliquas a tua ecclesia taliter receperunt, ipsi voluerint ecclesiæ derelinquere, vel in ultima voluntate legare, liberam habeant potestatem. Nulli ergo... hanc paginam nostræ constitutionis et inhibitionis infringere, etc.

Dat. Laterani, Kal. Martii.

### XXIII.

ABBATI (32) ET MONACHIS SANCTI GERMANI AUTISSIODORENSIS.

*Indulget eis, ut tempore interdicti defunctos fratres cum certis honoribus sepelire possent.*

(Laterani. XII Kal. Aprilis.)

Devotionis vestræ merita promerentur, ut in quibus honeste possumus favorem vobis apostolicum impendamus. Vestris igitur precibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, si aliquis vestrum, vel successorum vestrorum, tempore obierit interdicti, ad ejus exsequias die depositionis ipsius campanam unicam tunc pulsetis, ita quod nec multum sit intervallum, nec pulsatio sit pro- A lixa, cum hoc ipsum in Autissiodorensi civitate monasterio Sancti Juliani per diœcesanum episcopum sit indultum, et id ipsum cathedralis sedes observet. Nulli ergo, etc.

Dat. Laterani, XII Kal. Aprilis, anno sexto.

### XXIV (33).

NOBILI VIRO W., MEGANIPPANO SERVIÆ.

*Monet ut ad catholicam fidem redeat, et obedientiam, ac reverentiam pontificis vice archiepiscopo Colocensi exhibeat.*

(Laterani, XI Kal. Aprilis.)

Mediator Dei et hominum, Deus homo Christus Jesus (*I Tim.* II), apostolicæ sedis primatum in beato Petro apostolorum principe stabilivit, qui et ante passionem suam inquit ad ipsum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et* B *quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (*Matth.* XVI). Et circa passionem suam dixit eidem : *Simon, Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; sed ergo pro te rogavi ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Et, post passionem suam, vocabulo tertio repetito præcepit : *Simon Joannis, diligis me plus his ? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI) ; non distinguens inter has oves et illas, ut ab ovili Christi se sciat esse penitus alienum, qui beatum Petrum recusat habere pastorem, et qui claves ejus contemnit, ipse sibi regni cœlestis januam intercludit, nec Satanæ potest cribrum effugere, qui per eum renuit in fide catholica confirmari. Nos igitur, C qui, licet indigni, beato Petro successimus in apostolatus officio, per quod facti sumus sapientibus et insipientibus debitores, de tua salute solliciti, decrevimus te per venerabilem fratrem nostrum, J... Colocensem archiepiscopum, virum utique litteratum, providum et honestum, cui vices nostras in hac parte commisimus, visitare ; quatenus te, corpore quidem a nobis remotum, sed mente propinquum, in orthodoxa fide confirmet, et a te, nomine nostro, spiritualem obedientiam et reverentiam recipiens corporalem, ad apostolicum ovile reducat, in quo post Christum, præcipuum et primum pastorem, beatus Petrus secundarius et secundus pastor existit. Monemus igitur nobilitatem tuam attente et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus D præfatum archiepiscopum vice nostra benigne recipias et honores, ejusque salubria monita et mandata studeas humiliter adimplere, ut sic in arca receptus diluvium non incurras, et nos ad honorem et profectum tuum debeamus efficaciter aspirare.

(31) His quæ diximus in nota ad epistolam superiorem adde, si vis, quod de istis Innocentii epistolis mentio nulla habetur in monumentis a Mittarello collectis (*loc. cit.*), ubi tamen diversas ejusdem, pontificis epistolas legere est quæ in Regestis frustra requiruntur.

(32) S. Germani Autissiodorensis abbatiam, tunc temporis, regebat Radulfus, ex diœcesi Nivernensi in pago qui dicitur Baseium ortus. Electus anno 118, summa cum laude usque ad annum 1203 præfuit ; sed postea, natis ex invidia episcopi inter abbatem et monachos dissidiis, tribulationibus, multis per quatuor annos vexatus, ad summum pontificem causam dicturus Romam perrexit, unde rediens, Placentiæ exstinctus, ipso die Natalis Domini 25 Decembris. anno 1208, ibidem sepulturam habuit. *Gall. Christ*-f. XII, col. 384.

(33) Laudata a Raynaldo, anno 1293, § 49.

Dat. Laterani, XI (34) Kal. Aprilis. A

*In eumdem modum scriptum est* archiepiscopis, episcopis et baronis per Serviam constitutis.

XXV (35).

COLOCENSI ARCHIEPISCOPO.

*De eodem argumento.*

(Laterani, XI Kal. Aprilis).

Mediator Dei, etc., *in eumdem modum usque* debitores, de salute nobilis viri, W... Meganippani Serviæ, et tam prælatorum ecclesiæ quam nobilium terræ, imo et omnium morantium in Servia, solliciti, per te ipsos decrevimus visitare. Ideoque fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, in hoc vices nostras auctoritate præsentium committentes, per apostolica tibi scripta mandamus B
quatenus accedens personaliter in Serviam, Meganippanum ipsum, prælatos et nobiles universos, in orthodoxa fide confirmes, et ab eis juratoriam recipias cautionem, quod nobis et successoribus nostris, sanctæque Romanæ apostolicæ sedi, bona fide curabunt de cætero in spiritualibus obedire, recipiensque ab eis reverentiam corporalem, illos, auctoritate nostra suffultus, et obedentiæ vinculo, quo videbantur patriarchæ Constantinopolitano teneri, denunties penitus absolutos, quia, cum ipse debitam nobis obedientiam non impendat, nec ipsi demeritam sibi tenentur reverentiam exhibere.

Datum Laterani, *ut supra.*

*Scriptum est super hoc* Ungarorum illustri.

XXVI (36).

PRIORI (37) SANCTI GREGORII SPOLETANI. C

*Mandat, ut quæ fuerant L. et fratribus ejus ob furti suspicionem ablata, eis restituantur.*

(Laterani, *ut supra*).

[Significantibus V... laico, et fratribus ejus, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod, cum quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo *præter terræ consuetudinem* coacti sunt inire duellum, in quo, aliis peccatis suis præpedientibus, ceciderunt, propter quod *post appellationem ad nos interpositam*, per consules Spoletanos bonis fuerunt propriis spoliati, nunc vero furtum apud alios est inventum, et quod ipsi fuerint innocentes, faciente Domino, revelatum; unde consulibus ipsis dedimus in mandatis, ut ablata eis restituant universa.] D
Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ipsi mandatum nostrum neglexerint adimplere, tu partibus convocatis..., quod justum fuerit, appellatione remota, faciens..., per censuram ecclesiasticam.

Datum Laterani, *ut supra.*

—

XXVII

B. ARCHIEPISCOPO TURRITANO.

*Committit, ut Turritanus judex, qui cum pœnitentiæ signis decessit, veritate cognita absolvatur, et ecclesiasticæ sepulturæ tradatur.*

Ex parte dilecti filii nostri nobilis viri...judicis Turritani, fuit propositum coram nobis, quod cum Pisani quamdam Turritanam provinciam invasissent tunc fratri eidem judici Turritano quam plurima damna gravia intulerunt. Cumque postmodum cum eis componere voluisset, illi sub spe pacis et confœderationis prætextu, castrum de Monte Cossiano, contra juramentum proprium venientes, invadere præsumpserunt, et ablatis omnibus bonis ejus.. uxorem ipsius in Kalarim duxere captivam, ubi, sicut, Domino placuit, exspiravit. Insuper, nobilis vir.... Kalarianus judex, ad cujus manus devenerat castrum ipsum, prædictum judicem graviter molestabat. Cumque postmodum venerabilis frater noster, Pisanus archiepiscopus (38), in Sardiniam accessisset, ut discordantes ad concordiam revocaret, a Kalaritano judice castrum ipsum, et a judice Turritano quædam alia pignora, in manu sua de partium voluntate præcepit. Sed antequam procederetur ad pacem, idem Turritanus castrum memoratum invasit, quod quia restituere noluit archiepiscopo repetenti, ille in eum excomunicationis sententiam promulgavit. Cæterum post aliquantulum temporis spatium idem judex Turritanus in lecto ægritudinis constitutus, ut pœnitentiam acciperet de commissis et absolutionis beneficium obtineret, bonæ memoriæ Turritanum archiepiscopum, prædecessorem tuum, et.... Surranum episcopum, ad suam fecit præsentiam evocari; sed antequam optatam eorum copiam habuisset, viam fuit universæ carnis ingressus, et extra cœmeterium ecclesiæ tumulatus. Quia vero nobis non constat de præmissis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiras super iis diligentius veritatem, et si tibi constiterit quod in eo penitentiæ signa præcesserint, cum ex hoc credendus sit apud Dominum absolutus, ut Ecclesia judicio divino concordet, defuncto, cum pœnitentiali psalmo, oratione solita, et aspersione aquæ benedictæ, a fratre ipsius condigna satisfactione recepta, beneficium absolutionis impendas; sicque illi poteris sepulturam ecclesiasticam exhibere; provisurus attentius, ut constitutionem, quam super hoc olim de consilio fratrum nostrorum edidimus, diligenter observes.

Datum.

—

(34) Sic diserte legitur in apographo Conti. Raynaldum (*loc. cit.*) legisse II (pro 2), sunt qui credere possunt.

(35) Vide Raynaldum, *ibidem.*

(36) Exstat, sed mutila, inter Decretales, lib. V, it. 35, *De purgatione vulgati*, cap. 1, ubi ad priorem *S. Sergii*, errore manifesto, inscribitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt, Italico charactere distinctis iis quæ desunt.

(37) Vide epistolas libri secundi 15 et 16.

(38) Vide lib. III, epist. 9, not.

### XXVIII

NOBILI VIRO... JUDICI TURRITANO.

*Ne cogat laicos et ecclesiasticos provinciæ Turritanæ solvere Pisanis quæcunque ab eis postulaverint.*

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, jurasse te olim ad instantiam Pisanorum, ut si quando eorum aliquis super debito quolibet, vel bullatas litteras, vel publicum exhibuerit instrumentum extunc infra viginti dies ei satisfieri facias, juxta quod instrumentum continet quod inducit. Tu igitur, timens ne contra hujusmodi venias juramentum, non solum laicos, sed clericos, et ecclesias, et venerabiles fratres et coepiscopos nostros, in Turritana provincia constitutos, juris ordine prætermisso, compellis Pisanis solvere quæcunque ab eis duxerint postulanda, dum tamen super hoc, vel litteras sigillatas, vel publicum exhibeant instrumentum; sicque contingit ut et multa indebita, et quædam credita, bis vel ter cum usuris gravissimis exsolvantur. Cum igitur per hujusmodi juramentum tibi nihil penitus accreverit potestatis, nec Pisani potuerint clericos aut ecclesias tuæ subjicere ditioni, ut coram te debeant contra jus canonicum conveniri, nobilitatem tuam monemus et exhortamur attentius, et per apostolica scripta tibi mandamus, quatenus occasione hujusmodi viros ecclesiasticos de cætero non molestes, ne dum vis placare Pisanos Deum offendas, et incurras apostolicæ sedis offensam, quæ hoc non posset æquanimiter tolerare.

Datum.

### XXIX (39).

NOBILIUS VIRI..... TURRITANO, CALARITANO ET.... ARBORENSI (40) JUDICIBUS.

*Præcipit ut quæ mandaverit Turritanus archiepiscopus efficere curent.*

[Quanto Sardinia specialius ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, utpote cui tam in spiritualibus quam temporalibus est subjecta, tanto propensius recavere volumus et debemus, ne quid attentetur in ea per quod et status perturbetur ipsius, et Dominus graviter offendatur.] Sane, cum diutius in se ipsa divisa, et hostes cæteros exterius perpessa fuerit, et familiares interius inimicos, satisque jam sit meminisse malorum, ad tollenda ea quæ scandalum generant, et plantanda quæ pacis pariunt incrementum, diligentiam impendere tenemur sollicitam et sollicitudinem diligentem. Verum, quia id non possumus personaliter, adimplere venerabili fratri nostro..... Turritano archiepiscopo, cujus honestatem et prudentiam sumus in multis experti, de ipsius discretione confisi, duximus committendas. [Monemus igitur nobilitatem vestram, et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsum ob reverentiam apo-

A stolicæ sedis et nostram recipientes humiliter, et honorifice pertractantes, quæ super judicatibus Gallurensi et Arboreæ, et nobili muliere...... filia quondam judicis Gallurensis, tradenda nuptui cum ad nubiles annos pervenerit, et aliis, vobis ex parte nostra proponet, cum super omnibus plene nostram noverit voluntatem, credere ac efficere procuretis; ita quod devotionem vestram in hoc plenius cognoscamus et per ipsius sollicitudinem toti provinciæ pax proveniat exoptata.

Datum.

### XXX (41).

NOBILIBUS VIRIS JUDICIBUS SARDINIÆ.

*Ut archiepiscopo Turritano pontificis nomine fidei juramentum exhibeant.*

B Vestra nobilitas non ignorat qualiter Sardinia sedi apostolicæ temporaliter etiam sit subjecta, propter quod antecessores vestri prædecessoribus nostris fidelitatem consueverant exhibere. Ne igitur jus Ecclesiæ Romanæ negligere videamur, qui aliis etiam in sua justitia consuevimus providere, nobilitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus in manus venerabilis fratris nostri...... archiepiscopi Turritani, de cujus prudentia et honestate plenam fiduciam obtinemus, et quem ad hoc duximus deputandum, nobis, successoribus nostris, et Ecclesiæ Romanæ, sub ea forma quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, fidelitatis juramenta præstetis, mandatum apostolicum
C taliter impleturi, quod ad honorem vestrum intendere merito teneamur. Alioquin sententiam, quam tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus inviolabiliter observari.

Datum.

### XXXI (4

ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, ET NOBILIBUS VIRIS JUDICIBUS, ET ALIIS IN SARDINIA CONSTITUTIS.

*Ut censum Ecclesiæ Romanæ persolvant.*

(Laterani.)

Quanto de fervore fidei et devotionis constantia venerabilis fratris nostri.....archiepiscopi Turritani, pleniorem fiduciam obtinemus, tanto ei apostolicæ
D sedis negotia confidentius committimus exsequenda Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus de censu, quem Ecclesiæ Romanæ debetis, ei curetis sine difficultate qualibet respondere, ita quod ex hoc devotionem vestram commendare merito debeamus Alioquin, etc.

Datum Laterani.

(39) Exstat, sed mutila, apud Raynaldum anno 1203, § 68. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(40) Arborensem judicem, Constantinum, anno 1200, agnoscit instrumentum quoddam apud Mittarellum, *Annal. Camaldul.* t. IV, app. col. 240, ch. CXLIX.

(41) Laudata a Raynaldo, an. 1203, § 68.

(42) Laudata a Raynaldo, anno 1203, § 68.

### XXXII (43).

EPISCOPI PARISIENSI, ABBATI SANCTÆ GENOVEFÆ, EORUMQUE CAPITULIS.

*Confirmatio concordiæ inter ipsos initæ.*

(Laterani, VII Kal. Aprilis.)

Cum inter vos super jure parochiali in parochia de Monte super cappella Santæ Genovefæ sita in civitate Parisiensi, et super procurationibus quas tu, frater episcope, in parochialibus ecclesiis tuæ diœceseos, ad prædictam ecclesiam Sanctæ Genovefæ de Monte spectantibus,requirebas, fuisset quæstio diutius agitata, et post labores varios et expensas multiplices, quas propter hoc sustinuistis, utrinque mediantibus bonis viris, salva tamen apostolicæ sedis reverentia, amicabili fuerit compositione sopita, tandem vobis humiliter postulantibus,ut eidem compositioni, vobis et ecclesiis vestris necessariæ, manum nostræ confirmationis apponere dignaremur, dilectis filiis... abbati Sancti Columbæ Senonensis, et J. magistro scholarum Aurelianensium, nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si compositionem ipsam sine pravitate provide factam cognoscerent, et hinc inde sponte receptam. nec in præjudicium apostolicæ sedis, ad quam ecclesia Sancta Genovefæ nullo mediante pertinere dignoscitur, redundaret, vice nostra eam auctoritate apostolica confirmarent, id nobis postmodum per suas litteras intimantes, ut et nos confirmaremus easdem, cum essemus plenius per eorum relationem instructi. Qui, sicut obedientiæ filii, legitime in commisso sibi negotio procedentes, forma compositionis ejusdem et privilegiis ecclesiæ Sanctæ Genovefæ diligenter inspectis, compositionem ipsam invenientes secundum quod præmisimus factam et hinc inde receptam. eam auctoritate nostra confirmare curarunt, sicut in eorum litteris plenius perspeximus contineri.Unde, pari desiderio et unanimi voluntate nobis humiliter supplicastis, ut eidem compositioni manum confirmationis nostræ, de benignitate sedis apostolicæ, apponere dignaremur. Nos igitur, quod per delegatos eosdem secundum formam mandati nostri factum est ratum et firmum habentes, sæpedictam compositionem, sicut sine pravitate provide facta est, et a vobis sponte receepta, et in scriptis authenticis exinde confectis plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani,VII Kalendas Aprilis,anno sexto.

### XXXIII.

CONSULIBUS ET POPULO JANI (44)

*De solutione census.*

(Laterani, VII Kal. Aprilis,)

Solet annuere, etc., *in modum protectionis.* Ad A indicium autem, quod de Patrimonio beati Petri et nostro domanio existatis, duos solidos affortiatorum annuatim de singulis domibus, nomine census nostræ cameræ persolvetis. nulli ergo, etc.

Datum Laterani, VII Kal. Aprilis

### XXXIV.

DECANO BEATÆ MARIÆ MEDII MONASTERII (45), ET ARCHIDIACONO, BITURICENSIBUS.

*Mandat ut faciant justitiam cuidam clerico, super quadam consuetudine in diocæsi Bituricensi, ne cuiquam oatrimonium suum vendere liceat, nisi tali qui sit ei propinquior in linea parentelæ.*

(Laterani, VII Kal. Aprilis.)

Ex relatione dilecti filii, magistri O... Mainel, canonici Beatæ Mariæ de Salis Bituricensis, accepi- B mus quod, cum consuetudo in Bituricensi diæcesi habeatur, ne cuiquam patrimonium suum vendere liceat nisi tali qui sit ei propinquior in linea parentelæ, si forte sufficiat ad emendum, B.... quondam avunculus ejus, portionem hæreditatis suæ P... militi, Buricensis diœceseos, præsumpsit vendere in ipsius præjudicium et gravamen, cum et ipsius justo pretio emisset eamdem, si fuisset ab eo super hoc requisitus. Quia vero præfatus clericus non juri civili, sed provinciali consuetudini, volens inniti, postulavit a nobis sibi justitiam exhiberi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, etc., quod justum fuerit... facientes... firmiter observari. Nullis litteris etc.

Datum Laterani, VII Kal. Aprilis, anno sexto

### XXXV.

C ABBATI SANCTI JULIANI, MAJORI ARCHIDIACONO, TURONENSIBUS.

*Sententiam, a J. magistro seholarum Aurelianensium, ad hoc a papa delegato, in causa electionis prioratus Graciacensis latam, auctoritate apostolica confirmat* (46).

Cum olim inter dilectos filios magistrum P... de Vico, et A... Archenaud, super electione vel nominatione prioratus Graciacensis quæstio verteretur, ipsis apud sedem apostolicam constitutis, quoniam de meritis causæ nobis constare non poterat, eam dilecto filio J... magistro scholarum Aurelianensium, sub certa forma, de assensu partium duximus committendam. Ipse vero, mandato nostro recepto, partes ad præsentiam suam Parisius convocavit, et D proposito coram eo negotio examinato diligenter, et plene discusso postquam per depositiones testium solemniter publicatas, et partium instrumenta, decretum etiam electionis canonicorum subscriptionibus roboratum, et alias rationes de singulis habuit notitiam pleniorem, utraque parte præsente, ac sententiam instantius postulante, habito multorum Parisius jura docentium, et aliorum prudentum consilio, electionem vel nominationem factam de

(43) Vide notas ad epistolam libri quinti C. Hanc hujusce libri sexti epistolam 32, cum apographo, ad fidem autographi, quod in archivis abbatiæ S. Genovefæ asservatur, a docto regiæ inscriptionum et humaniorum litterarum Accademiæ Socio, D. Monges,diligenter exscripto,nobisque humanissime communicato, attente contulimus. Nulla omnino inest discrepantia.

(44) Sic. Legend. forte *Fani.*

(45) De monasterio Mediano Bituricensi, vide *Gall. Christ.* t. II, col. 121.

(46) Vide epistolam libri quinti 37.

ipso A... in præfata ecclesia reprobavit certis de causis, et quatenus processerat de facto cassavit, electionem vero magistri P. approbavit auctoritate nostra et canonicam judicavit, deditque capitulo Beati Austregisili Bituricensi, ad quod præfata Ecclesia pertinet, in mandatis, ut, non obstante decani (47) absentia, qui Bononiæ morabatur, electionem magistri P. quam ipse approbaverat confirmaret; aloquin ipse id auctoritate rescripti apostolici adimpleret. Contradictores etiam excommunicationi subjecit, juxta nostrarum continentiam litterarum, injungens auctoritate nostra dilecto filio, R... Bituricensi archipresbytero, et R... archidiacono Borbonensi, ut ad præmissam ecclesiam Beati Austregisili accedentes, ipsius capitulum, ut pareret latæ sententiæ efficaciter inducere procurarent, contra- B dictorum et rebellium nomina, si qui essent, et processum sibi negotii rescripturi: qui sæpius illuc euntes omnes præter ipsum A. invenere concordes latæ pro magistro P. sententiæ sponte parentes, canonicos insuper Graciacenses in hoc reperere unanimes, illos etiam, qui prius sibi fuerant adversati, quemadmodum suis etiam litteris fideliter rescripsere. Dictus vero A. sæpius requisitus et monitus, ipsi magistro P. contumaciter se opponit. Unde, cum inciderit in latam, secundam formam rescripti nostri, excommunicationis sententiam in rebelles, eum excommunicatum publice nuntiavit, et fecit per alios nuntiari ab omnibus evitandum; sæpedictum vero magistrum ad prædictam remisit Graciacensem ecclesiam confirmatum, sicut a nobis receperat in mandatis, ubi concorditer et unanimiter C est receptus, sicut capitulum nobis litteris patenti-

A bus intimavit. Cum igitur de præmissis delegatus idem nos litteris suis curavit reddere certiores, nos quod ab eo tam provide factum est obtinere volentes debitam firmitatem, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus tam diffinitivam, uti jus est, auctoritate nostra, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, quam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem debitam appellatione postposita, faciatis.

Dat..... an. sexto.

### XXX (48).

........... PRÆNESTINO EPISCOPO (49), APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.....,... DE CAPEMBACH (50), ET..... DE SCELDE (51) ABBATIBUS, IN COLONIENSI ET MONASTERIENSI DIOECESIBUS CONSTITUTIS.

*Mandat ut idoneum ad præposituram ecclesiæ Coloniensis præfici curent.*

(Laterani, v Id. Aprilis.)

(52) [In causis quæ summi pontificis judicio deciduntur, et ordo juris et vigor æquitatis est subtiliter observandus; cum in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare, nisi forte cum aliquid, causa necessitatis et utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum]. Dudum ergo majore Coloniensis ecclesiæ præpositura vacante (53), cum ad tractandum de substitutione præpositi canonici convenissent in duas partes, eorum fuere vota divisa; quibusdam sanctorum apostolorm præpositum (54), aliis autem præpositum Sancti Georgii (55), ad præposituram eligentibus memoratam; missisque propter hoc nuntiis ad apostolicam sedem, de ipsorum assensu, ad di-

(47) De Decanis S. Austregisili de Castro, Bituricen. circa hæc tempora, hæc apud Galliæ Christianæ auctores reperiuntur.

« II. Willelmus, cui Alexander PP. III. anno 1173, privilegium concessit, quod, non obstante interdicto, sepulturæ ecclesiasticæ cadavera tradantur, reperitur adhuc in quibusdam chartis an. 1188, 1190, 1199. »

» III. Henricus, Decanus S. Austregisili, frater Simonis, Cantoris, Bituricensis, et avunculus Henrici de Poliaco, repetitur in variis actis ab anno 1208 ad annum 1221. Sed jam obierat anno 1223, a quo ejus anniversarium celebrari reperitur. » Ista quidem hic præteriisse nobis religio fuit, ideo quia in notis ad epistolam libri quinti 37, quæ de decano S. Austregisili intelligenda erant, de decano cathedralis D ecclesiæ Bituricensis, per oscitantiam accepimus.

(48) Epistola hæc extat, sed valde mutila, inter Decretales, duobus in locis; 1o Lib. I, tit. 6, *De electione et electi potestate*, cap. 22; 2o lib. II, tit. 27, *De sententia et re judicata*, cap. 19. Quæ in utroque loco leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(49) Vide epistolam libri quinti, 8 not.

(50) Forte legendum, *de Cappenberg*, ordinis Præmonstratensis illustre cœnobium, fundatum in avitæ arcis locum a Gotfrido, comite de Cappenberg, anno 1186. Bucel *Germam. sacr.* part. II, pag. II, 159. Huic monasterio, tunc temporis, præerat Hermannus, ex nobili comitis Lotharii Arensis et Merensis et Hildegundis stirpe nobilissimus filius, qui quadraginta annis præsulatum miro omnium favore et amore administratum moriendo reliquit anno 1210 *Annal. Præmonstr.* tom. I, col 436.

(51) De abbatia ista nihil apud Bucelinum. *Germ. sacr.* Sed forte legendum de *Scheida*, al. *Sceida*, al. *Degor*, quæ est abbatia Præmonstratensis ordinis filia Cappenbergæ; sita est in Angaria et comitatu Marcano diœceseos Coloniensis. *Gall. Christ.* t. III, col. 802. Quis abbatiæ de Scheida tunc fuerit abbas, in ambiguo relinquunt Annales Præmonstratenses. Hermanum II an. 1296, mox, anno incerto, sed ineunte sæculo XII. Volmarum agnoscunt, virum singularis prudentiæ, doctrinæ et rerum agendarum peritiæ. *Annal. Præmonst.* tom. II, col. 773.

(52) Vide *Decret.* lib. II, *loc. cit.*

(53) Verisimiliter per obitum Ludovici, qui major præpositus testis legitur, cum Udone decano, in charta fœderis initi inter Adolfum, Coloniensem archiepiscopum, et Windekindum, Corbeiæ Saxonicæ abbatem, Aquisgrani IV Non. Jul. in die coronationis Othonis, Romanorum regis IV, an. Incarn. Domini 1198, indict. I. Post eum, Theodoricum Heinsbergensem memorant auctores Galliæ Christianæ, qui ex præposito factus est archiepiscopus post Brunonem IV, an. 1208. *Gall. Christ.* t. III. col. 717.

(54) *Theodoricum* nomine, ex litteris Guidonis, cardinalis episcopi Prænestini, ubi testis adest eidem cardinali bona abbatiæ Paynensis confirmantis, anno 1202. Hontheim. *Hist. Trevir.* t. I. p. 642, *instr.* 449.

(55) *Engelbertum* nomine; ex iisdem litteris. Vide epistolam libri tertii 54, not. et epistolam libri quinti 71 not.

lectos filios, A... de lacu (56), J... de Claustro (57), A et J... de Valle Sancti Petri (58) in Herterbarch [*al.* Heisterback], abbates, sub ea forma commissio est obtenta, quod, auditis quæ præponerentur hinc inde, si de partium procederet voluntate, diffinitivam sententiam promulgarent, alioquin causam sufficienter instructam ad nostram remitterent audientiam, statuentes partibus terminum competentem, quo per se vel responsales idoneos ad apostolicam sedem accederent, sententiam recepturæ.

[*Ipsi vero, mandatum apostolicum fideliter exsequi cupientes* (59), partes ad suam præsentiam convocarunt, receperunt testes *hinc inde productos* (60), examinarunt eligentium conscientias, audierunt allegationes utrinque. Et quonian præpositus Sancti Georgii ipsorum sententiæ se tandem asseruit nolle B stare, *depositiones testium hinc inde receptas, et allegationes partis alterius, sub sigillis suis* (61) ad sedem apostolicam destinarunt], partibus festum Beati Michaelis, tunc proximo futurum, veniendi ad sedem apostolicam terminum præfigentes, quem præpositus Sanctorum apostolorum, allegans quod terminus tam prolixus dispendium ecclesiæ generarat, ad festum Santi Servatii breviavit. [Cumque nuntii præpositi Sanctorum Apostolorum ad nostram præsentiam accessissent, præpositus Sancti Georgii nec venit, nec misit idoneum responsalem]; sed venerabilis frater noster (62)...... Coloniensis archiepiscopus ejus absentiam excusavit, asserens eum captum, arrepto itinere ad sedem apostolicam veniendi, a nobili viro, W., Juliacensi comite, detineri. Nos autem, ne aliquid disponere in ejus præ- C judicium videremur, per dilectos filios..... Præpositum Sancti Gereonis (63), et B. concanonicum suum mandavimus ad festum resurrectionis Dominicæ sub peremptorio partem utramque citari. Qui, sicut ex litteris ipsorum accepimus, Sanctorum apostolorum præpositum viva voce, præpositum vero Sancti Georgii per litteras et nuntios, pariter citaverunt, qui, citatione recepta, se scripsit ad sedem apostolicam accessurum. Verum, cum nec ad terminum, nec ultra terminum, etiam per octo hebdomadas expectatus, venerit, vel miserit idoneum responsalem, eum reputavimus contumacem, eumdem in expensas legitimas parti condemnantes adversæ.

Visis igitur attestationibus, et [gestis judicum diligenter inspectis, invenimus, quod pro præposito sanctorum apostolorum auctoritas, pro præposito vero Sancti Georgii numerus eligentium, faciebat; cum primus, a quatuordecim tum personis tum canonicis, qui alios tam ætate quam dignitate ac *ordine* (64) præcedebant; secundus vero, a viginti quatuor fuisset electus.] Objiciebatur autem præposito Sancti Georgii minor scientia, defectus ætatis, et quod in minoribus erat ordinibus constitutus. Unde, cum præposituræ illi esset archidiaconatus annexus, non erat ei dignitas conferenda, ratione cujus cogebatur infra præfixum a canonibus spatium in diaconum promoveri. Proponebatur autem pro altero, quod vir erat ætate, scientia et moribus commendandus. Unde, meliori ducti zelo propter hoc electores ipsius in eum se confessi fuerant convenisse, nec solum sui, sed quidam alterius etiam electores, eum prudentiorem esse, præsertim in spiritualibus, asserebant, quamvis alium magis utilem, maxime circa temporalia propter potentiam, fuerint protestati. [Cum autem allegationes pro eodem præposito Sancti Georgii coram judicibus ipsis propositæ, nobis non fuerint præsentatæ, propter quod non potuimus per nos scire quid objecerit, vel quid responderit ad objecta, sicque causa remissa non fuerit ad nos sufficienter instructa, *tunc* (65) ad

(56) Abbatiam de Lacu, tunc temporis, regebat Albertus, « ab insigni sapientia, virtutum cultu, devotione et solertia laudatus, qui occurrit circa annum 1199 in litteris Joannis, archiepiscopi Trevirensis. Moderatus annis 19, mortallitatem exuit anno 1219. » Hactenus auctores Galliæ Christianæ; (tom. XIII, col. 606). qui quidem Bucelinum (*German. sacr.* part. II, pag. 203), secuti sunt. Verum, Hontheimius instrumentum quoddam edidit, quod ipse datum ante annum 1193 existimat, in quo *Albertus, Lacensis abbas*, testis diserte memoratur. *Hist. Trevir.*, tom. I, pag. 621, instr. 434.

(57) Legendum omnino videtur non J. sed H. *Hermannus* enim, tunc temporis, monasterii de Claustro, sive Hemmerodiensis, abbas reperitur. Vir nobili sanguine natus, ex canonico Bonnensi primum monachus Claustri factus, de hinc ad prioris munus delectus est. Postea Heisterbachii monasterii anno 1188 abbas, demum, ante annum 1190, Claustrum revocatus, ibidem abbatis officium egit, nec non nisi anno 1215, ampliandæ religionis zelo, trans Rhenum ad constructionem loci S. Mariæ abbas migravit, in qua functione expletis octo annis, plenus dierum meritisque dives, spiritum Creatori reddidit. *Gall. Christ.* t. XIII, col. 635. Quæ quidem confirmantur ex instrumentis apud Brower. *Annal. Trevir.* t. II, p. 110.

(58) Hic etiam erratum esse videtur in littera initiali qua designatur nomen abbatis monasterii de Valle S. Petri, seu Heisterbacensis. Constat enim *Gerardum*, seu *Gebardum*, olim canonicum S. Mariæ ad Gradum, deinde monachum Hemmerodensem (seu Claustrensem), demum Hermanno, primo abbati Heisterbacensi, ad Claustri regimen translato, ante annum 1190 suffectum fuisse. Anno vero 1202; monasterii quod nunc est, fundamenta jecit, septimoque incœpti operis anno, prælaturæ suæ decimo tertio, Christi nati 1208, xv Kal. Martii, migravit ad Dominum. De eo multa apud Cæsarium, D lib. XII *Dialog.* c. 5. Vide *Gall. Christ.* tom. II, col. 792.

(59) Decret l. I, desunt.

(60) Desunt.

(61) Decret., *processum* loco *d. t. h. i. r. et abl. p. a. s. d. s.*

(62) Adolphus I (de Altena) filius Everardi, comitis Altenensis, et Margaritæ Juliacensis, quem ex majoris ecclesiæ præposito ad Coloniensem thronum anno 1193 evectum, usque ad annum 1205 sedisse notum est. *Gall. Christ.* t. III, col. 683.

(63) Illi nomen erat *Theodorus*, non *Arnoldus*, prout conjeceramus in notis ad epistolam libri tertii 54, not. Vide Hontheim. *loc. cit.*

(64) Decretal., *tempore*.

(65) Deest hoc verb. Decretal.

diffinitivam sententiam non duximus procedendum, sed decisionem ipsius causæ *dilectis filiis.... Sancti Geronis*, etc (66) *Sancti Severini præpositis Coloniensibus* etc.... *decanos Bunensi* (67) *duximus committendam, per apostolica scripta mandantes eisdem, quatenus* (68) si vel esset notorium, vel per *jam acta* (69) constaret quod jam dictus præpositus Sancti Georgii, dum electionis tempore pateretur, vel in ordinibus, vel scientia, vel ætate, defectum, qui eum juxta sanctiones canonicas impediret ad hujusmodi officium promoveri, ei, *sublato appellationis obstaculo* (70), non obstante illius absentia corporali, silentium imponentes, præposito sanctorum apostolorum præposituram adjudicarent eamdem, *et eum in corporalem possessionem mittentes, pacifice facerent possessione gaudere* (71). Alioquin, cum in eum non solum plures, sed duæ pene partes convenerint, et, impedimentis cessantibus, *præsumi deberet* (72), quod eum elegerint bono zelo, præpositi sanctorum apostolorum electione, *appellatione remota* (73), cassata, electionem confirmarent illius, et ei facerent præposituram assignari prædictam, et de cætero tanquam præposito responderi.] Contradictores, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes his exsequendis possent pariter interesse, duo eorum ea nihilominus adimplerent. Delegati vero partes ad suam præsentiam citaverunt, coram quibus fuit pro jam dicto præposito Sancti Georgii allegatum, quod sub eorum non tenebatur examine litigare, cum unus ipsorum adversario suo esset proxima consanguinitate conjunctus, alius vero, concanonicus ejus, nimia sibi familiaritate constrictus; unde, tanquam suspectos illos recusans, ad nostram audientiam provocavit, recusatione hujusmodi coram nobis se asserens probaturum. Ipsi vero interpositæ appellationi minime deferentes, testes alios super defectu ætatis et ordinis receperunt, quorum depositionibus publicatis, contra sæpedictum præpositum Sancti Georgii diffinitivam sententiam protulerunt, electionem alterius confirmantes. Idem autem præpositus ad præsentiam nostram accedens, causam eamdem sub certa forma obtinuit delegari, secundum quam tamen non exstitit aliquatenus in ipsa processum, sed post reditum ejus, cum in die festo Pentecostes, occasione dissensionis hujusmodi, gravis esset tumultus in clero ac populo suscitatus, compulsæ sunt partes ad sedem apostolicam iterum laborare. Sæpedictus ergo præpositus Sancti Georgii per se ipsum præpositus vero sanctorum apostolorum per procuratorem idoneum, nostro se conspectui præsentavit, quibus in auditorio nostro plenam conces-

A simus audientiam et benignam. Præfatus autem præpositus Sancti Georgii memoratam sententiam, aut irritam esse, aut irritandam fore dicebat, allegans appellationem suam fuisse canonicam, propter duas recusationes prædictas, et inordinatum fuisse delegatorum processum, propter duas præcipue rationes, quia videlicet delegati testes de novo super defectu ætatis et ordinis, contra juris formam, postquam fuerat coram primis judicibus omnino conclusum, et contra commissionis nostræ tenorem, qua fuerat expressum, ut procederent contra eum, si defectus oppositus, aut esset notorius, aut per jam acta probatus, recipere præsumpserunt. Unde, cum, ex eo quod, testes fuerunt super utroque defectu recepti, constaret ipsum non esse notorium, et at-
B testationes præscripto modo receptæ sibi de jure præjudicare non possent, petebat, quod, non obstante prædicta sententia, sua confirmaretur electio, contra quam nihil canonicum erat sufficienter ostensum, sed nec præpositus Sanctorum apostolorum poterat ei defectus objicere memoratos, cum eum in alia ecclesia jam præpositum inter Colonienses priores (*sic*) approbando receperit, cessante prorsus hujusmodi quæstione.

Ad hæc autem pars respondit adversa, quod recusationes prædictæ legitimæ non fuerunt, quoniam altera fuit falsa, et reliqua fuit frivola, cum delegati nepos illius, qui, tanquam suspectus, consanguinitatis recusabatur obtentu, nepotem præpositi Sanctorum apostolorum solemniter duxerit in uxorem,
C et liberos genuerit ex eadem, contra quorum conjugium, licet aliquando fuerit de consanguinitate propositum, nondum tamen erat Ecclesiæ judicio retractatum. Alterum vero de jure suspectum illa familiaris amicitia non reddebat, quod videlicet in quadam ecclesia fuerat decanus, in qua præpositus Sanctorum apostolorum fuerat canonicus, et quod ad sua negotia pertractanda tanquam amicum eum consueverat quandoque vocare, cum judex non inimicus esse debeat sed amicus. Porro, qualescunque fuerint recusationes hujusmodi, noluit tamen eas coram arbitris communiter electis probare, secundum quod pariter dictant jus canonicum et civile, quod non in favorem illius, qui causa frustratoriæ dilationis nititur declinare judicium, sed eidem est potius introductum, contra quem malitiose molitur
D judicium declinare, cum non sit hominum malitiis indulgendum. Testes autem ad probandum defectum ætatis et ordinis non ideo receperunt, tanquam non esset notorium impedimentum utrumque sed eos ad majorem cautelam ex super abundanti recipere decreverunt. Unde, cum judex non secundum unam tantum probationis speciem animi sui motum

(66) Nomine *Hermanno*. Vide *Hontheim, loc. cit.*

(67) De isto, nihil omnino ad manum babemus.

(68) Decretal. tantum habent, *judicibus commisimus ut.*

(69) Decreta.., *ea quæ jam dicta erant.*

(70) Desunt Decret,

(71) Desunt Decret.

(72) Decretal., *appareat.*

(73) Desunt hæc verba in Decr.

informet, si etiam testes illos delegati minus provide recepissent, propter evidentiam tamen notoriam legitime processerunt, præsertim cum propter hæc non fuerit appellatum. Cæterum, contra sententiam replicabatur eorum, quod cum coram primis judicibus contra electionem sæpedicti Sanctorum apostolorum præpositi fuisset objectum, quod ejus electio præsumpta fuerat contra canonicas sanctiones, quibus cautum est evidenter ut tunc alter de altera eligatur ecclesia, cum in ea, quod tamen vix creditur, nullus idoneus invenitur, idem præpositus, qui non erat de corpore cathedralis ecclesiæ, in qua multi reperiebantur idonei, contra duarum pene partium voluntatem, quæ suo privilegio renuntiare nolebant, ad præposituram ipsius in earum præjudicium non debebat assumi, præsertim cum, juxta statuta canonica, non posset præposituram cui alligatus erat dimittere absque sui auctoritate pontificis, et ad aliam se transferre. Sed responsum est econtrario, quod electores præpositi Sancti Georgii, pro eo quod ipsum elegerant infra ordinem, et ætatem, in pœnam inciderant constitutionis canonicæ in Lateranensi concilio promulgatæ, per quam hujusmodi præsumptores decernuntur, et electionis ea vice potestate privati per triennium, et a beneficiorum suorum perceptione suspensi, unde penes alios eligendi duntaxat noscitur remansisse potestas, qui extraneum eligendo juri suo generaliter omnes renuntiare quiverint, præsertim cum nullum de prædictis præsumptoribus eligere debuissent. Verum, hæc ratio poterat forte locum habere, si prædictus præpositus Sancti Georgii prius fuisset electus, sed econtra præsumitur quod alius prius a prioribus electus fuisset, qui prius debebant, secundum ordinem, nominare. Ideoque, si vel mistim electi fuerunt, nondum illi fuerant eligendi potestate privati, quando in eorum præjudicium isti extraneum eligere præsumpserunt, sed nec illud de jure valebat, quod in commissione nostra fuerat sine conditione mandatum, ut si vel unus uni de tribus obstaret defectibus, alternum confirmarent, cum illud tacita fuerit veritate subreptum, nec nos intelligebamus exceptiones legitimas exclusisse, quæ poterant, vel in personam objici, vel in factum. Nos igitur, super iis et aliis, quæ partes in auditorio nostro proponere curaverunt, cum fratribus nostris deliberavimus diligenter, et, quoniam, præter alias rationes, ex eo etiam non immerito movebamur, quod ex hac dissensione grave scandalum imminebat, cum uni de duobus electis plures de canonicis irrevocabiliter adhærerent, quibus et metropolitanus tota intentione favebat, alterum vero majores sine revocatione fovebant, quibus et priores Colonienses suum præstabant ex toto favorem, electionem unius præcipue propter defectum ætatis, qui quantus

A electionis tempore fuerit ex inspectione corporis perspicue monstrabatur, et propter defectum ordinis, quem electionis suæ tempore confessus est habuisse, cum postea fuerit in subdiaconum ordinatus; electionem autem alterius, præsertim propter contradictionem multorum volentium de idoneis corporis sui membris præfici sibi caput, et propter contradictionem archiepiscopi prædicti, qui non consentiebat ecclesiæ suæ privilegio derogari, auctoritate apostolica decrevimus irritandam. Ne vero contingat Coloniensem ecclesiam ex iterata dissensione gravius conturbari, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus capitulum ipsius ecclesiæ ad electionem canonicam et concordem moneatis attentius, et efficaciter inducatis,
B qualiter si forte, quod absit! provenire non poterit infra mensem, extunc, auctoritate nostra suffulti, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, personam idoneam eis in præpositum præficere studeatis. Contradictores, etc. Quod si non omnes his exsequendis potueritis, aut volueritis interesse, duo vestrum, etc.

Datum Laterani, v Id. Aprilis.

## XXXVII (74).

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI (75); PRIORI EXOLDUNENSI.

*Ut W. Gervasii, subdiabonum, præbenda in Xanctonensi ecclesia spoliatum, sub excommunicationis pœna restitui faciat.*

(Laterani, XVIII Kal. Februarii.)

Cum olim dilectus filius, W... Gervasii, subdiaconus, ad sedem apostolicam accessisset, ipsi restitutionem
C canonicæ Xanctonensis, qua injuste fuerat spoliatus, humiliter postulanti, et...... Alnisiensi archidiacono subdiacono nostro, eidem super hoc pro Xanctonensi ecclesia resistenti, dilectum filium nostrum, P. (76) tituli Sanctæ Cæciliæ presbyterum cardinalem, concessimus auditorem, qui cum ea quæ hinc inde proposita fuerant nobis plene et fideliter retulisset, cognito ipsum eadem canonica prætermisso juris ordine destitutum, et a bonæ memoriæ Lucio papa, prædecessore nostro, postmodum sententialiter restitutum, sicut ipse probabat per ejusdem litteras, quas super hoc in medium ostendebat, de consilio fratrum nostrorum, ejusdem prædecessoris nostri sententiam circa restitutionem ipsius decrevimus exsecutioni mandandam, salvis tamen in
D aliis exceptionibus ecclesiæ memoratæ legitimis, si quas contra eum ejusdem ecclesiæ canonici opponendas ducerent et probandas; præcipientes episcopo, decano et capitulo Xanctonensibus, ut eumdem subdiaconum tanquam canonicum suum plenarie restitutum, in canonicum et fratrem reciperent, et fraterna eum charitate tractarent, eidem stallum chori et locum capituli, sublato appellationis diffugio, assignantes; nihilominus, venerabili fratri..... episcopo (77), et dilecto filio...decano Pictaviensi (78),

(74) Epistolam hanc laudat Bzovius, *Annal.* tom. XIII, pag. 101, § 11.
(75) Lib. v, epist. 52, not.

(76) Lib. III, epist. 32, not.
(77) De isto agimus alibi.
(78) De isto etiam agitur alibi.

per scripta nostra mandantes, ut, si nollent super hoc mandatum apostolicum adimplere, ipsi eos ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam cogere non differrent. Cumque memoratus subdiaconus jam dictis.... episcopo (79), decano (80) et capitulo Xanctonensibus, tam nostras quam exsecutorum litteras præsentasset, ipsi, spreto mandato apostolico et admonitionibus eorumdem, cujusdam frustratoriæ appellationis prætextu, cum ipsa in litteris esset inhibita, ipsum recipere contempserunt; quare prænominati exsecutores, tam eorum ecclesiam quam personas contradicentium et non expresse consentientium, supposuerunt ecclesiastico interdicto, sicut eorum litteræ nobis exhibitæ continebant, qui sententiam parvipendentes eamdem, in contemptum apostolicæ sedis et nostrum, nihilominus divina præsumunt officia celebrare. Quoniam igitur ferro abscindenda sunt membra, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus interdictum ipsum, remoto cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, faciatis inviolabiliter observari. Quod si forsan, quod non credimus, observare noluerint, sed potius contumaciter duxerint resistendum, vos, ipsos, omni appellatione et contradictione remota, excommunicationis vinculo innodetis, et excommunicatos tandiu faciatis publice nuntiari, donec et præfatum W. subdiaconum., per nos sententialiter restitutum, duxerint admittendum, et ad nostram præsentiam cum vestrarum litterarum testimonio accedentes, nobis de suo contemptu et contumacia sastisfecerint competenter. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito, etc. Quod si non ambo... tu, frater archiepiscope, etc.

Datum Laterani, XVIII Kal. Februarii, pontificatus nostri anno sexto.

### XXXVIII (81).

MAGISTRO PRÆPOSITINO, MAGUNTINO SCHOLASTICO, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Hortatur, et mandat ut ad bonam frugem redeat, et archiepiscopo Maguntino pareat, alias beneficiis ecclesiasticis spoliabitur.*

(Laterani, IV Id. Aprilis.)

Credebamus hactenus quod sapientia regnaret in senibus, et ornaret prudentia litteratos; sed in te jam, quod dolentes didicimus, econtrario experimur, quod senio desipis, qui tempore sapueras juventutis, et multæ litteræ ad insipientiam te adducunt. Nunquid etenim non legisti, quod crimen ariolandi est nolle acquiescere, et scelus idololatriæ nolle obedire? Nunquid similiter non legisti, quod obedientia victimis antefertur? Ut nunc, obedientiæ semita derelicta, scienter ad inobedientiæ devia declinaris, et malueris contra stimulum calcitrare, quam statutis Ecclesiæ Romanæ parere? Nunquid non nosti quod venerabilis frater noster, S. (82) achiepiscopus Maguntinus, pallium ab Ecclesia Romana recepit? Nunquid te latuit, quod publice dictum fuit, ut nunc, sicut accipimus, litteras, quas ipsi concessimus, asseras esse falsas, sicque tacite saltem defendas illas improvidus, quæ ad perhibendum testimonium falsitati sunt a falsariis impetratæ? An nostrum fortasse præsumis judicium reprobare, judicando de nobis, qui a nobis, es potius judicandus? An oblitus fortasse es illius, quod sæpe non solum legisti sed etiam docuisti, quod servus suo domino stat aut cadit, et qui nos judicat Dominus est, et instar est sacrilegii de judicio principis judicare? Quamvis, etsi ab hujusmodi liberi simus ex collata nobis cœlitus potestate, prompti tamen ex apostolica humilitate fuerimus sufficientes super his reddere rationes. Licet igitur in pœnam tuam gravius procedere de jure possemus, volentes te tamen ad obedientiam revocare, per apostolica tibi scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus reversus ad mentem, ad prædicti archiepiscopi reverentiam celeriter et humiliter redeas, et in ipsa firmiter et devote persistas; alioquin, noveris nos eidem archiepiscopo mandavisse, ut, nisi infra mensem post susceptionem præsentium impleveris quod mandamus, extunc te, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra suffultus, omnibus ecclesiasticis beneficiis spoliare procuret, et ea personis idoneis faciat assignari. Ideo autem graviter te corripimus, et utinam efficaciter corrigamus! quia dolemus te conversum esse in arcum perversum, de quo apostolica sedes aliud cogitavit.

Datum Laterani, IV Id. Aprilis.

### XXXIX (83).

CANONICIS ET UNIVERSO CLERO ET POPULO, IN MAGUNTINA DIOECESI CONSTITUTIS, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Mandat ut archiepiscopum Maguntinum recipiant.*

(Laterani, V Id. Aprilis.)

Quod vobis subtrahimus nostræ salutationis alloquium, et apostolicæ benedictionis gratiam denegamus, non duritiæ nostræ, sed illorum contumaciæ potius imputetis, qui elegerunt magis sententiam excommunicationis incurrere, quam mandatis apostolicis obedire. Sane, universitatem vestram credimus meminisse, qualiter super discordia Ecclesiæ Maguntinæ dolentes, causam ipsius venerabili fratri nostro, G. (84) episcopo Prænestino, apostolicæ sedis legato, duximus committendam; qualiter ipse in mandati nostri exsecutionem procedens, electionem factam de venerabili fratre nostro, S. (85) archiepiscopo Maguntino curaverit confirmare, et nos

(79) Lib. V, epist. 116, not.
(80) Gaufridus I, decanus Santonensis, notus in instrumentis ab anno 1199 usque ad annum 1207. *Gall. Christ.* tom. II, col. 1088.
(81) Vide Raynaldum, anno 1203, § 50.

(82) Vide epistolam libri quinti 15, not.
(83) Vide Raynaldum, anno 1203, § 50.
(84) Vide epistolam libri quinti 8. not.
(85) Epist. libri quinti 14, not.

tandem ratum habentes quod factum fuerat ab eodem, archiepiscopo ipsi pallium duximus concedendum. Meministis etiam, qualiter vos mandaverimus eidem archiepiscopo reverentiam et honorem debitum exhibere, exsecutionem mandati nostri cæteris exsecutoribus committentes, qui vos ad illud cogereut exsequendum. Verum, quia nondum ad ipsius archiepiscopi reverentiam accessistis, universitatem vestram monemus, et per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus ad civitatem et ecclesiam Maguntinam admittatis eumdem, et reverentiam ei debitam exhibentes, contra molestatores suos ei potenter et viriliter assistatis, nec impediatis quominus liberam administrationem ejusdem Ecclesiæ tam in spiritualibus quam in temporalibus valeat exercere. Alioquin, præter districtionem, quam exsecutores nostri jam exercuerunt in aliquos vestrum et imposterum exercebunt, poteritis non immerito formidare, ne sedes archiepiscopalis, propter inobedientiam vestram, ad locum aliquem in quo sint obedientiæ filii, transferatur.

Datum Laterani, v Id. Aprilis.

XL (86).

S. (87) ARCHIEPISCOPO MAGUNTINO.

*Indulget ut irrita decernat, quæ in ecclesia Maguntina Warmaciensis episcopus contra fas peregit.*

(Laterani, *ut supra.*)

Cum, juxta legitimas sanctiones, non teneat accessorium ubi non tenuerit principale, firmitatem sortiri non debet, quod Warmaciensis episcopus (88) in ecclesia Maguntina præsumpsit, in qua temere se intrusit, cum postulatio ejus a nobis admissa non fuerit, et intrusio sacris sit canonibus inimica. Ideoque, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut quidquid in donationibus, concessionibus, vel aliis, tam in ecclesia Maguntina quam aliis ejusdem diœceseos, dictus episcopus attentavit, sublato appellationis obstaculo, in irritum rovoces, vel denunties potius non tenere. Nulli ergo...... concessionis, etc.

Dat. *ut supra.*

XLI (89).

SIFFRIDO ARCHIEPISCOPO MAGUNTINO.

*Graviter eum monet, ut ad officium suum diligenter incumbat.*

(Laterani, v Id. Aprilis.)

Ad hoc onus pastoralis officii suscepisti, ut eos Christi, cujus es ministerio deputatus, verbo pascas pariter et exemplo, qui, cum eas Scripturæ paveris sacræ pane, vere valeas dici pastor. Ideoque fraternitatem tuam per apostolica scripta monemus, quatenus ad officium tuum spectes, diœcessim visites Maguntinam, ut et parvulis lac potum tribuas, et solidum cibum provectis apponas. Ne autem corrumpat fermenti modicum totam massam, et inficiat ovis morbida tantum gregem, si quos in ea inveneris simoniace institutos, ipsos, sublato appellationis obstaculo, canonice punias, et si fuerint spoliandi post canonice punias, et si fuerint spoliandi post canonicam destitutionem illorum, eorum beneficia personis idoneis facias assignari. Præterea, tam subditos quam prælatos super excessibus suis canonice corrigas, et hæreses pullulantes studeas penitus coufutare.

Datum Laterani, v Id. Aprilis.

XLII (90).

LANTGRAVIO THURINGIÆ.

*Recipitur sub protectione.*

(Laterani, III Id. Aprilis.)

Tuæ devotionis merita promerentur, ut in quibus honeste possumus favorem tibi apostolicam impendamus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis precibus annuentes, pesonam tuam cum omnibus bonis suscipimus, etc., *in modum protectionis*, auctoritate tibi præsentium indulgentes, ne quis in te vel terram tuam excommunicationis vel interdicti sententiam, absque manifesta et rationabili causa, proferre præsumat. Semper etiam admonitio canonica præmittatnr, nisi fuerit talis excessus, qui judiciorum ordinem non requirat. Concedimus insuper ut, quoties te gravari præsenseris, libere tibi liceat sedem apostolicam appellare. Quod si quisquam in te vel teram tuam, post appellationem ad nos legitime interpositam, sententiam aliquam duxerit promulgandam, eam decernimus nullam esse. Tandiu autem indulgentiam nostram robur obtinere volumus firmitatis, quandiu nobis et Ecclesiæ Romanæ obediens fueris et devotus. Nulli ergo protectionis et coneessionis, etc.

Datum Laterani, III Id. Aprilis.

XLIII.

ABBATI (91), ET MONACHIS DE BECCO

*Confirmat eis ecclesiam S. Albini,*

(Laterani, IV Non. Maii.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vertris justis postulationibus inclinati, donationem, quam vobis fecit bonæ memoriæ.. (92) Ebroicensis episcopus, qui videlicet ecclesiam Sancti Albini de Crovill. cum capellis, et pertinentiis suis, vobis pia

(76) Vide Raynaldum, anno 1203, § 50.
(87) Lib. v, epist. 14, not.
(88) Ibid. not.
(89) Epistolam hanc integram exhibet Raynaldus, anno 1203, § 51.
(90) Laudat Raynaldus, ànno 1203, § 37.
(90) Sic in apogr.
(91) Guillelmus II abbatiam de Becco rexit annis tredecim, mensibus duobus, et duabus hebdomadis, uno die excepto, obiitque XIV Kal. Octobros anno 1211. *Gall. Christ.* t. XI, col. 231.
92 Agitur hic, verisimiliter, de Guarino (*de Cierrey*) qui anno 1293, tempore detentionis Richardi, regis Angliæ., in Alemannia, Ebroicensis episcopus electus, defunctus est anno 1281 (ex chronico Uticensi) ; hujus nomen, anno 1198, in chartis monasterii de Becco occurrere dicitur ab auctoribus *Galliæ Christianæ*, l. XI, col. 481.

liberalitate concessit, sicut sine pravitate provide facta est, et in ejus authentico plenius continetur, vobis et per vos ecclesiæ vestræ, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, IV Non. Martii, anno sexto.

XLIV.

HENRICO, PRÆPOSITO SANCTI PETRI DE MAGUNTIA, NEPOTI NOBILIS VIRI.... COMITIS DE LINIG.

*Ei confirmat præposituram Sancti Petri de Maguntia.*

(Laterani, V Id. Maii.

Solet annuere, etc., *usque* assensu; concessionem præposituræ ecclesiæ Sancti Petri De Maguntia tibi a venerabili fratre nostro.... (93) Prænestimo episcopo, apostolicæ sedis legato, de assensu venerabilis fratris nostri, S. (93) Maguntini archiepiscopi, collatæ, sicut canonice facta est, auctoritate tibi apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

XLIV.

POTESTATIBUS, CONSULIBUS ET CONSILIARIIS LOMBARDIÆ, TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS.

*Anathema, et alias canonicas pœnas eis comminatur, si clericos et ecclesias exactionibus et injuriis vexaverint.*

(Laterani, XVI Kal. Maii).

Exspectavimus hactenus et speravimus, quod provincia Lombardiæ, tanquam hortus irriguus et vinea gratiosa, fructus germinaret acceptos; sed, quod dolentes referimus, pro uvarum dulcedine propinavit amaritudinem labruscarum, et pro rosarum odore fetorem papaverum exhalavit. Olim siquidem, Pharao, rex Ægypti, cæteris servituti subactis, sacerdotes suos et possessiones eorum non solum servavit in pristina libertate, sed etiam alimoniam eis de publico ministravit. et rex Persidæ, Artaxerxes, universis sacerdotibus, levitis, cantoribus, janitoribus, nathinæis (96), et ministris domus Dei, vetuit vectigal, tributum et annonam imponi. Vos autem, sicut frequenter accepimus, in opprobrium et gravamen tam ecclesiarum quam etiam clericorum, non causas ut causas assumitis; ut eis collectas aut tallias imponatis, turpibus ipsos angariis opprimentes, quas si forsitan solvere vel subire noluerint, aut bannitis eosdem, ut exponantur incursibus malignorum, aut usum eis tam rerum quam officiorum communium interdicitis, aut aliter ad prædicta trahitis violenter, ut, inevitabili quasi necessitate compulsi, satisfaciant vel inviti. [Ne igitur sacerdotium deterioris hodie conditionis existat in populo Christiano, quam olim apud Judæos fuerat vel gentiles universitati vestræ, sub obtestatione divini judicii, districte præcipiendo mandamus, quatenus a prædictis exactionibus et injuriis abstinentes, clericos et ecclesias ad hujusmodi onera nullatenus compellntis, sed recipiatis humiliter, cum actionibus gratiarum, si quando forsan episcopus simul et clerus tantam necessitatem vel utilitatem inspexerint, et absque ulla coactione ad relevandas utilitates et necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias duxerint conferenda. Alioquin, cum et Lateranense concilium talia sub excommunicatione prohibeat attentari, et utique justum existat, ut laicis spiritualia subtrahantur, qui temporalia clericis subripere non verentur, si qui vestrum de cætero contra mandatum nostrum venire præsumpserint, excommunicationis se noverint vinculis innodatos,] nec unquam, sine mandato sedis apostolicæ speciali, contemptores hujusmodi absolutionis beneficium consequantur, donec, satisfacturi plenarie in personis propriis, apostolico se conspectui repræsentent. constitutiones insuper et sententias, quæ ab ipsis excommunicatis, vel de ipsorum mandato, fuerint promulgatæ, decernimus irritas et inanes, nullo unquam tempore valituras. Quia vero fraus et dolus cuiquam patrocinari non debent, nullus vestrum vano dicipiatur errore, ut infra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud ipse non sit ad exhibendum satisfactionis debitum compellendus. Nam et ipsum qui satisfacere recusavit, et successorem ipsius, nisi satisfaciat infra mensem, manere decernimus ecclesiastica districtione conclusum, donec ecclesiæ congrue satisfaciat, cum succedat in onere qui substituitur in honore. Ut autem civitas illa, quæ mandato nostro restiterit, sentiat manus nostras in se durius aggravandas, cives ipsius, cum suis mercimoniis ad nundinas accedentes, mandabimus usque ad satisfactionem debitam detineri.

Datum Laterani, XVI Kal. Maii.

XLVI (97).

. . . . ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI (98); EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, PRÆPOSITIS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, IN LOMBARDIA CONSTITUTIS.

*Conqueritur, quod consulibus, et aliis Lombardiæ magistratibus, clericos ad onera solvenda compellentibus, non obstiterint.*

(Laterani, *ut supra.*)

Tacti sumus dolore cordis intrinsecus et gravi mœrore turbati, quod inter vos vix hactenus aliqui sunt reperti, qui murum pro domo Domini se opponant, et, tanquam turris David contra Damascum erecta, resistant viriliter his qui Ecclesiam pretioso sanguine Christi redemptam moliuntur omnimodis ancillare. Licet enim potestates, consules et consiliarii Lombardiæ vos et ecclesias, ac clericos vestros

(93) Lib. V, epist. 8, not.
(94) Ibid., epist. 14, not.
(95) Fragmentum edidit Raynaldus, an. 1203, § 65; quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.
(96) Id est *acolythis*, vel *dedititiis*. Gabaonitæ, perpetuo famulitio addicti fuerunt decreto, de quo Josue, cap. IX; tumque dicti *Nathinæi*, cum David constituit ut levitis servirent, sicut levitæ sacerdotibus. GANG. *Gloss.* t. IV, col. 1147.
(97) Vide Raynaldum, anno 1203, § 65
(98) Lib. III, epist. 6, not.

multipliciter aggravaverint, neminem tamen vestrum audivimus ipsis pro defensione suæ ecclesiæ restitisse, sed tanquam canes muti, non valentes latrare, maluistis vestras ecclesias ancillari, quam pro ipsarum libertate tuenda subire tribulationes, angustias et pressuras. Monemus igitur discretionem vestram consulimus et exhortamur, per apostolica vobis scripta, in virtute obedientiæ, districte præcipiendo mandantes quatenus, murum vos pro Ecclesia Dei deinceps opponentes, non permittatis vos ipsos, ecclesias vel clericos vestros axactionis onere aggravari, cum parati simus vobis in necessitatibus vestris patrocinium apostolicum impertiri. Nos enim dilectis filiis, potestatibus, consulibus et consiliariis Lombardiæ, tam præsentibus quam futuris, sub obtestatione divini judicii districte dedimus in mandatis, ut, a prædictis injuriis penitus abstinentes, clericis et ecclesiis nullatenus onera exactionum imponant. Alioquin, cum et Lateranense concilium, etc., *in eumdem fere modum usque in finem*. Quocirca [discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ipsam sententiam nuntietis, et mandare curetis ab omnibus inviolabiliter observari.

Datum, *ut supra*.

XLVII

ABBATI DE ABENTON (99), PRIORI DE HENLI, ET MAGISTRO M. CANONICO DE BERLINTON, BANGORENSIS DIOECESEOS.

*Confirmat sententiam de sponsalibus inter filiam principis Insularum et principem Norvalliæ.*

(Laterani, XIII, Kal. Maii.)

Olim dilectus filius, nobilis vir, N. (100), princeps. Norwalliæ, a nobis humiliter postulavit, ut de concessione nostra liceret eidem filiam nobilis viri . . . . . . principis Insularum, quam se subarrhasse scribebat, ducere in uxorem, etc. *In eumdem fere modum, sicut in Regesto secundi anni* (101), *mense Decembri usque* poterit copulare. Partibus itaque in prædictorum judicum præsentia censtitutis, sicut ipsi per suas nobis litteras intimarunt, eis per testes constitit evidenter, quod puella, completis octo annis, a L. principe Norwalliæ, tam suo quam suorum consensu parentum, subarrhata fuerat, sed eo ex necessitate traducere differente, a patruo sine suo consensu postmodum desponsata, qui, ea nequaquam carnaliter cognita, viam fuerat universæ carnis ingressus. Unde, ipsi judices, communicato

A prudentum virorum consilio, puellam eamdem a L. prædicto, Norwalliæ principe, sententialiter concesserunt auctoritate apostolica desponsari, ne discordia inter illos olim exorta, nunc autem sopita, iterum oriatur, sicut nobis per suas litteras intimarunt. Nos igitur eorumdem sententiam, nisi aliud rationabile quid obsistat, ratam et firmam habentes præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ipsam faciatis, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes.... duo, etc.

XLVIII (102).

P, (103) TITULI S. MARCELLI PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Respondet super quibusdam articulis de quibus responsum petierat.*

B (Laterani, XI Kal. Maii.)

Inter illa, quæ nobis per tuas litteras intimasti, super tribus articulis, de quibus præcipue dubitabas nostrum postulasti responsum, timens ne Veneti tanquam fatui renuant absolutionis beneficium obtinere, quodque te nolint tanquam apostolicæ sedis habere legatum, et quod, sicut accepisti pro certo, cum filio. . . . . quondam imperatoris Constantinopolitani, quem ducere secum intendunt, velint in Græciam proficisci. Nos igitur, tuæ discretioni super hoc breviter respondentes, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus nisi juxta formam, quam tibi per litteras alias dignoscimur expressisse, absolutionem acceperint, et promiserint firmiter, ne contra Christianos arma movere præsumant,
C teque receperint et tractaverint tanquam apostolicæ sedis legatum, obedientes tibi humiliter et devote, tu ne illorum videatis nequitiæ consentire, illorum exercitum, tanquam reprobatum a Domino, et elongatum ab ejus benedictionibus, derelinquens, versus Hierosolymam dirigas iter tuum. Cum Francis autem, si sequi voluerint perfidiam Venetorum, secure procedas, et super absolutione baronum, si forte successores vel hæredes suos noluerint obligare, provide facias, quod tibi Deus dignabitur inspirare.

Datum Laterani, XI Kal. Maii.

XLIX

....... PRIORI ET FRATRIBUS ECCLESIÆ SANCTI SALVATORIS DE PILLER.

D *Recipit eos sub protectione, cum annuo censu.*

Solet annuere, etc., *usque* assensu ; ecclesias et

(99) De abbatibus hujus monasterii, circa hæc in quibus versamur tempora, nihil apud auctores *Monastic. Angl.*

(100) Qui hic initiali N. alibi (*vid. not. seq.*) R. littera designatur ; sed forsan utrobique male. Rectius, ut infra, in hac ipsa epistola L. Lewellinum enim Norwalliæ principem, circa hæc tempora diserte nominat auctor coætaneus, et ipse patria Wallensis Giraldus, *De jure et statu Menevensis eccles.* part. II, pag. 554. Lewellinus, item, fundator abbatiæ Aberconweyensis in agro Camarthensi, prodit in charta data anno 1198, principatus sui decimo, VII Id. Januarii. *Monastic. Anglic.*, tom. I, pag. 918. An idem ac Lewellinus, princeps Wenedociæ, cui Joannes, Anglorum rex, Annam filiam suam in uxorem dederat, et munitiones ac oppida sua abstulisse dicitur anno 1211, cum Norwalliam magno exercitu stipatus adiisset ? *Annal. eccles. Menens. ad ann.* 1211. (Vide etiam *Annal. eccles. Wigorn.*, *Angl. sacr.* part. I, pag. 481 et 482).

(101) Epistola 233, ad *Mannensem* (legendum, forsan *Menevensem*) *episcopum, archidiaconum Bangorensem, et priorem de insula Glannavo*, directa.

(102) Epistolam hanc laudant Bzovius (*Annal.* t. XIII, p. 99, § 5), et Raynaldus, anno 1203, § 9.

(103) De eo jam dictum sæpius.

personas vestras, etc., *in modum protectionis.* Ad indicium autem hjus a sede apostolica protectionis obtentæ, duæ libræ ceræ nobis gratis oblatæ, nobis et successoribus nostris ab ipsa ecclesiæ annis singulis persolventur. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, XI Kal. Maii.

*In eumdem modum*..... priori ecclesiæ Sancti Jacobi, etc., *in modum protectionis.* Ad indicium autem. etc. Duæ libræ ceræ, etc.

L (104).

EPISCOPO FLORENTINO (105), ET ABBATI VALLIS-UMBROSÆ (106).

*De translatione ecclesiæ cathedralis Aretinæ infra ejusdem civitatis mænia.*

(Laterani, x Kal. Maii.

Ex parte venerabilis fratris nostri..... (107), episcopi, et dilectorum, filiorum præpositi canonicorum, et nobilis viri, A..... potestatis Aretinorum, fuit nobis sæpe petitio præsentata, et tam per litteras quam per nuntium supplicatum, ut pro pace civitatis et ecclesiæ Aretinæ ac utilitate communi, eis licentiam præberemus, cathedralem ecclesiam, cum canonicorum residentia, et omni jure ac universis privilegiis suis, ad locum ad quem convenirent ad invicem infra civitatis mœnia transferendi. Nos autem, habito cum fratribus nostri diligenti tractatu, petitionem hujusmodi sub eo tenore non duximus admittendam. Quod si forsan eidem Ecclesiæ aliam, infra civitatem positam, peterent in unam ecclesiam cathedralem uniri, nobis erat quæ Ecclesia ipsi jungi deberet primitus intimandum, et utrum ipsa tantum ad jus pertineret ecclesiæ Aretinæ, an alii esset subjecta, ut sine illius assensu cui subdita esset non consurgeret in ecclesiam cathedralem. Præterea, exponendum erat nobis privilegium libertatis, juris et honoris augmentum, quod eadem ecclesia consequeretur ex hujusmodi unione, ut, super omnibus per eorum relationem instructi, discerneremus melius quid amplius expediret. Ipsi vero, super hoc nostra responsione recepta, nobis. humiliter intimarunt, quod ad sedandam discordiam, et inveteratum odium exstinguendum, quod tam ecclesiam Aretinam quam civitatem semper turbavit ecclesiam Sancti Petri Majoris, cum omni jure et pertinentiis suis, quæ habet tam in civitate quam extra, pari voto et voluntate concordi, elegerant unicndam ecclesiæ cathedrali (ita quidem, ut monasterium Sanctæ Horæ, ad ecclesiam Aretinam nullo pertinens mediante, cui Ecclesia illa noscitur esse subjecta; servitiorum omnium quæ annuatim ex ea percipere consuevit recompensationem, juxta boni viri arbitrium, recipere debeat competentem): quam sibi, supplicatione devota, in ecclesiam cathedralem a benignitate apostolicæ sedis postulavere concedi; firmiter promittentes quod Ecclesiæ nominatæ, tam in festivitatibus, quam honoribus singulis qui ab aliis civitatibus suis cathedralibus ecclesiis exhibentur, tam a clero quam populo civitatis Aretinæ de cætero reverentiam omnimodam et honores constituunt exhiberi, non obstante quod ab eis observatum est hactenus usque ad hæc tempora, propter dissidium quod inter civitatem et Ecclesiam jam dictas emersit. Præterea potestas, cum toto consilio et communi Aretinæ civitatis, de mera et consona voluntate, prædictam ecclesiam ab omnibus angariis et exactionibus statuit liberam et immunem omni tempore permanere; jura quoque ac castella episcopatus et canonicarum Aretinarum honores, cum possessionibus aliis a communi civitatis ipsius ubique manuteneri statuit et defendi. Nos igitur concordiæ civitatis et utilitati Ecclesiæ providere volentes, præsertim cum diota ecclesia Sancti Petri sit Aretinæ diœcesana lege subjecta, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus abbatem et fratres monasterii memorati monere attentius ac inducere, et si necesse fuerit. per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, compellere procuretis, ut ad hoc quod ecclesia illa cathedrali ecclesiæ uniatur, favorem præbeant et assensum, de ipsa prius juxta bonorum virorum arbitrium, competenti recompensatione recepta, præpositumque ac canonicos Aretinos in corporalem possessionem, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate apostolica, inducatis, ita quod ad minus quatuor canonici et duo clerici in ecclesia priori permaneant, per quos ei sufficienter et congrue serviatur. Præterea, eidem ecclesiæ super libertatibus et immunitatibus et aliis supra scriptis sufficientissime caveatis, ne super eis aliquo unquam tempore valeat molestari

Datum Laterani, x Kal. Maii,

104) Epistolam hanc jam vulgavit Ughellus *Ital. sacr.* t. I, col. 469.

(105) « Petrus Florentinam Ecclesiam rexit, ab anno 1189 usque ad annum 1205 in quo decessit, nec, præter aliquot concessiones, aliquod reperitur de eo. » Hactenus Ughellus (*Ital. sacr.* t. III, col. 137). Verum difficultas inest. In actis autographis exaratis anno 1211, Petrus, episcopus Florentinus, velut adhuc sedens, diserte nominatur. Vide MITTAR. *Annal. Camald.* t IV, pag. 180. Et, qnod magis mirandum est, in quadam Innocentii littera, quæ hodie non reperitur, data anno 1202, 14 Augusti ex monasterio Sublacensi, pontifex *Joanni*, episcopo Florentino, et præposito ejusdem Ecclesiæ, mandabat, ut debito fine complerent quæstionem motam de decimis et de quibusdam aliis contra Camaldulensem eremum ab abbate Vallis-Umbrosæ, *Id. ibid.*. p. 190.

(106) De abbate Vallis-Umbrosæ nihil in promptu habemus.

(107) Amedeus Aretinus episcopus electus est anno 1183, die decima sexta Januarii, in locum Gualandi, qui anno antedecenti postulatus episcopus, post obitum Heliotti defuncti die 6 Decembris anni 1181, episcopalem sarcinam deposuerat die 25 Decembris anni 1182. Obiit paulo post datas ab Innocentio hasce litteras, scilicet circa finem Maii; et v Kal. Junii, in ejus locum suffectus est Gregorius. MITTAREL. *Annal. Camald.* t. IV, pag. 105 et 193.

### LI (108).

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS HAS LITTERAS INSPECTURIS.

*De pœnitentia eorum qui C. Herbipolensem episcopum interfecerunt.*

(Laterani, XIV Kal. Maii.)

Quam exsecrabile facinus et piaculare flagitium perpetraverint, qui ausu sacrilego manus impias in christum Domini nequiter injecerunt, bonæ memoriæ C. (109) Herbipolensem episcopum, imperialis aulæ cancellarium, crudeliter occidentes, flere libet potius quam referre. Verum, cum divina pietas humanam impietatem excedat, et miserationibus Domini miseriæ hominum comparari non possint, cum nolit Dominus mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, upote qui patiens et multum misericors est, et præstabilis super malitia, nos qui, licet indigni, vices ejus exercemus in terris, scientes quod majus gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, quantumcunque hujusmodi deliquerint homicidæ, non potuimus tamen nec debuimus pœnitentibus aditum veniæ denegare, cum noverimus dixisse Dominum per prophetam: Quacunque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor. [Bodonem igitur. Hen. Fuson vassalum ejus, milites, cum Henrodo [*al* Heroldo]. et Conrado, servientibus suis, ad nostram præsentiam venientes, ac confitentes se prædictum episcopum occidisse, cum de suis excessibus lacrymabiliter pœniterent, et humiliter postularent pœnitentiam sibi pro tanta sceleris immanitate a nobis injungi, quia pœnitentibus non est misericordiæ janua præcludenda, de fratrum nostrorum consilio, dilecto filio, H. (110) titulo Sancti Martini presbytero cardinali, commisimus audiendos, qui, confessione illorum audita, postquam fecit eos nudos in braccis tortas habentes in collo, coram nobis diebus aliquot in frequentia populorum astare, de mandato nostro talem pœnam illis injunxit, ut nunquam de cætero, nisi contra Saracenos, vel ad defensionem vitæ suæ, armis utantur, varium, grisium, ermelinum, et pannos coloratos non portent, ad publica spectacula non accedant, et conjugati non contrahant post mortem uxorum, eantque, quam cito poterunt, in Hierosolymitanam provinciam, per quatuor annos ibi contra Saracenos Domino servituri. Bodo vero, qui major exstitit, tres vel duos milites, vel unum saltem, in suis expensis secum adducat, et donec ipsi quatuor exsecrabiles homicidæ Hierosolymitanum iter arripiant, sicut publice pœnitentes, discalceati et laneis induti vestimentis incedant; secundam, quartam et sextam feriam, Quatuor Tempora, vigiliasque sanctorum, in pane et aqua jeju-

A nent; tres in anno Quadragesimas, videlicet ante nativitatem et resurrectionem Domini, et post Pentecosten, faciant; carnibus non tantum in eisdem tribus solemnitatibus non vescantur, eaque die qua prædictus fuit episcopus interfectus, sed carnes non comedant in æternum; orationem Dominicam decantent centies inter diem et noctem, et genuflexiones faciant quinquaginta; corpus et sanguinem Domini, nisi in ultimo mortis articulo, recipere non præsumant. Cum fuerint ultra mare, quartam et sextam feriam, sanctorum vigilias et quatuor tempora (sicut dictum est), in cibo quadragesimali jejunent, carnes comedant die Dominica et quinta feria tantum orationem Dominicam dicant, et genuflexiones semper faciant prætaxatas. Quandocunque aliquam

B Alemanniæ civitatem poterunt intrare secure, ad majorem ecclesiam nudi procedant, tantum in braccis, cum torta in collo et virgis in manu, et a canonicis ejusdem Ecclesiæ recipiant disciplinam. Si vero quæsitum fuerit cur hoc faciant? dicant se hoc facere pro sceleris perpetratione jam dicti, et quando forte in civitate Herbipolensi poterunt esse securi, in Resurrectione, Pentecoste, Nativitate Domini, ac in solemnitate majoris Ecclesiæ, videlicet. Sancti Pauliani, exeant civitatem, et tamen nudi, cum braccis tantum, tortam in collo et virgas deferentes in manu, in missæ celebratione majoris ad ecclesiam cathedralem accedant, et se ante altare coram episcopo et canonicis prosternentes in terram, petant humiliter et recipiant disciplinam ab eis. Cum autem de partibus redierint transmarinis,

C ad apostolicam sedem accedant, recepturi consilium et mandatum.

Datum Laterani, XIV Kal. Maii.

### LII (111).

. . . . . . . . ARCHIEPISCOPO MESSANENSI (112), REGIO FAMILIARI.

*Eum laudat ob ejectum e Sicilia Marcualdum. et Messanum in fidem apostolicæ sedis et regiam redactam.*

(Laterani.)

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod elationis filio de Sicilia per tuum studium effugato, civitas Messana in devotione nostra et regia fidelitate persistit, quam in hujus devotionis proposito in brevi tota Sicilia, dante Domino, reddita tran-

D quillitate sequeretur. Super hoc igitur, ei a quo bonum omne procedit, quas possumus gratiarum exsolvimus actiones, sollicitudinis tuæ studium commendantes, quæ non deficit sed proficit potius in adversis, ita quod per Dei gratiam, in Philisthæum illum labiis incircumcisum prævaluit, qui filiorum Israel agminibus exprobrabat. Non est autem tibi vel aliis de constantia sedis apostolicæ dubitandum, quæ supra firmam petram a Christo

(108) Partem epistolæ hujus vulgavit Raynaldus, an. 1203, § 46. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(109) Vide epistolam libri quinti 155.

(110) Vide lib. III, epist. 41, not.

(111) Vide Raynaldum, anno 1203, § 69.

(112) De eo vid. epist. libri quinti 60, not..

petra fundata, nec ventis novit cedere, nec pluviis emolliri, utope quæ notam vitat penitus levitatis. Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur attente, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in nostra et Ecclesiæ Romanæ devotione persistens, non deficias, sed proficias potius, et cum noveris esse scriptum, finis non pugna coronat (*sic*), perseveres in finem, ut secundum laborem tuum mercedem accipere merearis. Nos enim, dante Domino, ad honorem et profectum tuum taliter intendemus, quod gaudebis te pro honore sedis apostolicæ laborasse.

Datum Laterani.

LIII (113).

EIDEM.

*Ut juramentum Balii ab universis per Siciliam comitibus*, etc., *et aliis pontifici præstandum recipiat.*

(Laterani.)

Tuæ fidei puritatem et constantiam devotionis experti, sine qualibet tibi dubitatione committimus, quæ ad honorem apostolicæ sedis et nostram, et exaltationem regiam credimus promovenda. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus ab universis comitibus, baronibus, civibus, et aliis qui nondum nobis juramentum Balii præstiterunt, illud exigere ac recipere nostro nomine non moreris. Contradictores, etc.

Datum Laterani.

LIV (114).

NOBILIBUS VIRIS COMITIBUS, BARONIBUS, CIVIBUS, ET ALIIS IN SICILIA CONSTITUTIS.

*Ut juramentum quod* balii *dicitur, coram archiepiscopo Messanensi præstent.*

(Laterani.)

Quantum apostolica sedes pro defensione ac pace regni, ad exaltationem charissimi in Christo filii nostri, F. Siciliæ regis illustris, hactenus laboravit, vestra universitas non ignorat. Cum igitur jam pro parte majori videamur Dominus votis nostris annuisse, monemus universitatem et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus universi qui nondum nobis juramentum balii præstiterunt, illud in manus venerabilis fratris nostri...... archiepiscopi Messanensis, ad fidelitatem regiam non differant exhibere. Nos igitur ei dedimus in mandatis, ut illud exigere et accipere non omittat. Contradictores, etc.

Datum, *ut supra.*

—

LV (115).

STRIGONIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Jus coronandi reges Ungarorum et alia ei confirmat.*

(Præneste, III Non. Maii.)

Justis petentium, etc., *usque*, assensu. Jus quod a bonæ memoriæ Alexandro papa prædecessore nostro et inclytæ recordationis Bela, Ungarorum rege, ac ecclesia Colocensi, videlicet ut Ungarici reges ab archiepiscopis Strigoniensibus semper debeant coronari, Strigoniensi metropoli fuit manifeste recognitum, sicut in eorum authenticis continetur, et felicis recordationis Clemens et Cœlestinus prædecessores nostri, suis litteris confirmarunt; jus quoque quod habes in conferendis ecclesiasticis sacramentis regibus et reginis Ungariæ, ac hæredibus eorumdem; et jurisdictionem ecclesiasticam, quam in præpositos officiales regiæ domus habes, quam et idem prædecessor noster Cœlestinus ecclesiam tuam habere decrevit; jurisdictionem etiam quam obtines in abbatiis et præposituris regalibus ecclesiæ Strigoniensi per Ungariam ubicunque subjectis; decimas insuper, primitias, et incensum, quæ de Camera regis Ecclesiæ memoratæ debentur: sicut omnia de ratione vel consuetudine ad ecclesiam tuam pertinere noscuntur, tibi et successoribus tuis, auctoritate apostolica, confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Præneste, III Non. Maii.

LVI (116).

STRIGONIENSI ARCHIEPISCOPO.

*De regiis præposituris* (117).

(VII Id. Maii.)

Cum olim charissimus in Christo filius noster, H. rex Ungarorum illustris, nobis tam per nuntios suos quam litteras regias intimasset, quod abbatiæ quædam et præposituræ regales ad eum in temporalibus, et ad nos in spiritualibus, nullo mediante spectarent, ad petitionem ejus ipsi scripsimus in hac forma. Regalis magnificentia, etc., *ut in præcedenti epistola* 7 *usque in finem.* Tu vero, ad apostolicam sedem consequenter accedens, in nostra et fratrum nostrorum proposuisti præsentia, viva voce, quod in abbatiis et præposituris regalibus ad te ac Strigoniensem Ecclesiam jurisdictio ecclesiastica pertinebat. Volentes igitur tibi et eidem Ecclesiæ imposterum præcavere, præsentium auctoritate decernimus, ut occasione litterarum, quas primo direximus circa præposituras et abbatias regales Ecclesiæ Strigoniensi per Ungariam ubicunque subjectas, nullum tibi vel successoribus tuis præjudicium generetur. Nulli ergo, etc. VII Idus Maii (118).

(113) Raynaldus, *loc. cit.*
(114) Raynaldus, *ibidem.*
(115) Vide Raynaldum, anno 1203, § 19.
(116) Vide Raynaldum, anno 1203, § 19.
(117) Vide epistolam hujusce libri sexti 7.
(118) Ad calcem epistolæ hujus, in apographo Conti legitur hæc notula: *Prorogatur terminus veniendi ad apostolicam sedem.... Pataviensi episcopo, usque ad festum sancti Lucæ proxime futurum*; quam quidem ad epistolam omnino diversam pertinere manifestum est.

LVII (119).

ANDREÆ (120), ARCHIEPISCOPO ACHERONTINO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS, IN PERPETUUM.

*Cathedralem apud Materam erigit ac Acherontinæ jungit* (121).

(Præneste, Non Maii.)

Fratres et coepiscopos nostros, etc., ad hæc, propter evidentem utilitatem et necessitatem urgentem, de communi fratrum nostrorum consilio, cathedralem ecclesiam apud Materam sic duximus statuendam, ut illa priori cathedræ uniatur. Usum quoque pallii, etc.

Datum Præneste, per manum Joannis, etc. Non. Maii, an. sexto.

LVIII (122).

PRIORI SANCTI FRIDIANI LUCANO, ET MAGISTRO B. PISANO CANONICO.

*De electo Lucano rejiciendo* (123).

(Ferentini, II Id. Maii.)

[Tam litteris vestris quam depositionibus testium diligenter auditis, intelleximus evidenter, nihil esse contra dilectum filium... Lucanum, electum, sufficienter ostensum, nisi de auditu tantum et fama, cum super aliis, si qua forte videantur esse probata, testes sint vel soli, vel tales, qui non potuerunt ea legitime comprobare. Quia vero super matrimonio quod idem electus dicitur contraxisse cum vidua, testes non fuere recepti, propter *appellationem objectam* (124), ne videlicet laici vel feminæ in tali reciperentur articulo contra ipsum, *sicut vestris nobis litteris intimastis, licet nuntii ejusdem electi coram nobis probare aliud niterentur* (125); nos, ut tantæ irregularitatis objectio non remaneat indiscussa, *discretioni vestræ per apostolica scripta*, mandamus *atque præcipimus*, quatenus testes, sive laicos sive feminas (duntaxat idoneos), qui ad hoc fuerint probandum infra mensem inducti, recipiatis legaliter et examinetis prudenter, excommunicantes solemniter, si quis eos impedire præsumpserit quominus testimonium perhibeant veritati. *Deinde* (126), attestationibus publicatis, si forte constiterit irregularitatem hujusmodi non esse probatam, indicatis eidem electo purgationem canonicam *super his quæ in commissione vobis facta comprehensa fuerunt, et in attestationibus, quas vobis, sub bulla nostro remittimus, sunt expressa* (127), per septem canonicos majoris Ecclesiæ, vel priores Ecclesiarum *sodalium* (128), civitatis Lucanæ, presbyteros seu diaconos bonæ famæ, præstandum; qua recepta, præfigatis ei terminum competentem, quo consecrandum nostro se conspectui repræsentet. Si vero vel irregularitatis fuerit impedimentum probatum, vel infra mensem non præstiterit purgationem indictam, vos eum, *auctoritate nostra suffulti, remoto cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo*, a prælatione Lucanæ ecclesiæ penitus amoventes, mandetis ex parte nostra capitulo, ut electionem de alio non differant canonice celebrare. Archipresbyterum autem Lucanum, et G. *Amfoss.* sacristam, qui contra prædictum electum litteras nobis sub nomine longe majoris partis capituli destinarunt, cum constet per attestationes prædictas longe majorem partem capituli non fuisse consciam hujusmodi litterarum, ab officio et beneficio denuntietis esse suspensos, donec nostram mereantur indulgentiam obtinere.] Inquiratis præterea diligenter, utrum sæpedictus electus, post appellationem ad nos interpositam, litteras quæ nobis dirigebantur aperire præsumpserit, et quod super hoc inveneritis nobis fideliter intimetis.

LIX (129).

.....EBORACENSI ARCHIEPISCOPO.

*Archiepiscopo Ragusino beneficia in episcopatu Carleolensi confirmat.*

Ad supplicationem *instantem* (130) venerabilis fratris nostri... archiepiscopi Ragusini, eum a cura *et sollicitudine*, qua tenebatur ecclesiæ Ragusinæ duximus absolvendum (131), eo *videlicet* quod ibi non poterat secure morari, et, si accessum haberet ad illam, mortis sibi periculum imminebat. Ne vero idem *archiepiscopus* in vituperium ministerii nostri defectum in rebus temporibus patiatur, *fraterni-*

(119) Epistolam hanc vulgavit Ughellus, *Ital. sacr.* t. VII, col. 56.

(120) Andreas proxime successerat Raynaldo, ex Acheruntino archidiacono delectus archiepiscopus anno 1200, et ab Innocentio confirmatus anno 1201, privilegio quod refert Ughellus (*loc. cit.* col. 53). Hoc autem anno 1203, urgente necessitate et utilitate Acheruntinæ ecclesiæ, tunc temporis pene desolatæ, Innocentius cathedralem apud Materam erexit, ac priori Acheruntinæ cathedrali cum usu pallii univit. Andreas, sub Honorio PP. III, anno 1217, de simonia et collusione accusatus, officio ac beneficio privatus, cum neglexisset apostolico se conspectui præsentare, deinde ex Honorii benignitate absolutus et dignitati restitutus, ad vomitum rediit sub Gregorio IX, qui eum, anno 1231, denuo ad sedem apostolicam citavit. Verum Andreas, conscientia teste, cum ante apostolicos delegatos se haud præsentare voluisset, volens nolens archiepiscopali dignitate privatus, misere deinde vitam finiit, eodem Gregorio ad clavum sedente. UGHELL. *loc. cit.*

(121) Vide epistolas libri secundi 159 et 164.

(122) Reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. II, tit 20, *De testibus et attestationibus*, cap. 33. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones indicantur.

(123) Conferendæ omnino epistolæ libri quinti 140 et 153.

(124) In Decretal. legitur: *appellationis obstaculum.*

(125) Desunt verba Italico charactere distincta hic et infra.

(126) Decret. *demum.*

(127) In Decret. legitur tantum *de objectis.*

(128) Hanc vocem om. Decretal.

(129) Exstat integra inter Decretales, lib. I, tit. 9, *De renuntiatione*, cap. 9. Variæ lectiones dantur, etiamsi nullius momenti. Cæterum, conferenda omnino cum epistola libri quinti 17, quam vide.

(130) Omittuntur in Decretal. verb. Italico charactere distincta, hic et infra.

(131) Vide notas ad epistolam supra citatam.

*tatem tuam monemus attente, ac per apostolica tibi scripta* mandamus, qualenus (132), quod de *munificentia* et liberalitate *charissimi in Christo filii nostri, J. regis Anglorum illustris* ((133), ac concessione tua, in episcopatu Carleoli (134), et ecclesia de *Maleborn.* (135) est illi collatum, ad sustentationem conserves ipsius. *Nos enim ei de sedis apostolicæ benignitate* (136) concessimus, ut in ipso episcopatu, absque usu pallii, officium episcopale valeat exercere, tibi tanquam metropolitano reverentiam et obedientiam impensurus.

LX.

W. CLERICO.

*De annuo censu.*

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Hospitale, quod in proprio fundo ad receptionem pauperum propriis sumptibus construxisti, etc., *in modum protectionis.* Ad indicium autem hujus a sede apostolica protectionis perceptæ, bisantium unum gratis oblatum, etc. Nulli, etc.

LXI.

PRIORI SANCTI FRIDIANI LUCANI, ET MAGISTRO B. CANONICO PISANO.

*De eodem argumento ac supra, epistola* 58.

Tam litteris vestris, quam depositionibus testium, etc., *ut in tertia præcedenti usque* sunt expressa, per septem inter episcopos Tusciæ, vel canonicos majoris Ecclesiæ, seu priores ecclesiarum sodalium civitatis Lucanæ, presbyteros aut diaconos bonæ famæ, præstandam. Non obstantibus litteris, quas non habita de episcopis mentione adversarii reportarunt. Qua purgatione recepta, etc., *usque in finem.*

LXII (137).

EPISCOPO (138), ET CAPITULO WIGORNIENSI.

*Sanctio de S. Wulstano in sanctorum albo relato.*

(Ferentini, II [*al.* VII] Id. Maii.)

Cum secundum evangelicam veritatem, etc., *ut in secundo libro Regestorum usque* (139) : inter quos piæ memoriæ Wulstanus (140), Wigorniensis episcopus, degens olim in mundo magnis meritis præpollebat, et nunc vivens in cœlo, multis coruscat miraculis, ut ejus sanctitas certis indiciis comprobetur, etc., *in eumdem modum usque* : Sane, cum ad audientiam notram tanti viri merita et miracula pervenissent, maturius procedere cupientes, cum divinum sit judicium hujusmodi potius quam humanum, venerabili fratri, Cantuariensi archiepiscopo, et episcopo Eliensi, et dilectis filiis, Sancti Edmundi et de Wiburn. (141) abbatibus, dedimus in mandatis, ut, ad Wigorniensem ecclesiam pariter accedentes, universo collegio vestro et populo civitatis jejunium indicerent triduanum, infra quod omnes unanimiter peteretis ab eo, qui via, veritas est et vita, aperiri super hoc viam veritatis ad vitam, ac deinde, non per testimonia tantum, sed per testes et famam vulgatam et scripturam authenticam, de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet miraculis, diligenter inquirerent veritatem, et nobis fideliter intimarent. Ipsi ergo, cum ad Wigorniensem ecclesiam accessissent, juxta mandatum ecclesiasticum processerunt, et qui (142) pauca de multis miraculis ejus, super quibus testes deposuere jurati, et in quorum testimonio tota civitas acclamabat, scripturam quoque authenticam de vita ipsius ante centum annos Anglicana lingua conscriptam, sub sigillis suis per te, frater episcope, nobis dirigere procurarunt. Qui postmodum in nostra præsentia constitutus, nobis humiliter supplicasti, ut prædictum episcopum ascriberemus sanctorum catalogo venerandum. Patuit ergo nobis per scripturam authenticam et depositiones testium, quod ad sepulcrum ejus muti loquelam, leprosus mundationem, hydropicus et paralyticus receperant sanitatem, et quod quamplura miracula Dominus, invocantibus nomen ejus et prædicti episcopi, jugiter operatur. Quare, de meritis et miraculis ejus, multis et magnis non solum testimoniis, sed et testibus, certiores effecti, cum, secundum Prophetam, laudandus sit Dominus in sanctis suis, de fratrum nostrorum consilio, ipsum beatum pontificem et confessorem Wulstanum catalogo sanctorum ascripsimus, ejusque memoriam inter sanctos decrevimus celebrandam. Quapropter, universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quod nos solemniter et caute statuimus, vos humiliter et devote servetis, ut, meritis ejus et precibus, apud misericordissimum judicem nos et vos indulgentiam consequamur. Collectam autem in commemoratio-

(132) In Decret. add. *beneficium.*

(133) Decretal. leg. *regia,* loco *ch. in C. f. n. J. r. A. i.*

(134) Carleolum, olim Luguballiam, ab Henrico Anglorum rege I in episcopalem sedem erectam narrant Matthæus Paris. et Matthæus Westmonasteriensis, ad annum 1131. Vide etiam Rogerium de Hoved. ad an. 1134.

(135) Decret. *Malebros.*

(136) In Decretal. *cui,* loco *n. e. e. d. s. a. b.*

(137) Reperitur fere integra apud Raynaldum, anno 1203, § 62.

(138) De isto jam dictum est supra, epist. libri quinti 23, not.

(139) Sic in apographo Conti. Verum epistola illa, ad quam hic remandamur, in libro II frustra requiritur.

(140) Wulstanus, sanctitate notissimus, ex priore ecclesiæ Wigorniensis episcopus electus anno 1062, 29 Augusti, obiit anno 1095, 19 Januarii. De vita S. Wulstani, episcopi Wigorniensis, notitiam brevem, auctore Hemmingo, monacho Wigorniensi, vulgavit Wharton, *Angl. sacr.* part. I, pag. 541. Peculiarem vero ejusdem præsulis vitæ historiam contexuit Willelmus Malmesburiensis, quam apud eumdem Wharton reperire est. *Ibid.* part. II, pag. 241. Vide etiam Rogerium de Hoved, passim.

(141) Forte legendum *Woburn.* Hic enim agi videtur de abbate monasterii Woburnensis, in agro Bedfordensi, fundati anno 1145. Vid. *Monastic. Anglic.* t. I, p. 829.

(142) Sic et apud Raynaldum. Legendum videtur *atque.*

nem ejus dicendam edimus, quam in hac pagina duximus subscribendam.« Spiritum nobis,Domine, tuæ charitatis infunde, ut,intercedente beato Wulstano, confessore tuo atque pontifice, tuam mereamur dulcedinem in æterna felicitate gustare. Per, etc. »

Datum Ferentini, secundo Idus Maii.

LXIII (143).

JOHANNI, REGI ANGLORUM ILLUSTRI.

*Conqueritur, quod nondum archiepiscopum Dublinensem in gratiam receperit; interdicti pœnam ei minatur.*

(Ferentini, XII Kal. Junii.)

Miserabilem clamorem venerabilis fratris nostri, Dublinensis archiepiscopi, jam in cœlum credimus ascendisse,et utinam,quia tantum regiæ serenitati detulimus, nostrum non offenderimus Creatorem. Cum enim eumdem archiepiscopum,antequam promotus esses in regem,ab Ecclesia sua coegeris exsulare, atque,ab Ecclesia Romana sæpe commonitus, eum in gratiam tuam recipere non curaris, postquam te Dominus ex alto respiciens in regni solium sublimavit, credebamus eidem archiepiscopo,divino intuitu, magnificentiam regiam provisuram, et recepturam ipsum in gratiam cui providentia divina magnifice sic providit; sed nostra fuimus opinione frustati,quia nec intuitu Dei, nec precum nostrarum obtentu,quas pro eodem archiepiscopo sæpius recepisti, eidem gratiam regiam restituere procurasti, nec,ut ad ecclesiam suam ipsum redire permitteres, et bona sibi restitueres, ablata,quibuslibet potuisti, quia noluisti, precibus inclinari. Cæterum, cum senex sit et decrepitus, cujus pro senectute debueras specialiter misereri, ipsum extra universum regnum tuum compellis vitæ necessaria mendicare, pro quibus omnibus in quantum Creatorem tuum offenderis, qui tantam in terris tibi tribuit potestatem, si diligenter attendis, timendum est tibi, ne ipse, qui in servis suis se ipsum honorari asserit,et contemni, illatas injurias servis suis,et ex parte vindicet in præsenti, ut tibi saltem vexatio tribuat intellectum, et etiam reservet sibi vindictam aliam in futuro.Ut autem afflicto afflictionem adderes graviorem,et Creatorem tuum amplius provocares, non contentus existens quod ipsum rebus temporalibus spoliaras,manus ad illicita extendisti mandans justitiario Iberniæ, ut per venerabilem fratrem nostrum,Cassellensem archiepiscopum,spiritualia Dublinensis Ecclesiæ faceret ministrari, sicut in rescripto litterarum tuarum evidenter apparet,quod serenitati tuæ in his litteris dirigimus interclusum.Quoniam igitur tantum archiepiscopi prædicti gravamen clausis de cætero non possumus oculis pertransire, mansuetudinem regiam rogamus,monemus et exhortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad Deum habens debita consideratione respectum, prædictum archiepiscopum in gratiam tuam benigne recipias, et ei ablata restitui facias universa ; taliter hac vice mandatum apostolicum impleturus,quod subsequens correctio præteritorum offensam valeat expiare, et Deum, quem non modicum offendisti,exinde tibi reddas propitium et placatum. Alioquin, quantumcunque regiæ velimus serenitati deferre,quia tamen ejusdem archiepiscopi exsilium et gravamen omittere de cætero non possumus incorrectum,si infra mensem post receptionem præsentium eidem non fuerit satisfactum, ad quemcunque episcopatum tuæ jurisdictioni subjectum deveneris, quandiu fueris ibi præsens,divina noveris esse officia interdicta.Quod si nec sic regius poterit animus emolliri, eidem archiepiscopo curabimus aliter,auctore Domino, prout expedire viderimus, providere.

Datum Ferentini, XII Kal. Junii.

LXIV (144).

CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO ELIENSI.

*De eodem argumento.*

*Scriptum est*...... Quod si mandatum nostrum non fuerit adimpletum,prædictam interdicti sententiam denuntient firmiter ab omnibus observandam.

LXV (145).

ARCHIEPISCOPO SENONENSI (146).

*Ut in ecclesiis sibi subjectis emendet et corrigat quæ emendanda sunt.*

(Ferentini, XII Kal. Junii.)

Ad subditorum excessus prout convenit corrigendos,tanto fraternitas tua debet sollicitius insudare quanto a te esset a Domino durius requirendum, si eorum curam negligere videretis quorum tibi est sollicitudo commissa. Sane ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod multa in ecclesiis tuæ provinciæ nequiter committuntur, quæ videntur correctione non modica indigere, et per quæ, non tam populo scandalum, quam eisdem ecclesiis provenit non modicum detrimentum.Nos igitur,volentes hæc per tuæ fraternitatis industriam emendari, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut liceat tibi in ecclesiis lege tibi diœcesana subjectis auctoritate nostra corrigere,tam in capite quam in membris,quæ in eis inveneris corrigenda, non obstante appellationis diffugio interposito in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentin., XII Kal. Junii, anno sexto.

(143) Epistolam hanc laudavit Raynaldus, an. 1203. § 61. Vide etiam epistolem libri quinti 160.

(144) Vide Raynaldum, *ibidem*.

(145) Vide Bzovium, Annal. t. XIII, p. 101, § II.

(146) De eo jam dictum sæpius.

### LXVI (147).

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI (148), EPISCOPO AUTISSIODORENSI (148), ABBATI FONTIS MORIGNIANI (149).

*Causam Charitatensium de hæretica labe suspectorum ipsis committit* (150).

(Ferentini, XII Kal. Junii).

Qualiter sit et quantum in causa quorumdam Burgensium de Charitate, qui de crimine hæreseos fuerant accusati, tibi, frater archiepiscope, ac bonæ memoriæ... Nivernensi episcopo, necnon et dilecto filio... abbati Cluniacensi, sub certa forma commissa processum, per tuas litteras et ejusdem abbatis intelleximus evidenter. Nos igitur, tenore earumdem litterarum diligenter inspecto, G... de Lorriz, B... Macandi, et R... Caraille, propter hoc ad nostram præsentiam destinatos, ad vos, qui rei veritatem plenius indagastis, cum litteris memoratis processum negotii continentibus, quas vobis sub bulla nostra remittimus interclusas, duximus remittendos, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus his quos, examinatione præmissa, post confessiones eorum, tu, frater archiepiscope, catholicos judicasti, sicut in prædictis litteris continetur expressum, pro suis injungatis delictis pœnitentiam competentem, non permittentes eos propter hanc causam ab aliquibus indebite aggravari, sed ipsos potius a malignorum incursibus defendatis; circa reliquos autem, auctoritate freti apostolica, procedatis, sicut ad eorum salutem et fieri firmamentum noveritis expedire.

Datum Ferentini, XII Kal. Junii, pontificatus nostri anno sexto.

### LXVII.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI PAULI.

*Montem Porcium, in agro Tusculano, monasterio Sancti Pauli extra urbem, via Hostiensi, assignat et confirmat.*

Inter loca divino cultui deputata, Beati Pauli basilicam, in qua sub habitu regulari Domino militatis, tanto volumus et debemus specialius venerari, quanto is, cujus honorabili gaudet vocabulo et speciali protectione lætatur, Ecclesiam Dei, cui licet immeriti præsidemus, decoravit amplius vita pariter et doctrina, et in propagatione fidei Christianæ plus cæteris apostolis laboravit. Quia vero non ab homine habuit, sed accepit a Domino quod tradidit ipse nobis, facta est lingua ejus velut calamus scribæ velociter scribentis, ut in omnem terram exiret sonus ipsius, et semen eloquiorum Domini seminiverbius seminaret. Licet enim princeps apostolorum, beatus Petrus apostolus, plenitudinem acceperit ecclesiasticæ potestatis, iste tamen, vocatus vas electionis a Domino, cæteris abundantius gra- A tiam prædicationis accepit, ut portaret nomen ejus coram gentibus, et regibus, et filiis Israel, de Saulo Paulus et persecutore prædicator effectus. Qui, cum apostolatum in gentibus accepisset, tandem eumdem apostolorum principem subsecutus, factus est ei, et in prædicatione socius; et in passione collega, ut ambo simul Romanam ecclesiam suo sanguine dedicarent. Ut igitur devotionis affectum quem ad eum gerimus, per effectum licet tenuem ostendamus, qualicunque munusculo basilicam ejus honorare proponimns, modicum, saltem tribuentes ipsi de suo, cum nihil tribuere de proprio valeamus. Speramus autem quod is, qui ad Abel et munera respexit ipsius, et duo minuta pauperculæ viduæ acceptavit, ejus intervenientibus meritis, non muneris quantitatem respiciet, sed devotionem potius B offerentis. Consideratione igitur hac inducti, montem Porcium in territorio Tusculano cum pertinentiis suis, sicut de concessione nostra vobis fuerat assignatus, vobis, et per vos, monasterio vestro, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

### LXVIII (151).

REGI FRANCORUM

*Ut pacem faciat cum rege Anglorum.*

(Ferentini, VII Kal. Junii).

Cum regia serenitas non ignoret quod apud nos esse non debeat acceptio personarum, inde credimus eam non graviter sustinere, si circa ipsam pastoralis officii debitum exsequamur, ne præter C divinæ majestatis offensam, quam si negligentes fuerimus incurremus, apud homines quoque ministerium nostrum vituperari contingat, si etiam circa reges et principes aliquid ex contingentibus omittamus, voluntati eorum consulentes potius quam saluti. Siquidem esse non debet in ore nostro verbum Domini alligatum, sed liberum potius, ut corripiamus libere inquietos, et verbum Apostoli quoties expedit impleamus, quod tanto magis nobis intelligimus esse dictum, quanto majorem, imo supremum locum in Ecclesia obtinemus, utpote qui, vocatis cæteris in partem sollicitudinis, soli plenitudinem accepimus potestatis. Apostoli enim verbum est argue: *Obsec. incr. in o. pa. et doct.* (151*) et nobis loquitur Dominus in Propheta: Clama, ne cesD ces quasi *t. ex v. t.* (*sic*). Quia ergo cœpit Jesus facere et docere nobis relinquens *ex v. se. v.* (*sic*). ejus. Oportet ut nos, qui vicem ejus; licet indigni, exercemus in terris, ambulemus quemadmodum ambulavit, quantum tamen fragilitas humana permittit, et vestigia sequamur ipsius, cum, Tu me sequere inter universos apostolos, Petro noverimus

(147) Vide Raynaldum, anno 1203, § 51.

(148) De istis jam dictum supra.

(149) De abbatibus Fontis-Morigniani, circa hæc tempora, pauca reperiuntur apud auctores *Galliæ Christianæ*, t. II, col. 199. V. E. abbas reperitur in quibusdam chartis anni 1200 et 1202.

« VI. Guido abbas, anno 1205, privilegium insigne obtinet ab Innocentio PP. III. »

(150) Vide epistolam libri quinti 36, et notas ibidem.

(151) Hanc et sequentes duas epistolas, 59 et 60, laudat Raynaldus anno 1203, § 64.

(151*) Sic in apogr. Vaticano et Conti.

esse dictum. Novit autem regia celsitudo, quod inter ipsas Dominicæ Nativitatis primitias, pacem angelus bonæ voluntatis hominibus nuntiavit, et in articulo passionis pacem Dominus in discipulos, quasi hæreditario jure transfudit, dum, quasi ultimum testamentum conficiens, inquit eis : Pacem meam de vobis *pa. re. v* (*sic*) et, quod moriturus dixerat confirmaret postmodum immortalis post resurrectionem suam hac primum voce ad discipulos fuit usus : Pax vobis, et iterum dico pax vobis. Ne igitur nos, qui sumus secundum Apostolum hæredes Dei, cohæredes autem Christi, relictæ nobis hæreditatis exhibeamus indignos et gratiæ, quam in nos abundantius *præparticipibus nostris* (*sic*) effudit, ostendamus ingratos, pacem evangelizare tenemur filiis pacis præsertim, ut super eos nostra secundum verbum evangelicum requiescat, cum et, secundum Prophetam, inquirere pacem et eam persequi teneamur. Hoc autem tanto confidentius circa regiam serenitatem exsequimur, quanto dilectum filium, P. (152) tituli Sancti Marcelli presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, quondam pro simili causa transmissum, benignius recepisse te novimus, et sollicitudinem nostram in eo amplius approbasse. Nosti etenim, utpote qui hoc in libro experientiæ quotidianæ legisti, quanta mala ex dissensione, quæ inter te et charissimum in Christo filium nostrum, J. regem Angelorum illustrem, peccatis exigentibus, exorta, non solum communiter regnis vestris, sed generaliter universo provenerint populo Christiano. Ecce etenim, vobis ad invicem decertantibus, destruuntur ecclesiæ, pauperantur divites, pauperes opprimuntur, et, dum nec regionis nec sexui parcitur, viri religiosi qui consueverant orationi vacare, mendicare coguntur, et illæ prostituuntur, quod dolentes dicimus, voluptati prædonum, quæ virginitatem suam voverant virginitatis auctori. Jam quoque in Christianos sumunt audaciam Saraceni, et qui placatis et peccatis vobis ad invicem exsilium formidabant, animis ex vestra dissensione resumptis, fortiores in Christianorum exterminium surrexerunt, præsertim, cum principes Gallicani, de quibus apud majestatem divinam et tuam serenitatem querelam deponimus, a bono proposito recedentes, contra prohibitionem nestram in Christianos converterint arma sua, nec adhuc adjiciant ut resurgant, sed pejora prioribus, sicut nostris est auribus intimatum, proposuerint attentari. Insuper, ex dissensione hujusmodi, et strages corporum sequitur, et pernicies animarum, de quo tanto amplius condolemus, quanto anima pretiosior est quam corpus, cum, juxta testimonium veritatis, nil prosit homini si universum mundum lucretur, et patiatur suæ animæ detrimentum. Ne igitur sanguis tot populorum de nostris manibus requiratur, ne rei tot mortium, ut

A sic loqui liceat, videamur, si quod absit! *tanquam canes muti non valentes latrare* tacuerimus in tanta necessitate populi Christiani, et, velut adhæserit lingua nostra faucibus nostris, arguere neglexerimus arguenda, dilectum filium . . . abbatem Casemarii (153), virum religiosum, providum, et fidelem nobis, et fratribus nostris merito suæ honestatis acceptum, ad præsentiam tuam duximus destinandum, cui dilectos filios . . . (154) Trium-Fontium, et de Duno (155), abbates duximus adjungendos, rogantes serenitatem regiam, et exhortantes in Domino, et in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad commonitionem ipsorum, imo nostram verius, cum prædicto rege vel statuas firmam pacem, vel treugas ineas congruentes, ut in-B terim de pace inter vos perpetuo reformanda, salva justitia utriusque, licentius, possit et securius pertractari. Alioquin, quantumcunque tam te quam ipsum in Domino diligamus dissimulare tamen nulla ratione poterimus, quin ea, quæ dictus nuntius noster, juxta formam sibi datam a nobis, duxerit statuenda, faciamus inviolabiter observari. Rogamus autem serenitatem regiam, ut dictum nuntium nostrum benigne recipias, et pro reverentia apostolicæ sedis et nostra studeas propensius honorare.

Datum Ferentini, VII Kal. Junii, pontificatus nostri anno sexto.

LXIX.

ILLUSTRI REGI ANGLORUM.

*De eodem negotio.*

C Cum regia, etc., *usque* requiescat. Nosti etenim. etc., *usque* surrexerunt. Insuper ex dissensione, etc., *usque* in finem.

Datum *ut supra.*

LXX

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, CONSTITUTIS IN REGNO FRANCORUM.

*De eodem negotio.*

Cum regia, etc., *usque* requiescat. Nostis etenim, etc., *in eumdem fere modum usque* surrexerunt. Insuper ex dissensione, etc., *in eumdem modum usque* pertractari. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attente, et per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus, eidem nuntio nostro fideliter et efficaciter assistentes, D apud prædictum regem Francorum prudenter et utiliter insistatis, ut commonitioni vestræ humiliter acquiescat. Alioquin, ea quæ dictus nuntius, juxta formam sibi datam a nobis, duxerit statuenda, recipiatis humiliter et inviolabiliter observetis, nec præsumatis contra ea qualibet levitate venire. Volumus autem nihilominus, et districte præcipiendo mandamus, quatenus sæpedictum nuntium nostrum benigno recipiatis et tractetis affectu, et studeatis taliter honorare, quod id gratum habere possimus,

(152) De isto jam dictum sæpius,

(153) De abbate Casemarii, sæpius in Regestis Innocentii.

(154) De abbate Trium-fontium jam egimus supra.

(155) De isto nihil ad manum habemus.

et vobis et Ecclesiis vestris propter hoc grata debeamus vicissitudine respondere, upote qui devotionis affectum nuntiis nostris exhibitum, nobis reputamus impensum, et nos in eis credimus honorari.

## LXXI (156).

GUALTERO, REGNI SICILIÆ CANCELLARIO (157).

*Recipit ipsum in gratiam, et de quatuor cautionibus per ipsum oblatis nullam acceptat, nisi ut opera confirmet quod verbo promisit, et quæ faciunt pro jure Romanæ Ecclesiæ.*

(Ferentini.)

Licet graviter offenderis nos in multis, quia tamen illius, licet immeritit, gerimus vicem in terris, qui, cum iratus fuerit, non obliviscitur misereri, te, utinam tunc de corde puro et conscientia bona B et fide non ficta reversum, a vinculo fecimus excommunicationis absolvi. Nunc autem litteras tuas quas per Jacobum, clericum tuum, latorem præsentium (158) destinasti, benigne recepimus, et earum tenorem pleno concepimus intellectu, diligentius attendentes ea quæ ipsi nobis de mandato tuo proponere curaverunt. Dixerunt enim te amodo fidem puram, devotionem sinceram et omnimodam obedientiam nobis et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ velle humiliter exhibere, atque pro veritate servanda, nobis ex parte tua obtulerunt quatuor cautiones: primo, juratoriam a te et fratribus tuis, nobilibus viris, M. et G. comitibus, exhibendam; secundo, fidejussoriam super tanta summa pecuniæ quantam nos taxare vellemus, sub obligatione nobilium virorum, P. Colonensis (158), Et R. Theatini, comitum, si contra præsumeres attentare præstandam; tertio, dationem obsidum, duorum videlicet nepotum tuorum, unius de fratre, alterius de sorore; quarto, tenimentum unius munitionis quam vellemus eligere de duabus, de facto nobilis viri, Gualteri, Brenensis comitis, spondentes te mandatis nostris omnimodis pariturum. Quia vero magis spontaneam devotionem requirimus quam coactam, non curavimus ad præsens hujusmodi recipere cautiones, probare volentes si absque compulsione aliqua, quod sermone promittis, opere vel prosequente complere (169). Monemus igitur discretionem tuam, consulimus et exhortamur, quatenus in obedientia, fidelitate ac devotione apostolicæ sedis et nostræ de cætero perseveres firmiter et constanter, nec circa obsequia nostra vacilles. Ex profectu namque multorum nobilium et procerum regni, qui A nobis et Ecclesiæ humiliter paruerunt, et ex illorum defectu qui conati sunt in spiritu superbiæ contra stimulum calcitrare, liquido cognoscere potes commoda et incommoda, quæ de gratia et offensa nostra tibi ac tuis et provenerunt hactenus et poterunt provenire.] Scis enim quanta consecuti sunt incrementa, quos nobis fidei suæ sinceritas commendavit, et quomodo de minimis ad maxima conscenderunt; nec ignoras quanta passi sunt detrimenta, quos infidelitas et arrogantia concitavit, et quomodo, de magnis in minima corruentes, fere ad nihilum sunt redacti, non solum de his et illis indigenæ, sed etiam alieni; quod nimirum in te ipso, quod dolentes dicimus, per experientiam comprobasti. Quia vero ex præteritis potes considerare futura, quod improvide deliquisti, cum tanta diligentia studeas emendare, quod omnium quæ per te male gesta sunt et pessime dicta prorsus obliti, cum bona conscientia et libera fronte gratiam nostram tibi valeamus benignius impertiri, de qua utique poteris esse securus, si monita nostra, quæ præsens tibi charta suadet, verbo et opere curaveris adimplere. Largas enim et amplas per Dei gratiam manus habemus, ut, sicut iram, tua promerente culpa, sensisti, sic benignitatem in gratia, tua exigente satisfactione, cognoscas.

Datum Ferentini.

## LXXII (160).

ARCHIEPISCOPO BISUNTINO (161).

*Ipsi sedem apostolicam super tribus articulis consulenti respondet.*

C

(Ferentini, XII Kal. Junii.)

[Fraternitati tuæ] super tribus capitulis sedem consulenti apostolicam, ad cujus consilium est in rebus dubiis a cunctis fidelibus recurrendum, scriptis præsentibus respondemus. In primo, [divortii sententiam approbantes (162) quam in eum canonice promulgasti, qui illam sibi postea copulare præsumpsit, cujus antea sororem adhuc septennem contractis sponsalibus extraordinaria libidine noscitur polluisse] [presbyteros autem, et alios clericos *diœceseos tuæ* (163), qui pro suis excessibus a te nexu anathematis canonice innodati præsumpserunt, vel præsumunt celebrare divina, rationabiliter *potes* (164) omnibus ecclesiasticis beneficiis *privatos denuntiare*]. D Priorem quoque [quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio repellere poteris incunctanter, nisi legitime probaverit secum

(156) Epistolam hanc taudat Raynaldus, anno 1202, § 5. Laudat iterum, et fragmentum ejus exhibet, anno 1203, § 69. Pauca quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(157) De isto jam egimus ad epistolam libri quinti 39.

(158) Addendum videtur *et alios*.

(158*) Sic forte legendum *Celanensis*.

(159) Sic in apog.

(160 Exstat hujus epistolæ fragmentum, quod hic uncis includitur, in Decretalibus, lib. IV, tit. 43, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ* cap. 7. Alterum ejusdem epistolæ fragmentum uncis item distinctum, reperitur etiam in Decretalibus, lib. V, tit. 27, *De clerico excommunicato, deposito, vel interdum ministrante*, cap. 6. Tertium denique et ultimum fragmentum, legitur ibid. tit. 8 *De schismaticis et ordinatis ab eis*, cap. 11.

(161) Vide epistolam libri quinti 107, not.

(162) In Decretal. legitur *approbamus*.

(163) Hæc verba non leguntur in Decretal.

(164) In. Decretal., *poteris* et infra *spoliare pro denuntiare*.

fuisse misericorditer dispensatum, et ab ea persona, A qui super hoc potestatem habuerit dispensandi.]

Datum Ferentini, XII Kal Junii, anno sexto.

LXXIII (166).

ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPO (165).

*Ut, si rex Angliæ non recipiat Sagiensem episcopum in gratiam, supponat interdicto totam Normanniam quæ est suæ jurisdictionis.*

(Ferentini, IX Kal. Junii.)

Cum in juventute tua viriliter steteris pro tuenda Ecclesiæ libertate, postquam ad senectutem permittente Domino devenisti, tanto debes his, qui pro simili causa laborare videntur, tuum patrocinium fortius impertiri, quanto gratius in hoc Deo servitium exhibetur. Sane, cum venerabilis frater noster... Senonensis archiepiscopus (167), venerabilem fratrem nostrum...... Sagiensem episcopum, tunc B electum (168), quem nos, exigente justitia, in favorem ecclesiasticæ libertatis duximus confirmandum, consecraverit juxta quod ei dedimus in mandatis, fraternitati tuæ grave non debet existere, vel molestum, cum id in præjudicium tuum factum non fuerit, sed pro tuenda ecclesiastica libertate, et in consecratione ipsius juxta mandatum nostrum Rothomagensi Ecclesiæ sua sit justitia reservata. Rogamus igitur fraternitatem tuam, monemus, consulimus et hortamur, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus pro reverentia beati Petri et nostra, præfatum episcopum, omni rancore deposito, in gratiam tuam clementer admittens, charissimum in Christo filium nostrum, J. Anglorum regem illustrem, monere diligentius et inducere C non moreris, ut eum in gratiam suam recipiat, et ipsum episcopatus Sagiensis pacifica faciens possessione gaudere, tam ei quam canonici Ecclesiæ Sagiensi ablata restitui faciat universa. Alioquin, quantumcunque regiam excellentiam in Domino diligamus, et ipsius velimus honori deferre, quia tamen dimittere non possumus incorrectum, quod præsumitur in sugillationem ecclesiasticæ libertatis, volumus, et fraternitati tuæ præsentium auctoritate districte præcipiendo mandamus, quatenus, si forsan prædictus rex, infra mensem postquam litteras nostras receperit, mandatum nostrum non curaverit exsecutioni mandare, totam Northmanniam, quæ tuæ jurisdictionis existit, denunties esse suppositam ecclesiastico interdicto, ipsumque facias per districtionem ecclesiasticam usque ad sastifactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Præfato quoque Senonensi archiepiscopo nostris damus, litteris in mandatis, ut hoc ipsum exsequi non omittat.

Datum Ferentini, VIII Kal. Junii, anno sexto.

LXXIV (169).

ELIENSI (170), ET WIGORNIENSI (171) EPISCOPIS.

*Cassata duorum in episcopum Menevensem electione, mandat ut ad novam electionem celebrandam canonice Menevenses inducantur* (172).

(Ferentinini, VII Kal. Junii.)

Causam, quæ vertebatur inter dilectos filios...... abbatem Sancti Domuel. (*al.* Dogmaelis) et G... archidiaconum de Bretheno (*al.* de Brechene), quorum uterque se asserebat electum in episcopum Menevensem, coram delegatis a nobis judicibus aliquandiu ventilatam, nos tandem in consistorio examinavimus diligenter. Auditis ergo, et intellectis attestationibus, et allegationibus partium, de communi fratrum nostrorum consilio, electionem cassavimus utriusque (173). Ne vero contingat ecclesiam Menevensem ex iterata dissensione gravius perturbari, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus canonicos Menevenses ad electionem concordem de persoua idonea infra duos menses canonice celebrandam monere, ac inducere procuretis; quæ si taliter facta fuerit, per metropolitanum proprium confirmetur. Alioquin, vos, auctoritate nostra suffulti, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, præficiatis eis personam in pastorem, et faciatis eam per metropolitanum eumdem in episcopum consecrari; attentius provisuri, ne idem archiepiscopus aliquam ab eo recipiat cautionem, propter quam prosequi nequeant causam status ecclesiæ Menevensis. Quod si non ambo... alter vestrum, etc.

Datum Ferentini, VII Kal. Junii.

LXXV (174).

CARSIÆ, OSCENSI EPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*Controversiam, quæ inter ipsum et Gombaldum, Ilerdensem episcopum, super Oscensis et Ilerdensis Eclesiam juribus vertebatur, auctoritate apostolica, ex ipsorum assensu, dirimit.*

(Ferentini, VI Kal. Junii.)

Ne lites amicabili concordia terminatæ, partes D denuo recidiva contentione fatigent, diffinitionis

(165) Vide Bzovium, *Annal.* t. XIII, pag. 101, § 11. Vide etiam Raynaldum, anno 1203, § 61.

(166) De Rothomagensi archiepiscopo, vide epistolam libri quinti 31 not.

(167) De isto jam dictum sæpius.

(168) Vide epistolam libri quinti 70, et notas.

(169) Epistolam hanc, cum pluribus aliis quæ in Regestis Innocentii hodie non reperiuntur, legere est in libello, *De jure et statu Menevensis ecclesiæ*, apud Wharton. *Angl. sacr.* part. II, p. 54.

(170) Vide epistolam libri quinti 54.

(171) Ibid. epist. 23 not.

(172) Petro, episcopo Menevensi, anno 1199, quasi in principio autumni, defuncto, gravissimæ circa successoris electionem subortæ fuerant difficultates, cum Giraldus, archidiaconus de Brechene, potiori jure et a majore capituli parte electus videretur, Walterus vero, L. Dogmaelis abbas, ab archiepiscopo Cantuariensi nominatus fuisset. Totam rerum in hac causa gestarum seriem narrat ipse Giraldus, *Historia de rebus a se gestis*, cap. 4 et seq.; necnon in opere, cui titulus *Distinctiones* 7 *de jure et statu Menevensis ecclesiæ.*

(173) Sententiæ ipsius, a pontifice, feria tertia post clausum Pascha, in consistorio promulgatæ, tenorem habes Apud Giraldum, *De jure et statu Menev. eccles.* pag. 584.

(174) Conferenda cum epistola quæ inter Decretales reperitur, lib. I, tit. 41 *De in integrum restitutione*, cap. 5.

earum apostolico convenit præsidio communiri, A quatenus tanto minus malignari volentibus contra eas locus pateat malignandi, quanto majus robur majoris fuerint auctoritate sortitæ. Sane cum venisset olim ad apostolicam sedem dilectus filius, magister Ar. canonicus Ilerdensis, ex parte Ilerdensis ecclesiæ proposuit coram nobis, quod eadem ecclesia per sententiam felicis recordationis Eugenii papæ, prædecessoris nostri super ecclesiis de Barbastro, Belsa, Gestan. et Alkezal, cum pertinentis suis, graviter erat læsa; unde ipsam ad audientiam restitui postulavit, cum ad eam videretur fuisse prædecessorum nostrorum temporibus restituta. Nam, primo bonæ memoriæ Anastasius papa, prædecessor noster, qui eidem Eugenio immediate successit, et piæ recordationis Alexander, B successor ipsius, felicis memoriæ Cœlestino papa, prædecessore nostro, tunc Sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, causam ipsam diversis temporibus commiserunt, qui eam fine debito terminasset, nisi fuisset ab eo, ex parte Oscensis ecclesiæ, provocatum, sicut in ejus litteris continetur, et ipse coram nobibis et fratribus nostris viva voce sæpius testabatur. Idem quoque ad apicem summi pontificos assumptus, bonæ memoriæ Gre. Sancti Angeli diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, causam super hoc sub eo tenore commisit, ut inspectis, rescriptis ecclesiæ Ilerdensis, et rationibus et allegationibus partium diligenter auditis, non obstante sententia memorata vel quibusdam rescriptis, tam occasione illus sententiæ quam alio modo, in præjudicium juris Iler- C densis ecclesiæ a sede apostolica, vel quomodolibet, impetratis, mora, contradictione et appellatione, tam super principali quam incidenti quæstione, remotis, diffinitivam proferret sententiam, et eam exsecutioni mandando faceret per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Sub eodem quoque tenore, venerabilibus nostris, Tirasonensi. Oxomensi...et...Calaguritano episcopis, litteras destinavit, juxta formam processuris eamdem, si legatus de Hispaniæ partibus recessisset. Nos igitur, cum fratribus nostris aliisque viris prudentibus et in utroque jure peritis, super petitione hujusmodi deliberatione habita diligenti, quosdam audivimus asserentes, quod, cum jam dictus Cœlestinus papa, prædecessor noster, contra D prædictam sententiam visus fuerit Ilerdensi ecclesiæ restitutionis beneficium indulsisse, utpote cum, ea non obstante, causam duxerit committendam, supplicationem ipsius ecclesiæ admittere debebamus, quia per statuta canonica sententia sedis apostolicæ non negatur posse in melius commutari, cum aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione temporum et ætatum, seu necessitatum gravium, aliquid dispensatorie ordinare decrevit, et secundum jura civilia, principes contra res sic judicata in auditorio suo examinari restitutionem in integrum permiserunt. Nos autem, tam Ilerdensi quam Oscensi ecclesiæ, in sua volentes justitia providere, quia causarum merita partium assertione panduntur, in utriusque partis præsentia decrevimus discernendum, utrum restitutio esset data, vel danda contra sententiam memoratam. Ideoque tibi, et dilectis filiis, Oscensi capitulo, per iterata scripta dedimus in mandatis (175), ut usque ad festum Beati Lucæ proximo tunc futurum, vel in personis propriis, vel per sufficientem et idoneum responsalem, nostro vos curaretis conspectui præsentare, ostensuri, si possetis, quod non deberet dicta sententia retractari, vel, si forsan exigente foret justitia retractanda, per vos vel responsalem eumdem appareretis sufficienter instructi, ut canonice procederetur in negotio principali, pro certo sciturі, quod, cum litibus finem imponere cuperemus, et in quæstione præmissa, propter multam locorum distantiam, non posset ad nos sine magnis laboribus et expensis sæpius haberi recursus, si ad præmissum terminum, quem vobis duxeramus peremptorium assignandum, injuncta contemneretis implere, nos nihilominus in ipso negotio, quantum possemus, de jure procedere curaremus. Cum igitur diutius exspectatus, tandem ad præsentiam nostram personaliter accessisses, et venerabilis frater noster, Gob, episcopus Ilerdensis, qui te dudum prævenerat, ecclesiam suam ad audientiam proponeret restitutam et restitui de gratia peteret, si plene forsitan restituta non esset, tu vero econtrario diceres, nec audientiam ei contra sententiam esse datam, nec de cætero esse dandam, cum fuisset super iis in nostra præsentia disceptatum, et inductæ variæ rationes utrinque, de consilio fratrum nostrorum, eidem episcopo audientiæ restitutionem duximus concedendam. Proposuit igitur in nostra præsentia constitutus, lite tam super possessorio quam petitorio contestata, quod, cum olim Saraceni majorem partem Hispaniæ occupassent, bonæ memoriæ tunc episcopus Ilerdensis, transiens ad montana, in quodam oppido, quod Rota dicitur, episcopalem cathedram collocavit.

Episcopus quoque, qui tunc temporis ecclesiæ Oscensi præerat, similiter ad montana conscendens, in villa quæ Jacca dicitur se recepit, et in ea posuit sedem suam. Tandem vero, cum inclytæ recordationis Sanctius, rex Aragoniæ, Saracenos cœpisset in forti manu et extento brachio debellare, ita ut de illius terræ recuperatione jam spem certam conciperent Christiani, inter Rotensem et Jaccensem episcopos controversia super limitibus est exorta, Rotensi episcopo asserente, quod Alkanadre fluvius, Jaccensi vero contrario proponente, quod Cinga fluvius ipsorum diœceses limitaret. Controversia igitur hac in regis audientia recitata, ipse, qui noverat terræ situm, de utriusque partis assensu præ-

(175) Vide Decretales, *loc. cit.*

dictis diœcesibus certos dimites assignavit, sicut publicum continet instrumentum. Rege vero apud obsidionem Oscæ percusso sagitta, et, sicut Domino placuit, interempto, inclytæ recordationis Petrus, rex Aragoniæ, natus ejus, Oscam de Saracenorum manibus liberavit, et pontificalem in ea restituit dignitatem, et a Rota, quantum in eo fuit, sedem transtulit in Barbastrum, quod felicis recordationis Urbanus et Paschalis, prædecessores nostri, auctoritate apostolica confirmarunt. Idem quoque rex per P... Barbastrensem fecit ecclesiam dedicari, et eam velut ecclesiam cathedralem dotavit pariter et ditavit, et certis ei terminis assignatis, immunitates etiam regia liberalitate concessit. Cumque Barbastrenses episcopi ecclesiam Barbastrensem longo tempore pacifice possedissent, bonæ memoriæ Gaufr. sextus et ultimus episcopus Barbastrensis, a Barbastro fuit per Oscensem ecclesiam violenter expulsus. Successore igitur ejus, ille viam universæ carnis ingresso, et Oscensi episcopo temporibus prædicti Eugenii, prædecessoris nostri, propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, cum episcopus Barbastrensis cathedram suam, a qua fuerat violenter expulsus, coram bonæ memoriæ G. sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinale qui auditor partibus datus erat, sibi restitui postularet, et Oscensis episcopus restitutionem peteret ecclesiarum de Belsa et Gestan. quibus spoliatum se dicebat injuste, licet eorum uterque tantum possessorium intentaret, idem tamen episcopus Barbastrensis, tam super possessione quam proprietate ecclesiæ Barbastrensis, et de Belsa et Gestan. Ecclesiarum, fuit minus legitime condemnatus.

Ipse autem, prædicto Eugenio viam univers carnis ingresso, præfato Anastasio, successori ejus supplicavit humiliter, et ad memoratum Cœlestinum, prædecessorem nostrum, tunc apostolicæ sedis legatum, commissionis litteras impetravit, qui cum usque ad diffinitivam sententiam processisset, appellationi Oscensis ecclesiæ deferens, negotio supersedit. Iterum eodem modo processit, a prædicto Alexandro, prædecessore nostro legatus in Hispaniam et super hoc negotio specialiter delegatus.

Ipse præterea, cum in summum pontificem fuisset assumptus, causam super hoc memorato G. tunc Sancti Angeli diacono cardinali, apostolicæ sedis legato et prædictis... Tirasnoensi, Oxoniensi..., etc... Calaguritano episcopis, sub tenore superius expresso commisit, et licet, cardinale legationis suæ fines egresso, episcopi usque ad receptionem testium præsentibus partibus processissent, quia tamen ex parte Oscensis ecclesiæ fuit ad sedem apostolicam appellatum, ipsi judices causam ad sedem apostolicam remiserunt. Quamvis autem bonæ memoriæ... prædecessor tuus et prædictus episcopus Herdensis, ad ejusdem C. prædecessoris nostri præsentiam accessissent, non fuit tamen finaliter in causa processum, sed ea in suo statu manente, in terræ subsidium, quam tunc nitebantur invadere Sarraceni, partes ad propria sunt remissæ.

Super iis igitur Herdensis episcopus allegabat, quod cum prædictæ diœceses de assensu partium fuerint limitatæ, ac facta limitatio videntibus et scientibus, tam episcopis quam canonicis Oscensis ecclesiæ, per sexaginta annos et amplius fuerit observata, Herdensi ecclesiæ ea quæ petierat ratione limitationis hujusmodi competebant, quæ, si ab initio forsan ex aliqua causa fuisset invalida, processu tamen temporis per silentium partis alterius legitimum fuerat sortita valorem, præsertim, cum de assensu partium facta fuerit, et per Romanam Ecclesiam exstiterit confirmata. Præterea, etsi limitatio hujusmodi nullatenus tenuisset, quia tamen per quadraginta annos, et amplius, quæ per limitationem ei obvenerant bona fide ac justo titulo Ecclesia possederat Herdensis, absque aliarum rationum suffragio sola se poterat præscriptione tueri; nec nocet quod objicitur ex adverso, limites prescribi non posse, cum limitatio, quam pars Oscensis ecclesiæ allegabat, nulla fuerit, nec posset ostendi, quæ non tenuit si etiam facta fuit, quia præter assensum partium de rebus subjectis dominio aliorum, quas nec habebat tunc temporis, nec habuit postmodum, hujusmodi limitatio fuerat attemptata. Insurper cum flumen publicum esset limes, illud non perscripserat ecclesiæ Herdensi, sed quæ infra limites habebantur, quod a canone non vetatur. Poterat quoque utraque limitatio simul stare, cum limitatio quam pars tua, frater episcope, inducebat, Cingam fluvium illa vero, quam Herdensis allegabat ecclesia, Alkanadre flumen limitem appellaret, et revera pro majori parte Cinga, pro minori vero Alkanadre fluvius fluvius Oscensem diœcesim limitaret. Item, etsi Cinga tanquam limes divideret diœceses memoratas et limitatio, quam Oscensis dicebat ecclesia præcessisse, aliquando tenuisset, et per sedem fuerit apostolicam confirmata, nunc tamen illa dicebat limitatio prævalere, quæ de consensu partium postmodum facta erat, et diutissime observata. Nam in finalibus quæstionibus statur veteribus munimentis, nisi varietate successionum vel possessionum arbitrio fines probentur fuisse mutati. Præterea, sententia prædicti Eugenii contra ecclesiam Herdensem inducta non nocet, cum lata fuerit per negligentiam vel errorem, contra res antea judicatas, a quibus non fuerat appellatum. Verum, donatio Barbastri, facta ecclesiæ Herdensi liberalitate regali, et per sedem apostolicam confirmata, erat inviolabiliter observanda, cum in privilegiis etiam partis alterius auctoritate apostolica firmaretur. Contra hæc autem, frater episcope, proponebas, quod inclytæ recordationis Ranimirus, rex Aragoniæ, cum Sanctio, filio suo, prius prædictas diœceses limitarat, imo declaraverat limitationem, quæ facta fuerat ab antiquo, et in ejus privilegio continetur, in quo Rotensis episcopus et alii octo episcopi subscripserunt; quare Sanctius ipse contra factum suum venire non po-

tuit postmodum cum effectu, præsertim, cum limitatio ipsa fuisset per bonæ memoriæ Gregorium et Urbanum, Romanos pontifices, confirmata; nec nocet quod objicitur ex adverso, eumdem Urbanum Oscensi ecclesiæ omnia quæ Ranimirus rex illi concesserat confirmasse, iis duntaxat exceptis, quæ Sanctius rex Aragoniæ cum P.., filio suo de prædecessorum tuorum assensu, de prædicti regis patris sui constitutione mutavit, eum ea non exceperit pro Rotensi ecclesia, sed capella potius in honorem Domini nostri Jesu Nazareni constructa, utpote inter quam et Oscensem ecclesiam quæstio diutius fuerat ventilata. Nec minus etiam limitari loca illa, quia tenebantur ab hostibus, potuerunt, aut limitata monstrari, cum res quæ apud hostes existunt, posse legari propter spem postliminii sanciat jus civile. Nec obest similiter si econtrario proponatur, quod, etsi limitatio ista præcesserit, prius tamen pars altera Barbastri fuerat possessionem adepta, quia, cum privilegium ecclesiarum existat, ut dominium etiam præter possessionem acquirant, patet Oscensem ecclesiam, sicut tempore prior fuerat, in jure fuisse similiter potiorem. Eodem quoque modo non obest objecta transactio, cum nec Rotensis nec Jaccensis episcopus eam subscriptione propria roboravit, nec accesserit clericorum assensus, qui super eo non minus quam in alienatione fuerat requirendus. Præterea, privilegia Urbani et Paschalis, in quibus sedes episcopalis apud Barbastrum legitur confirmata, nequaquam obsistunt, cum cassata intelligantur cum aliis, quæ prædictus Eugenius sententiando cassavit, et prædictus Alexander asserat ea falsa, licet quoad scripturam reperiantur integra in Regestis, quod ex negligentia quoque potuit provenire. Illud etiam quod pars adversa proponit, se videlicet ad audientiam restitutam, sic debet intelligi, ut concessum ipsi fuerit iniquam, forsan, si posset latam sententiam demonstrare; quare, si pars ipsa concessione hujusmodi non est usa, sententia debet in suo robore permanere. Insuper, etsi ab initio tantummodo possessorium fuerit intentatum post modum possessione et proprietate pariter fuit actum, cum privilegia exhiberentur utrinque per quæ non possessio sed proprietas comprobatur.

Præscriptio autem, quæ objicitur ex adverso, probata non fuit nec potuit comprobari, imo nec objici cum effectu, cum pars eadem allegarit ad se rerum illarum, quas se præscripsisse asserebat, dominium ex causa alia provenisse. Constat autem, quod rem suam nemo præscribat, nisi prius desinat esse sua, nec erat sub disjunctione illius partis petitio admittenda, cum de jure suo actor debeat esse certus etsi aliquando propter factum et contumaciam rei, plures actiones sub alternatione posse proponi legantur. Item, nocere non poterat, si objiceret pars adversa, quod causa, quæ inter P. Regem, et S. Oscensem episcopum vertebatur, commissa fuerat Po. episcopo Barbastrensi, cum Oscen-

A sis episcopus cum petivisse judicem non probetur, et si petivisset etiam, delictum personæ non esset in damnum Ecclesiæ retorquendum. Attestationes vero per quas Ilerdensis ecclesia visa fuerat comprobare se de Barbastro violenter expulsam, non poterant de jure valere, utpote quæ fuerant lite non contestata receptæ, sicut ex prædictis Cœlestini papæ prædecessoris nostri, ut dicunt, litteris comprobatur. Prædictæ quoque attestationes non debuerant apperiri, quoniam, etsi Herdensis ecclesia per eas quod intenderat comprobasset, debebat tamen loco suo possessio remanere, cum proprietas ad Oscensem ecclesiam ratione sententiæ pertineret; quare prius quam attestationes aperirentur prædictæ, fuerat de sententia cognoscendum, quia

B dolo quis petit quod restituere statim debet.

Allegabat igitur pars Oscensis ecclesiæ pro se: primo limitationem Ranimiri, et Sanctii, filii ejus, Regum Aragoniæ, non tam factam ab eis quam per eos qualiter facta fuerit antiquitus declaratam: secundo, privilegia prædictorum Gregorii et Urbani, prædecessorum nostrorum, qui non solum confirmationem hujusmodi confirmarant, sed statuerant, ut taliter imposterum servaretur; tertio, sententiam dicti Eugenii, prædecessoris nostri, quæ fuerat cardinalium subscriptionibus roborata de qua temerarium, imo sacrilegum esset præsumere, quod lata legitime non fuisset, cum instar sacrilegii sit de statutis principum judicare; et licet contra sententiam ipsam audientia data fuerit Ec-

C clesiæ Herdensi, ipsa tamen retractata non fuerat, imo nec debuerat rectractari, cum nec ostenderetur aliquid fuisse subreptum, nec quod dictus Eugenius pro necessitate locorum, temporum vel ætatum, super hoc duxerit dispensandum; quarto, præscriptione se Oscensis ecclesia tuebatur, cum habuerit ex sententia bonam fidem, et a tempore ipsius sententiæ quinquaginta octo anni fuissent elapsi, nec interruptio econtrario probaretur, cum super commissione prædicti Anastasii nihil penitus pars altera comprobavit, et commisso sæpedicti Alexandri fuerit revocata; ipse quoque Cœlestinus, prædecessor noster, ut dicunt, in litteris suæ confirmationis asseruit, quod a tempore latæ sententiæ lis non fuerat contestata; præterea, sæpedictus Alexander eidem

D indulsit, ne respondere super hoc aliquatenus cogeretur, et silentium imposuit ecclesiæ Herdensi, felicis autem recordationis Lucius et Clemens, prædecessores nostri, sententiam Eugenii confirmarunt. Demum, eadem pars adjecit, quod ecclesias de Belsa et de Gestan. tempore limitationis possederat ecclesia de Alkezar fuerat data ipsi, cum fuit de Saracenorum manibus liberata. Nos igitur, auditis his et aliis quæ fuerant hinc inde proposita, priusquam plenius examinaretur negotium prælibeRatum, te ac prædictum episcopum Herdensem ad compositionem induximus, et obtinuimus tandem a vobis, et vestris voluntatibus requisitis, ut nostris consiliis pareretis. Nos ergo, postquam vestras dili-

genter investigavimus voluntates, de provida consilii A deliberatione statuimus, ut Barbarstrensis ecclesia cum terminis suis, sicut a prædicto P. rege Barbastro fuerant assignati, tibi et, per te, Oscensi Ecclesiæ, in perpetuum remaneret; confirmantes ecclesiæ Ilerdensi omnia quæ inter Cingam et Alkanandrum fluvios possidebat. Omnes autem ecclesias, quas tu, a Serra, Arbi inferius (176) inter prædictos fluvios, possidebas, cum ecclesiis de Belsa, et Gestan. in duas partes dividi jussimus: et medietatem Oscensi ecclesiæ. aliam vero medietatem Ilerdensi præcepimus assignari, et præterea, de assensu ejusdem Ilerdensis episcopi, possessiones quas habebat ejus ecclesia apud Jaccam, tibi, et ecclesiæ tuæ pro bono pacis tradi præcepimus in perpetuum possidendas. De iis autem ecclesiis inter vos hujusmodi compo- B sitio intervenit, ut ecclesiæ de Presigneg. Torres, Peralta, Pertusa, Perdicaria, MonteRubeo. Almerge, Castrum, et Ecclesia de Fornell. cum omnibus terminis suis, et omnes ecclesiæ quæ sunt, vel erunt inposterum inter Cingam et Alkanadrum ab ipsis inferius, cum ecclesiis Vallium de Belsa, et Gestan. Ilerdensi ecclesiæ perpetuo jure cedant, exceptis ecclesiis de Berbegal. Lacunarota, Juverto, et Caxcorba, quæ cum omni jure, et universis terminis suis Oscensi ecclesiæ in perpetuum sint subjectæ. Ecclesia quoque de Alkesar cum omnibus ecclesiis et pertinentiis suis, et omnes ecclesiæ quæ sunt, vel erunt inter Cingam, et Alkanadrum fluvios, a terminis de Pertusa, Perdicaria Monte Rubeo, et Almerge, et Fornellis, superius, usque ad Pirenos C montes, eidem Oscensi ecclesiæ perpetuo subjacebunt, præter ecclesias de Azlor, Alberola, Avosca, et Colungo, quæ cum omni jure ac universis terminis suis perpetuo suberunt ecclesiæ Ilerdensi.

Decernimus ergo, statuimus et sancimus, ut hæc compositio seu divisio facta per nos, utriusque partis assensu, perpetuam obtineat firmitatem, nec unquam Oscensis Ecclesia contra Ilerdensem, vel Ilerdensis contra Oscensem moveat quæstionem. Ne autem causa ipsa de cætero valeat in contentionis scrupulum refricari, universa instrumenta vel argumenta, quæ pro alterutra parte vel hactenus sunt inventa, vel amodo poterunt inveniri, nos, auctoritate apostolica, nihil penitus contra hæc valitura D consemus. Nulli ergo... nostræ constitutonis infringere, etc. Si quis autem, etc. Amen amen, amen.

Datum Ferentini; per manum Joannis S. R. E. subdiaconi et notarii, VI Kal. Junii, indict. VI, Incarnationis Domini anno 1203, pontificatus vero, etc.

*In eumdem fere modum scripta est* Gombaldo, Ilerdensi episcopo.

—

(176) Sic. Sed mendum inesse videtur.

## LXXVI

CARSIÆ, OSCENSI EPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS, IN PERPETUUM.

*Ipsum et ipsius Ecclesiam recipit sub protectione B. Petri, et enumerantur bona ad ecclesiam Oscensem pertinentia.*

(Ferentini, VII Kal. Junii.)

In eminenti sedis apostolicæ specula, licet immeriti, etc., *usque* Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et Oscensem Ecclesiam cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Apetri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam, etc., *usque* observetur. Præterea, quascunque possessiones, etc., *usque* consistant. In quibus hæc propriis duximus, etc., *usque* vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Lacunarota; ecclesiam de Berbegal; ecclesiam de Cazcorba; ecclesiam de Javerco, cum omnibus pertinentiis suis ecclesiam de Alkasef; ecclesiam de Lacellis; ecclesiam de Poio, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Arhos; ecclesiam de Crescenzan. Ecclesiam de Oz, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Salvato; ecclesiam de Costean; ecclesiam de Figarolis, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Enat; ecclesiam de Coscollela; ecclesiam de Padul, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Solvas; ecclesiam de Aissa. cum omnibus ecclesiis de Suprarbi, et pertinentiis suis; archidiaconatum de Valle, cum omnibus ecclesiis et pertinentiis suis; prioratum de Ravaga, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam et villas de Pertinellis et de Borres, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam et villam de Avos, et medietatem villæ de Japsa, cum omnibus pertinentiis suis; prioratum de Liert; ecclesiam de Castelo, cum omnibus pertinentiis suis; prioratum de Sasave, cum omnibus ecclesiis et villis; vallem de Borao, cum aliis ecclesiis et villis sibi subjectis, et omnibus pertinentiis suis; prioratum Sancti Petri de Siresa, cum omnibus ecclesiis, villis, et aliis pertinentiis suis; archidiaconatum de Anco, cum omnibus ecclesiis et pertinentiis suis; ecclesiam de Maxons, cum villa de Boliola, et aliis pertinentiis suis; archidiaconatum de Sodorol, cum omnibus ecclesiis et pertinentiis suis; ecclesiam et castrum Sancti Felicis, cum omnibus pertinentiis suis; prioratum de Lasieso, cum omnibus pertinentiis suis; prioratum Sanctæ Mariæ de Latre, cum villa de Stallo, et aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Emeterii; ecclesiam et villam de Marcellanico, cum omnibus pertinentiis suis; villam de Laios; molendina de Berdon ad ecclesiam de Maxons pertinentia; villam de Aravos, cum omnibus pertinentis suis; villam de Centenero: villam de Isus: villam de Idries, cum omnibus pertinentiis

suis; villam de Alborego; villam de Banarei; villam de Tabernas, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Arascos; ecclesiam de Kinsano, cum omnibus pertinentiis suis: ecclesiam de Nisano, cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Escanella, cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Sessa, cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Fananas cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Alkala; castrum de Zelun. cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam et hæreditatem de Pallarolo, cum omnibus pertinentiis suis; prioratum Sanctorum Massarum, cum decimis et pertinentiis suis; hæreditatis de Monzon et de Abrisen, cum omnibus pertinentiis suis; et monasterium Monialium Sanctæ Crucis; et ecclesiam de Peralta, cum pertinentiis suis, et omnes alias ecclesias, villas et possessiones, ad mensam canonicorum Oscensium pertinentes cum libertatibus et immunitatibus suis. Præterea, quod de communi assensu capituli tui, vel partis consilii sanioris in tua diœcesi per te fuerit canonice institutum, ratum et firmum volumus permanere. Prohibemus autem, ne laicus quilibet de cætero in Oscensem canonicum admittatur, cujus receptionem, si deinceps facta fuerit, irritam esse decernimus et inanem; nihilominus statuentes, ne aliquis clericus sæcularis in eadem ecclesia, contra ipsius consuetudinem approbatam, in prioratu vel archidiaconatu, seu alia dignitate qualibet ministrare præsumat. Cœmeteria quoque ecelesiarum et ecclesiastica beneficia nullus hæreditario jure possideat; quod si quis facere forte contenderit, censura canonica compescatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum, etc., *usque* subjaceat. Cunctis autem... *usque* inveniant. Amen. amen, amen

Datum Ferentini, vi Kal. Juniii, per manum Joannis S. R E. subdiaconi et notarii.

## LXXVII.

...EPISCOPO DORTOSENSI.

*Præcipit ut ecclesias quasdam episcopo Oscensi restituat.*

(Ferent, viii Kal. Junii.)

Olim piæ recordationis Alexander papa prædecessor noster..... prædecessori tuo per suas dedit litteras in mandatis, sicut in eisdem perspeximus contineri, ut episcopo Oscensi ecclesias de Alkezar per bonæ memoriæ Eugenium papam, prædecessorem nostrum, adjudicatas eidem, quas idem prædecessor tuus auctoritate regia contra justitiam detinebat, infra duos menses post susceptionem litterarum suarum, qualibet occasione, et appellatione cessantibus, restituere, ac in pace dimittere non tardaret. Ipse vero, mandati apostolici surdus auditor existens, id efficere non curavit, sicut venerabilis fratris nostri, Carsiæ, Oscensis episcopi, in nostra præsentia constituti, conquestio nobis exposita patefecit. Cum igitur omnibus simus in sua justitia debitores, volentes unicuique sua jura servare, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus memoratas ecclesias cum pertinentiis suis, infra duos menses post susceptionem præsentium, præfato episcopo restituere, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, non postponas, vel usque ad festum Purificationis beatæ Mariæ proximo venturum apostolico conspectui te præsentes, super his exhibiturus eidem quod postulat ordo juris; districtius inhibentes, ne, cum ad præsens habeas possessionem earumdem, dolo possidere dimittas, ut cogi non debeas super his eidem justitiam exhibere. Alioquin, cum dolus patrocinari nemini debeat, te noveris pœna legitima percellendum.

Datum Ferentini, viii Kal. Junii.

## LXXVIII.

VERCELLENSI EPISCOPO (177)

*Sententiam ab episcopo Pergamensi, in causa quæ super ecclesia de Sevitio vertebatur, latam auctoritate apostolica confirmat.*

(Ferentini, x Kal. Junii.)

Cum venissent ad apostolicam sedem dilecti filii, V. et L. et super ecclesia de Sevitio, qua idem L. se asserit contra justitiam spoliatum, vellent ad invicem litigare, dilectum filium, J. subdiaconum et capellanum nostrum, eis concessimus auditorem Cumque in ipsius essent præsentia constituti, præfatus V... procurator dilecti filii, V. Rendevaccæ, proposuit, allegando, quod cum idem L. publica laboraret infamia, focariam in domo, nec non et tabernam haberet, et usuras nihilominus exerceret venerabilis frater noster..... Pergamensis episcopus, judex ordinarius, per dilectum filium..... archidiaconum ecclesiæ Pergamensis, et quosdam alios eum citavit ut satisfacturus super præmissis ipsius se conspectui præsentaret, qui contemnens mandatum episcopi memorati, venire penitus recusavit. Pæfatus vero episcopus, habito consilio archidiaconi et aliorum, tulit sententiam contra eum et eumdem spolians ecclesia Sancti Andreæ, eidem V. Rendevaccæ assignavit eamdem, sicut apparet per publicum instrumentum; quam sententiam procurator præfati V. Rendevaccæ confirmari petebat. Cæterum, præfatus L. proposuit ex adverso, quod cum eadem eccleia esset prætermisso juris ordine spoliatus, ad apostolicam sedem accedens, ad dilectos filios..... abbatem Sancti Laurentii Novariensis, et magistrum F. de Trino, Sancti Protasii canonicum, litteras impetravit, ut si ita esset, supradicto V. et procuratore suo amoto a præfata ecclesia, vel quolibet alio illicito detentore, eam cum fructibus inde perceptis restitui facerent clerico conquerenti. Cumque prædicti judices præfatum episcopum multoties citavissent, tandem, post multas citationes, quemdam responsalem mittere

(177) Vide epist. 38, lib. III, not.

procuravit, qui propter pignora, et quædam alia, quæ ab ipsis judicibus petebantur, non fuit admissus, cum eadem nollet aliquatenus exhibere. Tandem vero terminum eidem episcopo peremptorium præfixerunt, sed idem nec venit, nec aliquem curavit mittere responsalem, propter quod judices ipsi testes præfati L. recipere procurarunt, per quos cum legitime probatum fuisset, quod idem L....., per decem annos pacificam possessionem habuisset Ecclesiæ memoratæ, restituerunt ei Ecclesiam ipsam, et amoto eodem V. ipsum in corporalem possessionem induxerunt ejusdem, qui litteras apostolicas ad delegandos judices impetravit, ut sententiam ipsam, sicut esset justa, auctoritate apostolica confirmarent, quam idem, sicut in eorum scripto apparet, confirmare curarunt. Præterea, dictus L. alias ad venerabilem fratrem nostrum...Pergamensem episcopum, litteras impetravit, ut a prædicta ecclesia jam dicto V... amoto, eam ipsi restituere non differret, quod episcopus, memorato V... non citato, nec præsente, per sententiam adimplevit. Verum, quia prima delegatorum sententia prolata contra juris ordinem invenitur, eo quod in absentem et non citatum, et lite non contestata, proferri non debuit, maxime cum ipsius causæ emolumentum, sive detrimentum ad ipsum V. tantum pertinet, et in sententia minorati episcopi Pergamensis litteræ apostolicæ in judicio non probantur ostensæ, utramque sententiam duximus irritandam, mandantes quatenus sententiam episcopi Pergamensis pro V... Rendevacca et contra L. latam, sicut est justa, facias auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Postmodum vero, convocatis, etc., canonico fine, etc. Testes, etc. Nullis litteris obstantibus præter assensum patrium, etc.

Datum Ferentini. x Kal. Junii.

## LXXIX.

.... DE WENELOC (178), ET .... DE HENLI, PRIORIBUS. HEREFORDENSIS ET BANGORENSIS DIOECESIUM.

*Causam quæ inter episcopum et electnm Bangorenses vertebatur ipsis committit.*

(Ferentini, IV Kal. Junii.)

Causam, quæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum.... Bangorensem episcopum (179), et dilectum filium R. quondam subpriorem de Alberconwe, longo jam tempore motam, et nondum finem debitum assecutam, ne diutius maneat indecisa, de utriusque partis assensu vobis sub certa forma duximus committendam. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus alter vestrum ipsius episcopi testes in Anglia, et reliquos testes subprioris in Wallia, super omnibus omnino articulis, tam principalibus quam incidentibus, appellatione remota, recipiat et examinet diligenter, ita quod si alteruter forte nequiverit personaliter interesse, per procuratorem idoneum suam justitiam prosequatur. Attestationes autem, confessiones et allegationes in scriptis redactas, nobis sub sigillis vestris inclusas mittere procuretis, præfigentes partibus terminum competentem, quo cum ipsis, per se vel idoneos responsales, ad præsentiam nostram accedant, sententiam auctore Domino recepturа. Si qua vero partium legitime citata præsentiam vestram adire noluerit, vos nihilominus juxta mandatum nostrum in ipso negotio procedatis. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium, etc.

Datum Ferentini, IV Kal. Junii.

## LXXX (180).

REGI CASTELLÆ

*Ut filiam suam regi Legionensi incestuose copulatam revocet, et mandatis apostolicis pareat.*

(Ferentini, Non. Junii.)

[Bonorum omnium largitori, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, distribuens gratias et dona dispensans, regia serenitas actiones tenetur exsolvere gratiarum, quod fecit ei nomen grande juxta nomen Magnorum qui sunt in terra, et tam potentiam quam prudentiam tibi gratuita largitate concessit, ut, dum utraque per reliquam juvaretur, nec prudentia esset sterilis vigore potentiæ destituta, nec potentia noxia sapore prudentiæ non condita. Verum, quia non est prudentia neque consilium contra Deum, in his quæ Dei sunt, et secundum Deum laudabiliter possunt agi, tuam debes prudentiam exercere], ne, si aliter egeris, stultam faciat Dominus sapientiam hujus mundi, privilegio te privans indulto, si, tot gratiarum ingratus, donis ejus abusus fueris contra eum. Sane, licet olim dilectum filium, fratrem Rainerium, virum religiosum, providum et fidelem, ad dissolvendam incestuosæ conjunctionis copulam, quæ inter regem Legionensem et filiam tuam, in divinæ majestatis offensam, Ecclesiæ scandalum, et contemptum canonicæ sanctionis, contracta fuerat, in Hispaniam curaverimus destinare, tanquam nos, imo Deum labiis honorares, cum tamen cor tuum esset longe a mandatis nostris, vel divinis verius, exequendis, verbis placabilibus ejus elusisti censuram, et refundens in alium culpam tuam, Ecclesiæ judicium effugisti. Verum, sicut frequenti relatione dicimus et publica fama cla-

(178) Apud Wenlock in agro Salopiensi, fuit antiquissima sanctimonialium habitatio. Ibi beatissima Milburga, filia Merewaldi, fratris Wlpheri, Merciorum regis, soror S. Mildredæ, transegit vitam et sita est. Sed post adventum Normannorum aliquandiu locus omnino desertus remanserat. Sed postea, versus sæculum duodecimum, Rogerus, comes de Monte-Gomerico, monachos Cluniacenses ibi congregavit. *Monastic. Anglic.* t. I, p. 613. Vide etiam WILLEM. Malmesb. *De gest. pontif. Angl.* lib. IV, pag. 287, lin. 47.

(179) Erat is Robertus nomine; super causa, quæ inter ipsum et R. quondam subpriorem Alberconweyensis monasterii vertebatur, vid. GIRALD. Cambr. in libello *De jure et statu Menevens. eccles.* pag. 552. 555, et passim.

(180) Fragmentum edidit Raynaldus, anno 1203, § 63. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

mat, usque adeo illaqueasti regem eumdem, et sic circumvenisti simplicitatem ipsius, ut sine multo dispendio regni sui, filiam tuam a se, si velit etiam, non valeat separare, cum plures et meliores munitiones regni Legionensis nomine prædictæ filiæ tuæ receperis, et per tuos feceris et facias custodiri, eidem tuæ filiæ remansuras, si fuerit a rege relicta. Præterea, cum prolem ex hujusmodi copula incestuosa susceptam denuntiaverimus spuriam, et secundum constitutiones legitimas in bona paterna nullo unquam tempore successuram, tu, de quo miramur non modicum, callide procurasti ut ei pene penitus totum regnum Legionense juraret. Cum enim prædicto regi de terra tua consiliarios deputaris, et fere universæ munitionis ipsius detineantur a tuis, tanquam frænum in os ejus posueris, ipsum pro tuæ voluntatis arbitrio circumducis, et quasi non minus de terra ejus quam de proprio regno disponis. Quid igitur tantum apostolicæ sedis, imo Ecclesiæ generalis, opprobrium alterius dissimulare nec volumus nec debemus, monemus serenitatem regiam et exhortamur attentius, et sub divini judicii obtestatione mandamus, quatenus omnes colligationes iniquitatis hujusmodi omnino dissolvas, quæ fasciculos habent annexos, usque in infernum inferiorem animas deprimentes, et recipias, imo revoces etiam natam tuam, ut subductam incestuosis amplexibus cuivis tantum in Domino matrimoniali possis fœdere copulare. Alioquin, ne tam anima tua quam filiæ tuæ ac regis ipsius de nostris manibus requiratur, in te ac in terram tuam, sicut expedire viderimus, procedemus, et admonitionem acrior sequetur vindicta quam credas.

Datum Ferentini, Non. Junii.

LXXXI (181).

ARCHIEPISCOPO NARBONENSI (182).

*Ut abbatiam seu archiepiscopatum di mittat cum utrique præesse non possit* (183).

(Ferentini, III Kal, Junii.)

Si notasses melius quod legisti, quoniam privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, gratia sedis apostolicæ non fuisses abusus, nec per abusionem perderes quod per usum poteras retinere. Olim sane, sicut accepimus, apostolica tibi sedes indulsit, ut sic ad dignitatem asecnderes pastoralem, quod abbatiam Montis Aragonum cui antea præfueras nihilominus retineres. Credidit enim ecclesia Romana in honore quem fraternitati tuæ non sine multa dispensationis gratia deferebat, tuæ Narbonensis metropoleos quam abbatiæ Montis Aragonum, onera relevare, et utrique sine alterius jactura consulere, imo utramque juvare per reliquam, et neutri per alteram derogare, sperans quod sic præesses et prodesses utrique, quod neutri deesses penitus vel obesses. Verum, quod dolentes referimus, sic præes earum utrique, ut pene penitus neutri prosis, et dum sequeris sanguinis et carnis effectus, spiritalem affectionem et pastorale debitum quasi persequi (183) videaris. Ecce etenim, Narbonensi ecclesia derelicta, in prædicta resides abbatia, et dum eos nimis tenere diligis quos caro reddidit tibi charos, illos quodammodo probaris odisse, quos charitas tibi reddidisse debuerat chariores. Sane, si, populi tui et domus tui patris oblitus, suscitasses semen fratri defuncto pro patribus tuis, filii tibi nati fuissent, qui posteritatis tuæ gloriam melius propagarent. Verum, quoniam de terra et de cognatione tua vel non vis egredi vel non potes, maledictum divinæ legis inieris, quo malediciturom nibus qui semen non reliquerint super terram; et dum parvulis petentibus panem, juxta quod ad officium pertinet pastorale, non frangis, probaris eos quos non paveras occidisse. Invaserunt enim jam gregem tibi commissum lupi rapaces, ex eo in tuum amplius sævientes ovile, quod, velut canis mutus latraro non valens, nec eos latratu deterres, nec, boni pastoris exemplo, animam tuam pro ovibus tuis ponis, sed fugis potius, eis luporum morsibus derelictis. Ecce etenim, dum opus Dei negligenter exerces, vulpes parvulæ demoliuntur vineam et messem Dominicam facibus colligatis ad caudas adurunt, et bono semini quod seminatum fuerat zizania homo superseminat inimicus, dum hæretici, absentiæ tuæ opportunitate captata, cujus utinam vel præsentiam evitarent, perversa dogmata publice jam in provincia Narbonensi proponunt, quos, dum eis minus resistitur, multa sequitur populi multitudo. Ne igitur eorum sanguinem Dominus de manu nostra requirat, si negligentiam tuam sustinuerimus negligenter, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus vel, relicta penitus abbatia Montis Aragonum, ut de persona idonea ordinetur, resideas in ecclesia Narbonensi, et in ea pastoralis officii debitum laudabiliter exsequaris, vel, contentus, si malueris, abbatia, metropoliticæ renunties dignitati, cum nolimus ulterius sustinere tantum dispendium ecclesiæ Narbonensis, imo potius populi Christiani, nec debeamus aliquatenus tolerare, quod eadem Ecclesia viduitatis opprobrium defleat te vivente, sed, nisi ei debitum exhibueris conjugale, potius tali nubat, qui consoletur eam inter angustias constitutam, et purget ab hæretica pravitate.

Datum Ferent., III Kal. Junii, anno sexto.

LXXXI (184).

COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

*Indulget ei ut possit absolvere laicos judices qui errantes clericos muletarant,*

(Ferentini, VIII Id. Junii.)

Boni pastoris officium exsequi comprobaris, dum

(181) Laudata a Bzovio, *Annal.* t. XIII, pag. 101, § 11, necnon a Raynaldo, anno 1203, § 51.

(182) De archiepiscopo Narbonensi jam egimus supra. lib. III, epist. 24, not.

(183) Conferenda omnino hæc epistola cum his quæ de isto Narbonensi præsule referuntur apud auctores *Galliæ Christianæ*, t. VI, col. 58.

(186) Sic; mendose, ut videtur.

(184) Vide Raynaldum anno 1203, § 67.

ecclesiasticæ severitatis rigorem per mansuetudinis spiritum nitaris temperare, ut deceptas rectitudinis specie oves tuas, et positas extra caulas, ad gremium matris Ecclesiæ revoces et reducas, ne, si rigor exerceatur in eas ecclesiasticæ disciplinæ, in profundum veniant, et contemnant potius, quam medicinam suspiciant salutarem. Sane, per tuas nobis litteras intimasti, quod tuæ justitiarii civitatis, habentes multitudinem sociam, et zelum justitiæ, et officio suo sibi hoc licere credentes, in clericos criminibus irretitos injecere aliquando manus suas, laicorum eos pœna mulctantes, quos coinquinans facinus ipsis consimiles fecerat et æquales. Verum, cum tu nuntiasses eisdem, quod inciderant in canonem sententiæ promulgatæ, tibi nullo modo crediderunt, cum se non existiment peccavisse pro eo quod eos, velut malefactores, animadversione legitima, quasi justitia dictante, mulctarunt, propter quod nullatenus possunt induci, ut ad sedem veniant apostolicam absolvendi. Unde, cum sit commune contagium, et timeas, ne ab ipsis aliquid deterius committatur, si eis absolutionis beneficium non præstetur, a nobis humiliter postulasti, ut eos per te, vel aliquem suffraganeorum tuorum, faceremus absolvi, quatenus justitia per misericordiam temperetur, et disciplina penitus non vilescat. Nos igitur, attendentes quod illius, licet immeriti, gerimus vicem in terris, qui non obliviscitur misereri, quia multitudo dicitur esse in causa, ne cadat super eos ignis, et non videant verum solem, de benignitate apostolicæ sedis præsentium tibi auctoritate duximus indulgendum, ut, ab eis recepta secundum formam Ecclesiæ cautione, ipsis, nostra fretus auctoritate, absolutionis munus impendas; provisurus attentius, ut ab hujusmodi et consimili de cætero præsumptione quiescant, et expensas, quas essent in veniendo ad apostolicam sedem facturi, secundum tuam providentiam mittant in auxilium terræ sanctæ, vel eorum qui repugnant in Hispania Moabitis. Nulli ergo..., nostræ concessionis, etc.

Datum Ferentini, VIII Id. Junii.

### LXXXIII (185).

EIDEM.

*Facultas absolvendi debiles ætate vel sexu, et infirmos, de violenta manuum in clericos injectione.*

(Ferentini, III Non. Junii.)

Debitum prosequeris pastoralis officii, dum oves languidas tuis humeris reportare studes ad caulas, et earumdem imbecillitatem per tuæ sollicitudinis diligentiam niteris revelare. Hinc est igitur, quod concedi tibi a nobis humiliter postulasti, ut si forte contingat aliquem tuæ diœceseos debilem ætate vel sexu, vel infirmitate corporis laborantem, in clericos manus injicere violentas, de nostræ permissionis clementia tibi liceat ipsis absolutionis benefi-

A cium impertiri; hoc idem tibi proleviter manus injicientibus in eosdem indulgeri deposcens. Nos igitur, de tuæ discretionis plenitudine confidentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ejusmodi sacrilegos secundum Ecclesiæ formam absolvas, et injungas eisdem, quod canonice fuerit injungendum, ita quod passis injuriam satisfaciant competenter, et tam sumptus itineris, quam redemptionem laboris, quos ad sedem apostolicam veniendo subirent, juxta tuæ provisionis arbitrium in opera pietatis expendant. Cæterum, graviter et enormiter delinquentes, qui pro absolutionis munere obtinendo ad sedem apostolicam prævalent laborare, occasione præscriptæ indulgentiæ non absolvas, ne forte nervus ecclesiasticæ disciplinæ,
B qui per violentiam flecti potest, per insolentiam dissolvatur.

### LXXXIV (186).

PETRO, COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

*Privilegium ecclesiæ Compostellanæ a Cœlestino papa datum de prescriptione votorum aliquot, quæ Hispania S. Jacobo sanxerat, firmum reddit.*

(Ferentini, III Non Junii).

Ex litteris bonæ memoriæ Cælestini papæ, prædecessoris nostri, cognovimus evidenter, eum in favorem ecclesiæ tuæ pro reverentia B. Jacobi statuisse, ut cum in lege contineatur humana, quod in tributis et publicis functionibus nullum præscriptio locum obtinet, et illa vota sint quasi tributa, quæ Deo et præfato ejus apostolo Hispania statuit
C annis singulis exsolvenda, præscriptio illa, quæ tibi et ecclesiæ tuæ super eisdem votis objicitur, locum non habeat aut vigorem. Nos igitur, quantum cum Deo possumus, tuæ volentes fraternitati deferre, præsenti pagina indulgemus, ut in quibus illa constitutio Cœlestini papæ locum habet, ea licenter utaris. Nulli ergo..., nostræ concessionis, etc.

Datum Ferentini, III Non. Junii.

### LXXXV (187).

INSEBURGIS, FRANCIÆ REGINÆ, AD PAPAM.

*Miserrimum ejus statum exprimit, et papæ operam atque auctoritatem implorat.*

Spirituali Patri ac domino suo, Innocentio, Dei gratia summo pontifici, filiarum ejus minima, In-
D seburges, Franciæ, nomine solo, regina, se ipsam ad pedes in omni humilitate. In spiritu humilitatis et in animo contrito sæpissime vestræ piæ paternitati miserias meas, tam per me quam per meos, explanare curavi, et quia conversa in ærumna mea jugum Domini, non grave sed gravissimum, assidue porto, adhuc, Pater sanctissime recogitabo vobis omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, in qua jugiter permanens dilectum meum, fasciculum myrrhæ mihi factum, inter ubera commorantem sustineo, remedium amaritudinis, per

(185) Vide Raynaldum, anno 1203, § 67.
(186) Id. ibid.

(187) Edita a Raynaldo, anno 1203, § 59.

vos Christi vicarium, desiderans obtinere. Vos siquidem per Dei gratiam estis successor Petri, collega Pauli, qui Corinthium gladio spiritus trucidare minime formidavit, Phinees imitator, mons in vertice montium positus, ad quem oculi levandi, tuitio oppressorum, refugium miserorum. Unde ad vos Patrem sanctissimum confugio, ut utinam mihi datum fuisset desuper, ut pedes Elisei mihi compatientis amplecti valerem, lacrymis rigarem, capillis extergendo, angustiam animi mei expressius opere quam litterulis exponeremus. Eripite itaque me, Pater juste, ut non infigar, liberate me ab his qui oderunt me, et de profundis aquarum quæ gratis persequuntur me. Persequitur me dominus maritus meus, Philippus, illustris rex Francorum, qui non solum me sicut uxorem non videt, sed solitudine carceris meam desiderans fastidire juventutem, opprobriis et calumniis per suos satellites me irritare non cessat, ad indignationem spiritus, ut ei contra matrimonii jura et legem Christi consentiam, per præambulos Antichristi, qui, speciem pietatis habentes, virtutem ejus abnegant, me provocare nullatenus erubescit. Sciatis autem, Pater sancte, quod in nostro carcere nullum est mihi solatium, et innumeras et importabiles molestias patior; nec enim me audet aliquis ibi visitare, nisi aliqua religiosa persona, ad me consolandam accedere, nec de ore alicujus verbum Dei ad reficiendam animam meam possum audire, nec copiam habeo alicui sacerdoti confessionem meam faciendi; missam raro audire possum, alias horas, nunquam. Insuper nulla persona vel nuntius de terra nativitatis meæ cum litteris, vel sine litteris, ad me venire vel mihi loqui permittitur; victus mihi aliquando arctus nimium ministratur; pane tribulationis et potu angustiæ quotidie utor; nil medicinale, prout expedit fragilitati humanæ, nec qui de salute corporis mihi consulat, vel faciat quod mihi prosit, possum habere. Balneum intrare non sinor; si volo minuere mihi sanguinem, facere non possum; et propterea timeo mihi de visu, et ne graves infirmitates mihi superveniant: vestimentorum copia non adest, nec talia sunt qualia deceret habere reginam. Accedit ad cumulum miseriæ meæ, quod illæ personæ admodum viles, quæ mecum ex voluntate regia conversantur, nunquam bona mihi verba proponunt, sed contumeliosis sermonibus et injuriosis affligunt, de quibus etiam audivi et scio, quod, præterquam a me recesserint, mihi compatiuntur, sed inde nihil mihi consolationis impendunt, sed tristem jugiter me compellunt remanere. In quadam domo sum clausa, nec inde possum exire. Quid plura? Miserias meas non possem per singula prosequi, quia ea mihi denegantur, quæ nulli Christianæ mulieri deberent denegari, et ea mihi fiunt, quæ nulli fieri deberent, quantumcunque abjectæ, personæ. Litteras, quas sanctitas vestra mihi mandavit, habere non potui. His namque et similibus, quæ vestræ ad præsens non valeo exponere sanctitati, ita quod tædeat me vivere afflicta, cum ignorem quid agere debeam, oculi mei ad vos sunt. Pater sanctissime, ne preream. Preterea, dico non corpore, sed spiritu: cum enim quotidie morior per glortam vestram, et propter jura matrimonii illibata servanda, quam dulcis, quam jucunda, quam suavis mihi miseræ, mihi desolatæ, mihi ab omnibus repudiatæ et ejectæ, unica mors corporalis adveniret, qua tot mortium discrimina aufugere possem. Verum, quoniam angustiæ mihi sunt undique, quia si contra Deum agere mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus persecutorum, a vobis, qui pater estis consolationis, consolationem peto. Hoc vestræ; ut jam per me et clericos meos insinuatum est, significans sanctitati, et rogans et protestans, quod, si minis ac terroribus compulsa, feminea fragilitate, contra jura matrimonii mihi aliquid proposuero, non sit in præjudicium prænominati matrimonii, et a vobis qui persecutor estis confessionis extortæ, nequaquam recipiatur, sed in manu forti et brachio extento ab hac me curetis absolvere miseria, Pater benigne, ut, si forte dominus meus, Philippus, rex Francorum illustris, diabolica fraude deceptus, contra me super sæpefato matrimonio denuo agere tentaverit, tali loco me procuret sisti vestra paternitas, in quo, pristinæ libertati et primis parentibus restituta, libere meam possim in omnibus declarare voluntatem, si, fide interposita vel sacramento interveniente, hoc, quod prædixi, fuero timore intercedente confessa, ab illa obligatione, apostolicæ miserationis obtentu, me liberare dignemini. Ita vero faciatis, Pater sancte, ut consolationem vestram, sententiam et justitiam quam omnibus exhibetis, mihi nullatenus subtrahatis, ut in extremo examine præmium condignum ab omnipotenti Deo recipere valeatis. Valeas, Pater sancte.

## LXXXVI (188).

PHILIPPO, ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Scribit ei in favorem Inseburgis reginæ, et abbatem Casemarii legatum mittit.*

(Ferentini).

Inter Deum et hominem constituti, dum figmentum figulum reveretur, et metuit factura factorem, ac rursum diligit caro carnem, et nimis tenere pater filium amplexatur, pene ambigimus quid agamus, verentes ne, si detulerimus homini contra Deum, aut etiam distulerimus propter eum officii nostri debitum exercere, gravem incurrimus divinæ majestatis offensam, et sangnis illius de nostris manibus requiratur, et rursum si etiam, exigente justitia, hujusmodi hominem aggravemus, molestemus eos gravius, sine quibus non potest de facili molestari. Si enim hoc egerimus per quod homini placeamus, quia Deo displicebimus, mors est nobis, nec hominis forsan effugiemus offensam si Deo voluerimus com-

(188) Laudata, tantummodo, non edita, a Raynaldo, an. 1203, § 60.

placere. Verum, licet magis Deo quam homini nos conveniat obedire, ne jugum servitutis ipsius a nobis excutere videamur, et mendaciter nos servos servorum Dei, si servi Christi non fuerimus, appellare, qui, si placeremus hominibus, servi Christi secundum Apostolum, non essemus, mediam tamen viam duximus eligendam, volentes, si desuper datum fuerit, et reconciliare hominem Deo, et Deum homini complacare, ut utrique pariter placeamus. Hoc autem tanto facilius credimus obtinere, quanto, etsi caro concupiscat adversus spiritum, et spiritus contra carnem, interior tamen homo divinæ per omnia expositus voluntati, exteriorem facilius ad se trahat, uti, cum uterque adhæserit Deo, unus spiritus sit cum ipso. Quamvis vero invita, non libener, referat auditori, et aures regias regi detrahentium lingua vitet, novit tamen, ut credimus, regia celsitudo, quantum ei, super facto charissimæ in Christo filiæ nostræ, I. reginæ Francorum illustris, non solum ab extraneis, sed regni sui habitatoribus, et domesticis etiam, detrahatur, quantum etiam ex hoc scandalum patiatur Ecclesia generalis, et qualiter in nos culpam universi refundant, asserentes, quod per patientiam nostram circa eam amplius induraris, cui per restitutionem, quam destinationem magis vocant, non solummodo non profuisse nos dicunt, sed potius obfuisse. Ecce etenim, sic publica fama clamat, deterius est hodie in Castro regio restitutæ, quam in monasterio destitutæ fuisset, cum ibi moniales ei essent solatio, cum quibus in lege Domini die meditabatur et nocte, ambulans cum eis in lege Domini cum consensu. Hic autem mulieres, quæ ipsius sunt qualicunque obsequio deputatæ, scandalo sunt eidem, et ei jugiter imprecantes exasperant eam verbis, et factis offendunt; ita, ut jam quasi animam ejus tædeat vitæ suæ, cum non solum eidem reginæ non serviatur regaliter, sed ab aliquibus, quasi serva, serviliter pertractetur. Insuper, præter hoc quod nec in vestibus, nec in cibis, sicut reginam deceret providetur eidem, religiosis etiam ne consolentur eam inter angustias constitutam, et dolores ipsius consolatione possint divinæ paginæ relevare, adeundi eam inhibita est facultas, ita ut, dum non invenit consolantem, videatur carceri mancipata, et lacrymæ ejus die ac nocte sunt panes ipsius. Sane, si nec timor Domini, nec reverentia sedis apostolicæ matris tuæ, nec nobilitas generis, nec sanctitas vitæ ipsius reginæ te sufficienter inducerent, ut eam faceres regaliter pertractari, saltem, ut linguas effugeres detractorum, et nomen bonum, quod multis antefertur divitiis, tibi perpetuo reservares, deberes eidem per honorabiles ministros tuos regaliter et liberaliter providere, nec deputare tales ad ejus obsequium, qui tanquam oderint vitam ejus, ipsius miseriam verbis contumeliosis adaugeant, afflictiones addentes afflictæ, sed qui mœstitiam ejus consolationis antidoto relevarent. Cæterum, ut taceamus ad præsens quantum ex hoc oculos divinæ majestatis offendas, quantum aggraves famam nostram scandalizes Ecclesiam generalem, et lædas potius temetipsum, hoc saltem duximus exprimendum, quod si de regina ipsa quidquam humanitus eveniret, contra te ora omnium laxarentur, quod in necem ipsius fuisses callide machinatus, sicque dicereris partem tui corporis occidisse, nec posses ad alia vota de cætero convolare. Ut igitur ab opprobriis exprobrantium nobis et tibi, vel verius pro te nobis, et nos liberes et te ipsum, rogamus serenitatem regiam, monemus, et exhortamur in Domino, quatenus reginam ipsam de cætero, sicut te decet et ipsam, regaliter facias pertractari, ut ex hoc et Deum tibi reddas propitium, et favorem hominum merearis. Sicut enim ad Dominum conversus fueris, ipse ad te propitius convertetur; sed profecto, si perstiteris in ejus offensa, potius te offendes, et manum ejus, quam in donis sensisti hactenus, senties forsitan in flagellis, cum virgam peccatorum super sortem justorum Dominus non relinquat. Utinam ergo monita nostra, quæ de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta procedunt, non ficta sed vera devotione suscipias, et taliter studeas adimplere quod divinam ex hoc gratiam plenius merearis. Ad hæc, dilecto filio..., abbati Casemarii, nuntio nostro, quem super hoc monitorem duximus deputandum, adeundi reginam ipsam cum viris religiosis liberam tribuas facultatem, ut eam ex parte nostra valeat consolari.

Ferentini, mense Junio.

## LXXXVII.

.... PRÆPOSITO.... DECANO, ET CAPITULO MERSENBURGENSIBUS.

*Archidiaconi Mersenburgensis in episcopum electionem confirmat.*

(Præneste, v Non. Maii).

Cassata quondam electione, quam de dilecto filio... Mersenburgensi archidiacono, temere feceratis, pro eo quod ipse, minus legitime natus, a vobis eligi non debuerat, sed a nobis poterat postulari, in hoc vobis et ei gratiam duximus faciendam, ut, si denuo conveniretis in eum a sede apostolica postulandum, venerabilis frater noster. . . Magdeburgensis archiepiscopus (189), inquireret diligenter, si consensus vester esset canonicus, vel extortus, et si vigeret in archidiacono ipso tam morum honestas, quam scientia litterarum, et id nobis per suas litteras intimaret. Cum ergo convenissetis in ipsum a sede apostolica postulandum, dictus archiepiscopus tam a canonicis, quam ab omnibus prælatis Mersenburgensibus excepto præposito, qui jurare nolebat, ut ferret super his testimonium veritati, recepit juratoriam cautionem, quorum depositiones nobis misit suis litteris interclusas, significans etiam, quod præpositus ipse, licet jurare noluerit, confessus tamen fuerat coram eo, se in eumdem archidiaconum con-

(189) De Magdeburgensi archiepiscopo jam dictum est supra.

venisse cum aliis, et tunc etiam convenire. Nos igitur, inspectis depositionibus juratorum, et diligentius intellectis, didicimus ex eisdem, quod sponte convenerant in archidiaconum memoratum, et quod idem archidiaconus et honestus erat in moribus, et in scientia competenter instructus, et utilis hac tempestate præsertim ad regimen ecclesiæ memoratæ. Quapropter, Mersenburgensi volentes Ecclesiæ providere, propter evidentem utilitatem et necessitatem urgentem, de benignitate sedis apostolicæ gratiam vobis duximus faciendam, postulationem vestram de fratrum nostrorum consilio misericorditer admittentes (190). Monemus igitur discretionem vestram, et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eidem archidiacono, tanquam electo vestro, debitam reverentiam et honorificentiam impendatis, salubria monita et statuta ipsius recipientes humiliter et inviolabiliter observantes. Volumus etiam et mandamus, ut electum ipsum prædicto archiepiscopo præsentetis statutis temporibus ordinandum in presbyterum, et in episcopum consecrandum.

Datum Prænest, v Non. Maii.

## LXXXVIII (191).

SANCTO PAULO.

*Recipitur monasterium S. Pauli de urbe sub protectione Romanæ Ecclesiæ, et enumerantur bona ad eum spectantia.*

(Ferentini, Kal. Junii).

Domino sancto, meritoque beato, prædicatori præcipuo, egregioque doctori, Paulo apostolo, Innocentius, indignus episcopus, servus servorum Dei, reverentiæ votum cum devotione perenni. Cum aliqua tibi, beatissime Paule, vas electionis, et gratiæ prædicator, per privilegii paginam conferre videmur, non nostra concedimus, sed tua potius confirmamus; quia bona omnia quæ habemus, tuis intervenientibus meritis, a Patre luminum, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, nos accepisse fatemur. Ideoque magis tua reputamus esse quam nostra, et utinam ita nostra sint tua, ut tua quoque sint nostra, quatenus qui tuum officium exsequendum suscepimus, ad tuum etiam suscipiamur consortium obtinendum. Sacratissimum itaque monasterium, in quo tuum venerabile corpus celebri memoria requiescit, ad jus et proprietatem apostolicæ sedis jure pertinens spirituali, sub beati Petri coapostoli tui et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam, etc.. *usque* observetur.

Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum in, *usque* poterit adipisci, firma semper et illibata eidem monasterio perseverent. In quibus propriis duximus vocabulis exprimenda : locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est; burgum ejusdem, cum mola et aliis possessionibus adjacentibus; oblationes, tam majoris altaris quam confessionis ipsius et aliorum altarium; Sanctum Mennatem, cum terris et vineis ab utraque parte viæ Scilicinæ usque ad pontem Pisinnan. Centum montes, cum vineis et pratis juxta cœnobium memoratum ; Floran. cum suis pertinentiis ; turrem Joannis de Petro, cum suis pertinentiis quæ antiquo nomine appellantur Draconi Mandram, cum ecclesia et aliis suis pertinentiis ; ecclesiam Sancti Proculi, cum Gualdo, Lapigio et Scizanello, et aliis suis pertinentiis ; Ardeam, cum Rocca sua et turre majori, et ecclesiis suis et aliis pertinentiis; Patticam, cum ecclesiis et pertinentiis in Hostiensi civitate ; ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Salinarum ; Paria septem in Urbe vetere, et decem Paria posita in Albinea, et Paria duo posita in eodem territorio, cum Casamassancia suisque mancipiis; castrum decimi, cum ecclesiis suis, et fila Salinarum in Campo majori et apud Hostiam ; item monasterium Sancti Clementis, cum villa sua ; castrum Fuscinanum, cum suis pertinentiis; possessiones in civitate Velletri, cum ecclesia Sanctæ Mariæ ac cellulis suis ; turrem positam in Terrerevello Lucembrucæ, cum suis pertinentiis ; possessiones in Aricia, cum vineis, hortis, et tenimentis et molis ; in Albano, cellam Sancti Nicolai et cellam Sanctæ Mariæ minoris, et totum palatium, cum suis ecclesiis et pertinentiis; Castellion. cum suis pertinentiis ; tertiam partem Laci Caprulaci, Villeram et Casam novam, cum suis pertinentiis; castrum Ose; castrum Longitiæ ; sanctum Julianum; sanctam Victoriam Cortorulum; medietatem Laci Borani ; Passaran. et montem Porculum, cum omnibus ad prædicta castra pertinentibus; ecclesiam Sancti Laurentii sub columna, et ecclesiam Sanctæ Mariæ in Oliveto, cum omnibus ecclesiis suprascriptorum castrorum, intus et extra ; casam in Anagnia, cum omnibus possessionibus præfato monasterio ibidem collatis; sextam partem in Castellan. de Duscignan.

In civitate Tiburtin. ecclesiam Sanctæ Agathæ, et molas duas in Cornute, et unam in Vesta, et unam in Forma ad portam obscuram, et vineas et oliveta et alias possessiones; Montem Alban. cum omnibus tenimentis ipsius; podium Sancti Christi; castrum Nomentan. et Sanctum Primum, et alias ecclesias, et cryptam Maroham, cum omnibus ad suprascripta castra vel loca pertinentibus; sanctum Marcellin. et podium Caribnæ ; montem Fabalem et castrum Sancti Pauli, cum omnibus ad præscripta

(190) De episcopo Mersenburgensi, cujus electionem hic confirmat pontifex, nihil in promptu habemus. Nominum seriem, sed absque vel minima chronologica nota, exhibet Bucelinus, *German. sacr.* part. I. pag. 42.

(191) Privilegium istud editum est a Margarino tom. I *Bullar. Casin.* constit., 22. Laudatum etiam a Raynaldo, anno 1203, § 67, ubi fragmentum legitur quod hic uncis includitur. Nomina locorum hic recensitorum ab editione Margarini sæpe differunt; sed lectiones apographi, ex officii nostri ratione, fideliter a nobis exhibendæ fuerunt.

castra pertinentibus; monasterium Sanctæ Mariæ montis Dominici, cum suis ecclesiis et pertinentiis; in Marsia, eremum Sanctæ Mariæ montis Armensis, cum cellulis suis, tenimentis et omnibus pertinentiis; ecclesiam Sancti Gregorii de Sublone, cum pertinentiis suis; sanctam Mariam in Casis, cum Girata id est Piscaria in Fucino; sanctum Leonardum supra in Cantora, cum cellulis, villis et molis, et aliis pertinentiis; in Anritemo, hospitale de Casas; in solo Sabinensis, quartam partem Castripozi; in civitate Interamnensi, ecclesiam Sancti Laurentii ad perlem Cæsæ; hospitale apostolorum Jacobi et Bartholomæi, in civitate Tudertina, monasterium Sanctæ Margaritæ, cum suis pertinentiis; apud Struncon. Ecclesiam Sancti Antimi, cum omnibus possessionibus quæ fuerunt Guidon. de sancto Antimo; in comitatu Narniensi, medietatem castri sancti Urbani; apud Ameriam, hospitale Sancti Jacobi de Redden. Ecclesiam Sancti Magni in Ponte, et ecclesiam Sancti Cathaldi prope castrum Toran. cum eorum pertinentiis; in civitate Castellana, dominia et possessiones quæ fuerunt Rainaldi Guideruldi, cum ecclesiis Sancti Eutitii intus, et Sancti Joannis extra; ecclesiam Sancti Stephani in castello et burgo suo juxta civitatem Struinam, cum omnibus pertinentiis et utilitatibus suis; castrum Sanctæ Severæ, cum ecclesia et pertinentiis suis; monasterium Sancti Benedicti Nepsin. Positum in Pentorn. et massam quæ vocatur Ulmetum, et massam quæ vocatur Malan. positas in territorio Nepesin. et quidquid habet a Ponte Nepesin. usque ad montem Rosulum, et lacum qui vocatur Janula; castrum vaccaritiæ, cum ecclesia Sanctæ Christinæ, et aliis ecclesiis et pertinentiis suis; castrum Lepriniani, cum suis ecclesiis et pertinentiis; Flaianum, cum suis pertinentiis, civitatem Colorum, cum suis ecclesiis et pertinentiis; civitatem Stertinian. cum ecclesia Sancti Joannis, et lacu cum suis pertinentiis; in Episcopatu Narnien. Ecclesiam Sancti Nicolai de monte Maselan. Castrum Raian. cum suis pertinentiis, et castrum novum, et castrum Tornelli; Romæ, ecclesiam Sancti Nicolai de Forma; ecclesiam Sancti Sergii in Surbura, Piscarias in flumine, in loco qui dicitur Marmorata, Anditum dominicum, et Postam, et alias in eodem flumine, subter Roma, pensiones et hortos, et omnia quæ inter urbem et extra idem monasterium noscitur obtinere. Ad hoc, libertates et immunitates eidem monasterio *usque* confirmamus.

Statuimus insuper, ut præfatum monasterium nulli prosus in aliquo nisi Romano tantum pontifici sit subjectum, nec ibi aliquis præter eum quamlibet juridictionem exerceat, aut aliquam vindicet potestatem. Abbati vero ipsius venerabilis loci, præsentis privilegii auctoritate concedimus, ut ad honorem et laudem Altissimi, cum mitra et annulo, sandaliis, tunica et dalmatica, missarum solemnia pro tuæ celebret reverentia sanctitatis, et astanti clero ac populo benedicat, ita quidem ut, si per

A manus Romani pontificis in sacerdotem fuit ordinatus super majus altare licentiam habeat celebrandi; consecrationes autem altarium et ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque maluerint abbas et monachi ejusdem monasterii catholico duntaxat episcopo, apostolica freti auctoritate, suscipiant, quas sine difficultate ac pravitate præcipimus exhiberi. Minores autem ordines, monachis suis idem abbas, dummodo sit presbyter, de nostra poterit indulgentia, cum necesse fuerit, exhibere; cui benedicendi etiam indumenta, quæ ad usum altaris in eodem monasterio fuerint necessaria; concedimus potestatem. Interdicimus quoque præsenti decreto, ut nullus omnino sine speciali mandato Romani pontificis

B in abbatem in monachos ejusdem cœnobii, ubicunque morantes, suspensionis aut excommunicationis sententiam promulgare, vel eos ad synodum vocare præsumat, sed neque clericos, præsertim oblatos, in illis ecclesiis permanentes, in quibus non ad episcopos sed ad ipsum abbatem institutio et destitutio ac correctio dignoscitur pertinere. Quod si quisquam in eos hujusmodi sententias promulgaret, illas decernimus irritas et inanes. Obeunte vero ejusdem loci abbate, nullus ibi qualibet astutia seu violenta præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars major consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, de ipsa congregatione, si tamen in ea per examinationem Romani pontificis reperiatur idoneus, duxerint eligendum. Si vero, quod absit! in eodem mo-

C nasterio non posset quisquam idoneus reperiri, tunc Romanus pontifex de alia congregatione præfato monasterio personam idoneam præficiat in abbatem. Præterea, felicis recordationis Gregorii papæ, prædecessoris nostri, vestigiis inhærentes, remittimus monasterio memorato debitum vini, verris et vaccæ, quod antiquis temporibus prædecessoribus nostris consueverat exhiberi; salvis gratuitis obsequiis et consuetis exeniis; quæ in festo Nativitatis et Resurectionis Dominicæ apostolicæ sedi debent annuatim impendi. Liceat quoque abbati, et conventui monasterii memorati fratrum suorum testimoniis in propriis causis uti, sive civilem sive criminalem contineant quæstionem, etc., *usque* deperire; clericos etiam, sive laicos liberos et absolutos, e sæculo

D fugientes, licite ad conversionem recipiant et eos absque aliqua contradictione retentent.

Cum autem generale fuerit interdictum, licitum sit eisdem ibique manentibus, exclusis excommunicatis et interdictis, submissa voce non pulsatis campanis divina officia celebrare. Cæterum, cum idem monasterium spirituale membrum apostolicæ sedis et propria Romani pontificis sedes existat, statuimus et sancimus, ut, sicut contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio, secundum constitutiones canonicas et legitimas sanctiones, ita quoque præfato monasterio minoris temporis præscriptio non obsistat. Sepulturam

quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum. etc., *usque* a quibus assumpta fuerint corpora mortuorum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium, etc., *usque* profutura salva sedis apostolicæ auctoritate, ac in parochialibus ecclesiis diœcesanorum episcoporum justitia consueta, illis exceptis in quibus plenum jus idem monasterium hactenus dignoscitur habuisse. Si qua igitur in futurum, etc., *usque* subjaceant: cunctis autem, etc., *usque* inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Ferentini, per manum Joannis, sanctæ Romanæ ecclesiæ, subdiaconi et notarii, primo Junii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1203, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno sexto.

LXXXIX (192).

......DUNELMENSI EPISCOPO; DECANO, ET....... PRIORI SANCTÆ TRINITATIS EBORACENSIBUS.

*Ut testes, in causa quæ super statu ecclesiæ Menevensis vertebatur, audiant.*

(Ferentini, XIV Kal. Julii.)

[Cum olim *dilectus filius* (193) G. archidiaconus Menevensis, adversus *venerabilem fratrem nostrum*... Cantuariensem archiepiscopum, super statu Menevensis ecclesiæ *proposuisset in nostra et fratrum nostrorum præsentia* (194) quæstionem :] archiepiscopo ipsi per litteras nostras dedimus in mandatis, ut, per se vel procuratorem idoneum, ad præsentiam nostram super hoc accederet responsurus. Verum, cum ipse nec venisset nec misisset propter hoc idoneum responsalem; volentes Menevensi Ecclesiæ paterna sollicitudine providere, causam super hoc venerabili fratri nostro.... episcopo Eliensi, et dilectis filiis.... Londoniensi decano, et... archidiacono de Botingeham, sub certa forma duximus committendam (195), a quibus non fuit hactenus juxta mandatum nostrum in ipsa processum. Ne igitur causa ipsa remaneat indecisa, discretioni vestræ per apostolica scripta [mandamus quatenus, nisi pars adversa prædictum archidiaconum per exceptionem legitimam repellere valeat ab agendo, partibus, si poterit fieri, vel procuratoribus earum, ad locum idoneum et securum per nuntios vestros et litteras convocatis, et lite legitime contestata, testes quos archiepiscopus duxerit producendos in Anglia, et quos archidiaconus *producere voluerit contra eum* (196) in Wallia, recipere procuretis. Verum, si archiepiscopus citatus legitime, *coram vobis*, per se vel procuratorem idoneum, noluerit comparere aut litem etiam contestari, vos *nihilominus* (197) senes et valetudinarios quos archidiaconus, per se vel procuratorem suum, duxerit producendos, sublato *cujuslibet contradictionis* (198) et appellationis obstaculo, admittatis, depositiones eorum conscriptas, *et vestris sigillis inclusas*, ad sedem curetis apostolicam destinare, statuentes partibus peremptorium terminum *competentem*, quo, per se vel responsales idoneos, nostro se conspectui repræsentent, justitiam recepturæ], etc. Testes, etc. Nullis, etc. Quod si tu ea, etc. frater episcope, cum eorum altero.

Datum Ferentini, XIV Kal. Julii, pontificatus nostri anno sexto.

XC.

....... EXONIENSI (199) EPISCOPO, ET ELECTO...,.. BURGENSI.

*Ut inquirant adversus episcopum Astoricensem.*

(Ferentini, XV Kal. Julii.)

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius, D... Astoricensis canonicus, contra venerabilem fratrem nostrum...... Astoricensem episcopum, enormia multa proposuit coram nobis, super quibus eum intendit criminabiliter accusare; videlicet quod, suo adhuc prædecessore vivente, ac a sede sua violenter ejecto, et episcopatu etiam spoliato, locum ejus per ambitionem temerarius usurpavit; quodque sit perjurii crimine ac simoniæ pravitate pollutus; duos insuper homicidas promoverit, unum in archidiaconum, et alterum non legitime natum ad officium diaconatus assumens. Præterea, quod super homicidio publica laboraret infamia, videlicet quod magistrum Michaelem, legum doctorem, interfici fecerit veneni maleficio procurato. Quia igitur enormitates hujusmodi sub dissimulatione transiri non debent, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, causam ipsam usque ad diffinitionis calculum diligenter examinare curetis, ipsamque sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo venient quod justitia dictaverit recepturæ; ad quem si venire neglexerint, nos, quantum de jure poterimus, nihilominus procedemus.

Datum Ferentini, XV kal. Julii.

XCI.

NOBILI VIRO...... COMITI DUNECANO.

*Compositionem inter ipsum et ecclesiam S. Andreæ provide factam confirmat.*

Solet annuere, etc. *usque* impertiri. Cum autem inter te et ecclesiam S. Andreæ, super jure patronatus quarumdam ecclesiarum et terris, controver-

(192) Exstat in libello *De jure et statu Menevens. eccles.* pag. 590. Vide epistolam hujusce libri sexti 74. Refertur etiam, sed mutila, inter Decretales, lib. II tit. 20, *De testibus et attestationibus*, cap. 34. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(193) Desunt in Decretal. verba *dil. fil.*, et modo, *ven. fr. n.*

(194) Decretal. legunt *præposuerit*, omitt. *in n. et f. n. pr.*

(195) Litterarum, de quibus hic agitur, fragmentum exhibet Giraldus in libello jam citato pag. 550.

(196) Decretal. legunt, *duxerit producendos*, et infra, *vel* pro *cor. vob.*

(197) In Decretal., *testes maxime.*

(198) Desunt in Decretal. hæc verba, et infra quæ charactere Italico distinguimus.

(199) Legendum videtur *Oxomensi.*

sia fuisset diutius ventilata, tandem in præsentia dilecti filii, J. tituli S. Stephani in Cœlio monte presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, et charissimi in Christo filii nostri, W. illustris regis Scotiæ, bonæ memoriæ R. tunc temporis episcopi ejusdem Ecclesiæ, accedente consensu, inter te et ipsam ecclesiam amicabiliter compositio intervenit, quam apostolico postulasti confirmari rescripto. Nos igitur, nobilitatis tuæ præcibus annuentes, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et pacifice hactenus observata, et in scriptis exinde confectis plenarie continetur, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nuli ergo, etc. Dat. Ferentini, xv Kal. Julii.

XCII.

EPISCOPO GERUNDINENSI (200).

*De uno qui matrem et filiam carnaliter cognoverat.*

(Ferentini, XIII Kal. Julii.)

[Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, (201) G. lator earum, *aperta nobis confessione monstravit, quod* (202)... matrem cujusdam puellæ quam infra nubiles annos desponsaverat in uxorem carnaliter sæpe cognovit, et postmodum carnali commistione puellam tractarit adultam]. Unde ipsius viri animæ provideri humiliter postulasti, et utrum mulieri ad secundas nuptias, ipso vivente, liceat convolare, cum hoc factum publicum et notorium habeatur. [Nos autem eidem viro pœnitentiam injungi fecimus pro peccato: consultationi tuæ taliter respondentes, quod, si res ita se habet, eis ad invicem penitus separatis, mulier alteri viro non nubat, si, postquam novit viri et matris delictum, se carnaliter illi non erubuit commisceri. Vir etiam et mater mulieris ipsius nunquam debent ad alias nuptias convolare, sed semper continentiam servare tenentur, et enorme deflere delictum, quod ex tam nefanda libidine contraxerunt, præsertim, si circa personas hujusmodi de lapsu carnis minime timeatur.

Datum Ferentini, XIII Kal. Julii.

XCIII (203).

MONACHIS MONTI REGALIS, JATI ET CALATETRASII CASTELLA TENENTIBUS, ET COMPLICIBUS EORUM: SINE SALUTATIONE.

*Ut ipsorum archiepiscopo, ab ipsis graviter offenso, satisfactionem condignam exhibeant.*

(Ferentini, xv Kal. Julii.)

Quod vobis apostolicæ salutationis allloquium non impendimus, ex vestra noveritis nequitia provenire. Gravissimam etenim ex parte venerabilis fratris nostri, archiepiscopi vestri (204), noveritis nos accepisse querelam, quod, ei rebelles effecti, prædicta castella et thesaurum ecclesiæ nequiter detinetis, et ea vivendo luxuriose vastatis, de quibus excommunicatis et hostibus ad oppressionem ejus-

A dem archiepiscopi largissime ministrantes, ipsi nec in modico subvenitis. Cancellario primo, et fratri ejus secundo, damnatæ memoriæ Marcualdo, et nunc tertio, W. Capparono, jurastis, et, contra præstitum juramentum, secretum quoddam quod debebat caute celari, non expavistis nequiter revelare, unde mala omnia, quæ Panormi et per Siciliam ab eodem Marcualdo sunt perpetrata, provenisse videntur. Insuper, thesauro ecclesiæ profligato, præfatum archiepiscopum per mensem et amplius obsedistis, et, cum nihil potuissetis in obsidione proficere, erogata pecunia prædictum Capparonum ad ipsum obsidendum adducere minime dubitastis, quem, datis uxori suæ magnis cupis argenteis et dalmatica de hulla (205), valente plus quam mille tarenos, ad
B hoc induxistis, ut homines ipsius archiepiscopi caperet, torqueret et mutilaret, et amicos et consanguineos ejus faceret exsulare. Nuntios quoque ipsius ad sedem apostolicam venientes anno præterito apud Messanam capi fecistis et male torqueri. Obedientias etiam Ecclesiæ quæ vobis sunt attributæ, cupiditate rapacissima destruentes, redditus earum, contra Regulam beati Benedicti, in vestram proprietatem convertistis, archiepiscopo nihil aut modicum erogantes, cum sint redditus earum decem milium tarenorum. Ad hæc, sepulcrum bonæ memoriæ G. archiepiscopi, prædecessoris, ejus, præsumptione sacrilega violastis, et subtractis inde archiepiscopalibus indumentis, et sepulcro semitecto relicto, estis in cum similia comminati. Pro quibus et aliis multis excessibus, et quia mandato
C nostro doluistis aliquatenus obedire, in vos excommunicationis sententiam promulgavit, sed vos, in malitia vestra damnabiliter obstinati, pastoris vestri censuram nullatenus formidatis. Quia igitur tanta scelera nec volumus nec debemus ulterius sustinere, per apostolica vobis scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus prædicta castra pariter et thesaurum jam dicto archiepiscopo, omni occasione et excusatione ac dilatione cessantibus, resignetis, eique de universis excessibus memoratis satisfactionem congruam studeatis humiliter exhibere, ipsi tanquam Patri et pastori vestro debitam obedientiam et reverentiam exhibendo. Quod si in obstinatione et contumacia vestra duxeritis persistendum, sententiam, quam ipse in vos canonice
D promulgavit, nos ratam et firmam habentes, eam faciemus auctore Domino inviolabiter observari, et potestis insuper formidare, ne, vobis, vestra promerente malitia, prorsus exclusis, idem archiepiscopus, auctoritate sedis apostolicæ, vel regulares canonicos in ipsa ecclesia, vel clericos instituat sæculares.

Datum Ferentini, xv Kal. Julii.

(200) Exstat, sed aliquantum mutila, inter Decretales, lib. IV, tit. 13. *De eo qui cognoverit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ*, cap. 8.

(201) In Decret., *quod*.

(202) Desunt hæc verba in Decretalibus.

(203) Epistolam hanc laudant Raynaldus, anno 1203, § 64; et Roc Pirrhus, *Sicil. Sacr.* t. I, pag. 405.

(204) Vide supra epist. libri quinti 89, not.

(205) Sic in apogr.

## XCIV.

ILLUSTR. REGI CASTELLÆ.

*Abbatem et conventum Trianenses ipsi commendat.*

(Ferentini, XIV Kal. Julii

Quanto majorem ille, per quem reges regnant et principes dominantur, inter homines tibi contulit potestatem, tanto ecclesias et monasteria regni tui in quibus pro vivis ac defunctis assidue Dominus exoratur, benignius debes et studiosius confovere, ut viri religiosi sint orationibus pro tua populique tibi subjecti salute libere ac libenter intenti, cum a molestationibus seculi regia fuerint protectione securi. Hac igitur confidentia provocati, dilectum filium... abbatem, et conventum Trianensis Ecclesiæ, regali celsitudini propensius commendantes, per apostolica scripta rogamus, monemus attente, et in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus divino intuitu, et pro reverentia B. Petri et nostra, prædictam Ecclesiam, tanquam Romanæ Ecclesiæ filiam specialem, nec non memoratos abbatem et conventum, eorumque jura, ab omnium injusto gravamine et indebita molestatione defendas, eosque in ordine suo et concessa sibi ab apostolica sede libertate conserves, sicut in privilegio, ad precum tuarum instantiam a bonæ memoriæ Cœlestino papa, prædecessore nostro, ipsis indulto noscitur contineri. Nolumus autem regiam excellentiam reputare molestum, quod petitionem tuam super eo, quod sæpedictam ecclesiam in potestatem Monasterii S. Facundii redigi postulabas, non duximus admittendam, cum id de jure facere non possemus.

Dat. Ferentini. XIV Kal. Julii.

## XCV.

CANTORI, POENITENTIARIO, WILLELMO ALBOINI, SUBDIACONO PAPÆ, CANONICO, LEMOVICENSIBUS.

*Ut A. Taines, subdiaconum, in canonicum et fratrem a præposito et capitulo S. Juniani, juxta tenorem mandati apostolici de hoc jam dati, recipi faciant.*

(Ferentini, XIV, Kal. Julii.)

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius, A. Taines, subdiaconus, nostris auribus intimavit, quod, cum olim dilectis filiis... præposito, et capitulo Sancti Juniani scripserimus, ut eum in canonicum reciperent et in fratrem, dilecto filio... abbate Vosiensi (206), illi procuratore concesso, ut eos, nisi causam ostenderent sufficientem et justam quare non esset recipiendus ab eis, per districtionem ecclesiasticam omni appellatione et dilatione cessante, compelleret ad receptionem ipsius, idem abbas diem partibus sæpius assignavit. In cujus tandem præsentia quibusdam ex canonicis ipsius ecclesiæ ex parte universitatis, et ipso subdiacono A constitutis, ipsi subdiacono fuit objectum, quod manus injecerat in clericum violentas, et quod non suppetebant ecclesiæ facultates. Verum subdiaconus, ipse, cum ad probandam injectionem manuum violentarum tantum testes de auditu inducti fuissent, purgationem suæ innocentiæ præsentavit; et licet per testes partis ostenderetur adversæ, ecclesiæ non suppetere facultates, evidenter tamen probavit econtra, quod, postquam super receptione ipsius apostolicum mandatum receperant, quatuor qui residentiam in eadem ecclesia faciebant, duosque non residentes canonicos, et unum præbendarium residentem etiam decessisse (207). Cumque super his aliis fuisset coram eodem litigatum abbate, tandem, cum super prolatione sententiæ B dubitaret, negotium ipsum apostolicæ sedis provisioni remisit. Nos autem, eidem subdiacono, et P. presbytero, qui pro parte venit adversa, dilectum filium, B. (208) tituli S. Susannæ presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, in cujus præsentia cum multa fuissent ab utraque parte proposita, et nobis postmodum ab ipso relata, quia in litteris jam dicti continebatur abbatis, quod de canonicorum obitu prædictorum ei constitit manifeste, sicut superius est expressum, nihilque fuerat contra subdiaconum probatum eumdem, quominus haberetur idoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum ne provisione, in qua ei apostolicæ sedis benignitas subveniri mandaverat, fraudaretur, eum loco unius defunctorum decrevimus admittendum. Ideoque, C discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, nisi dicti præpositus et capitulum, ad monitionem vestram, subdiaconum ipsum, prout est decretum a nobis, in canonicum receperint et in fratrem, vos, auctoritate nostra suffulti, eum in præbendæ possessionem illius corporaliter inducentes, ei stallum in choro et locum in Capitulo, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, assignetis. Contradictores... nec obstet præpositi jam dicti absentia, cum Parisiis morari dicatur, si capitulum eam ad elusionem mandati nostri duxerint allegandam. Taliter autem mandatum apostolicum impleatis, quod idem subdiaconus non cogatur propter hoc ad sedem apostolicam amplius laborare. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

D Datum XIV Kal. Julii, anno sexto.

## XCVI

EPISCOPO ELIENSI (209), ABBATI DE TARRETON (210), ET DECANO LINCOLNIENSI (211).

*Ut clerici a priore et canonicis de Hikerham, in ipsorum ecclesiis præsentati ab archiepiscopo Eboracensi admittantur.*

(Ferentini, XI Kal. Julii.)

Dilecti filii... prior et canonici de Hikerham

(206) Petrus V. abbas Vosiensis, anno 1202, indictione V; mox Raimundus, anno 1205, in instrumentis reperiuntur *Gall. Christ.* t. II, col. 596.

(207) Sic in apogr.

(288) Vide epistolam libri tertii 54, not.

(209) De episcopo Eliensi dictum est, lib. V, epist. 54.

(210) De abbatibus Tarretanensibus, nihil in promptu habemus.

(211) Vide supra.

transmissa nobis petitione monstrarunt, quod venerabilis frater noster, archiepiscopus Eboracensis, et officiales ejus, in ecclesiis suis ad præsentationem eorum clericos, contra tenorem privilegiorum suorum, contemnunt admittere pro suæ arbitrio voluntatis. Nolentes igitur, ut propter hoc dictorum fratrum Ecclesiæ sustineant detrimentum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si prædictus archiepiscopus, et officiales ejus personas idoneas sibi a fratribus ipsis canonice præsentatas admittere ad regimen ecclesiarum illorum malitiose distulerint, vos eas ad canonicam præsentationem eorum, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstante, admittere procuretis; ita tamen, quod propter hoc successoribus ejusdem archiepiscopi nullum imposterum præjudicium generetur. Quod si non omnes, etc. Tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Ferentini, xi Kal. Julii.

## XCVII (212).

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI (213), EPISCOPO CATURCENSI (214).

*Ut capellanos et Burgenses castri Lemovicensis corrigant.*

Olim primo vobis, et secundo tibi et suffraganeis tuis, frater archiepiscope, dedimus in mandatis, ut sententias interdicti in Burgenses et castrum Lemovicenses, propter excessus multiplices et enormes, et suspensionis et excommunicationis in capellanos dicti castri, propter inobedientiam eorum et contumaciam, a venerabili fratre nostro, Lemovicensi (215) episcopo, promulgatas, sicut rationabiliter latæ fuerint, faceretis per Bituricensem provinciam, usque ad satisfactionem idoneam, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Adjecimus etiam in secundo mandato, ut, si dicti clerici et capellani admoniti, episcopo suo contemnerent infra mensem satisfactionem debitam exhibere, compelleretis eosdem per eamdem censuram, appellatione cessante, ad sedem apostolicam cum vestrarum testimonio litterarum venire suspensos. Licet autem mandatum apostolicum quantum fuit in vobis devote fueritis exsecuti, dicti tamen capellani et clerici, non redeuntes ad cor, sed illud cum Pharaone potius indurantes, non solum in sua pertinacia perstiterunt, sed de die in diem obstinatiores effecti, ut novissimus error deterior sit priore, in ecclesiis dicti castri ea, quæ damnatam hæresim sapiunt, prædicant manifeste, qui excommunicati divina non metuunt officia celebrare; Burgenses insuper, sicut ex litteris episcopi præfati accepimus, capellanis ecclesiarum et monachis Sancti Martialis expulsis, bona ceperunt eorum, matronas et alios qui excommunicationis sententiam metuentes ad eorum officium non accedunt, eos etiam, qui in die Paschæ ab ipsorum manibus corpus Christi recipere noluerunt, pœna pecuniaria punientes. Cum igitur novorum curationi morborum novis semper sit remediis occurrendum, et ferrum apponendum sit vulneri, quod fomenti remedium non admittit, ne pars sincera trahatur, cum morbus pestilens jam subrepat, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, si clerici et capellani prædicti ad commonitionem vestram, infra mensem post susceptionem præsentium, non satisfecerint juxta priori mandati nostri tenorem, vos eos, auctoritate nostra suffulti, beneficiis, appellatione remota, privetis. Quod si nec sic eis vexatio dederit intellectum, et infra mensem alium a sua noluerint iniquitate desistere, vos ipsos auctoritate apostolica solemniter ab officiis deponatis, uti sic inobedientes, et contumaces, qui hæc audierint, terreantur, et in partibus illis, quæ jam quasi exstincta videtur scintillula correctionis eclesiasticæ reviviscat.

Datum Ferentini vi Idus Junii, anno sexto.

## XCVIII.

EPISCOPO (216), ET WILLELMO ALBOINI, CANONICO, LUMOVICENSIBES.

*Causam Assaliti clerici decanum et capitulum Sancti Aredii molestantis examinandam ipsis committit.*

(Ferentini, xii Kal. Julii.)

Ex parte decani et capituli ecclesiæ S. Aredii nostris fuit auribus intimatum, quod cum venerabilis frater noster, O. (217) Hostiensis episcopus, olim in partibus vestris apostolicæ sedis legatus, eis dederit in mandatis ut Assalitum clericum in canonicum reciperent et in fratrem; tandem, quia contra eumdem clericum fuit exceptum ab illis quod esset ex duplici adulterio procreatus, ipsumque propter hoc recipere recusarent, præsertim cum juramento teneantur astricti nullum in canonicum recipere talem, episcopus ipse, sicut in ejus litteris perspeximus contineri, factum ejus duxit in patientia tolerandum, dummodo Hel. nepos Hel. fratris Grandimontensis, reciperetur ab illis; quo ad preces ejus benigne recepto, episcopus Assalito jam dicto, ne spe quam de precibus ejus conceperat frustraretur, in ecclesia Sancti Frontonis, supradicta ecclesia longe nobiliori, providit. Cæterum, idem A. ut prædictos decanum et capitulum super receptione sua iterum infestaret, ad apostolicam sedem accedens, ad venerabilem fratrem nostrum, Burdegalensem achiepiscopum, et dilectum filium..... abbatem Albeterrensem, litteras veritate tacita impetravit; quo audito decanus et capitulum, antequam

(212) Laudatur hæc epistola a Bzovio, *Annal.* tom. XIII, pag. 101, § 11; nec non a Raynaldo, anno 1203, § 51.

(213) Vide epistolam libri tertii 43, not.

(214) Guillelmi III. episcopi Cadurcensis, mentio fit in instrumentis, ann. 1199 et 1202. Sed vacabat sedes Cadurcensis Ecclesiæ, anno 1206. *Gall. Christ.* tom. I, col. 131.

(215) Vide epistolam libri quinti 68, not.

(216) Vide epistolam libri quinti 78, not.

(217) Epist. lib. tertii 11, not.

per ipsas litteras citarentur, sedem apostolicam appellarunt. Judices vero, appellatione contempta, licet ad eos nequaquam accedere, nec ipsi etiam ire possent propter guerrarum tumulus ad illos, mandarunt eos tanquam excommunicatos ab omnibus evitari. Bernardo ergo, presbytero, pro jam dictis decano et capitulo, et magistro P. Aimerici Boiol pro parte altera, procuratoribus in nostra præsentia constitutis, et petentibus eorum rationes audiri, dilectum filium, L. (218) tituli S. Crucis presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, qui ea quæ fuerunt coram ipso proposita nobis retulit diligenter. Nos autem, nolentes aliquem injuste gravari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, si vobis constiterit Assalito jam dicto, postquam fuit contra eum, sicut superius continetur, exceptum, in supradicta ecclesia Sanctis Frontonis per præfatum episcopum fuisse provisum, et alterum in ecclesia Sancti Arcdii ad preces episcopi receptum ejusdem, vos ipsum Assalitun, a molestatione decani et capituli prædictorum faciatis per discretionem ecclesiasticam, appellatione remota, cessare; illi super hoc perpetuum silentium imponentes, et reducentes in irritum quidquid contra eos et illorum ecclesiam, prædictarum litterarum occasione, temere noveritis attemptatum. Alioquin, eum recipi faciatis in canonicum et in fratrem, dummodo nihil ei obstet de canonicis institutis; contradictores monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Ferentini, XII Kal. Julii anno sexto.

## XCIX (219).

### LITTERÆ CRUCESIGNATORUM AD PAPAM.

### *De absolutione facti Jaderæ.*

Sanctissimo Patri et charissimo domino, I. Dei gratia summo pontifici, B. Flandriæ et Hainoviæ, L. Blezensis et Claromontensis, et H. S. Pauli comites, milites sui, cum promptissima ad omne obsequium voluntate, oscula pedum. Intellecto paternitatis vestræ mandato, et tam vestris quam venerabilis Patris, P. tituli S. Marcelli presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, litteris per nuntium ipsius et nostros veneratione condigna receptis, prompta sumus devotione in omnibus executi, et secundum formam expressam in litteris vestris juramento præstito, sive recognito, absolutionis apostolicæ sumus beneficium consecuti, et litteras quas petistis, juxta mandatum dicti legati eidem remisimus, quarum etiam tenorem per latorem præsentium apostolatui vestro duximus intimandum, de vestra apostolica pietate confisi, quod mandatum vestrum, quantumcunque ex paterna severitate dure sonet exterius, pro obedientia filiorum et devotione promptissima nihil nobis vel hæredibus nostris interius continere debeat captiosum. Tenor siquidem dictarum litterarum hic est (220). [B. Flandr. et Hain. L. Blezen. et Clar. et H. S. Pauli comites, Oddo de Chanliet, et W. frater ejus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino. Notum fieri volumus, quod super eo quod apud Jaderam incurrimus excommunicationem apostolicam, vel incurrisse nos timemus, tam nos quam successores nostros sedi apostolicæ obligamus, quod ad mandatum ejus satisfactionem curabimus exhibere.

Datum apud Jaderam, anno Domini 1203, mense Aprilis.]

Sane, litteris istis sigilla nostra comitum sine contradictione libenter appendimus, sed baronum sequentium, hoc est Od et W. fratris ejus intelleximus defuisse, licet et barones se esse confessi sint, sicut ab illis accepimus, quibus fuit absolutionis vestræ officium delegatum, et illis injunctum fuerit, in virtute præstiti juramenti statim absolutione concessa, ut litteras quas recepistis emitterent. Super facto autem illustris viri ac principis exercitus nostri, marchionis Montisferrati, quo videlicet, pro apostolica reverentia et de conservatione stolii vestra voluntate complenda, ostensionem litterarum vestrarum humiliter impedivit ad tempus, donec videlicet iterata jussione sanctitas vestra præciperet quod in hac tempestate super his agendum foret, supplicamus piissime paternitati vestræ, ut divini amoris intuitu non feratis indigne; certissime tenentibus vobis, quod, si ostensæ fuissent litteræ.... duci et Venetis, eo loco et tempore, quod ipsa die, et stolium ruptum, et nunc fuisset dissolutus exercitus. Sane, per magistrum Joannem Noviomensem, nuntium nostrum, accepimus, quod ipse pro dissimulanda excommunicatione Venetorum ad tempus pro ipso periculo dissolutionis exercitus, paternitati vestræ propensius supplicasset, et non fuisset auditus, et quod super hoc imposuisset ei præceptio vestra silentium. Nihilominus tamen voluntatem vestram inquirere iterata consultatione maluimus, quam in corporum et animarum nostrarum periculum, et terræ sanctæ desolationem, et inimicorum crucis insultationem atque derisum, contra voluntatem etiam vestram, sicut omnino credimus, et per nuntios vestros intelleximus, per dictarum ostensionem litterarum stolium scinderetur. Illud autem certissime teneat paternitatis vestræ discretio, quod quidquid super litteris eisdem præceperit jussione, quidquid inde contingere debeat, sive dictus marchio, sive cuicunque ex nobis injunxeritis, faciet incunctanter.

(218) Vide epistolam libri quinti 5, not.

(219) Vide Raynaldum, anno 1203 § 5. Vide etiam Bzovium *Annal.* t. XIII, pag. 99, § 3.

(220) Hæc apud Raynaldum leguntur.

## C (221).

LITTERÆ MARCHIONIS MONTISFERRATAI.

*Litterarum pontificis suppressionem excusat.*

[Sanctissimo Patri et domino I, divina Providentia summo pontifici, Bonifacius. marchio Montisferrati, cum osculo pedum paratam ad omne obsequium voluntatem. Paternitatis vestræ litteris a baronibus exercitus signatorum acceptis, et cum omni reverentia et devotione præstito, sive recognito, juramento, absolutionis beneficium apostolicæ consecutis, per nuntium venerabilis Patris nostri, P. tituli S. Marcelli presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, communicato baronum consilio, intellexi super facto Jaderæ per eumdem nuntium ad ducem et Venetos a sede apostolica excommunicationis litteras emanasse. Attendens igitur, imo tenens pro certo quod eo loco et tempore litteræ vestræ nullatenus possent ostendi, quin statim noster dissolveretur exercitus et stolium rumperetur, reminiscensque de consilio vestro multa dissimulanda fore loco et tempore, si Veneti ad dissolutionem stolii aspirarent, divini amoris intuitu, nec non et pro sedis apostolicæ reverentia, a qua stolium et nuntium habuit, et postea firmamentum, consilium habui litteras illas ad tempus supprimendas, donec mandatum vestrum atque consilium iterata perciperem jussione, easque de manu nuntii vestri cum omni humilitate, flexis genibus, magno compunctionis et devotionis spiritu suscepi, viroque religioso... abbati Laudensi, ad tempus tradidi conservandas, super hoc potius obedientiæ filialis expectans meritum, quam apostolicæ indignationis offensam ex piæ intentionis actu necessari incurrisse. Intellexi etiam a duce et a quibusdam Venetis, familiaribus meis, quod super facto Jaderæ nuntium proprium incontinenti vestræ transmitterent sanctitati, qui utrum hactenus ad sedem apostolicam pervenerit ignoramus, qua spe suspensus nuntium hactenus distuli transmittendum. Hinc est quod paternitati vestræ cum omni devotionis et humilitatis affectu supplico, ut vestrarum suppressio litterarum, quæ quidem humilitatis meæ ministerio facta est, et discretionis ac pietatis vestræ confidentia, pacis vestræ tranquillitatem in aliquo non moveat vel conturbet, præsertim cum ego et barones exercitus mandatum vestrum parati sumus exsequi, quidquid iterata nobis injunxeritis jussione. Confidimus etenim quod circumspectioni vestræ magis complaceat ex sustinentia modica stolium similiter stare, quam ex litterarum vestrarum ostensione subita deperisse.] Cæterum, simplicitatem hujus nuntii sic excuso, quod ea tempestate et tanta difficultate meatus non habui promptiorem.

—

(221) Epistola hæc fere integra legitur apud Raynaldum., anno 1203, § 6. Eamdem laudavit Bzovius, *Annal.* t. XIII, p. 99, § III



## CI (222).

MARCHIONI MONTISFERRATI, B. FLANDRIÆ, L. BLESENSI ET H. SANCTI PAULI COMITIBUS.

*Ut in subsidium Terræ sanctæ transfretent.*

(Ferentini, an. VI.)

[Cum in manu valida et extento brachio egressi fueritis de Ægypto, ut vos ipsos Domino in sacrificium offerretis, doluimus non modicum et dolemus quod Pharao vos persequitur fugientes, vel vos potius sequimini Pharaonem, qui vos, sub quadam necessitatis specie ac velamine pietatis, sub jugo peccati vetustæ nititur subdere servituti.] Doluimus autem sicut præmisimus, et dolemus pro nobis pariter et vobis et pro universo populo Christiano. Pro nobis, quia, dum quod seminaverimus in lacrymis, per legatos et litteras nostras, vobis et aliis sæpius, non absque quadam amaritudine cordis et corporis anxietate non modica, verbum Domini proponentes, et exhortantes nominis Christiani cultores ad vindicandam injuriam Jesu Christi, credebamus nos in exultatione messuros, ex improviso messi nostræ inimicus homo superseminavit zizania, et sic semina vitiavit, ut in lolium degenerasse triticum videatur. Pro vobis autem, quoniam, cum expurgassetis vetus fermentum, et crederemini jam penitus veterem hominem cum suis actibus exuisse, modicum fermenti, et utinam modicum, corrupit denuo totam massam, et dum vestimenta vestra candida non servatis quasi veterem reinduistis amictum, manum retrahentes ab aratro, et respicientes cum conjuge Loth retrorsum ; ita ut jam apti non videremini, secundum Apostolum, regno Dei. [Pro populo autem Christiano doluimus et dolemus, quoniam inde humiliatur amplius unde credebatur potius exaltari. Cum enim multi qui vos præcesserant in Terræ sanctæ succursum, quod non ascenderatis audito, ad propria sunt reversi de proximo vestro passagio diffidentes : Saraceni de accessu vestro dubii, et illorum recessu securi, contra Christianos animos assumpserunt, et qualiter peccatis exigentibus prævaluerint contra eos referre nolumus, cum sit fere ubilibet divulgatum. Gaudemus autem quod, receptis litteris nostris, erraneum in vobis intelligentes excessum, devote ac humiliter mandatum estis apostolicum exsecuti, et, juramento præstito vel recognito; absolutionis beneficium percepistis, vos et successores vestros, filii comites, cum duobus baronibus Gallicanis, ad satisfaciendum juxta mandatum nostrum, super eo quod apud Jaderam excommunicationis sententiam incurristis per patentes litteras obligantes. Utinam autem pœnitentia vestra sit vera, ut sic pœniteatis videlicet de commissis, quod a similibus de cætero caveatis ; quoniam qui adhuc agit quod pœnitet, non est pœnitens, sed illusor, et cani reverso ad vomitum comparatur pœnitens rediens ad peccatum. Est quoque levivius peccatum

(222) Legitur integra in Gestis Innocentii, n. LXXXVIII. Laudat Bzovius. *Annal.* t. XIII, pag. 90, § 4 Nutila edidit Raynaldus, ad annum 1203, § 13.

quod semel committitur, quam quod commissum semel postmodum iteratur. Nullus itaque vestrum sibi temere blandiatur, quod terram Græcorum occupare sibi liceat vel prædari, tanquam minus sit apostolici sedis subjecta, et quod .......... imperator Constantinopolitanus, deposito, fratre suo, et etiam excæcato, imperium usurpavit. Sane, quantumcunque in hoc vel aliis idem imperator, et homines ejus jurisdictioni commissi delinquant, non est tamen vestrum de ipsorum judicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsistis, ut hanc vindicaretis injuriam, sed opprobrium potius crucifixi, cujus vos obsequio specialiter deputastis.]

Monemus igitur nobilitatem vestram, exhortamur attente, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus nec decipiatis vos ipsos, nec ab aliis decipi permittatis, ut sub specie pietatis agatis illa, quod absit! quæ redundent in vestrarum perniciem animarum, sed cessantibus potius occasionibus frivolis et necessitatibus simulatis, in Terræ sanctæ transeatis subsidium, et crucis injuriam vindicetis, accepturi de hostium spoliis quæ vos, si moram feceritis in partibus Romaniæ, oporteret forsitan a fratribus extorquere. Aliter enim quia non possumus nec debemus, remissionis vobis gratiam nullatenus pollicemur. Inhibitionis autem nostræ tenorem, qua vobis, sub excommunicationis interminatione, vetuimus ne terras Chistianorum invadere vel lædere tentaretis, nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia justa et necessaria causa forsan occurreret, propter quam aliud agere, interveniente legati nostri consilio, valeretis, memoriter retinere vos volumus, et monemus ne contra eam leviter veniatis. Ne autem culpa ducis et populi Venetorum in pœnam vestram redundet, volumus et mandamus ut litteras nostras, quos ipsis assignandas duxerimus, et quæ adhuc apud vos esse noscuntur, assignari faciatis eisdem, ne ipsi excusationem in peccatis assumant.

Datum Fer..... anno sexto.

## CII (223).

### CRUCESIGNATIS.

*Consilium quod papa ipsis mittit sine bulla.*

[Si vere] vos pœnitet de commisso, et plene proponitis satisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, imo novimus jam placatum. Si *ergo* (224). Veneti potuerint ad satisfactionem induci, et absolutionis beneficium meruerint obtinere, secure cum eis navigare poteritis et prælium Domini præliari. [Quod si (225) nec satisfacere *forte* (226) voluerint nec absolvi, *utpote qui non dolere sed gaudere dicuntur potius de commisso*, permittimus vobis ut cum ipsis usque in terram Saracenorum, vel *Hierosolymitanam* provinciam, juxta quod inter vos et ipsos convenit vel honeste convenerit, navigio transeatis, quanto minus poteritis, cum dolore tamen et amaritudine cordis, et sub spe veniæ, communicantes eisdem. Cum enim jam a vobis majorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi autem præmium ex contumacia, reportare; cum ad hoc debitum exsolvendum ipsi vobis maneant obligati, et ab excommunicatis exigi possit et recipi quod debetur. Est autem cautum in jure, quod, si quisquam per terram hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea, si paterfamilias domus excommunicationis sententia fuerit innodatus, a participatione ipsius familia excusatur. Licet ergo dux Vetenorum dominus navium, tanquam paterfamilias domus, in excommunicatione persistat, vos tamen, tanquam ipsius familia, dum in navibus ejus fueritis, ipsius excommunicatio non continget, et excusabiles eritis apud Deum, si, in excommunicatorum navibus existentes, cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ *excommunicatis* ipsis communicaveritis, in quibus communionem eorum nequiveretis evitare.] Verum, cum vel in terram Saracenorum vel Hierosolymitanam provinciam de navibus vos descendere continget, nisi Veneti ad satisfaciendum, et recipiendum juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium, inducti fuerint vel compulsi, cum eis nullatenus præsumatis prælium Domini præliari, ne, si, eis habentibus aliquid de anathemate in crucis insurrexeritis inimicos, non prævaleatis in eos sed, terga vertentes fugiatis potius et cadatis. Nam in libro Josue legitur, quod, cum Achan, filius Charmi, pallium coccineum valde bonum et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum de Jerico anathemate rapuisset, iratus est Dominus Israeli. Unde cum adversus Hai assendissent tria millia pugnatorum, statim terga vertentes percussi sunt a viris urbis Hai, et conrruerunt ex eis triginta et sex homines; persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, et ceciderunt per prona fugientes nec prius Dominus urbem Hai in manus tradidit Israel, quam Achan populus lapidavit, et omnia quæ illius fuerant igne consumpsit. In Paralipomenon etiam, cum Josaphat, rex Judæ, cum Ochosia, rege Israel, cujus opera pessima fuerant, amicitias inivisset, fecissentque naves quæ irent Tharsis, Eliezer, filius Dodaci de Maressa, ad Josaphat prophetasse legitur et dixisse: *Quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, con-*

(223) Reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. v, tit. 39, *De sententia excommunicationis*, cap. 39. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Exstat integra in Gestis Innocentii III, § 87, sed cum aliquibus discrepantiis quas etiam in margine adnotavimus.

Fragmentum ejusdem epistolæ exhibet Raynaldus, ad annum 1203. § 7 et 8, quod hic duplici ad initium cujusque lineæ virgula distinctum est.

(224) In Gestis Innocentii, *vero*.

(225) In Decret. add. *Veneti*.

(226) Decretal. omittunt quæ hic et infra charactere cursivo distinguuntur.

*tritæque sunt naves*, *nec potuerunt ire Tharsis* A (*II Par*. xx)

In libro autem Machabæorum legitur, quod, cum Judas contra Gorgiam, præpositum Idumeæ, cum tribus millibus peditum et quadringentis equitibus ascendisset, in congressu contingit paucos ruere Judæorum (226); cumque postmodum Judas prostratorum corpora in paternis sepulcris ponere voluisset, invenit de idolorum donariis quæ apud Jamniam fuerant, et a quibus prohibet lex Judæos, sub tunicis occisorum. Factum est igitur omnibus manifestum ob hanc causam eos qui ruerant, corruisse. Ne autem victualia vobis desint, charissimo in Christo filio nostro imperatori Constantinopolitano scribemus, ut, juxta quod per litteras suas nobis ipse promisit, victualia vobis faciat exhiberi. B « Quod si forsan ea vobis contingeret denegari, cum tamen vos devoveritis ad commune obsequium Crucifixi, cujus est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in ea, posset utique non absurdum videri ad similitudinem imperatoris terræ, de quo cautum est in jure civili quod si ejus exercitus indiguerit alimentis, ea possit accipere undecunque, possitis et vos cum timore Domini, sub satisfaciendi proposito, ad necessitatem tantum, ea sine personarum accipere læsione. » In libro namque Judicum reperitur, quod cum Gedeon Zebee et Salmana reges Madian persequeretur instanter, et primo a viris Socoth, ac secundo ab habitatoribus Phanuel, panes pro populo qui secum venerat, et jam quasi defecerat, C postulasset, quia ei quod postulaverat denegarunt, victor reversus tulit seniores civitatis Socoth et spinas deserti ac tribulos, et contrivit cum eis atque comminuit viros Socoth; turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. Necessitas enim, maxime cum insistitur operi necessario, multum (128) et in multis excusat. Cum enim Dominus Sabbato per sata transiret, et vellerent discipuli ejus spicas, ac manducarent manibus confricantes, et quidam Pharisæorum ad discipulos: *Quid facitis quod non licet in Sabbatis* (*Luc*. vi) proclamarent, Jesus eis legitur respondisse: *Nec hoc legistis quod fecit David, cum esuriret ipse et qui cum eo erant, quomodo venit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat nisi tantum* D *sacerdotibus manducare?* (*Ibid*.) Et consequenter adjecit, quia Filius hominis dominus est etiam Sabbati. Sed et hoc negotium Filii hominis est, et prælium Domini quod intenditis præliari. Hæc autem exempla de Scripturis sanctis induximus non ut concedamus rapinam, sed ut toleremus quod ex gravi necessitate sine grandi dispendio vitari non posset. Provideatis autem prudenter et caute, ut si forte Veneti voluerint occasiones aliquas invenire quod exercitus dissolvatur, multa pro tempore dissimulare ac tolerare curetis, donec ad locum perveneritis destinatum, ubi, opportunitate accepta, eorum, ut expedit, malitiam comprimatis.

CIII (229).

NORWICENSI EPISCOPO (230).

*Ut clericos conjugatos beneficiis privare possit.*

[Diversis fallaciis] circumventi, Deo et Mammonæ famulari conantur, cum tamen, secundum evangelicam veritatem, nemo possit duobus dominis deservire, quoniam, si unum dilexerit, alium habebit excessum (*sic*), aut, uno contempto, alium sustinebit. [Accepimus *enim* (230*) quod quidam clerici tuæ diœceseos, qui *solemniter in conspectu Ecclesiæ* matrimonium contraxerunt, ecclesiastica beneficia detinere contendunt, in quorum conversatione cithara cum psalterio male concordat. Cum ergo vir cogitet quomodo placere possit uxori, et ideo minus quæ Dei sunt valeat cogitare, cum, quasi divisus in duo, plenam sui non habeat potestatem, ut ei a quo stipendium recipit plenius famuletur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut hujusmodi clericos beneficiis ecclesiasticis, quæ in tua diœcesi sunt adepti, *auctoritate nostra suffultus, valeas* (231), *appellatione remota, privare*, præsertim, cum rerum ecclesiasticarum substantia soleat deperire per tales, nisi forte tu talibus scienter contuleris ecclesiastica beneficia, quibus eos, non per te sed superiorem, decerninmus spoliandos]. Nulli ergo... nostræ concessionis. etc.

Datum Ferentini, xii Kal. Julii.

CIV.

PLEBANO, ET FRATRIBUS PLEBIS DE CALCINARIA.

*Causam, quæ inter ipsos et capellanum de Monteculo ratione Ecclesiarum suarum, vertebatur, dijudicat.*

(Ferentini, xii Kal. Julii.)

Cum olim inter bonæ memoriæ.... prædecessorem tuum, fili Plebane, et magistrum R. capellanum de Monteculo, ecclesiarum vestrarum nominibus, super præstatione obedientiæ, quam idem prædecessor tuus exigebat ab ipso magistro, et quibusdam aliis capitulis, quæstio verteretur, nos causam ipsam dilecto filio..... priori Sancti Fridiani Lucani, sub certa forma duximus committendam. Lite igitur contestata, receptis testibus hinc inde productis, et attestationibus publicatis, tandem in eumdem priorem, velut in arbitrium, sub eo tenore fuit a Partibus compromissum, ut, quidquid arbitrando diceret de præmissis, illi, tam per se quam pro suis ecclesiis, sub pœna quæ ipsi priori placeret, omni tempore ratum haberent et firmiter observarent. Fuit autem idem prior sub pœna centum librarum

(227) Deest in Gestis vox *Judæorum*.

(228) Deest in Gestis vox *multum*.

(220) Reperitur, sed in aliquibus mutila, inter Decretales, lib. iii, tit 3, *De clericis conjugatis*, cap. 5.

cap. 5.

(230) Vide supra.

(230*) In Decret., *autem*

(231) In Decretal. desunt verba *a.n.s.v.*

Pisanarum monetæ inter alia taliter arbitratus, quod magister R. tanquam Plebanum suum præfatum S. recognoscens, ei obedientiam exhiberet, et quod de terrisillis, quas habet plebs de Calcinaria in territorio de Monteculo, cum eas propriis sumptibus Plebanus excoleret, nullus decimas Ecclesiæ de Monteculo solvere teneretur. Alia insuper statuit observanda, sicut ex rescripto ipsius arbitrii perpenditur evidenter. Cæterum, prædictus magister, credens ex ipso arbitrio Ecclesiæ suæ gravem imminere jacturam, ei protinus contradixit, vocem ad nos appellationis emittens. Partibus ergo in nostra præsentia constitutis, dilectum filium, B.(232) tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem, dedimus auditorem. Quarum rationibus et allegationibus ex relatione cardinalis ejusdem plenius intellectis, nos, pensantes moderationis canonicæ amplius æquitatem quam subtilitatem juris civilis, præfatum magistrum ecclesiæ suæ nomine, in expensis a tempore contradictionis ipsius arbitrii usque ad tempus nostræ pronuntiationis provide factis, dicto, prædecessori tuo duximus sententialiter condemnamdum; restituentes benigne præfatam ecclesiam de Monteculo, ut, antelato arbitrio non obstante, suam posset prosequi rationem. Unde, dilectis filiis, magistris Robertino, Rob. de Pipafracta, et E. Lucan. canonicis nostris (*sic.*) dedimus litteris in mandatis, ut ipsi, partibus ad suam præsentiam convocatis, et auditis hinc inde propositis, mutuas quæstiones, secundum attestationes receptas et alias, si quas de jure cognoscerent admittendas, appellatione remota, sine canonico terminarent. Qui, cum partes ad suam præsentiam legitimis citationibus ascivissent, tu, fili Plebane, eodem S. rebus humanis exempto, canonice substitutus, post multas altercationes utriusque partis et varias, ecclesiæ tuæ nomine postulasti, ut judices ipsi obedientiam, a capellanis ecclesiæ de Monteculo prædecessoribus tuis Plebanis exhibitam, a prædicto magistro ejusdem ecclesiæ capellano, tibi facerent exhiberi, tuæ postulationi subjungens, ut corpus cujusdam mulieris ad tuam referretur ecclesiam, quod in ejus præjudicium idem magister in ecclesiæ suæ cœmeterio sepelivit. Fuit autem ad ultimum per te cum instantia postulatum, ut in die Sabbati S. veniat jam dictus capellanus ad plebem, ad celebranda solemnia sacri baptismatis cum aliis capellanis plebis ejusdem. Cappellanus vero dicebat econtra ecclesiam suam in nullo plebi prædictæ teneri. Unde, cum non esset illi subjecta, eam ab impetitione illius petebat absolvi. Judices autem, postquam fuit diutius litigatum utrinque super quæstionibus universis, certiores effecti, pro plebe vestra de prudentium virorum consilio diffinitivam sententiam protulerunt, quam, cum per Al. priorem vestrum, ad sedem apostolicam destinatum, confirmari peteretis a nobis, prædictus capellanus superveniens contradixit; sed nos, contradictionem ejus frivolam attendentes' sententiam illam duximus confirmandam, articulum illum quem in ea perspeximus contineri, videlicet quod in die Sabbati sancti capellanus ecclesiæ de Monteculo vadat ad plebem de calcinaria ad celebranda solemnia sacri baptismatis, taliter explicantes, ut pueris baptizandis intersit. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc.

Datum Ferentini, XII Kal. Julii

## CV.

S. ROMAN. CARZOLI, COGNATO NOSTRO, APOSTOLICI PATRIMONII RECTORI IN TUSCIA.

*Munitionis et castri montis Flasconis gubernationem ipsi committit.*

(Ferentini, II Kal. Julii.)

Inter omnes munitiones, et castra, quæ Romana tenet Ecclesia, munitionem, et castrum Montis Flascon. non solum intendit, sed cupit, et providentius gubernari et studiosius custodiri. Cum ergo de tuæ fidei puritate indubitam fiduciam habeamus, et de tuæ discretionis industria notitiam geramus expertam, custodiam et gubernationem ipsius munitionis, et castri tibi quandiu nobis aut successoribus nostris placuerit, tanquam fideli, et vassalio nostro duximus committendam; per apostolica scripta mandantes, quatenus, sicut charam habes gratiam divinam et nostram, munitionem ipsam et castrum cum omni diligentia et cautela custodias et gubernes, adhibens universa quæ fuerint necessaria, ita ut de contingentibus nihil ommittas. Nos enim dilecto filio, B. Castellano Montis Flascon, per apostolica scripta mandamus, ut palatium, cum omnibus quæ sunt in eo, resignet, et servientibus universis ut tibi reverenter intendant, consulimus etiam, atque populo, quod tibi tanquam suo respondeant castellano.

Datum Ferentini, II Kal. Julii.

## CVI (233).

........ ARCHIDIACONO....... PRÆPOSITO, ET CAPITULO PLACENTINIS.

*De interpretatione juramenti clericorum.*

(Ferentini, VI Non. Julii.)

[Cum clerici Placentini juramentum præstent sub hac forma verborum, ego talis, ab hac hora in antea, fidelis ero et obediens sanctæ Placentinæ ecclesiæ, et domino meo episcopo Placentino; *per vestras nos litteras* consulere voluistis, utrum intelligi debeat clerus totius diœcesos, an capitulum tantum ecclesiæ cathedralis? Nos igitur *discretioni vestræ præsenti pagina*(234) respondemus, quod per ecclesiæ Placentinæ vocabulum in forma juramenti præscripti non debet intelligi totius diœceseos clerus, etsi capitulum intelligitur ecclesiæ cathedralis; is tamen qui præstat hujusmodi juramentum, episcopo tanquam capiti obligatur.]

Datum Ferentini, VI Non. Julii.

(232) Vide epistolam libri tertii 54, not,

(233) Legitur inter Decretales, lib. V, tit. 40. *De verborum significatione*; cap, 19.

(234) Decret. *taliter*, pro. *d. v. p. p.*

CVIII.

GUIDONI RECTORI, ET FRATRIBUS HOSPITALIS SANCTI SPIRITUS MALAGONENSIS

*Privilegia quædam confirmat.*

(Ferentini, Kal. Julii).

Cum sitis operibus pietatis intenti, et habeatis cœmeterium benedictum, et clericos in vestro conventu professos, absonum esset ut oratorio careretis. Quocirca, præsentium vobis auctoritate, concedimus, ut, non obstante compositione, quæ facta fuisse proponitur inver vos et Magalonensem ecclesiam, per bonæ memoriæ G. (235) tituli sancti Angeli diaconum cardinalem, tunc apostolicæ sedis legatum, infra septa domus vestræ oratorium habeatis, in quo per clericos vestrum divinum vobis officium celebretur. Presbyterum autem, quem ad animas consulendas duxeritis deputandum, diœcesano episcopo præsentetis, qui curam animarum illi committat. Statuimus autem, ut de oblationibus universis, quæ in Nativitate Domini, Epiphania, Ypopanti, Ascensione, natalitio S. Joannis Baptistæ, festivitatibus B. Mariæ, apostolorum solemnitatibus, commemoratione omnium sanctorum, omnibus diebus Dominicis, et aliis præcipuis festivitatibus loci, ab habitatoribus Montispessulani ad altare oratorii vestri, vel munus presbyteri, dum celebrabuntur officia divina, devenerint, quartam partem, matrici ecclesiæ, vel aliis ad quas pertinet, sine difficultate reddatis, exceptis ustensilibus, quæ nominatim ad usum pauperum offerentur. Oblationes autem cæterorum dierum, et generaliter omnes, quas cæteri largiuntur, vobis ex nostra concessione integre habeatis. Ad hæc præsenti pagina districtius inhibemus, ne aliquem ad sepulturam cœmeterii vestri suscipere præsumatis nisi frater vester, aut de familia vestra fuerit, aut etiam peregrinus, qui liberam sepulturam habere debet ubique. Alios autem ad sepulturam nullatenus admittatis, nisi fuerit de voluntate prælati, a cujus ecclesia corpus assumetur defuncti, qui postmodum de legatis præcipimus restitui quartam. Nulli ergo concessionis et constitutionis, etc.

Datum Ferentini, Kal. Julii.

CVIII (236).

ARCHIEPISCOPO TERRACONENSI.

*Causam matrimonialem dijudicat.*

(Ferentini, XII Kal. Julii),

[Tua nos duxit fraternitas consulendos quid tibi sit super hoc *articulo* (237) faciendum, *videlicet*,
A quod *R. de Belloloco et Agnes* (238) uxor ipsius, *olim* ad invicem juraverunt se nunquam mutuo petituros; idem vero nunc repetit illam instanter, ea econtrario affirmante, quod prius se faceret Saracenam, *et perderet animam suam*, quam redire ad eum), sed adulterum cui adhæsit postquam recessit ab eo libenter dimitteret, et castitatem promitteret et juraret. (Nos igitur, fraternitati tuæ super hoc respondentes, *per apostolica tibi scripta* mandamus, quatenus utrumque ad continentiam observandam moneas attentius et inducas; quam si promittere voluerint et servare, utrumque dimittas sine alio commorari. Alioquin si vir noluerit continere, tu *prædictam uxorem ipsius* (239) ut revertatur ad eum, et tanquam uxor cum viro moretur, per ex-
B communicationis sententiam, appellatione remota, compellas, cum et temerarium fuerit hujusmodi juramentum, et adulterium sit utrinque commissum).

Datum Ferentini, XII Kal. Julii.

CIX (240).

EPISCOPI COLIMBRIENSI.

*Litem inter ipsum et conventum S. Crucis dirimit.*

(Ferentini, VI Kal. Julii).

(Cum olim *ad sedem apostolicam accessisses, et super quæstionibus* (241) quas adversus *dilectos filios.....* Priorem et canonicos *Ecclesiæ* sanctæ Crucis, habebas, pro quibus fuerat ad nostram audientiam appellatum, moram feceris longiorem, quia pro parte altera nullus comparuit responsalis, eisdem *priori et fratribus in virtute obedientiæ districte præcipimus,*
C *ut usque ad festum omnium sanctorum proximo tunc futurum, per se vel sufficientes et idoneos responsales, ad præsentiam nostram accederent* (243), super privilegiis omnibus et libertatibus, quæ a Romanis pontificibus, vel ab M. quondam Colimbrien. Episcopo se habere dicebant, et super aliis quæstionibus adversus eos a Colimbriensi ecclesia intentatis, definitivam sententiam recepturi). Ut autem veritas facilius appareret, authentica et originalia, cum bullis suis, nobis usque ad eumdem terminum sub eadem districtisne præcepimus exhiberi. (Interim tamen utrique parti liceret coram dilectis filiis... (245) de Alcobatia, et.... de Seira abbatibus, et F. *Menende*, monacho Alcobatiæ, quibus causa *sub certa forma* prius fuerat delegata, *et testes utriumque producti*,
D proponere ac probare, si quod aliud proponendum ducerent ac probandum). Prædicatum autem terminum eis peremptorium curavimus assignare, ad

(235) De Gregorio, tituli S. Angeli in Piscina diacono cardinali, quædam supra annotavimus. Annus quo obiit ex hac Innocentii epistola assignatur.

(236) Legitur fere integra inter Decretales, lib. III, tit. 24, *De jurejurando*, cap. 24.

(237) Deest hæc vox Decretal., ut modo verbum *videlicet*.

(238) In Decretal., *B. et A.* Desunt infra verba charactere cursivo distincta.

239) In Decretal., *illam*, loco. *p. u. i.*

(240) Hujus epistolæ fragmenta leguntur in Decretalibus, lib. V. tit, 33, *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 14. Conferendæ sunt epistolæ libri primi 327 et ultima ; libri secundi 203 et 204.

(241) Decretal. tantum habent, *propter quæstiones* et om. *dilectos filios*. Infra pro *ecclesiæ* legunt *monasterii*.

(242) Sic legunt Decretal. : *certum terminum duximus præfigendum, in quo venirent vel mitterent*.

(243) Decretal. add. *tuis*. Infra *sarra* legunt pro *Seira* et reliqua omittunt quæ charactere cursivo distinximus.

quem si venire vel mittere forte contemnerent, nos nihilominus, quantum possemus de jure in eodem negotio procedere curaremus. Eisdem quoque judicibus dedimus in mandatis, ut, si de partium voluntate procederent, receptis aliis testibus, si quos super privilegiis, libertatibus et aliis articulis, ducerent producendos, usque ad definitivam sententiam producentes, gesta omnia sub sigillis suis ad sedem apostolicam destinarent. Cumque postmodum ad sedem apostolicam accessisses, supervenerunt duo canonici S. Crucis, qui nec litteras habebant de rato, nec procuratores ad hanc causam fuerant destinati. Unde, nos, partem S. Crucis contumacem reputans, ut erat, utpote quæ non idoneos responsales ad causam, sed ad nos qualesquales nuntios destinarant, attestationes receptas a judicibus delegatis jussimus aperiri, ut tandem, si nobis de meritis causæ liqueret, sententiam proferremus, Verum, tu, animum charissimi in Christo filii nostri.... Portugallensis regis illustris, qui contra te fuerat ex hoc motus, placatum reddere tibi volens, convenisti cum prædictis canonicis in hac forma, ut videlicet venerabili fratri nostro. .. Zamorensi episcopo, et dilectis filiis.... Zamorensi et Auriensi decanis, tam super principali quam incidenti sublato appellationis obstaculo, causa comitteretur eodem terminanda, sic tamen, ut pars Sanctæ Crucis, infra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum, super articulis illis, in quibus tu in ejus absentia produxeras testes tuos, instrumenta producere posset et testes. Aliter autem non liceret eisdem attestationes calumniari receptas vel excipere, quasi fuisset in hac causa, lite non contestata. processum.

Nos erga, dictis episcopo et decanis præcipiendo dedimus in mandatis, ut, si pars Sanctæ Crucis ratum vellet habere quod a dictis canonicis erat actum, receptis testibus et instrumentis ipsius super capitulis supradictis, si tamen infra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum ea ducerent exhibenda, et tuis attestationbus publicatis secuudum formam prædictam, in causam procederent, et eam, appellatione postposita, sine debito terminarent. Quod si forsan ratum nollent habere quod a prædictisi canonicis erat actum, cum eorum contumacia non intelligeretur purgata, sed aucta, in eos tanquam in contumaces, procederent, et receptis attestationibus diligenter inspectis, causam ipsam, appellatione remota, deciderent, et sententiam quam ferrent exsecutioni mandarent. Quia vero causa hæc extra regnum erat Portugallense tractanda, partibus primo competentem terminum sub edicto curarent peremptorio assignare, ne proqter remotionem locorum et distantiam personarum laborare diutius cogereris. Quod si partem S. Crucis per alios citare non possent, canonicos ejus in regno Legionensi manentes, ad citationis et litteras præsentandas, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellere procurarent; nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus, si quæ apparerent a sede apostolica impetratæ. Quod si non omnes iis exsequendis interesse valerent, episcopus nihilominus exsequeretur ea cum altero aliorum. Patribus ad certum terminum convocatis, et convenientibus ad eumdem, prædicti episcopus et decanus Zamorenses, quoniam Auriensis decanus non poterat interesse, a priore S. Crucis quærere curaverunt, an ratum haberet quod fuerat a canonicis suis actum ; quibus fuit ex ipsius parte responsum, quod locus interrogationi non erat, cum paratus esset incontinenti probare, rescriptum nostrum per precum mendatia impetratum. Nam, eum Colimbriensis decanus ad prædictos de Seira abbatem, et dilectum filium, H. Froildiz, monachum Alcobatiæ, contra monasterium Sanctæ Crucis undecim commissionum litteris reportasset, licet pars ecclesiæ Sanctæ Crucis primo inducias pbtinuerit postulatas, quia secundo tamen non potuit pro singulis commissionibus singulas inducias obtinere, quamvis appellatio esset in litteris nostris inhibita, propter hoc tamen ad nostram audientiam appellavit. Tandem vero, pars ipsa et Colimbriensis decanus in prædictum regem Portugallensem..... de Costa, et...... de Rimaran. priores, et prædictos judices compromittere curaverunt, duobus cautis pene nomine obligatis utrinque; sicque prior appellationi renuntiavit cum assensu suorum, litteris nostris renuntiante decano.

Utrinque præterea duodecim canonici juraverunt super toto negotio perhibere testimonium veritati. Receptis igitur testibus et depositionibus eorum redactis in scriptum, rex noluit interesse, sed commisit prædictis...... de Costa et de Rimaranes prioribus vices suas, et proposuit partibus, ut per Romanam Ecclesiam vel per alios, prosequerentur jus suum, quoniam ad eum causa hujusmodi non spectabat. Tu vero, coram prædictis episcopo et decano Zamorensibus proponebas, nec renuntiationem Colimbriensis decani, qui non ad renuntiandum sed agendum potius datus fuerat procurator, nec compromissum etiam tenuisse, tum quia judices esse arbitri non debebant, tum quoniam de rebus ecclesiasticis fuerat in laicum compromissum, tum etiam qui idem sibi alios subrogavit, cum de hoc in compromissione tractatum penitus non fuisset. Verum, pars S. Crucis proposuit ex adverso, quod tenuerat compromissum, quia nos pronuntiasse posse agi de ipsius pœna dicebat, adjiciens ratam te renuntiationem habuisse decani, et quod, hoc supresso, prædictas litteras impetratas, quas non potuisses aliquatenus obtinere, si super hoc nobis exposuisses plenius veritatem. Et licet pars eadem quatuor testes induxerit, qui simpliciter et absolute dixerunt, ratum te habuisse quod factum fuerat a decano, sex tamen testes, quod tu induxeras, deponere curaverunt, hujusmodi rati habitionem te non simpliciter sed conditionaliter expresisse, si videlicet secundum attestationes confectas negotium finiretur. Cæterum, Joannes Cæsar, canonicus Sanctæ

Crucis, fuerat testis inductus, et Michael Petri, et alii, quos tu induxeras, deposuere jurati, quod nos omnem hujus negotii veritatem feceramus per primos judices delegatos inquiri, et ad nos universa referri, sicque pronuntiaveramus, omnibus diligenter inspectis, non impediri tuum propositum per objecta. Idem quoque Joannes, et Michael Petri, utrum renuntiationem decani ratum habueris requisiti, dixerunt se de hoc penitus nihil scire : sed contra hos fuit ex parte Sanctæ Crucis objectum, eos sibi contrarios exstitisse, cum prius dixissent se nobis totam veritatem negotii retulisse, ac secundo quod de rati habitione, quæ erat quasi præcipua pars hujus negotii, non fecerant mentionem. Tu vero dicebas, quod testi, quem pars Sanctæ Crucis induxerat, credendum erat merito contra eam. Judices igitur, attendentes in litteris nostris appellationem fuisse prohibitam, nec exstitisse conditionem, sub qua ratum habere te dixeras, quod factum fuerat a decano, et quod nos, inspecta totius negotii veritate, pronuntiaveramus, causam tuam non debere per ea, quæ canonici Sanctæ Crucis objecerant impediri, considerantes etiam, quod pars Sanctæ Crucis prædictum Joannem, quem ipsa produxerat et qui judices ipsos super iis, quæ coram nobis acta fuerant, instruebat, plenius reprobasset, interlocuti sunt de prudenti consilio, processum negotii, quod eis fuerat delegatum, impediri de jure non posse occasione oppositæ falsitatis.

Deinde, cum vellent in principali procedere, prior Sanctæ Crucis multiplices recusationum causas opposuit, quas quia judices frivolas reputantes admittere noluerunt, prior, omni causæ suæ defensione neglecta, se contumaciter absentavit : sed et nos recusationes prædictas ea postmodum ratione invalidas reputavimus, quod contumacia partis Sanctæ Crucis non fuit diminuta sed aucta.[Judices *ergo* (244), sufficienter actum esse de causa credentes, *attestationibus et rationibus utriusque partis diligenter inspectis*, monasterium Sanctæ Crucis in expensis, quas per quadriennium occasione hujus negotii juraveras te fecisse, *et quæ quinquaginta marcarum auri summam attingunt*, *tibi de prudentum virorum consilio condemnarunt*(245), infirmantes sua sententia libertatem, quam prædictus Colimbriensis episcopus *in enorme detrimentum Colimbriensis ecclesiæ* (246), contulerat monasterio Sanctæ Crucis, canonicorum assensu per præconem episcopi, et portarium regis, extorto. Præterea, quia idem M. (247). fuerat canonicus regularis. et duo millia marabutinorum, quæ acquisierat, in episcopum jam promotus, monasterio dederat memorato, *monasterium* ipsum ad restitutionem eorum judices condemnarunt.

Insuper, *tam decimas quam* ecclesias omnes, quas *de manu regis, vel aliorum laicorum sive clericorum* monasterium præter episcopi Colimbriensis assensum *receperat, et quas in Latren. vel aliis locis in attestationibus comprehensis*, propria auctoritate fundarat, *scilicet capellam Sancti Joannis in suburbio Colimbriensi constructam*, *ecclesiam de Tauveiro*, *de Laurizal*, *de Mira*, *de Sorenes*, *Sancti Facundi*, *Heremidam Sancti Martini de Agoada*, *ecclesiam de Mortedi*, *de Travancha*, *Sanctæ Marinæ in Sena*, *Sancti Romani cum utroque jure*, *ecclesiam Sancti Sebastiani*, *et omnes ecclesias in Castro Leirene*, *et terminis ejus fundatas*, *hæreditates quoque in attestationibus comprehensas proprietatis jure*, *videlicet hæreditates de Lavaes cum ecclesia sua de Buarchos*, *de Cassaira*, *de Eimedi*, *de Sancto Verissimo*, *de Cabima*, quia pars Sanctæ Crucis nec prescriptione, nec defensione probationibus contra se factis obstiterat, judicarunt in jus Colimbriensis ecclesiæ cum fructibus medii temporis revocari, duo corpora mortuorum, qui excommunicati decesserant, de cœmeterio monasterii extumulari mandantes, et a monasterio penitus amoveri. Decreverunt etiam partes parochiarum Sancti Jacobi, et S. Justæ, quæ de mandato regio præter auctoritatem Ecclesiæ divisæ fuerant, et capellæ Sancti Joannis adjectæ, ad statum integritatis primæ reduci, et capellam Sancti Joannis quantum ad jus parochiale pertinet Colimbriensis ecclesiæ jurisdictioni supponi, partem de bonis decedentium, secundum terræ consuetudinem, ecclesiis illis restituendam esse censentes, a quibus viventes ecclesiastica perceperunt sacramenta.

Judicarunt insuper vineam, quam quondam Dominicus Rozocida in præstimonio ab ecclesia Colimbriensi tenuerat, et contulerat monasterio Sanctæ Crucis, ad jus Colimbriensis ecclesiæ revocari, ipsamque Colimbriensem ecclesiam ad jus processionis restitui, ad quam, sicut fuerat testibus comprobatum, singulis diebus Dominicis ire consueverant canonici Sanctæ Crucis; similiter decernentes, ut pro domibus Portæ novæ, in quibus olim parochiale jus Ecclesia Colimbriensis habebat, monasterium Sanctæ Crucis tantumdem juris loco alio competenti, quantum in prædictis domibus ecclesia Colimbriensis amiserat, recompenset. Verum, ecclesiam de Quiajos, quam prædictus M. Colimbriensis episcopus, de canonicorum suorum assensu concesserat monasterio Sanctæ Crucis, monasterio ipsi adjudicare curarunt. Partem de Pavea villa, licet nomine Colimbriensis ecclesiæ de pecunia M. quondam prioris ipsius, empta fuerit, et postmodum eidem testamento relicta, quia tu tamen, cum ipsam possideret, monasterium occupasti, salvo jure proprietatis Colimbriensis ecclesiæ, monasterio restitui decernentes, reliquam vero partem villæ ipsius, quam Pelagius F. olim contulerat monasterio S. Crucis, adjudicantes ipsi monasterio pleno jure ;

(244) Decretal. hanc vocem omittunt, ut infra *attest..... insp.*

(245) Decretal. *damnarunt.*

(246) Hæc verba desunt in Decretal.

(247) Decretal. add. *prædecessor tuus*, et om. voces cursive charactere distinctas infra.

præterea. tres casales in Sancto Joannino, salva quæstione proprietatis ecclesiæ Colimbriensis, monasterio restitui censuerunt, ipsum a petitione duodecimæ modiorum frumenti, quos petiveras, absolventes. Tandem *vero, cum tu et pars altera propter hoc ad sedem apostolicam venissetis* (258), procurator monasterii S. Crucis proposuit sententiam non (249) tenere, *quia, cum sufficientes recusationum causas, quas proposuerunt ad judices removendos, et quas voluere, probare, non admitterent judices delegati, nec permitterent, ut coram arbitris probarentur, ideoque pars monasterii duxerit ad sedem apostolicam appellandum, constat eos post appellationem legitime interpositam processisse* (250). Quod si alias etiam sententia memorata teneret, quia tamen monasterium *fuerat* indefensum, *sicut ipsi judices per suas litteras protestarunt* (251) nec exhibita fuerant coram eis privilegia libertatis, ne delictum personæ in damnum ecclesiæ redundaret, debebat ad exhibitionem privilegiorum suorum admitti; quod sibi concedi de solita benignitate sedis apostolicæ postulavit. Nos igitur, attendentes quod eadem privilegia, non solummodo pro libertate monasterii faciebant, sed (252) exprimebant jus nostrum, et Ecclesiæ Romanæ justitiam tuebantur; ne in nos monasterii læsio redundaret, ad privilegia exhibenda, partem ejus de gratia duximus admittendam. Ut autem plenius de processu judicum possemus intelligere veritatem, gesta omnia, sicut acta fuerant coram eis, utrique nobis jussimus exhiberi. Proposuit igitur monasterii procurator, quod prædictus M. Colimbriensis episcopus, monasterio Sanctæ Crucis cum parochiis, parochianis et confratribus suis, ab omni episcopali jure et exactione plenam concesserat libertatem et concessionem suam in scriptis redegerat, et Colimbriensium canonicorum, quoniam in hoc assensum præstiterant, subscriptionibus roborarat. Quod si hujusmodi concessio per se forsan fuisset invalida, per confirmationem tamen felicis recordationis A. papæ, prædecessoris nostri, qui eam per privilegium suum usque adeo ex certa scientia confirmarat, ut non solum tenorem ejus expresserit, sed usus fuerit verbis ejus, robur sortita fuerat perpetuæ firmitatis, cum Cœlestinus eum super hoc postmodum fuerit imitatus, et concessionem illam, sicut ille confirmaverat, confirmavit. Verum, ad hoc fuit ex tua parte responsum, quod prædicta concessio non tenebat, tum quia dictus episcopus non potuerat ecclesiam suam tam enormiter cum effectu gravare, tum quia canonicorum assensus per fraudes ejus, qui, ut eos ad consensum suum facilius traheret, asserebat monasterium semper liberum exstitisse, subreptus fuerat, et per potentiam tam ejus quam regis extortus, cum portarius regis proscriptionem rerum, et episcopi præco exsilium canonicis minaretur.

Insuper, non plene poterat de concessionis illius tenore constare, nec erat illi scripto credendum quod pars monasterii præsentabat, cum juxta quod deposuerant quidam testes, pagina concessionis illius quam Michael fecerat, in aliquot lineis fuisset abrasa, et singuli canonicorum qui subscripserant manu propria subscripsissent; in scripto autem quod fuerat nobis exhibitum, nulla rasura penitus appareret, et universæ subscriptiones eadem essent manu conscriptæ. Nec nocebat quod prædictus Alexander, prædecessor noster, concessionem hujusmodi confirmarat, et usus fuerat verbis ejus, quoniam, etsi verborum conscius fuerit, erat tamen factorum ignarus, utpote qui non noverat extortum fuisse canonicorum assensum, et concessionis ejusdem paginam variatam. Cæterum, pars altera replicavit, quod, si nec concessio hujusmodi nec confirmatio tenuisset, poterat tamen per privilegia de vera et veteri monasterii libertate constare, cum bonæ memoriæ Innocentius papa prædecessor noster, illud in B. Petri tutelam protectionemque susceperit, et, cum illud exprimit censuale subjungat: ad indicium autem perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis, duos bizantios annis singulis nobis nostrisque successoribus persolvat. Hoc autem felicis recordationis Lucius, Eugenius et Adrianus suis privilegiis expresserunt, licet Lucii et Eugenii nobis non fuerint authentica præsentata. Contra hoc autem, tu, frater episcope, proponebas, quod dicti prædecessores nostri nullam penitus prædicto monasterio concesserant libertatem, sed illud tantum sub protectione receperant, de libertate non habita mentione, nisi ubi dicitur: ad indicium autem perceptæ hujus a sede apostolica libertatis; quod ecclesiæ tuæ nocere non poterat, si subtiliter pensaretur. Cum enim hoc pronomen *hujus*, ibi ad oculum nihil demonstret, sed ad intellectum potius demonstrationem facere dignoscatur, ne peregrinus sit penitus intellectus, si a superioribus non formetur, videtur pronomen ipsum demonstrationem quasi facere relativam, ac *protectionem et confirmationem*, de quibus in parte superiori fit mentio, nominet libertatem, quamvis libertas quædam cum confirmatione pariter conferatur, ut videlicet, juxta prædicti Alexandri sententiam, præter auctoritatem apostolicæ sedis super illis non possit aliquis conveniri, quæ ipsi fuerint per sedem apostolicam confirmata, sicque quod in privilegio legitur, intelligi possit de hujusmodi libertate. Quod autem is debebat esse sensus, ex privilegiis ipsis patet, cum et Innocentius diœcesani episcopi reverentiam exprimat esse salvam, et Lucius et Eugenius post protectionem indultam, et confirmationem quarumdam

(248) Hæc verba Decretales omittunt.
(249) Decretal. ad. *valere nec*.
(250) Desuut hæc omnia Decretal. Infra, *fuit* pro *fuerat*.
(251) Omittunt Decretal.
(252) Decretal. add. *etiam*.

ecclesiarum expressam, jus suum episcopo diœcesano conservent.

Porro, pars altera proposuit ex adverso, quod si prædictus Innocentius *protectionem* nominare voluisset peregrino vocabulo *libertatem*, ubi *libertatis* posuit, *protectionis* ponere potuisset. Nec nocet quod de pronomine demonstrativo proponitur, cum antiquitus illas duntaxat ecclesias in specialem protectionem, propriamque tutelam apostolica sedes reciperet, quas speciales, et proprias reputabat. Unde cum, tam per primum capitulum, ubi monasterium in B. Petri tutela protectioneque suscipitur, quam per quædam alia quæ sequuntur, *libertas* monasterio ipsi noscatur indulta, *libertatem* ipsam, intellectam melius quam expressam, ad intellectum pronomen demonstrativum ostendit. Absit enim ut apostolica sedes voluisse monasterium circumvenire credatur, ut censum ab eo sub nomine libertatis reciperet, et libertatem ei vel nullam, vel semi plenam, ut est ex adverso propositum, indulgeret. Nec obest, sed prodest potius, quod sæpedictus Innocentius diœcesani episcopi reverentiam voluit esse salvam, cum ex eo quod exresse ipsi reverentiam reservavit, intelligatur cætera denegasse. In hoc autem reverentiam ei voluit exhiberi, ut sicut successores illius Romani pontifies, quod obscure dictum fuerat, interpretari volentes, in suis priveligiis expresserunt, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, et quædam alia in privilegiis eisdem expressa, canonici Sanctæ Crucis ab episcopo diœcesano suscipiant, si catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis, et absque ulla pravitate voluerit exhibere. Nec nocet similiter, si Lucius et Eugenius, connumeratis quibusdam ecclesiis, jus diœcesani episcopi dixerint esse salvum, cum hoc non intellexerint de capite, sed de membris, sicut et Adrianus diœcesanis episcopis canonicam justitiam reservavit, quod intelligi de capite non valeret, cum constet nullam ecclesiarum plures episcopos diœcesanos habere Alexander autem, et successores ipsius, ut penitus super hoc dubitationis scrupulum amoverent, non fecerunt, nisi de auctoritate sedis apostolicæ, mentionem. Cæterum, si nec tot, et tanta sufficerent, sola præscriptio Sanctæ Crucis ecclesiam tuebatur.

Nos igitur, iis et aliis auditis, et intellectis quæ fuerunt hinc inde proposita, [distinguentes inter libertatem per prædictum episcopum ecclesiæ ipsi concessam, et libertatem quam ei longe ante tempus ipsius episcopi apostolica sedes indulsit, *sicut patet ex privilegiis antedictis* (253), quia nobis constitit *evidenter* extortum fuisse in episcopi concessione canonicorum assensum, et concessionis paginam in aliquod lineis habuisse *rasuram* (254), et subscriptiones singulas fuisse singulis subscribentium manibus adnotatas; scriptum autem, quod nobis exhibitum fuerat, nec rasuram prætendere, nec variis manibus et subscriptionibus variatum, sed a primo ad ultimum eadem *potius* manu conscriptum, libertatem ab episcopo ipso concessam, irritam decernimus et inanem, super hoc delegatorum judicum sententiam confirmantes. Quia vero evidenter cognovimus ex privilegiis antedictis, prædecessores nostros ecclesiæ Sanctæ Crucis libertatis privilegium indulsisse, ac quod ea in possessione tandiu fuerat libertatis, quod aliis etiam cessantibus præscripsisset, libertatem et a prædecessoribus nostris indultam auctoritate apostolica confirmamus, tibi super hoc silentium imponentes. In hoc autem in nullo sententiæ delegatorum judicum derogamus, cum ipsi de hac non cognoverint libertate.] Post hæc vero procurator ecclesiæ Sanctæ Crucis proposuit coram nobis, quod cum inclytæ recordationis... Dux Portugallensis, universas ecclesias, quæ vel fundatæ jam erant, vel fundandæ inposterum in castro Leiren, ac ejus territorio, et universa jura ecclesiastica eidem ecclesiæ concessisset, confecto super hoc publico instrumento, quod ipse dicebat usitato terræ vocabulo testamentum, et tam Bracarensis archiepiscopus metropolitanus provinciæ, quam Colimbriensis episcopus, concessioni hujusmodi subscripsisset, delegati judices, non inspectis privilegiis Sanctæ Crucis, licet super eisdem ecclesiis eis causa non fuerit specialiter delegata, contra ecclesiam Sanctæ Crucis nunquam sententiam protulerunt. Et licet Colimbriensis episcopus, ut diœcesanus subscripserit concessioni prædictæ, quia Uiixbonensem civitatem, ad cujus diœcesim pertinere noscuntur, detinebant, tunc temporis Saraceni, ea tamen per industriam, ducis ipsius reddita postmodum Christianis, Ulixbonensis episcopus, velut verus diœcesanus, donationem... ducis privilegio proprio comfirmavit quod prædictus Adrianus papa diligenter attendens, omnes ecclesias tam in castro Leiren, quam territorio ejus sitas, cum omnibus pertinentiis ad easdem sicut charta ducis ipsius et prædicti episcopi confirmatio continebant ecclesiæ Sanctæ Crucis suo duxit privilegio confirmandas. Verum, pro parte tua fuit propositum ex adverso, quod concessio ducis non tenuit, cum laicus ecclesiastica jura, et præsertim spiritualia, conferendi non habuerit potestatem. Nec valet, quod Bracharensis archiepiscopus et episcopus Colimbriensis in ducis charta subscripsisse dicuntur, cum nec charta ipsa publica sit manu confecta, nec illorum sigilla dependant ex eadem, quare fidem penitus demeretur. Nec nocet etiam, quod prædictus Adrianus papa prædictas ecclesias cum pertinentiis suis, juxta quod in charta ducis ipsius, et confirmatione Ulixbonensis episcopi continetur, confirmavit ecclesiæ Sanctæ Crucis, cum crediderit ducem ipsum jus patronatus et temporalia, et epi-

(253) Decretal. om. hæc verba et infra vocem *evidenter*.

(354) Decretal., *rasuras*, et infra om. verbum *potius*.

scopum, tanquam diœcesanum, spirituale concessisse. Constat autem ex confessione partis alterius, et ex tenore privilegiorum prædictorum Alexandri et Cœlestini, prædecessorum nostrorum, prædictas ecclesias ad Colimbriensem diœcesim pertinere cum eis, et quibusdam aliis numeratis in eorum privilegiis, subjungatur, quæ omnes in episcopatu Colimbriensi consistunt. Unde, cum pars altera pro se iis privilegiis uteretur et illa etiam impetravit, ea nec debebat in hoc, nec poterat reprobare.

Præterea, privilegium Adriani novum jus non contulerat monasterio, sed habitum confirmarat; unde, concessio ducis ipsius, quæ prius erat invalida, non susceperat ex ipsius confirmatione valorem. Adversus hæc autem, pars altera replicavit, quod tandiu ecclesias ipsas et ecclesiam Sancti Joannis positam in civitatis Colimbriensi surburbio possederat ecclesia Sanctæ Crucis, quod præscriptione legitima poterat se tueri, cum etiam ex illo tempore, quod Adrianus easdem ei ecclesias confirmarat, et quo ipsi bona fide illas potuerant possidere, usque ad tempus litis conceptæ, fuissent quadraginta anni et aliquot menses elapsi. Constitit ergo nobis, omnibus diligenter inspectis, ex forma quoque sententiæ judicum prædictorum, quod monasterium Sanctæ Crucis, sæpedicti ducis tempore, prædictarum ecclesiarum fuerat possessionem adeptum, cum ipse omnes ecclesias, quas monasterium de manu regis receperat, ad jus Colimbriensis ecclesiæ præceperit revocari, et receptio ad possessionem pertinere noscatur. Constitit etiam ex forma petitionis tuæ, qui eas tibi restitui postulabas, ipsam adhuc easdem ecclesias possidere. Similiter quoque constitit, ipsam eas medio tempore possedisse, ac quod etiam a tempore prædicti Adriani, qui eas confirmarat eidem spatium quadraginta annorum fuerat, tempore motæ litis, elapsum; et, licet asseruerit pars altera in judicio coram nobis, bonæ memoriæ G. (255) Sancti Angeli diaconum cardinalem, tunc apostolicæ sedis legatum, tibi super his omnibus imposuisse silentium, sic videretur quod lis contestata fuerit coram eo, tamen, tum ex depositionibus testium nobis plene fuit veritas patefacta, videlicet quod nec lis contestata fuisset, nec sententia promulgata, cum, inspectis privilegiis pontificum Romanorum, super his noluerit te audire. Cum ego longe ante quadraginta annos, et postmodum medio tempore, monasterium Sanctæ Crucis prædictas constet ecclesias possedisse, ac nunc etiam possidere, nec ex adverso interruptio sit probata, tam prædictas ecclesias de Leiren, quam ecclesiam Sancti Joannis Colimbriensis, de fratrum nostrorum consilio, adjudicamus monasterio Sanctæ Crucis, super eis tibi silentium imponen-

A tes. In hoc quoque non derogamus judicibus delegatis, cum coram eis exhibitum non fuerit privilegium Adriani, cujus auctoritate canonici Sanctæ Crucis se credere potuerunt bonæ fidei possessores, nec alia etiam instrumenta. Super eo vero, quod in quinquaginta marcis auri expensarum nomine, ac duobus millibus aureorum, quos sæpedictus M. Colimbriensis episcopus contulerat ecclesiæ Sanctæ Crucis, tibi eamdem ecclesiam condemnarunt, de voluntate partium eorum sententiam taliter curavimus moderari, ut de quinquaginta marcis auri, viginti, et de duorum millibus aureorum, mille monasterium tibi solvere teneatur. [Cum autem libertatem a prædecessoribus nostris indultam monasterio confirmemus, ad jus possessionis, quod est B contrarium libertati, monasterium decrevimus non teneri, non derogantes judicibus delegatis, quibus libertatis privilegia non fuerant præsentata.] Cæterum, super eo quod idem judices decreverunt, ut pro domibus Portæ novæ, in quibus parochiale jus ecclesia Colimbriensis habuerat, monasterium tantum juris recompensaret eidem in loco alio competenti, quantum amiserat in domibus memoratis, omnino corrigimus sententiam quam tulerunt, ad id censentes monasterium non teneri. [In cæteris autem, latam a prædictis judicibus sententiam, *tam* pro Colimbriensis ecclesia, *quam monasterio Sanctæ Crucis, auctoritate apostolica* (256) confirmamus,] etc. Nulli ergo diffinitionis et confirmationis, etc. Si quis, etc.

C Datum Ferentini, VI Kal. Julii.

## CX (256).

GUALANDO, SUBDIACONO NOSTRO, ET B. VITALI, CANONICI PISANIS.

*Litem quamdam inter privatos super quibusdam terris dirimit.*

(Ferentini, V Non. Julii.)

[Illo vos credimus scientiæ dono vigere], quod super eo, de quo nos consulere voluistis, quid juris sit liquido cognoscatis. Quia tamen nostro postulastis edoceri responso, ne sub ipsius exspectatione responsi decisio negotii prorogetur, præsentibus vobis litteris duximus respondendum. [Sane, per vestras *nobis* (258) litteras intimastis, quod, *cum* causam, quæ vertitur inter *Henr. et Bandum*, filios D *Guidonis* (259) de Cosa, et G. filiam *Taberti* (260), et hæredes ipsius, super quibusdam *vineis* (261), præfatis personis pro viginti *quatuor* libris pignori obligatis, vobis duxerimus committendam], dantes vobis per nostras litteras in mandatis, ut ipsam G. et hæredes ipsius ad restituendas vinea, et quidquid ultra sortem perceperant ex eisdem, restituere conquerentibus, per pœnam in Lateranensi concilio contra usurarios promulgatam, cogere curaretis,

(255) Vide supra, epist. 107 not.

(256) Decretal. om. verba Italico charactere distincta.

(254) Exstat inter Decretales, lib. III, tit. 21, *De pignoribus et aliis cautionibus*, cap. 4.

(258) Decretal. om. vocem *nobis* et modo *cum*. Decretal. *H.* et *B.... G.*

(259) Addit. *ex una parte*.

(260) Decretal. *T. et hær. ips. ex altera*.

(261) Decretal. *terris* et infra *tribus* pro *quatuor*.

vos, ut juxta mandatum nostrum procederetis in negotio memorato, partes citare curastis. Cumque essent in vestra præsentia constitutæ, [pro parte prædictæ G. et hæredum suorum, fuit propositum *coram vobis* (562-65), terras quas idem H. et B. repetebant, ab eis non esse pignori obligatas, sed pure venditas, sicut in instrumento confecto exinde plenius continetur, præfatus vero Henr. pro se ac fratre suo firmiter asserebat, terras non esse pure venditas, sed pignori obligatas, cum venditioni prædictæ talis fuerit adjecta conditio, ut si a tempore contractus usque ad duos proximos annos, præfato T. emptio displiceret, G. pater Henr. abinde usque ad annum *unum* (264) viginti sex libras, perceptis fructibus computatis in ipsis, dare deberet, *sicut in eodem instrumento asserebat firmiter contineri* (265), (266). *Verum* quia, *sicut in eisdem litteris denostatis* ambigitis utrum pura sit et absoluta venditio; an præfactus contractus pignus debeat judicari, *per nostras postulastis litteras edoceri. Nos autem, consultationi vestræ taliter* (267) respondemus, quod, qualiscunque fuerit intentio contrahentium, ex forma contractus venditio non *apparet* (268) conditionalis, sed pura, quamvis possit per conditionem resolvi. Ex duobus tamen quæ in pacto fuerunt expressa, videlicet quod fructus percepti deberent in solvenda pecunia numerari, et quod ultra summam receptam *quadraginta* (269) solidi debent persolvi, contra ipsum emptorem præsumitur vehementer, præsertim, si usuras consueverit exercere], fraudemque committere usurarum.

Datum Ferentini, v Non. Julii.

CXI.

J. (270) PRIORI, ET CLERICIS SANCTI GREGORII SPOLETANI.

*Causam quæ inter ipsos et fratres cujusdam hospitalis vertebatur dijudicat.*

Cum tu, fili prior, ad nostram præsentiam accessisses, causam quam habebas adversus fratres hospitalis quod est juxta ecclesiam vestram situm, dilecto filio, L. (271) tituli Sanctæ Crucis presbytero cardinali, commisimus terminandam. Proposuisti ergo in nostra præsentia constitutus, quo R. prædecessor tuus, vacare volens operibus pietatis, quoniam honestum non erat ut in dormitorio fratrum pauperes reciperet et infirmos, locum quemdam positum infra claustrum hospitalis specialiter deputavit. Ascitis igitur Petro et Gir. laicis, qui, etsi bonæ conversationis essent, nec habitum tamen religionis acceperant, nec alicui loco religioso, vel ordini, vinculo erant professionis astricti et eis ecclesiæ B. Gregorii offerentibus se et sua, et obedientiam et A reverentiam priori promittentibus memorato, ipse religiosa eis tradidit vestimenta, et ad hospitalitatis ædificium deputavit. Hospitale autem sumptibus ecclesiæ vestræ constructum ecclesia eadem usque ad tempora motæ litis in pace possedit, ordinando, corrigendo et disponendo pro suæ arbitrio voluntatis et omnes, qui se ad hospitalis obsequium conferebant, se offerebant ecclesiæ vestræ prius, et priori qui erat pro tempore reverentiam et obedientiam promittebant, et ordinabantur et instituebantur in singulis officiis ab eodem hospitalis priore. Licet prædicto R. et successoribus ejus obedientiam et reverentiem promisisset (272), ea tamen tibi, fili prior, penitus denegata, sine licentia vestra prioris sibi officium usurpavit. Præterea, cum R. quondam B frater hospitalis ipsius, ecclesiæ vestræ fuisset oblatus, oblationes quas ad sepulcrum ejus fratres hospitalis receperant vester œconomus repetebat, et petebat instanter ut opus novæ capellæ destrui faceremus, quod dicti fratres super sepultura eidem R. contra libertates et immunitates ecclesiæ vestræ, post interpositam ad nos appellationem, erexerant in vestrum præjudicium et gravamen. Corpus etiam ipsius oblati sibi restitui postulabat. Ad hæc, cum quidam oblatus ecclesiæ vestræ capellam Sancti Nicolai de Ponte Manubiæ construxisset, et ipsam contulisset eidem ecclesiæ, sicut publicum continet instrumentum, et diœcesani episcopi jus suum vobis contulissent in ea ipsaque vobis postmodum per sedem fuerit apostolicam confirmata, et vos eam diu possederitis sine lite, quoniam hospitalarii cleC ricos vestros ex ipsa ejecerant violenter, restitutionem ejus et terrarum quæ in Salian. consistunt, idem œconomus cum fructibus inde perceptis cum instantia postulabat. Cæterum procurator hospitalis ipsius, præsentibus quibusdam fratribus hospitalis cruciferorum Bononien, proposuit ex adverso, quod prædictus R. quondam ecclesiæ vestræ prior, de canonicorum ipsorum assensu, fratri Cleto, et tam Petro quam omnibus ministris et officialibus ejus libere quoddam concesserat tenimentum, in quo liceret eis construere hospitale ad usus pauperum et religionis cruciferorum augmentum, quod, cum fuisset illorum sollicitudine consummatum, tam ipsi quam successores eorum illud per quadraginta annos pacifice suo nomine possederunt, ordinando et D disponendo pro propria voluntate; sed nunc tu fili prior, occasione prædicti R. quondam fratris hospitalis ipsius, qui a quibusdam creditur esse sanctus adversus eos movebas indebite quæstionem, volens illud in jus ecclesiæ Sancti Gregorii revocare. Capellam quoque sancti Nicolai de Ponte Manubiæ in-

(262-63) Decretal. om.
(264) Decretal. om.
(265) Desunt Decretal.
(266) Desunt Decretal.
(267) In Decretal. om.; aditur *et* post *contrah.*
(268) Decretal. *appareat.*
(269) Decretal., LX.

(270) Ad eum sæpius scripsit Innocentius; vid. Epist. libri quinti 5, et libri sexti 26.
(271) Ex ista Innocentii Epistola eruitur, Leonem de quo vide Epistol. libri quinti v, not., ante annum 1205 titulum S. Luciæ in Septi-solio cum titulo S. Crucis permutavisse.
(272) Sic in Apogr., sed deest aliquid.

juste petebas, cum fundator ipsius hospitalis, frater exstiterit, et eam ad majorem cautelam obtulerit hospitali.

Adjecit etiam, quod super terris de Salian. ipsos contra justitiam impetebas, cum non ad ecclesiam Sancti Gregorii, sed ad hospitale potius pertinerent. Nos igitur, intellectis per cardinalem eumdem his et aliis quæ fuerunt hinc inde proposita, et episcoporum authenticis rationibus, attestationibus et allegationibus partium diligenter auditis, vobis, et per vos ecclesiæ vestræ, adjudicamus hospitale prædictum, ita, ut novas exactiones non faciatis in eo, cum bona ipsius ex consuetudine hactenus observata debeant pauperum usibus applicari. A restitutione autem oblationum, quas petebatis a fratribus hospitalis, ipsos de consilio fratrum nostrorum absolvimus, cum, et si prædictus R. oblatus vester fuisset, nihilominus tamen frater fuerit hospitalis. Quia vero ex depositionibus testium constitit evidenter, quod, post appellationem ad nos interpositam, in præjudicium ecclesiæ vestræ opus fuerat novæ capellæ constructum, illud destruendum præsentium auctoritate censemus. Restitutionem autem corporis locum decernimus non habere, quoniam, cum per testes vestros fuerit sufficienter ostensum, corpus prædicti R. in vestro fuisse cœmeterio tumulatum, et probatum similiter ex adverso eum esse in hospitalis solo sepultum, nec translatio corporis proposita fuerit vel probata, constat illud adhuc esse in sepultura priori. Capellam vero Sancti Nicolai de Ponte Manubiæ, nullo medio ad domum hospitalis ejusdem, et eo mediante ad ecclesiam vestram, pertinere censemus, cum fuerit ex hospitalis parte probatum, Tantinum, quondam fratrem ipsius, eam ad opus cruciatorum et pauperum construxisse, et præcessisse donationem quam fecerat hospitali, donationem quam ecclesiæ vestræ fecit, collatis ad invicem confectis super donationibus ipsis publicis instrumentis, salvo tamen episcopali jure, quod ad vos in ea ex donatione diœcesanorum episcoporum noscitur pertinere. Ad restitutionem autem terrarum de Salian. fratres hospitalis ipsius, vobis, et per vos ecclesiæ Sancti Gregorii condemnatus. Nulli ergo... diffinitionis, etc.

Datum Ferentini, VIII Id. Julii.

CXII (273).

PRIORI SANCTI FRIDIANI (274,) C. ET C. CANONICIS LUCANENSIBUS.

*Causam electionis prioris ecclesiæ S. Petri Lucanensis dijudicat.*

(Ferentini, VIII id. Julii).

Cum causam, quæ inter presbyterum Bonum, et Brunum, canonicum ecclesiæ Sancti Petri Lucanensis vertitur, super eo quod supradictus presbyter Bonus a majori parte canonicorum ejusdem ecclesiæ, prædicto Bruno; et quodam alio contradicentibus, in priorem, sicut dicitur, est electus, olim vobis duxerimus committendam; vos, sicut ex litteris vestris accepimus, partes citare curastis, ut juxta mandatum nostrum causam ipsam fine possetis canonico terminare. Cumque in vestra essent præsentia constitutæ, dictus presbyter Bonus cum instantia postulabat, ut electionem de se factam auctoritate curaretis apostolica confirmare. Sed præfatus Brunus contrario respondebat illum non esse dignum regimine prioratus, crimen ei objiciens Simoniæ, quodque ipsius electio non erat canonice celebrata, et quia professus non erat, ipsum afferebat merito repellendum. Verum, cum de Simonia nihil fuisset probatum, nec aliquid contra modum electionis ostensum, movit vos vehementer ipsius ecclesiæ privilegium, in quo continebatur expressum, ut nullus ibi, qualibet subreptionis astutia, reponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et B. Augustini regulam, providerint eligendum; unde, [quamvis multi priores continue unus post alium in ipsa ecclesia per multa et longa tempora fuerint non professi, quia tamen præfatus presbyter Bonus non est professus observantiam regularem, dubitastis, et merito, nobis inconsultis procedere *contra privilegium sedis apostolicæ concessum ecclesiæ memoratæ*(275). Quia *vero* debemus attendere non solum modo quid sit factum sed quid sit potius faciendum, consultationi vestræ taliter respondemus, quod, cum secundum legem divinam non sit in bove arandum et asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana linoque contextam, electionem prædictam, *sublato cujuslibet appellationis obstaculo* (276), irritetis, et compellatis præfatum presbyterum aliosque clericos non professos, ut vel B. Augustini regulam in eadem ecclesia constitutam profiteantur et servent aut ipsam ecclesiam omnino dimittant]. Contradictores, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Nullis, litteris, veritatis... quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, VIII Id. Julii.

CXIII (277).

SALSEBURGENSI ARCHIEPISCOPO, ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Adversus occisores episcopi Herbipolensis, et de eorum pœna.*

(Ferentini, V Non. Julii).

Sicut impietatem sub specie pietatis exercent, qui impios in impietatibus suis fovent, sic pii esse impiis comprobantur, qui eorum nequitiam temporaliter vindicant, ne gravius in eos æternaliter vindicetur, in vindicta etiam retribuentes eis bona pro

(273) Exstat, sed mutila, inter Decretales, lib. I, *De electione et electi potestate*, cap. 27.
(274) Vide supra.
(275) Decret. om. et *igitur* legunt pro *vero*.
(276) Decretal. omittunt.

(277) Partem epistolæ hujus vulgavit Raynaldus, an. 1203, § 48. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt. Conferendæ omnino Epistolæ, libri quinti 155, et libri sexti 51.

malis, et a similibus alios cohibentes. Sane, ad vindictam malefactorum est etiam Petri gladius exercendus, ne, si hunc rubigo consumat, trahat in Ecclesiæ corpore pars corrupta sinceram, ut non solum per impunitatis licentiam fiant iniquiores iniqui, sed æquis etiam agendi materia nequiter tribuatur, si lætentur alii cum male fecerint, et in rebus pessimis glorientur. Siquidem, cum luporum rapacitas non solum in ovile dominicum grassetur et oves, sed in ipsos jam pastores ovium et custodes ovilis insidias moliatur, sitiens eorum sanguinem, et insidians animabus, mercenarii diceremur verius quam pastores, si fugeremus, ovibus nostris et compastoribus derelictis, et stragem eorum a longe siccis oculis videremus, nec poneremus nos murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso. Quantæ autem temeritatis audaciam, et quantæ immanitatis flagitium viri nequam, filii Belial, in occisione bonæ memoriæ C... Herbipolensis episcopi, imperialis aulæ cancellarii, perpetrarint, vobis novimus esse notum, nobis autem deflere libet potius quam referre. Non enim suffecerat sceleratis quod christum Domini manibus peremerant violentis, nisi desævirent etiam in peremptum, et tanquam viveret in membris occisus, in eis ipsum rursus occiderint, et corpus exanime in frusta diviserint minutatim. Utinam autem aliqui zelum Dei secundum scientiam habuissent, ut exemplo levitæ singula frusta cadaveris, quæ prædicti fecerant homicidæ, ad singulas partes Theutoniæ destinassent, ut sic saltem ecclesiæ filios potuissent ad vindictam tanti sceleris excitare. [Cæterum, licet in homicidas hujusmodi et fautores eorum, per priores litteras quos super hoc vobis meminimus destinasse, spiritualiter duximus procedendum, ut tamen temporaliter etiam puniantur, et sicut eorum excessus est notorius, sic memorialis sit in generatione et generationem sceleris perpetrati vindicta, præsentium auctoritate statuimus, ut tam homicidæ ipsi quam hæredes eorum, universis feudis et beneficiis Herbipolensis ecclesiæ, quam specialiter offenderunt, ecclesiarum etiam cæterarum, cum in ea læserint ecclesiam generalem, careant in perpetuum, nec illa ullo unquam tempore assequantur, nisi forsan aliquando de sedis apostolicæ indulgentia secutura posteritas misericordiam mercatur. Adjicimus etiam ut si beneficia vel feuda quælibet ecclesiarum ubi fuerint obtinuerint, universa diœcesis, in qua id attentare præsumpserunt, subjaceat interdicto ita, quod nullum in ea divinum officium vel sacramentum ecclesiasticum, præter baptisma parvulorum et pœnitentiam morientium, celebretur, sed nec mortuorum corpora tradantur sepulturæ, donec vel illi a sua præsumptione desistant, vel habitatores ejusdem diœceseos eorum conatibus se opponant.

Volumus etiam, ut, cum in Herbipolensi ecclesia episcopus de novo fuerit institutus, non prius ei fidelitatem laici faciant, aut obedientiam clerici repromittant, quam id se juravit servaturum. Præterea, cum nomen castri Ravennesburc, quod in fundo Herbipolensis ecclesiæ, sicut dicitur, est fundatum, ipsum episcopum occidentes in signum bellicum, quasi concrepantes classicis, exclamarint, se per hoc ad intersectionem ejus, tanquam ad gloriosi triumphum certaminis, animantes, sententiam quam nobiles ipsius diœcesseos super ipsius castri et aliarum munitionum, domorum et possessionum suarum demolitione tulerunt, ratam et gratam habentes, districte præcipimus exsecutioni mandari, et ad id nobiles ipsius diœceseos et ministeriales ecclesiæ ac vicinos omnes per interdictum terræ compelli, quod sub prædicta districtione servetur. Cæterum, cum quidam, statim post occisionem episcopi memorati, cum armis in auxilium concurrerint occisorum, ut eos contra ministeriales ecclesiæ ac nobiles terræ foverent, illos præcipimus excommunicationis sententiæ subjacere, ac singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, excommunicatos publice nuntiari, donec satisfacturi apostolico se conspectui præsentarint. Eos autem, de quibus vehementer præsumitur quod in necem ejus consilium præstiterint, vel assensum, quos frater, et consanguinei occisi propriis nominibus duxerint exprimendos, per excommunicationis et interdicti sententiam ad purgationem compelli volumus exhibendam, in qua si forte defecerint, excommunicatos eos sicut alios supradictos præcipimus nuntiari, et ubicunque præsentes exstiterint, eis præsentibus divina celebrari vetamus. Ad hæc, cum nec tutum, nec honestum existat, ut... filius Henr. de Ravenesburc, fratris Bosonis, cujus pater et patruus fuerunt in necem ejusdem episcopi machinati, consiliis ecclesiæ Herbipolensis intersit, venerabili fratri nostro, G..... Prænestino episcopo, apostolicæ sedis legato, dedimus in mandatis, ut ei auctoritate nostra suffultus per commutationem idoneam in alia ecclesia, quæ sit ab Herbipolensi remota, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, non differat providere, præbendam illius aliis collaturus. Monemus igitur fraternitatem vestram, et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta districte præcipientes mandamus, quatenus tenorem litterarum nostrarum frequenter, et solemniter publicantes, faciatis ea quæ prædiximus adimpleri. Contradictores per excommunicationis et interdicti sententias, sublata appellatione, compellentes. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint harum mentione non habita.

Datum Ferentini, IV Non. Julii.

### CXIV (278).

O. HERBIPOLENSI PRÆPOSITO; NOBILI VIRO G. BURGRAVIO, ET EORUM CONSANGUINEIS.

*De eodem argumento ac in epistola superiori.*

(Ferentini, VIII Id. Julii.)

Dolet, et doluit Ecclesia generalis, et nos cum ea et pro ea doluimus, et dolemus, quod, dici super

(278) Epistolæ hujus fragmenta edidit Raynaldus, anno 1203, § 49. Vide epistolam superiorem.

excrescente malitia, filii matrem eviscerant, et paternum sanguinem sitiunt genimina viperarum. Ecce etenim, reverentia divina postposita, et non solum clericali honestate neglecta, sed pontificali etiam auctoritate contempta, spretis legibus, et canonibus vacuatis, filii in patrem armantur, et in pastorem proprium oves, vel lupi potius sub ovina pelle latentes insidias moliuntur, tendentes laqueos quibus capiant innocentes, sicut in occisione bonæ memoriæ C. Herbipolensis episcopi, imperialis aulæ cancellarii, novimus accidisse. [Attendentes siquidem quidam iniquitatis filii, quod idem episcopus contrarius esset eorum operibus, nec anima ejus in eorum veniret assensum, qualiter eum perderent cogitarunt]; et quoniam nocere non poterant inimici, ac scientes quod familiaris nocet amplius inimicus, amicitias simularent, et tunc insurrexerunt in eum, cum credebantur a prioris iniquitatis proposito recidisse. Licet autem super nece ipsius condoleamus vobis dolentibus, et per nos etiam doleamus, ea præcipue ratione, quod ad consequentiam trahitur scelus istud. et impunitas criminis incentivum tribuit delinquendi, in eo tamen consolationem accepimus, et vos similiter consolamur, quod, sicut de divina miseratione speramus, unde per mortem ipsius militia est militantis Ecclesiæ minorata, inde triumphus Ecclesiæ triumphantis est auctus, et quod idem episcopus, mortuo in eo quod mortale fuerat, et quod potuerat corrumpi corrupto, immortalitatem et incorruptionem indutus, temporalia in æterna, in cœlestia terrena, viam in patriam, et exsilium commutavit in perpetuam mansionem, ubi neque clamor, neque luctus, neque dolor erit ultra, quæ prima, eo transeunte de mundo ad Patrem pariter transierunt. [Quia enim bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, de cætero reposita est ei corona justitiæ quam reddet illi Dominus justus judex. Nam, si quid humanæ fecis ex humana infirmitate vel diabolica suggestione contraxit, hoc in eo sanguinis lavacrum abluit, et supplicium, quod pro tuenda ecclesiæ suæ libertate sustinuit, expiavit.] Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, quatenus in eo qui consolatur nos in omni tribulatione vestra consolationis suscipiatis solatium, et in verbis istis studeatis invicem consolari, cum ei sit merito congaudendum cujus gaudium non mutabitur de cætero in dolorem nec detrimentum sentiet, sed augmentum. Qualiter autem ad vindicandam hujusmodi immanitatem sceleris duxerimus procedendum, per litteras nostras vestræ poterit inquisitioni patere.

Datum Ferentini, VIII Id. Julii.

A

### CXV (279).

PRIORI ET CONVENTUI DE BOMIN (280).

*Recipit eos sub protectione, et bona ipsorum confirmat*

(Ferentini, VIII Id. Julii.)

Consuevit annuere sedes apostolica, etc., *usque* assensu. Ecclesiam vestram et personas inibi Domino famulantes, cum omnibus quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut, etc., *usque* suscipimus; statuentes, ut canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eadem, etc., *usque* observetur. Præterea, ecclesiam parochialem de Bomin. cum capellis de Lanhedroc, Sanctæ Margaritæ de Biri, Sancti Thomæ, Sancti Michaelis, et aliis appenditiis suis; ecclesiam de Aldestowe, cum capellis B Sancti Cadoci et Sancti Petroci de Trerofait, portu et portus sultagio, et cæteris appenditiis suis; ecclesiam de Helinton, cum appenditiis suis; jus quod habetis in ecclesia Sanctæ Marmuræ, in capellis et appenditiis suis; ecclesiam de Widiel, cum pertimeniis suis; ecclesiam Sanctæ Thetæ, cum appenditiis suis; jus quod habetis in ecclesia de Heglosseil, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Holecumbe, cum appenditiis suis; ecclesiam de Niventunen, cum appenditiis suis: villam de Bomin. cum Landa, Bosco de Bodan, et appenditiis suis; Rieltun. cnm Hondremannaria (281) de Pedresire, libertatibus, consuetudinibus et appenditiis suis; Helinton. cum consuetudinibus et appenditiis suis; Aldestorwe, cum libertatibus et appenditis suis; Lanwe-ledic, cum appenditiis suis; Rietterhe, cum appenditiis C suis; Widiel. cum appenditiis suis; Bendere, cum piscaria super Alan. et aliis appenditiis suis; Pentir. cum appenditiis suis; Tredernon, cum appenditiis suis; Lanhidroc, cum appenditiis suis; quidquid habetis in Bodiniel; Fosnewit, cum appenditiis suis; Holeinse, cum pertinentiis suis; Niventon, cum appenditiis suis, sicut ea juste ac pacifice possidetis, vobis, et per vos Ecclesiæ vestræ, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Sane, novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de hortis, etc., *usque* præsumat. Libertates quoque et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas, etc. perpetuis temporibus manere sancimus. Prohibemus insuper, ut nulli liceat in vos vel in ecclesiam vestram excommuni-D cationis vel interdicti sententiam, sine manifesta et rationabili causa proferre, vel vos novis et indebitis exactionibus aggravare. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, etc., *usque* celebrare. Liceat quoque vobis ad ecclesias vestras capellanos eligere, ac diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei

(279) Epistolam hanc laudat Raynaldus, anno 1203, § 67.

(288) Agitur hic (saltem opiniatur) de prioratu de *Bodmyn*, ordinis S. Augustini, in agro Cornubiensi sito. De monasterio isto nihil reperitur in *Monastic. Anglic.*, tom. II pag. 5, præter chartam unam Henrici regis III, Manerium de *Nivetone*, (forte idem ac ecclesiam quæ hic vocatur de *Nivetunen*). Canonicis de *Bodmyn* olim concessum confirmantis.

(281) *Hondremanvaria* sic diserte legitur in apographo Conti. Vox incognita, tum Spelmanno, tum Cangio, forte exponi posset *Manerio centum hominum* cum *Hondredus*, seu *Hundredum*, seo *Hondreda*, Anglis dicatur *Centena*, vel *Centuria*. Vine *Spelman.* pag. 302. Vide etiam *Cang.*, tom III, col. 1255.

fuerint, episcopus curam animarum committat, ut A ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Obeunte vero, te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, etc. *usque* eligendum. Ad indicium autem hujus a sede apostolica protectionis perceptæ, bisantium unum gratis oblatum persolvetis nobis, nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo, ut nulli omnino... nostræ protectionis concessionis, et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, VIII Id. Julii.

CXVI.

PALENTINO, ET..... ZAMORRENSI EPISCOPIS, ET P. SUEVI ARCHIDIACONO ASTORICENSI.

*Ut adversus magistrum scholarum Astoricensis ecclesiæ, de falsitate suspectum inquirant.*

(Ferentini, V Id. Julii.)

B Cum Christus sit veritas, et diabolus in veritate non steterit, profecto tanquam membrum diaboli contra Christum esse convincitur, qui veritatem odiens committit vitium falsitatis. Unde, crimen istud tanto est severius puniendum, quanto per ipsum magis offenditur proximus, et amplius contemnitur ipse Deus. Cum ergo N. magister scholarum Astoricencis ecclesiæ, apud nos propter præsumptiones multiplices vehementer sit de falsitate suspectus, licet in præsentia nostra nihil plene probatum fuerit contra eum, ne tamen tantum dissimulare vitium videamur, eum a delegatis nostris ab officii exsecutione suspensum, a perceptione beneficiorum, in detestationem tanti criminis, duximus suspendendum ; discretioni vestræ per apostolica C scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus in Astoricensi et omnibus circumpositis diœcesibus faciatis publice ac solemniter nuntiari, ut, si quis contra eum voluerit agere super crimine falsitatis, infra tres menses a tempore factæ denuntiationis coram vobis appareat et proponat ; et vos eumdem magistrum scholarum, si super hoc convictus fuerit vel confessus, aut etiam notorium esset crimen, juxta constitutionem a nobis contra falsarios editam, puniatis ; alioquin, purgationem ei canonicam indicatis, in qua si forte defecerit, juxta constitutionem eamdem, appellatione remota, procedatis in illum. Si vero canonice se purgaverit, tam ad officium quam beneficia ipsum auctoritate nostra restituere procuretis. Nullis litteris veritatis, etc. Quod si non D omnes... duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, V Id. Julii.

CXVII.

VITELLO, SUBDIACONO NOSTRO, CASTELLANO LARIANI.

*Ut super ordinatione duorum canonicorum in ecclesia Sanctæ Mariæ de Neme inquirant.*

(Ferentini.)

Conquesti sunt nobis dilecti filii, N. et J. quod cum per venerabilem fratrem nostrum, J. (282) Abalnensem episcopum, in ecclesia Sanctæ Mariæ de Neme fuissent canonici ordinati . . . . . . prior et fratres sancti Anastasii eos de ipsa contra justitiam ejecerunt. Unde, petebant ut ipsos in ea restitui faceremus. Prior autem cum alio fratre in nostra præsentia constitutus quoddam publicum instrumentum ostendit, per quod nitebatur probare institutionem et destitutionem clericorum in ecclesia memorata, non ad episcopum Albanensem, sed ad monasterium Sancti Anastasii pertinere ; sed econtra prædicti clerici allegabant, quod scientibus, et non contradicentibus monachis, de mandato episcopi antedicti fuerant in eadem ecclesia instituti, et aliquanto tempore pacifice commorati, quod prædicti prior, et monachus omnino negabant. Quia vero pro publico præsumitur instrumento, donec in contrarium legitime probetur, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus testes quos super iis utraque pars duxerit producendos, studiose recipias et examines diligenter, circumstantias prudenter inquirens, et attestationes fideliter scriptas sub tuo sigillo nobis mittas inclusas, præfigens partibus terminum conpetentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Tu vero, sine personarum acceptione mandatum apostolicum fiducialiter exsequaris, testes qui nominati fuerint, si gratia, timore, vel odio se subtraxerint, cogens per censuram ecclesiasticam veritati testimonium perhibere.

Ferentini.

CXVIII (283).

J. DOMUS S. TRINITATIS CERVI-FRIGIDI MINISTRO EJUSQUE FRATRIBUS.

*Recipit eos in protectionem B. Petri.*

CXIX (284).

MARSICANO EPISCOPO (285).

*Causam matrimonialem dijudicandam ipsi committit.*

(Ferentini, II Id. Julii.)

Per tuas *nobis* (286) litteras intimasti, quod cum *in præsentia tua* quædam mulier *Pacifica* (287) nomine, quemdam nomine *Nicolaum* postularet in virum, asserens inter se mutuum de præ-

(282) Joannes, natione Longobardus, tituli S. Clementis presbyter cardinalis, a Clemente PP. III, anno 1188 ; a Cœlestino vero PP. III, anno 1193, episcopus Viterbiensis ; demum anno 1199, ab Innocentio, episcopus Albanensis renuntiatus est. Anno 1210, Romæ e vita excessit. *Oldoin. ad Ciacon.* t. I, col. 1143.

(283) Epistolam hanc laudat Raynaldus, anno 1203, § 67. Argumentum tantummodo exhibemus. Quo casu in collectione nostra tenor ipsius epistolæ hodie non reperiatur, nescire fatemur. Certe, in indice apographi Conti quem fideliter exscribi curavimus, ad paginam codicis 459 exstare dicitur.

(284) Legitur, sed mutila, inter Decretales, lib. IV, tit. 5, *De conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus*, cap. 6.

(285) Benedictus, patria Romanus, creditur vixisse post Joannem VI, circa annum Domini 1200 ; quo fortasse sedente, Jacobus comes, magnus Apuliæ justitiarius, confirmasse legitur bona ecclesiæ S. Thomæ Cantuariensis, anno 1208. UGHEL. in serie episcoporum Marsicanorum, *Ital. sacr.* t. VII, col. 708.

(286) Decretal. om., ut infra *i. p. t.*

(287) Decretal. *P.* et MODO *N.*

senti consensum, et carnalem copulam accessisse, vir ipse, quamvis contractum sponsalium et carnis copulam non negaret, asserebat tamen se illam in uxorem ducere non teneri, quia sponsalia inter ipsos sub hac fuerant conditione contracta, si *videlicet* (288) pater ejus et patruus sponsalibus consentirent. Sed ipsi quam cito noverunt, et sponso contradixerunt et sponsæ, *quod idem vir idoneis nitebatur testibus comprobare.* Verum mulier replicabat, quod licet fides præstita fuerit ab utroque sub conditione præscripta, non tamen sibi fuerat a patre viri, vel patruo aliquando contradictum, et ante tempus contradictionis expressum a testibus, et post illud dicebat inter se carnalem copulam accessisse; addebat præterea, quod licet a principio conditionaliter contraxissent, temporis tamen processu sine conditionis adjectione pure in matrimonium consenserunt, et hoc asserebat se testibus probaturam. Receptis itaque testibus utriusque, cum attestationes mulieris, coram te præsentibus duobus examinatoribus, faceres publicari, testes, quorum dicta legebantur, illico proclamarunt quod ipsi quæ legebantur non dixerant, et quæ deposuerant, scripta non erant, sed ab uno examinatorum tunc contra eos fuit fortifier obviatum, et ab hoc mulier postulabat, ut idem testes, vel alii super eisdem capitulis iterum audirentur. Tu autem, hac novitate commotus, sequentem diem partibus præfixisti, quibus in tua præsentia constitutis, omnes examinatores convocari jussisti, sub interminatione anathematis illos obtestans, ut dicerent, si essent illæ veræ attestationes quibus obviaverant testes: qui continuo alias attestationes in medium produxerunt, quibus cum per advocatum viri fuisset objectum, sicut prioribus fuerat a testibus obviatum, post allegationes multiplices, secundæ attestationes a partibus admissæ fuerunt, et attestationes viri postea publicatæ. Porro, mulier illi præcipue articulo insistebat, quod ante renuntiationem sponsalium et post, idem vir carnaliter ipsam cognoverat, et ex ea filiam procrearat, quod proprio nitebatur ostendere juramento. Quia vero super his opiniones non solum varias, sed contrarias accepisti, ad magisterium apostolicæ sedis recurrens, humiliter postulasti quid sentiendum sit in talibus edoceri. Nos autem, inspectis attestationibus admissis a partibus, quas nobis tuis misisti litteris interclusas consultationi tuæ taliter respondemus; quod, cum liquido constet, per confessionem tam viri quam mulieris, quod post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio quidem præsumendum est vehementer, quia videtur a conditione interposita recessisse. Nam, etsi probatum sit utcunque per testes, quod postquam pater et patruus viri contradixere sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali commistio-

A ne cognovit, non est tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipse cognovisset eadem, pater ejus et patruus contradicere curavissent.

Datum Ferentini, II Id. Julii.

CXX.

R. CANTORI; ET R. PRIORI DE MONTE-LEPROSORUM; J, DE SAGIO, CANONICO; ROTHOMAGENSIBUS.

*Litteras a R. sacerdote de Colevill. fraudulenter obtentas revocat.*

(Ferentini, IV Id. Julii.)

Ex tenore litterarum, quas nobis per dilectum filium, Ph. latorem præsentium, destinastis, intelleximus evidenter, R. sacerdotem de Colevill. ac dilectos filios, de Prato.... de Monte-Leprosorum, et Sancti Laudi priores, Rothomagenses, super quæstione, quæ inter ipsum et dilectum filium, abba-
B tem (289) et conventum de Becco, super manerio de Collevill. et rebus aliis vertitur, litteras apostolicas impetrasse, qui, cum partem citassent adversam, dictus presbyter coram eis noluit litigare. Postmodum vero, idem presbyter super eodem negotio vobis nostras litteras præsentavit, in quibus de prioribus mentio non fiebat. Cumque vos in causæ cognitione velletis procedere, partibus ad vestram præsentiam convocatis, memoratus abbas proposuit coram vobis, quod non teneretur per illas litteras sæpedicto presbytero respondere, cum per alias fuisset citatus, quæ auctoritate illarum non fuerant revocatæ. Verum, quia super hoc dubitastis, sedem duxistis apostolicam consulendam. Nos igitur, attendentes fraudem presbyteri memorati, duas com-
C missiones super eodem negotio impetrantis, quarum altera non faciebat mentionem de reliqua, quia fraus et dolus ei patrocinari non debent, decernimus ut ipse commodo careat utriusque.

Datum Ferentini, IV Idus Julii, anno sexto.

CXXI (290).

CAPITULO NOVARIENSI

*Pacta quædam canonibus repugnantia dissolvit.*

(Ferentini, XII Kal. Augusti.)

Cum piæ recordationis C. prædecessor noster, quamdam ordinationem iniquam, quam de instituendis canonicis ad beneficia non vacantia feceratis, ita videlicet, quod quilibet vestrum nepotem suum, consangnineum vel amicum in ipsa ecclesia ordinarat, justitia cassaverit exigente, nunc, sicut accepimus,
D contra cassationem hujusmodi fraudem adhibentes et dolum, ad ordinationem eamdem vel consilium processistis, cum præbendam vacare contingit, unum eligendo de illis, quorum ordinatio est cassata, qui, vel alius pro eo, pactionibus vel stipulationibus obligatur, quod illius præbendæ proventus rediget in communi, et nihil amplius inde quam unus aliorum percipiet cassatorum, et hoc juramento firmastis quod ad electionem seu ordinationem alte-

(288) Decretal. om. verba cursivo charactere distincta hic et infra.

(289) Guillelmus II, abbas de Becco, qui obiit XIV Kal. Octobris anno 1211, sedit, ex Chronographo, annis 13, mensibus 2, et duabus hebdomadis, uno die excepto. *Gall. Christ.* t. XI, col. 231.

(290) Vide Raynaldum, anno 1203, § 66.

rius nullatenus procedatis, donec quilibet de cassa- A tis integrum beneficium obtinebit; unum etiam pro alio permutatis illicite, et statum apostolicum evacuare poscitis, sanctuarium Dei, quasi hæreditario jure possidere conantes. Licet autem ex illa cassationis sententia hujusmodi personæ cassatæ non reddantur indignæ, quominus valeant ecclesiastica beneficia obtinere, quia tamen fraus et dolus alicui patrocinari non debent, et nos, secundum prophetam, dissolvere debemus colligationes impietatis et fasciculos deprimentes (*sic*), per apostolica vobis scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus collusionem hujusmodi penitus rescindatis. Alioquin, omnes eos qui ad hoc aliquo pacto, vel juramento, vel alio quolibet, vinculo tenentur astricti, nisi infra quindecim dies post receptionem præsentium B colligationem talem dissolverint, tanquam sacris canonibus inimicam, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

Datum Ferentini, XII Kal. Augusti.

*Scriptum est* archiepiscopo Mediolanensi et episcopo Novariensi, *ut præmissa auctoritate apostolica publicare procurent.*

Datum, *ut supra.*

### CXXII.

#### R. LUCANO ELECTO.

*Ipsum ad sedem apostolicam sacerdotii gradum et consecrationis beneficium suscepturum vocat* (291).

(Ferentini, x Kal. Augusti.)

Dilecti filii, J. prior Sancti Fridiani Lucani, et B. Fasolus, canonicus Pisanus, per suas nobis litteras intimarunt, quod, receptis litteris quas eis super C causa tua curavimus destinare, per unius mensis spatium exspectarunt, si quis forsitan appareret, qui aliquid proponeret et probaret super matrimonio quod contraxisse cum vidua dicebaris, excommunicantes solemniter, et excommunicationem suam facientes per universas Lucanæ civitatis ecclesias nuntiari, si quis impedire præsumeret, quominus testes perhiberent testimonium veritati. Verum, elapso fere jam mense, cum tui eis adversarii suggessissent, quod Ingerannus potestas, R. consiliarius et M. notarius civitatis Lucanæ, ab eis qui contra te laturi fuerant testimonium, exegerant et receperant juramentum, ne quid contra te proponerent coram ipsis, et prædicti prior et B. Pisanus canonicus, id tibi fecissent, sicut debuerant, nuntiari; potestas, consiliarius, et notarius, memorati, ad D eorum præsentiam accedentes, tactis sacrosanctis Evangeliis, juraverunt quod nullus super hoc eis tenebatur astrictus, quominus veritati testimonium perhiberet, et quod ipsi, nec per se, nec per alios, quemquam cogerent aut cogi permitterent, nec aliquem impedirent, quominus procederet ad testimonium proferendum, universos, quantum in eis fuerat, absolventes, si qui eis super hoc aliquatenus tenerentur. Cumque nec sic contra te aliquis processisset, delegati prædicti, te ab impetitione matrimonii absolventes, auctoritate tibi apostolica mandaverunt, ut infra mensem sequentem, juxta mandatum nostrum, purgationem canonicam exhiberes. Cæterum, adversarii tui ad nostram audientiam appellarunt, ne delegati tuam purgationem admitterent, nisi compurgatores tecum duos saltem episcopos adhiberes, cum in litteris nostris mentio de episcopis haberetur, similiter prohibentes, ne quosdam, quos te compurgaturos audierant, ad purgationem admitterent, cum parati essent dicere contra eos. Et, licet delegati sæpius nominati appellationi hujusmodi non duxerint deferendum, quoniam in litteris nostris obstaculum fuerat appellationis amotum, et jam eis de malitia et odio quo adversarii tui te persequebantur inique constabat, cum et bonæ famæ prædicti compurgatores existerent, et in suis gradibus, ecclesiis et honoribus tolerarentur ab Ecclesia, nec delegati aliquid sinistri de ipsis audiissent, verbum tamen quoddam, quod fuerat in litteris nostris appositum, vehementius eos movit, ubi videlicet scriptum erat, quod per septem inter episcopos Tusciæ, vel canonicos majoris Ecclesiæ, seu priores ecclesiarum sodalium civitatis Lucanæ, presbyteros, aut diaconos bonæ famæ, tuam purgationem reciperent, non obstantibus litteris, quas, de episcopis non habita mentione, tui adversarii reportarant. Ex hoc enim videbatur eisdem, quod ad purgationem tuam duo saltem essent episcopi adhibendi. Verum, dilecti filii, J. canonicus Santi Martini, H... presbyter, prior S. Reparatæ, et magister J, canonicus Sanctæ Mariæ Forisportam, in delegatorum præsentia juraverunt, quod verbum illud, de adjectione videlicet episcoporum fuerat ad petitionem ipsorum a nobis adjectum, ita tamen quod, si possis alios septem inter canonicos et priores ecclesiarum sodalium compurgatores habere, adhibere ad purgationem episcopos nullatenus tenereris, sicut ab ore nostro se audisse dicebant; addentes, quod ideo in capitulo ipso suppressa fuerat copulativa conjunctio, et posita disjunctiva. Deinde vero, cum ad ecclesiam Sancti Fridiani, prædicto priore aliquantula infirmitate gravato, ad ejus, et condelegati sui præsentiam accessisses, dilecto filio, P. basilicæ duodecim Apostolorum presbytero cardinali, majori parte cleri Lucani potestate, ac aliis multis præsentibus et clamantibus quod tuam vellent innocentiam compurgare, coram altari B. Fridiani, tactis sacrosanctis evangeliis, juravisti, quod neque cum vidua, neque cum alia muliere matrimonium contraxeras, nec uxorem alterius cognoveras te sciente, nec perjurium, vel excommunicationem scienter incurreras, super his præsertim de quibus fueras impetitus. Generaliter quoque de omnibus, quæ tibi objecta fuerant, te solemniter purgavisti. Ad hæc, Tolemeus cantor, J. præsbyter, magister Palmarius, et Opizo diaconus,

(291) Vide epistolas, libri quinti 140, 153, libri sexti 58, 112.

A

et canonici Santi Martini, S. Reparatæ, Sancti Michaelis, et Sanctæ Mariæ Forisportam priores, qui sacerdotii funguntur honore, publice juraverunt, quod te verum jurasse credebant super omnibus, quæ te non commisisse juraras. Quia igitur rectis dispositionibus nihil moræ, vel difficultatis debet afferri, ne gregi dominico diu desit cura pastoris, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus usque ad ferias Quatuor Temporum nunc proximo venturas nostro te conspectui repræsentes sacerdotii gradum, et consecrationis beneficium suscepturus.

Datum Ferentini, x Kal. Augusti.

CXXIII.

..... ABBATI SANCTI BOSCIANI ; ET ..... DE CERRETO LAUDENSIS DIOECESEOS, ET ..... SANCTI GABRIELIS CREMONENSIS PRIORIBUS.

B

*Ut inquirant de electione abbatis* S. *Petri de Pado*

(Ferentini.)

Per litteras dilectorum filiorum, capituli monasterii Sancti Petri de Pado... abbatis Sancti Sigismundi... archidiaconi, et.... Præpositi S. Luciæ Cremonensis, quos ad recipiendam resignationem dilecti filii, Lanf. ipsius monasterii tunc abbatis, duximus deputandos, nostris est auribus intimatum, quod cum dictus Lan, de nostra licentia resignasset regimini abbatiæ, fratres ejusdem loci convenientes in unum, dilectum filium, J. monachum, in pastorem suum unanimiter elegerunt, cujus electionem suppliciter postulabant auctoritate apostolica confirmari. Verum, quia de idoneitate personæ nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si eamdem electionem de persona idonea inveneritis canonice celebratam, ipsam vice nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, confirmetis. Quod si non omnes his... duo vestrum, etc.

C

Datum Ferentini.

CXXIV.

NOBILI VIRO J. COMITI TRICARICENSI,

*Ut terram, quam de manu hostium Theutonicorum recuperabit, servet ad dispositionem Romanæ Ecclesiæ.*

(Ferentini.)

Nobilitati tuæ, quam hactenus fidelem ac devotam sumus experti, et amodo fideliorem ac devotiorem experiri speramus, provida dispensatione concedimus, ut terram, quam de manibus hostium, Theutonicorum videlicet, ac fautorum ipsorum poteris liberare, ad nostræ dispositionis arbitrium, et regiæ fidelitatis obsequium teneas, et conserves, et donec expensas recuperes, quas pro ipsius acquisitione te utiliter præter debitum fecisse monstraveris, infra terminum competentem, cum super hoc fueris requisitus, restituere non cogaris. Nulli ergo hanc nostræ concessionis, etc.

D

Datum Ferentini.

CXXV.

MAGISTRO GUALFREDO, CLERICO SANCTI MAURICII DE TARDUBIATO.

*Suscipit eum in protectionem.*

(Ferentini, IV Id. Julii.

Solet annuere, etc., *in modum protectione usque* suscepimus. Specialiter autem ecclesiam Sancti Mauricii de Tardubiato, sicut ipsam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus. Nulli ergo nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, IV Id. Julii.

CXXVI.

ABBATI (292) ET CONVENTUI VILLÆ MAGNÆ

*Ne quis in monasterium eorum ipsis invitis intrudatur.*

(Ferentini, VIII Id. Augusti.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod quidam in monasterium vestrum consanguineos et amicos suos, vobis invitis, intrudere moliuntur, et ad receptionem eorum vos minis et terroribus non solum inducere sed compellere non formidant. Eapropter, dilecti in Domino filii, monasterio vestro providere volentes, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis in monasterium ipsum aliquos, præter vestrum vel majoris partis consilii sanioris assensum, intrudat. Nulli ergo... inhibitionis, etc.

Datum Ferentini, VIII Id. Augusti.

CXXVII.

EISDEM.

*Jurisdictionem temporalem in Villa magna ipsis confirmat.*

(Ferentini, VIII Id. Augusti.)

Sicut nostris est auribus intimatum, licet tu, fili abbas, et prædecessores tui temporalem jurisdictionem in Villa magna, quæ ad monasterium vestrum nullo pertinet mediante, libere consueveritis exercere, habitatores ipsius pro suis excessibus temporaliter punientes ; nunc tamen quidam eorum, volentes contra stimulum calcitrare, auctoritatem vestram eludere moliuntur, et ad aliorum protectionem confugiunt, ut vestram subfugiant potestatem. Quia vero pati nec volumus nec debemus, ut monasterium ipsum sui juris sustineat læsionem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus in habitatores Villæ prædictæ, secundum antiquam et approbatam consuetudinem, jurisdictionem exerceatis libere temporalem.

Datum Ferentini, VIII Id. Augusti.

CXXVIII.

........ABBATI SUBLACENSI (293)

*De provisione Ecclesiæ de Scanzano.*

(Ferentini, II Id. Augusti.)

Cum dilectus filius, Nicolaus miles, nobis olim proposuerit conquerendo, quod venerabilis frater

(292) Berengarius II Villæmagnense cœnobium, ab anno 1173 usque ad annum saltem 1205, rexisse ex instrumentis comprobatur, *Gall. Christ.* t. VI, col. 405.

(293 Vide epistolam libri quinti 82.

noster, Marcianus episcopus (294), Bonum hominem presbyterum in Ecclesia de Seanzano ad præsentationem quorumdam instituerit patronorum, eo irrequisito, inscio et contempto, qui non minimus patronorum existit, dilecto filio... præposito Sancti Salvatoris de Paterno, et magistro Joanni, canonico Celanensi, causam super hoc duximus committtendam, qui, partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, licet per assertiones partium constiterit eisdem, in contemptum ipsius militis, patroni ejusdem ecclesiæ, jam dictum fuisse presbyterum institutum, institutionem tamen ipsius ob reverentiam episcopi non cassantes, utrique parti jus suum decreverunt illæsum servari. Nos igitur, intellecto quod institutio ejusdem presbyteri facta fuerit prædicto Nicolao, patrono, irrequisito, inscio et contempto, per episcopum qui non ignoraverat jus ipsius, eam exigente justitia decrevimus irritandam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, ne dicta ecclesia maneat desolata rectore, prædicto Nicolao et aliis patronis auctoritate nostra præcipias, ut unanimiter in personam convenientes idoneam, eam instituendam in eadem Ecclesia memorato episcopo repræsentent. Si vero super hoc concordare noluerint, jam dictus episcopus ecclesiam ipsam de persona idonea secundum statuta canonica poterit ordinare.

Datum Ferentini, II Id. Augusti.

## CXXIX (295).

S. (296) TITULI S. PRAXEDIS PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Exhortatur eum ad subeundum patriarchatum Hierosolymitanum quem pro sui integritate, recusabat.*

(Ferentini, XVII Kal. Septembris.)

Ut lapsum humani generis repararet unigenitus Dei Filius, Jesus Christus, cum in forma Dei esset, exinanivit, ut testatur Apostolus, semetipsum, formam servi suscipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo, et elegit sibi Hierosolymam passioni, factus obediens Deo Patri usque ad mortem crucis, et peccata nostra in corpore suo pertulit super lignum, reputatus cum iniquis, et cum latronibus crucifixus. Nisi ergo de ingratitudinis vitio servus voluerit inutilis condemnari, nec jugum, nec jugulum recusabit subire pro Domino, cum Dominus tradiderit se pro servo morte turpissima condemnatus. Sane (ut omnem occasionem nobis Dominus tolleret, nec ad excusandas excusationes in peccato negligentiæ locum aliquem reservaret, quidquid servus pati potuisset pro Domino, pene passus est Dominus ante pro servo. Quis ergo terrena omnia non relinquat pro eo quem descendisse novit a cœlestibus ad terrena? Quis animam suam non ponat pro illo, qui pro eo spiritum emisit in cruce? Siquidem, ut retribuamus ei aliquid pro omnibus quæ tribuit ipse nobis, nec tribulatio, nec angustia, nec mors, nec gladius nos debet aliquatenus retardare, quominus si necessitas exigat, et deposcat utilitas, gustemus pro eo calicem passionis.]

Si enim quemadmodum ambulavit ambulare disponimus, et vestigia ejus sequi, nec opprobria exprobantium, nec hostis familiaris insidias, nec inimici sævientis potentiam debemus aliquatenus formidare, qui in viis ambulemus ipsius, et pedes nostros in ejus semitis dirigamus, passo compatientes ad tempus, ut in æternum regnanti feliciter conregnemus. Novimus etenim, et certum tenemus, tam ex prophetica quam evangelica lectione, quod improperium exspectavit cor ejus, cum ei lingua maledicentiam exprobraret, quod filius fabri esset, potator vini, et publicanorum amicus. Novimus, quod qui edebat panes ejus erexit calcaneum contra ipsum. Novimms, qualiter sputo conspersus, cæsus colaphis, spinis coronatus, Pilati tyrannidem pertulit patienter, crucifixus ad ultimum, et lancea perforatus. [Nunquid ergo tuo te factori negabis, ut recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire, quam ipse suo sanguine consecravit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, nunquid non adibis hæreditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui per te disposuit forsitan in terram peregrinationis, et prædicationis suæ semen evangelicum propagare?] Absit, ut labores, dolores et timores evites, paupertates, anxietates et necessitates effugias, ne subeas onus illud, a quod es divina dispositione vocatus! Absit, ut pro illo labores evites, qui pro te per prophetam se asserit laborasse, dicens in psalmo: *Laboravi sustinens* (*Jer.* VI), et de quo evangelista testatur quod hora quasi sexta sedebat supra puteum ex itinere fatigatus! Absit, ut pro eo dolores evites, quem pro te non dubitas doluisse, juxta quod ipse asserit in propheta: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor similis sicut dolor meus* (*Thren.* I); et qui de se ipso in Evangelio protestatur: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Philipp.* II)! Absit, ut pro illo timores evites qui de se legitur in Psalmo dixisse: *Timor et tremor venerunt super me* (*Psal.* LIV), et de quo in Evangelio loquitur quod cœpit pavere et tædere! Absit, ut pro eo fugias paupertatem, qui pro te pauper est factus, juxta quod asserit in Propheta: *Pauper, et dolens ego sum* (*Psal.* LXVIII), et in Evangelio: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII).

(294) Supra; epistol. hujusce libri sexti 119.

(295) Diversa epistolæ hujus fragmenta exhibet Raynaldus, anno 1203, § 10. Quæ apud ipsum leguntur, hic, de more, uncis inclusa sunt.

Ampliorem et continuata serie expressam, legere est in Gestis, § LXXXVIII. Sed et illic quædam duobus in locis differunt, quædam in fine omnino desunt. Integram et numeris omnibus absolutam exhibemus ex apographis indubitatæ fidei, Vaticano et Conti. Ea quæ in Gestis vel aliter leguntur vel desunt, duplici ad initium cujusque lineæ virgula in margine apposita distinximus.

(296) De eo sæpius jam dictum est.

absit ut pro eo anxietates refugias, in cujus persona loquens Propheta sic ait : *Auxiatus est in me spiritus meus, et in me turbatum est cor meum* (*Psal.* CXLII), et qui asserit de se ipso : *Baptisma habeo baptizari, et coarctor donec perficiatur* (*Luc.* XIII). [Absit, ut pro eo necessitates effugias, qui pro te, ut alia taceamus, se in famis et sitis necessitatem induxit, juxta quod legitur in Propheta : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII], et sicut de eo evangelista testatur. quod cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus postea esuriit, et qui cum clamasset in cruce : *Sitio* (*Joan.* XVIII), acetum, sive virum mirratum, sive etiam felle mistum, crucifigentium dextera propinavit. Si forte te moveat, quod ad illius Ecclesiæ præsulatum vocaris, cujus ad præsens non poteris possessionem adire, utpote quæ fere tota nunc ab hostibus detinetur, ad tempus illud reducas oculos tuæ mentis, quo Jacobus frater Domini, suscepit Hierosolymam gubernandam, non quidem faventem sibi, sed potius repugnantem ; utpote in qua illi tenebant eo tempore potentatum, qui et Dominum crucifixerant extra urbem, et circa templum postmodum ipsum Jacobum occiderunt. Et, licet Joannes et Thaddæus secundum carnem fuerint fratres Domini, Jacobus tamen specialiter dicitur frater ejus, utpote qui relictam fratris defuncti duxit uxorem, ut semen ei juxta legem Mosaycam suscitaret ; qui etiam non incongrue dicitur supplantator, cum quodam modo apostolos supplantavit, utpote qui quamvis primus inter alios non fuisset, cæteris tamen quasi jus primogenituræ præripuerit, dum primogenitam suscepit ecclesiam gubernandam, de quo videlicet Propheta testatur, quod de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Hæc est civitas Regis magni, de qua multa dicta sunt gloriosa, et illud quasi præcipuum quod subjungitur : *Mater Sion dicet homo, et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altssiimus* (*Psal.* LXXXVI).

Præterea, licet pars ipsius ecclesiæ, quod dolentes referimus, in excidio terræ sanctæ capta fuerit, et ab hostibus trucidata, pars tamen quæ manus evasit hostiles, imo etiam ipsa ecclesia quæ per novam est sobolem renovata, in pastorem te sibi expedit, et exspectat. Non ergo de loco causeris, cum personas habeas, quas gubernes, quia nomen Ecclesiæ ad personas refertur amplius quam ad locum, licet ad hoc spiritualiter postuleris, ut de loco sollicitus ad recuperationem ipsius, et re-

A integrationem terræ Nativitatis Dominicæ totis veribus elabores. Accedentes enim ad præsentiam nostram dilecti filii.... prior, et .... canonici sepulcri Dominici, tam viva voce, quam per litteras (297) : » Capituli sui, suffraganeorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, charissimi in Christo filii vostri, A. regis Hierosolymitani illustris, et plurium aliorum, nobis humiliter intimarunt, quod bonæ memoriæ M. (298). Patriarcha Hierosolymitani, viam universæ carnis ingresso, convenerunt in unum, ut de præficiendo sibi pontifice pariter pertractarent. Cumque talem quærerent, qui tantam posset ecclesiam in hujus tempestatis articulo provide gubernare, factum est, Domino faciente, quod in te contulerunt unanimiter vota sua, nobis humiliter supplicantes,
B ut et tibi districte præcipere dignaremur, quatenus eorum desideriis assentires, et pallium tibi ad perfectionem pontificalis officii mitteremus. Addiderunt insuper, quod nisi te in patriarcham concederemus eisdem, tota orientalis Ecclesia dissolutionem honestatis, et religionis enervationem incurreret, et a notitia matris suæ, videlicet Romanæ Ecclesiæ, in confusionem propriam contumacius aberraret. Licet autem propter evidentem utilitatem Ecclesiæ Romanæ, cujus te membrum magnum et honorabile reputamus, grave sit nobis, et fratribus nostris non modicum, et molestum, te ad postulationem eorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ concedere in pastorem, cum valde necessarius nobis existas, tanquam vir nobilis, et honestus, facundus, et litteratus, et tam in temporalibus providus, quam
C spiritualibus circumspectus, maxime propter illum specialis devotionis affectum quam ad personam nostram habere dignosceris, et propter illam familiaris dilectionis dulcedinem, quam erga te probamur habere ; propter urgentem tamen (299) necessitatem, non solum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed totius orientalis provinciæ, quamdam nobis quasi violentiam inferentes, monemus discretionem tuam et exhortamur attente, et in remissionem injungimus peccatorum, obsecrantes per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus, divinæ vocationi consentiens, prædictorum omnium desideriis condescendas, et electionem recipias de te factam ; ne, si aliter egeris, voluntati divinæ resistere videaris, quæ tamen et a volentibus et a nolentibus
D semper impletur ; prudenter attendens, ne, si persona minus idonea, vel forsan indigna, eidem præficeretur ecclesiæ, juxta desiderium aliquorum, tibi propter contradictionem tuam posset non im-

(297) Hæc differunt ab his quæ leguntur in Gestis, *loc. cit.*

(298) Agitur hic de *Monacho*. Monachus, de Florentina civitate oriundus, cum Hierosolymam devotionis causa venisset, a patriarcha primum cancellarius, deinde archiepiscopus Cæsariensis creatus fuerat, ex qua ecclesia ad Hierolymitanam transit anno 1194, et obiit anno 1203. Hunc Cæsariensem archiepiscopum electum, missum Antiochiam cum Eraclio, patriarcha Hierosolymitano, et aliquot aliis episcopis, a Balduino IV, ut Boamundum principem cum suo patriarcha Aymerico reconciliare conarentur, refert *Willelmus Tyrius*, lib. XXII, c. 7. Ad eum, jam ad patriarchatum evectum, spectant nonnullæ Innocentii epistolæ, lib. I et II. Ejus quoque meminit ALBERICUS, *Chronic.* an. 1153, pag. 324. Videndus insuper UGHELLUS, *Ital. sacr.*, t. III, col. 487, et t. IV, col. 1097. Qui plura velit, adeat LE QUIEN, *Or. Christ.*, t. III. col. 1252.

(299) Quæ sequuntur, his concinunt quæ leguntur in Gestis, *loc. cit.*

merito imputari. Nec laborem istum refugias tanquam proficere nequeas ut exoptas, quia Deus non tam profectum remunerat quam laborem, propter quod dicit Apostolus : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*II Cor.* III), et alia Scriptura testatur : *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Unde caute dixit Apostolus : *Plus omnibus laboravi* (*I Cor.* XV), nec dixit omnibus plus profeci; quanquam ex laboribus tuis profectus speremus non modicos proventuros.

« (300) Nos ergo, pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, dilecto filio nostro, P. (301) tituli S. Marcelli presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, per præsentium latores dirigimus, tibi juxta formam solitam, quam ei sub bulla nostra mittimus, conferendum. Tu vero, vel a B suffraganeis, vel aliis quibuslibet catholicis duntaxat episcopis auctoritate nostra te facias in episcopum consecrari, cum nolimus ut ad nos, pro munere consecrationis obtinendo, labores, et Ecclesia Hierosolymitana tantarum dispendia subeat expensarum. Ut autem benevolentia nostra non remitti, sed augeri circa te potius videatur, volumus ut injunctæ tibi legationis officium cum prædicto legato nihilominus exsequeris, cum ita Ecclesiæ Hierosolymitæ te conferre velimus, ut Ecclesiæ Romanæ te nolimus auferre.

Datum Ferentini, XVII Kal. Septembris, anno sexto.

« *Scriptum est* cardinali, *ut eum ad hoc moneat et inducat, hoc addito*, quod si forsan ad id induci nulla potuerit ratione, tu et ipse apud vos pallium reservetis, procurantes, ut prior, et canonici se- C pulcri Dominici aliam sibi personam idoneam, et Ecclesiæ Romanæ devotam eligant in pastorem, cui tandem, negotii serie nobis plenius intimata, juxta quod a nobis receperitis in mandatis, pallium conferetis.

Dat., *ut supra.* »

## CXXX

S. TITULI SANCTÆ PRAXEDIS PRESBYTERO CARDINALI.

*Exhortatur eum ad patienter sustinendum labores pro terra sancta præferendos.*

(Ferentini, IV Idus Augusti.)

Si aliquando in hoc mari magno et spatioso, ubi reptilia, quorum non est numerus, animalia quoque pusilla et magna terrent sæpius navigantes, mens tuæ discretionis concutitur, incursus fluctuum et D ventorum formidans impulsus, non miramur aliquatenus, nec movemur, cum in mari timeat omnis homo, ita ut ipse apostolorum princeps, cui concessum a Domino fuerat, ut super undas maris ad eum veniens ambularet, videns ventum validum venientem, non solum timuerit, sed fuerit pene submersus, nisi divina eum dextera erexisset. Fluctuat enim hic mundus ut mare, nec est facile ut quis in fluctuanti non fluctuet, aut in eo, qui in

(300) Ab hinc usque ad finem rursus differunt Gesta, *loc. cit.*

(301) De eo jam egimus supra.

A eodem statu non permanet, immobilis perseveret, præsertim, cum nec invisibiles etiam hostes desint, qui et per se invisibiliter, et visibiliter per hostes visibiles quos immittunt, eos maxime non terrere solummodo, sed dejicere moliuntur, qui manum mittunt ad fortia, et, posteriorum obliti, ad anteriora jugiter se extendunt. Sane, si de mundo fuisses, mundus quod suum erat forsitan dilexisset, ut omnia tibi mundana succederent, et nihil tuum desiderium præteriret. Verum, quia non es de mundo, ut mundana secteris, cum non quæ tua sunt quæras sed quæ sunt potius Jesu Christi, nec gloriam propriam expetas, sed crucis verius crucifixi, cum Apostolo, etsi non exterius voce, tamen interius mente clamans : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* odit te mundus, et quem per prospera sibi conciliare non potuit, adversis nititur perturbare. Non est igitur nobis vel tibi mirandum, si crucis obsequio specialiter deputatus, et in terra crucifigentium constitutus, mente ac corpore cruciaris, cum non cruciari nequeat crucis bajulus, dum infirmitati compatitur proximorum, et dolet causam negligi crucifixi. Ipse siquidem Moyses, qui eduxit populum de Ægypto, et serpentem in eremo exaltavit, murmurationes suorum sustinuit, et insidias hostium est perpessus, et Apostolo, qui gloriabatur in cruce, angelus Satanæ fuit ad stimulum deputatus, ne illum revelationum extolleret magnitudo. Quia vero secundum laborem proprium mercedem recipiet unusquisque, nec sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, non debes vel inter nimios labores deficere, vel inter onera quæ quasi solus in partibus illis sustines desperare, sed in eo qui consolatur nos in omni tribulatione nostra potius consolari, utpote quem dixisse legisti : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI); cum nec ignores quod non coronabitur, nisi qui legitime decertarit. Si doleas igitur domum Domini factam esse speluncam latronum, et hæreditatem nostram, imo verius Jesu Christi, non solum ad extraneos, sed ad inimicos etiam catholicæ fidei esse versam, in hoc ejus imitator existes, qui de se ipso asserit in Propheta : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* LXVIII); et cui hæreditas propria est præclara. Si tristaris quod terram passionis et resurrectionis Dominicæ possident Sarraceni, templum coinquinant, et veluti impune sanguinem sanctorum effundunt, ejus inhæres vestigiis qui deplorat in psalmo : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam* (*Psal.* LXXVIII). Si mœreas quod principes et alii qui signaculum crucis assumpserant, tanquam filii Ephrem, intendentes arcum et mittentes sagittas, sint in die belli conversi, et a

(302) Legitur, sed non integra, apud Raynaldum, anno 1203, § 9. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

puritate prioris propositi recedentes, negligere videantur reliquias terræ sanctæ, nobiscum mærebis pariter et cum illo qui eis exprobrat in propheta : *Filios*, inquiens, *enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I) ; illique succedere te ostendes, qui civitatem Dei ab amicis etiam asserit inter angustias destitutam. Sit igitur tibi hæc tristitia materia gaudii, et mœror in lætitiam convertatur, nec doleas si non omnia tibi succedunt ad votum, cum ex contingentibus nil omittas. Gaudeas quoque, si pro eo fatigeris ad tempus qui pro nobis exinanivit, ut Apostolus asserit, semetipsum, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, si pro omnibus quæ tribuit ipse tibi, etiam calicem quem biberat ipse bibas, cum ipse pro te calicem gustaverit passionis. Nos autem, non tantum indigni vicarii, sed inutiles servi ejus, et compatimur passionibus tuis, et doloribus condolemus, et labores tuos, in quibus possumus, intendimus relevare, nec obliviscimur tui aut reliquiarum terræ Nativitatis Dominicæ, licet propter locorum distantiam et raritatem nuntiorum te non valeamus, ut volumus, per nuntios aut litteras sæpius visitare. Nec diffidas ex eo quod exercitus signatorum in Græciam dicitur divertisse, quoniam nos, quantum possumus, de terræ sanctæ sumus subventione solliciti, et ad ejus subsidium totis nisibus aspiramus. Nosse quoque te volumus, quod, licet P. tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, cum Venetis non potuerit transfretare, ante adventum tamen a præsentia nostra recessit, ita quod, cum litteras tuæ devotionis recepimus, navem transfretationis intrarat.] Qualiter autem super facto Tyrensis Ecclesiæ duxerimus procedendum, et litterarum, quas super hoc dirigimus, tibi poterit inspectione patere.

Datum Ferentini, IV Idus Augusti, anno sexto.

### CXXXI.

TYRENSI ELECTO (303).

*Arguit, quod vix ad archiepiscopalem sedem electus, inobedientiæ et præsumptionis vitium non vitaverit.*

(Ferentini, II Id. Augusti).

Cum te non solum legisse sed docuisse credamus, quod omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur, debueras humilitatem in exaltatione sectari, ne cum Propheta, si aliter ageres, deplorares : *Exaltatus autem, humiliatus sum et confusus* (*Psal.* LXXXVII). Inter tuæ quoque promotionis primitias, et tantæ primordia novitatis, tenebaris cautius providere, ne promotus cornua elevationis assumeres, et contra eum temere superbires, qui, post Deum tuæ promotionis actor, et electionis fuerat confirmator : ne, si statim ad aquilonem poneres sedem tuam, cum angelo apostata statum converteres in ruinam. Accepimus enim quod, cum in terram Nativitatis Dominicæ tanquam peregrinus et advena navigasses, dilectus filius noster, S. tituli S. Praxedis presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, apud dilectos filios, Tyrenses canonicos, quantum permittebat honestas, interposuit partes suas, ut te sibi eligerent in pastorem. Cumque fuisses electus a canonicis, et a legato ipso postmodum confirmatus, qui tibi etiam spiritualium et temporalium administrationem commisit, mutatus es in virum alterum, sicut legitur de Saule, cujus utinam inobedientiam non sequaris, et casum similem non incurras ! Legato igitur protinus te opponens, nobis, et apostolicæ sedi cujus auctoritate fungitur, in eo te opponere præsumpsisti, et ingratus gratiæ tibi factæ, inobedientiæ vitium non vitasti. Contra consilium quoque cardinalis ipsius, te fecisti postmodum in episcopum consecrari, et in die solemni solemniter in pontificalibus celebrasti. Unde, propter hoc et alia quædam, legatus ipse in te suspensionis sententiam promulgavit, donec ejus te conspectui præsentares. Et, licet ipse sententiam illam relaxarit ex parte, tu tamen in tua contumacia perseverans, in ejus distulisti diutius præsentia comparere. Quamvis autem tantæ indevotionis initia vix bona credantur novissima secutura, plus tamen necessitatem Hierosolymitanæ provinciæ attendentes, pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, prædicto et dilecto filio P... tituli S. Marcelli presbytero cardinali, apostolicæ sedis legatis, duximus destinandum, ut de ipso, prout viderint expedire, disponant, sic videlicet, ut illud, juxta formam quam eis sub bulla nostra transmittimus interclusam, tuæ devotioni conferant, si tibi fuerit merito conferendum. Utinam ergo te talem exhibeas, ut non inhonorari debeas, sed merearis potius honorari !

Datum Ferentini, II Id. Augusti.

### CXXXII.

REGI HIERUSALEM ET CYPRI.

*Commendat ei ecclesiam Tyrensem.*

(Ferentini, II Idus Augusti.)

Etsi te devotum noverimus principem et fidelem, te tamen ad opera pietatis sollicitius invitamus, ut tanto ferventior ab bonas operationes assurgas, quanto de salute tua majorem sollicitudinem noveris nos habere. Inde est, quod celsitudinem regiam monemus attentius et hortamur, quatenus Tyrensem ecclesiam, quæ, peccatis exigentibus, pro terræ Hierosolymitanæ miseria lacrymari videtur, et, illa captiva, consolari non potest, habeas propensius commendatam, et ejus sublevans paupertatem qua laborat ad præsens, sibi decimas et alia debita jura et tu ipse persolvas, et persolvi facias a

(303) De Tyrensi electo, ad quem hæc dirigitur epistola, nihil apud auctores. Joricum, al. *Josium*, al. *Jorsium*, al, *Josephum*, Tyrensem archiepiscopum, ab anno 1179 usque ad annum 1190 agnoscit LE QUIEN, *Or. Christ.* t. III, col. 1316 ; sed quis ipsi et quando fuerit datus successor, nescire fatetur.

subjectis. Verum, quia Ecclesia ipsa patriarchæ A Hierosolymitano de mandato apostolicæ sedis obedit, diligenti sollicitudine studeas providere, ne, occasione subjectionis illius, Ecclesia illa justitiæ vel dignitatis suæ patiatur contra justitiam detrimentum.

Datum Ferentini, II Id. Augusti.

CXXXIII.

S. TITULI SANCTÆ PRAXEDIS, ET P. TITULI SANCTI MARCELLI, PRESBYTERIS CARDINALIBUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ut Tyrensis ecclesiæ jura tueantur.*

(Ferentini, VII Id. Augusti.)

Ut Tyrensis ecclesia, quæ, peccatis exigentibus, multis est calamitibus et jacturis oppressa, per vos in justitiis suis auxilium habeat opportunum, B discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus de quæstionibus omnibus quas ipsa ecclesia coram vobis super diœcesibus, vel aliis duxerit proponendas, ei per censuram ecclesiasticam justitiam faciatis sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo exhiberi. Testes autem, etc. Nullis litteris,etc. Quod si non ambo, etc.

Datum Ferentini, VII Id. Augusti.

CXXXIV.

C. EPISCOPO, IN ARCHIEPISCOPUM TYRENSEM ELECTO (304).

*Ipsi et ecclesiæ Tyrensi decimas confirmat.*

(Ferentini, XVII Kal. Septembris.)

Solet annuere, etc., præsentium auctoritate statuimus, ut, si qua terrarum, aut vinearum, vel C aliarum rerum possessio, de quibus ecclesiæ Tyrensis provinciæ decimas recipere consueverunt, ad aliorum devenerit potestatem, tu, Tyrensis ecclesia, et suffraganei tui, nullum de decimis consuetis patiamini detrimentum, dummodo talis sit ipsius consuetudo provinciæ, ut non tam personarum quam prædiorum obtentu decimæ persolvantur,salvis tamem privilegiis et indulgentiis pontificum Romanorum. Nulli ergo, etc.

Datum Ferentini, XVII Kal. Septembris.

CXXXV.

ABBATISSÆ, AC MONIALIBUS SANCTÆ MARIÆ MAJORIS DE HIERUSALEM.

*Confirmatio bonorum et capellæ cujusdam.*

(Ferentini, XIX Kal. Septembris.)

Quoties a nobis petitur,etc.,*in modum protectionis.* Specialiter autem cappellam,quam de concessione dilecti filii, S.tituli Sanctæ Praxedis presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati,apud Achon, in domo vobis a charissima in Christo filia, illustri regina Hierosolymitana, collata intuitu pietatis, nuper construere incœpistis, sicut eam juste ac pacifice possidetis,auctoritate vobis apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

CXXXVI.

RECTORI HOSPITALIS DE ROCHELLES (*al.* DE ROCHELLO).

*Recipit eum sub protectione, cum censu unius obuli aurei.*

(Ferentini, VIII Kal. Septembris.)

Solet annuere,etc.,*usque* assensu,personam tuam et ipsum hospitale de Rochelles, quod de novo nosceris construxisse, cum omnibus,etc., *in modum protectionis.*Ad indicium autem hujus ab apostolica sede protectionis obtentæ, obulum aureum nobis gratis oblatum, nobis et successoribus nostris singulis annis exsolves. Nulli ergo, etc.

Datum Ferentini, VIII Kal. Septembris.

CXXXVII.

ARCHIEPISCOPO (305) ET CAPITULO CUSENTINIS.

*Ut abbati et conventui de Flore locum Botranum, in concambium ipsorum monasterii, assignent.*

(Ferentini, Kal. Sept.)

Cum in habitu regulari sub religionis monasticæ disciplina, tu, frater archiepiscope, portaveris jugum Domini ab adolescentia tua,et sic fueris fidelis in pauca, quod constitui merueris supra multa, ut in futuro supra plurima statuaris, illorum debes necessitatibus specialiter subvenire, qui sedentes secus pedes Domini cum Maria,in lege ipsius jugiter meditantur, partem optimam eligentes. Sane, significantibus dilectis, abbate ac fratribus mo-

(304) Vide supra, epist. 131.

(305) « Lucas, natione Campanus, monachus Cisterciensis, tunc abbas Sambucinæ, Andreæ (de quo jam dictum est, epist. libri quinti 106),immediate successerat. Hic vir, singularis doctrinæ, et pietate insignis, monachum induit in Casæmarii D ejusdem Cisterciensis familiæ apud Verulas illustri cœnobio, ubi aliquando prior effectus, cum B.Joachimo, tunc abbate Coratii, ob similitudinem morum et studiorum convenientiam, necessitudinem habuit. Ab ipso summopere adamatus, in scribam electus est;et in Calabriam deductus, apud ipsum diu mansit,suorumque studiorum sedulus coadjutor, donec in abbatem Sambucinæ, sui ordinis, electus et in Simeonis prædefuncti locum, anno 1197.Inclaruit ejus virtus apud pontifices maximos præcipue apud Innocentium III. In multis legationibus,quibus perfunctus est, ea celebrior fuit in Sicilia et Calabria anno 1199, una cum Syracusano episcopo Laurentio, ut sua prædicatione cierent populos, et crucem prædicarent in hostes crucis. Idem postea Innocentius, anno 1202,Lucæ per totam Italiam legationem commisit ad prædicationem prosequendam,quam cum ardentissime prosequeretur, Andreas archiepiscopus fato defungitur circa finem anni 1203,vel initio subsequentis (imo initio anni 1203,ut patet ex hac Innocentii epistola data Kal. Septembris anno 1203). Tunc Lucas, celeberrimus verbi Dei declamator, per cleri collationem et Innocentii concessionem, Cusentinum archiepiscopatum iniit, congratulantibus cunctis qui probe hominem noverant, et bene congruunt acta Lucæ cum isto calculo. Quippe annus 1215 fuit Lucæ pontificatus duodecimus, ut patet ex documento in Honorii III bulla inserto.Ab anno igitur 1203,cœpit Lucas suum pastorale munus in ecclesia Cusentina digne et laudabiliter exercere, cum paulo ante cum cæteris cœnobii Sambucinæ monachis B. Joachim transitui non solum adfuisse, sed vitam ipsius conscripisse ipsemet testatur in proœmio. Anno 1206, Lucas, instante Matthæo, secundo Florensi abbate, omnium monasteriorum

nasterii de Flore, nos noveritis accepisse, quod monasterium ipsum, positum in montanis, usque adeo est ventis expositum, ut præ acerbitate et assiduitate frigoris hiems non solum sibi ver vendicaverit et autumnum, sed in menses æstivos suos terminos dilatavit. Patet etiam locus ipse incursibus malignorum, per hoc modicum (306) quieti fratrum adversus, et per primum contrarius sospitati. Cum ergo locus quidam, qui Botranus dicitur et ad ecclesiam pernitet Cusentinam, religioni esse idoneus referatur, devotionem vestram monemus et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus ab abbate fratribus ipsis. juxta æstimationem tuam, frater, archiepiscope, recepto excambio competenti, prædictum locum cum pertinentiis suis ipsis assignare curetis, illud in eos ita libere conferentes, sicut excambium ad vos libere devolvetur, ut, sicut monasterium Floris ad nos nullo pertinet mediante, sic monasterium quod in Botrano consurget, nobis nullo medio supponatur, alioquin, noveris nos dilectis filiis, Sancti Spiritus et de Coracio abbatibus, et fratri R. de Torcian. dedisse firmiter in mandatis, ut vos ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant.

Datum Ferentini, Kal. Septembris.

CXXXVIII.

ABBATI (307) ET CONVENTUI DE FLORE.

*Ipsorum possessiones confirmat.*

(Ferentini Kal. Sept)

Solet annuere, etc., *usque* assensu ecclesias Sancti Petri et Sanctæ Dominicæ apud flumen Frigidum constitutas, a venerabili fratre nostro, Troperensi episcopo (308), de communi capituli sui consensu: possessiones quoque a nobili viro, S. de Mamistra, vobis pia liberalitate concessas, sicut in eorum authenticis continetur (309), et vos eas juste ac pacifice possidetis, nobis, et per vos monasterio vestro, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Ferentini, Kal. Septembris.

CXXXIX (310).

ACHERONTINO ARCHIEPISCOPO (311)

*De confirmatione episcopi Anglonensis, etsi pater ejus fuisset in minoribus constitutus.*

(Ferentini, Non. Septembris.)

[Cum olim ad nostram audientiam pervenisset quod canonici Anglonenses *dilectum filium* (312)... cantorem Tricaricensem (313), sibi elegerant in pastorem] tibi dedimus in mandatis, ut, examinata electione diligentius et persona, si electionem canonicam et personam idoneam invenires, electionem ipsam auctoritate apostolica confirmares, sicut metropolitanus in cæteris processurus. [Licet autem tibi de forma electionis canonicæ ac idoneitate personæ in illis constitisset, movit te tamen, *et ad nos consulendos induxit* (314), quod cum pater ejusdem *cantoris* Græcus fuerit, et juxta ritum Græcorum uxorem duxerit in minoribus ordinibus constitutus, cantorem ipsum ex uxore legitima in sacerdotio suscepisset. Nos igitur, attendentes quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, *quin* (315) Orientales in minoribus ordinibus *contra-*

Florensis ordinis apostolicus visitator destinatus, ea omnia lustravit, atque una cum eodem Matthæo et abbate S. Spiritus Panormi, aliqua saluberrima statuta in posterum observanda sanxerunt, ab Innocentio III deinde confirmata, sub *Datum Laterani*, II *Kal. Martii, sui pontificatus anno* XVII. Cæterum, Lucas ecclesiam sibi creditam summo amore summoque jure administravit. Anno 1223, mense Martio, sui archipræsulatus anno XXI, summo labore et industria jamdiu suæ Ecclesiæ quæsita monumenta juraque, et bona ejusdem, in unum volumen collegit et compilavit, quod plantam omnium suæ diœceseos ecclesiarum, sive matriculam nuncupavit, successorum suorum fulcimentum futurum. Asservatur codex, qua par est diligentia, in sanctiori ecclesiæ Cusentinæ tabulario. Ultima est Lucæ mentio in bulla Honorii III, an. 1224, VII Kal. April. pontificatus anno VII. Creditur hoc ipso anno ad cœlum evolasse, et Sambucinæ in templo relatus ibi quiescere. Præsul sane dignissimus, et præcipua sanctimonia vitæ clarus, ordinis sui Cisterciensis ac Cusentinæ ecclesiæ fulgentissimum sidus, qui a Mariofitto in Calabriæ descriptione inter beatos recensetur. »

Hactenus UGHELLUS, *Ital. sacr.*, t. IX, col. 274 et seq.

(306) Sic in apogr.

(307) Erat is, Matthæus, B. Joachimi successor, ut patet ex instrumentis apud Ughellum, *Ital. sacr.* t. IX, col. 637.

(308) Richardus, claræ memoriæ Tropiensis episcopus, electus anno 1198, vixit sub Innocentio III, a quo, anno 1200, pro se suisque successoribus privilegium habuit. Primis hujus antistitis annis, nempe salutis nostræ 1291, fundatum est in hac diœcesi Tropeiensi, ex consensu Richardi, monasterium Fontis Laureati, in pertinentiis Fluminis Frigidi, Ordinis Florensis, ex filiatione Cisterciensis ordinis. Fundatores fuere Simon de Mamistra, et Gattegrima, ejus uxor, domini Fluminis Frigidi, juxta ecclesiam S. Dominicæ, ubi jamdium constructum fuerat monasterium tunc temporis pene obsolutum. Ad locum extrudendum, idem Simon tenimentum satis amplum cum pluribus aliis bonis obtulit Joachimo, viro prophetiæ dono ac doctrina illustri, abbati Florensis monasterii, ex ordine Cisterciensi a quo Florensis ordo dimanavit, cujus rei causa Simon donationis ac fundationis documentum scripsit, quod exstat in tabulario ejusdem monasterii. UGHELL. *Ital. sacr.*, t. IX, col. 633. Richardus viam universæ carnis ingressus est, circa annum 1215.

(309) Donationem Simonis de Mamistra (de qua in nota superiore) necnon concessionem episcopi Tropeiensis, quas hic confirmat pontifex, exhibet Ughellus, *loc. cit.*

(310) Exstat, sed mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 3. *De clericis conjugatis*, cap. 6. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur in textu.

(311) Vide epistolam hujusce libri sexti 57, not.

(312) Desunt hæc in Decretal.

(313) De isto nihil aliud, præter hanc ipsam Innocentii III epistolam, memorat UGHELLUS, *Ital. sacr.*, t. VII, col. 122.

(314) Desunt hæc in Decretal., et infra verbum *cantoris*.

(315) Decretal., *quoniam*; infra *contrahunt* pro

*hant* et in superioribus *utantur* matrimonio jam contracto; *fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus, quatenus, nisi pro eo quod inter latinos Græci hujusmodi conversantur regionis consuetudo repugnet, si aliud (316) non *obsistit*, ad confirmationem et consecrationem ejusdem *cantoris* sine dubitatione procedas.

Datum Ferentini, Non. Septembris.

CXL (317)

LITTERÆ JOANNIS DE CASEM. AD D. PAPAM.

*Rationem reddit legationis suæ in regnum Bosinæ facit eum certiorem de donatione Sibiliæ, uxoris Prætextati Constantinopolitani, proponit ut novos episcopatus creet et ordinet.*

[Tractato negotio illorum quondam Patarinorum in Bosna, sicut jampridem scripsi sanctitati vestræ, fui in Ungaria aliquantis diebus ex voluntate regia Interim autem nuntii illius magni viri Calojoannis venerunt ad regem, cum quibus Deo duce spero me ire ad ipsum, et Christianissimus rex fecit eos super Evangelia jurare in ecclesia coram altari, quod me securum usque ad præsentiam ejus deducerent.] Confido autem in Domino quod sequenti die, quod erit festum Beati Barnabæ, incipiemus iter, vestris nos orationibus comitantibus et subsequente benedictione. Dicitur vero a multis et ab ipso rege, quod devotionem habeat ille ad Romanam Ecclesiam et isti qui mecum sunt, modo firmiter asserunt et affirmant. Unde, recepi securitatem, quod, si voluerit mittere nuntios ad sanctitatem vestram, in eundo et redeundo nullam per totum regnum Ungariæ et amicitiæ ipsius et parentelæ læsionem patientur. [Noveritis præterea, quod in regno Bani Culini de Bosna, non est nisi unus episcopatus, et episcopus modo mortuus est. Si posset fieri quod aliquis latinus ibi poneretur, et aliqui etiam ibi tres vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitati accresceret ecclesiasticæ, quia regnum est ipsius ad minus diætarum decem et plus. Ad hoc, sciat sanctitas vestra, quod nobilis mulier, Sibilia, uxor quondam potestatis Constantinopolitani, in ultima voluntate de dote sua legatum reliquit Romanæ Ecclesiæ,] dicit quidam presbyter, quem inveni in Ungaria, viginti millia perparorum, quod verum videtur, quia ipsa proprio suo mihi retulit ore, quod totam dotem suam volebat vobis et Ecclesiæ Romanæ delegare; quod idcirco significandum duxi, ut, si contigit illuc mittere legatum, et viderit expedire, debeat, vestra auctoritate fultus, requirere et viriliter repetere.

CXLI (318).

*Instrumentum quo Bosniæ monachi schismatici promittunt servare constitutiones Ecclesiæ Romanæ.*

(In insula Regia, II Kal. Maii.)

[In nomine Dei æterni, Creatoris omnium, et humani generis Redemptoris, anno ab ipsius Incarnatione 1203, domini vero Innocentii papæ III anno sexto. Nos, priores illorum hominum, qui hactenus singulariter Christiani nominis prærogativa vocati sumus in territorio Bosnæ, omnium vice constituti, pro omnibus qui supra de nostra societate fraternitatis in præsentia domini J.... de Casem. Capellani summi pontificis et Romanæ Ecclesiæ, in Bosna propter hoc delegati, præsente patrono, Bano Culino, domino Bosnæ, promittimus coram Deo et sanctis ejus stare ordinationi et mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam de vita et conversatione nostra, quam ipsius obsecundare obedientiæ et vivere institutis, obligantes nos pro omnibus qui sunt de nostra societate et loca nostra cum possessionibus et rebus omnibus si aliquo tempore deinceps sectati fuerimus hæreticam pravitatem. In primis, abrenuntiamus schismati quo ducimur infamati, et Romanam Ecclesiam, matrem nostram, caput totius ecclesiasticæ unitatis recognoscimus;] et in omnibus locis nostris, ubi fratrum conventus commoratur, oratoria habebimus, in quibus fratres de nocte ad Matutinas, et diebus ad Horas cantandas publice simul conveniemus. In omnibus autem ecclesiis habebimus altaria et cruces; libros vero tam Novi quam Veteris Testamenti, sicut facit Ecclesia Romana, legemus. Per singula loca nostra habebimus sacerdotes, qui Dominicis et festivis diebus ad minus missas secundum ordinem ecclesiasticum debeant celebrare, confessiones audire et pœnitentias tribuere. Cœmeteria habebimus juxta oratoria, in quibus fratres sepeliantur, et adventantes, si casu ibi obierint. Septies in anno ad minus corpus Domini de manu sacerdotis accipiemus, scilicet in Natali Domini, Pascha, Pentecoste, Natali apostolorum Petri et Pauli, Assumptione Virginis Mariæ, Nativitate ejusdem, et omnium sanctorum commemoratione, quæ celebratur in Kalendis Novembris. Jejunia constituta ab Ecclesia observabimus, et ea quæ majores nostri provide præceperunt, custodiemus. Feminæ vero, quæ de nostra erunt religione, a viris separatæ erunt, tam in dormitoriis quam refectoriis, et nullus fratrum solus cum sola confabulabitur, unde possit sinistra suspicio suboriri. Neque de cætero recipiemus aliquem, vel aliquam conjugatam, nisi mutuo consensu, continentia promissa, ambo pariter convertantur. Festivitates autem sanctorum a sanctis Patribus ordinatas celebrabimus, et nullum deinceps ex certa scientia Manichæum, vel alium hæreticum ad habitandum nobiscum recipiemus. Et, sicut separamur ab aliis sæcularibus vita et conversatione ita etiam habitu secernemur vestimentorum; quæ vestimenta erunt clausa, non colorata, usque ad talos mensurata, Nos autem de cætero, non Christianos, sicut hactenus, sed fratres nos nominabi-

*contrahant* et *utuntur* pro *utantur*, et om. verba *frat .. scripta*.

(316) Decretal. add. *canonicum*, infra legunt *obsistat* pro *obsistit*, et verbum *cantoris* omittunt.

(317) Fragmenta istius epistolæ vulgavit Raynaldus, ad annum 1203, § 22. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(318) Fragmentum edidit Raynaldus, ad annum 1203, § 23. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

mus, ne singularitate nominis aliis Christianis A injuria inferatur. Mortuo vero magistro, dehinc usque in perpetuum, priores cum consilio fratrum Deum timentium, eligent prælatum, a Romano tantum pontifice confirmandum; et, si quid aliud Ecclesia Romana addere vel minuere voluerit, cum devotione recipiemus et observabimus. Quod ut in perpetuum robur obtineat, nostra subcriptione firmamus. Actum apud Bosnam, juxta flumen, loco qui vocatur Bolino Poili, sexto Id. Aprilis. Dragite, Lubin, Brageta, Pribis, Luben, Rados, Bladosius, Banus Culinus, Marinus, archidiaconus Ragusii, subscripsimus. Deinde nos, Lubin et Brageta, ex voluntate omnium fratrum nostrorum in Bosna, et ipsius Bani Culini, cum eodem Domino J. capellano ad H. illustrem Ungariæ et Christianissimum regem B euntes, in præsentia ipsius regis, et venerabilis... Colocensis archiepiscopi, et Quinquecclesiensis episcopi, et aliorum multorum, in persona omnium juravimus hæc statuta servare, et si qua alia Ecclesia Romana super nos ordinare voluerit, et secundum fidem catholicam constituere.

Actum in insula Regia, II Kal. Maii.

### CXLII (319).

#### LITTERÆ CALOJOANNIS IMPERATORIS BULGARORUM AD PAPAM

*Se Romanæ Ecclesiæ submittit.*

Calojoannes, imperator Bulgarorum, sanctissimo domino, fidei Christianorum ab Oriente usque ad Occidentem patriarchæ, papæ Romano: ego chartam mitto tibi, gaudens si nuntius meus inveniet te C sanum et lætum, cum omnibus, qui sunt tecum, et omnibus consanguineis, et amicis tuis. Ego sanus sum per virtutem Domini, et beatæ Virginis, et per orationes sanctorum Petri et Pauli apostolorum, et per sanctas orationes tuas. Intelligo ego Calojoannes imperator Bulgarorum, quod tu habes potestatem a Deo ligandi, et solvendi, sicut habuit beatus Petrus apostolus, cui dixit Dominus: *Quodcunque ligaveris super terram* etc.. (*Matth.* XVI), sic tibi contulit Deus gratiam istam; unde, quem ligaveris ligatus est, et quem solveris, solutus, Notum facio sanctitati tuæ quod elapsi sunt sex anni, quod ego semel, secundo, et tertio misi ad vos, sed nuntii mei non potuerunt ad sanctitatem tuam accedere, et proponere verbum meum, et referre mihi consolationem tuam. Inspiravit Dominus sanctitatem tuam ut mitteret mihi D Dominicum, archipresbyterum Brandusinum, per quem intellexi, quod non es oblitus mei, servi tui, quem honoravi sicut hominem tuum, et dedi ei litteras, quas tuæ sanctitati deferret, quas utrum attulerit, vel non attulerit. Deus novit. Ex quo sciverunt istud Græci, miserunt mihi patriarcham, et imperator: Veni ad nos, coronabimus te in imperatorem, et faciemus tibi patriarcham quia imperium sine patriarcha non staret; sed ego non volui, imo recurri ad sanctitatem tuam, quia volo esse servus sancti Petri, et tuæ sanctitatis; et sciat sanctitas tua, quod ego misi ad te archiepiscopum meum cum omni ordinatione et pecunia, et pannis sericis, cera, et argento, equis et mulis, ut adoret sanctitatem tuam pro me servo tuo. Et rogo per orationes beati apostoli Petri, et per sanctas orationes tuas, ut tu mittas cardinales, quibus præcipiat sanctitas tua, ut me coronent in imperatorem, et in terra mea faciant patriarcham, ut sim servus tuus tempore vitæ meæ (320).

Ad hæc. noverit sanctitas tua, quod ego archiepiscopus Basilius, veniebam cum ista pecunia adorare sanctitatem tuam, et usque ad Durachium perveni, ubi vidi nuntios comitis Walterii mecum pariter congaudentes. et disponentes mecum pariter transfretare; sed Græcus, qui veniebat cum illis, non permisit me transire cum illis, habito consilio ducis Durachii, asserens quod molestum imperatori existiret si transirem. Quo audito, archidiaconus, et clerici Latinorum qui sunt Durachii, consuluerunt similiter ne transirem, et si aliter agerem, res omitterem et personam. Unde, misi ad te bonos homines, fideles imperatoris, Sergium comestabularium et Constantinum presbyterum, quibus injunctum est, ut tibi veritatem proponant. Inspiret tibi Dominus, ut bene te super hoc servitio intromittas.

### CXLIII (321).

#### B. ARCHIEPISCOPO DE ZAGORA.

*Respondet epistolæ superiori.*

(Ferentini, IV Id. Septembris.)

Receptis litteris, quas sub nomine nobilis viri Calo joannis, domini Bulgarorum, per dilectum filium Constantinum presbyterum, et Sergium comestabularium tua nobis fraternitas destinavit, lætitiam suscepimus pleniorem, intelligentes ex eis quod ambo pariter recte de clavibus Ecclesiæ sentientes, Ecclesiæ Romanæ primatum, ac nobis ligandi et solvendi recognoscitis potestatem, et magisterium ecclesiasticæ disciplinæ. Intelligentes etenim, quod nobis non solum in beato Petro est dictum a Domino: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcunque ligaveris super terram* etc. (*Matth.* XVI), sed nobis etiam dicitur in propheta: Ecce

(319) Epistolam hanc vulgavit Raynaldus, ad annum 1203, § 20.

(320) Huc usque Raynaldus; (*loc. cit.*) addit: *Subjecta sunt Basilii, Bulgarorum archiepiscopi, litteræ* (Regest. post eamdem epistolam) *quas cum ad sedem apostolicam cum ingentibus ac pretiosissimis muneribus deferret, emensoque longissim, itinere pervenisset Dyrrachium, a Græcis, qui invidia perciti Bulgaros a Romanæ Ecclesiæ conjunctione distrahere nitebantur, prohibitus est ne in Occidentem trajiceret; tunc vero tyrannus Alexius ereptum Isaacio sceptrum adhuc tenebat, ob cujus metum archiepiscopus legatione perfungi non potuit, sed fidissimos nuntios ad Innocentium transmisit.* Quæ quidem de his quæ nos hic exhibemus intelligi debent: verum in apographo Conti, continua serie, indistinctaque, ac veluti ipsius Calojoannis littterarum pars altera, leguntur.

(321) Partem epistolæ hujus vulgavit Raynaldus, ad annum 1203, § 21. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

constitui te hodie super gentes et regna, ut destruas et dissipes, et disperdas, ædifices, et plantes; a nobis petitis, et regium diadema, et patriachalis præeminentiam dignitatis, cum idem nobilis auctoritate nostra sibi velit coronam imponi, et in terra sua per nos institui patriarcham. Nos autem, jamdudum, ut de ipsius et subjectorum ejus devotione, ac statu terræ possemus effici certiores, cum non velimus simpliciter, sed optamus etiam, ut, sicut descendit ex nobili prosapia Romana, sic etiam Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, et ab ea magisterium catholicæ fidei et honoris sui suscipiat incrementum, [dilectum filium, dominicum archipresbyterum Brundusimum, ad ejusdem nobilis duximus præsentiam destinandum.] Illo quoque cum litteris ejusdem domini Bulgarorum, tuis etiam, et Bellotæ principis, ad sedem apostolicam redeunte, de prædictis certiores effecti, dilectum filium, J. Cappellanum nostrum, Ecclesiæ Romana legatum ad eum duximus destinandum, [plena ei facultate concessa, ut in tota terra ipsius quoad spiritualia corrigeret, quæ corrigenda cognosceret, et statueret, quæ forent secundum Dominum statuenda. Per ipsum quoque uni archiepiscoporum terræ ipsius pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, duximus destinandum; mandantes eidem, ut si qui forsan in terra illa promovendi ad ordines essent, vel in episcopum consecrandi, per vicinos catholicos duntaxat episcopos in ordinandorum ordinatione et consecratione consecrandorum procedere non tarderet. Eidem etiam dedimus in mandatis ut de corona progenitoribus nobilis sæpedicti ab Ecclesia Romana concessa, iuquireret diligentius veritatem, et tractaret de omnibus cum eodem, quæ cognosceret pertractanda, ut per ipsum tandem, et nuntios ejusdem nobilis de omnibus redditi certiores, consultius et maturius super hoc procedere valeamus. Nuper autem idem legatus noster nuntiis ejusdem nobilis obviavit ad charissimum ad Christo filium nostrum, H..... illustrem regem Ungariæ, destinatis, cum quibus ad eorum dominum sine mora se asseruit profecturum. Licet igitur prædictos Const. presbyterum, et Sergium commestabilem ad præsentiam nostram duxeris destinandos, quia tamen tibi specialiter memoratus nobilis veniendi ad nos laborem imposuit, et onus suæ legationis injunxit, monemus fraternitatem tuam, et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus, si unquam fieri potest, familiæ aquitaturarum multitudine si oporteat direlicta, nostro te conspectui repræsentes. Credimus etenim, quod usque adeo per te certificabimur super his de quibus volumus effici certiores, quod non oportebit nos forsitan prædicti legati reditum expectare, imo nostrum tecum poterimps destinare legatum, per quem desiderio et petitioni domini Bulgarorum plenius satisfiet. Studeas igitur in Apuliam navigare, quoniam exinde ad præsentiam nostram te faciemus secure conduci, et vel aliunde per mare, vel terram, ad partes tuas sub securo conductu remitti, ut te non oportat de reditu dubitare.

Datum Ferentini, IV Id. Septembris.

CXLIV (322).

CALOJOANNI, DOMINO BULGARORUM.

*De eodem argumento*

(Datum *ut supra.*)

*In eumdem fere modum, usque in finem.* Cum ergo archiepiscopus ipse ad nos accesserit, ut speramus, petitionibus tuis et ejus, quantum cum Deo et honestate nostra poterimus, annuemus, utpote qui proponimus, tam te quam populum tuæ jurisdictioni commissum, et in fide confirmare catholica, et in devotione sedis apostolicæ radicare, ac honorare personam tuam sicut Ecclesiæ filium specialem. Ad hæc, nobilitatem tuam monemus et exhortamur attentius, quatenus cum dilecto filio, nobili viro, Wlco, pacis studeas federa reformare, ne, occasione discordiæ, terra tua vel ejus, incurrat irreparabile detrimentum.

Datum *ut supra.*

CXLV.

IUDICI KALARRITANO.

*Da matrimonio filiæ quondam judicis Gallurensis* (323).

(Ferentini, XVII Kal Octobris.)

Gratum gerimus et acceptum, quod, sicut venerabilis frater noster, B. Turritanus archiepiscopus, per suas nobis litteras intimavit, ad removendum scandalum quod in Sardinia motum fuerat, et concordiam reformandam, cognatum tuum a terra Galluræ provide removisti. Ne igitur fiat novissimus error pejor priore, ac occasione judicatus Gallurensis Sardinia denuo perturbetur, nobilitatem tuam monemus ex exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus non permittas nobilem mulierem... filiam quondam judicis Gallurensis, nubere personæ suspectæ, præsertim Isidoro fratri nobilis viri... judicis Turritani, qui eam, sic ut dicitur, proxima linea consanguitatis attingit: sed sicut per alias litteras tibi et aliis judicibus de Sardinia dedimus in mandatis, super hoc statutis et monitis ejusdem archiepiscopi humiliter acquiescas, ita, quod in hoc tuæ devotionis intelligamus affectum, et ad honorem tuum propterea specialius intendere teneamur.

Datum Ferentini, XVII Kal. Octobris.

CXLVI.

NOBILI VIRO JUDICI TURRITANO.

*De eodem argumento.*

(Datum *ut supra.*)

Cum, juxta testimonium veritatis, nil prosit homini, si mundum lucratus fuerit universum, et in-

(322) Lpistolam hanc laudat Raynaldus ad annum 1203, § 21.

(323) Vide epistolam hujusce libri sexti 29.

currens animæ detrimentum, non debes propter commodum temporale sempiterna bona vegligere, ac fratris honorem timori Domini anteferre, cum, nisi fratrem et cuncta que habes Christo postponas, eo dignus, sicut ipse asserit, non existas. Monemus igitur nobilitatem tuam et exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, cum dilecta in Christo filia, nobilis mulier.... filia quondam judicis Gallurensis, nobilem virum, Isidorum, fratrem tuum, proxima linea sanguinitatis attingat, non permittas ut ei, cum matrimonialiter nequeat, incestuose jungatur, et, cum non possit legitime, illicite desponsetur ; sed super ea potius tradenda nuptui, venerabilis fratris nostri, B... Turritani archiepiscopi, statutis et monitis acquiescas, et sicut de tua devotione confidimus, operam efficacem impendas, ut juxta ejus arbitrium viro legitimo conjungatur. Taliter autem mandatum apostolicum exsequaris, quod in hoc tuæ devotionis intelligamus affectum, et ad honorem tuum specialius intendere teneamur.

Datum, *ut supra.*

CXLVII. (324).

NOBILI VIRO JUDICI KALARRITANO,

*Dei juramento præstando* (325).

[Ea te credimus discretione vigere, ut intelligas per te ipsum quod onus non remittetur sed augetur, cum cuiquam improvide solvitur, quod alii ex debito est præstandum. Sane, *venerabilis frater noster* (326), archiepiscopus Turritanus, *per suas nobis litteras intimavit, quod, cum* a te nostro nomine juramentum fidelitatis, sicut a nobis *in mandatis* acceperat, exegisset, illud exhibere in ejus manibus distulisti, asserens quod *venerabili fratri nostro.........* Pisano archiepiscopo, salvo apostolicæ sedis honore, hujusmodi præstiteras juramentum. Cum igitur nobis et ecclesiæ Romanæ fidelitatem facere tenearis, *sicut tua etiam prudentia recognoscit,* si præstitum furamentum, ei quod a te nobis tanquam debitum est præstandum, contrarium reputes, illud illicitum judicabis; et, illicito non obstante, quod licite, imo ex debito petitur exhibebis ; vel, si præstitum præstando contrarium non existit, illud sine difficultate præstabis. ] Monemus igitur nobilitatem tuam et exhortamur attentius et per apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, omni occasione et excusatione cessante, in manibus ejusdem archiepiscopi fidelitatis nobis et Ecclesiæ Romanæ exhibeas juramentum.

Datum Ferentini, XVII Kal. Octobris.

CXLVIII.

B. ARCHIEPISCOPO TURRITANO.

*Ut adversus ecclesiæ suæ debitores procedere possit.*

(Ferentini, XVII Kal. Octobris.)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* assensu : auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut eos qui census ecclesiæ tuæ debitos subtraxerint amodo, vel hactenus substraxerunt, possessionibus sub censu eisdem ab Ecclesia Turritana concessis, juxta legitimas spolies sanctiones. Nulli ergo, etc.

Datum Ferentini, XVII Kal. Octobris.

CXLIX (327).

COMITI ALTISSIODORENSI, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Epistola comminatoria, ut revocet episcopum Altissiodorensem quem exsulare preceperat* (328).

(Agnaniæ.)

Dum, propriæ salutis oblitus· in perniciem tuæ animæ conjuraris, minari non debes, si tibi salutationis alloquium denegamus. Ecce etenim, non tuis meritis, sed divinis potius beneficiis exaltatus, eum qui te exaltaverat reliquisti, et nisus es contra stimulum calcitrare, retribuens ei mala pro bonis, et tyrannidem quam non potes in caput in membris exercens. Sane, quem facis te ipsum ut in Dei grasseris Ecclesiam, et ecclesiasticam persequens libertatem, in christum Domini præsumpseris desævire, ac venerabilem fratrem nostrum.... Antissiodorensem episcopum magnum Ecclesiæ Dei membrum, virum scientia præditum, honestate præclarum, et tam sancta religionis observantia quam episcopalis dignitatis præeminentia reverendum, a tota diœcesi sua coegeris exulare? Ille quidem, quia veritas mentiri non novit, beatus erit, si persecutionem propter justitiam patiatur, et coronabitur a Domino, si legitime decertarit. Tu autem, secundum impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis magni judicii Dei, cum, conscientia tua contra te testimonium perhibente, ligatis manibus et pedibus mitteris in tenebras exteriores, ibique, flammis ultricibus cruciatus, in vacuum postulabis, ut idem episcopus intingat extremum digiti sui in aquam, et

(324) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1203, § 68.

Reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. II, tit. 24, *De jurejurando,* cap. 22. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt : variæ etiam lectiones dantur.

(325) Vide epistolas hujusce libri sexti 26, 30, 31.

(326) Decretales legunt *cum* loco *ven. fr. n.*; omittunt quæ sequitur Italico charactere distincta, et pro *in mandatis mandatum* legunt.

(327) Epistolam hanc, nec non et sequentes 150, 151, 152, laudat Bzovius, *Annal.* t. XIII pag. 101, § 11.

Partem vulgavit Raynadus ad annum 1203, § 52; quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inlusa sunt.

(328) De episcopo Altissiodorensi jam egimus supra. Argumento hujusce epistolæ concinunt quæ leguntur apud auctores novæ *Galliæ Christianæ.* tom. XII, col. 299. « Graves (Hugo de Noeriis) et diuturnas cum Petro Curiiniacensi exercuit lites, viro impotentis animi, et in sacra Ecclesiarum jura vastæ cupidinis, quem cum diro anathemate ob interdictum violatum Hugo feriisset ad annum 1203, tandem suasu Guillelmi, Bituricensis archiepiscopi, ejus avunculi, resipiscentem post exactam publice pœnitentiam ecclesiæ restituit, et ab eo impetravit ut Judæi Antissiodoro pellerentur, conversa in ædem synagoga, an. 1204 ; cui SS. Nicolaus et Reinobertus nomen imposuere. »

refrigeret linguam tuam. Audies enim tunc forsan a Domino: Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti, et me in ministerio meo es graviter persecutus; et quia cum irreverenter præsumpsisti contingere, pupillam mei oculi contigisti; sed ecce dies retributionis et ultionis advenit, quo secundo cum senatoribus populi mei tibi et unicuique juxta merita redditurus. Quam tunc miser excusationem prætendes, quam pro te allegationem induces, cum per se opera tua fuerint manifesta, nec latuerint quæ agis in tenebris, filius tenebrarum, inaccessibilem lucem Christi? [Tanto igitur ibi districtius punieris, quanto, velut nunc omnia impune præsumeres, majoris perditionis exemplum transmittis ad posteros, et famosissimum regnum Francorum infamas, dum ecclesiasticam persequeris libertatem, quam inclytæ recordationis reges Francorum non solum amplecti consueverant, sed etiam defensare, ibi autem cogis episcopum exsulare, ubi episcopi exsulantes solebant hactenus tutum refugium et honorabile receptaculum invenire. Ut quid miser pallias culpam tuam, et in charissimum in Christo filium nostrum, Philippum, regem Francorum illustrem, refundis temere crimen tuum? Nam, sicut in litteris tuis perspeximus contineri, eumdem episcopum regiæ serenitatis nominas detractorem, et tanquam in ultionem injuriæ regiæ contra eum innuis te commotum, cum ex eo potius motus fueris contra ipsum, quod iniquitatibus tuis et excessibus parcere noluit. Sed, quoniam Ecclesiam S. Adriani everteras funditus et quemdam vassalum ipsius in ejus odium et præjudicium ecclesiasticæ libertatis exoculare præsnmpseras, et tam in bonis ecclesiasticis quam aliis deprædationes exercueras et rapinas, excommunicationis in te sententiam protulit, et tam tibi quam hominibus tuis prohibuit ecclesiasticam sepulturam.]

Tu vero, cum debuisses intelligere per te ipsum, quod meliora sunt corrigentis verba quam oscula blandientis, et cum Propheta clamare: Corripiet me justus in misericordia; o.a. p. n. in. c. m. (329) ex correctione ipsius amplius obstinatus, domum ejus in cœmeterium convertere voluisti, dum in ea corpus cujusdam triduanum forsan et fœtidum in ejus fecisti opprobrium tumulari. Nec suffecit imprudentiæ tuæ, quod eumdem episcopum a sede propria exsulare compuleras, nisi eum denuo a Pontiniacensi monasterio, ad quod confugerat, exire cogeres fugientem, et fines diœceseos Altissiodorensis ecclesiæ egressum, ad diœcesim aliam declinare. In personas quoque Altissiodorensis ecclesiæ desiderans desævire, eas per tuos fuisti satellites insecutus, qui ad prioratum in quo ille se prius receperat accedentes, portas ipsius securi et ascia dejecerunt subtiliter, omnia perscrutantes ubi inventos occiderent, et jussa tua in eorum occisione complerent. Licet igitur in Deum, et generalem Ecclesiam, et nos ipsos graviter, sed in te ipsum

(329) Sic in apog. Vatic. et Conti.
(330) Vide epistolam superiorem 149.

A gravius deliquisse noscaris, qui tamen rectitudinis semitam revocare tenemur errantes, monemus nobilitatem tuam et exhortamur attente, et per apostolica tibi scripta sub divini judicii obtestatione præcipiendo mandamus, quatenus, sicut eumdem episcopum turpiter ejecisti, sic eum honorifice revoces, et de universis damnis et injuriis ei et ecclesiis suis hactenus irrogatis, tam debitam quam devotam stisfactiouem impendas, ut per eum merearis absolutionis beneficium obtinere. Alioquin, noveris, quod nos venerabilibus fratribus nostris.... archiepiscopo Senonensi.... Carnotensi et.... Cathalaunensi episcopis, per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, ut tam te quam universos principales conciliarios et
B fautores tuos, nisi satisfeceris de prædictis, singulis diebus Dominicis et festivis, excommuuicatos publice nuntient, et mandent ab omnibus arctius evitari; universam quoque terram tuam denuntient auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam interdicto generali subjectam, et quocunque extra terram tuam deveneris, quandiu ibi præsens exstiteris, universa divina officia, et ecclesiastica sacramenta, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, prohibeant celebrari. Quod si nec sic a tua præsumptione cessaris, in te aggravabimus fortius manus nostras.

Datum Anagniæ.... pontificatus nostri anno sexto.

CL (330).

REGI FRANCORUM.

C *Ut comitem Altissiodorensem inducat ad revocandum episcopum Altissiodorensem, quem exsulare hic comes fecerat.*

(Anagniæ.)

Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam maliloquam, quæ regalis animi puritatem susurrationibus venenosis inficere moliuntur, et famam, non tam regis quam regni Francorum, suis iniquitatibus offuscare. [Meruerat enim perpetuæ laudis titulos regnum ipsum; ex eo quod ecclesias et viros ecclesiasticos in suis immunitatibus conservabat, defendebat ecclesiasticam libertatem, et non solum non sæviebat in suos, sed alienos etiam undique concurrentes, qui propter justitiam sustinebant exsilium, recipiebat hilariter et honorifice pertractabat, suis copiis eorum inopiam sublevando Hoc autem apostolica sedes non solum in membris
D suis, sed in se ipsa etiam est experta, cum in suæ *separationis tempore* (331) et necessitatis articulo refugium ad regnum Francorum habuit, ibique devote suscepta et honorifice pertractata, non parum a suis angustiis respiravit, imo etiam vires resumpsit, per quos, faciente tamen Domino et justitiam in judicium convertente, in statum felicitatis antiquæ, quæ cecidisse visa fuerit, fortior resurrexit.]

Utinam ergo, si quid oporteat in regno ipso mutari, dexteræ, fiat Excelsi mutatio, ne aureum verta-

(331) Sic in apographo; verum apud Raynaldum desunt.

tur in scoriam, et color optimus immutetur, nec apud serenitatem regiam prævaleant machinationes illorum, qui, dicentes bonum malum et malum bonum, lucem tenebras et tenebras lucem ponere moliuntur, animi tui lucem obtenebrare volentes. Cæterum, gratias agimus Deo nostro, quod apud inclytæ recordationis L. patrem tuum, regem Francorum, nunquam potuit talium loquacitas obtinere, ut anima ejus veniret in consensum ipsorum, vel rectitudo ejus ad dexteram vel sinistram a semita recta declinare. Quoniam non posuerat in lubrico pedem suum, sed sic firmaverat in timore Domini gressus suos, ut regnum suum ejus servitium reputaret, et libertatem ecclesiasticam pro viribus tueretur, obtinuit ille, non tam precibus quam meritis apud eum, ut ipsi jam seni filius nasceretur, utpote qui non tam regni hæredem quam morum desideraverat successorem, cupiens ut de fructu ventris ipsius poneret Dominus super sedem regni Francorum, qui divinæ legis regulas custodiret, nec transgrederetur terminos quos in cultu divini nominis, et ecclesiarum et virorum ecclesiasticorum reverentia posuerat pater ejus. Nunc vero, quod dolentes referimus, quidam iniquitatis filii, quorum est studium Domini calcare præcepta, et tradere traditiones iniquas, ut fiat oratio prædicti regis incassum, nec faciat filius quod patrem viderat facientem, puritatem regiam suis nituntur pravitatibus depravare, ipsam inducere cupientes, ut faveat homini contra Deum, et eos foveat similia facientes, vel assentiens eorum operibus, vel per dissimulationem saltem in sua sustinens iniquitate perversos. Dolemus enim, et non sine dolore referimus et mœrore, quod, sicut veridica quorumdam relatione nostris est auribus intimatum, imo sicut quorumdam etiam opera manifestant, ea nunc, peccatis exigentibus, attentantur in regno Francorum, quæ non solum in regnis intentata, sunt aliis, sed etiam inaudita. Sane, cum venerabilis frater noster... Altissiodoren. episcopus, in P.... Altissiodoren. comitem, quoniam ecclesiam Sancti Adriani everterat funditus, et tam in bonis ecclesiarum quam privatarum etiam personarum deprædationes exercuerat et rapinas, et, in odium ejusdem episcopi et ecclesiasticæ libertatis, exoculaverat quemdam vassallum ipsius, excommunicationis sententiam promulgasset et prohibuisset tam ei quam hominibus ejus, si decederent, ecclesiasticam sepulturam, ipse, ut in cœmeterium converteret domum ejus, in ea cadaver quoddam exanime tumulavit. Cumque se promisisset satisfacturum eidem, simulans quod reconciliari vellet ecclesiasticæ unitati, et ad diem præfixum ad hoc tam idem episcopus, quam dilecti filii... decanus... archidiaconus... cantor, sacrista et aliæ personæ Altissiodorensis ecclesiæ accessissent, quia tandem juxta promissionem suam satisfacere non curavit, ut iniquitatem iniquitati adjiceret et fieret novissimus error ejus pejor priore, decanum et personas alias ad propria redeuntes per suos fuit satellites insecutus. Et, licet illi, ejus præscientes malitiam, a prioratu quondam in quo se prius receperant et proposuerant pernoctare, ad locum alium divertissent, satellites tamen ejus, ut jussa complerent, portas prioratus ipsius in securi et ascia dejecerunt, universa cellaria et cameras perscrutantes. Præterea, cum sæpedictus episcopus, propter persecutiones ipsius, ab ejus facie Pontiniacum aufugisset, comes ipse, sicut in litteris ejus perspeximus contineri, eum tam contra se, quam contra serenitatem regiam, et venerabilem fratrem nostrum... episcopum Belvacensem, nominans seductorem, ab eodem mandavit ejici prioratu, multa per litteras, et plura per nuntios comminatus, utpote qui monasterium Pontiniacense ac possessiones ipsius prædonibus exponere non expavit, propter quod idem episcopus a tota diœcesi sua cogitur exsulare. Dolemus autem amplius, et movemur, quod, sicut accepimus, serenitas regia in eum sine causa commota [nisi forsan, non causam ut causam assumens, rancorem conceperit contra ipsum, quia dilectum filium, J. de Pertico, consobrinum tuum, quem non excommunicaverat, excommunicatum noluit nuntiare, ne falsitati testimonium perhiberet,] bona confiscavit ipsius, et regalia omnia occupavit.

Ne igitur ex hoc amplius divinam incurras offensam, et famam regni Francorum offusces, monemus serenitatem regiam et exhortamur attente, quatenus, omni prorsus rancore postposito, ne ad posteros tuos transmittas perditionis exemplum, sed subditis tuis formam præbeas salutarem, prædictum episcopum in gratiam regalem admittas, et tam regalia quam omnia quæ diceris confiscasse, ipsi restituere non postponas. Præterea, ne non careas scrupulo societatis occultæ, si manifesto facinori nolis cum valeas obviare, prædictum comitem ab ejus pœnitus molestatione, ac ecclesiæ sua persecutione compescas, et cogas eumdem de damnis, et injuriis prædicto episcopo et ejus ecclesiæ irrogatis satisfactionem impendere tam debitam quam devotam. Nos autem, venerabilibus fratribus nostris... archiepiscopo Senonensi... Carnotensi, et... Cathalaunensi episcopis, etc., *ut in præcedenti, n° CXLIX, usque* manus nostras. Verum, tuæ serenitati deferre volentes, circa te non mandamus ad præsens districtionem aliquam exerceri; serenitati tuæ paterna dulcedine suadentes, ut sicut catholicus princeps, taliter prædicta corrigas per te ipsum, quod contra te non cogamur manum correctionis apponere, vel charissimam nobis serenitatem regiam aggravare. Alioquin, quanto amplius ad præsens tibi deferimus, tanto minus in posterum deferemus, et eligimus potius regi Deo, quam regi homini complacere. Erit autem celsitudini tuæ non immerito formidandum, ne in favorem hæreticorum contra quos idem episcopus agebat viriliter et legitime decertabat, eum persequi videaris.

Datum Anagniæ... anno sexto.

## CLI (332).

ARCHIEPISCOPO SENONENSI (333).

*Reprehendit eum acriter, quia contra comitem Altissiodorensem, qui episcopum expulerat, non processerat. Mandat procedi.*

(Anagniæ.)

Credebamus nos hactenus in promotione tua, non solum Ecclesiæ Senonensi, sed toti provinciæ Gallicanæ utiliter providisse, lucernam prius sub modio positam in candelabrum nos exaltasse putantes, et gregi Dominico non deputasse mercenarium sed pastorem. Sed ecce, quod non sine dolore referimus et mœrore, lucerna tua velut exstincta jam fumigat, nec lucet his qui in domo sunt positi, sed eos potius in tenebris errare permittit, dum in mercenarium pastor degenerans, non opponis te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, sed viso lupo dimittis oves, et fugis, cani muto qui latrare non prævalet comparandus. Putabamus etenim, quod in ore tuo esset sermo Domini vivax, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, ut sine cessatione clamares, et exaltares velut tuba vehemens vocem tuam, nec esset apud te acceptio personarum, quin annuntiares impietatem suam impio, et scelera propria sceleratis et pro (334)... mansuetis argueres et corriperes inquietos. Verum, sicut tuorum operum exhibitio manifestat, lingua tua faucibus jam adhæsit, ut in ore tuo sit verbum Domini alligatum, nec eructare noveris verbum bonum ad faciendam vindictam in nationibus et increpationes in populis, nec præsumis arguere coram omnibus delinquentem, ejus oblitus, quod non solum novisti dixisse Apostolum, sed etiam docuisti: Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, qui etiam alibi dure asserit arguendum. Sane, si comederet te zelus domus Domini, et super te opprobria illi exprobrantium cecidissent, foras misisset a te charitas perfecta timorem, et in nobilem virum... comitem Altissiodorensem, qui ecclesias destruit, possessiones et bona diripit earumdem, ecclesiasticam persequitur libertatem, et venerabilem fratrem nostrum... Altissiodorensem episcopum, suffraganeum tuum, exsulare compellit, eam exercuisses intrepidus ultionem, quod prius ad audientiam nostram vindicta tanti criminis quam querimonia pervenisset. Cæterum, quoniam cum Heli forsitan senuisti, palpas magis quam punias (*sic*) vitia subditorum, liniens parietem iniquitatis quem construunt, cum deberes illum potius demoliri. Jam enim apud te gladium Petri rubigo consumit, ut evellere, destruere ac disperdere nequeas, quæ evelli, destrui aut disperdi Dominus præcipit in Propheta: Ecce, inquiens, posui te hodie super gentes et regna, ut evellas, destruas et disperdas, ædifices et plantes. Ne igitur, si tantam in te negligentiam videamur æquanimiter sustinere, nobis tantum Ec-

(332) Vide epistolam 149.

(333) De archiepiscopo Senonensi, jam egimus non semel.

A clesiæ Gallicanæ dispendium imputetur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, a sommo quo torpuisti hactenus excitatus, instes opportune, importune, opus Evangelistæ facias, nec vituperes ministerium nostrum, sed pastorale potius officium laudabiliter exsequeris, consecrans manus tuas in fratre ac filio per dignam sceleris ultionem, ut benedictio tibi detur; cum venerabilibus quoque fratribus nostris... Carnotensi et Cathalaunensi episcopis, prædictum comitem, qui ab eodem episcopo excommunicationis est mucrone percussus, cum universis principalibus consiliariis et fautoribus suis, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatum publice nunties, et per B universam Senonensem provinciam sub solemnitate præmissa facias solemniter nuntiari, totam terram ipsius denuntians auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam, interdicto generali subjectam; et, quocunque idem comes extra terram suam devenerit, quandiu ibi præsens exstiterit, divina officia et ecclesiastica sacramenta, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, prohibeas celebrari. Charissimum quoque in Christo filium nostrum, Philippum, illustrem regem Francorum, diligenter moneas et inducas, ut eidem episcopo, bona quæ confiscavit ipsius, et regalia quæ accepit, sine diminutione restituat et eum in plenitudine gratiæ regalis admittat, ne, si aliter egerit, in favorem hæreticorum, contra quos episcopus C idem agebat viriliter hactenus et fortiter dimicabat, eum persequi videatur. Taliter igitur super his mandatum apostolicum exsequaris, ne ficulneæ infructuose radici, si de cætero terram inutiliter occupavit, securim apponere compellamur, et male perdere malum agricolam, et locare alii ecclesiam Senonensem, qui non in sudario talentum sibi traditum liget, sed eroget potius ad usuras, non timens eos qui corpus occidunt, sed illum potius qui potest corpus et animam perdere in gehennam.

Datum Anagniæ... anno sexto.

## CLII (334*).

EPISCOPO ALTISSIDORENSI.

*Epistola consolatoria et catholica.*

(Anagniæ.)

Recogitantes in amaritudine annos nostros, et D præsentis diei malitiam attendentes, vix causam tanti doloris invenimus, quantum in susceptione tuarum concepimus litterarum. Dolemus etenim pro te, sicut venerabili fratre nostro, et eo quem visceribus gerimus Jesu Christi, persecutiones tuas proprias reputantes, cum caput non compati nequeat tanto membro, utpote quod cum Apostolo cum scandalizatis fratribus uritur, et cum infirmantibus infirmatur. Dolemus etiam et pro regno Francorum, de quo, sicut rei veritas se habebat, sic in

(334) Sic in apogr.

(334*) Vide epistolam 149.

omnem terram sonus exivit, et in fines orbis terræ fama devenit, quod in eo præcipue libertas vigeret ecclesiastica, et clericorum immunitas servaretur. In eo etenim usque adeo spiritualis et materialis gladius amica connexione sibi fuerant mutuo fœderati, ut materialis in nullo se spirituali opponeret, sed ei potius, imo Deo, gratum subsidium, et auxilium necessarium exhiberet, indignum non reputans si temporalis potentia ecclesiasticæ dignitati deferret, et ejus honoribus deserviret. Dolemus quoque pro charissimo in Christo filio nostro, Ph. rege Francorum illustri, cujus potentiæ, vel negligentiæ potius, quidquid a quoquam perperam attentatur in regno, ab aliquibus imputatur, dissimulationem ejus reputantibus pro favore, nec carere ipsum dicentibus scrupulo societatis occultæ, cum manifesto facinori desinat obviare. Olim etenim, inclytæ recordationis progenitores ipsius episcopos exsulantes devote suscipere consueverant, et non solum tractare honorifice, sed munifice procurare; nunc autem in injuriam ejus cedit, quod sub oculis ejus exsulare compelleris, et extra Ecclesiam et diœcesim tuam aliena suffragia mendicare (335). [Verum, in eo quod tibi compatimur, evangelicæ consolationis nos lectio consolatur, in qua novimus esse scriptum : Beati qui persecutionem propter justitiam patiuntur. Si enim verbum veritatis est verum, imo quia verbum veritatis est verum, cum persecutionem propter justitiam patiaris, beatitudo persecutionem hujusmodi limitabit. Gaudeas igitur, ut et nos tecum pariter gaudeamus, quod dignus inventus es contumeliam pati pro nomine Jesu Christi, cujus ministerium sic geris in terris, ut ad ejus consortium, cui laudabiliter in ministerio ipso ministras, assumi merearis in cœlis, ipso in Evangelio protestante : Volo, pater, ut ubi ego sum, illic sit minister meus. Gloriare cum Apostolo in cruce Domini nostri Jesu Christi, gaudens, si, quæ desunt passionum Christi, in tuo corpore suppleantur, quoniam si compateris, conregnabis. Sciens ergo quod unusquisque mercedem secundum suum laborem accipiet, nec sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, gaude quoniam felici commercio terrena in cœlestia commutabis, et pro temporalibus recipies sempiterna. Cæterum, super insania comitis persequentis tristamur quodammodo inconsolabiliter, et ex intimo corde dolemus, quod datus in reprobum sensum Pharaonem in contumacia sequitur, et in Ecclesiæ persecutione Neronem.

Cum enim elatus in superbiam contra stimulum non timeat calcitrare, veremur ne, cum in profundum venerit vitiorum contemnat, nec adjiciat, ut resurgat, sed tempestas demergat eumdem, et os suum puteus urgeat super eum. Monemus igitur fraternitatem tuam, et exhortamur attente, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus non deficias, sed proficias potius, nec movearis a constantia tuæ mentis, sed in ea potius perseveres, non timens quid faciat tibi homo, cum Deum habeas adjutorem. Stes sicut stetisti hactenus pro Ecclesiæ libertate, et pro ea murum te defensionis opponas, nec cedas ascendentibus ex adverso, sed viriliter procedas in eos, animam tuam si necesse fuerit pro ovibus positurus (336).]

Credimus autem quod Dominus non patietur te tentari ultra id quod valeas sustinere, sed faciet in tentatione proventum, et circa te, ac Ecclesiam tuam, animum regium serenabit, ut, te in plenitudine gratiæ regalis admittens, tibi non solum regalia, et bona confiscata restituat, sed in persecutorem tuum, nisi resipuerit, dignam exerceat ultionem. Quidquid vero egerit rex prædictus, tibi sedes apostolica non deerit, quæ propriam reputat causam tuam, et infringi dolet ecclesiasticam libertatem. Scribimus autem venerabilibus fratribus nostris... archiepiscopo Senonensi... Carnotensi, et... Cathalaunensi episcopis, et tam regi, quam comiti memorato, prout ex rescriptis litterarum, quæ præsentibus tibi mittimus litteris interclusa, tuæ poterit inspectioni patere.

Datum Anagniæ... anno sexto.

### CLIII.

... ABBATI S. PETRI DE PADO;.. PRIORI S. GABRIELIS, ET... PRÆPOSITO S. LUCIÆ CREMONENSIS.

*Ut A. abbatis S. Thomæ Cremonensis cessionem admittere possint.*

(Anagniæ, XII Kal. Novembris.)

Ex parte dilecti, filii, A. abbatis S. Thomæ Cremonensis, fuit a nobis humiliter postulatum, ut, cum sit adeo debilitate ac senectute confectus, quod ad regimen abbatiæ impotens habeatur, resignationem ejus admittere dignaremur. Nos igitur, eidem abbati et ipsi ecclesiæ providere volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad ipsum monasterium accedentes, si ad nos, ut dicitur, nullo pertinet mediante, ac idem abbas resignare voluerit, non vi vel metu coactus, sed inductus propria voluntate, resignationem ejus, si tamen utilitati expedierit abbatiæ, auctoritate nostra suffulti, admittere procuretis, mandantes conventui, ut eidem abbatiæ per electionem canonicam studeant de persona idonea providere. Quod si non omnes... duo, etc.

Datum Anagniæ, XII Kal. Novembris.

### CLIV (337).

. . ARCHIEPISCOPO SALSEBURGENSI.

*De pœnitentia injungenda ei qui sororem uxoris suæ carnaliter cognoverat.*

(Anagniæ, VII Id. Octobris.)

[Veniens ad apostolicam sedem *Corradus* (338), laicus, *lator præsentium, humili nobis confessione*

(335) Hæc apud Raynaldum, loc. cit.

(336) Huc usque Raynaldus.

(337) Reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. IV, tit. 13, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ*, cap. 9. Ubi archiepiscopo Magdeburgensi directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt. Variæ etiam lectiones dantur.

(338) In decretal., *E.* loco *lator... monstravit*,

*monstravit*, quod, cum *olim*, tempore infantiæ suæ, *de consilio amicorum*, quamdam puellam ducturum se juraverit in uxorem, quam cito ad legitimam perveniret ætatem, pater, puellæ, confœderatione hujusmodi fidejussorum obligatione hinc inde firmata eum in propria domo recepit, ipsum nutriens insimul cum puella, *Demum vero* (339), ex conversatione diutina *totius domus familiaritatem adeptus*, sorori puellæ, *cui se juraverat fore maritum, instinctu generis seductoris humani* carnaliter se conjunxit, Adveniente autem ætate, qua quod juraverat poterat adimplere, amici sui, ejus excessus ignari, pro adimplendo matrimonio institerunt; qui, conscius eorum quæ fecerat, quibusdam ex ipsis quod cum sorore puellæ commiserat enarravit. Sed, illis nequaquam credentibus verbis ejus, et graviter increpantibus eum, [*ipse, illorum devictus consilio* (350)], quam juraverat in uxorem accepit, et, nuptiis celebratis, quando se illi opportunitas exhibebat, cognoscebat utramque. Verum, licet in præsentia tua super hoc fuerit accusatus, convinci tamen non potuit, nec voluit suum confiteri delictum. nunc autem reversus ad cor et pœnitens de commissis, saluti suæ consilium requirit impendi, *ne tanquam equus et mulus, quibus nullus est intellectus, in animæ suæ periculum videatur errare.* Cum igitur non tantum a malo sed etiam ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, prædicto (341) pro hujusmodi enormitatis excessu injuncta pœnitentia competenti, consulas ei, monens illum salubriter et inducens, ut de cætero abstineat ab utraque.

Datum Anagniæ, VII Id. Octrobris.

## CLV (342).

REGI UNGARIÆ.

*Hortatur ut Andreæ duci, fratri suo, subveniat, ad votum crucis exsequendum.*

(Anagniæ, Non. Novembris).

Ad audientiam nostram, dilecto filio, nobili viro, A. duce, fratre tuo, intimante, pervenit, quod, cum inclytæ recordationis B. pater vester, morte præventus, votum quod emiserat non potuerit personaliter adimplere, ut in filio saltem mortuus redderet Domino quod voverat ipse vivens, illud exsequendum eidem duci commisit, et imponi fecit ejus humeris signum crucis. Licet autem ipse in votis habuerit exsequi votum patris, et mandatum ejus filiali devotione complere, quia tamen inter serenitatem tuam et ipsum, peccatis exigentibus, dissensionis scrupulus iutervenit, nondum est quod proposuerat exsecutus præsertim cum ab hoc eum defectus retraxerit expensarum. Quamvis igitur celsitudinem tuam ad votum paternum exsequendum sumptu non modico noverimus indigere, ad instantiam tamen petitionis ipsius, magnificentiam tuam monemus et exhortamur attentius, quatenus ei ad votum peregrinationis explendum, nisi forte post te provida deliberatione in regno remanserit, juxta facultates tuas et necessitatem ipsius in expensis subvenias competenter, taliter extendens manum liberalitatis regiæ circa eum, quod ex hoc etiam ad devotionem tuam amplius inducatur, et nos liberalitatem tuam debeamus merito commendare.

Datum Anagniæ, Non. Novembris.

## CLVI (342).

NOBILI VIRO A. DUCI

*Compositam inter eum regemque fratrem concordiam confirmat.*

(Anagniæ, Non. Novembris.)

Solet, etc. *usque* assensu. Compositionem inter te, et charissimum in Christo filium nostrum.... illustrem regem Ungariæ in dilecti filii, G... (344) tituli sancti Vitalis presbyteri cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, manibus initam, et ab eo postmodum confirmatam, sicut sine pravitate provide facta est, ab utraque parte sponte recepta, et pacifice hactenus observata, et in ejusdem cardinalis litteris plenius continetur, autoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, Non Novembris.

## CLVII (345).

EIDEM

*Ipsum in clientelam admittit.*

(Anagiæ, Non. Novembris.)

Cum inter tuæ primordia juventutis tam ex mandato paterno, quam voto proprio, militiæ tuæ primitias voveris Jesu Christo, esse non debes gratiæ illius immunis, quam apostolica sedes universis crucesignatis indulsit. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis inducti meritis et precibus inclinati, cum, voto peregrinationis emisso, proposueris in terræ sanctæ subsidium proficisci, personam tuam cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut ex quo iter fueris peregrinationis aggressus, donec de tuo reditu vel obitu certissime cognoscatur, terra et omnia bona tua sub nostra et omnium prælatorum Ecclesiæ Dei specialius defensione secura consistant. Volumus etiam, ut si Dominus interim masculum tibi dare dignetur hæredem, in tuo tibi ducatu succedat, et donec ad legitimam ætatem pervenerit, apostolicæ sedis præsidio specialius foveatur. Nulli ergo protectionis, et constitutionis, etc.

Datum Anagniæ, Non, Novembris.

—

(339) Decretal. *deinde*, et infra om. quæ charactere cursivo distinximus.

(340) Decretal. *tandem amicorum suorum devictus instantia*, et infram om. *ne... errare.*

(341) Decret., *E.*

(342) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1203, § 19.

(343) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 19.

(344) Vide epistolam libri quinti 60. not.

(345) Vide Ranynaldum, ad annum 1203, § 19.

## CLVIII.

CAPITULO AUGUSTENSI.

*H. Ratisponensis ecclesiæ vicedominum, ipsis in episcopum concedit* (346).

(Anagniæ, II Kal. Novemb.)

Cassata quondam electione, quam de dilecto filio, H. Ratisponensis ecclesiæ vicedomino feceratis, sicut fuerat de jure cassanda, quia non de legitimo matrimonio natus erat, licet juxta vestrarum testimonium litterarum, probatæ ac inculpatæ opinionis existeret, et esset tam scientia quam moribus et ætate provectus, ut vobis et ecclesiæ vestræ, (ob) cujus evidentem utilitatem et necessitatem urgentem in electione prædicta nimis propere processistis, timentes ne dissentionem dilatio pareret, et dissensio detrimentum ecclesiæ generare,) misericordiam post judicium faceremus, licet merueritis et eligendi potestate privari, et suspendi ab ecclesiasticis beneficiis per tres annos, ne tamen eadem ecclesia, ob defectum rectoris, gravem incurreret læsionem, sustinuimus patienter, ut nominata persona, quam circumspectam esse accepimus et discretam, non tanquam electus, sed tanquam concanonicus vester, procurationem gereret tam ecclesiæ quam diœceseos Augustensis; et, si denuo conveniretis in eum a sede apostolica postulandum, venerabilium fratrum nostrorum, S. Maguntini archiepiscopi, et bonæ memoriæ episcopi Herbipolensis, et dilecti filii.... abbatis de Salem, conspectibus vos curaretis humiliter præsentare.

Illis autem dedimus in mandatis, ut, tam de statu ecclesiæ memoratæ quam meritis et natalibus nominatæ personæ, quæ inquirenda forent inquirerent diligenter, et, omnia fideliter redigentes in scriptis, infra quatuor menses ad nostram audientiam destinarent, cum quibus ad nos vestrum aliqui properarent æquitatis judicium recepturi. Prædicto igitur Herbipolensi episcopo a filiis perditionis occiso, et eodem abbate de Salem committente prædicto archiepiscopo vices suas, quoniam occupatus aliis his non poterat interesse cum ad ipsius metropolitani vestri præsentiam duos ex concanonicis vestris, et dilectum filium.... Sancti Georgii Augustensis præpositum, misissetis, ipse in præsentia venerabilis fratris nostri... Prænestini episcopi, apostolicæ sedis legati, postulationem coram se propositam examinare curavit, sicut transmissæ ad nos ejus litteræ continebant. Fuit igitur ipsi, sicut per easdem nobis litteras intimavit, sufficiens facta fides, quod ad episcopale regimen, quantum homini sciri permittitur, idoneus esset vicedominus memoratus, nisi præmissus tamen articulus impediret. Verum, quia eum obedientiæ filium noverat, et mandatis ecclesiæ obedire paratum, propter turbationem temporis, ecclesiæ desolationem, et discretionem personæ, cum eo humiliter petiit dispensari, A adjiciens in margine litterarum, quod nullus hoc tempore præter eum posset ad regimen ecclesiæ Augustensis assumi, sine multo ejus dispendio et jactura. Super processu quoque negotii legatus noster nos instruens, et cum Maguntino concordans, ad dispensationem nos suppliciter incitavit, quam et vos per litteras vestras et nuntios humiliter postulastis, abbate de Salem, qui Maguntino commiserat vices suas, idem cum instantia requirente. Nos igitur, attendentes quod Maguntinus ipse non plane nos super impendimento natalium instruxisset, a dilectis filiis, R. archidiacono, F. subdiacono nostro, concanonico vestro, et magistro L. qui venerat nuntius cum eisdem, per fratres nostros exegimus et recepimus juramentum, ut testimonium B dicerent veritati. Ipsi ergo deposuere jurati, quod, sicut ab antiquioribus ecclesiæ Ratisponensis et Augustensis audierant, et credebant ipsi etiam verum esse, idem vicedominus ex simplici fuerat fornicatione susceptus, cum pater ejus in minoribus esset ordinibus constitutus, quod ex eo plenius patuisse dicebant, quod postea fuit in subdiaconum ordinatus. Mater vero licet in claustro posita fuerit, juxta terræ consuetudinem nutrienda, et tandem habitum induerit monachalem, tunc tamen nec alicui nupserat, nec votum emiserat castitatis. Nos ergo, habito super his fratrum nostrorum consilio, propter urgentem necessitatem, et evidentem utilitatem ecclesiæ Augustensis, et discretionem et honestatem nominatæ personæ, de qua nobis prædictus legatus noster, etc... archiepiscopus Maguntinus, et quamplures aliis laudabile duxerunt testimonium perhibendum, de solita benignitate sedis apostolicæ gratiam vobis facimus, et cum eodem vicedomino dispensantes ipsum vobis concedimus in pastorem, salvo in omnibus jure tam archiepiscopi quam ecclesiæ Maguntinæ. Monemus igitur discretionem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus ei de cætero tanquam pastori vestro debitam exhibeatis reverentiam et honorem, et salubria monita et mandata ipsius recipiatis humiliter et inviolabiliter observetis.

Datum Anagniæ, II Kal. Novembris.

## CLIX (347).

D P. EPISCOPO IN ARCHIEPISCOPUM PANORMITANUM ELECTO (348), REGIO FAMILIARI.

*Ipsum plurimum commendat, quod inter sæculi et regni tumultus, qui tum etiam fervebant, fidem pontifici regique servasset.*

(Anagniæ.)

Si exigente diei malitia sit vita hominis super terram, ut non inveniat requiem tempore inquieto; si in valle lacrymationis et fletus riget lacrymis stratum suum, nec taceat pupilla oculi lacrymantis; licet condoleamus dolentibus, necnon compati pa-

(346) Vide epistolam libri quinti 99, de eodem argumento.

(347) Vide Ranynaldum, ad annum 1203, § 69.
(348) Vide epistolam libri quinti 39.

tientibus non possimns, non movemur tamen nimium, vel miramur, cum non verum esse nequeat testimonium veritatis, quæ iram superventuram universo orbi prædixit, et non solum gentem surrecturam in gentem, et inimicos hominis domesticos ejus fore, sed et virtutes cœlorum prænuntiavit in fine temporum commovendas, quod in Sicilia jam videmus quasi ad litteram adimpleri.[Ecce etenim, ibi non solum gens insurgit in gentem, sed frater armatur in fratrem, ita ut familiaris noceat amplius inimicus, est dum nulla fides est regni sociis virtutes cœlorum contra se invicem commoventur, dum majores ecclesiarum prælati, ac regni principes, qui videbantur esse columnæ, nutantes non stant in die Domini, nec opponunt se ascendentibus ex adverso, sed cedentes, vel deficientes potius, non timent cum his facere sibi partes, qui partiri regiam tunicam moliuntur sub nomine regio non quæ regis sunt, sed potius quæ sunt sua quærentes. Quia igitur regnum est in se ipsum divisum, non est mirum si desoletur, et domus decidat supra domum, cum ad desolationem ejus plus domesticorum dissensio, quam offensa facit cæterorum. Licet igitur declinarint et inutiles facti sint pene penitus universi, et vix qui faciat bonum, etiam usque ad unum, gaudemus tamen, quod tuæ fidelitatis integritas, et constantia devotionis, annuntiatur per omne regnum Siciliæ, ac a mari ad mare publice prædicatur, quod in perscutione profeceris, nec cesseris persequenti. Quamvis enim dixerit inimicus: Persequar, et comprehendam, partibor (349) spolia, interficiam gladio, et dominabitur manus mea; quamvis impii cogitaverint occidere virum justum injuste eo tamen fortius contra ipsos ferbuit fides tua, quo amplius contra te ipsorum ira fervebat, sicque sagittas parvulorum reputasti plagas eorum, et non solum linguas, sed et manus eorum pro nihilo habusti. Nam ille qui oraverat ne deficeret fides[Petri Petrum ne in hujus maris fluctitibus mergeretur erexit, et adhuc, nisi modicæ fidei fuerit, eum faciet tumentium procellas undarum sicco] vestigio et inoffenso pedere calcare. Si insultent igitur tibi qui oderunt te gratis, et pro bonis mala rependunt, si dicatur, ubi est Deus tuus, non exaudias beneficia incantantum, nec eorum seductionibus acquiescas qui ut gloriam tuam evacuent, tuum]student animum fascinare. Sit gloria sicut filiæ regum ab intus in fimbriis aureis, et conscientia tua pro te testimonium perhibeat apud Deum, et nos etiam, indignos vicarios ejus, qui labores tuos et dolores attendimus, et tibi proponimus juxta tua merita respondere. Nec credas, quod hominem nos fecisse pœnitet, qui nullam nobis pœnitentiæ causam præstat, aut quod velimus abire retrorsum, et quod differimus proponamus auferre, quod differtur potius ut opportuno tempore gloriosius conferatur. Nam super flumina Babylonis organa suspenduntur, nec est Domini canticum in terra aliena, vel verius alienata, cantandum. Monemus igitur fraternitatem tuam, et exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in solitæ fidelitatis virtute persistens, non deficias sed proficias potius, ut magis armata trita fragrent, et aurum examinetur melius, et probetur verius in fornace. Speramus autem in eo, qui in se sperantes non deserit, quod non dormiet, nec dormitabit qui custodit Israel, nec relinquet virgam peccatorum super sortem justorum sed consolabitur in servis suis, faciens in tentatione proventum, et post lacrymationem et fletum, gaudium, et exsultationem induceris. Quodsi forsan peccatis exigentibus usque adeo invalesceret inimicus, ut ei resistere, vel contra eum stare sine periculo non valeres, non negamus quin modum invenias, qui sine fidelitatis tuæ ac fidei læsione animam tuam exaltet.

Datum Anagniæ.

## CLX (350).

DE NOVO BURGO ET DE SALEM (350*) ABBATIBUS.

*Ut ducem Sueviæ a fovendo Liupuldo in Maguntinam sedem intruso deterreant.* (351).

(Anagniæ, VI Kal. Novembris.)

Inauditæ præsumptionis excessum quem nobilis vir, Philippus, dux Sueviæ, in apostolicæ sedis injuriam attentavit, Liupuldum, quondam Varmatiensem episcopum, ad Maguntinam ecclesiam quantum in eo fuerat transferendo, et fovendo eum in suæ temeritatis excessu, etiam postquam illius postulatio a nobis justo fuerat judicio reprobata, in patientia toleravimus hactenus. credentes quod errorem suum corrigeret per se ipsum, et idolum zeli quod erexerat in templo Dei velut abominationem stantem in loco sancto, de ipso eliminare curaret, nec usurparet sibi quod nullus imperatorum vel principium hactenus attentavit. Novit enim, vel potuit aut debuit ipse noscere, quod apostolicæ sedi tantum a Domino transferendi episcopos est potestas indulta; ideoque in messem nostram non debuit mittere falcem suam, et nostrum sibi officium vindicare, quod licet fecit hactenus, nos tamen, ne moveri contra eum potius æstu amaritudinis quam zelo rectitudinis videamur, id discimulavimus hactenus et laboravimus sustinentes.

Verum prædictus Liupuldus, quia nimis præsumpserat, nec monitus a sua præsumptione cessabat, excommunicationis primo, et postmodum sententiam depositionis excepit; quam quia contumax non observat, et dux ipse in contumacia fovet eum, juxta sanctorum Patrum sententias utramque notam et noxam erroris incurrit. Nos autem, adhuc eidem duci deferre volentes, per vos eum duximus commonendum, si forsan ductus consilio saniori hujusmodi præsumptione desistat, nec Deo et Ec-

(349) Sic in apogr.

(350) Epistolam hanc laudat, fragmentulumque exhibet Raynaldus, ad annum 1203, § 50. Pauca quæ apud ipsum leguntur, hic circa finem uncis inclusa sunt.

(350*) Vide epistolam libri quinti 99.

(351) Vide epistolam libri quinti 14.

clesiæ se opponat, et apostolicam sedem, quam ratione saltem christianitatis debet humiliter revereri, de cætero irreverenter impugnet. Monemus igitur discretionem vestram et exhortamur attente, et per apostolica scripta mandantes in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, quatenus ad eum personaliter accedentes, ipsum ex parte nostra moneatis attentius et efficaciter inducatis, ut eidem Liupuldo nullum de cætero tribuat auxilium vel favorem, sed potius tanquam depositum illum abjiciat, et velut excommunicatum evitet. Alioquin [denuntietis eidem, quod in ipsum et terram suam amplius forsan quam existimet, secundum officii nostri debitum, manum nostram curabimus aggravare, cum id ulterius non debeamus in patientia sustinere.] Quod autem inveneritis apud eum, per litteras et fidelem nuntium nobis quanto citius poteritis. Quod si non ambo... alter, etc.

Datum Anagniæ, vi Kal. Novembris.

## CLXI.

...... DECANO ET CAPITULO LESMORRENSIBUS.

*Ut M. abbatem S. Benedicti, in episcopum ab ipsis electum recipiant.*

(Anagniæ, Non. Novembris.)

Dilecti filii... archidiaconus, et quidam clerici Lesmorrenses, cum litteris vestris ad sedem apostolicam venientes, nostris auribus intimarunt, quod postquam F.... quondam episcopus vester, in manibus dilecti filii, J. (352) tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyteri cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, episcopatus regimen resignavit, vos convenientes in unum, in venerabilem fratrem nostrum, M. nunc episcopum, tunc vero abbatem Sancti Benedicti Cisterciensis ordinis, invocata sancti Spiritus gratia, unanimiter convenistis, eum in vestrum episcopum eligentes, quanquam ecclesia vestra cum ipsa diœcesi a... Watafordensi episcopo detineretur invasa. Nos autem, tam per juramenta, quam etiam instrumenta, super canonicæ electionis processu, et idoneitate personæ a vobis electæ certiores effecti, confirmavimus electionem ipsius, et ei munere consecrationis impenso, ipsum cum plenitudine gratiæ nostræ ad vestram ecclesiam duximus remittendum. Ideoque vobis per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ipsum episcopum, tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum recipientes humiliter, et reverentiam ei debitam, et obedientiam impendentes, salubria ejus monita, et... sic irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam quam in rebelles et obedientes rationabiliter promulgaret, ratam faceremus haberi.

Datum Anagniæ, Non. Novembris.

(352) Vide epistolam libri quinti 83.

(353) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 64,

## CLXII (353).

..... ARCHIEPISCOPO GUAMENSI, ET ..... DUACENSI, ET...... FERNENSI EPISCOPIS.

*Ut anathematis sententiam adversus Watafordensem episcopum ferant.* (354).

(Anagniæ. Non Novembris.)

Flagitiosam et detestabilem nimium contra...... Watafordensem episcopum, accepimus quæstionem, quod venerabilem fratrem nostrum.... nunc Lesmorrensem episcopum, tunc electum, eum se ad iter accingeret ad sedem apostolicam veniendi, ei paratis insidiis, præsumpsit capere violenter, et nequiter spoliare, et manibus propriis usque ad effusionem sanguinis injectis in eum, in carcere positum et compedibus alligatum, duris verberibus fecit affligi. Quia igitur tantæ præsumptionis audaciam, vel nequitiam potius hujusmodi temeritatis immensæ non possumus, nec debemus sub dissimulatione transire cum hæc nobis sint nota et vobis notoria, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum Watafordensem episcopum, et alios, qui in eumdem episcopum manus temerarias injecerunt, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate nostra suffulti, tandiu denuntietis excommunicationis vinculo subjacere, donec passo injuriam congrue satisfaciant...vestrarum etc. *usque* absolvendi. Prædictum Watafordensem nihilominus per districtionem ecclesiasticam compellentes, ut ecclesiam cum diœcesi Lesmorrensem, quam violenter invasam dicitur occupasse, præfato Lesmorrensi episcopo sine difficultate restituat pacifice possidendam, ac de damnis et illatis satisfaciat competenter, non obstante quod dilectus filius noster, J. tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus. ei diœcesim commiserat Lesmorrensem, cum illam prædecessor ejus violenter invaserit, et ipse nimium præsumptuose per invasionem diutius tenuerit occupatam. Quod si non omnes, etc. Duo, etc.

Datum Anagniæ, Non. Novembris.

## CLXIII (355).

REGI FRANCORUM.

*Epistola responsiva, quia rex dixerat, quod de jure feudi stare non debebat mandatis apostolicis; et alia multa de pace cum rege Angliæ.*

(Anagniæ, ii Kal. Novembris.)

Ex divina lectione tenentes, quod pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, dilectum filium, abbatem Casemarii, virum religiosum et providum, ad partes direximus Galliarum, ut evangelizaret tibi et charissimo in Christo filio nostro, J. regi Anglorum illustri, dissidentibus vobis ab invicem, bonum pacis, et opportune ac importune instaret, ut vel firmam inter discordantes concordiam reformaret, vel ad minus treugas statueret congruentes, quatenus medio tempore, mediantibus nobis et aliis viris prudenti-

(354) Vide epistolam superiorem.

(355) Epistolam hanc, necnon sequentes episto-

bus, et apud vos interponentibus partes suas, plena inter vos pacis connexio proveniret. Ex illo autem super hoc fuisse exemplo confisi, quod, cum olim inclytæ recordationis Ricc. rex Angelorum, contra te guerram haberet, dilectum filium. P. tituli Sancti Marcelli presbyterum, tunc Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, ad vestram curavimus præsentiam destinare, quem tum primus jucunde suscipiens ad primam exhortationem ipsius, quod in manibus ejus pacem vel treugam inires, libera voluntate firmasti. Et, licet prædictus rex ad hoc fuerit vix inductus, utpote qui, antequam de peregrinatione crucifixi rediret, graviter læsus erat, apostolicis tamen jussionibus parens, treugas tecum iniit quinquennales.

Cæterum, quamvis abbas ipse proposuisset in tuæ serenitatis auribus verbum nostrum, et causam adventus sui publice nuntiasset, noluisti tamen protinus ei finaliter respondere, sed usque ad octavas Assumptionis beatæ Mariæ proximo præteritas ejus animum suspendisti, apud Medon.... (356) celebrato archiepiscopum, episcoporum et aliorum magnatum tuorum consilio ei statuens responsurum. Adveniente igitur die data, et tam ecclesiarum prælatis quam principibus regni tui convocatis, et congregatis in unum, præhabito quorumdam consilio. respondisti, quod de jure feudi et *homine* (357) tuo stare mandato sedis apostolicæ vel judicio non teneris, et quod nihil ad nos pertinet de negotio quod vertitur inter reges. Nos igitur, responsionis hujusmodi tenere plenius intellecto, mirati sumus non modicum et turbati, quod consilium iniisse videris, et concinnasse responsum contra sedis apostolicæ potestatem, tanquam jurisdictionem ejus velis aut valeas coarctare, quam non homo sed Deus, imo verius Deus-Homo, in spiritualibus usque adeo dilatavit, ut nequeat amplius ampliari, cum adjectionem non recipiat plenitudo [Utinam considerasses salubrius et diligentius attendisses, quod apostolica sedes, nec tibi, nec progenitoribus tuis aut regno Francorum damnosam hactenus, sed utilem potius se studuit exhibere! Utinam in die bonorum malorum immemor non fuisses, et cum bellorum dubius sit eventus, inconstantiam prosperitatis humanæ, non tantum ex statu præsenti, sed ex eo etiam qui variis modis et ex causis diversis præsertim potest succedere, mensus esses, et cavisses sollicite ne responsio tua contra te vel posteros tuos posset in posterum allegari! Nec hoc dicimus, tanquam nobis potestatem velimus indebitam usurpare, vel quidquam injungere quod ad officii nostri non pertineat potestatem. Quid enim monuimus, quid suggessimus? Num quid inhonestum, num quid injustum? Certe, si bene recolimus, ut faceretis pacem vel

A treugas, salva justitia utriusque. Licet autem causam tecum intrare nolimus, et super hoc in judicio litigare, ne tamen responsio regia ex nostra sortiatur taciturnitate valorem, ei breviter cogimur respondere; nihil contra eam tanquam proprium confingentes, sed inducentes potius ex armario S. Spiritus validas rationes. Quod enim evangelizare pacem ex injuncto nobis officio teneamur, Psalmista nos docet: *Inquire*, inquiens, *pacem et persequere eam* (*Psal.* XXXIII), id est donec inveneris, insequaris: et Angeli qui Dominicæ Nativitatis primitias pastoribus intimarunt, per novæ laudis canticum expresserunt, in ortu ejus, cujus vices in terris licet immeriti gerimus, pacem bonæ voluntatis hominibus nuntiantes. Ipse quoque Dominus Jesus Christus,
B quod nascens per ministerium fecerat angelorum, gustaturus calicem passionis, exsecutus est expressius per se ipsum; cum discipulis suis inquit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV); et resurgens, hac voce primum ad apostolos fuit usus: *Pax vobis* (*Luc.* XXIV); et iterum dico, pax vobis. Idem quoque, cum discipulos de forma prædicationis instrueret, pacem eos evangelizare præmonuit, dicens eis: *In quamcunque domum ingressi fueritis, primum dicite: Pax huic domui; et, si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra* (*Luc.* X).—*Quicunque autem non receperint vos nec audierint sermones vestros, exeuntes foras excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illius* (*Marc*, VIII): exire præcipit foras, ut eis
C ecclesiastica communio denegetur, pulverem illum excutiendum denuntians contra eos qui non recipiunt verba pacis, qui, Moyse cinerem de camino spargente, fuit ad plagam vulneris super omnem terram Ægypti. Quam gravis autem districtionis sententia in ultimo sint examine feriendi qui non recipiunt sermones eorum, per seipsa Veritas consequenter ostendit, non simpliciter, sed cum quadam affirmatione proponens: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorhæorum in die judicii, quam illi civitati* (*Matth.* X): in civitate cives intelligens, a quibus non excipit ipsos reges Præterea, nullus dubitat sanæ mentis, quin nostrum sit de iis quæ ad salutem vel damnationem animæ pertinent judicare. Nunquid autem non meritorium et damnationis perpetuæ, ac demeritorium salutis
D æternæ fovere discordiam, fidei domesticos impugnare, domos religiosas destruere, bona religiosorum virorum necessitatibus et utilitatibus deputata, exponere voluptati prædonum, virgines Deo dicatas opprimere, cogere illos qui, posteriorum obliti, ad anteriora se jugiter extendebant, abire retrorsum, et denuo se sæcularibus negotiis immiscere, qui Domino cœperant militare, affligere pauperes, depauperare potentes, sanguinem humanum

las. 146, 165, 166, 167, laudat Bzovius, *Annal.* t. XIII, pag. 99, § 6.
Diversa ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1203, § 55. Quæ ab ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(256) Sic in apographis Vaticano et Conti.

(357) Sic, *ibid.*

effundere, ac ecclesias profanare?] Sane, si super hoc in ore nostro fuerit verbum Domini alligatum, non indigne vocabimur canes muti, non valentes latrare, nec immerito sanguis tot millium hominum de nostris manibus requiretur. Nonne siquidem nobis loquitur Dominus in Propheta, qui fuit ex sacerdotibus Anathot: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I); ut jam non evellamus vitiorum germina, virtutum sarculos plantaturi? Rursus, cum monasteria et alia pia loca nostræ præcipuæ protectioni commissa, non vastari solummodo, sed pene penitus destrui videamus, cum Ecclesiæ filios, qui Marthæ officio derelicto elegerant sedere secus pedes Domini cum Maria, et abjecti esse in domo Domini m. q. h. i. t. p. (358) per inquietudines bellicas et iniquitates bellantium intelligamus a pio proposito revocari, si ascendere noluerimus ex adverso, et pro domo Domini murum opponere nosmetipsos, nonne dicemur mercenarii verius quam pastores, cum, lupos venire vedentes, ut dispergant oves et mactent, fugerimus præsidium subtrahendo, velut lac et lanam quærentes in eis, nec de ipsarum salute curantes? [Audias denique, fili charissime, verbum, non nostrum, sed Verbi potius quod erat in principio apud Deum, et quod tandem caro factum est et habitavit in nobis, in Evangelio protestantis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; *si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*; *quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ*; *quod, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII). Ecce, conqueritur rex Angliæ, frater tuus; frater, inquam, non cognatione carnis, sed fidei unione, quod pecces in eum, et in gravamen ipsius extendas et extenderis manus tuas. Corripuit te inter te aliquando et se solum, cum tam litteris quam viva voce, non semel solummodo sed frequenter commonuit, ut ab ejus desisteres læsione. Adhibuit quoque non solum duos vel tres testes, sed multos magnates induxit, ut inter te ac ipsum ruptæ pacis fœdera reformarent, et apud te, ut ab ejus cessares offensa, interponerent partes suas. Verum, quia *per hoc* (339) apud celsitudinem tuam penitus nil profecit, quod in eum peccaveras, Ecclesiæ, juxta verbum evangelicum, nuntiavit. Ecclesia vero uti circa te maluit affectione paterna, quam judiciaria potestate. Ideoque serenitatem tuam per prædictum abbatem non potestative corripuit, sed benigne commonuit, ut a fratris cessares injuria, et cum eo, vel in veræ pacis fœdera, vel congruentes treugarum inducias convenires. Quid igitur restat de cætero, nisi quod, si Ecclesiam non audieris, sicut hactenus non audisti, te sicut ethnicum et publicanum, quod dolentes redicimus, habeat, et post primam et secundam correctionem evitet? Cum, si offendere nos oporteat te vel Deum, velimus ipsum de tua potius offensione placare, quam per divini regis offensam homini complacere. Sed dies forsitan, quod non peccas in eum; sed et ille replicabit in contrarium, quia peccas. Quid ergo in hujusmodi contradictionis articulo faciemus? Nunquid, inquisita plenius et cognita veritate, procedere juxta mandatum Domini omittemus? Nunquid dissimulabimus stragem corporum et perniciem animarum, nec annuntiabimus impietatem suam impiis, et cohibebimus a violentia violentos?] Ne igitur a præcepto videamur evangelico deviare, monemus serenitatem regiam et exhortamur in Domino, salubriter consulentes, quatenus non acquiescas peccatoribus qui te lactant, nec oleum peccatoris tuum caput impinguet, sed monitis nostris, quæ de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta procedunt, aurem præbeas facilem et benignam, et, juxta commonitionem prædicti abbatis, vel nostram potius, imo Dei, cum prædicto rege vel solidam pacem reformes, vel treugas ineas competentes, ut, si forsitan asseras quod non pecces in regem prædictum, sed in eum utaris potius jure tuo, cum ille queratur quod graviter pecces in eum, et non jus sed injuriam exerceas contra ipsum, ne in hoc quasi dubio vel humanum præcipitare judicium, vel mandatum divinum negligere videamur, humiliter patiaris, ut abbas prædictus, cum venerabili fratre nostro.... Bituricensi archiepiscopo, super hoc de plano cognoscat, non ratione feudi, cujus ad te spectat judicium, sed occasione peccati, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, ut cognita veritate, si querela prædicti regis fuerit ratione suffulta, tu, qui peccas in fratrem, per censnram Ecclesiæ cogaris, juxta verbum evangelicum, ab ejus offensa cessare; alioquin, tanquam injusta querela hujusmodi repellatur, et Ecclesia in tua tibi justitia, si necesse fuerit, suffragetur. Quod si forsan sedis apostolicæ, matris tuæ, verba te ad hoc non potuerint emollire, quæ lenitate adhuc apud te utitur, et hactenus fuit usa, ut patris sentias severitatem in verbere, qui de cætero in odium filii virgæ parcere non decrevit, quidquid valeat provenire, cum non timeamus hominem contra Deum, nec pati persecutionem propter justitiam, si oporteam, evitemus, aut fugiamus scandalum in præjudicium veritatis, per prædictum abbatem officii nostri debitum exsequemur.

Datum Anagniæ, secundo Kal. Novembris, pontificatus nostri anno sexto.

---

(358) Sic in apogr.

(459) Sic in apogr. : apud Raynaldum *hactenus*.

CLXIV (360).

ARCHIEPISCOPO SENONENSI

*Ut publicet sententiam excommunicationis contra moventes arma in regem Angliæ, etiam contra regem Franciæ.*

(Anagniæ, II Kal. Novembris.)

Ex divina lectione tenentes, etc. *ut in epistola* 163, *usque* præjudicium veritatis, eidem abbati dedimus in mandatis, ut, nisi rex ipse ab eo commonitus, in reformanda pace vel statuendis treugis fecerit quod monemus, publice, sub pœna districti anathematis, ex parte nostra prohibeat, ne quis contra prædictum regem Anglorum, pacem et treugas humiliter offerentem, ac terram ejus arma movere præsumat. Si quis autem contrarium præsumpserit, excommunicationis se noverit sententia innodatum, et totam familiam suam suppositam interdicto, ita quod, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, nullum eis divinum celebretur officium, aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, sed nec impendatur decedentibus ecclesiastica sepultura. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, et in obedientiæ virtute districte præcipimus, quatenus, postquam idem abbas super hoc mandatum fuerit apostolicum exsecutus, sententiam ejus, imo nostram verius, pulsatis campanis et candelis accensis, singulis diebus Dominicis et festivis, solemniter publicetis, et faciatis inviolabiliter observari; scituri; quod si secus egeritis inobedientiam vestram graviter puniemus.

Datum Anagniæ, secundo Kal. Novembris, anno sexto.

*In eodem modo*... capitulo Remensi et suffraganeis Remensis ecclesiæ.

*Item*... archiepiscopo Bituricensi, et suffraganeis ejus.

CLXV (361).

ABBATI CASEMARII.

*Ut se interponat pro pace seu treuga inter reges; sin exsequi potuerit, excommunicet.*

(Anagniæ, II Kal. Novembris.)

Recepimus litteras, quas tua nobis discretio destinavit, benignitate qua decuit, et quæ significasti per eas notavimus diligenter. Quid autem charissimo in Christo filio nostro, Phillippo regi Francorum illustri, et venerabilibus fratribus nostris... Senonensi et Bituricensi archiepiscopis, et dilectis filiis, capitulo Remensi, et suffraganeis Remensis, Senonensis et Bituricensis ecclesiarum, scribamus, ex patentibus litteris quas prælatis ipsis dirigimus, tuæ poterit inspectioni patere. Monemus igitur discretionem tuam, et exhortamur attente, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus adhuc apud regem ipsum, tam per te quam prælatos ipsos ac alios viros prudentes, interponas, non semel solummodo sed sæpius, partes tuas, ut juxta formam litterarum quas ipsi dirigimus, cum charissimo in Christo filio, J. rege Anglorum, statuat firmam pacem, vel treugas ineat congruentes. Quod si forsan ad id induci nequiverit sæpius requisitus, publice sub pœna districti anathematis, etc. *in eodem fere modo, usque* sepultura. Taliter igitur super hoc, sicut de tua discretione confidimus, mandatum apostolicum exsequaris, quod diligentiam et obedientiam tuam debeam merito commendare.

Datum Anagniæ, II Kal. Novembris, anno sexto.

CLXVI (362).

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI, ET ABBATI CASEMARII

*Ut de querela regum cognoscant.*

(Anagniæ, II Kal. Novembris.)

Quid charissimo in Christo filio nostro, Philippo illustri regi Franconum, scribamus, ex litteris quas prælatis ipsis dirigimus, plenius cognoscetis. Qualiter quoque in facto regum procedere debeas, fili abbas, in litteris nostris clausis, quas super hoc tibi mittimus, plene duximus exprimendum, unde non oportet eadem toties replicare. Monemus igitur discretionem vestram et exhortamur attente, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus, cum prædictus rex Francorum ad hoc saltem treugas concesserit congruentes, ut de querela regis Anglorum et ejus exceptione, utrum sit justa interim cognoscatur, non ratione feudi, cujus ad eum spectat judicium, sed occasione peccati, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, vos, omni gratia et timore postpositis, sine personarum acceptione, super hoc cognoscere procuretis, et, si querelam ipsius inveneritis esse justam, tu, fili abbas, juxta formam litterarum nostrarum, appellatione remota, procedas; alioquin, ipsi regi Francorum, ad obtinendum jus suum, si necesse fuerit, prudenter et patienter assistas,

Datum, *ut supra.*

CLXVII (363).

J. REGI ANGLORUM.

*Explicatur causa belli initi per regem Franciæ contra eum, et eum PP. reprehendit, quod debebat comparere coram dicto rege, cum sit ejus ligius homo.*

(Anagniæ, II Kal. Novembris.)

Quid tuis meritis debeamus conscientia te regalis edoceat, quæ novit ad plenum, quod in multis gratiæ nostræ reddideris te integratum nec retribueris nobis juxta quod tribuimus ipsi tibi, nec Romanam Ecclesiam juxta progenitorum et prædecessorum tuorum consuetudinem curaveris, prout debueras, honorare. Verum, quia plus quid nos deceat quam quid facias tu notamus, non tuis meritis respondentes, sed exsequentes debitum officii pastoralis, ac credentes quod ex hoc amodo nobis et Ecclesiæ Romanæ obsequiosum et devotum amplius te studeas exhibere, super negotio quod inter te et charis-

(360) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 58.
(361) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 57.
(362) Id. ibid.

(363) Epistolam hanc, sed mutilam, exhibet Raynaldus, ad annum 1203, § 57. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

simum in Christo filium nostrum, Ph. regem Francorum illustrem, vertitur, quantum potuimus, cum honestate processimus, ultra etiam quam ab aliquibus crederetur, sicut dilectus filius... abbas Casemarii, nuntius noster, qui super hoc novit plenius veritatem, serenitati tuæ poterit intimare. Verum, [nosse te volumus, quod rex ipse non se sed te potius culpabilem esse dicit discordiæ suscitatæ, ac quod non occasionem solummodo sed causam præstiteris dissensionis, affirmet. Nuper enim nobis per suas litteras et nuntios intimavit, quod, cum ecclesiæ Beati Martini Turonensis, quæ ab eo quidquid habet in temporalibus recognoscit, damna non modica et quamplures injurias intulisses, et homines tui quemdam ipsius hominem occidissent, licet requisitus super hoc sæpius ut id faceres emendari, B tres vel quatuor terminos petieris et acceperis successive, et rex ipse semper ad datam diem suos nuntios destinasset, nunquam emendationem a te potuit obtinere, imo per dilationes hujusmodi ultra unius anni spatium ejus animum suspendisti. Præterea, cum hominibus qui spectant ad feudum ejus, castella et terras suas, sine ratione, pro motu voluntatis propriæ, abstulisses, ipse, tanquam superior, spoliatorum querela pulsatus, tibi non semel solummodo sed sæpe mandavit ut id faceres emendari, quod, licet promiseris te facturum, non fecisti tamen, sed gravatos amplius aggravasti, quod ipse sustinuit ultra annum, satisfactionem expetens et exspectans. Cumque, communicato cum baronibus et hominibus suis consilio, certum tibi terminum statuisset, ut in ejus præsentia compareres, C quod jus dictaret sine retractatione facturus, licet esses ligius homo ejus, nec ivisti tamen ad diem statutum, nec misisti aliquem responsalem, sed mandatum ejus penitus cantempsisti. Consequenter vero, personaliter te convenit, et super his commonuit viva voce, cum non haberet in votis ut faceret tibi guerram, si talem te circa eum qualem tenebaris ex debito exhiberes. Verum, cum nec sic satisfacere voluisses, licet te de baronum et hominum suorum consilio diffidasset, mota tamen guerra ad te quatuor ex militibus suis misit, volens certificari per eos, si velles ea quæ in ipsum commiseras, emendare. Alioquin, notum tibi esse volebat, quod extunc contra te fœdus cum hominibus tuis ubicumque posset iniret. Tu autem a facie te quærentium sbscondisti, et captasti absentiam, ita quod D te videre nullatenus potuerunt. Homines vero tui occurrentes quærentibus nuntiarunt, se præscire quid eis a rege ipso fuisset injunctum, et quod non poterant loqui tecum. Adjecit insuper, quod eo

A tempore cum nullo ex hominibus tuis confœderationem inierat, nec hominia receperat ab eisdem; sed postmodum confœderatus est cum quibusdam eorum, et quibusdam recepisse hominia se fatetur, quod contumaciæ tuæ asserit imputandum, licet adhuc paratus existat in curia sua, si petieris, tibi justitiæ plenitudinem exhibere, sufficienti tamen cautione recepta, quod judicio curiæ acquiescas. Monemus igitur serenitatem regiam, et exhortamur in Domino, quatenus ad ea quæ pacis sunt devotus intendas, et non solum recipias pacem vel treugas, si tibi forsitan offerantur, sed eas etiam offerre nullatus erubescas. Caveas autem sollicite, ne cum injuriosum tibi asseras dictum regem, tu ei potius injuriosus existas, et debitam ei reverentiam subtrahas et honorem, quoniam, cognita veritate, sicut in tua tibi assistimus ratione, sic ei non possemus in sua justitia non adesse,] Ad hoc dilectum filium, S. de Fossanova Eboracensem canonicum, nuntium tuum, serenitati tuæ propensius commendamus, cum apud nos in negotiis tuis sollicitudinem adhibuerit diligentem.

Datum Anagniæ. II Kal. Novembris, pontificatus nostri anno sexto.

### CLXVIII (364).

SANCTI VICTORIS (365), ET SANCTÆ GENOVEFÆ (366) ABBATIBUS.

*Reducit in gratiam Crucesignatum comitem Augi, qui crucem ejecerat ne iret in Terram sanctam.*

(Anagniæ, II Id. Novembris.)

Cum is qui macula spiritualis lepræ respersus, ne ipsius contagio grex Dominicus maculetur, de medio fidelium tollitur, et ponitur extra castra, non ad confusionem ejicitur sempiternam sed ad erubescientiam gloriam adducentem(367), ut prævaricator revertatur ad cor, et se offerat sacerdoti ad gremium matris Ecclesiæ ipsius judicio revocandus. Non enim Petri gladius ad internetionem exeritur delinquentis, sed ut servus, amputata sibi auricula dextera, fiat Malchus, ut videlicet se regat, et dirigat in Dei semitam mandatorum. Licet igitur, nobilis vir... comes Augi, fuerit Satanæ traditus in interitum carnis, et a fidelium consortio separatus, pro eo quod signum crucis, quod suis affixerat humeris in Terræ sanctæ subsidium profecturus, deposuit, quia tamen ad mentem rediens se offert mandatis Ecclesiæ pariturum, castrorum Dei sibi non debet præcludi regressus, cum ad hoc fuerit exclusus ab illis, ut saltem erubescentia motus quod deliquerat emendaret. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ab eo sufficienti secundum formam Ecclesiæ cautione recepta, super

(364) Vide BZOVIUM, *Annal.* tom. XIII, pag. 100, § 7. Epistolam hanc laudat Malingre (*Antiq. Paris.* pag. 452).

(365) S. Victoris abbatiam tunc temporis regebat Johannes I, quem vulgo *Teutonicum* dicunt; natus quippe erat in diœcesi Trevirensi, unde juvenis Lutetiam Parisiorum accessit, ubi post aliquod tempus Victorinæ familiæ nomen dedit sub Garino abbate, tandemque post obitum Absalonis, (de quo ad epistolam libri tertii XLI, not.) anno 1203 dictus est abbas. Sex et virginti annos Victorinæ domus administrationem gessit. Ejus obitum Annales Victorini consignant anno 1229, cum paulo ante magistratu sponte abisset. *Gall. Christ.* t. VIII, col. 675.

(366) Lib. III, epist. XLV, not.

(268) Sic in apographo.

his pro quibus laqueum excommunicationis incurrit absolutionis ei beneficium impendatis, injungentes eidem ut reddat Domino quod promisit, peregrinationis votum adimplens in subsidium Terræ sanctæ. Quod si forsitan se probabiliter excusaverit, excusationes suas nobis significare non differat, sub vestrarum testimonio litterarum, ut mandatum quod a nobis processerit, irrefragabiliter exsequatur.

Datum Anagniæ II Idus Novembris, pontificatus nostri anno sexto.

CLXIX (368).

...... ARCHIDIACONO.... ARCHIPRESBYTERO, ET UNIVERSO CAPITULO GARGANICÆ ECCLESIÆ.

*Recipit eos sub protectione B. Petri.*

(Anagniæ, XVII Kal. Decemb.)

Suscepti regiminis administratione compellimur, et pietatis officio commonemur, circa universum corpus Ecclesiæ aciem nostræ considerationis extendere, et, ne sacræ Dei ecclesiæ indebitis aliquorum molestiis agitentur, sollicitam curam et diligentiam adhibere; ut qui sumus ad universalis Ecclesiæ regimen supernæ dispositionis providentia deputati, pro singularum statu pastorali sollicitudine satagere videamur. Ex parte siquidem vestra fuit nobis olim humiliter supplicatum, ut super dignitatibus ecclesiæ vestræ, archidiaconatu videlicet et archipresbyteratu, consueta et canonica nominatione, ac repræsentatione, et aliis antiquis et rationabilibus consuetudinibus ecclesiæ vestræ, ne super his possetis ab aliquibus contra justitiam fatigari, apostolicæ provisionis dignaremur præsidium adhibere. Nos igitur, paterna vobis super iis volentes imposterum sollicitudine providere, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne cui liceat vos, vel ecclesiam ipsam super dignitatibus antedictis et honestis consuetudinibus hactenus observatis indebite molestare. Nulli ergo... nostræ inhibitionis, etc.

Datum Anagniæ, XVII Kal. Decembris.

CLXX (369).

....... EPISCOPO FANENSI (370).

*Super inobedientiam ejus, ut a molestando priore S. Stephani Fanensis desistat.*

(Anagniæ, Id. Nov.)

Si attenderes, ut deberes, quantum Ecclesiæ Romanæ teneris, et qualiter nobis nullo subjaceas mediante, moderatius forsitan in tuis excessibus te haberes, nec contra nos præsumeres calcitrare, qui possumus in freno et camo non approximantium nobis maxillas astringere, ac rebelles, si necesse fuerit, in Babylone curare (371). Verum patientia nostra et benignitas apostolicæ sedis ad impœnitentiam te adducit. et quanto mitius tecum agimus, tanto amplius desævis in eos qui invocant nomen nostrum, et, quod molestius ferimus, ut nostram jurisdictionem evacues, sedem tuam ponis in lateribus aquilonis, quod auctoritate nostra infirmatur confirmans, et judicium nostrum impudenter eludens. Sane, cum olim dilectus filius...... prior Sancti Stephani Fanensis, ad nostram præsentiam accessisset, et postulasset a nobis scriptum quoddam authenticum, quod bonæ memoriæ C. papa, prædecessor noster, ecclesiæ suæ concesserat, innovari, tu, volens ejus propositum impedire, per tuas nobis litteras intimasti, scriptum illud fuisse per subreptionem obtentum. Cumque certum tibi terminum dedissemus, quo ad præsentiam nostram, per te vel sufficientem procuratorem, accederes, et intentionem tuam proponeres et probares. quia id facere noluisti, per simplicem nuntium postulans examinationem scripti ejusdem in partibus tuis judicibus delegari, ex certis indiciis te reputavimus contumacem, et in expensas condemnavimus moderatas, quas ultimo fecerat prior ipse. Quamvis autem tibi dederimus in mandatis ut expensas eis restitueres memoratas, non solum autem id facere contempsisti, sed præsumpsisti ejus nuntio respondere, quod eum ligari faceres ad columnam, et in gravamen ipsius Ecclesiæ, cui præest, extendisti fortius manus tuas. Præterea, cum olim idem prior te pro causa, quæ inter te ac ipsum vertebatur, apud sedem apostolicam diutius expectasset, quia tunc urbem volebamus exire, ipse tibi, a nobis inducias impetravit. Cumque propter hoc apud te debuisset gratiam invenire, cum nostras tibi litteras porrexisset, ipsum absque rationabili causa officio beneficioque privasti. clericis præcipiens universis, ne ipsi vel ejus fratribus loquerentur, quos interdictos et excommunicatos fecisti postmodum nuntiari. Præterea, in solemni quadam festivitate, in eumdem et fratres ipsius coram omni populo excommunicationis sententiam protulisti, verbis contumeliosis tonans in eos, et ipsis pejora prioribus comminando. Nos autem, etsi non deberemus hæc in potentia sustinere, tibi tamen deferre volentes tibi dedimus in mandatis, ut si res taliter se haberet sententiam ipsam denuntiares penitus nullam esse, dilecto filio (372)... priori de Fonte Avellano,

(368) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 67.

(369) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1203, § 64; sed perperam ipiscopo Watafordensi directam dicit, nec non argumentum plane diversum declarat.

(370) Erat is Monaldus, de que hæc apud Ughellum. *Ital. sacr.* t. I, col. 710:

« XIV. Monaldus concilio Romano interfuit sub Alexandro III, anno 1179. Testis fuit donationi Henrici imperatoris VI. Berardo, Asculano archidiacono, factæ anno 1195. Præsens fuit consecrationi ecclesiæ S. Crucis de Avellana anno 1197. Idem M. Fanensis episcopus sic nominatur in litteris Innocentii III, anno 1203. v Kal. Martii, priori S. Sophiæ Fanensis.»

Litteras illas in libro septimo. n. XXVII, mox exhibebimus; sed ibi de ecclesia *S. Stephani*, non *S. Sophiæ* agitur.

(371) Sic in apogr.

(372) Et nomen erat Nicolans: « Novimus, ex schedis Romualdi Blanci, ex Velitrensi urbe, *anno quintu sui pontificatus*, Innocentium III privilegium exemptionis et apostolicæ tutelæ concessisse monasterio Avellanensi, et *Nicolao*, ejus loci priori, qui

mandantes, ut mandatum nostrum super hoc, si tu illud negligeres, adimpleret, quod ipse fideliter exsequens in defectum tuum, sententiam illam denuntiavit, veritate cognita, nullam esse. Tu vero in proposito priori persistens, priorem ipsum excommunicatum frequenter et publice nuntiasti, sicque, cum reversus a nobis, et ad cujusdam nobilis exsequias invitatus, vellet missarum solemnia celebrare, R... presbyter Sancti Andreæ altare in conspectu cleri et populi denudavit. Tu quoque, quodam de canonicis ejus viam universæ carnis ingresso, non permisisti juxta consuetudinem ecclesiarum pulsare campanas, sed universis clericis ne ad exsequias ejus accederent, vetuisti, nec permisisti corpus mulieris cujusdam, quæ apud ecclesiam ejus sibi elegerat sepulturam, in illius cœmeterio tumulari. Præterea, per parochiales perbyteros facis infirmantibus inhiberi ne quid ecclesiæ memoratæ relinquant, quia si aliter agerent, clerici ad eorum exsequias non venirent. Processiones quoque solitas ad ecclesiam ipsam fieri vetuisti, et cum in initio Quadragesimæ priorem ipsum excommunicatum, leprosum, perjurum et fornicatorem coram omni populo exclamasses, addere præsumpsisti, quod de bonis ecclesiæ suæ apud sedem apostolicam expenderat centum libras, nec quinque solidorum profecerat ad valorem, in eum etiam alia vice insultum faciens in platea, regulam, quam gestabas in manu, in oculum ejus impingere voluisti, sed manu errante palpebras ejus rasit, et in multis aliis eum et ecclesiam ejus contra justitiam molestasti. Quia igitur, ex injuncto nobis officio apostolatus incumbit liberare pauperem a potente, et inopi, cui non est adjutorium, subvenire, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus eidem priori, et expensas juxta tenorem sententiæ nostræ restituas, et prædictam excommunicationis sententiam, quam delegatus noster asseruit non tenere, denunties nullam esse, ipsique de damnis et injuriis illi per te vel tuos illatis satisfaciens competenter, ab ejus de cætero molestatione desistas, et in prædictum presbyterum, qui coram populo denudavit altare, debitam exerceas ultionem. Alioquin, usque ad festum Epiphaniæ proxime venturum responsurus, eidem nostro te conspectui repræsentes. Quod si forsan mandatum nostrum non fueris executus, extunc te noveris ab officio pontificali suspensum.

Datum, Anag. Id. Novem.

## CLXXI.

### CAPITULO JANUENSI.

*Episcopi Bobiensis ad archiepiscopatum Januensem translationem admittit. Dispensat cum eo de lege ad apostolicam sedem veniendi, et pallium mittit* (373).

(Anagniæ, XIV Kal. Decembris).

Speciosus forma præ filiis hominum, cujus labia gratiæ plenitudo diffundit, iniquitatem odiens et diligens æquitatem, sedem Ecclesiæ, videlicet sponsæ suæ, in apostolorum principe stabilivit, ut inde post eam regi virgines adducantur pro patribus ei filios procreantes qui sint principes super terram. Sane, cum ecclesia Januensis sit apostolicæ sedis filia specialis, qui ad ejus regimen vocabatur, pro confirmationis munere, consecrationis beneficio et dono pallii, juxta morem hactenus approbatum, apostolicam sedem consueverat personaliter visitare, ut tanquam a domo parentis exiret sponsus ad sponsam dotibus insignibus exornatus. Unde, secundum laudabilem consuetudinem hactenus observatam, potueramus venerabilem fratrem nostrum ad nostram præsentiam evocare, ut, examinata postulatione ipsius, prout est examinanda, de more præsens, translationis munus acciperet, et donum pallii coram positus obtineret. Sed cum ipsam ecclesiam ac civitatem Januensem specialiter diligamus, et personam ipsius archiepiscopi acceptam habeamus in Christo, gratiam utrique disposuimus facere specialem; præterquam etiam, ne vos ac civitatis Januensis homines, cum citra urbem moremur ad præsens, propter viarum discrimina, et rancorem qui inter Romanos et ipsos Januenses existit, possitis incurrere detrimentum ad sedem apostolicam veniendo, nobis aliquid in hac parte subtraximus, ut vestris utilitatibus deferremus, ac postulationem quam de persona ipsius archiepiscopi nobis fecistis humiliter, cum circa ipsam per diligentem examinationem omnia invenerimus rite facta, de benignitate sedis apostolicæ duximus admittendam, et ipsum ab ecclesia Bobiensi penitus absolventes ad ecclesiam transferimus Januensem. Ut autem eidem archiepiscopo et ecclesiæ vestræ, ac toti civitati gratiam faciamus, pallium de corpore beati Petri sumptum, videlicet officii pontificalis insigne, dilecto filio, P. tituli Sanctæ Cæciliæ presbytero cardinali per dilectum filium, magistrum Angelum, fratrem Cisterciensis ordinis, Tedisium et Oglerium, canonicos Januenses, transmittimus, ut ipsum eidem archiepiscopo juxta formam, quam ei sub bulla

tum Alberico, de quo anno 1197, tum Joanni, generali præsidi, Avellanensibus prioribus, suffectus fuerat. » MITTAREL. *Annal. Camaldul.* t. IV, pag. 190, b.

(373) Otho, Alexandrinus patria, Bobiensis ecclesiæ antistes fuit anno 1185. Ad archiepiscopalem Januensium sedem fuit translatus anno 1203. UGHELL. *Ital. sacr.* t. IV, col. 1295.

Ejusdem memoria exstat in capitulo *De arbitrio.* (Vid. Decret. lib. I, tit. 43, *De arbitris*, cap. 19, *Epist ad Pisanum archiepiscopum.*) Commisit præterea Innocentius ut Januenses diris devoveret, nisi missa sibi munera a Balduino imperatore Constantinopolitano et ab ipsis ablata restituerent, de qua re legendus Raynaldus ad annum 1204. Diversas præterea ad eum scripsit Innocentius litteras. Decessit Otho, postquam laudabiliter Januensem ecclesiam sex et triginta annis rexisset, hoc est anno 1239. *Id. ibid.* col. 1221.)

nostra mittimus interclusam, conferat vice nostra; dilectum filium, M. magistrum scholarum Januensium, Parmensem archidiaconum, subdiaconum nostrum, ei super assignatione ipsius pallii adjungentes, qui cum ad postulationem ipsius archiepiscopi a vobis cum absens esset, vocatus non fuerit, nec sit ei in hac parte delatum, nos, qui eum specialis dilectionis brachiis amplexamur, et ejus affectamus honorem, ipsum super his duximus honorandum, ut quod a vobis est omissum in uno, in alio ei de nostra gratia suppleatur. Ideoque universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem archiepiscopo reverentiam et obedientiam debitam impendatis, salubribus monitis et statutis parentes ipsius, ita quod vobis, et aliis sibi subjectis in officii prosecutione proficiat in salutem.

Datum Anagniæ, XIV Kal. Decembris.

### CLXXII (374).

ABBATI ET CONVENTUI DE CARACETO.

*Factam unionem illius ordinis cum Cisterciensi confirmat.*

### CLXXIII.

EISDEM.

*Recipit eos sub protectione B. Petri, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

### CLXXIV.

EPISCOPO CABILONENSI (375), ABBATI CLUNIACENSI (376), ET PRIORI DE SCILLO, CARTHUSIENSIS ORDINIS.

*Mandat visitari ecclesiam et terram Matisconenses enormibus vitiis repletas.*

(Anagniæ, x Kal. Decembris.)

Si diligenter attenderent hi, super quos funes C Domini ceciderunt, interpretationem sui nominis et fastigium dignitatis, totis viribus anhelarent se præclaros Domino exhibere, ac dormire inter medios claros, ut fierent ipsi pennæ columbæ deargentatæ, ac posteriora dorsi eorum in speciem auri. Verum quidam eorum, quod non sine gravi dolore referimus, non solum se clericos actibus esse negant, verum etiam quod sint homines non agnoscunt, abeuntes in dissimilitudinis regionem, comparati jumentis insipientibus, dum computrescunt in stercore suo, similes illis facti. Cum enim faciem euntis in Jerusalem deberent ostendere, recedentes de Oriente tendunt in campum, in terram videlicet Sennaar, et fugientes a Christo, cui nomen est Oriens, discurrunt per campum licentiæ sine obice D atque freno, in habitantes Sennaar terram, gastrimargiæ dediti, et fetore libidinis inquinati, ut sit ignis sulfur, et spiritus procellarum pars calicis eorum. In terra namque prædicta pro saxis lateres faciunt, carnales voluptates videlicet exercentes, ut A sic sibi turrim confusionis ædificent, quæ cœlum usque pertingat superbia, namque natione cœlestis (367); quæ ab ipsius cœpit injuria Creatoris, et ad confusionem permanet creaturæ, sic corda eorum invasit, quod ea non erubescunt committere publice quæ laici expavescerent exercere, ut illud propheticum, scilicet, Erubesce, Sidon, ait, mare (378) impletum ad ipsorum ignominiam videatur. Peccatum equidem suum, sicut Sodoma, prædicant, nec abscondunt, sed illud perpetrant cum clamore, et est eorum culpa cum libertate, per quos inter laicos sæpe nomen Domini blasphematur. Sicut enim venerabilis frater noster..... (379) Matisconensis episcopus, sua nobis insinuatione monstravit, Ecclesia sibi commissa, cui de rore cœli et pinguedine terræ B benedictionem dederat Dominus, sic est a malitia inhabitantium in eadem in utroque collapsa, quod a planta pedis usque ad verticem in ea sanitas non remansit; omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt, ut non sit ibidem qui faciat bonum, nec etiam usque ad unum. Cum igitur speculatores simus super domum Domini constituti, et sollicitudo ecclesiarum omnium nobis immineat generalis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad Ecclesiam ipsam pariter accedentes, statum ipsius perscrutemini diligenter, et quæ super his inveneritis, per vestras nobis litteras intimare curetis, ut per relationem vestram instructi, ad correctionem ipsius, prout procedendum fuerit, procedamus. Quod si non omnes... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Anagniæ, x Kal. Decemb. anno sexto.

### CLXXV.

PRÆPOTITO SANCTI STEPHANI DE BROLIO.

*Committit ei causam quæ inter Al. de Daverio et G. presbyterum Mediolanensem, super quædam beneficia, vertebatur.*

(Anagniæ, VII Kal. Decembris.)

Ex litteris bonæ memoriæ C. papæ, prædecessoris nostri, quas oculis nostris perspeximus, accepimus evidenter quod idem prædecessor noster, Al. de Daverio, pro eo quod falsas litteras sub ipsius nomine exibuerat super quodam beneficio, quod in plebe de Bribia sibi postulabat earum auctoritate conferri, perpetuum silentium per dilectum filium... canonicum Mediolanensem, imponi mandavit, et eum omni officio beneficio, sublato appellationis obstaculo, auctoritate apostolica, spoliari. Dictus vero A. sicut dilectus filius, G... presbyteri in nostra præsentia constitutus, nobis significare curavit, suis tacitis ad Mediolanensem archiepiscopum (380) lit-

(374) Epistolam hanc, nec non et sequentem 173, laudat Raynaldus ad annum 1203, § 67. Argumentum tantummodo utriusque hic exhibere possumus, cum apographum, quod ex apographo Conti exscribi curaveramus, quo casu nescimus, e manibus nostris exciderit. Verum e schedis nostris, hasce epistolas in codice archivii Vaticani, f° 89, reperiri compertum habemus.

(375) Epist. libri quinti 16, not.

(376) Hugo V, ex abbate Radingensi evasit Cluniacensis anno 1199, suo consentiente decessore in extremis posito, E vivis excessit anno 1207. *Biblioth. Cluniac.*, col. 1626 et 1663.

(577) Sic in apographis Vaticano et Conti.

(378) Sic in apogr.

(379) De eo jam dictum est supra, epistola libri quinti 36, not.

(380) De eo jam dictum supra.

teras impetravit a nobis, quarum auctoritate ipsum A coram eo super prædicto beneficio traxit in causam. Cum igitur partes ipsius essent præsentia constitutæ, ac dictus presbyter proponeret coram eo, quod illi super beneficio illo nequaquam respondere deberet, pro eo quod ipsi super hoc silentium fuerat impositum, et ad hoc probandum inducias postularet, idem archiepiscopus eas sibi concedere recusavit; quare sæpedictus præsbyter ad sedem duxit apostolicam appellandum. Quia igitur vitium falsitatis tolerare non possumus nec debemus, cum sit ab omnibus detestandum, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, revocato in irritum quidquid factum est auctoritate litterarum illarum, quæ fuerunt tacita veritate obtentæ, ab impetitione ipsius. A presbyterum antedictum ab- B solvas, nec permittas ipsum ab eo super hoc de cætero molestari.

Datum Anagniæ, VII Kal Decembris.

## CLXXVI.

...... EPISCOPO (381) ET MAGISTRO ALBERTO DE BOGES, CANONICO, MAURINIANENSIBUS; ET..... PRIORI DE AQUA BELLA MAURINIANENSIS DIOECESEOS.

*Ut P. subdiacono præbenda a capitulo Augustensi concedatur.*

(Anagniæ, VII Kal. Decemb.)

Ad petitionem dilecti filii, P. subdiaconi, dilectis filiis capitulo Augustensi dicimur subea forma scripsisse, per quam ab ordinatoribus vel præsentatoribus provideri volumus ordinatis. Sed ipsi, sicut nobis venerabilis frater noster.... Augustensis (382) C episcopus, et dilecti filii... Sancti Ursi, et.... Sancti Benigni priores, concessi auditores eidem, suis litteris intimarunt, nec ad nostrum voluere mandatum nec ad monitionum suarum frequentiam, ipsi subdiacono, qui repertus idoneus fuerat ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, juxta quod eis mandavimus providere, licet tunc temporis duæ præbendæ in ecclesia eorum vacassent, quarum una ei libere potuit assignari, præsertim cum dilecti filii, G... præpositus, et A. archidiaconus Augustenses, eidem super hoc assensum suum præbuerint et favorem, sicut ex litteris eorumdem perpendimus evidenter. Nolentes igitur, quod de dicto subdiacono misericorditer inchoasse dignoscimur, relinquere imperfectum, discretioni vestræ per apostolica præcipiendo mandamus, quatenus dictum capitulum, ut præbendam quæ in illorum ecclesia, sicut dicitur, vacat ad præsens, ipsi sublato appellationis obstaculo conferant, et assignent, vel si non vacat, eidem juxta mandatum nostrum provideant in ecclesiastico beneficio competenti, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis, pœna simili compescentes, si qui se duxerint opponendos. Testes autem, etc. Nullis, etc. Quod si non omnes. etc. Tu frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Anagniæ, VII Kal. Decembris.

*Scriptum est capitulo super hoc.*

## CLXXVII (383).

...... PRIORI DE BOELTUM, ET J. RECTORI ECCLESIÆ DE GOILLIS [*al.* TOILLIS].

*De testibus admittendis in causa matrimoniali.*

(Anagniæ, VIII Kal. Decembris.)

[Ex tenore vestrarum accepimus litterarum, quod cum vobis, *et dilecto filio.... abbati* (383) *de Furnejo* (385) causam, quæ vertitur inter R. *filium W. de Eston*, militem, et M. mulierem, *sororem W. de Arches* commiserimus fine debito terminandam], prædicto abbate se rationabiliter excusante, quod cognitioni ejusdem causæ interesse non posset, partes ad vestram præsentiam citavistis. Quibus in vestra præsentia constitutis, pars mulieris proposuit, quod dictus miles (386) corporale præstitit juramentum, quod ipsam duceret in uxorem, et eam postmodum carnaliter cognitam traduxit in domum, *et prolem suscepit ex ea*. Miles vero *prædictus*, hoc inficiabatur omnino, adjiciens, quod etsi vera essent *quæ proponebantur ab ipsa*, eam tamen de jure habere non potuit, eo quod aliam tunc viventem prius duxerat in uxorem. *Testibus itaque ab utraque parte receptis, et attestationibus publicatis*, cum per testes militis *sæpedicti* videretur *fuisse* (387) probatum, quod ipse ante festum Purificationis beatæ Virginis, *M. Belet* mulierem solemniter *acceperit* in uxorem, et testes M. mulieris *de Arches* (388) dicerent, quod

(381) Imperfecta in vetere Gallia Christiana tom. III, pag. 692, Maurianensium episcoporum series, post Lambertum defunctum anno 1198, Aymarum D immediate memorat, quem, ex abbate S. Petri Viennensis, Ecclesiam Maurianæ rexisse annos 15 affirmat, mortuumque esse anno 1245, cum ad archiepiscopatum Ebredunensem jam ab anno 1236 translatus fuisset.

(382) De Augustensibus episcopis, circa hæc tempora, pauca hæc apud Ughellum reperiuntur, *Ital. sacr.* tom. IV, col. 1337:

« XXII. Germanus anno 1189.

« XXIII. Jacobus de Portia, hujus ecclesiæ episcopus anno 1216. Translatus est deinde ad ecclesiam Astensem anno 1219. »

(383) Reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. I, tit. 20, *de testibus et adtestationibus.* cap. 25, ubi *Priori de Bolonic. et J. Rectori Ecclessiæ de Borell*, directa dicitur. Quæ illuc leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(384) Forte legendum *abbati de Furnesio*; hic enim agi videtur de monasterio Furnesciensi, in agro Lancastrensi, fundato anno 1127. Quod si admittitur, tunc credi posset abbatem cui causam istam matrimonialem pontifex commiserat, fuisse *Richardum de S. Quintino*. Hunc enim Furnesciensis monasterii decimum tertium abbatem, post duodecimum, *Michaelem de Dalton*, cui privilegium scripsit Cœlestinus PP. III, agnoscunt auctores *Monastici Anglicani*. tom. I. pag. 704.

(385) Hæc in Decretal. desunt, ut infra verba *fil... de E.* et *Sor. de W. de A.*

(386) Decretal. add. *prius*, et om. sequentia charactere cursivo distincta.

(387) Decretal., *esse* legunt, B. loco *M. Belet*, et *acceperit* pro *accepit*.

(388) Hæc verba om. Decretal., infra *præstiterit* legunt pro *præstitit*.

in septimana paschali sequente festum prædictum, de ea ducenda *præstiterit* juramentum, prædictus miles ab impetitione ipsius absolvi cum instantia postulabat. Verum, ex parte sæpedictæ mulieris exstitit replicatum, quod eo tempore, nec non et ante, quo testes dicti militis dixerunt eum cum alia matrimonium contraxisse, fuerat semper in Eboracensi provincia commoratus, cum testes ipsi dicerent, hoc longe extra dictam provinciam actum esse, determinantes tempus et locum, quod per testes idoneos erat probare parata. Sed econtra fuit ex adverso responsum, quod, cum attestationes essent hinc inde solemniter publicatæ, pruductioni testium jam locus non erat. Quia igitur dubitastis, utrum post publicationem attestationum super illo articulo deberent testes admitti, nos inquisitioni vestræ auctoritate præsentium respondemus, *quod ad probandum illum articulum testes mulieris sunt admittendi* (389).

CLXXVIII.

MAGISTRO PETRO MUNION. DECANO LEGIONENSI.

*Recipit eum sub protectione.*

(Anagniæ, XII Kal. Decembris.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Personam tuam, cum omnibus quæ impræsentiarium, etc., *in modum protectionis.* Specialiter autem decanatum Legionensis ecclesiæ, cum omnibus pertinentiis suis, sicut illum juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, XII Kal. Decembris.

CLXXIX.

MAGISTRO PETRO MUNION (390) ARCHIDIACONO COMPOSTELLANO.

*Recipit eum sub protectione.*

(Anagniæ, Kal. Decembris.)

Solet, etc., *in modum protectionis.* Specialiter autem archidiaconatum ecclesiæ Compostellanæ, cum omnibus pertinentiis suis, sicut illum juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, Kal. Decembris.

CLXXX (391).

COELESTINO, ABBATI S. COLUMBÆ DE HAY INSULA (392), EJUSUQUE FRATRIBUS, TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Recipit eos sub protectione B. Petri, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Anagniæ, V Id. Decembris.)

Religiosam vitam eligentibus, *usque* clementer annuimus, et prædictum monasterium Sanctæ Columbæ, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc., *usque* communimus; imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui in eodem loco secundum Deum et beati Benedicti Regulam institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona, etc., *usque* illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo prædictum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesias de Insegal, de Mule, de Colvansei, de Cheldubsenaig, de Chelcenneg, ei de Ile; Insulas Hay. Mule, Colvansei, Orvansei, Canei et Calve, terras de Magemburg, de Mangecheles, de Morimeam, de Gostensdal; terras Abberad, in lile, de Markarna et de Camusnarnesre. Sane, novalium, etc., *usque* extorquere præsumat. Sepulturam præterea, etc; *usque* corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, etc., *usque* providerint eligendum. Ad indicium autem hujus a sede apostolica protectionis perceptæ, duos bisantios gratis oblatos solvetis nobis notrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura : salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur, etc., *usque* subjaceant. Cunctis autem; etc. Amen, amen, amen.

Datum Anagniæ, per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, V Idus Decembris, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1203, pontificatus vero domini Iunocentii PP. III anno sexto.

CLXXXI (393).

REGI DANORUM.

*De liberatione Waldemari episcopi Saleswicensis* (393).

(Anagniæ, Non. Dec.)

Utinam non fuisset homo ille, videlicet Waldemarus, Saleswicensis episcopus, qui, postposita pontificalis officii gravitate, ut in se regnum sacerdotio counire, essetque multorum capitum bellua, contra claræ memoriæ K. regem Danorum, fratrem tuum, cui juramento fidelitatis tenebatur astrictus, temere conjuravit, adversus eum cujus panes edebat supplantationem magnificans, et cornua elationis assumens, ut cornu justi confringeret, et nominis ejus memoriam aboleret! Utinam, quoniam, retrahens manum ab aratro, denuo se sæcularibus negotiis immiscebat, retrorsus aversus, conversus fuisset in salis imaginem, ut defluens ipse solus in aquas, solus confusionem propriam deploraret, ne in maxillis Ecclesiæ lacrymas, nec in pontificali or-

(389) Decretal. legunt *testes mulieris ad probandum illum articulum admittendos.*

(390) Sic in apog.

(391) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1203, § 67.

(392) *Abbati S. Columbæ de Hay insula.* Agitur hic verisimiliter de monasterio Hiiensi, cujus fundator exstitit S. Columba versus annum 590. Hiiensem enim insulam a Pictis, qui eas Britanniæ (*imo* Scotiæ), plagas incolebant, S. Columbæ donatam fuisse tradit venerabilis Beda (lib. 1, cap. 1). De fundatione hujus monasterii, vid. MABILLONIUM, *Annal. Benedict*, tom. I. pag. 210.

(393) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1203, § 64.

(393) Vide nostas Bangerri, ad *Arnold. Lubecens*, lib. VI, cap. 18.

dine maculas posuisset ! Tolerabilius enim esset, si periisset proprio gladio, cum gladium materialem accepit, et sic incidisset in foveam quam pararat, ut sua non maculasset manus regias captione, nec famam ejus de mentione divina denigrasset, aut fodisset eis foveam, qui non tam culpam ejus quam pœnam attendunt captivitatis, ejus exemplo in libertatem ecclesiasticam præsumptionis arma sumentes, ut audacter et impune de cætero privilegium clericalis immunitatis infringant. Verum justus Judex, Dominus Deus noster, qui retribuit illi secundum opera sua, nec passus est superbiam ejus semper ascendere. sed, quoniam ambularat in magnis et in mirabilibus supra se, propriæ conditionis oblitus, humiliatus est divino judicio et confusus, et quia ejus in elatione sua vestigiis inhærebat, qui, ut esset Altissimo similis, sedem ponere voluit in lateribus aquilonis, exemplo ejus inferius corruit, et in carcere positus, iniquitatem propriam, sicut credimus, recognoscit. Cæterum, cum Dominus in dejectione illius corroboraverit solium prædicti regis, et regnum ejus dignatus fuerit stabilire, vellemus ut ipse non accepisset gratiam ejus in vacuum, nec ingratus tanti beneficii exstitisset, aut extendisset in illius injuriam manum suam, et usque in finem tenuisset extentam, qui ejus justitiam conservarat, et de manu omnium qui eum oderant ipsum propitius eruens, animam ejus salvarat a morte. Tenebatur enim attendere, quod servus suo Domino stat aut cadit, ideoque non debuerat servum alterius judicare, vel in episcopum tanquam vile mancipium, desævire, sed Ecclesiæ Romanæ deferre, ac sedi apostolicæ relinquere judicandum et servare innoxias manus suas. Nec erat ei aliquatenus dubitandum, quod idem episcopus judicium apostolicæ sedis eluderet, vel effugeret disciplinam, ex cujus ore procedit gladius bis acutus, penetrabilior omni gladio ancipiti, et a mari ad mare vibratilis in momento, utpote qui tanquam in ictu oculi mare transvolat, universos montes et colles transcendit, ligans quos percutit non in terris solummodo, sed in cœlis. Nec hoc dicimus, quasi vellemus ut nutrisset serpentes in gremio, vel hosti gladium in suum jugulum porrexisset, aut ex eo quod ipsum, sicut dicitur, cepit in armis regnum suum nequiter invadentem, ipsum culpabilem reputemus, sed ut sicut abstulisset ei nocendi causam et materiam rebellandi, illi ut humiliter detulisset, qui asserit in ministris suis non se simpliciter, sed pupillam oculi sui tangi.

Sane, quantumcumque idem episcopus deliquisset, quid peccaverat apostolica sedes, vel quid commiserat Ecclesia generalis, ut utriusque in eo privilegium læderetur ? Nunquid ex delicto suo lucratus fuerat libertatem, ut minus jurisdictioni nostræ quia peccaverat, subjaceret? Nunquid propter peccatum ipsius punienda fuerat Ecclesia generalis, et suo privilegio spolianda, et non magis puniri debuerat anima quæ peccaverat ? Cum nec pater aut mater filii, nec filius patris aut matris iniquitatem portare debeat vel deflere. Nunquid resina non erat in Galaath, et medicus non erat in ipsa, qui et vulneribus filiorum Ecclesiæ oleum et vinum infunderet, et ferrum adhiberet ulceribus, quæ fomentorum remedia non sentirent ? Verum rex ipse, licet ei Dominus porrexerit dexteram ne periret, et firmasset super universam Daniam regnum ejus, velut modicæ fidei dubitavit, et dum formidavit ubi non fuerat formidandum, magis tinuit eum quem credebat velle corpus occidere, quam Deum, quem sciebat posse tam corpus quam animam perdere in gehennam ; sicque oblitus ejus quod legerat vel audierat in Psalmista : *Nolite tangere Christos meos* (*Psal* : CIV), non solum irreverenter tetigit eumdem episcopum, sd arctæ custodiæ mancipavit alligans forsan pedes ejus compedibus, et manicis ferreis manus sacræ saltem unctionis gratia reverendas. In hoc autem non solum graviter illum offendit, qui quod uni ex minimis ejus fit sibi fieri protestatur, sed toti Ecclesiæ, ac Romanæ præsertim, plurimum derogavit, dum multorum armavit linguas in eam, et occasionem præbuit, ut non solum supra dorsum ejus fabricarent suas fabribas peccatores, sed intus etiam in misericordia increparent, quod eam non comederet zelus domus Domini, nec se murum opponeret ascendentibus ex adverso, sed esset velut canis mutus latrare non valens, et peccata dissimulans subjectorum. Nec potuit usque adeo id reges terræ latere, quin ad excusandas excusationes in peccatis ex hoc quasi quamdam defensionem qua suum tuentur errorem, asssumerent, et captionem ac detentionem ipsius episcopi contra mandatum apostolicum in similibus allegarent, cum H. quondam imperator, qui venerabilem fratrem nostrum.. Salernitanum archiepiscopum, in exsilium destinarat, bonæ memoriæ C. papæ, prædecessori nostro, pro liberatione ipsius instanti per nuntios suos et litteras apud eum, non dubitaverit respondere, quod prius et fortius fuerat apud regem Donorum instandum, ut prædictus Saleswicensis episcopus restitueretur pristinæ libertati, qui prius raptus fuerat, et in vinculis tenebatur, quam pro eo, quem ipse, ne vitæ vel regno ejus insidiari valeret, faciebat in Teutonia citra vincula, et carceres commorari. Credimus autem, quod eidem episcopo vexatio dederit intellectum, et sic jam sit in Babylone curatus, quod de cætero non adjiciat, ut resurgat ad ea, per quæ se meminit in lacum miseriæ descendisse, nec denuo contra torrentem dirigat brachia, vel audeat contra stimulum calcitrare, propter quod non est regiæ serenitati timendum, ut de cætero revertatur ad vomitum et laqueos pedibus tuis paret, quibus se sciret potius periturum, præsertim cum brachium in quo ipse præcipue confidebat, et de quo prædictus rex potius dubitabat, in ipsius H. imperatoris sit morte confractum, et talis surrexerit loco ejus, qui, cum tibi sit non solum amicitia sed affinitate conjunctus, non ad detri-

mentum, sed incrementum potius regni Danorum intendet. Ne igitur induretur cor tuum super homine ipso, sed mollescat potius, et audiat, et exaudiat verba nostra, et ei reverenter deferat et devote, per quem reges regnant, et principes dominantur, et qui potest non solum convertere corda patrum in filios, et filiorum animos in parentes, sed episcopum affectus in reges, ut eis tanquam præcellentibus, et ducibus missis ab eis, humiliter deferant, et pro eis quos prius impugnaverant, si oportuerit, animas suas ponant.

Cum enim homo nunquam in eodem statu permaneat, et vix idem die meditetur ac nocte, sed mirabiliores et frequentiores elationibus maris mentis ejus elationes existant, non est de conversione aliquorum desperandum, cum affectus, quos anni afferunt venientes, recedentes auferunt, et mores ætas alteret alterata. Nam interdum annorum docet multitudo scientiam, et in senio sapiunt, qui desipuerant tempore juventutis. Alioquin, nec verterentur impii et non essent (394), nec amicitiæ rumperetur vinculum, nec aliquod odium moveretur. Sane, majoris dissentionis materiam, et rancoris scrupulum inter charissimum in Christo filium nostrum, H. regem Ungariæ illustrem, et nobilem virum, A. ducem, fratrem ipsius, homo suscitaverat inimicus, eratque plus utrique de altero formidandum, cum ipse dux post patris obitum insurrexit contra fratrem, et, multis sibi per conspirationem adjunctis, usque adeo processerit contra eum, ut regni partem invaserit, et regium sibi usurpaverit diadema, sed tandem, legato sedis apostolicæ mediante, inter discordantes plena est per Dei gratiam concordia reformata; ita, quod nunc fraterno se tractent affectu, qui se prius hostiliter impugnabant, et dux ipse in regia fidelitate persistat. Mittimus igitur serenitati tuæ formam compositionis initæ inter ipsos, licet indemnitati tuæ ac regni Danorum velimus plenius providere. Proponimus enim præter cautiones, quas idem episcopus per se, vel alios tibi exhibere valebit, tam ipsum quam universos, qui cum eo te, vel regnum tuum, præsumpserint impugnare, Satanæ in interitum carnis tradere, ita, ut quicunque contra præsumpserint, in canonem incidant sententiæ promulgatæ, idque singulis annis, semel, in omnibus cathedralibus ecclesiis regni tui solemniter publicetur, et nos etiam in præcipuis festivitatibus innovemus. Præterea, compellantur per districtionem ecclesiasticam, si necesse fuerit, universi magnates regni Danorum, ut juratoriam exhibeant cautionem, quod nunquam ei super hoc præstent auxilium, vel favorem; ad omnem etiam suspicionem omnino tollendam, idem episcopus, in partibus Italiæ commoretur, in Daniam nullo tempore rediturus, nisi a te, vel successoribus tuis de nostro vel successorum

A nostrorum assensu redeundi licentiam obtineret Verum, ne in opprobrium pontificalis officii mendicare cogatur, vicarium aliquem tuæ serenitati devotum in episcopatu suo de tua instituat voluntate qui ei ad sustentationem suam necessarios redditus subministret, et exsequatur in ejus diœcesi quantum potuerit vices ejus. Monemus igitur serenitatem tuam, et exhortamur in Domino et in remissionem injungimus peccatorum, quatenus ut famæ tuæ consulas, et saluti, et per opera pietatis subvenias etiam super hoc animæ fratris tui, ad ejusdem episcopi liberationem intendas, et super his nobis non differas respondere. ut indemnitati tuæ quantum honeste poterimus caveamus. Hoc autem scire te volumus; quod detentionem ipsius non possemus B ulterius æquanimiter sustinere, cum redundet in divinæ majestatis offensam apostolicæ sedis opprobrium, et contumeliam Ecclesiæ generalis.

Datum Anagniæ, Non Decembris.

CLXXXII (395).

PHILIPPO, ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Miserabilis epistola super facto uxoris suæ ab eo derelictæ.*

(Anagniæ, v Id. Decembris.)

Utinam labor improbus vinceret universa, et gutta lapidem non vi sed sæpe cadendo cavaret, ut saltem propter improbitatem nostram te vinceres, et monitis nostris aurem facilem adhiberes! Sane, si rem grandem a te multiplicatis intercessionibus toties apostolica sedes postulasset, facere debuisses, C quanto magis, quia scripsit tibi jam sæpius, ut charissimam in Christo filiam nostram. J. reginam Francorum illustrem. uxorem tuam, regali faceres honorificentia pertractari. Sed ecce, quod dolentes referimus, omnino confringere diceris calamum conquassatum, et conterere duplici contritione reginam, contra quam ex eo tribulatio duplex surgit, quod, præter personæ tuæ copiam quam non habet, eorum quoque quæ usui quotidiano deserviunt inopia dicitur laborare. Cum fletu igitur temperat potum suum, et maxillas ejus rivus irrigat lacrymarum, eo quod, inter angustias constituta, te quem quæsivit non invenit consolantem, nec alios consolatores admittit, utpote in solitudine posita, et in castro regio, tanquam in quodam carcere, relegata. Reliquerat siquidem fratres et sorores, ut tibi ma- D trimonialiter adhæreret, essetisque duo in carne una et conjugalis uniret affectus binarium (396) personarum. Quid ergo, si frustraretur debito maritali, ne sit læva tua sub capite ejus, et dextera ipsam, ut speraverat, amplexetur, nunquid ideo frustrabitur cæteris, nec apud te recompensationem aliquam pro omnibus quæ reliquerat obtinebit? Certe, Veritatis est verbum, quam juxta tuæ possibilitatis mensuram imitari deberes, in Evangelio protestantis: *Omnis qui reliquerit patrem, matrem,*

(394) Sic in apogr.

(345) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1203, § 60. Vide etiam BZOVIUM, *Annal.* tom. XIII, pag. 101.

(396) Sic in apogr.

*fratres et sorores propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc sæculo, et vitam possidebit æternam.* Tu autem longe aliter retribuis reginæ prædictæ, quam, quoniam pro te universa reliquit, relictam, sicut dicitur reputas et abjectam, et, in dispendium tuæ famæ, procuras ut tecum videatur omnia perdidisse.

Cæterum, etsi ad compassionem ejus nihil aliud te moveret, hoc saltem quod ex regali prosapia genita regi nupsit, te inducere debuisset, ut non adderes afflictionem afflictæ, nec ei, cui debitum subtrahis conjugale, regalem honorificentiam in aliis denegares ; sed ejus saltem obtentu, qui nullum bonum irremuneratum dimittit, et nullum malum deserit impunitum, eam deberes regaliter pertractare. Quod si nec istud tangeret efficaciter mentem tuam B ad iteratas sæpius preces nostras cor tuum mollescere debuisset, ut non solum reginam ipsam, sed extraneam quamlibet et abjectam, tractari honestius faceres et amplius honorari. Sed ecce, prout publica fama clamat, relicta est sicut tugurium in cucumerario, et sicut passer unicus in ædificio ; non regalem sed pauperem vitam ducit, ita ut tædeat animam ejus vitæ suæ, ac dissolvi cupiat, et malit esse cum Christo quam in castro Stamparum tanquam in ergastulo, macerari, ubi qui eam comedunt non dormiunt, et qui ejus sunt ministerio vel miseriæ potius deputati, mentem ejus linguæ suæ sagitta transfigunt, dum in potum ei propinant acetum, et pro pane lapidem et pro ovo porrigunt scorpionem, ubi etiam nec nuntiis fratris sui, nec reli- C giosis viris, aut prælatis etiam regni tui liber ad ipsam patet accessus, nec potest eam quilibet in tanta mœstitia consolari. Utinam igitur sic ei hujusmodi miseriæ moriatur (*sic*), quod ipsa in hac miseria non decedat, nec eum apud homines decedens infamet, qui causa diceretur mortis ipsius, si hoc tempore moreretur quoniam non crederetur mortua simpliciter sed occisa! Monemus igitur serenitatem regiam, et hortamur attentius in Domino, quatenus, famæ tuæ consulens et saluti, vim facias tibi ipsi, et cum fortior sit sapiens viro forti et qui dominatur animo suo expugnatore urbium, animum tuum vincas, de hac victoria magis quam de cæteris commendandus, et faciens quodammodo de necessitate virtutem, reginam ipsam, sicut te decet et eam, regali facias honorificentia pertracta- D ri. Sic igitur consiliis nostris et monitis acquiescas quod divinam evites offensam, et linguas effugias detractorum, nec in nos eorum ora relaxes, qui negligentiæ nostræ tuam duritiam imputant, asserentes quod patientia nostra de die in diem amplius ad impœnitentiam te adducit. Ecce etenim, improperia pro te nobis exprobrantium jugiter sustinemus, dicentium, quod, tanquam canes muti non valentes latrare, non annuntiamus impietatem A suam impiis, unde tuum sanguinem de manu nostra prædicant requirendum ab eo, cui te nos inquiunt prætulisse. Addunt quoque, quod, quia tibi nimis placere volumus, Deo qui non irridetur plurimum displicemus, et quod ab ejus semitis deviamus, qui asserit de se ipso: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* I). Placeat igitur tibi consilium nostrum, et efficias quod monemus, ne is qui laborans sustinet et tacitus tuam correctionem expectat, si semel iratus fuerit, rapiat, nec sit qui eripiat, vel ejus iracundiæ se opponat. Alioquin, ulterius non poterimus ejus dissimulare miseriam, et tantam Dei et apostolicæ sedis, imo etiam ecclesiæ generalis injuriam in patientia sustinere, sed absque personarum acceptione officii nostri debitum exsequemur, non de mundana potentia, sed de divina virtute confisi, quia, si Dominus fuerit nobis adjutor, non timebimus quid faciat nobis homo.

Datum Anagniæ, v Id. Decembris.

## CLXXXIII (397).

LUNDENSI ARCHIEPISCOPO.

*Super pœnis clericis graviter excedentibus infligendis.*
(Anagniæ, IV Id. Decembris.)

[Ut famæ tuæ] consulas et saluti, et sic malorum audaciam comprimas, et ab eis bonorum innocentiam tuearis, super his nos humiliter consulis, quæ officium pastorale contingunt, ut de nostra responsione securus, injunctæ tibi sollicitudinis debitum laudabiliter exsequaris. [Sane *tua nos duxit, fraternitas consulendos*, (398) utrum clerici graviter excedentes, qui tute non possent monasteriis ad agendam pœnitentiam deputari, quoniam, cum non pœniteant de commissis, opportunitate fugiendi captata, carcerem claustri fugerent, et prioribus se sceleribus scelestius immiscerent, a te vel aliis prælatis suis arctæ possint custodiæ mancipari,] et utrum laici, si clericos in magnis sceleribus deprehendant, in canonem incidant sententiæ promulgatæ, cum, nec comprehendere, nec ad judices trahere ipsos possint, nisi manus in eos injecerint violentas. Ad primum igitur [respondemus, quod cum prælati excessus corrigere debeant subditorum. et publicæ auctoritatis intersit, ne crimina remaneant impunita, et per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores, non solum possunt, sed debent etiam superiores clericos illos, postquam fuerint de crimine canonice condemnati, sub arcta custodia detinere, qui, cum sint incorrigibiles, nec in monasteriis valeant custodiri, ad similia vel pejora de facili laberentur. Laici vero citra excommunicationis sententiam capere clericos, et ad judicium trahere poterunt, si oporteat etiam violenter, dum tamen de mandato id faciant prælatorum, quorum illi sunt jurisdictioni subjecti, et quorum est corrigere criminosos ; cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur ; dum

(397) Exstat, sed mutila, inter Decretales. lib V. tit. 39. *De sententia excommunicationis*, cap. 35, ubi *episcopo Londonensi* directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt ; variæ etiam lectiones dantur.

(398 In Decret., *consuluisti nos.*

tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio, vel rebellio potius exegerit clericorum.]

Datum Anagniæ, IV Id. Decembris.

CLXXXIV.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS LOMBARDIÆ.

*Ut Ecclesiam Pergamensem* [al. *Bergomensem*] *adversus molestantes tueantur ac defendant.*

(Anagniæ, XVIII Kal. Januarii.)

Ascendit ad nos gemitus Ecclesiæ Pergamensis, exponentis miseriam suam nobis et afflictiones, quas patitur tota die, non ab hostibus sed a filiis, non ab extraneis sed a suis et familiaribus inimicis. Filii etenim quos exaltare studuit et nutrire, retribuentes eis mala pro bonis, et pro dilectione odium rependentes, non solummodo hanc spreverant, sed velut genimina viperarum conjurarunt in matrem, ejus sanguinem sitientes cujus consueverant mamilla lactari. Deduxerat enim eos in cellaria sua, parvulis potum tribuerat et non escam, provectis cibum solidum ministrarat, ad refectionem eorum panes de mensa propositionis assumens, et aquam eis sapientiæ salutaris exponens; sed illi jam incrassati et jam dilatati, recedentes ab ipsa, erigunt calcaneum contra matrem, contra stimulum calcitrant, et ei, cujus panes edebant, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, et pro ovo porrigunt scorpionem. Utquid igitur, Domine, recessisti longe, cur in opportunitatibus et tribulatione despicis, cur non respicis in faciem Christi tui, cur te zelus non comedit domus tuæ, ut exsurgas quasi potens crapulatus a vino, et judices causam tuam, memor improperiorum quæ in ministris sustines tota die? Ecce etenim patientia tua Pergamenses ad pœnitentiam non adducit; sed quanto patientius eos sustines, tanto amplius thesaurizant sibi iram in die iræ, indignationem tuam in se fortius provocantes; sed, ne obliviscaris in finem, Domine, et ne avertas faciem tuam a nobis, memento testamenti tui, et Ecclesiæ quæ facta est de domina gentium sub tributo. Ne parcas, Domine, virgæ tuæ, sed, qui quos amas arguis et castigas, castiga hujusmodi præsumptores, ne ipsorum malitia maculet gregem tuum, ideoque peccatorum virgam super sortem justorum diutius non relinquas. Vertas, impia, ut non sint, nec velis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, sic implens ignominia vultum eorum, ut quærant, Domine, nomen tuum. Sane, sicut ex litteris multorum accepimus, Pergamenses inter sanctum et profanum nullatenus distinguentes, ut Pergamensem ecclesiam ancillarent et subjacerent liberam servituti, receptis et perlectis litteris nostris, quas super ecclesiarum immunitate; tam eis quam Lombardis aliis nos meminimus destinasse, possessiones non solum ecclesiarum omnium, sed universorum religiosorum locorum quæ sita sunt in civitate vel diœcesi Pergamensi, pro suæ voluntatis arbitrio æstimantes, ab eis duodecim denarios, et a clericis quindecim pro libra qualibet exegerunt. Cumque venerabilis frater noster...episcopus (399-400), et dilecti filii, canonici et clerici Pergamenses, nollent colla submittere tanto jugo, W. Lazar, Potestas, Alberius Pazolus, judex, et alii Pergamenses, infames quosdam et malæ opinionis viros colligendis ecclesiarum proventibus deputarunt, administrationem episcopo et clericis auferentes.

Præterea, ut ecclesia supra nominata fieret opprobrium hominum et abjectio plebis, et quæ domus orationis fuerat, in sterquilinium verteretur, juxta parietes ejus in cœmeterio communes posuere latrinas, utres suos in eis et uteros, utinam visceribus, purgaturi. Non sic in ecclesias et loca religiosa desæviunt Saraceni, sed ea reverenter et devote custodiunt, et interdum etiam venerantur, nolentes polluere domos illas, quas noverant ad invocandum nomen Domini deputatas. Verum, quia familiaritas parit multa contemptum, et inimici hominis domestici ejus, ecclesiam alienigenis etiam reverendam filii persequuntur, si tamen filii sint dicendi, qui affectu deposito filiali, hostilem animum induerunt, maledicentes patri et matri, non tam verbis quam factis, ut morte perpetua moriantur, Licet autem ex his non solum ecclesiasticam sed divinam etiam meruerint ultionem, ut tamen malos in bono vincamus, nec relinquamus eis materiam, qua in peccatis suas excusationes excusent, volumus, et præsentium auctoritate districte præcipiendo mandamus, quatenus tu, frater, Mediolanensis archiepiscope (401), personaliter ad civitatem ipsam accedens, potestatem, judices, consiliarios et populum moneas attentius et inducas, et ex parte Dei omnipotentis, sub obtestatione divini judicii, eisdem injungas, ut ab ecclesiis et viris ecclesiasticis sic extorta sine diminutione restituant, et prorsus extorquenda dimittant, et latrinas, quæ latere debent potius quam patere, a cœmeterio ecclesiæ Pergamensis removeant sine mora. Quod si hujusmodi non potuerint monitis emolliri, universitati vestræ in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus civitatem eorum interdicti sententiæ supponatis, ita quod, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, nullum in ea divinum celebretur officium, vel exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, et tam Potestatem quam consules, consiliarios et æstimatores, et nominatim prædictum A., judicem, Fridericum Colion., L. de Mozo, P. Moizon, C. de Roario, qui super ecclesias et

(399-400) Erat is Lafranchus, qui ex monacho ordinis S. Benedicti episcopus Bergomensis (seu, ut hic legitur, Pergamensis), anno 1186 renuntiatus fuerat. Vir vere pius ac probatissimis moribus, cujus 25 annorum administratio visa est omnem invidiam superasse. Fato functus est anno 1210, die 30 mensis Octobris, UGHELL. *Ital. sacr.* t. IV, col. 669.

(401) Vide supra.

clericos severius cæteris, sicut dicitur sævierunt, A et hujus inconsulti consilii quasi præcipue fuerunt auctores, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nuntietis, et mandatis ab universis civitatibus et civibus Lombardiæ tam in colloquiis quam contractibus omnibus, sicut excommunicatos arctius evitari, ita, quod si quis eis communicare præsumpserint, sententiam excommunicationis incurrant, quam vos postmodum solemniter publicetis, denuntiantes similiter, sic prædictos Potestatem, consules, consiliarios, et æstimatores Pergamenses excommunicationi subesse, ut non possint absolutionis beneficium obtinere, nisi satisfacturi plenarie de præmissis apostolico se conspectui personaliter præsentarint. Constitutiones insuper, et B sententias, quæ ab excommunicatis ipsis, vel de ipsorum mandato, fuerint promulgatæ, decernatis irritas et inanes, nullo unquam tempore valituras, et illos, qui eis in prædictorum officiorum administratione successerint, in communicationis sententia successuros, nisi satisfecerint infra mensem, cum succedant in onere qui substituuntur in honore. Cumque prædicti Potestas, consules et consiliarii, graviter persequantur ecclesiasticam libertatem, præsentium auctoritate decernimus, ut, nisi resipuerint infra mensem, filii eorum usque in tertiam et quartam generationem ad honores ecclesiasticos et beneficia, de cætero nullatenus assumantur. Ut autem quam moleste tantam Dei et Ecclesiæ generalis feramus injuriam sentiant plenius in affectum, C denuntietis eisdem, quod nisi resipuerint infra mensem, civitatem ipsorum episcopali privabimus dignitate, ac sedem ipsorum ad locum alium transferemus. Quod si nec infra mensem alium potuerunt ad satisfactionem induci, ne ad recuperandam dignitatem amissam valeant aspirare, per vicinos episcopatus Pergamensem diœcesim dividemus, et divisionem mandabimus in perpetuum observari. Adjicimus etiam, ut vos, fratres Mediolanensis archiepiscope et episcope Vercellensis(402), canonicos, clericos et universos viros religiosos, tam exemptos quam alios, in civitate Pergamensi et ejus districtu manentes, cum ab eodem episcopo Pergamensi fueritis requisiti, civitatem et ejus districtum egredi nec regredi ad eosdem, donec D fuerit satisfactum, per suspensionis et excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo. compellatis, et eis, cum non tam pro sua quam Ecclesiæ generalis exsulaverint libertate, faciatis per universas ecclesias Lombardiæ, juxta vestræ discretionis arbitrium, congrue provideri, contradictores censura ecclesiastica compescentes. Præterea, tam Hierosolymitanæ quam militiæ Templi fratres cogatis, appellatione remota, non obstantibus privilegiis et indulgentiis suis, interdicti sententiam inviolabiliter observare.

Datum Anagniæ, XVII Kal. Januarii.

## CLXXXV (403).

EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS IN QUORUM PAROCHIIS MONASTERIUM CASIN. ECCLESIAS, VEL POSSESSIONES ALIAS HABERE DIGNOSCITUR.

*Confirmat privilegium, quo abbas et fratres Casinensis monasterii in rerum monasterii invasores excommunicationis sententiam promulgare possint.*

(Anagniæ, XVIII Kal. Januarii.)

Commissa nobis, licet insufficientibus meritis, Ecclesiarum omnium sollicitudo requirit ut, ad tuitionem earum contra malignorum incursus, nostræ considerationis aciem extendamus. Specialiter autem monasterio Casinensi, quod nobis est nullo mediante subjectum, adesse volumus et prodesse, ne personæ sedentes ibidem secus pedes Domini cum Maria, et nocte ac die in lege Domini meditantes, a religionis suæ proposito revocentur molestationibus aliquorum indebitis, et eis pars optima quam elegerant auferatur. Inde est, quod, cum dilectus filius noster, R. (404) tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis, Casinensis abbas, in malefactores suos, si qui forte, timore Dei postposito, ad diripienda bona monasterii Casinensis violenter extenderint manus suas, si diœcesani malefactorum ipsorum episcopi, ad monitionem ejus vel fratrum suorum, eidem de ipsis noluerint aut malitiose distulerint exhibere justitiæ complementum, de auctoritate nostra et felicis memoriæ prædecessorum nostrorum, Calisti et Alexandri PP. excommunicationis sententiam promulgandi liberam habeat facultatem, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si qui parochianorum vestrorum pessessiones vel bona monasterii memorati abstulerint vel invaserint violenter, audita exinde querimonia per abbatem vel fratres Casinenses, de ipsis, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo, districtam justitiam facere minime differatis. Alioquin sententiam excommunicationis quam prædictus abbas in eos, juxta tenorem privilegiorum suorum quæ Casinensi Ecclesiæ apostolica sedes indulsit, propter hoc duxerit promulgandam, omni occasione et contradictione cessantibus, firmiter observetis, et per episcopatus vestros vos, fratres archiepiscopi et episcopi, faciatis tandiu inviolabiliter observari, donec per eumdem abbatem et fratres suos vobis constiterit, eis esse super his satisfactum, pro quibus vinculo fuerant excommunicationis astricti.

Datum Anagniæ, XVIII Kal. Januarii.

—

(402) Vide etiam supra.
(403) Laudata a Raynaldo, ad annum 1203, § 67.
(404) De eo jam dictum est sæpius.

CLXXXVI.

MAGISTRO SYM. CLERICO VENERABILIS FRATRIS NOSTRI, G. (405) PRÆNESTINI EPISCOPI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI.

*Scholastriam ecclesiæ Maguntinæ ipsi confirmat.*

(Anagniæ, II Id. Decembris.)

Solet annuere, etc. *usque* assensu. Concessionem Scholastriæ ecclesiæ Maguntinæ, cum præbenda et aliis pertinentiis suis, per venerabilem fratrem nostrum, S. (406) Maguntinum archiepiscopum, tibi factam, sicut canonice facta est, auctoritate tibi apostolica confirmanus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, II Id. Decembris.

CLXXXVII.

ABBATI CORBEIENSI (417).

*Privilegia ipsi confirmat.*

(Anagniæ, II Id, Decembris.)

Solet annuere, etc. *usque* assensu. Libertates, immunitates et dignitates monasterio Corbeiensi per prædecessores nostros indultas, et eorum privilegiis confirmatas, exemptiones etiam sæcularium exactionum per principes sæculares concessas eidem auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, II Id. Decembris, anno sexto.

CLXXXVIII (408).

EIDEM.

*Concedit facultatem utendi annulo.*

(Anagniæ, II Id. Decembris.)

Apostolica sedes, cui, auctore Domino, licet immeriti, præsidemus, in plenitudinem ecclesiasticæ dignitatis assumpta, sic in filios gratiam benedictionis paternæ transfundit, ut de plenitudine ipsius accipiant universi, et sicut eis injunctæ sibi sollicitudinis onus participat, sic etiam acceptæ dignitatis honores communicat et ornatus, dotans in filiis filias, et filios in filiabus adornans. Circa illos autem se magis exhibet liberalem, et in eos copiosius sua dona diffundit, qui acceptæ gratiæ non ingrati vitium ingratitudinis fugiunt, et honorantibus se assurgentes in actionibus gratiarum, ut gratia eis detur ex gratia promerentur. Cum igitur factam tibi et monasterio tuo ab apostolica sede gratiam recognoscas, quæ predecessoribus tuis, et eorum successoribus usum mitræ, chirothecarum et sandaliorum indulsit, tam meritis tuis, quam precibus charissimi A in Christo filii nostri, illustris regis O., in Romanum imperatorem electi, in cujus fidelitate ac devotione persistis, inducti, ut de cætero utaris annulo auctoritate tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, II Idus Decembris, anno sexto.

CLXXXIX.

EPISOPO (409), DECANO (410); ET MAGISTRO WILOTO, CANONIÇO, PICTAVIENSIBUS.

*Causam electionis episcopi Engolismensis ipsis committit* (411).

(Anagniæ, IV Id. Decembris.)

Quoniam, Ecclesia Engolismensi vacante, in varia se vota eligentium variare (412), coacta est in canonicorum suorum personis ad sedem apostolicam laborare. Fuit igitur ex una parte propositum coram B nobis, quod cum bonæ memoriæ... (413) Engolismensis episcopus, viam fuisset universæ carnis ingressus, canonici sæpius de præficiendi sibi pontificis electione tractantes dilectum filium... abbatem Sancti Eparchii (414), laudabilis vitæ, virum eruditum, in spiritualibus et in temporalibus circumspectum, citra solemnitatem electionis communiter nominarunt. Verum, ejus electione dilata, in quatuor ex concanonicis suis contulerunt arbitrium eligendi, ab eis juramento recepto, quod de gremio Engolismensis ecclesiæ quem utiliorem crederent infra certum tempus eligerent in pastorem; canonicis quoque firmantibus juramento, quod eum sine contradictione reciperent in electum, quem prædicti quatuor infra certum diem juxta formam eligerent sibi datam. Cæterum, quia prius fuit elapsus C terminus eis datus, quam in unum electorum quaternarius convenisset, non fuit ab eis in electione processum, sed a compromisso potius se adinvicem absolverunt. Canonici ergo, denuo convenientes in unum, in dilectum filium... archidiaconum... præcentorem, et... Xanctonensem archidiaconum, canonicum Engolismensem, eligendi contulerunt liberam facultatem, ita tamen, quod duo sine tertio nihil possent, sed posset tertius duos absolvere si nequirent pariter convenire. Quamvis autem præcentor ipse se diceret jurare paratum utiliorem episcopatui nominare, vel recipere nominatum ab aliis, si quem nominarent utiliorem suo nominato jurarent, neuter tamen id recipere voluit, nec potuerunt in aliquem consentire, propter quod a compromisso se invicem

D

(405) De eo jam dictum est sapius.

(406) Idem.

(407) « Hugoldus (tricesimus secundus monasterii Corbiensis abbas), reginem tenuit annis 29, corporis sarcinam deponens anno 1229. » BUCEL. *Germ sacr.* t. II, pag. 165.

Agitur enim hic de monasterio Corbeiensi in Germania.

(408) Laudata a Raynaldo, ad annum 1203. § 67.

(409) De episcopo Pictaviensi jam egimus supra.

(410) Guillelmum I, Pictaviensem decanum, an. 1198 et 1200 agnoscunt auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. II, col. 1216; mox Philippum anno 1211 immediate memorant.

(411) Conferenda hæc epistola cum iis quæ referuntur apud auctores novæ Galliæ, tom. II. col. 1007,

(412) Sic in apographis Vaticano et Conti.

(413) Joannes I de S. Vallio, Gallice, *de S. Val.* vir egregiis moribus et virtutibus conspicuus, diem obierat supremum hoc ipso anno 1203, 7 Martii, ut dicitur in Fastis monasterii de Corona. *Gall. Christ* t. II, col. 1006. Vide epistolam libri quinti 133, not.

(414) Ranulfum, abbatem monasterii S. Eparchii ab anno 1171 usque ad annum 1218 sedisse tradunt auctores novæ Galliæ Christianæ, ex chronico Bernardi Itherii, juxta dom. Estiennot in fragmentis mss. Aquitaniæ, nulla de hac ejus in episcopum Engolismensem electione habita mentione. *Gall. Christ. ibid., col.* 1034.

absolverunt, Archidiaconus igitur, qui unicus est in Engolismensi Ecclesia... thesaurarius... cantor, et... pœnitentiarius, et antiquiores canonici, imo major et sanior pars eorum qui consueverant in Ecclesia residere, attendentes, deliberatione præhabita, quod in prædictum abbatem Sancti Eparchii prius convenerant pene omnes, invocata sancti Spiritus gratia, eum in episcopum elegerunt, et se ac electionem suam protectioni sedis apostolicæ supponentes, ne quis contra eos vel electionem suam aliquid attentaret, ad nostram audientiam appellarunt. Verum, cum ecclesiam cum laudibus solitis introissent quidam, qui, cum interfuissent electioni jam factæ, in nullo tamen eligentibus obviarant, Burdegalensem decanum (415), ætate minorem, illitteratum et insufficientem ad episcopatus regimen, in episcopum temere nominarunt. Unde, quia in eumdem abbatem pene omnes personæ ipsius ecclesiæ ac canonici residentes fere convenerant, universi electionem ipsius, quæ fuerat facta prius, confirmari petebant et cassari quod factum fuerat de decano. Cæterum, contra hoc fuit propositum ex adverso, quod cum Engolismenses canonici, ubi de præficiendo sibi pastore tractarent, pariter convenissent juramento firmare, quod nullus in nominationem primo prorumpere, nisi cum tractatu omnium et singulorum assensu, et se ad id sub excommunicationis vinculo astringentes, in eos qui contra præsumerent per venerabilem fratrem nostrum.... Burdegalensem archiepiscopum (416), metropolitanum suum, obtinuerunt excommunicationis sententiam promulgari. Cumque postmodum eligendi sibi pontificis contulerint potestatem, timens magister scholarum ne si *pro ubi* (417), primi non convenerant electores, non possent convenire secundi, aliquid minus canonicum ageretur, ne quis sine communi consilio et assensu in electione procederet, ad nostram audientiam provocavit. Verum, cum prædicti tres quod non convenerant capitulo retulissent, archidiaconus et sequaces ipsius appellationi nullatenus deferentes, prædictum abbatem in episcopum protinus nominarunt.

Attendentes igitur alii plures numero et consilio saniores, quod illi reatum perjurii, et excommunicationis sententiam incurrissent et quod eis, tum ex hoc tum ex eo quod appellationi non duxerant deferendum, et eis elegerant inconsultis, eligendi potestate privatis, ad ipsos tantum esset lectio devoluta, cum illi appellationem de cætero non posset objicere contra eos, quoniam venerant contra ipsam, quoniam frustra legis auxilium invocat qui committit in legem, in prædictum decanum, virum ad reginem episcopatus idoneum, unanimiter convenerunt, cujus electio fuit postmodum auctoritate prædicti archiepiscopi confirmata, sicut ex litteris ejus in nostra præsentia recitatis evidentius apparebat.

Cum ergo abbas Sancti Eparchii a decem tantum excommunicatis et perjuris, post appellationem ad nos interpositam, inconsultis aliis, fuerit nominatus, decanus autem ab undecim consilii sanioris fuisset electus, electionem decani confirmari petebant, et irritum nuntiari quod factum fuerat de abbate. Verum, contra hoc fuit econtrario replicatum, quod nec perjurium, nec excommunicationem abbatis incurrerant electores, cum excommunicationis sententia per prædictum fuerit archiepiscopum relaxata, sicut juramento firmarunt, nec jurarent canonici, sicut fuerat propositum ex adverso, se sine consilio et assensu singulorum et omnium, vel sine communi consilio, ad electionem nullatenus processuros, sicut venerabilis frater noster Xanctonensis (418) episcopus, per suas litteras exprimebat, quibus pro se pars utebatur adversa. Unde, cum universæ personæ, una duntaxat excepta, et antiquiores canonici, ac pene penitus omnes qui in ecclesia residentiam faciebant, in prædictum convenirent abbatem, de communi canonicorum consilio, tanquam majoris et sanioris partis, in ejus fuerat electione processum. Licet autem pro hac eligentium parte nullus comparuit procurator, sed simplices nuntii, qui quod factum fuerat proponebant, unde pars decani ab eis et parte sua instanter petebat expensas, quia tamen prædictus abbas sufficientem miserat responsalem, audivimus hæc et alia quæ fuerunt hinc inde proposita, et motum nostri animi formavimus ex eisdem. Constitit autem nobis ex confessionibus partium, quod post appellationem ad nos legitime interpositam a paucioribus electus fuerat idem abbas, quia, cum ad electionem viginti et unus canonici convenissent, decem tantum convenerant in eumdem, reliquis inconsultis, propter quod electionem ipsius duximus irritandam. Quia vero Burdegalensis decanus per partem electus adversam, ad exsequendum pontificatus officium insufficiens dicitur, et eum asseritur tam in ætate quam scientia sustinere defectum, quod ad tantæ dignitatis apicem non debeat promoveri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus, solum Deum habentes præ oculis, ad locum idoneum, utrique parti securum, convenientes in unum decano ipso et partibus, si citatæ voluerint comparere, in vestra præsentia constitutis, iniquiratis sine personarum acceptione super præmissis impedimentis diligentius veritatem, et si partes consenserint, definitivam sententiam proferatis. Alioquin, causam sufficienter instructam ad nos remittere procuretis, præfigentes terminum competentem, quo partes ad sedem apostolicam veniant senten-

(415) Erat is versimiliter Geraldus II de Malamorte ; ipsum enim immediate post Stephanum, de quo nihil post annum 1195, memorant auctores novæ Galliæ Christianæ, tom II, col. 856.

(416) De eo jam dictum est sæpius. Vid. epist. libri quinti 96.

(417) Sic in apographis.

(418) Vide etiam ibidem,

tiam recepturæ, ad quam personaliter prænominatus electus accedat, nisi aliquo justo impedimento constiterit detineri; cujus electio si fuerit forsan de jure cassanda, partes, universitatis nomine, sint paratæ, vel cum consilio nostro electionem canonicam celebrare, vel, si ratio postulaverit, personam idoneam a nobis recipere in pastorem. Quod si non omnes, etc. Tu, frater, episcope, etc.

Datum Anagniæ, IV Id. Decembris, anno sexto.

CXC.

ARCHIEPISCO SENONENSI (419).

*Tenorem litterarum apostolicarum certis in casibus interpretatur.*

(Anagniæ, XV Kal. Januarii).

Sedes apostolica consuevit exhibere se petentibus liberalem, sed quidam ejus gratia nequiter abutuntur, dum quod ipsa de benignitate concedit ipsi ad malignitatem intorquent. Quidam enim malignari volentes in commissionibus nostris, minores et viliores personas propriis nominibus exprimunt; majores autem et digniores specialibus vocabulis non designant, sed eas sub quodam generalitatis involucro comprehendunt, uti commissiones ipsas a nobis facilius impetrent, sub hac forma: conquerentur tales de isto vel illo, et aliis quibusdam propriis nominibus exprimendis, qui eis super tali negotio et quibusdam aliis rebus injuriosi minus et graves existunt. Nos igitur, eorum volentes malitiis obviare, decernimus ut, cum in commissionibus nostris minores et viliores personæ solummodo designantur, majores et digniores sub generali clausura non intelligantur includi, sed nec liceat occasione generalitatis hujusmodi multitudinem effrenatam in judicium evocare, nec super majoribus et gravioribus negotiis audiantur, qui de levioribus et minoribus tantum faciunt mentionem Si quis vero majores personas expresserit, non ut velit cum eis in judicio experiri, sed ut descendere valeat ad minores, quia fraus et dolus ei patrocinari non debet, tanquam mendax peccator, careat impetratis.

Datum Anagniæ, XV Kal. Januarii, anno sexto.

CXCI (420).

ARCHIEPISCOPO (421), ABBATI SANCTI ANDREÆ, ET POPULO BRUNDUSINIS.

*Acriter eis objurgat quod conjuraverint contra comitem Brennensem, et, castellano occiso, proditorie castellum occupaverint.*

(Anagniæ).

Mirari cogimur non modicum et moveri, quod, cum inter universos in Apulia constitutos, dilectum filium, nobilem virum, Walterum, comitem Brennensem, magistrum justitiarium Apuliæ et Terræ A Laboris, receperitis quasi primi, et eum curaveritis amplius honorare, nescimus quorum seducti consilio, et quo errore decepti, *aversi* (*sic*) retrorsum, non tam contra eum quam contra nos et regem calcaneum erexistis, et, castellano ipsius comitis non absque vitio proditionis occiso, universi pariter rebellastis. Sane cum in accessu ipsius comitis hostes qui prius discurrebant per regnum impune, et non solum spolia rapiebant, sed in personas etiam sævientes, ab eis per tormenta non tantum omnia quæ habebant sed et quæ habere non poterant extorquebant, quos volebant etiam sicut pecora trucidantes, dextra Domini faciente virtutem, per industriam et prudentiam ipsius comitis, auctoritate sedis apostolicæ accedente mirabiliter contriti fuerint et dispersi, debuerat B apud vos tantam gratiam invenisse, ut non solum non rebellaretis in eum, sed pro ipso etiam animas poneretis, cum ipse pro vobis quodam modo suam animam posuisset. Verum, ut quem circa eum et nos animum gereretis monstraretis plenius per effectum, cum nos in lecto ægritudinis positos visitasset, nos mortuos confingentes, conjurastis in eum, et castellum quod ipse tenuerat occupastis, nec potuit pardus suam varietatem deponere, aut tigris exuere pellem suam, cum tu, frater archiepiscope, infidelitatis vitium, quod sub multæ devotionis specie, donec palleum a nobis reciperes, palliaras, exercueris palleatus, auctor perjurii et perditionis effectus, qui nobis saltem fidelitatem debueras observare Verum, quod verebamur accidit, quod timebamus evenit, et quasi prodigialiter est C effectum, ut infidelitatem, quam sine palleo palliaras, detegeres palleatus, quoniam palleum palleationis impatiens patere te fecit, et ut quod faciebas faceres citius imperavit. Ut autem jaceretis rete ante oculos pennatorum, statim, proditione commissa, juramentum balii nobis præstitum, sicut audivimus, innovastis, tanquam potius verbis vestris quam operibus crederemus, nec sic sciremus inter opera et verba distinguere, ut cognosceremus aperte qui labiis nos honorent, cum longe sit cor eorum a nobis. Verum, forsan ad id ea ratio vos induxit, quod, cum vos conscientia remorderet, et cognosceretis melius per vos ipsos quod contra juramentum nobis præstitum veneratis, pœnitentes forsitan de commisso, aliud, quod servetis in posterum, præ- D stitistis.

Cæterum, si comes ipse contra vos in aliquo deliquisset, non debueratis per vos ipsos hujusmodi sumere ultionem, sed ad nos recurrere, et ab eo satisfactionem et justitiam postulare. Nam, quantumcunque ipsum dilexerimus hactenus, et nunc

(419) De eo jam dictum sæpius.

(420) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1203, § 70.

(421) Quis fuerit archiepiscopus Brundusinus, ad quem hæc dirigitur epistola, pro certo statuere in promptu non habemus. Gerardum ad annum 1196 memorat UGHELLUS, *Ital. sacr.* t. IX, col. 46. Mox adducit Dominicum, *moribus*, ut ait, *et rerum gerendarum prudentia clarum, ab Innocentio in Bulgariam apostolicæ sedis legatum, hoc ipso anno* 1203, *missum*. Sed, pace ejus dixerimus, mire hallucinatus est. Dominicum enim, non *archiepiscopum*, sed *archipresbyterum* Brundisinum, diserte nominat pontifex. Vide epistolam hujusce libri sexti 143. Nec, etiamsi admitti posset *archiepiscopum* fuisse legatum in Bulgariam, de eodem hic agi posset.

etiam diligamus, per vos tamen intelligere poteratis, quod plus regem diligebamus et regnum, nec pateremur ipsum aliquid in præjudicium regis et regni dispendium attentare. Quia vero justus etiam cadit in die septies, et resurgit, nec potest homo in eodem statu jugiter permanere, monemus universitatsm vestram et exhortamur in Domino, et per apostolica vobis scripta mandamus, atque sub debito quo nobis et regi tenemini districte præcipimus, quatenus, redeuntes ad mentem, et quod forsan inconsulte fecistis saniori consilio corrigentes, a lapsu proprio resurgatis, et ab eodem comite, securitate recepta, quod pro hac offensa nec cives offendat nec opprimat civitatem, redeatis ad fidelitatem ipsius, et castellum in ejus manibus resignetis. Alioquin, vos, frater archiepiscope, et fili abbas Sancti Andreæ, usque ad mensem post susceptionem præsentium nostro vos conspectui præsentetis, pœnam vel præmium pro meritis recepturi. Quod si forsan distuleritis vel nolueritis adimplere, noveritis vos extunc vinculo excommunicationis astrictos. Vos quoque, cives, nisi infra eumdem terminum mandatum fueritis apostolicum exsecuti, civitatem vestram noveritis interdictam, et universos principales hujus proditionis consiliarios et auctores excommunicationis vinculo innodatos. Ut autem spirituali gladio gladius materialis accedat, universis comitibus, baronibus et civibus, constitutis per Apuliam et Terram Laboris, tam ex parte nostra quam regia, districte præcipiendo mandamus, ut nullum vobis auxilium tribuant et favorem, sed eidem comiti contra vos viriliter et potenter assistant. Eligite igitur obedire potius, ut vivatis, quam in contumacia vestra persistere ac perire.

Datum Anagniæ.

*In eumdem fere modum*..... archiepiscopo (422) et populo Hydruntinis, *usque :* contra nos et regem erexistis calcaneum, et temere rebellastis, etc., *in eumdem modum usque in fine, excepto quod non fiat ibi mentio de abbate.*

*In eumdem modum*....... episcopo (423) et civibus Gallipolitanis.

## CXCII.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET NOBILIBUS VIRIS, COMITIBUS, BARONIBUS, ET CIVIBUS, CONSTITUTIS PER APULIAM, ET TERRAM LABORIS.

*De eodem argumento.*

(Anagniæ.)

Nisi statum vestrum negligeretis et famam, proditores filios, qui, per innatæ sibi proditionis vitium, totam Apuliæ ac Terræ Laboris gentem infamant, taliter puniretis, nobis etiam tacentibus, per vos ipsos, quod gentis purgaretis opprobrium, et ostenderetis vos in infidelium persecutione fideles. Ecce etenim, licet anima quæ peccaverit mortis sententiam mereatur, nec puniendus sit pro patre filius, vel filius pro parente, juxta consuetudinem tamen paucorum crimen in multis diffunditur, et in paucis et vilibus plures ac meliores immerito diffamantur. Quamvis etenim nos, qui merita personarum novimus, et inter gentem et gentem, civitatem et civitatem distinguimus, et inter sanctum discernimus et profanum, segregare noverimus a fidelibus infideles, ne dicamus bonum malum, nec malum bonum, parati etiam potius delinquentibus parcere si a contumacia resipiscant, quam bonis dum perseverant irasci, remoti tamen, et qui provinciæ nomen tenent, ignorantes nomina civitatum, quod Brundusini, Materani, Baronitani, Hidrontini et Gallipolitani proditorie commiserunt, vos asserunt commisisse, in totam provinciam paucarum civitatum crimina retorquentes. Quidam etiam, etsi provinciam noverint, et viderint civitates, et noverint etiam qui peccarint, taciturnitatem tamen innocentium accusant, et vertunt dissimulationem in culpam contra vos, verbum illud canonicum sumentes, negligere, cum possint perturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinunt obviare. Sane, si comes ipse contra illos in aliquo deliquisset, etc. *In eumdem fere modum usque* attentare, qui quantum contulerit toti regno, vos non credimus ignorare. Nam in ejus adventu hostes, qui prius discurrebant per regnum impune, etc. *In eumdem fere modum usque* contriti sunt mirabiliter et dispersi ; propter quod proditores prædicti fideles ei non infideles debuerant exstitisse. Ut igitur non solum vos, sed universos in regno Siciliæ constitutos ab opprobrii hujus improperio liberetis, universitatem vestram monemus, et exhortamur attentius et per apostolica vobis scripta mandantes, sub debito quo nobis et regi tenemini, districte præcipimus, quatenus nisi Baronitani, Brundusini, Hidrontini et Gallipolitani, mandatum nostrum, quod per litteras nostras eis dirigimus, infra mensem post susceptionem præsentium fuerint exsecuti, vos, fratres archiepiscopi et episcopi, terras eorum denuntietis interdicto subjectas, et universos principales proditionis hujus consiliarios et auctores, excommunicationis sententiæ subjacere; tam interdicti quam excommunicationis sententias, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, tam in cathedralibus ecclesiis quam aliis parochialibus, in civitatibus vestris vel diœcesibus constitutis, publicari solemniter facientes, et vos etiam personaliter publicantes. Brundusinum autem et Hidrontinum archiepiscopos, etc.

(422) Nimium imperfeccta apud UGHELLUM, *Ital. sacr.* t. IX, col. 43, Hydruntinorum archiepiscoporum series. Jonatham annis 1163 et 1179, mox, immediate, Tancredum de Anibaldis anno 1219, memorat.

(423) Post Melchisedech, qui interfuit et subscripsit concilio Nicæno, per multa sæcula, et usque ad annum 1325, Galiipolitanorum episcoporum desiderantur acta et nomina. UGHEL. *Ital. sacr.* t. IX, col. 135.

Gallipolitanum episcopum, nisi, prout proditionis causa fuisse dicuntur, sic etiam fiant conversionis auctores, et vel apud cives suos efficiant ut mandatum apostolicum exsequantur, vel ipsi personaliter infra mensem post susceptionem præsentium nostro se conspectui præsentarint, pœnam vel præmium pro meritis recepturi, excommunicatos sub solemnitate simili nuntietis, et faciatis in locis quæ prædiximus nuntiari. Vos vero, filii comites, barones, et cives, sicut de gratia nostra confiditis, et nos de vestra devotione speramus, contra proditores et rebelles hujusmodi, prædicto comiti, qui super hoc causam nostram, regis, et suam specialiter procurabit, assistatis viriliter, et potenter, in forti manu, et extento brachio, rebellium deprimentes superbiam, et in freno et in camo constringentes maxillas eorum, ut ad fidelitatis semitam ab infidelitatis invio revertantur. Nullus quoque vestrorum eis interim aliqua necessaria ministrare præsumat, vel auxilium eis tribuat aut favorem, sed taliter potius excessum eorum, et injuriam vestram vindicetis in eos, ut quantum vitium proditionis vobis displiceat, in puniendis proditoribus ostendatis; contra Materanos sicut per alias litteras vobis mandavimus processuri. Quia vero nobilibus viris, S. Gentili comiti, Rob. de Butaro, Nic. de Fontanellis, et fratribus ejus, Pandulfo de Aquirio, et Tor. filiis comitis S. Felicis, parati sumus, tam de comite ipso quam aliis, contra quos movere voluerint quæstionem, plenam justitiam exhibere, quod per vos eis volumus nuntiari. Volumus et sub eadem vobis districtione mandamus, quatenus vos, fratres archiepiscopi et episcopi, nisi ad commonitionem vestram a sua rebellione destiterint, et regnum desierint suis seductoribus et impugnatoribus perturbare, et contra comitem machinari, excommunicationis eos sententia feriatis quam singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, faciatis solemniter publicari, eos simili sententiæ supponentes, qui victualia eis, aut alia necessaria, prece, vel pretio, aut aliter subministrant, aut aliter eis auxilium tribuunt, et favorem. Vos vero, filii barones et cives, et cum comite ipso, et per vos etiam eorum malitiam comprimatis.

Datum Anagniæ.

### CXCIII (424).

J. QUONDAM LUGDUNENSI ARCHIEPISCOPO (425).

*Respondit ad plura postulata, quibus apostolicam sedem archiepiscopus pulsaverat, illiusque oraculum exquisierat.*

(Anagniæ, XI Kal. Januarii.)

[Quod pietatem colendo in mandatis divinis te libenter exerceas, et in lege Domini meditando jugiter consideres vias ejus, epistolarum tuarum verba A demonstrant, et testantur fortius quæstiones quibus apostolicam sedem pulsas, ut pulsanti januam veritatis aperiat, et quæ obscura videntur suæ responsionis verbis illustret. Sane, per tuas nos duxisti litteras consulendos, cur Psalmista tertiæ diei nullum psalmum inscripserit, cum ab eo, in laudem operis singulorum, singuli psalmi cæteris sint diebus inscripti.] Nam, in prima Sabbati vicesimum tertium, in secunda quadragesimum septimum, in quarta nonagesimum tertium, in quinta octogesimum, in die ante Sabbatum, scilicet sexta Sabbati, nonagesimum secundum, et in die Sabbati, nonagesimum primum psalmum inscribit; tertia Sabbati penitus prætermissa in quo latere credis aliquod sacramentum. Puteus altus est, nec sumus suffi- B cientes ex nobis haurire aquam de fontibus Salvatoris, sed ut postulemus ab eo qui dat omnibus affluenter et non improperat, ut dignetur nobis immeritis revelare, quod sapientibus hactenus, sicut disposuit illi Pater, abscondit. [Credimus autem, quod, cum tertia dies sit inter cætera commendabilis maxime propter sacrosanctum mysterium Trinitatis, Psalmographus, licet intellexerit super senes, et sicut calamus scribæ velociter scribentis lingua ejus, ut tamen mysterium illud ineffabile, imo ineffabilissimum, demonstraret, laudes tertiæ diei omnino suppressit, malens super hoc prorsus silere quam tenuiter balbutire. Ad quod utique designandum, et Paulus apostolus, cum usque ad tertium cœlum raptus fuisset, audivit arcana verba quæ C non licuit homini loqui. Tacens vero tantum mysterium, altius quidem extulit et fortius commendavit. Unde præceptum ligitur Danieli: *Signa librum et claude mysteria, pertransibunt plurimi et multiplex erit scienta* (*Dan.* XII). Clausus enim exstitit liber et signata mysteria, donec Leo de tribu Juda librum aperuit, ejusque signacula solvit. Triplex autem est Trinitas, personarum in Deo, substantiarum in Christo, et specierum in sacramento. In prima, tres sunt personæ in una substantia, Pater, Filius, et Spiritus sanctus; quia tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. In secunda, tres substantiæ in una persona. divinitas, corpus et anima; nam, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et D homo unus est Christus. In tertia, tres sunt species in unico sacramento, panis, vinum et aqua; quia nec panis in corpus sine sanguine transit, nec vinum et aqua in sanguinem sine corpore commutantur, cum neutrum sine reliquo esse non possit, sed potius totum in toto, et in *toto* (426) totum existat. Tertia igitur ineffabilis, secunda ineffabilior, prima ineffabilissima, ut ita loquamur, existit. Sunt autem comparatione hujus ineffabilissimæ Trinitatis trini-

(424) Singularis admodum, et lectu dignissima epistola. Illam quidem, sed majori et meliori parte mutilam, vulgavit Raynaldus, ad annum 1203, § 71. Integram exhibemus, ex apographo Conti, nec non ex collatione codicis Bibliothecæ Vaticanæ, in quo continetur *Formularium Berardi de Napoli*. Quæ apud Raynaldum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(425) Vide epistolam libri quinti 72. not.

(426) Lege *parte*.


tates cæteræ diminutæ.] Unde, licet occulta, certa tamen fuit ratione provisum, ut, cum tres ternarii sint in novem ordinibus angelorum in quotidiana præfatione, medio substracto, de singulis sex tamen secundum ordines ponerentur.

Nam Dionysius tres esse angelorum ordines protestatur, ternos in singulis comprehendens, ut similitudo Trinitatis in eis insinuetur impressa. Tres enim superiores, tres inferiores, et medii tres existunt : superiores, seraphim, cherubim, throni ; medii, dominationes, principatus et potestates; inferiores, virtutes, angeli, archangeli, nominantur. De superioribus igitur cherubim, de mediis principatus; de inferioribus archangeli subtrahuntur, quia comparatione Trinitatis æternæ, cujus majestas ibi præcipue commendatur, diminuta quælibet et imperfecta alia trinitas reperitur. Nam, quis in nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit Deo inter filios Dei ? Sic etenim ibi legitur: *Per quem majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim socia exsultatione concelebrant*; throni puippe cœlorum nomine designantur. Sane, quoddam increatæ Trinitatis vestigium relucet in omnibus creaturis, videlicet tam in angelo quam in homine et in mundo. Ad angelum namque dicitur per prophetam: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et decore perfectus, in deliciis Dei paradisi fuisti* (*Ezech.* XXVIII). De homine Scriptura testatur: *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I). De mundo Apostolus confitetur, quod *invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I). Quælibet autem harum trinitatum, sive spiritualis in angelis, sive corporalis in mundo, sive spiritualis et corporalis in homine, similitudinem quamdam divinæ Trinitatis ostendit; sed ipsius similitudinis non perficit veritatem. Fecit enim Deus duas principales creaturas, angelicam et mundanam; sed quarum primam spiritualem condidit, alteram corporalem. Primæ similitudinem suam indidit, alteri vero imaginem divinam impressit; in utraque vero quasi speculum quoddam æternæ Trinitatis effulget. Nam in angelica est potentia, scientia et voluntas, quæ sic se invicem amplectuntur, ut quælibet reliquas comprehendat, cum possit angelis tam scire quam velle, sciat tam velle quam posse, velit tam posse quam scire. In summa quoque et individua Trinitate attribuitur Patri potentia, Filio sapientia, et Spiritui sancto voluntas; et tres in deitate personæ ita sibi cohærent adinvicem, ut sint, sicut tenet fides catholica, unus Deus; nam Pater est in Filio et Spiritu sancto ; Spiritus sanctus est in Patre et Filio; Filius est in Patre et Spiritu sancto. Juxta quod in Evangelio ipse dicit: *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV). Similiter etiam in creatura humana sive mundana, quædam relucet quasi summæ Trinitatis imago ; cum magnus, pulcher, et utilis mundus existat, per magnitudinem conditoris potentiam per pulchritudi-

A nem sapientiam disponentis, per utilitatem vero benevolentiam innuens gubernantis, quia, juxta sententiam Sapientis: A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter potest horum videri Creator. Inter creaturam vero angelicam et mundanam, homo quasi medius est creatus, qui secundum carnem est corporalis cum mundo, cujus imaginem in se gerit, et secundum animam est spiritualis cum angelo, cujus similitudinem repræsentat. Unde, secundum philosophum, dicitur microcosmus, et secundum Psalmographum, paulo minus ab angelis minoratus. Unde, congrue in Genesi legitur, quod *fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.*

Præterea, etsi fideles antiqui ante legem aliquam habuerint notitiam Trinitatis, unde Abraham tres
B vidisse describitur, et unum legitur adorasse; sub lege vero aliquanto majorem, unde Isaias seraphim clamantes audivit unum ad alterum: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth* (*Isa.* VI) ; firmius tamen mysterium, quod nec nobis etiam est revelatum ad plenum, nec plene cuiquam revelabitur in præsenti, eis erat, licet non prorsus valde, tunc occultum, quod pro Patre Fillius revelarit, cum discipulis suis inquit: *Ego in Patre, et Pater in me est, et si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis* (*Joan.* XIV). Et iterum *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille*
C *testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV) *;* illudque præsertim: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII), et plurima in hunc modum. Revelabit autem Filius mysterium Trinitatis plenius in futuro, cum electis suis, sicut promittit ipse in Evangelio, manifestaverit semetipsum, cum erunt omnes docibiles Dei; cum videbimus non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, et sicut cognoscimur cognoscemus. Ad hoc igitur designandum *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ego Deus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* VI). Non enim nomen Adonai primis fuit Patribus inauditum, sed mysterium trinitatis et uni-
D tatis in Deo eis non fuerat, nisi forte tenuiter, indicatum, quod et nomine illo expressius designatur, quod Græci Tetragrammaton dicunt, quia quatuor litteris figuratur I. E. V. E. pro quo Judæi proferunt Adonai. Cum enim dicant ineffabile nomen illud, ipsum proferre non audent, sed aliud proferunt loco ejus. Nam hoc nomen Adonai sex litteris scribitur, illud autem quatuor solummodo figuratur I. E. V E. Licet enim populo Judæorum multipliciter omnipotentem se Dominus ostendisset, eis tamen non indicavit hoc nomen, donec Moysi, qui gregem inviavit ad interiora deserti, et in montem Dei Oreb gregis ductor ascendit, pro parte revelavit mysterium Trinitatis. Est enim hoc nomen I. E. V. E.

a ntæ virtutis, sicut peritissimi asserunt Hebræorum quod si distinguatur in tres dictiones, ut sigillatim quælibet proferatur, integritatem sui nominis repræsentet: et sic secunda sumatur a prima, ut tertia quidquid habet a prima recipiat et secunda. Quod ad exprimendum trinitatis et unitatis mysterium, in subjecta figura potest plenius denotari.




Per hoc ergo, quod quælibet distinctio habet aliquid commune cum reliquis, et nulla prorsus est ab aliis aliena, quælibet in deitate persona consubstantialis cuilibet alii demonstratur, et per hoc, quod secunda distinctio primam sumit vocalem a prima, et ultima primam recipit a secunda, et secundam mutuat a priore, signatur expressius quod Filius a Patre gignitur, et Spiritus sanctus progreditur ab utroque. Præterea, cum quælibet distinctio per se nomen unicum repræsentet, integrum tamen unum nomen non diversa figurant. Nam et in Trinitate persona quælibet et dicitur et Deus est, non tamen tres colimus deos, sed unum potius adoramus, non confundentes personas neque substantiam separantes. Rursus, in hoc nomine sunt tres litteræ, sed media geminatur, quia in Deo sunt tres personæ, sed media, id est Filius, geminum habet relationis respectum, quoniam ipse est ab alio et alius ab eo est. Quia ergo, priusquam *vetus* (427) Moyses, rex et legifer noster, veniret in carnem, et fieret obediens Patri usque ad mortem, occultum erat mysterium Trinitatis, cum nondum velum templi scissum esset a summo usque deorsum, neque lapis revolutus ab ostio monumenti, non est mirum si Psalmographus non expressit, quod etiam tempore suo semiplene fuerat indicatum. Ad hoc etiam innuendum, magi Pharaonis in tertio signo, imo verius in signo tertiæ plagæ, defecisse leguntur. Tria namque signa fecerunt quæ fecerat Moyses, primum, quando virgas verterunt in colubros; secundum, quando aquam mutaverunt in sanguinem; tertium, quando ranas adduxerunt super terram Ægypti. Sed primum signum plaga non fuit, et tertiæ plagæ signum facere nequiverunt, ut pulverem in scinifes transformarent, dicentes ad Pharaonem: *Digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII).

Naturales quippe philosophi ductu rationis pervenerunt ad notitiam Patris et Filii, quos ipsi *togaton* et *noym* (428) appellabant, sed ad cognitionem tertiæ personæ videlicet Spiritus sancti minime pervenerunt, qui digitus Dei dicitur. Juxta quod in Evan-A gelio Veritas manifestat: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* (*Luc.* XI.) Unde pro *digito* alius evangelista dicit in *Spiritu*. Illi Dei *digitum* nominabant quem ignorabant; ideoque tertiæ plagæ signum facere non valebant. [Quisquis igitur ad notitiam individuæ Trinitatis sine prædicatione vel lectione pervenit, hanc ei non humana ratio sed divina inspiratio revelavit, ut ei, qui perhibetur dixisse: « Prima monas secundam monadem genuit: prima et secunda suum in se reflectunt ardorem. » Unde, cum Petrus dixisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, audire promeruit: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Denique, per septem primitivos dies septem præci-B pua tempora designantur, patriarcharum videlicet, judicum, regum, apostolorum, martyrum, confessorum et virginum; quorum assignationem ad præsens omittimus, ne potius librum texere quam epistolam scribere videamus. Unde, quia tertio loco tempus regum occurrit idcirco David, a quo tempus regum incœpit, tertiæ diei laudes omnino subticuit, nullum ei psalmum inscribens, ne laus in ejus ore sordesceret, si forte se ipsum in tertia Sabbati commendaret malens aliena quam propria lingua laudari.

Secundo quæsisti, cum orationes quædam ad totam Trinitatem communiter, quædam ad Patrem, quædam ad Filium dirigantur specialiter, cur nulla singulariter ad personam sancti Spiritus referatur, cum in hymnis, sive metricis sive rhythmicis, quibus Ecclesia utitur, sæpius invocetur!] Ad hoc C igitur respondemus, quod ideo ad Spiritum sanctum collecta non dirigitur specialis, quia peccatum in Spiritum sanctum est peccatum illud ad mortem, de quo Joannes apostolus protestatur: Est peccatum ad mortem, quod pro eo dico, ne quis oret, quoniam peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in hoc sæculo neque etiam in futuro, juxta testimonium Veritatis. Patri namque appropriatur potentia, tanquam principio; Filio sapientia, tanquam verbo; Spiritui sancto benignitas, tanquam dono; vel Patri potentia, ne tanquam senex impotens videretur; Filio sapientia, ne tanquam puer putaretur insipiens; Spiritui sancto benignitas, ne tanquam inflatus crederetur malignus. Unde, qui peccat per fragilitatem vel impotentiam, peccat in Patrem; qui de-D linquit per simplicitatem vel ignorantiam, delinquit in Filium; qui vero blasphemat per malignitatem vel invidentiam, in Spiritum sanctum blasphemat. Ideoque peccatum in Patrem et Filium, dicitur remissibile, quia fragilitas vel simplicitas quamdam excusationem prætendit. Peccatum autem in Spiritum sanctum irremissibile, dicitur, quia malignitas omnimodam accusationem inducit. Quia ergo Patris potentiam nihil effugit, et Filii sapientiam nihil latet, oportuit in collectis Patri et Filio supplicari.

Verum, quoniam, secundum Apostolum, Spiritus

(427) Sic in apographis; legendum *novus*.

(428) Sic in apographis; sed legendum videtur *T' agathon* et *noyn*: pro Græcis, τ' ἀγαθὸν καὶ νοῦν. Vid. Aristot. Eudem. lib. I, cap. 8.

sancti benignitas inenarrabilibus semper pro nobis gemitibus postulat, faciens nos inenarrabilibus gemitibus postulare, ad distinguendas appropriationes melius in personis divinis, necesse non fuit ad Spiritum sanctum propriam dictare Collectam, quanquam tamen in hymnis, sicut ad Patrem et Filium sic ad Spiritum sanctum frequenter oratio dirigatur, quoniam hymnus non ad supplicandum sed jubilandum principaliter est inventus; Collecta vero, non ad jubilandum sed ad supplicandum est specialiter instituta. Quemadmodum in officio missæ Antiphona quæ cantatur ad Introitum. desiderium antiquorum de adventu Christi designat, non semper intellectu litteræ sed jubilo cantilenæ: nam, sicut ingressus pontificis ad altare significat adventum Redemptoris in mundum, sic missalis Introitus illorum exprimit desiderium, de quibus Dominus inquit apostolis: *Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis. et non viderunt*; *et audire quæ vos auditis, et non audierunt* (*Luc.* VI). Ex eorum ergo persona cantatur Introitus per quos Christus intravit in mundum, juxta quod inquit Apostolus *Et cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei* (*Hebr.* I), Vel [ob hoc ad Spiritum sanctum Collecta non dirigitur specialis, quoniam antiquitus in Ecclesia primitiva omnes ad solum Patrem Collectæ fiebant, propter auctoritatem principii, quam Christus in Evangelio ei totam attribuit, a quo et Filius ipse nascitur, et Spiritus Sanctus procedit; *Qui credit*, inquit, *in me, non credit in me, sed in eum qui misit me* (*Joan.* XII). Item *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* (*Joan.* VII), *quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mandatum dedit mihi, quid dicam, aut quid loquar* (*Joan.* XII). Et iterum: *Verba quæ ego loquor vobis a me ipso non loquor; Pater enim in me manens ipse facit opera* (*Joan.* XIV). Solus enim Pater est innascibilis et ingenitus, quoniam ipse solus a nullo est, et omnia sunt ab ipso sive per generationem ut Filius, sive per processionem ut Spiritus sanctus, sive per creationem, ut mundus. Hoc ipsum in Præfationibus usque hodie observatur, quæ ad solum Patrem universaliter referuntur. Quia vero quidam hæretici dogmatizare cœperunt quod Christus non est verus Deus, sed purus homo, inter alias sui erroris causas, hanc etiam assignantes, quod Collectæ non fiebant ad Filium, sicut fiebant ad patrem, quasi Filius non esset Deus sicut est Pater: ideo. ad confutandm hujus perversitatem erroris, Ecclesia prudenter instituit, ut sicut ad Patrem sic et ad Filium dirigerentur Collectæ, ad majorem deitatis expressionem, talem conclusionis formam adjungentes: *Qui cum Patre et Spiritu santo vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum*; et etiam hanc ipsam conclusionis formam ad cæteras collectas extendit, ut in cæteris quoque collectis eadem Patris et Filii deitas demonstretur. Verum, quia fuerunt et alii quidam hæretici

A qui Spiritum sanctum Deum non esse dixerunt, sed erraverunt, idcirco in hymnis, et litaniis, sicut ad Patrem et Filium, sic et ad Spitum sanctum Ecclesia posmodum proprias et speciales orationes instituit, antiqua et consueta in Collectis forma servata. Inveniuntur autem et aliæ quædam orationes ad Spiritum sanctum directæ, sed non authenticæ reputantur, nec Ecclesia utitur illis in nocturnis officiis vel diurnis.] Ecce, fraternitati tuæ communicavimus ex charitate quod sentimus, monentes, ut si minus sufficienter respondimus, nostræ imperfectioni ac assiduis occupationibus imputes, quibus cum Martha jugiter occupamur, sic Liæ lippitudini dediti, ut raro possimus Rachelis attingere venustatem.

B Datum Anagniæ. XI Kal. Januarii.

CXCIV (429).

REGI ANGLORUM.

*Ut observet concordiam initam cum uxore fratris sui, prædefuncti regis, super dote sua, quia fere mendicabat.*

(Anagniæ, II Non. Januarii.)

Quanto personam tuam ferventiori charitate diligimus, tanto majori dolore turbamur, quoties ea de regia serenitate nos audire contingit, quæ tuam famam obnubilant apud homines, et conscientiam maculant apud Deum. Inter cætera siquidem, quod dolentes referimus, nostris est auribus intimatum quod, cum, olim inclytæ recordationis rege, Ricardo fratre tuo, viam universæ carnis ingresso, charissima in Christo filia, B., quondam regina Anglorum relicta ejus, super dote, ac medietate mobilium, C quæ ipsam de jure ac consuetudine contingebant, nostras litteras impetrasset, tu de his amicabilem compositionem iniisti cum ea, ita tamen, quod, si tu vel tui hæredes ipsam inviolabiliter non servarent, eidem reginæ ad dotem et alia repetenda liber pateret regressus: quam postmodum compositionem obtinuisti apostolico munimine roborari; sed tamen illibatam noluisti eamdem, prout regiam decuit magnitudiuem, custodire, injuriosius existens præfatæ reginæ multipliciter et molestus. Unde cum memorata regina, subtractis sibi redditibus a te in ipsa compositione concessis, de quibus sustentari valeat non haberet, coacta est egredi terram tuam, et apud nobilem, mulierem B. comitissam Trecensem, sororem suam, quasi abjecta et paupercula mendicare, in quo et Deum graviter offen- D disse videris, et apud homines infamiam incurisse. cum non deberes esse viduarum oppressor, sed mœrentium consolator. Quocirca, serenitatem tuam rogamus attente et monemus, et in remissionem tibi tuorum injungimus peccatorum, quatenus, divinæ pietatis intuitu, et nostrarum precum obtentu sæpedictæ reginæ oblata restituas universa, eidem super his taliter satisfaciens, quod majestatem divinam, quam per hæc graviter offendisti, valeas complacare, ac laudem et gloriam in conspectu hominum promereri. Alioquin, quia viduis et orphanis

(429) Epist. hanc laudat Bzovius, *Annat.* t. XIII, pag. 114 §. 13. Vide etiam Raynaldum, ad an. 1203, § 61.

specialiter sumus in sua justitia debitores, tuæ saluti potius consulentes, dilectis filiis.... Casemarii ...... majoris monasterii Turonensis, et.... de Versun (430), Bituricensis diœcescon, abbatibus, dedimus in mandatis, ut ipsi te ad restitutionem omnium ablatorum, et ad justitiam super dote, medietate mobilium, damnis aliis et injuriis irrogatis, coram eis plenariam exhibendam, monitione præmissa, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, compellant.

Datum Anagniæ, II Non Januarii, anno sexto.

CXCV.

...PRIORI SANCTÆ MARIÆ NOVÆ MONTIS-PILOSI.

*Ut se pontificis conspectui repræsentet, ad rationes cleri et populi audiendas.*

(Anagniæ, III Non. Januarii.)

Sicut dilecti filii, clerus et populus Montis-pilosi, nobis intimare curarunt, ex sententia illa, quam felicis memoriæ Cæl. papa, prædecessor noster, protulit contra eos, non modicum reputant se gravatos, pro eo quod causæ meritum ipsis non fuit plenarie patefactum; quare nobis humiliter supplicarunt, ut eis super hoc dignaremur paterna sollicitudine providere. Licet autem contra latam a dicto prædecessore nostro sententiam non sit aliquid temere præsumendum, quia tamen justum clamorem eorum nec debemus nec volumus obaudire, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, infra mensem, per te vel sufficientem responsalem, nostro te conspectui repræsentes, ut te vel tuo responsali præsente, rationes illas proponant, quibus intendant nos ad restituendam eis audientiam inclinare. Nos enim, auctore Deo, veritate cognita, procedemus, sicut de provido fuerit consilio procedendum.

Datum Anagniæ, III Non. Januarii.

CXCVI.

....QUINQUEECCLESIENSI EPISCOPO.

*Ut famæ suæ attentius consulat.*

(Anagniæ, VII Id. Januarii.)

Licet multoties ab illo crimine detestabili contra te nobis proposito, quod inficiaris omnino fuisse commissum, averterimus aures nostras, et negaverimus sæpe committere inquisitionem ipsius præsertim cum talia de fraternitate tua nullatenus crederemus et adhuc etiam non credamus, cum tamen hujusmodi delatio non cessaret et pulsaret nostrum auditorium importune, tandem officii nostri debitum non potuimus denegare, cum, secundum Apostolum, facti simus sapientibus et insipientibus debitores; et, in quibus cum honestate nostra potuimus, tibi parcentes, venerabili fratri nostro... Geuriensi episcopo (*sic*), super illo crimine inqnisitionem secreto mandavimus faciendam, per quod famam tuam purgari volumus, ut obloquentium iniqua perversitas confusa maneret. Cum igitur venerabiles fratres nostri, C. Agriem. B. Watien. H. Varen. K. Vespermien. et J. Histrien. episcopi, ac multi alii Ecclesiarum prælati, et idem etiam Geurien. te super his apud nos studuerint excusare, ac tuam satis de honestate morum et aliis commendare personam, fraternitatem tuam monemus attentius et exhortamur, quatenus ita nomen hujusmodi criminis delere procures, et talem te studeas exhibere, quod præcedens delatio frivola videatur, et fama tui nominis oblocutionis iniquæ labe detersa, clarior in laudem assurgat, et mendaces appareant, qui se fingebant in fraude veraces.

Datum Anagniæ, III Id. Januarii.

CXCVII.

ABBATI DE PRATEA (431) PRIORIBUS EXOLDUNENSI, ET NUNDRIACENSI, BITURICENSIS DIOECESEOS.

*Ut W. de Securo ab episcopo et decano Claromontensibus in canonicum et fratrem recipi faciant.*

(Anagniæ, Non. Januarii.)

Benignitate apostolicæ sedis inducti, quæ consuevit indigentibus providere... episcopo (432), et capitulo Claromontensibus dedimus in mandatis, ut præbendam, quam dilectus filius, A... Parisiensis canonicus, in eorum habebat Ecclesia, ad liberam resignationem ipsius, dilecto filio, W. de Securo, tunc diacono, nunc vero presbytero, de cujus idoneitate testimonium multorum accepimus, sine difficultate conferrent.

Mandavimus insuper venerabili fratri nostro... archiepiscopo (433), et dilecto filio.... decano, Bituricensibus, ut, si mandatum nostrum nollent exsecutioni mandare, ipsi mandatum nostrum super hoc, nullius contradictione vel appellatione obstante, exsequi non tardarent, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Verum, cum idem episcopus et capitulum, per ipsum archiepiscopum et decanum sæpius requisiti, ad liberam resignationem ipsius A., sicut ex litteris eorum accepimus, nec præbendam eidem W. conferre, nec in illorum comparere præsentia, vel rationabilem causam vellent ostendere contra illum, tandem ipsi eumdem presbyterum auctoritate nostra de ipsa præbenda investire curarunt, ipsis episcopo et capitulo injungentes, ut eum in canonicum et fratrem reciperent, et fraterna charitate tractarent. Sane, cum episcopus et capitulum mandato nostro contumaciter nimis, quod eos non decebat, resisterent, ipsi archiepiscopus et decanus Claromontensem ecclesiam, et alias ecclesias ad capitulum spiritualiter pertinentes, de prudentium viro-

(430) Leg. *de Virzione*: hic enim agi videtur de monasterio Virzionensi, cujus tunc temporis abbas erat Guillelmus I. Guillelmum enim, ab anno 1185 usque ad annum 1209, quo obiit III Non. Januar. memorant auctores novæ Galliæ Christianæ, t. II, col. 138.

(431) Abbatiam de Pratea tunc temporis regebat Evrardus, de quo hæc pauca apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. II, col. 208.

» VIII, Evrardus anno 1202, ex charta Guillelmi, archiepiscopi Bituricensis. Anno 1206, Odonem Exolduni dominum beneficum experitur.»

(432) De eo jam dictum est supra. Vid. epistolam libri quinti 136, not.

(433) Vid. epist. libri quinti 52, not.

rum consilio, ecclesiastico interdicto supponere curaverunt. Ipsi vero in majori ecclesia, vilipensa sententia interdicti, divina postmodum officia celebrarunt. Cum igitur animadvertendum sit in eos qui mandatis apostolicis coutumaces existunt, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus inquiratis de præmissis diligentius veritatem, et, si præfatos episcopum et capitulum temere venisse constiterit contra sententiam interdicti, atque in interdicta ecclesia celebrasse ipsum episcopum a pontificali officio, et capitulum ab omni officio et beneficio suspendatis, et faciatis tandiu manere supensos, donec idem episcopus in persona propria, vel saltem per idoneum responsalem et capitulum per quatuor aut tres de suis nomine universitatis ad præsentiam nostram accedant, de tanto satisfacturi nobis excessu, et præfatum presbyterum nihilominus recipiant in canonicum et in fratrem, et debita charitate pertractent. Testes autem, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, Non Junuarii, anno sexto (434.)

## CXCVIII

.....LUNDENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ut clerum ad castitatem inducat*

(Anagniæ, XVI Kal. Januarii.)

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod, cum detestabile fornicationis vitium persequaris, et munditiam ministris altaris indicas, si multi ad exhortationem et correctionem tuam a volutabro luti surrexerint et proposuerint in castitate corporis et puritate cordis Domino deservire, quidam tamen in sordibus suis sordescunt adhuc, et redeunt ad vomitum suum, plures etiam cathedralium ecclesiarum canonici publice tenent in suis domibus concubinas, et quasi effectum eis exhibent conjugalem. Volentes igitur, quantum in nobis fuerit, adhibere remedium huic morbo, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus tam canonicos ipsos quam alios clericos in tua provincia constitutos, si tamen eorum episcopos super hoc inveneris negligentes, ut focarias quas publice tenent abjiciant, monitione præmissa, per suspensionem, et privationem, si necesse fuerit, beneficiorum suorum, appellatione remota, compellas Ad recipiendas autem hujusmodi mulieres, patres, fratres et consanguineos moneas diligentius et inducas, et cogas etiam, prout videris expedire.

Datum Anagniæ, XVI Kal. Januarii.

## CXCIX.

EIDEM.

*De pœnitentia clerico falso accusato injungenda.*

(Anagniæ, XVI Kal. Januarii.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod clericus quidam ad regios se transtulit inimicos, et eis si qua de secretis regiis noverat revelavit. Cumque fuisset sæpe prohibitus ne rediret ad regem, quia prohibitioni non detulit, sed impudenter familiarum ejus conspectui se ingessit, captus fuit, et a ministris regis sicut ejus exigebat iniquitas verberatus. Quia quæris igitur, utrum verberatores ipsius in canonem incidant sententiæ promulgatæ, quod indicerint respondemus. Cæterum quia, ut meritoria sit, spontanea debet esse pœnitentia, non coacta, non credimus clericum illum invitum ad pœnitentiam compellendum, qui falso accusatus de crimine, ac convictus secundum terræ consuetudinem pecunialiter satisfacit.

Datum Anagniæ, XVI Kal. Januarii.

## CC.

DECANO (455), ET CAPITULO REMENSI.

*Repulsa Joannis, Belvacensis episcopi, in archiepiscopum Remensem electione, præcipit ut ad alteram electionem absque mora procedant.*

(Anagniæ, IV Id. Januarii.)

Post obitum bonæ memoriæ W...Remensis archiepiscopi, statuta die de pastoris substitione tractantes, cum nequivissetis unanimiter convenire, tu, fili decane, et alii, numero plures et dignitate majores, in postulatione venerabilis fratris nostri Joannis, Belvacensis episcopi, concordastis. Sed Theobaldus de Pertico, major archidiaconus, et quidam alii, noluerunt in postulatione hujusmodi consentire. Unde, cum fuisset utrinque ad sedem apostolicam appellatum, et prius coram nobis, ac postmodum coram delegatis judicibus aliquandiu litigatum fuisset, tandem ab illis ad nos fuit eadem causa remissa. Nos igitur, plenam vobis et parti alteri audientiam concedentes, intelleximus diligenter quacunque proponere voluistis, et tandem rationibus, attestationibus et confessionibus utriusque partis auditis, quia constitit evidenter, quod post appellationem ad nos legitime interpositam, per impetuosam præpsumptionem ex indiscreto zelo ad prædictam postulationem fuit ordinate processum, de communi fratrum nostrorum consilio postulationem ipsam, exigente justitia, duximus repellendam. Ne vero Ecclesia vestra duitius remaneat viduata pastore, universati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum, convenientes in unum, invocata Spiritus sancti gratia, personam idoneam eligatis vobis canonice in pastorem, et faciatis per suffraganeos Remensis Ecclesiæ, quantocius fieri poterit, opportune in pontificem consecrari. Requirat autem a vobis Altissimus in examine districti judicii, nisi humano favore ac mundano timore postpositis, personam in spiritualibus et temporalibus secundum conscientiam vestram idoneam eidem Ecclesiæ præficere satagatis. Quod si forte mandatum nostrum neglexeritis adimplere, noveri-

(434) Vid. epist. libri quinti 37, not.

(455) Vide epistolam hujuce libri sexti 9.

tis nos venerabili fratri nostro...episcopo Autissiodorensi, et dilectis filiis...abbati de Persenia, et magistro R. de Corson, canonico Noviomensi, per scripta nostra mandasse, ut ipsi, auctoritate nostra suffulti, omni contradictione vel appellatione cessante, Deum habentes præ oculis, personam idoneam, quæ tanto congruat oneri et honori, in pontificem vobis assignent, eum per suffraganeos Remensis Ecclesiæ consecrari juxta quod præmissum est facientes, et contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant.

Datum Anagniæ, IV Id. Januarii, pontificatus nostri anno sexto.

*Scriptum est illis super hoc.*

CCI.

NOBILI, VIRO, DUCI AUSTRIÆ.

*Confirmatio sententiæ, quod teneatur matrimonium contrahere juramento promissum cum filia ducis Bohemiæ, quia conditio adimpleta non fuerat.*

(Anagniæ, VII Id. Januarii.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod olim... filiam nobilis viri... ducis Bohemiæ, sub conditione desponsans, firmiter promisisti, imo etiam juramento firmasti, quod eam duceres in uxorem. dummodo matrem ejus a se nullatenus separaret. Verum, cum dux ipse matrem ejus a se penitus separasset, contrahere cum filia noluisti, sed, duce ipso a juramento quod præstiterat absoluto, ab eo quoque fuisti a juramento quod ipsi præstiteras absolutus. Cumque postmodum, ad petitionem tuam, inquisitionem horum venerabili fratri nostro... Salzburgensi archiepiscopo, duxerimus committendam, ut statueret quod crederet expedire, ipse, cognita plenius veritate, te denuntiavit ad copulam hujusmodi non teneri. Nos igitur, denuntiationem ipsam, sicut inquisita et cognita veritate rationabiliter facta est, ratam haberi volumus et mandamus, et ne qui veniat contra eam, auctoritate apostolica prohibemus.

Datum Anagniæ, VII Id. Januarii.

CCII.

ARCHIDIACONO VICENTINO

*Ipsum in archidiaconatu confirmat.*

(Anagniæ, III Non, Januar.)

Cum olim quæstio, quæ inter te ex una parte, ac dilectos filios...archipresbyterum et canonicos ecclesiæ Vicentinæ ex altera, super archidiaconatu ejusdem ecclesiæ vertebatur, bonæ memoriæ (436). Feltrensi episcopo, commissa fuisset a nobis, et idem episcopus, utriusque partis rationibus intellectis, archidiaconum ipsum cum stallo chori tibi per sententiam adjudicare curasset, eos excommunicationi subjiciens, qui te super hoc præsumerent de cætero molestare, ac postmodum utriusque partis procuratoribus in nostra præsentia constitutis, coram dilecto filio, O... subdiacono et capellano nostro, quem eis deputavimus auditorem, ab eis fuisset aliquandiu litigatum, de assensu procuratorum ipsorum, dilectis filiis, magistro R. Tropen decano, et Viviano Veronensi, et Walperto Tarvisino, canonicis, qui tunc Bononiæ morabantur, causam ipsam duximus committendam, mandantes eisdem, ut juxta priorum commissionem tenorem prævia ratione procedere, sublato appellationis obstaculo, procurarent, ita, quod dictus decanus cum altero eorum id exsequi non omitteret, si non posset cum eis tertius interesse. Cumque ab ipsis decano. et Viviano, pro parte tua receptus testibus, fuisset in causa processum, et cum ipsis attestationibus et aliis instrumentis ad causam facientibus, tam tuus quam ipsorum canonicorum procurator ad nostram præsentiam iterum accessissent. Nos eis dilectum filium, B. (437), tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem, concessimus auditorem, coram quo tuus asseruit procurator, quod, cum dicti judices vellent juxta mandatum nostrum in causæ cognitione procedere, et canonici Vicentini, vocati ab eis, venire Bononiam recusarent, viarum pericula prætendentes, idem judices, tum ad eorum malitiam convincendam, tum ut melius possent de negotii cognoscere veritate, Vicentiam accesserunt, et canonicis ipse malitiose subjicientibus, quod causa ipsa non decebat, nisi Bononiæ ubi fuerat commissa, tractari, eorum cognita malitia, et eisdem per contumaciam se absentantibus, de consilio prudentium, et peritorum in jura procedentes in causam, allegationibus et rationibus tuis plenius intellectis, inspectis etiam instrumentis et dictis testium qui ex parte tua producti fuerunt, te judicarunt juxta sententiam prædicti Feltrensis episcopi, in ipsius achidiaconatus possessione tuendum, præcipientes auctoritate nostra, sub pœna excommunicationis, ne super possessione archidiaconatus, intra civitatem Vicentinam vel extra, tibi aliqua molestatio inferretur.

Procurator vero canonicorum ad prædicta respondit, quod, cum prædicti judices deliberatorias inducias canonicis denegarent, ab eis quinquaginta librarum pignora postulantes, nec ipsi canonici possent apostolici copiam habere rescripti, quam instantius postulabant, ut deliberarent utrum vellentes contendere vel cedere quæstionem, propter hoc sentientes se prægravari, sedem apostolicam appellarunt, et, dictum Vivianum recusantes tanquam suspectum, inter eum et te consanguinitatem esse parati fuerunt incontinenti probare; sed, licet præfatus Walpertus admiserit appellationem eorum, reliqui duo, spreta appellatione, nihilominus ad ferendam sententiam processerunt, a qua fuit ex parte canonicorum iterum appellatum. Cum igitur prædictus cardinalis hoc coram nobis fideliter recitasset, quoniam per ipsas attestationes nobis constitit evidenter, quod ab episcopis Vicentinis archi-

(436) Vide epistolam libri tertii 39, not.

(437) Vide epistolam libri tertii 54, not.

diaconatus ipse sine reclamatione canonicorum continuo duobus archidiaconis, antequam tibi, fuerat assignatus, et quia canonici prædictum judicem recusare vel postulare rescripti copiam minime debuerunt, cum causa prædictis judicibus delegata fuisset de utriusque partis procuratorum assensu, et ab eisdem rescriptum esset communiter impetratum nec deliberatorias inducias petere, cum apud sedem apostolicam per procuratores utriusque partis lis contestata fuisset, prædictum archidiaconatum non obstantibus hujusmodi frivolis exceptionibus, tibi per diffinitivam sententiam adjudicare curavimus, canonicis Vicentinis contra te super eodem archidiaconatu, stallo etiam archidiacono deputato, et aliis pertinentiis suis perpetuum silentium imponentes, reservata tamen eis quæstione proprietatis super collatione archidiaconatus ipsius, si forte super ea contendere voluerint adversus episcopum Vicentinum (438), cum res inter alios acta non debeat aliis præjudicium generare.

Datum Anagniæ, III Non, Januarii.

*Scriptum est* venerabilibus fratribus... Veronensi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali (439), et..... Feltrensi (440), et Bellunensi (441) episcopis, ut prædictam sententiam observari, et ipsum F. faciant archidiaconatum ipsum, stallum etiam, in choro archidiacono deputatum, cum omnibus aliis pertinentiis suis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, pacifice possidere.

Datum, *ut supra.*

## CCII.

.... OXOMENSI BURGENSI ET.... ZAMORENSI EPISCOPIS,

*Accusationem contra episcopum Aristoricensem intentatam ipsis committit.*

(Anagniæ, II Id. Januarii.)

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius, D. Aristoricensis canonicus, contra venerabilem fratrem nostrum, L. Aristoricensem episcopum, enormia multa proposuit coram nobis, super quibus eum intendit criminaliter accusare, videlicet quod, suo adhuc prædecessore vivente, ac a sede sua violenter ejecto, et episcopatu etiam spoliato, locum ejus per ambitionem temerarius usurpavit, quodque sit perjurii crimine, ac Simoniaca pravitate pollutus, duos insuper homicidas promoverit, unum in archidiaconum et alterum non legitime natum ad officium diaconatus assumens. Præterea, quod super homicidio publica laboret infamia, videlicet quod magistrum Michaelem, legem doctorem, interfici fecerit, veneni maleficio procurato. Econtra vero, dilecti filii, F. Joannes archidiaconus et P. canonicus, Astoricenses, excipiendo pro episcopo, responderunt prædictum D. perjurium incurrisse, et prorupisse ad accusationem episcopi nulla commonitione præmissa. Proposuerunt etiam ipsum laicum esse, indisciplinatum, percussorem, rixatorem et clericalis honestatis expertem, conspirationem, infamia sodomitici criminis denotatum, asserentes illum in hoc nefando vitio deprehensum, et eumdem Romæ homicidium incurrisse. Quia vero enormitates hujusmodi non debent sub dissimulatione transire, causam ipsam de consensu prædicti D. et procuratorum episcopi memorati, vestro duximus examini committendam, per apostolica vobis scripta mandantes. quatenus, partibus ad locum idoneum convocatis, audiatis quæ duxerint proponendi, et, nisi præfatus D. per exceptionem legitimam possit ab accusatione repelli, causam, ipsam, appellatione remota, usque ad diffinitionis calculum dilgenter examinare curetis, ipsamque sufficienter instructam ad nostram præsentiam transmittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo veniant quod justitia dictaverit recepturæ, ad quem si qua forte venire neglexerit, nos quantum de jure poterimus nihilominus procedemus. Nullis litteris obstantibus, præter assensum partium.... quod si omnes.... duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ II Id. Januarii.

## CCIV.

....ABBATI (442), ET CONVENTUI S. ALBANI.

*Ut ecclesiam quamdam ad solvenda defuncti possessoris, crucesignati, debita, recipiant.*

(Anagniæ, XVIII Kal. Februarii,)

Grave gerimus et molestum, quod occasione quarumdam litterarum a nobis veritate tacita obtentarum, ecclesiam quam bonæ memoriæ Rog. de S. Edmundo tenebat a vobis, post obitum ejus alii concessistis, contempto mandato apostolicæ sedis, ac statuto quod super quibusdam debitis de beneficiis ejus solvendis, secundum ejus indulgentiam factam crucesignatis in Anglia, solemniter emanarat; cum, etsi eadem ecclesia fuisset interim alii conferenda, potius ei reddi debuerit, quem, antequam prædictus Ro. eam per favorem regium accepisset, ad ipsam, sicut accepimus, canonice præsentastis, jure sibi ex sola præsentatione vestra in eadem ecclesia secundum canones acquisito, quia jus patronatus pinguius a clericis quam a laicis possidetur. Quocirca, devotioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus eamdem ecclesiam, omni contradictione, appellatione et excusatione cessantibus, nostra freti auctoritate, ad manus vestras accipere studeatis, remoto ab ea quolibet detentore, proventus ipsius

(438) Vide epistolam libri quinti 126, not.
(439) Vide epistolam libri tertii 39, not.
(440) *Ibid.* not.
(441) *Ibid.* not.
(442) S. Albani abbatiæ tunc præerat Joannes I (dictus de Cella) monasterii hujus vicesimus primus abbas. Qui Guarino abbati, annuo 1195, III Kal. Maii defuncto, successor datus, obiit anno Domini 1214. Vir (inquit Matth. Paris.) eximiæ pietatis, amator ordinis et vigoris disciplinæ claustralis. In juventute scholarum Parisiensium frequentator assiduus, ad electorum consortium magistrorum meruit attingere, unde, cum viriis esset ætatis, in Grammatica Priscianis. in Metrico Ovidius, in Physica censeri potuit Galenus. MATTH. Par., *Vit.* 23. *abbat. S. Albani operum* tom. I, pag. 103.

fideliter colligentes, ut ad mandatum nostrum in A solutionem pecuniæ convertantur, pro qua eos, de nostra indulgentia speciali, præter communem indulgentiam concessam a prædecessoribus nostris crucesignatis, præfatus R. usque ad triennium obligavit; nullis litteris obstantibus a sede apostolica impetratis, cum hoc mandatum a nobis de conscientia certa procedat. Unde, si forte super eadem ecclesia sunt a nobis exsecutores obtenti, exsecutiones eorum firmitatem nolumus obtinere, cum secundum constitutiones ecclesiasticas et civiles, mendax peccator carere debeat impetratis. Si vero mandatum nostrum timore vel gratia, quod non credimus, neglexeritis adimplere, in caput vestrum procul dubio redundabit, cum contradictores, si qui fuerint, coercendi potestatem vobis plenariam, B appellatione postposita, concedamus.

Datum Anagniæ, XVIII Kal. Februarii.

## CCV.

MAGISTRO MARTINO, CLERICO S. CRUCIS COLIMBRIENSIS.

*Recisit eum suh protectione.*

(Anagniæ, IX Kal. Februarii.)

Justis petentium, etc., *usque* anuentes, personam tuam cum omnibus, etc., *in modum protectionis, usque* suscipimus. Specialiter autem beneficium quod habes ab ecclesia Sanctæ Crucis Colimbriensis, sicut illud juste possides et quiete, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, XI Kal Februarii.

## CCVI (443).

NOBILIBUS VIRIS, MANUELI, JACOBO, ODONI, CENFIO, C ET DEODATO, FRAJAPANIS.

*Controversias inter ipsos et Terracinenses dirimit.*

(Anagniæ, XIV Kal. Febr.)

Cum Traversam per Romanam Ecclesiam teneretis, Terracinesis populus vobis eam subripere curaverunt. Quod, postquam ad notitiam nostram pervenit, ad eos dilectum filium, P. Saxonis, subdiaconum et capellanum nostrum, direximus, eis firmiter inhibentes, ne ipsam præsumerent aliquatenus demoliri, qui mandato nostro acquiescere penitus noluerunt. Verum Nos cum eis agentes benignius, dilectum filium, Hug. tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem, ad eos duximus dirigendum, monentes ipsos per eum, et firmiter injungentes, ut quod impetuose fecerant, consultius emendarent. D Sed ipsi, mandata nostra et monita cardinalis prædicti, sicut eos non decuit, contemnentes, id efficere non curarunt. Nos autem, in bono volentes vincere malum, per litteras nostras eis dedimus in mandatis, ut saltem vobis sub examine nostro justitiam exhiberent. Quod, cum facere nollent, quasdam excusationes frivolas prætendendo, Nos eorum contumaciam attendentes, consules Terracinenses, consiliarios et principales fautores eorum, vinculo excommunicationis astrinximus, et populum diffidavimus universum, mandantes universis fidelibus nostris per Campaniam et Maritimam constitutis, ut vobis ad debellandos Terracinenses consilium et auxilium exhiberent. Cumque postmodum per vos et alios fideles nostros offensi fuissent, et incœpisset illis vexatio tribuere intellectum, nobis et Ecclesiæ Romanæ juramenta fidelitatis humiliter præstiterunt, sub debito juramenti firmiter promittentes, quod vobis in præsentia nostra justitiæ plenitudinem exhiberent. Cum autem postmodum, ad terminum quem vobis et eis præfiximus, tam vos quam syndicus Terracinensis, cum quibusdam de majoribus civitatis, in nostra et fratrum nostrorum essetis præsentia constituti, restitutionem Traversæ cum instantia petebatis, et de illatis damnis et irrogatis injuriis satisfactionem vobis congruam exhiberi.

Cæterum, syndicus Terracinensis per advocatum suum econtrario respondebat, quod vos et progenitores vestri per ipsam Traversam Terracinensibus multas et magnas injurias et jacturas, grandia et enormia gravamina et opprobria intulistis; unde, licitum eis erat occupare Traversam, quæ totius erat iniquitatis fomentum, ad declinandum periculum quod aliter non poterant evitare, postulans restitutionem sibi fieri captivorum, postquam de facienda justitia nostro juraverant parere mandato. Præterea, cum per progenitores vestros juramenta fidelitatis, quibus tenebantur sedi apostolicæ, ad quam specialiter spectabat dominium Terracinæ, coacti fuerint abjurare, et vobis et ipsis contra omnes homines fidelitatis facere juramentum, cum illis qui dominis suis fidem non servant fides non sit aliquatenus servanda, licuerat eis dominationem vestram abjicere, et ad ecclesiæ dominium, ad quam dignoscitur spectare proprietas, cum omni, qua possent, celeritate redire. Adjiciebat etiam idem syndicus, quod, si forte super his quæ fecerant nostram indignationem incurrerant, vel offensam, parati erant satisfacere nobis pro nostræ beneplacito voluntatis. Asserebat insuper, quod, cum de progenitoribus vestris prædecessoribus nostris sæpius consquesti fuissent, et illata eis gravamina et injurias intimassent, quidam ex eis indulserant eisdem, ut si possent, Traversam ad vitanda hujusmodi pericula occuparent. Vos autem, per advocatum vestrum hæc omnia negabatis, asserentes quod s etiam probata fuissent, de jure non possent restitutionis beneficium impedire, multis super hoc rationibus et legibus allegatis, præsertim, cum majores ab illis pertulissetis injurias, quam illi a vobis perpessi fuissent. Cum ab utraque partium fuisset coram nobis aliquandiu disceptatum, nos, auditis utriusque partis rationibus et plenius intellectis, de fratrum nostrorum consilio sententiando decrevimus, faciendam vobis restitutionem Traver-

(443) Epistolam hanc laudat, nec non instrumenti, quo Terracinenses fidei sacramentum pontifici exhibent, tenorem refert Raynaldus, ad annum 1201, § 76.

sæ cum satisfactione damnorum, ita ut restaurantes eamdem ipsam nobis tenendam assignent, donec, de illatis damnis et injuriis irrogatis hinc et inde plenarie cognoscentes, quæstiones ipsas, mediante justitia et amicabili concordia, terminemus, utrique parti securitatem, et pacem omnimodam providendo, vobis nihilominus injungentes, ut captivos eorum in nostris manibus resignetis, et ipsi nequaquam impediant, quominus utamini justitiis consuetis, sicut eas usque ad tempus spoliationis in Terracina noscimini percepisse. Ut autem sententia ipsa, quam provida deliberatione protulimus, inviolabiliter observetur, eam auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, XIV Kal. Februarii.

TENOR INSTRUMENTI.

*Quo Terracinenses fidei sacramentum pontifici exhibent.*

[In nomine Christi. Amen. Nos consules, et populus Terracinenses, ab hac hora in antea erimus recti fideles, et ligii homines domini papæ Innocentii, et successorum suorum, et Ecclesiæ Romanæ. Non erimus in dicto, vel facto, consilio vel assensu, ut perdant vitam vel membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod nobis crediderunt, ad eorum damnum nulli manifestabimus; ipsorum certum malum, si forte sciverimus, impediemus pro posse. Quod si forsitan illud per nos nequiverimus impedire, significabimus illud per nos, vel litteras, aut nuntios nostros, quam cito poterimus eis, vel tali personæ, per quam credamus quod eis debeat fideliter intimari. Papatum Romanum, et regalia beati Petri, quæ habet tam in urbe quam extra urbem, et nominatim Terracinam cum omnibus pertinentiis suis adjutores erimus ad retinendum, et defendendum, et quæ non habet ad recuperandum contra omnes homines. Præterea, guerram et pacem ad mandatum ipsorum contra omnes homines faciemus. Restituemus ipsi domino papæ roccam Circegii, et assignabimus quibus ipse mandaverit. Munitiones quoque, quas circa civitatem habemus, scilicet Peselum montanum, et Ferronum, dabimus ad opus et mandatum ipsius domini papæ tenendas, nec vi, nec dolo auferemus eas illis, qui de ipsius mandato ipsas tenebunt. Reddemus etiam ad mandatum ipsius universa regalia, et jura, quæ in ipsa civitate cum pertinentiis suis Romana Ecclesia consuevit et debet habere. Si Frangipani instit erint, faciemus eis justitiam sub examine domini papæ, dummodo et ipsi justitiam nobis exhibeant coram eo. Hæc omnia supradicta juramus nos amodo servaturos bona fide et recta intentione ; sic nos Deus ajuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.]

CCVII (444).

GONSALDO, PRIORI ECCLESIÆ SANCTÆ CRUCIS COLIMBRIENSIS, EJUSQUE FRATRIBUS, TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Recipit eos sub protectione B. Petri, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Anagniæ, Id. Januarii.)

Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis a provisore omnium bonorum Deo concessa est, ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex charitatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Eapropter, dilecte in Domino fili, etc., *usque* annuimus, et præfatam ecclesiam, quæ ad jus et proprietatem beati Petri pertinere dignoscitur, ad exemplar felicis recordationis Innocentii secundi, Lucii, Eugenii, Adriani, Alexandri, Urbani et Cœlestini, prædecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, in specialem apostolicæ sedis tutelam suscipimus, etc., *usque* communibus. In primis siquidem statuentes, etc. Præterea, quascunque, etc. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis ; capellam Sancti Joannis in suburbio Colimbriæ sitam, ad prædictam ecclesiam Sanctæ Crucis pertinentem, sicut a bonæ memoriæ Joanne Bracarensi archiepiscopo, et B. Colimbriensi episcopo, assentiente illustris memoriæ Ad. Portugalen. duce vobis dignoscitur esse concessa; omnes etiam ecclesias de Lairen. tam in castro quam in territorio ejus sitas, cum omnibus ad eas pertinentibus, sicut in charta jam dicti ducis, et in confirmatione bonæ memoriæ Gilberti Ulixbonensis episcopi, continetur; ecclesiam de Quiajos; domos etiam, quas emistis ad tuitionem corporum regum, propter metum Saracenorum, et partem de Villa Panca sicut vobis contra venerabilem fratrem nostrum Colimbriensem episcopum, per sententiam nostram hæc omnia supradicta adjudicata fuerunt; Hermidam de Arganil ; Ecclesia de Alcuba in Visensi episcopatu, ex concessione Civitatensis episcopi consentiente illustris memoriæ Fernand. de rege Legionensi ; civitate Roderici, ecclesiam sancti Michaelis, et ecclesiam Sanctæ Crucis de Cortes, et quidquid habetis in terminis ejusdem civitatis ; quidquid etiam prædictus dux de jure suo vobis concessit in Colimbriensi civitate ; videlicet, Almoniam cum suis redditibus ; redditus de Eiras ; et duas vineas ibidem, liberas ab omni reddito ; partem omnium reddituum molendinorum suorum, quæ sunt in eadem civitate ; unam aceniam in matilas cum quatuor canariis integris partem omnium piscium qui dicuntur savales (*sic*); vineam, quam dedit vobis Fernandus Petri cum assensu ejusdem ducis ; villam de Quiajos; villam de Laurizal ; villam de Mosceti ; villam de Talazeiro; quidquid habetis circa maritima; villam

(444) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 81.

de Sancto Romano ; villam de Sancta Marina; villam de Lagares; villam de Candaosa; quidquid habetis in termino Sene, et in Gaudela, et in Linares, et in Celorico, et in Covilian. et in Ablantes, et in Scarnen. et in Alanquer, et in Ulixbona, et in Syntria, et in Jorres, et in Jamugia, et in Alcanedi, et in terminis omnium istorum; quidquid habetis in Bisen. episcopatu; omnes hæreditates, quas dedit vobis illustris memoriæ A. Portugallen. rex in Alvorgie, et in Germanelo, et in Atcania; vallem quæ dicitur Alzazer, per suos terminos; insulam quoque, quæ dicitur Ozerroa; et quiquid habetis in termino Colimbriæ, usque ad flumen quod dicitur Dorium, et in termino Brachare. Sane, ad instar prædictorum prædecessorum nostrorum, Eugenii et Lucii, districtius inhibemus, ut de laboribus vestris, etc.

Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, etc. Si quis autem liber et absolutus ad ecclesiam vestram converti, et ibidem habitum assumere regularem, si qua etiam clericalis vel sæcularis persona vobis aliqua de bonis suis pietatis intuitu conferre voluerit, nullus audeat prohibere. Cæterum, ad exemplar præfati Cœlestini, prædecessoris nostri, arctius interdicimus, ut in ecclesiis, quæ ad vos jure fundi (*sic*) pertinere noscuntur, nullus episcopus, nisi ad præsentationem vestram aliquem audeat ordinare, nec in ecclesias vestras, aut personas, earum, interdicti vel excommunicationis sententias, sine manifesta causa et rationabili, promulgare, aut eas novis et indebitis exactionibus aggravare præsumat. Prædicti etiam Adriani vestigiis inhærentes, vobis concedimus, ut decimas frugum vestrarum, quæ infra fines vestræ parochiæ continentur, hospitali vestro libere conferre possitis. Cum autem generale interdictum, etc. Chrisma vero, etc. Obeunte vero te, etc. Sepulturam præterea illius loci etc. Paci quoque, etc. Præterea, libertatis, etc. Decernimus ergo, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate, et in prædictis ecclesiis diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Ad indicium autem hujus perceptæ a sede apostolica libertatis, duos bisantios pro jure Romanæ Ecclesiæ, nobis nostrisque successoribus, annis singulis exsolvetis. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Anagniæ, per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, Idibus Januarii, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno 1203.

## CCVIII.

CAPITULO WELLENSI.

*Ut magistrum Rog. Porretanum in canonicum et fratrem recipiant.*

(Anagniæ, XVIII Kal. Februarii.)

Accedens ad præsentiam nostram dilectus filius, magister Rog. Porretanus, subdiaconus, nobis humiliter intimavit, quod, cum in ecclesia vestra præbendam fuisset canonice adeptus, et quidam laici super ea graves ei molestias irrogarent, venerabilis frater noster.... Bathoniensis episcopus (445), sollicitatus precibus religiosorum virorum ut aliam ei præbendam conferret, quam posset pacifice possidere, defuncto W. de Pleiz, canonico Wellensi, ipsius præbendam, videlicet ecclesiam Sancti Decumani cum pertinentiis suis, ipsi concessit, et, facta resignatione præbendæ quam prius habuerat, de illa coram venerabili fratre nostro....Cantuariensi archiepiscopo, et multis aliis, eum curavit solemniter investire, resignatam præbendam cuidam clerico ejusdem archiepiscopi, habenti alia beneficia, consequenter assignans.

Quo facto, idem R. ne aliquid in præjudicium ejus fieret, super eadem præbenda nostram audientiam appellavit. Verum, quidam clericus, J. nomine, litteras episcopi Bathoniensis super secunda vacatura præbenda se habere proponens, in quibus continebatur, quod super hoc esset idem archiepiscopus exsecutor, contra præfatum R. vocem ad nos appellationis emisit, et W. de Wrotham, Serviens charissimi in Christo filii nostri, J. regis Anglorum illustris, qui hactenus, ut dicitur, tanquam laicus vivere consuevit, ut impediret ipsius R. ad appellationis diffugium convolavit, asserens quod, postquam prædictus W. de Pleiz dictam fuit præbendam adeptus, episcopus Bathoniensis constituit inter eos ut W. de Pleiz, dum viveret, ei de proventibus ejusdem præbendæ quinque marcas impenderet annuatim, et post mortem ejus, W. de Wrotham integre totam præbendam haberet. Cum autem episcopus ipse per.... Vice-archidiaconum loci mandasset præfatum R. in ejusdem præbendæ corporalem possessionem induci, et quædam capella, pertinens ad præbendam, ei per ipsum assignata fuisset, et ad matricem ecclesiam ambo pariter accessissent, ut similiter assignaretur eidem, ibi ex parte dicti W. de Wrotham invenerunt armatos, qui, manibus in eos violenter injectis, ipsos de parochia turpiter ejecerunt, unde Bathoniensis episcopus eos excommunicatos fecit per suam diœcesim publice nuntiari, et præfatam ecclesiam, quam per intrusionem idem W. de Wrotham occupaverat, supposuit interdicto; subsequenter vero, elapso mense, in grave ipsius R. præjudicium prædicta sententia relaxata, præfato W. de Wrotham super ipsa præbenda instrumentum de novo confecit. Quoniam igitur de litteratura et moribus prædicti R. tam ab ipso Bathoniensi episcopo quam archidiacono loci, et a multis aliis prælatis, per litteras eorum audivimus testimonium laudabile perhiberi, qui super præmissis etiam nobis scribere curaverunt, et nimis esset indignum, ut, taliter per fraudem hujusmodi circumventus, cum nullum aliud beneficium habeat, provisionis suæ beneficio fraudaretur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus prædictum R. sicut fratrem, et canonicum vestrum benigne

(445) Vide epistolam libri quinti 90, not.

tractetis, nec permittatis eum, quantum in vobis fuerit, super ipsa præbenda, vel justitiis ad eam pertinentibus, impediri.

Datum Anagniæ, XVIII Kal. Februarii

CCIX (446).

P. TITULI S. MARCELLI PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Gaudet quod Cyprum appulerat pro subsidio terræ sanctæ, et remittit arbitrio suo utrum debeat communicare cum Venetis excommunicatis.*

(Anagniæ, X Kal. Februarii.)

Quod, imperante Domino, ventis et mari facta est te navigante tranquillitas, et is qui B. Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, te post maris transitum in portum deduxit optatum, quod vice nostra confirmasti fratres et episcopos nostros in Cypro, et, correctis quæ inter ipsos fuerant corrigenda, quæ ad divini nominis gloriam, fidei Christianæ profectum, apostolicæ sedis honorem, et salutem illorum noveras expedire, plantasti, et, guerra sedata, quæ apud Acon fuerat inter Pisanos et Januenses exorta, inter eos treugas non sine sollicitudine ac labore nimio statuisti, gaudemus, et ei gratiarum exsolvimus actiones, sine quo neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, et a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, et quis nos etiam, cum deficit virtus nostra, non deserit, dirigit gressus nostros, et actus sibi reddit acceptos. Devotionem quoque tuam in Domino commendamus, utpote qui, nec personæ parcens nec rebus, injunctæ tibi legationis officium studes laudabiliter exercere, ita ut populi per quos transis, videntes opera tua bona, glorificent patrem tuum qui est in cœlis, et in te Romanam ecclesiam humiliter reverentur. Recepimus autem litteras, quas tua nobis devotio destinavit, benignitate qua decuit, et quæ per eas tam super processu exercitus Christiani, quam imperii Constantinopolitani negotio, statu Hierosolymitanæ provinciæ, nuntiis Christianorum ad Saladinum directis, et aliis intimasti, notavimus diligenter. Quia vero dubitas, cum in signatorum subsidium fueris destinatus, si vel exercitus ad partes Hierosolymitanas accesserit, vel tu perveneris ad eumdem, utrum Venetis adhuc in excommunicatione manentibus, communicare valeas, cum eos sine scandalo nequeas evitare, utpote quorum etiam nuntii nuper scandalizati fuerunt, quia communicare ipsis ad te venientibus noluisti, et super hoc consilium nostrum devote requiris, [tibi breviter respondemus, ut ducem et Venetos diligenter moneas et inducas, quatenus pœniteant de commisso, et secundum formam Ecclesiæ absolutionis beneficium consequantur. Quod si forsan in contumacia sua duxerint persistendum, tibi, qui Orientalis provinciæ necessitates, circumstantias negotiorum, et personarum qualitates, tanquam præsens, poteris melius

A intueri, duximus relinquendum, ut sine labe peccati hoc agas quod magis noveris expedire, cum sit etiam cautum in jure, quod, si quisquam per terram hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum transierit communicare in emendis et recipiendis necessariis possit eis, et super participatione patris familias excommunicati familia excusetur, necessitas enim, maxime cum insistitur operi necessario, multum, et in multis excusat.] Cum enim Dominus sicut in Evangelio legisse te novimus, Sabbato per sata transiret, et vellerent discipuli ejus spicas ac manducarent manibus confricantes, et quidam Phariseorum in discipulos : *Quid facitis quod non licet in Sabbatis* (*Luc.* IV?) proclamarent, Jesus eis legitur respondisse : *Nec hoc legistis quod fecit David, cum esuriret ipse, et qui cum eo erant, quomodo introivit in Domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et dedit iis qui cum ipso erant, quos non licebat, nisi tantum sacerdotibus, manducare* ? (*Ibid.*) Et consequenter adjecit: *Et Filius hominis Dominus est etiam Sabbati* (*ibid.*) ; sed et hoc negotium est Filii hominis. Unde, si propter urgentem necessitatem oporteat communicare te Venetis, in quibus sine gravi scandalo, et grandi dispendio illos non poteris evitare, de indulgentia nostra securus, labem peccati propter hoc nullatenus pertimescas. Monemus igitur discretionem tuam, exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus qualenus legationem Christi, qua fungeris, et pro qua quodammodo abnegasti te ipsum, taliter exsequaris, quod et gloriam in præsenti, et in futuro præmium consequaris æternum, nosque ad honerem tuum de die in diem amplius intendere teneamur.

Datum Anagniæ, X Kal. Februarii.

CCX (447)

LITTERA ALEXII IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI.

*Recognoscit Romanum pontificem caput universalis Ecclesiæ, et jurat devotionem.*

Dat. in Urbe regia, VIII Kal. Septemb.

Sanctissimo patri et domno, I. Dei gratia summo pontifici, ALEXIUS, fidelis in Christo imperator, a Deo coronatus, Roman. moderator et semper augustus, reverentiæ filialis devotum obsequium. Quanta mihi fecerit Dominus his diebus secundum misericordiam suam, beatitudini vestræ potissimum credidi explicandum, quæ locum ejus in terris noscitur obtinere, in cujus manibus sunt omnium potestates, et omnium jura regnorum, ac tam Deo et sanctitati vestræ in gratiarum actione devotus, quam merito teneor et in perpetuum tenebor obnoxius. Novit plenius sanctitas vestra, parricidio in fratrem commisso, occupatum diutius, et pollutum imperium, neque ipsum felici exsilio detestabilem evasisse tyrannidem, in quo et mihi cœlitus datum est vestram apostolicam videre personam; sed nec illud vestrum effugit auditum, quod peregrinorum beata societas,

(446) Partem epistolæ hujus exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 24. Quæ apud ipsum leguntur, hac uncis inclusa sunt.

(446) Epistolæ hujus partem exhibet Bzovius, *Annal.* t. XIII, pag. 97, § 1. Integram vulgavit Raynaldus, ad annum 1203, § 17.

crudelitatem abominata sceleris inauditi, amore fraterno, seu potius miseratione paterna, exsilium meum, et causam justissimam quidem, sed apud homines desperatam, tam misericorditer quam viriliter adorsa fuerit sublevare. Et nunc, qualiter in manibus eorum tam mea, quam patris a Domino prosperata sit salus, sublevatum de carcere ejusdem illustris patris mei caput ostendit imperialibus ut decet insignibus decoratum, et restitutum capiti meo cum solemnitate debita imperii diadema, noctu elapso per fugam detestabili parricida, qui fasces imperii inauditæ tyrannidis incubatione polluerat. Hic profecto suspirantem ad nos urbem regiam, sermonibus adeo infecerat venenatis, ut ad subversionem libertatis antiquæ publice latinos assereret adventare, qui apostolatui vestro locum, et gentem restituere laborarent, meque in odium traherent etiam amicorum, cujus occasione, et studio opus tam insperatum Latinitas inchoasset.

Hæc, fateor, causa potissimum ad subsidium nostrum peregrinorum animos inclinavit, quod, promissione spontanea, sub juris jurandi religione, christiana sumus devotione polliciti, totius Christianitatis ecclesiasticum caput, Romanum videlicet pontificem, apostolorum principis Petri catholicum successorem, nos humiliter agnituros, et ad hoc ipsum Orientalem ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis divina miseratio restituisset imperium, intelligentes profecto, quod accedere debeat plurimum honoris, et utilitatis imperio, et nomini nostro decus æternum, si tunica Domini inconsutilis suam nostris temporibus, et operibus recipiat unitatem. Et hoc quidem, ut dictum est, tam peregrinis vestris sub juramento promisimus, quam paternitati vestræ exhibere plenius præoptamus, omnem vobis et successoribus vestris canonice substituendis devotionem per præsentes litteras promittentes, quam antecessores nostri, imperatores catholici, prædecessoribus vestris, Patribus orthodoxis, Romanis pontificibus, antiquitus exhibuisse noscuntur; illud pariter promittentes, quod, opportunitate nobis a Domino præstita salutari, ad idem Orientalem Ecclesiam tam prudenter inclinabimus, quam potenter; super quo prudentiæ vestræ consilio desideramus inniti, ad hæc prædicta inducti præcipue consiliis salutaribus et monitis venerabilium Patrum N. Suessionem. C. Halbestr. et S. Trecen. episcoporum.... abbatis de Luced. et magistri Joannis Novionen.

Datum in Urbe regia, VIII Kal. Septembris.

## CCXI (448)

### LITTERÆ CRUCESIGNATORUM.

*Excidium Jaderæ, et imperii, ab Isaachii occisoribus occupati, restitutio Alexio imperatori, qui promittit reverentiam Ecclesiæ Romanæ.*

INNOC. etc. . . . . . . . . . . . . . .

A . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Quanta fecerit nobis Dominus, imo non nobis sed nomini suo quantam dederit gloriam his diebus, quanta possumus brevitate perstringimus, ipso prænotantes initio, quia ex quo urbem transgressionis exivimus (sic enim Jaderam nominamus, cujus excidium vidimus dolentes quidem, et necessitate compulsi), nihil inter nos ordinatum esse meminimus, quod communiter ad utilitatem pertineret exercitus, quin illud in melius providentia divina mutaverit, sibique totum vindicans stultam fecerit sapientiam nostram. Hinc est, quod eorum quæ facta sunt apud nos gloriosa omnem a nobis gloriam jure repellimus, quippe qui operis adhibuimus parum, consilii nihil. Unde necesse est ut si quis ex B nobis voluerit gloriari, in Domino glorietur, non in se vel in altero. Fœdere igitur Jaderæ confirmato cum illustri Constantinopolitani quondam imperatoris, Isaachii, filio Alexio, cum victualibus omnibus et rebus egentes. Terræ sanctæ videremur gravamen potius illaturi, sicut et alii ex nobis qui nos præcesserant, quam juvamen aliquod allaturi, nec terræ Sarracenorum in tanta egestate nos crederemus applicare potentes, verisimilibus quidem rumoribus et argumentis inducti, quod dicti Alexii suspiraret adventum regiæ pars potior civitatis, et pondus imperii, quem electione concordi cum solemnitate debita imperiali diademate sublimasset, contra consuetum ordinem temporis aura favente, obedientibus Domino ventis et mari, ad urbem regiam præter omnem spem prospere applicuimus, et in brevi. Sed C nec adventavimus improvisi, qui usque ad sexaginta millia equitum, præter pedites, in urbe reperimus. et transilientes loca tutissima, pontes, turres et flumina, sine damno nostrorum, terra et mari obsedimus civitatem, et tyrannum pariter, qui, commisso in fratrem parricidio, fasces imperii diutina incubatione polluerat. Præter igitur omnium opinionem, universorum civium mentes contra nos invenimus obfirmatas, nec aliter contra dominum suum civitatem muris et machinis obseratam, quam si adventasset populus infidelis, qui loca sancta polluere, et religionem proponeret inexorabiliter evellere Christianam. Imperii siquidem crudelissimus incubator, domini sui et fratris, imperatoris, orbator et proditor, quique eumdem carcere perpetuo sine D crimine condemnasset, idem filio ejus illustri facturus Alexio, si non eumdem a manibus ejus felix eripuisset exsilium, præhabita in populo detestabili concione, potentes simul et plebem sermonibus adeo infecerat venenatis, ut ad subversionem libertatis antiquæ Latinos assereret adventare, qui Romano pontifici locum et gentem restituere properarent, et Latinorum legibus imperium subjugare. Hæc profecto res sic omnes contra nos animavit pariter et armavit, ut contra nos et exsulem nostrum viderentur

(448) Epistolam hanc referunt Gesta Innocentii, § 90, sed non absque mendis aliquibus. Patrem eamdemque emendatiorem, exhibet Raynaldus, ad annum 1203, § 15. Integram, omnique vitio purgatam damus ex apographis Vaticano et Conti. Quæ apud Raynaldum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

omnes pariter conjurasse. [Sæpius ergo per nuntios nostros, imo per ipsum exsulem nostrum, et barones nostros a civibus postulantes audiri, nec adventus nostri causam, nec petitionis modum potuimus explicare, sed quoties terra vel mari stantibus in muro sermones obtulimus, toties retulimus tela pro verbis. Considerantes igitur, quod præter spem nostram cuncta contingerent, in eum statum necessitatis impacti, ut statim necesse haberemus aut perire aut vincere, cum obsidionem ipsam nulla ratione in quindecim dies protelare possemus, quos victualium omnium incredibilis urgeret angustia, non ex desperatione quidem sed inspirata quadam securitate divinitus, suspirare cœpimus ad bella, paucissimi (449) periculis nos audacter opponere, et incredibiliter in omnibus obtinere, ad conflictum etiam campestrem sæpius ordinati inæstimabilem multitudinem fuga in urbe ignominiosa conclusimus.

Aptatis igitur interim terra et mari bellicis instrumentis, die obsidionis octavo violenter civitas introitur, grassatur incendium, disponit in campo contra nos acies imperator, et paratis nobis excipere venientem, constantiam nostram cum paucitate miratus, ignominiose frena reflectit, in urbem retrogressus ardentem. Ipsa nocte fugam cum paucis aggreditur, suamque in urbe relinquit uxorem et parvulam prolem. Eadem re comperta, nescientibus nobis, Græcorum proceres in palatio congregantur, et exsulis nostri solemnis celebratur electio, seu potius restitutio declaratur, insperatamque lætitiam copiosa in palatio luminaria protestantur.

Mane facto, prodit in castra copiosa Græcorum procerum multitudo, suumque gaudio quærit electum, restitutam civitati asserit libertatem, et regrediendi filio ad fasces imperii, cum gaudio inæstimabili, sublevatum de carcere caput patris Isaachii, quondam imperatoris, ostendunt. Præordinatis itaque quæ necessaria videbantur, ad ecclesiam Sanctæ Sophiæ novus imperator cum solemni processione deducitur, exsuli nostro sine omni contradictione imperiale restituitur diadema cum plenitudine potestatis. His peractis, ad solutionem promissorum prosilit imperator, et promissa rebus accumulat, victualia servitio Domini profutura nobis omnibus præbet in annum; ducenta marcarum millia nobis solvere pergit, et Venetis sumptibus suis stolium prolongat in annum, seque juramento astringit, quod erigere nobiscum debeat regale vexillum, et in passagio Martii nobiscum ad servitium Domino proficisci, cum quantis poterit millibus armatorum, et sub eadem promissione concludit, quod eam reverentiam præstare debeat Romano pontifici, quam antecessores sui, imperatores catholici, prædecessoribus suis pontificibus pridem impendisse noscuntur, et Ecclesiam Orientalem ad hoc idem pro viribus inclinare, ac toto vitæ suæ tempore, milites quin-
A gentos cum sumptibus suis in terra sancta honorifice provisurum ad servitium Redemptoris.

### CCXII (450).

REGIS UNGARIÆ AD PAPAM.

*Notum ei facit, quod Culinus Banus se firmiter obligaverat, quod si de cætero hæreticos defendere in terra sua præsumpserit, mille marcas argenti, quorum medietatem sedi apostolicæ, alteram vero ejusdem regis fisco, persolvet* (451).

Licet universi qui Christianæ fidei religione censentur, sacrosanctam Romanam Ecclesiam tanquam piam matrem venerari ac plurimum diligere teneantur nos tamen, quos inter devotos filios eadem Ecclesia spiritualibus fovet et amplectitur, ipsius honori et utilitati præ cæteris potius ac devotius pro posse nostro cupimus intendere. Hinc est, quod, cum humilis
B ac fidelis sanctitatis vestræ capellanus, Joannes, ad præsentiam nostram accedens, duos principaliores ex his, qui in terra Culini Bani, prout ferebatur, damnatam hæreticorum sectam fovebant, secum duxisset, nos, inspectis orthodoxæ fidei articulis, quos ad ipsius Joannis exhortationem illi, ad quos missus fuerat, jam susceperant, eadem capitula sub sigillo nostro contenta, domino illius terræ, filio scilicet memorati Culini, qui tunc aqud nos erat dedimus, districte præcipientes, ut ea et alia, si qua Romana sedes eis de cætero secundum Deum transmittere decreverit, ab omnibus in terra sua faciat inviolabiliter observari. Idem etiam, cum hoc juxta voluntatem nostram admisisset, se in manu nostra, ac J. archiepiscopi Colocensis, subsequenter
C obligavit, quod, si de cætero supradictos vel alios homines in hæresi scienter manutenere vel defendere in terra sua præsumpserit, mille marcas argenti persolvet, quarum medietas vobis, altera vero fisco nostro medietas obveniet. Illi præterea duo priores, qui cum præfato capellano vestro Joanne venerunt, tam pro se quam pro fratribus suis, a quibus missi fuerant, in præsentia nostra juraverunt, quod constitutiones, a jam dicto fideli legato vestro promulgatas et sibi traditas, firmiter observabunt in perpetuum.

### CCXIII.

. . . . PRIORISSÆ MONASTERII DE CLARETIS, EJUSQUE SORORIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, MONASTICAM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Recipit eas sub protectione.*

D (Anagniæ, VII Kal. Febr.)

Prudentibus virginibus, etc., *usque* annuimus, et præfatum monasterium de Claretis, in quo divino estis obsequio mancipatæ sub beati Petri, etc. Inprimis si quibus statuentes, etc., *usque* regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio, etc. Præterea, quascunque possessiones, etc., *usque* vocabulis; locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; terras de Boveria cum omnibus pertinentiis

(449) Rayn., et Gest., *promptissimi.*

(450) Epistolam hanc integram jam vulgavit Raynaldus, ad annum 1202, § 8.

(451) Vide epistolam libri quinti 110.

suis a dilecta in Christo filia, nobili muliere; M. Comitissa de Pertico, fundatrice loci ejusdem, vobis concessas, sicut in instrumento ipsius comitissæ plenius continetur. Sane, laborum vestrorum, etc. Ad hæc, liberas et absolutas mulieres, etc. Nulli quoque post factam, etc. Obeunte vero te, etc. Benedictiones vero, etc. Alioquin, etc. Decernimus ergo, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate, etc. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Anagniæ, per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, VII Kal. Februarii, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno 1203, pontificatus vero D. Innocentii PP. III anno sexto.

## CCXIV.

....NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO, ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Gaudet papa de morte regis Sueri, qui regnum usurpaverat multosque bonos relegaverat, et de successione filii, qui eos revocaverat. Demum, increpat valde archiepiscopum, qui absolverat quos absolvere non poterat.*

(Anagniæ, IX Kal. Febr.)

Exultavit cor nostrum in Domino et lætati sumus gaudio magno valde, omnipotenti Deo dignas gratias referentes, quod post nubilum serenum, et post tempestatem tranquillum induxit. Accepimus enim, et accepisse gaudemus, quod, defuncto Suero, qui regnum Norwagiæ usurpaverat violenter, per quem toti terræ imminebat confusio et turbatio generalis, ita quod plures de majoribus et melioribus, præter infinitam stragem quam plurium aliorum, propter hoc ab eo fuerant in exsilium relegati, filius ejus, in regno non in proposito succedens eidem, his qui propter hoc exsulabant ad propria revocatis, ecclesias et ecclesiasticas personas diligit et honorat, terram ipsam et populum in plena pacis tranquillitate gubernans. Porro, non modica sumus admiratione commoti, quod tu, frater archiepiscope, ipsum et complices ejus ab excommunicationis sententia, qua fuerant auctoritate nostra ligati, usurpando quod tuum non erat, nec ad te ullatenus pertinebat, absolvere, temeritate propria minime dubitasti, et ad modum simiæ, quæ simulat actus humanos, simulasti te velle facere quod non poteras, nec de jure debebas, super quo non solum tu incidisse dignosceris in errorem, sed et ipsi, qui, cum ligati amplius teneantur, se falso æstimant absolutos. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus absolutionem illam publice nuntietis irritam, et inanem, et postmodum ab eis juratoria cautione recepta, secundum formam Ecclesiæ, auctoritate nostra, illis absolutionis beneficium impendatis, aliquot ex eis, tam pro se quam pro aliis, cum testimonio litterarum vestrarum ad nostram præsentiam destinantes.

## CCXV.

...LEODIENDI EPISCOPO (452).

*Ut episcopum Trajectensem ad satisfaciendum creditoribus ecclesiæ suæ, sub excommunicationis nec non depositionis pœna, cogat.*

(Anagniæ, II Kal. Februarii.)

Licet super solutione mille ducentarum et quinquaginta marcarum, quas tempore felicis recordationis C. papæ, prædecessoris nostri, dilecti filii, Parentius, Ja. de Tosto, J. Petrinius, et Bellushomo, Romani cives, Alexius Vincecastri, et Garnellotus, mercatores Senenses, et eorum socii, bonæ memoriæ.... Trajectensi episcopo (453), mutuo concesserant.... episcopo Trajectensi (454) qui nunc præest, sæpius miserimus scripta nostra, ac in eum, nisi satisfaceret creditoribus, suspensionis officii et beneficii duxerimus sententiam promulgandam, et tandem, quoniam ad præsentiam nostram proprium nuntium destinavit, ad preces ejus dilationes ad solutionem faciendam concesserimus competentes, ipse tamen debitæ obedientiæ ac devotionis oblitus, nec ad mandatum nostrum, nec ad monitionem venerabilis fratris nostr.... Prænestini episcopi, apostolicæ sedis legati, cui ejusdem negotii exsecutionem commisimus, creditoribus satisfacere procuravit; imo, sicut in ejusdem episcopi litteris perspeximus contineri, creditores ipsi dilationes ad solutionem sæpius concesserunt; sed, licet ipse promiserit pecuniam solvere prætaxatam, de promissione tamen ejus nullum creditores commodum reportarunt; propter quod idem legatus, creditorum compatiens laboribus et expensis, juxta tenorem mandati nostri episcopum ipsum denuntiavit excommunicationis sententiæ subjacere, eidem districte præcipiens, ut usque ad festum Ascensionis Dominicæ, quæ tunc erat futura, nunc præterita, nostro se conspectui præsentaret, qui hæc omnia surdis auribus pertransiens, ut audiamus; nec se pro excommunicato habuit, et nostram adire præsentiam recusavit.

Cum igitur idem episcopus datus in sensum reprobum videatur, et sicut ille qui in profundum vitiorum venerat, jam contemnat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus firmiterque præcipimus, quatenus, nisi præfatus episcopus infra annum post susceptionem præsentium (ita quod per singulos quatuor menses ipsius anni tertia pars apud Iprum antedictis creditoribus, usuris omnino ces-

(452) Leodienses infulas tunc gerebat Hugo II, filius Hugonis, domini de Petraponte et de Wasnadio, ex Agatha Clementia de Rethel, filia Manassis comitis Rethelii, et Beatricis de Namurco. Fratres habuit Mathæum Vasnadii, et Robertum Petrapontis dominos. Hugo, factus episcopus anno 1200, sedit 29 annis, et, licet in primis fuerit solutus, vitam suam correxit, et postea multa bona facta sunt per eum in episcopatu laude digna; et ipse tandem consummatus est fine laudabili. *Alberic. Chronic.* ad an. 1200.

(453) Si agitur hic (prout videtur) de episcopis Ultrajectensibus, erat is Theodoricus, comes Hollandiæ, frater Balduini (qui et ipse fuerat episcopus), defunctus anno 1199. BUCEL. *Germ. sacr.* t. I, part. I, pag. 60.

(454) Theodorico, de quo supra, successit Theodoricus de Are, qui obiit anno 1210. *Id. ibid.*

santibus, persolvatur), satisfecerit de prætaxatæ pecuniæ quantitate, et a prædicto legato nostro ab excommunicationis vinculo, quo tenetur, absolutionis beneficium meruerit obtinere, tu excommunicationem ejus per universam Coloniensem provinciam, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, faciens publice nuntiari, universis de Trajectensi diœcesi tam clericis quam laicis, auctoritate nostra, sub pœna excommunicationis injungas, ut, eidem episcopo sua servitia subtrahentes, nullam ei episcopo debitam exhibeant obedientiam, reverentiam, vel honorem; si vero aliquem de diœcesi sua duxerit ad exhibendum sibi servitium compellendum, tu, nisi post commonitionem tuam infra mensem id curaverit emendare, vel nisi satisfecerit secundum formam superius prælibatam, cum arbor mala eradicanda sit penitus, et ignis usibus applicanda, in eum, servato juris ordine, auctoritate nostra, sublato contradictionis et appellationis obstaculo, depositionis sententiam non differas promulgare, et facias Trajectensi Ecclesiæ per electionem canonicam de persona idonea provideri.

Datum Anagniæ, x Kal. Februarii.

## CCXVI (455).

ARCHIEPISCOPO, DECANO (456), ET ARCHIDIACONO BITURICENSIBUS.

*Dat eis provinciam inquirendi in archiepiscopum Burdegalensem de quo ferebantur turpiora.*

(Anagniæ, v Kal. Februarii.)

Frequenter accepimus, adversus H. (457), archiepiscopum Burdegalensem, clamare terram ipsius, et sulcos ejus cum ipsa deflere, cum adeo perversa in subjectos exerceat, ut contra injustitiam ejus rudes et simplices, quorum animas persequitur et affligit, in murmurationis voces erumpant, et, conquerente multitudine subditorum, tota vicinia cum ipsis perveniat ad lamenta, eum persecutorem sustineant quem debant habere rectorem. Fuit enim nostris auribus intimatum, et replicatum sæpius assertione multorum, quod cum olim a piæ recordationis Clemente papa, prædecessore nostro, propter ingressum, quem dicebatur Simoniacum habuisse, canonica illi fuerit indicta purgatio, non purgatus pastorale præsumpsit regimen exercere. Post obitum insuper inclytæ recordationis R. regis Anglorum, cum gens illius terræ, propter obitum Regis ejusdem, sese receperit ad loca munita, nec quisquam ad consuetos labores et agriculturam etiam exercendum, timendo sibi et rebus, vellet exire, idem archiepiscopus, Marchaderium et Ar. Vasconem, ruptarios, et alios quos humani generis inimicus misit in mundum ad suam iniquitatem explendam, in terram illam induxit, et, convocans totius diœceseos suæ plebem, dixit se pacem sub illis maledictis hominibus velle firmare. Pace igitur simulata, cum homines fecisset de pace securos, et ipsi reversi fuissent ad propria, et, tanquam nullum timentes periculum, seipsos et sua disperserint per domos et agros, præfati ruptarii, colloquio habito cum ipso archiepiscopo, post tertium diem per universam terram suos transmisere cursores, qui, diripientes prædas et homines capientes, spoliantes ecclesias, et subtrahentes de sanctuario Domini pallas, vestes sacerdotales et libros, totam terram paupertati et inopiæ submiserunt, spolia cum ipso archiepiscopo dividentes; eosque cum ipsa præda idem archiepiscopus in castro cujusdam nepotis sui recipiens, ibi per annum et ultra refugium concessit eisdem, unde, ad circumadjacentem populum et remotum etiam exeuntes, terram omnino vastabant, et rapiebant quæ poterant invenire. Nunc etiam, cum personis hujusmodi couversatur, et, cum excommunicati sint, sicut qui crudeliorem, quam illi qui nomen Domini non noverunt, tyrannidem in Christianos exercent, aperte ipsis communicat, et, ut illorum videatur iniquitatibus consentire, proprium eis presbyterum assignavit, qui corpora defunctorum tradit ecclesiasticæ sepulturæ. Super quibus si reprehendatur ab aliquo, auctoritatem a nobis se asserit accepisse, tanquam nos suis faciat servire peccatis, et præbeat nobis in sua iniquitate laborem; quibus etiam hominibus sæcularibus nefaria temeritate dicitur concessisse, ut de quolibet presbytero sive clerico, quem eos contingeret capere, decem solidorum redemptionem haberent; in hoc ecclesiasticam libertatem infringens, et immunitatem enervans, quam universis clericali charactere insignitis consueverunt etiam perfidi conservare.

Præterea, sicut accepimus, in dilectum filium (458)..... abbatem de Clariaco, eo quod in quæstionem ecclesiæ de Molinis cum venerabili fratre nostro..... (459) episcopo Agennensi, auctoritate nostræ delegationis processerat, manus violentas injecit, et eum prius de domo quadam expellens, a quibusdam laicis fecit capi et inhoneste tractari; ad cujus monasterium postmodum rupte, de voluntate ipsius et mandato venerunt, et monasterium ipsum et villam dissipavere penitus, rebus inde omnibus asportatis. Ad abbatiam insuper Sancti Eparchii cum ruptis nuper accedens, equos, animalia, meretrices, et alias personas infames in claustrum, et

(455) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1204, § 68.

(456) De archiepiscopo et decano Bituricensibus, jam dictum est supra.

(457) De archiepiscopo Burdegalensi, Helia I, de Malamorte, jam egimus, ad epistolam libri quinti 96, not. Quæ hic de ipso leguntur, non concinunt his quæ de ipso apud auctores novæ *Galliæ* referuntur.

(458) Abbatem de Clariaco, Arnaldum, ab anno 1187 usque ad annum 1190, mox, immediate, Petrum ab anno 1214 usque ad annum, saltem, 1228, ex instrumentis memorant auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. II, col. 942.

(459) Quis fuerit, tunc temporis, episcopus Agennensis, in dubio relinquunt auctores novæ *Galliæ Christianæ*, *ibid.* col. 912.

alias officinas induxit, et ibi per tres faciens dies morari, villam et monasterium adeo spoliavit, quod post recensum illius nulla ibi fuerunt inventa, unde monachi, et habitatores loci sustentari valerent. Quoddam præterea, sicut accepimus, enorme commisit, quod divino infert injuriam sacramento, quia, eum quamdam intraret ecclesiam, et audiret presbyterum in missarum solemnibus, usque ad hymnum divinæ gloriæ qui præfationi sequitur processisse, presbyterum ipsum a consilio, quod cum divina inceperat majestate, amovere præsumens, officium fecit iterum inchoari. Accepimus etiam, quod inter quosdam conjunctos legitime divortium celebravit, et alii alterius copulavit uxorem, et cuidam, qui propriam uxorem dimiserat, consortium superinductæ concessit, unde quemdam presbyterum in plena synodo verberarat, quem interfuisse conjunctioni acceperat eorumdem. Alia insuper committit enormia, et in ipsis gloriari videtur, quæ nobis reputamus scribere verecundum, cum ad aures omnium, ut asseritur, ea deferat sermo vulgaris, et diffundat sparsim loquacitas histrionum. Quia vero, si vera sunt, hæc non debemus sub dissimulatione transire, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus inquiratis super his, appellatione remota, diligentissime veritatem, et quæ probationes legitimas, aut famam vulgarem, seu notoriam evidentiam, eum claruerit commisisse, vestris nobis litteris fideliter intimetis, ut per vestram inquisitionem instructi, securius in hoc negotio procedamus, præfigentes eidem terminum eompetentem, quo per se ipsum, vel responsalem idoneum, nostro se conspectui repræsentet. Quod si non omnes, etc. Duo vestrnm, etc.

Datum Anagniæ, v Kal. Februarii, anno sexto.

## CCXVII.

ABBATIBUS DE TENALIA (460), ET DE MADIO (461); CANTORI XANCTONENSI.

*Reformationem et ordinationem monasterii Albaterrensis ipsis committit.*

(Anagniæ, v. Kal. Februarii.)

Olim J. de Cella, Albaterrensis abbas (462), tempore bonæ memoriæ C. papæ, prædecessoris nostri, ad apostolicam sedem accendens, ut suam ecclesiam cum consilio . . . . . Burdegalensis archiepiscopi (463), metropolitani sui, de personis ideonis ordinaret, indulgentiam, sicut dicitur, impetravit. Verum, quidam canonici Albaterrensis ecclesiæ, ante regressum abbatis, ipsius abbatiæ proventus residentibus in ea canonicis nulfatenus posse tunc temporis, sicut nec adhuc possunt, sufficere attendentes, ad sedem apostolicam appellarunt, B. de Luco, concanonicum suum, pro appellatione interposita prosequenda ad ipsius prædecessoris nostri præsentiam destinantes; quo apud sedem apostolicam viam universæ carnis ingresso, jam dicti canonici, propter urgentissimam ecclesiæ paupertatem, appellationem suam per alium prosequi nequiverunt. Cæterum, abbas ad suam reversus ecclesiam, præfatum archiepiscopum illuc venire rogavit, qui quosdam de canonicis minis et terroribus, quosdam vero recepta ab eis juratoria cautione, arbitrio suo stare coegit.

Quo facto, ut ipse abbas octo canonicos in eadem Ecclesia ordinaret, et de bonis ipsius, pro expensis quas ad sedem apostolicam veniendo in gravem jacturam ejusdem ecclesiæ fecerat, quingentos solidos acciperet, est ipse archiepiscopus arbitratus: cujus occasione arbitrii, archiepiscopus et abbas, P. Grossum, qui tactis sacrosanctis evangeliis propria voluntate juraret, se nunquam habiturum vel etiam petiturum ecclesiæ Albaterrensis canonicatum, contra voluntatem canonicorum illius, ipsis nolentibus, ac etiam W. ejusdem Petri germanum, qui de furti crimine dicitur infamatus, duos parvulos, Willelmum videlicet Rossinol, cujusdam clerici archiepiscopi prædicti nepotem, W. de Verdellis, consanguineum abbatis ejusdem. H. Cazor, virum fere illitteratum, P. Petitum, interveniente pecunia quam ipse abbas proponitur habuisse, P. de Rossenac, qui, excommunicationis vinculo innodatus, se fecit in presbyterum ordinari, et adhuc, diabolica fraude deceptus, excommunicatus divina celebrare præsumit, et quemdam alium, ignotum eisdem canonicis, canonicare in ipsa ecclesia contra justitiam præsumpserunt; et insuper, idem abbas quingentos solidos, juxta tenorem ipsius arbitri, et trecentos, quos in procurando ipsum archiepiscopum commorantem ibidem se expendisse dicebat, de ipsius ecclesiæ bonis extorsit, in canonicorum grave dispendium et jacturam, nihilominus etiam, eis contradicentibus et invitis, redditus in utilitatem ecclesiæ convertendos suis usibus applicare, et multa præterea damna et gravamina dictis canonicis contra justitiam irrogare præsumens.

Præterea, sæpedictus abbas, H. de Burna, qui, ecclesiæ Albaterrensis canonica in ipsius manibus resignata, et, a populo ejusdem castri expetita licentia et accepta, votum emiserat de suscipiendo in monasterio beatæ Mariæ de Fæsia habitu monachali, in eadem ecclesia juxta ollas carnium in canoni-

(460) Imperfecta nimium, apud auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. II, col. 1122 abbatum de Tenalia series, nullum inter Guillelmum II, anno 1189, et Amelium vel Amelinum, anno 1266, hujus monasterii abbatem memorat.

(461) Idem dicendum est de chronologica serie abbatum monasterii de Madion. Quis ei dederit initium, quove tempore, prorsus sibi ignotum esse eonfitentur auctores doctissimi; nullumque monasterii hujus abbatem ante annum 1231 memorat. *Id. ibid.* col. 1126.

(462) Incognitus prorsus auctoribus novæ *Galliæ Christianæ* hic Albaterrensis abbas. Nullum agnoscunt inter Willelmum anno 1188, et Aimericum anno 1229. *Ibid.*, col. 1488. Monasterium Albaterrense, olim a B. Mauro institutum, nunc est ecclesia collegiata S. Salvatori dicata.

(463) De archiepiscopo Burdegalensi jam dictum est sæpius.

corum scandalo dicitur detinere. Archiepiscopus A quoque præfatus, pro receptione R. de Belundo, clerici sui, qui fere illiteratus esse proponitur, dicens se super hoc ex parte nostra litteras exsecutorias suscepisse, quarum copiam sæpius requisitus facere denegavit; dictos canonicos, excommunicationis in eos sententiam proferendo, et multa eis gravamina irrogando, contra justiam molestare non cessat. Nos autem, cum hæc non possemus sub dissimulatione transire, venerabili fratri nostro, episcopo, et dilectis filiis, L. et Riccard. archidiaconis Petragoricensibus, dedimus in mandatis, ut, convocatis dilectis filiis..... de Borneto (464)..... de Corona (465), et.... de Cancellata (466), Abbatibus, et aliis viris religiosis Deum timentibus, quos noscerent evocandos, ad ecclesiam ipsam accederent, et B inquisita de præmissis, tam per canonicos ejusdem loci quam per alios, veritate, quod invenirent per suas nobis litteras intimarent, ut, per eorum relationem instructi, in ipso negotio securius procedere valeremus. Iidem vero, super his apostolico recepto mandato, accedentes ad locum, et dictos abbates et alios religiosos quos vocandos cognovere vocantes, cum abbates de Corona et de Borneto copiam habere non possent, Castrensi (467) tamen abbate....de Borneto.... de Septemfontibus, prioribus et multis viris prudentibus eisdem astantibus, cum quibusdam canonicis Albaterrensis ecclesiæ, quanto diligentius potuerunt, super institutione, modo instituendi, ac etiam institutis ipsius rei, studuerunt inquirere veritatem, et attestationes receptas scripturæ memoriæ commendantes, eas nobis transmittere curaverunt. C Verum, cum multi, tam clerici quam laici, requisti ut ferrent testimonium veritati, essent in castro Blbaterensi, et vellent accedere, nuntiis ipsius abbatis claudentibus portas castri, exire minime potuerunt. Ipse quoque abbas et H. de Burno se absentarunt pro suæ arbitrio voluntatis. Nos igitur, inquisitione super præmissis diligenter inspecta, quia per eam intelleximus evidenter, quod idem abbas dilectum filium, magistrum B. Albaterrensem canonicum, post appellationem ad nos interpositam, et iter arreptum ab ipso, ecclesia Sancti Jacobi spoliarat, vinum de vineis ejus acceperat, nec permiserat eas postmodum excoli, unde fuerant incultæ dimissæ, restitutionem plenariam ablatorum, et satisfactionem de injuriis et damnis D illatis ei ab ipso abbate decrevimus faciendam. Cum autem canonicarum ipsorum ordinatio supradicta, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, de personis minus idoneis et indignis fraudulenter fuerit celebrata, nec ipsius ecclesiæ ad receptionem eorum suppeterent facilitates, nisi in testes contra ipsos receptos, et processum inquisitionis, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, rationabile aliquid objecerint et probarint, volumus, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, ut ordinationem seu institutionem eorum, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo, penitus irritetis.

De benignitatæ tamen apostolicæ sedis, eidem ecclesiæ ac ipsis providere volentes, concedimus, ut hi, qui fuerint idonei, si tamen Ecclesiæ suppetunt facultates, de novo in Ecclesia recipiuntur eadem, et fraterna charitate tractentur; eos autem, qui superiis temeritate aliqua præsumpserint contraire, per districtionem ecclesiasticam, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, compescendo Cæterum, si præfatus archiepiscopus apostolicas litteras, quas de canonicando in eadem ecclesia R. de Belundo clerico, se recepisse proponit, non duxerit exhibendas, aut tenor earum fuerit legitime comprobatus, ab impetitione ipsius archiepiscopi, auctoritate nostra, eamdem ecclesiam, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo, absolvere non tardetis, et si quid ab ipso hac occasione factum est, irritum denuntietis penitus et inane. Præfatum vero H. de Burno qui canonicam Albaterrensis ecclesiæ dicitur resignasse, ac votum emisisse suscipiendi habitum monachalem, per districtionem cogatis ecclesiasticam, appellatione remota, ut monasterium quod vovit intrare, vel aliud regulare sine dilatione qualibet adeat, ibi regularem habitum suscepturus. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint harum temore tacito a sede apostolica impetratæ. Quod si non omnes, etc. duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, v Kal. Febr. pontificatus nostri anno sexto.

## CCXVIII.

EISDEM.

*Ut abbatem Albaterrensem ad restituendam B. Albaterrensi canonico ecclesiam S. Jacobi compellant.*

(Anagniæ, v Kal. Februarii.)

Ex litteris venerabilis fratris nostri..... episcopi (468) et dilectorum filiorum, L. et R. archidiaconorum Petragoricensium, nostris est auribus intimatum, quod cum ad querelam dilecti filii, magistri B. Albaterrensis canonici, eis dederimus in mandatis, ut...... abbatem Albaterrensem (469).

(464) Anno 1201, Raymundus I erat abbas de Borneto, ex codice, 2670 Biblioth. Colbertinæ, f° 169, c. 2, teste Baluzio.

(465) Vide epistolam libri quinti 96.

(466) Petrus I Raimundi, abbas de Cancedata reperitur ab anno 1199 usque ad annum 1218, quo mortuus est, potius abdicavit. *Gall. Christ.* t. II, col. 1503.

(467) Agitur hic, procul dubio, de abbate monasterii B. M. de Castris, quod ad diœcesin Petrocoriensem pertinet. Vide auctores novæ *Galliæ Christianæ*, t. II, col. 1504. Post Stephanum anno 1179, Petrum, anno incerto, mox R. anno 1223, hujus monasterii abbates memorant.

(468) Raimundus IV *de Chateauneuf*, Petragoricenses infulas gessit ab anno 1197, usque ad annum 1208, quo, ex mandato Innocentii, episcopali dignitate propter excessus suos exutus est. *Gall. Christ.* t. II, col. 1471.

(469) Vide notas ad epistolam superiorem.

auctoritate nostra compellarent ad restitutionem ecclesiæ Sancti Jacobi, et rerum aliarum, quibus idem magister se dicebat fuisse spoliatum injuste, ipsi pro eodem magistro sententiam protulerunt, adjudicantes illam ecclesiam restituendam eidem; cui sententiæ eodem abbate præsumente temere contraire, ipsi judices ipsum abbatem et presbyteros, qui in ipsa ecclesia celebrabant, excommunicationis vinculo astrinxere, contra quam temere venientes in eadem ecclesia divina celebrare præsumunt tanquam jumenta in suo stercore putrescentes. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictam restitutionis sententiam, quam nos eidem magistro per alias litteras decrevimus faciendam, ac sententiam excommunicationis latam in presbyteros.... abbatem, et alios contradictores, sicut rationabiliter est prolata, faciatis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, usque ad satisfactionem idoneam irrefragabiliter observari, eis, si, post excommunicationis sententiæ latam in ipsos constiterit temere celebrasse divina pœnam canonicam, auctoritate nostra suffulti, sublato appellationis obstaculo, infligentes. Testes autem, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, v Kal. Februari, anno sexto.

## CCXIX (470).

ALATRINO EPISCOPO (471).

*De irritando juramento pro satisfactione injuriæ illicite extorto.*

(Anagniæ, III Non. Februarii.)

Quintavallis *vicarius* (472) nostris auribus intimavit, quod *cum olim filiæ suæ cum Giborga et Venetia, filiabus Joannis Bertii, ad verba et etiam verbera devenissent, idem Quintavallis* pro offensa quam filiæ ipsius aliis (473) irrogarunt *satisfacere cupiens de consilio vicinorum mulieribus illis et consanguineis suis præstitit juramentum, ut pro ipsa offensa earum mandato pareret,* quæ *ab ipso juramento recepto* (474) tale illi sub debito juramenti dedere mandatum quod si quando filii, *vel filiæ,* aut uxor illius aliquod factum, aut verbum contumeliosum mulieribus illis objicerent, idem *Quintavallis, et filios suos exhæredaret et filias* (475), et a se propriam removeret uxorem. Quocirca, *fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus, quatenus *inquiras de præmissis diligentius veritatem, et, si rem noveris ita esse,* cum licitum fuerit juramentum, sed mandatum illicitum, prædictis *filiabus Joannis Bertii* ut revocent mandatum illud injungas. Alioquin, *prædictum Quintavallem* (476), ad mandati observationem illius, *auctoritate nostra suffultus,* denunties non teneri.

Datum Anagniæ, III Non. Februarii.

## CCXX.

.... MARTURANENSI EPISCOPO (477), ET..... DE CORATIO (478), ET..... SANCTÆ MARIÆ DE AQUAFORMOSA ABBATIBUS, ET THESAURARIO MARTURANENSI.

*Ut inquirant de permutatione ecclesiæ de Botrono, inter abbatem conventumque Florensem, et archiepiscopum ecclesiamque Cusentinam.*

(Anagniæ, VIII Id. Februarii.)

Significantibus olim dilectis filiis...... abbate et fratribus monasterii Florensis (379), accepimus, quod monasterium ipsum positum in montanis usque adeo est ventis expositum, ut, præ acerbitate et assiduitate frigoris, hiems non solum sibi ver vindicaverit et autumnum, sed in menses æstivos suos terminos dilatarit. Patet etiam locus ipse incursibus malignorum, per hoc non modicum quieti fratrum adversus, et perplurimum contrarius sospitati. Cumque locus quidam, qui Botranus dicitur, et ad ecclesiam pertinet Cusentiam religioni esse idoneus referretur, idem abbas et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut eis super hoc paterna dignaremur sollicitudine providere. Nos igitur, ut flos transiret in botrum, in favorem religionis eorum petitionibus annuentes, venerabili fratri nostro.... archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo, Cusentinis (480), nostris dedimus litteris in mandatis, ut ab abbate ac fratribus ipsis, juxta æstimationem ipsius archiepiscopi, recepto escambio competenti, prædictum locum cum pertinentiis ipsis assignare

(470) Reperitur inter Decretales, lib. III, tit. 24, *De jurejurando*, cap. 23. Varias lectiones damus.

(471) Leander, episcopus Alatrinus, sedebat anno 1200. Decessit circa annum 1222. Ughell. *Ital. sacr. t.* I, col. 329.

(472) Deest hæc vox in Decretal., ut infra *cum olim... Quintavallis.*

(473) Decretal. add. muleribus, et legunt infra quod earum mandato pareret, præstitit juramentum.

(474) Decretal, om. *ab. i. j. r.*, et infra : *vel filiæ.*

(475) Decretal. legunt filias et filios exhæredaret, et omittunt quæ infra cursivo charactere distinximus.

(476) Decretal., *eum.*

(477) Quis fuerit tunc temporis, Marturanensis episcopus, ignoratur. Michaelem, quintum Marturani antistitem, anno 1179, œcumenico Lateranensi concilio interfuisse docet Ughellus : mox, Philippum, sextum ejusdem ecclesiæ præsulem sed anno tantum 1220, memorat. *Ital. sacr.* t. IX, col. 359.

(478) Legendum forsan, *De Curatio.* Ad Maturanensem ecclesiam, anno 1170, pertinebat abbatia S. Mariæ *De Curatio,* ordinis Cisterciensis : ubi eo tempore B. Joachimus abbas fuerat ordinatus, præcipuaque gratia pollebat apud optimum Marturani antistitem, Michaelem, a quo non tam indultum obtinuit, quam assensum in ea privilegia quæ Alexander PP. III ordini Cistercensi concessisset; vid. Ughel. *loc. cit.* Jacet hæc abbatia *Curatii* ad ripas fluvii Crotalis in diœcesi Marturanensi, olim ingens monasterium, et jam ab Ughelli temporibus exiguum, ut reliqua Calabriæ sub Commendarum et Commendatorum gementia onere. Fundatam fuisse ante annum 1060 a Rogerio Marturanensi, constat ex litteris Honorii PP. II. Curatium ordini Cisterciensi incorporatum fuit circa annum 1162. juxta Mauriquez. (*Annal. ord. Cisterc.* tom. II.) Hujus cœnobii primus Cisterciensis abbas memoratur Columbus, cui successit Joachimus, qui evasit primus Florensis abbas.

(479) Vide epistolam hujusce libri sexti 137.

(480) Vide notas ad epistolam supra citatam.

curarent, illud in eos itta libere conferentes, sicut escambium ad ipsos libere deveniret, ut, sicut monasterium Floris ad nos nullo pertinet mediante, sic monasterium quod consurgeret in Botrano ad nos nullo medio pertineret, dilectis quoque filiis.... S. Spiritus, et.... de Coratio abbatibus, et fratri R. de Fotian. dedimus in præceptis, ut ipsi eos ad id monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam compellere non differrent. Cæterum, sicut ex litteris præfati archiepiscopi et dictorum abbatum accepimus, idem archiepiscopus mandatum nostrum executioni demandans, ecclesiam Botrani cum tenimento suo, et nemore, ad utilitatem mensæ suæ, in ejusdem nemoris parte certis finibus designata usu lignorum in perpetuum reservato, assignavit abbati et fratribus memoratis, et recepit ab eis ecclesiam Bottul. cum tenimento suo, et alio tenimento, quod Canale vocatur, et ecclesiam Sancti Martini de Jore cum pertinentiis suis, quam prædecessor ejus cum consensu capituli fratribus eisdem concesserat, et tenimentum in Syla magna, quod multis nominibus nuncupatur, sicut in instrumentis confectis exinde plenius continentur. Ut autem commutationis utilitatem nobis brevius intimaret, constanter asseruit, quod pro terris, quas dedit, meliores et plures in quadruplum, pro uno molendino duo cum fulla una, pro nemore nemus majus et melius, pro vineis vineas meliores et plures ab eis recepit, sed sola tantum tenimenti Sylæ distantia in considerando escambio arbitrium impedivit, cum defectus, qui propter loci remotionem infertur, recompensationis magnitudine suppleatur. Prædicti vero canonici renitentes, dicto escambio assensum minime præbuerunt, asserentes non esse commutationem hujuscemodi competentem, nec opportunam, aut utilem ecclesiæ Cusentinæ, utpote quæ in suis brachiis amputatur, et mutilatur in membris, ut deformis appareat, et omnibus aspicientibus, pateat in derisum. Proposuerunt etiam, quod locus Botroni adeo est utilis, necessarius, et vicinus ecclesiæ Cusentinæ, quod, in his hostilitatis temporibus, in comportandis victualibus, incidendis lignis, et percipiendis aliis usibus Ecclesia non laborat, et illud quod ipsis pro escambio offerunt abbas et monachi memorati, in tantum est a civitate remotum, quod vix per diætam illud potest adiri. Dant etenim partem tenimenti, quod habent in Sylis, a bonæ memoriæ rege Tancredo concessam eisdem cum scandalo Cusentinorum omnium, qui suas consuetudines et usus in Syla habentes, suo se jure privari nullatenus paterentur, asserentes, quod locum, quem dant habitare non posse propter frigus et guerras, non deserunt, sed suis usibus detinent, et intendunt habitacula facere in meditullio diœceseos Cusentinæ, et a loco pristino nolunt aliquatenus separari. Cum, autem propter hoc tam dictus abbas cum quibusdam ex fratribus suis, quam quidam ex canonicis ex parte capituli, ad nostram præsentiam accessissent quæ coram nobis proponere voluerunt, intelleximus diligenter. Nos vero, licet eisdem abbati et fratribus, suæ religionis intuitu, paterna velimus sollicitudine providere, quia tamen pati nolumus, nec debemus ut lædatur enormiter ecclesia Cusentina, attendentes etiam, quod idem archiepiscopus, in favorem religionis, sine speciali mandato nostro, ex ipsa permissione canonica certam partem possessionum suarum conferre valuerit per se ipsum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super præmissis diligentius veritatem, et, si competens est recompensatio, quam recepit archiepiscopus memoratus, aut competens offeratur, ipsa recepta, commutationem prædictam faciatis per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari. Alioquin, cum absque competenti recompensatione, juxta mandati nostri tenorem, fieri non debuerit, eam in irritum revocetis. Quod si non omnes... tres, etc.

Datum Anagniæ, VIII Idus Februarii.

## CCXXI.

ARCHIEPISCOPO (481), ET CANONICIS EBREDUNENSIBUS.

*Ut magistrum P. scriptorem papæ in canonicum et fratrem recipiant.*

(Anagniæ, IV Non. Februarii.)

Cum vobis dedimus in mandatis, ut dilectum filium, magistrum P. scriptorem nostrum, in canonicum receperetis et fratrem, et præbendam, quæ in Ebredunensi ecclesia tunc vacabat, procuratori ejus ob nostram et apostolicæ sedis reverentiam conferretis: cumque vos mandatum nostrum noluissetis implere; verum (*sic*) super hoc ad vos mandatum apostolicum emanavit, dilectis filiis..... Clusin. et....... Boscoldunens. (482) abbatibs, et....... præposito Ultien. exsecutoribus deputatis, per quos etiam irritum mandavimus nuntiari, si quid de præbenda post primi mandati nostri receptionem aliter ageretur. Vos autem proposuistis, in executorum præsentia constituti, quod ex indulgentia sedis apostolicæ certus canonicorum numerus in Ebredunensi ecclesia fuerat institutus; qui, quoniam erat plenus, nec litteræ nostræ faciebant de institutione hujusmodi mentionem, ad ampliandum eum non eratis aliquatenus compellendi. Verum, cum instantia rogavistis, ut significarent nobis per suas litteras veritatem, humiliter promittentes vos eumdem

(481) Archiepiscopales Ebreduni infulas tunc temporis gerebat Guillelmus IV, de Benevento, antea episcopus Diniensis, uti volunt aliqui; ex canonico Forojuliensi, Carthusianum professus est in Carthusia Montisrivi, in qua et priorem egit; inde ad episcopatum raptus, tandem archiepiscopus Ebredunensis eligitur anno 1184 Pervenit ad annum 1208. *Gall. Christ.* t. III, col. 1075.

(482) Legendum videtur *Boscodunensem*. Monasterium Boscodunense tunc regebat W. notus ab anno 1201; cujus temporibus Joannes, de S. Paulo cardinalis, apostolicæ sedis legatus, monasterium illud invisit. Memoratur adhuc anno 1205. *Ibid.* col. 1104.

scriptorem in fratrem et canonicum recepturos, si, prædicta indulgentia non obstante, ipsum recipi mandaremus.

Nobis quoque per vestras litteras intimastis, quod, cum duo ex concanonicis vestris præbendam in eadem ecclesia non haberent, alter eorum præbendam vacantem cum instantia postulabat, addentes quod tres ex vobis præbendas in eadem ecclesia per sedem apostolicam fuerant assecuti. Verum, quia nuntius ejusdem scriptoris proposuit coram nobis, quod præbenda ipsa tandiu jam vacarat, quod ad Nos ejus fuerat donatio devoluta, ne remaneret quod de eodem scriptore incœptum fuerat inexpletum, vobis præcipiendo mandavimus, ut, si præbenda ipsa tandiu vacavisset, ipsam, et stallum in choro et locum in capitulo assignare ipsius nuntio curaretis, super hoc prædictis exsecutoribus exsequendi auctoritatem, et compescendi eos qui resisterent, concedentes. Cæterum, prædicti abbas Boscoldunensis, et. . . . . præpositus Ultiensis, per suas nobis litteras intimarunt, quod cum coexsecutor eorum interesse non posset, Ebredunum ipsi pariter convenerunt, ubi, repetentibus vobis exceptiones prædictas, et proponentibus coram eis, tam super institutione numeri, quam ejus completione et indulgentiæ veritate, fuit eis sufficiens facta fides, in numero tamen ipso quodam episcopo, et nobili viro, R. de Bellojoco, et quodam regulari canonico computatis. Constitit quoque ipsis, sicut per easdem nobis litteras intimarunt, quod dicta præbenda tandiu jam vacarat, quod ad nos ejus erat donatio devoluta. Cum autem exsecutores ipsi deliberare super propositis noluissent, ab eis humiliter postulastis, ut significarent nobis super his omnibus veritatem, quoniam parati eratis ipsum in canonicum et fratrem recipere, si de nostra procederet voluntate, non obstantibus exceptionibus supradictis, licet eas rationabiles crederetis. Quamvis autem, ex eo quod præbenda illa, quam quemdam canonicorum vestrorum petere, qui nondum fuerat præbendam adeptus, per vestras nobis litteras intimastis, sicut exsecutores ipsi nobis significare curarunt, ad donationem nostram fuerat devoluta, et personæ illæ ad excusationem tantam inter canonicos computantur, et quia statutum ab ecclesia vestra numerum post obtentam indulgentiam excessistis, de jure possemus aliter processisse, quia tamen vos mandatis nostris exponitis, et parati estis nostrum beneplacitum adimplere, de nostro vobis meritum comparantes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus eumdem scriptorem nostrum, qui vobis et ecclesiæ vestræ in multis existere poterit fructuosus, in fratrem vestrum et canonicum admittatis, nuntio ejus stallum in choro, et locum in capitulo, et prædictam præbendam, omni dilatione et excusatione cessante, assignetis; ex hoc autem nullum præjudicium vobis contra indulgentiam vestram in posterum volumus generari. Quod si nec nunc etiam quod scribimus curaveritis adimplere, noveritis nos eisdem exsecutoribus per apostolica scripta districte præcipiendo mandasse, ut ipsi mandatum apostolicum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, exsequantur, contradictores, si qui fuerint, aut rebelles, per suspensionis ab officio et beneficio et excommunicationis sententias compescentes. Tanto autem ferremus molestius, si contra mandatum nostrum aliquid ageretis, quanto non tam eidem scriptori nostro quam nobis videremini turpius illusisse, si, cum mandato nostro semel et iterum vos duxeritis exponendos, nunc illud exsequi differretis.

*Illis scriptum est in eodem fere modo, usque* compescentes. Taliter igitur mandatum apostolicum impleatis, ne provisio dicti scriptoris, quæ non absque negligentia vestra dilata videtur hucusque, ulterius differatur, nec nos de cætero super hoc scribere compellamur. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, IV Non. Februarii, pontificatus nostri anno sexto.

## CCXXII.

ARCHIEPISCOPO CUSENTINO (483).

*Ne antiquas Ecclesiæ suæ consuetudines permutet.*

(Anagniæ, Non. Februarii.)

In diversis Ecclesiis diversæ consuetudines observantur, sicut tua discretio non ignorat, quas Romana Ecclesia non respuit vel condemnat, nisi canonicis non obvierit institutis. Sane, dilecti filii, canonici Cusentini, nobis humiliter intimarunt, quod, cum Ecclesia Cusentina sit una de antiquioribus Ecclesia regni Siciliæ, suasque consuetudines sacris canonibus non discordes circa celebrationem divinorum, constitutionem vicariorum, et obsequia clericorum, habuerit ab antiquo, quas prædecessores tui, archiepiscopi Cusentini, litterati et providi, noluerunt aliquatenus immutare, tu, nequaqam prædecessorum tuorum exemplis adhærens, multa proponis de antiquis et approbatis Ecclesiæ tuæ consuetudinibus immutare. Quocirca fraternitatem tuam monemus, consulimus et hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus rationabiles ecclesiæ tuæ consuetudines et antiquas teneas et observes, nec tu ipse eas immutes, nec permittas ab aliis, quantum in te fuerit, immutari.

Datum Anagniæ, Non. Februarii.

## CCXXIII.

DECANO (484) ET CAPITULO EBROICENSI.

*Indulget eis ut si quid contra ipsorum jura in litteris apostolicis impetratum fuerit irritum censeatur.*

(Anagniæ, VIII Id. Februarii.)

Sicut nostro imminet officio providendum, ut quæ

(483) Vide notas ad epistolam hujusce libri sexti 137.

(484) « XVI. Rudulfus *de Cierrey*, anno 1201, in Regesto 31 chartarum thesauri, solo primo apice

in ecclesiis Dei rationabiliter statuuntur, de favore apostolico debitam obtineant firmitatem, ita providere nos convenit, ut ex his, quæ contra rationabilia Ecclesiarum statuta, veritate tacita, impetrantur, nullum ipsis Ecclesiis præjudicium generetur. Ideoque, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ, prædecessoris nostri, præsentium auctoritate statuimus, ut, si contra antiqnas et rationabiles. et auctoritate sedis apostolicæ confirmatas consuetudines Ecclesiæ vestræ, aliquid fuerit, ipsarum consuetudiuum mentione non habita, impetratum in præjudicium juris vestri, viribus careat, nec ullam habeat firmitatem, nisi forte Romanus pontifex aliud ex certa conscientia duxerit ordinandum. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, VIII Idus Februarii, anno sexto.

CCXXIV.

EISDEM.

*Indulgentia similis.*

(Anagniæ. VIII Id. Februarii.)

Cum boni judicis sit lites dirimere, non augere, nos, sicut ad nostrum spectat officium, quæstiones quæ inter ecclesiasticos viros emergunt, libentius volumus sine debito terminari, quam pro defectu testium remaneant indecisæ. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, cum inter vos et episcopum vestrum super consuetudinibus Ecclesiæ vestræ aliqua fuerit exorta contentio, liceat procuratori vestro tres vel quatuor de canonicis ejusdem Ecclesiæ, viros omni exceptione majores, inducere, ad perhibendum testimonium veritati, quibus tanquam legitimis testibus sine dubitatione credatur. Nulli ergo, etc.

Datum, *ut supra.*

CCXXV.

ABBATI DE PERSENIA, H. ARCHIDIACONO, S. DE BAIRO, CANONICO CARNOTENSI.

*Ut pravam consuetudinem in diœcesi Ebroici super parochiales ecclesias aboleri curent.*

(Anagniæ VIII Id. Februarii)

Sicut rationabiles consuetudines et honestas firmitatem volumus omnimodam obtinere, sic ea quæ A in Ecclesia Dei temeritate cujuslibet perperam attentantur volumus et intendimus, prout ad nostrum spectat officium, exstirpare. Dilectis siquidem filiis... Decano (484*) et capitulo Ebroicensibus, significantibus nobis, accipimus, quod in Ebroicensi diœcesi a paucis retro temporibus quædam consuetudo pessima inolevit, ut videlicet, cum aliquam parochialem Ecclesiam vacare contigerit, ac postmodum alicui fuerit canonica collatione donata, venerabilis frater noster.., Ebroicensis episcopus (485), fructus et proventus ipsius Ecclesiæ per totum illum annum post institutionem personæ, cum integritate percipiat; unde contingit aliquando, ut, pro habenda possessione continua et quieta, Personæ fructus Ecclesiarum ultra quam valeant rediB mant ab episcopo memorato, et sibi quærant victum etiam aliunde. Rurales præterea decanatus episcopus idem, ut dicitur, ad firmam vendere non formidat. Cum igitur hæc procul dubio detestabilem sapiant pravitatem, et a domo Domini sit hujusmodi vitium penitus repellendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem episcopo ex parte nostra curetis districtius inhibere, ut attemptare talia non præsumat, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, appellatione remota, districtione canonica compellentes. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

CCXXVI.

ABBATIBUS DE ALNETO (486), DE ARDENA (487), ET DE FONTANETO (488).

C *Mandat eis, ut abbbatem et conventum Sancti Audoeni Rothomagensis a promissionibus beneficiorum contra statuta Lateranen. concilii factis absolvant.*

(Anagniæ, II Non. Februarii).

Sicut statuta sacrorum canonum desideramus ab omnibus illibata servari, sic quæ contra ea præsumptione cujuslibet attentantur volumus firmitate carere, illorum severitate debita punientes excessum, qui, voluntatem vel utilitatem propriam attendentes, vigorem ecclesiasticum non metuunt enervare. Ad audientiam siquidem nostram dilectorum filiorum... abbatis (489) et conventus Sancti Audoeni Rothomagensis, significatione pervenit, quod, oc-

R. notus. testis fuit cum Luca episcopo compositionis factæ inter Joannem, abbatem S. Taurini, et Thomam de Loiis. Reperitur adhuc annis 1207, 1209 et 1219, in variis chartulariis. Fit ultimo hoc anno episcopus. » *Gall. Christ.* tom. XI, col. 621.

(484*) Vide epistolam 223.

(485) Lucas, ex canonico archidiaconus, ex archidiacono decanus, ex decano episcopus anno 1203 ex chronico Uticensi, et confirmatus die 16 Februarii ab apostolica sede, præfuit usque ad annum 1220, 30 Januarii. *Gall. Christ.* t. XI, col. 582.

(486) De abbatibus Alneti, circa hæc tempora, sic apud auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. XI, col. 443.

« III. Joannes I, abbas tertius, quod sedente in honorem B. M. dedicata est ecclesia III Kal. Maii 1190. Sedebat adhuc annis 1200 et 1201.

« IV. Henricus præerat annis 1209 et 1210. Capitulo Bajocensi dedit anno 1211 jus patronatus, decimas et terras ad suum monasterium pertinentes in parochia *de Longivillers.* »

D (437) Robertus II, abbas de Ardena, virginti sex annis summa laude monasterium rexit, et anno 1206 omnium calculo dignus inventus est, quid ad totius ordinis apicem ascenderet. Vita posterior electi spem delusit electorum; luxui, dissolutioni, liberalitati licentius indulgens, loco et dignitate motus est. *Annal. Præmonstrat.* tom. I, col. 190.

(488) Pauca de abbatibus Fontaneti memorant auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. XI, col. 414.

« VI. Robertus II.,. ex abbate Fontaneti, anno 1193 factus est abbas Fontanellensis. VII. Gaufridus II, ex priore Cadomensi fit abbas Fontaneti. VIII. Alexander sedebat anno 1213, etc. »

(489) Gaufridus, abbas S. Audoeni, occurrit in

casione promissionum factarum olim a prædeces- A soribus suis et ipsis contra Lateranense concilium, de beneficiis non vacantibus et pensionibus interim exsolvendis, adeo aggravantur, quod inter hæc et alia guerrarum incommoda constituti, non poterunt exsilibus monasterii redditibus sustentari, nisi eis per sedem apostolicam celeriter succurratur. Cum igitur, ex injuncto nobis apostolatus officio, Ecclesiarum omnium gravaminibus paterna teneamur sollicitudine providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos abbatem et monachos a promissionibus beneficiorum, et pensionum, factis contra statuta prædicti concilii, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, absolventes, non permittatis eos occasione hujusmodi ab aliquibus molestari. Illos vero quos vobis B promissiones ipsas fecisse constiterit pœna non differatis debita castigare. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, II Non. Februarii, anno sexto.

### CCXXVII.

EPISCOPO GEBENNENSI (490).

*Sententia in causa, quæ inter ipsum et abbatem de Siz vertebatur, latas irritat.*

(Anagniæ, VII Id. Februarii).

Cum dilecti filii... abbas de Siz, et Noradinus, procurator tuus, subdiaconus noster, pro quæstionibus quæ vertuntur inter te et eumdem abbatem, ad nostram præsentiam accessissent, nos eis dilectum filium, Hugonem (491), tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem, concessimus auditorem, C in cujus audientia proposuit dictus abbas, quod, cum ecclesia de Semoing a bonæ memoriæ Ar. (492) prædecessore tuo, monasterio de Siz concessa fuisset, eam diu possedisset in pace, tu ipsum eadem ecclesia contra justitiam spoliavisti; super quo cum ad venerabilem fratrem nostrum... episcopum (493), et dilectos filios... præpositum et archidiaconum Augustenses, a nobis litteras impetrasset, et pluries peremptorie fuisses citatus ab eis, nec venisses ad eos, nec misisses idoneum responsalem, tandem, receptis testibus, habito prudentum consilio, causa rei servandæ adjudicaverunt monasterio de Siz possessionem ecclesiæ supradictæ.

Proposuit insuper, quod cum contra te obtinuisset litteras apostolicas ad eosdem episcopum, et D archidiaconum, et.... priorem S. Ursi Augustenses, super eo quod ad tui metropolitani mandatum ei nolueras impendere justitiam de W. (494). Comite Gebennensi, cujus ministeriales de mandato ipsius in abbatem non timuerunt manus injicere violentas, duas equitaturas auferentes eidem, sed comiti communicare viventi, et mortuo exsequias fideliter debitas non dubitaveras exhibere, præfati episcopus et archidiaconus, cum prior S. Ursi ullatenus interesse non posset, et tu, sexties peremptorie citatus ab eis, noluisses per te vel per nuntium in eorum præsentia comparere, tibi ecclesiæ propter hoc interdixerunt ingressum. Præterea, dictus abbas prædictorum, episcopi, præpositi, et archidiaconi Augustensium, litteras nobis exhibuit utramque sententiam continentes, in quibus sigilla tantum episcopi et archidiaconi, et quasdam alias, super restitutione ecclesiæ de Semoing, in quibus eorumdem trium dependebant sigilla. Verum, e contrario tuus asseruit procurator, quod sententia lata contra te super ecclesiam de Semoing debebat irrita judicari, quia fuerat promulgata tum post appellationem ad nos legitime interpositam, pro eo quod locus erat tibi de jure suspectus, cum propter hostilitatem ad eum securus accedere non valeres, tum contra juris ordinem consuetum, pro eo quod lite non contestata testes recepti fuerint et sententia quasi diffinitio dictata, tum etiam tantummodo a duobus, cum tertius in rescripto sententiæ non apposuisset sigillum, licet sub ejus nomine sententia promulgata fuisset, nec ostenderetur quod noluisset, aut nequivisset ipsi negotio interesse. Interdicti quoque sententiam asserebat nullius esse momenti, cum a duobus tantum fuisset judicibus promulgata, nec constaret, quod tertius noluerit vel nequiverit interesse, præsertim, cum instrumentum sententiæ contineret, quod ipsa sententia interdicti lata fuisset ab episcopo, præposito et archidiacono Augustensibus, et in ea causa non præpositus Augustensis, sed prior Sancti Ursi fuisset cum aliis delegatus; unde, quia noluerunt procedere cum quo procedere potuerunt, cum quo procedere voluerunt procedere nequiverunt. Nos igitur, per diligentem relationem cardinalis prædicti, et exhibitionem instrumentorum ipsorum, his et aliis diligenter auditis, et plenius intellectis, utramque sententiam decrevimus irritam, et inanem.

Datum Anagniæ VII Id. Februarii.

### CCXXVIII.

MICHAELI SUBDIACONO.

*Beneficii in ecclesia de Castriis, ipsi ab episcopo Magalonensi, concessi possessionem auctoritate apostolica confirmat.*

(Anagniæ, VII Id. Februarii.)

Solet annuere, etc., *usque* annuentes, beneficium, quod in ecclesia de Castriis per bonæ memoriæ... Magalonensem episcopum (495) ad mandatum aposto

instrumentis mense Februario anni 1191. Ad ipsum scripsit Innocentius anno 1199. (Vid. lib. II, epist. 78.) Exstinctus est anno 1208. *Gall. Christ.* t. XI, col. 147.

(490) Nantellinus, vel Namelmus, ex priore Vallonensi ordinis Carthusiensis, fuit episcopus Gebennensis anno 1185. Sedit annis 20 et 7 mensibus, sublatus e vivis anno 1205 Idib. Februarii. *Gall. Christ. vet.*, tom. II, f. 595, t. n. 56.

(491) Vide epistolam libri tertii 41, not.

(492) Arducius de Foucigny, de quo vide *Gall. Christ. vet.* ibid.

(493) Vide epist. hujusce libri sexti 176, not.

(494) Willelmus, comes Gebennensis, filius Amati. Vide Spon. *Histor. Gebenn.* tom. I, pag, 46, not.

(495) Vide epistolam libri tertii 34. not.

licum es adeptus, sicut illud juste possides et quiete, auctoritate, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, VII Id Februarii.

CCXXIX (496).

ALEXIO, IMPERATORI CONSTANTINOPOLITANO.

*Epistola responsiva* (497).

(Anagniæ.)

Recipimus litteras, quas nobis imperialis excellentia destinavit, affectione paterna, et quæ significavit per eas notavimus diligenter. Gaudemus autem in Domino, et ei qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud, gratiarum exsolvimus actiones, quod pium tibi propitius inspiravit affectum, ut desiderares ecclesiasticam unitatem, et ut membrum ad caput et filia revertatur ad matrem, et Constantinopolitana Ecclesia, quæ apostolicæ sedi multo tempore devotionis debitum denegavit, reverentiam ei, obedientiam et honorem exhibeat affectares, sicut etiam, adhuc exsul cum esses, in nostra præsentia constitutus asserebas te totis visceribus affectare. Ut autem desiderium tuum plenius demonstrares, et ad id populos tibi subditos exemplo induceres melius quam sermone, semel exsul, et iterum sublimatus, juramento firmasti, te omnem devotionem nobis, et nostris successoribus impensurum, quam antecessores tui, imperatores catholici, prædecessoribus nostris, patribus orthodoxis, Romanis pontificibus, noscuntur antiquitus impendisse: promisso pariter quod, opportunitate concessa, orientalem Ecclesiam ad id prudenter inclinabis pariter et potenter, sicut per imperiales nobis litteras intimasti. Sane, si dictis facta compenses, et quod polliceris verbis operibus exsequeris Deum tibi reddes propitium, quem in honorificentia suæ sponsæ probaris honorare, ac præter id quod ipse imperium tuum solidabit in pace, apostolica sedes illud studebit efficaciter roborare. Cum enim per Latinorum auxilium post divinum sis imperio restitutus, debes non immerito Romanam ecclesiam honorare, cujus filii tibi taliter astiterunt, et quæ post Deum, tibi et Constantinopolitano imperio præcipue poterit necessarium patrocinium impartiri.] Hoc autem dicimus, non ut ambitiose dominium affectemus, sed ut officiose ministerium impendamus. ejus exemplo, qui non venit ministrari, sed ministrare, nec ut dominemur in clero, sed forma gregis efficiamur ex animo; quia, principes gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent inter eos benefici nuncupantur; inter discipulos autem Christi non sic, sed qui major est inter eos omnium servus existit, et qui præcessor tanquam sit ministrator. [Monemus igitur imperialem celsitudinem, et hortamur in Domino, quatenus sic in apostolicæ sedis devotione consistas, sic efficias quod jurasti, ne forte quæ de

A tuis labiis processerunt irrita facere videaris, sed verax appareas in promisso, et in juramenti fidelis. Siquidem, si in timore Domini et apostolicæ sedis reverentia imperium tuum fuerit roboratum, non vacillabit, sicut hactenus vacillavit, sed in illius petræ soliditate fundatum, a qua princeps apostolorum dictus est Petrus, et de qua inquit Apostolus: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X), perpetua firmitate consistet, nec ventorum flatus, nec fluminis impetus, nec pluviarum formidabit incursus. Alioquin, ne vano decipiaris errore, scire te volumus, quod non solum inimicorum tuorum rebellionem non poteris subjugare, sed ante ipsorum faciem non subsistes.

Datum Anagniæ,] .. anno sexto.

B CCXXX (498).

NOBILIBUS VIRIS, B. MARCHIONI MONTIS FERRATI, ET B. FLANDRIÆ, L. BLESENSI, ET H, SANCTI PAULI, COMITIBUS, ET ALIIS BARONIBUS, ET MILITIBUS CRUCESIGNATIS: SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Super promissione imperatoris Constantinopolitani, et quod debeat jurare obedientiam et reverentiam Romanæ Ecclesiæ, et patriarcha sumere pallium de corpore S. Petri.*

(Anagniæ, *ut supra.*)

Quia veremur vos iterato excommunicationis esse labe pollutos, et utinam non incurreretis fidei læsionem, ideo ad cautelam vobis *spiritum sanioris consilii* loco salutationis et benedictionis optamus. Licet enim, sicut ex litteris vestris accepimus, apud charissimum in Christo filium nostrum, Alexium,
C Constantinopolitanum imperatorem illustrem, institeritis, et obtinueritis ab eodem, ut juramento firmaret se omnem devotionem nobis et successoribus nostris substituendis canonice impensurum, etc., *ut in præcedenti, usque* potenter. Valde tamen præsumitur a quibusdam quod id potius ad excusationem vestram feceritis, ut per hoc vestrum velaretis excessum, quam ut ad matrem filia, membrum ad caput, et pars redire ad corpus. Verum, quia opera testimonium perhibent veritati, qua id intentione feceritis melius effectus subsequens demonstrabit, si videlicet imperator ipse se juramentum hujusmodi præstitisse per litteras confiteatur apertas, quas nobis dirigat in testimonium reservandas, si apud patriarcham efficiat, ut per solemnes nuntios
D Ecclesiæ Romanæ primatum et magisterium recognoscat, et reverentiam nobis et obedientiam repromittat, et pallium de corpore B. Petri sumptum, sine quo patriarchale officium exercere rite non potest, ab apostolica sede requirat. Quod si forsan hoc devotionis primordium circa suæ promotionis initia denegarit, et noluerit quod scribimus adimplere, nec oculus vester simplex fuisse videbitur, nec intentio ejus pura; imo primæ trangressioni, quam apud Jaderam incurritis, videbimini addidisse

(496) Epistolam hanc, fere integram, exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 1. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(497) Vide epistolam hujusce libri sexti 210.

(498) Partem epistolæ hujus vulgavit Raynaldus, ad annum 1204, § 2. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

secundum, dum arma, quæ in hostes crucis credebamini assumpsisse, in Christianorum excidium iterum convertistis], nisi forsan ad extenuandam culpam et pœnam, ex zelo quem circa matrem vestram Ecclesiam Romanam habetis, cui fuerant indevoti, quod de Græcorum inchoastis Ecclesia studueritis consummare. Istud igitur erit et verum devotionis ejusdem imperatoris indicium, et vestræ simplicitatis evidens argumentum. Cæterum, licet optemus, ut, per studium et sollicitudinem vestram, ad devotionem et reverentiam apostolicæ sedis Constantinopolitana Ecclesia revertatur, quia tamen ad subsidium terræ sanctæ propensius aspiramus, ne succursus ejus dilatus hactenus diutius differatur, monemus universitatem vestram et exhortamur in Domino, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, reconciliati ecclesiasticæ unitati, peccatorum vestrorum maculas pœnitentiæ lacrymis expietis, ut a criminum labe purgati, bellum Domini possitis, juxta primum mentis vestræ propositum, in puritate cordis et corporis laudabiliter præliari. Ad recuperationem igitur terræ sanctæ totis viribus insistatis, quoniam id erit vobis potissimum et apud Deum meritorium, et apud homines gloriosum. Nos autem, quod ipsi terrræ viderimus expedire, studebimus, dante Domino, efficaciter procurare.

Datum Anagniæ, *ut supra.*

## CCXXXI (499).

EPISCOPIS SUESSIONENSI ET TRECENSI (500).

*De eodem argumento ac in epistola.*

(Datum, *ut supra.*)

De mentis vestræ sinceritate confisi, et devotionis puritate sperantes, pro certo tenemus, quod ad honorem apostolicæ sedis intenditis et profectum, et exaltationem ejus tanquam propriam affectatis, unde nullatenus dubitamus quin, inter pia desideria vestra, desideretis ardenter ut Græcorum Ecclesia redeat ad Romanam, et membrum ad caput, et ad matrem filia revertatur, fiatque unum ovile et unus pastor, nec sit distinctio de cætero inter Latinos et Græcos, sed tam in fide catholica quam in unitate ecclesiastica uniantur. Verum, quantumcunque ad hoc crucesignati se asserant laborasse, videtur tamen aliquibus, quod potius in excusationem suam quam ob devotionem Ecclesiæ fecerint quod fecerunt, ne in eos videlicet propter secundam transgressionem, sicut propter primam moti fuimus, moveremur. Nam, si oculum simplicem habuissent, et laborassent principaliter pro ecclesiastica unitate, tam devote quam efficaciter procurassent, ut imperator nuntios suos ad nos cum petentibus litteris transmisisset, in quibus se confiteretur, sicut jurasse dicitur, juravisse ; fecissent etiam ut patriarcha per nuntios et apices suos apostolicæ sedis magisterium recognosceret et primatum ; et, tam et quam nobis et successoribus nostris reverentiam et obedientiam repromittens, a nobis pallium sumptum de beati Petri corpore postularet, sine quo nec ipse nec alius rite potest patriarchale officium exercere. Monemus igitur fraternitatem vestram et exhortamur attente, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, ut quod minus est actum hactenus suppleatur efficaciter laboretis ; nisi enim præsentibus vobis fiat (501).... de facili juramentum vel promissio imperatoris effectum debitum sortietur, et vos secundæ transgressioni sicut et primæ videbimini consensisse.

Datum Anagniæ...... anno sexto.

## CCXXXII (502).

EISDEM.

*Ut crucesignatos ad pœnitentiam inducant.*

(Datum, *ut supra.*)

Cum olim tu, frater Suessionensis, et dilectus filius magister Jo... Noviomensis (503), cum quibusdam aliis ex parte crucesignatorum, ad sedem apostolicam venissetis, quam difficiles in vestra receptione fuerimus, et quam moleste tulerimus quod apud Juderam exercitus attentaret, te credimus meminisse. Quia enim contra prohibitionem apostolicæ sedis venire præsumpserant, quæ per suas litteras nuntiarat, omnes illos excommunicationis vinculo innodatos, et indulgentiæ quam apostolica sedes crucesignatis indulsit immunes, qui terras Christianorum invadere vel lædere attentarent, nisi vel ipsi eorum iter nequiter impedirent, vel alia justa vel necessaria causa forsan ocurreret, propter quam aliud agere, accedente consilio apostolicæ sedis legati, valerent, excommunicationis sententiam incurrerant ipso facto, nosque postmodum absolutionem illam nuntiavimus nullam esse; quam a nobis se accepisse credebant, cum sententiam apostolicæ sedis præter auctoritatem ipsius nullus possit penitus relaxare. Volentes autem eis in hujus necessitatis articulo subvenire, dilecto filio nostro, P..... tituli Sancti Marcelli presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, dedimus in mandatis, ut per se vel alium virum discretum, recepta juratoria cautione ab his qui nondum juraverant nostris stare mandatis, et confessione illorum qui jurarent audita, quod recognoscerent scilicet se aliter juravisse, absolutionis eis beneficium exhiberet. Inter cætera vero, quæ sub debito juramenti mandati præcepimus absolutis, hoc nos meminimus expressisse, ut, cætero a similibus penitus abstinentes, terras Christianorum, nisi ex prædictis causis et sub conditione præmissa, invadere vel lædere non auderent. Postmodum vero. cum comites et barones per suas nobis litteras in-

(499) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1202. §4. Vide etiam Bzovium. *Annal.* t. XIII, pag. 101, § 4.

(500) De episcopis Suessionensi et Trecensi jam egimus sæpius.

(501) Sic in apographis Vaticano et Conti.

(502) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 4.

(503) De episcopo Suessionensi, et J. Noviomensi, jam egimus supra.

timassent, quod juxta mandatum nostrum absolutionis fuerant beneficium assecuti, et quod universi et duo barones ad satisfaciendum juxta mandatum nostrum, super eo quod apud Jaderam sententiam excommunicationis incurrerant, per patentes litteras se ac suos obligaverant successores, in litteris quas ipsis remisimus, notavimus hoc expresse, ut nullus eorum sibi tenere blandiretur, quod terram Græcorum occupare sibi vel prædari liceret, tanquam minus apostolicæ sedi devotam, et quod imperator Constantinopolitanus, deposito fratre suo et etiam excæcato, imperium usurparat, cum eorum non esset de ipsorum judicare delictis, nec ad hoc crucis signaculum assumpsissent, inhibitionem quoque præmissàm, quæ ipsis sub interminatione anathematis facta erat, eos mandavimus memoriter retinere. Licet igitur optaremus, ut per studium et sollicitudinem eorumdem Constantinopolitana Ecclesia ad devotionem Ecclesiæ Romanæ rediret, quia tamen eos circumvenire nec volumus nec debemus, veremur eos denuo excommunicationis sententiam incurrisse, multisque videtur, quod a reatu perjurii nullatenus sint immunes, quod contra id venire præsumpserint, quod eis probibitum fuerat sub debito juramenti. Quia vero ipsorum salutis sollicitudinem gerimus pastoralem, monemus fraternitatem vestram, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus instetis monitis et exhortationibus apud eos, ut per legatos nostros, vel eorum alterum, vel alium virum discretum, quem uterque vel aliter eorum ad hoc duxerit delegangandum, absolutionis beneficium devote quæsitum percipere in vera cordis contritione procurent, et sic reconciliati ecclesiasticæ unitati, et sic purgati a labe criminum, in obsequium Jesu Christi procedant, cui aliter, sicut credimus, non placerent. Vos quoque, si consentiendo eorum actibus excommunicationis maculam incurristis, simili modo vos faciatis absolvi. Quamvis autem, ut veritas eos liberet, noluerimus supprimere veritatem, vos tamen, ut alienis, et maxime Græcis, sua verenda non detegant, sollicite procuretis, ne forte scintilla devotionis, quæ in ipso imperatore videtur accensa, in jacturam, non tam nostram quam suam, possit exstingui.

Datum Anagniæ.... anno sexto.

## CCXXXIII.

ABBATI (504) ET CONVENTUI DE ALBAMARLA.

*Privilegium.*

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Ecclesias de plaga, et de Flames, quas de concessione diœcesanorum episcoporum cum earumdem patronorum assensu in usus proprios convertistis, sicut eas juste, etc. Nulli ergo, etc.

## CCXXXIV.

CONVENTUI SANCTÆ EUPHEMIÆ.

*Ut Joannem, capellanum PP. in abbatem recipiant.*

(Anagniæ, Non. Februarii.)

Cum filii dissidentes, patre viam universæ carnis ingresso, non lenirent dolorem matris, sicut debuerant, sed augerent, ejus tunicam rumpere molientes, quia non erat eis cor unum et anima una, non potuerunt habitare fratres in unum, imo varia sibi tabernacula, quantum in eis fuerat, fabricantes, et devidentes ovile, pastores sibi varios nominarunt, homines secundum cor suum suis capitibus imponentes, nec curantes, si forsan in duos matris divideretur affectus, ut esset una duorum, dummodo quilibet vel modicum quid de hæreditate matris acciperet, et juxta suæ voluntatis arbitrium non communem conventui, sed sibi et parti suæ potius patrem eligerent specialem. Sic igitur, facientibus vobis, est factum, ut, dum quilibet vestrum non quæ Jesu Christi fuerant, sed sua potius, quæreret, et non communem matris utilitatem, sed propria commoda procuraret, mater vestra viduata pastore viduitatis opprobrium diutius sustineret: et, quoniam trahebatur in partes, et diversis cogebatur amatoribus deservire, cogeretur tandem ad nos suam quærimoniam destinare, cum inter nominatos a vobis contentio fieret, uter esset potior, et deberet potius obtinere. Licet autem, post commissiones quam plures a nobis sub certa forma, sicut plene novistis, obtentas, nominatio fuerit utraque cassata, quidam tamen vestrum hominem, qui vestris non conveniebat actibus; utpote professionis alterius, videlicet dilectum filium . . . . abbatem Curacii (505), sibi præsumpserunt eligere in abbatem.

Cæterum, quamvis abbatem ipsum virum religiosum esse noverimus et instructum, in spiritualibus et in temporalibus circumspectum, quia tamen Cisterciensis ordinis monachi, etsi Regulam beati Benedicti sequantur, habent tamen propria instituta, et a vobis tam habitu quam ritu differunt in quibusdam, scientes quod non bene aratur in bove et asino, nec induenda est vestis ex lana linoque contexta, et, juxta sententiam ethnici:

*Non bene inæquales veniunt ad aratra juvenci.*

(OVID.)

Electionem hujusmodi non duximus approbandam. Ne autem Ecclesia vestra diutius ex vestra dissentione vacaret, et vidua in filiorum etiam dispendium remaneret, de tribu, et cognatione sua virum ei duximus providendum, qui tanto majoris ei dilectionis exhiberet affectum, et illius in se necessitates susciperet, et roboraret infirma, quanto ad id amplius ratione duplici tenetur. Dilectum itaque filium, J. quondam capellanum nostrum, virum re-

(504) Robertus, Albæmarlæ abbas in Normannia, sedis dicitur annis 1190 et 1204; occurrit in instrumentis anno 1198, mense Junio. *Gall. Christ.* t. XI, col. 276. Sed fortasse bic agitur de abbatia S. Martini Albæmarlæ in Anglia, de qua quædam referuntur in *Monastico Anglicano*, t. III, p. 152.

(505) Vide epistolam hujusce libri sexti, 220 not.

ligione conspicuum et scientia commendandum in monasterio Cavensi et in capellania nostra probatum nobis, et fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, de gremio apostolicæ sedis accepimus, ejus filiæ, videlicet ecclesiæ vestræ in virum concessimus, et vobis in patrem præfecimus et abbatem, sperantes, quod per industriam et sollicitudinem ejus in spiritualibus et temporalibus monasterium vestrum, dante Domino, suscipiet incrementum. Monemus igitur universitatem vestram, et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus abbatem ipsum ad gerendam ipsius monasterii sollicitudinem cum gratiæ nostræ plenitudine venientem, sicut patrem et pastorem recipiatis hilariter, et benigne tractetis, salubria monita et statuta ipsius suscepturi, humiliter et inviolabiter servaturi, ut cum in vobis filialis affectus fuerit devotionem expertus, paternæ dilectionis gratiam vobis impendere teneatur, non tanquam in clero dominans, sed factus potius ex animo forma gregis. Alioquin, sententiam quam regulariter tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari.

Datum Anagniæ, Nonis Februarii.

*Scriptum est* clero et populo juridictioni monasterii Sanctæ Euphemiæ subjectis, *in eumdem fere modum, usque* tractetis; ei de cætero sicut prædecessori ejus hactenus intendentes, et assistentes eidem in negotiis monasterii procurandis, cui etiam juramentum fidelitatis secundum vestram, et progenitorum vestrorum consuetudinem, cum a vobis exactum fuerit, impendere non tardetis; si quid contra fidelitatem eidem monasterio debitam juravistis, illud tanquam illicitum nullatenus observantes; mandatum apostolicum taliter impleturi, quod idem abbas vos, sicut speciales ecclesiæ filios, diligere debeat et fovere. Alioquin, etc., *ut supra*.

Datum Anagniæ, VII Id. Februarii.

### CCXXXV (506).

#### .... ILLUSTRI REGI ARRAGONUM.

*Legationem in Hispaniam in aliud tempus differt.*

(Anagniæ, XVI Kal. Martii.)

Divinæ legis injuria, et zelus domus Domini cor regium tetigisse videtur, cum ad eorum aspiras suspiria et interitum ardenter intendis, qui filios Israel graviter persequuntur, et de terra vellent Christi nominis memoriam abolere. Consideras etenim, quod ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, materialem gladium accepisti, et ideo niteris, ne illum accepisse in vacuum videaris, terram illam de manibus eorum eripere, quam olim Christianissimi reges et Catholici principes effusione proprii sanguinis compararunt. Quia vero ad id insufficientem te reputas, nisi aliorum regum auxilio fulciaris, sitque vobis cor unum, et anima una, et faciatis vindictam in nationibus, et ultiones in populis, qui nobiscum non congregant, sed locum nostrum et gentem tollere moliuntur, quia ipsi super hoc tecum non sentiunt, imo longe alia mens est eis, ita, ut quidam eorum hostes crucis fovere in malum sibimetipsis retinere videantur, postulabas a nobis, ut propter hoc legatum nostrum in Hispaniam mitteremus, qui corda regum ipsorum ad te converteret, et te ipsis fortius couniret, fieretque societas vestra, quasi civitas firma, dum fratres se invicem adjuvarent, nec de facili funiculus multiplex rumperetur. Nos autem, jampridem, cum primo videlicet super hoc tuum nobis intimasti propositum (attendentes, quod, diei superexcrescente malitia, multorum charitas refrigescit, cum non sit qui faciat bonum, vix etiam usque ad unum et reges Hispaniarum in quibusdam non solum diversa sapiant, sed adversa, nec pax pectoris vigeat inter eos, sed pax potius peccatoris), tibi tunc duximus consulendum, ut hoc tempore contra Christianos (507) fortius excitares; nunc quoque tanto fortius in proposito nostro persistimus, et priori consilio, quod adhuc salubre credimus, adhæremus, quanto pars hostilis videtur ex eo amplius roborata, quod rex Marrochitanus de rege Majoricarum, sicut accepimus, triumphavit. et conjunctis duobus regnis in unum, cum potentia malitia ejusdem Marrochitani regis excrevit; unde, ad præsens, ex causa prædicta, legatum in Hispaniam, non proponimus destinare. Monemus igitur serenitatem regiam, et exhortamur in Domino quatenus, Deum habens præ oculis, adolescentiam tuam ei studeas dedicare, sicque ipsi studiose deservias, ut a temporalis regni solio ad regnum pervenias sempiternum.

Datum Anagniæ, XVI Kal. Martii.

### CCXXXVI (508).

#### ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

*Reddit rationes cur alias nimis dure scripserit, et eum consolatur* (509).

(Anagniæ, XVI Kal. Martii).

Licet epistola, quam pro venerabili fratre nostro .....Antissiodorensi episco, contra nobilem virum . . . . . comitem Antissiodorensem, tuæ fraternitati direximus, gravis fuerit, et, quasi penetrabilior omni gladio ancipiti, tuum animum penetrarit, ita quod ipsa recepta, quodammodo animam tuam tuæ vitæ tæderet, upote quæ multum amaritudinis et nihil dulcedinis continebat, plus aloes quam mellis habens, imo, nescia prorsus mellis, quod ad sacrificium lex Mosaica non admittit, salem solummodo, quod apponitur in omni sacrificio, sapiebat; non tamen nos pœnitet sic scripsisse; sed ad horam te

(506) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1204, § 74.

(507) Sic in apogr.

(508) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1104, § 57.

(509) De argumento, vide epistolas hujus libri sexti 149, 150, 151, 152.

contristasse gaudemus, non quia contristatus es tantum, sed quia contristatus es ad pœnitentiam, vel quod non minus cupimus, ad cautelam. Quamvis autem causas, propter quas tibi tam dure scripserimus, supprimere melius crederemus, quam aliquas exprimere rationes, ne tamen abundantiori absorbearis tristitia, et consolari nolens, si quos quæris non invenias consolantes, penitus confundaris et cogaris abire retrorsum, et manum ab aratro revocare, quare te sic exasperandum duxerimus, præsentibus explicamus. Sane, cum idem comes nobilis sit et potens, imo de potentioribus et nobilioribus regni Francorum existat, non ad confusionem tuam, sed ad provisionem sic scripsimus, ut severitatem, quam in eum postmodum auctoritate apostolica exerceres, litterarum nostrarum asperitas excusaret, et ejus consanguinei et amici, non tibi sed nobis, si quid faceres imputarent. Præterea, cum plurimi prælatorum, quod dolentes referimus, non solum, ut legitur, prohibeant a sanguine manus suas, sed, velut lingua eorum adhæserit faucibus, facti sunt sicut canes muti non valentes latrare, illos in te ac per te fortius excitare voluimus ad faciendam vindictam in nationibus et increpationes in populo, ad annuntiandam impietatem suam impiis et scelera sceleratis, ad exerendum Petri gladium, quem rubigo consumpserat apud eos, ad vindictam malefactorum lau.. ..vo .... bo..... (510) et ab opus Dei non negligenter sed diligenter potius peragendum, ne vituperaretur ministerium nostrum in eis, si non punirent de cætero, sed palparent vitæ subditorum, et esset apud eos acceptio personarum; quia, cum notum sit universo regno Francorum, quod inter fratres et coepiscopos nostros te speciali quadam dilectione complectimur, et tuum amplius zelamur honorem, per prædictam epistolam negligentiam increpavimus aliorum, intelligentium per se ipsos, quod, si tibi non parcimus, nec eis in casu simili parceremus. Nam, qui naturalibus ramis olivæ non parcit, quomodo parceret oleastri surculis adoptivis? Insuper, cum novi languores novas exigant medicinas, et inauditum sit hactenus, ut aliquis ita dure contra stimulum calcitraret, et sic persecutus fuerit ecclesiasticam disciplinam, ut, quia diœcesanus episcopus, exigentibus culpis ejus, terram ipsius subjecerat interdicto, et decedentibus in eadem ecclesiasticam inhibuerit sepulturam, cameram ejus in cœmeterium verteret, et in ea mortuorum corpora sepeliret, cum prompti essemus, et vellemus te similiter esse promptum, tantam præsumptionem ulcisci, et in præsumptorem severitatem ecclesiasticam severius exercere, in te dure reprehendimus negligentiam præcedentem, ne mandatum nostrum negligeres adimplere. Habet enim redarguentis sermo plus energiæ quam monentis, et ad parendum movet amplius auditorem, quia ea quæ velut placato animo protulit monitor, ab extremis labiis videntur *exputata* (511), redargutor vero ea abundantia cordis verbum eructare creditur, ut irascens. Quia ergo tum pravis initiis fortiter fuerat obviandum, ne quid in eum remissius ageres, te non remisse monendum, sed aspere duximus increpandum. Nam, etsi poeticum sit, est tamen quasi propheticum et morale, quod legitur in Poeta:

*Principiis obsta, sero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras.*
OVID.

Esset autem eidem comiti, propter immanitatem sceleris perpetrati, præter alia injungendum, ut cadaver, quod in cameram episcopi fecit tumulandum inferri, propriis humeris asportaret, quatenus, sicut excessus ejus est notus, sic pœnitentia notaretur, ne facilitas veniæ cuiquam incentivum tribueret delinquendi. Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur attente, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus non decidat vultus tuus, nec de nostra dilectione diffidas, de qua tanto confidere magis debes, quanto severius te duximus arguendum, cum noveris esse scriptum: *Pater filium quem diligit corripit* (*Prov.* III), etc. *Qui parcit virgæ filium suum odit* (*Prov.* XIII); nam et Deus quos amat arguit et castigat. Noveris igitur, quod, quantumcunque verba ipsa tibi aspera videantur, non tamen ex indignationis amaritudine, sed de rectitudinis zelo correctio tam dura processit. Volumus etiam, et mandamus, ut, si quem rancorem adversus eumdem episcopum concepisti, deponas, pro quo veritati testimonium perhibemus, quod litteras a nobis sub hac forma non petiit, sed de comite nobis tantum lacrymabilem querimoniam destinavit. Cæterum, non possumus non mirari, quod verbum quoddam, quod in litteris quas tibi direximus habebatur, quidam charissimo in Christo filio nostro, .... illustri regi Francorum, non exponere sed pervertere præsumpserint; tanquam nos haberemus eumdem super hæreticorum defensione suspectum, quos scimus ipsum potius impugnare. Verum, cum non solum a malo, sed ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinendum, ne vel inimici etiam quod in eo reprehenderent invenirent, voluimus, ut, sicut est immunis a culpa, sic se immunem ab infamia exhiberet, et taliter provideret episcopo propter malitiam comitis exsulanti, ut per revocationem ipsius hæreticos persequi videretur, qui gaudium suum ejus exsilium reputabant. Personaliter igitur accedens ad regem, fideliter ei mentis nostræ puritatem exponas, et ab intellectu illo perverso studeas revocare, excusans prædictum episcopum apud eum, cum non ad petitionem ipsius verbum illud fuerit litteris memoratis insertum. Demum, licet ad consolationem tuam præsentes tibi litteras dirigamus, ne nimia forte tristitia tuum animum absorberet, priorum tamen te volumus recordari.

(510) Sic in apographis Vaticano et Conti.

(511) Sic in apographis Vaticano et Conti.

ut opponas te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ita quod zelus ejus te comedere videatur.

Datum Anagniæ, XVI Kal. Martii, pontificatus nostri anno sexto.

CCXXXVII.

MONACHIS MONASTERII MOLISMENSIS.

*Ne pecuniam mutuo, absque abbatis et conventus assensu accipiant.*

(Anagniæ, XI Kal. Martii.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod quidam vestrum, præter sui abbatis (512) et conventus assensum, quamdam mutuo receperunt pecuniæ quantitatem, unde monasterium vestrum et obedientiæ ipsi subjectæ gravi premuntur onere debitorum. Quocirca, præsentium vobis auctoritate districte inhibemus, ne quis monachus vel conversus, sub professione vestræ domus astrictus, sine consensu et licentia abbatis et majoris partis capituli vestri, pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere forte præsumpserit, non teneatur conventus pro iis aliquatenus respondere.

Datum Anagniæ, XI Kal. Martii.

CCXXXVIII.

DECANO (513), ET CAPITULO EBROICENSI.

*Quod nulli laico jus patronatus habenti in ecclesiis liceat decimas exigere.*

(Anagniæ, VII Id. Februarii.)

Ad augmeutationem ecclesiarum sollicitudinem nos habere convenit efficacem, si officii nostri debitam prosequi volumus actionem, et illis gratanter auxilium apostolicum impertiri, qui earum intendere satagunt incrementis. Cum igitur, sicut accepimus, multi laici sint in Ebroicensi diœcesi, qui jus in ecclesiis possident patronatus, et ex mala consuetudine decimationes in locis pluribus, quasi hæreditario jure, detineant; volentes ecclesiæ vestræ paterna benignitate consulere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut si qui laicorum illorum, jus patronatus ecclesiarum, seu decimationes præscripto modo detinent, si ad reddendum illas ecclesiis suis induci non possunt et Ebroicensi capitulo dare forte voluerint, liceat vobis eas, de assensu episcopi (514) vestri, nullius contradictione vel appellatione obstante, recipere, ac pacifice possidere. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, VII Id. Februarii, anno sexto.

CCXXXI (515).

*Ut ad exstirpandam hæreticam pravitatem insurgat.*

EPISCOPO ANTISSIODORENSI (516).

(Anagniæ, XI Kal. Martii.)

Ædificavit sicut tinea domum suam, et fecit umbraculum sicut custos hæreticorum perversitas, mentes hominum pravis persuasionibus corrumpendo, et subtrahendo eis per prædicationem erroris fidei fundamentum, ut, irruente vento a regione deserti, corrupta domus obsistere nequeat, et quod fundamento non adhæret umbraculum penitus exsuffletur, sicque corrupti cum corruptoribus suis descendant ad inferna viventes. Licet igitur, tibi et venerabili fratri nostro..... Bituricensi archiepiscopo, et dilectis filiis... abbati Cluniacensi, cum quibuslibet aliis, inquisitionem et correctionem eorum duxerimus committendam, qui, more tineæ, super sacerdotale vestimentum nisi sunt construere locum suum, leprosorum specie in Evangelio designati, quorum sano colori candor aspergitur vitiosus, cum misceant sanis insana, et diversitate coloris varientur in verbis: cum tamen eorum diœcesanus exsistas, et, tanquam proprius medicus, unde illis infirmitates eveniant, et ad quid earum tendant symptomata, cognoscere tenearis, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te ipsum ad inquisitionem infirmatis hujusmodi, et curationem ipsius sollicitudine diligenti procedas, quia si putredinem vulneris aperitione non ejicis, sana caro nequaquam in loco putredinis coalescet, vel si sentes campi, culturæ cujus es deputatus, vomeris scissione non eruis, terra in segetem semina non producet accepta; quia, ubi tacet qui datus est prædicator, arguenda non arguens, nec corrigens corrigenda, culpam approbasse videtur, quæ crescens datur aliis in exemplum, cum eam pastoris lingua non secat. Vigila ergo, venerabilis frater in Christo, et ut nudus non ambules tua custodias vestimenta, ne tinea corruptionis illa pessundet, et ibi locum ædificet corruptelæ, si plebem tibi commissam hæretici, tanquam indoctam, a velamine fidei pestifera prædicatione denudent, nudamque dimittant, indumenta tollentes, ut frigus pravitatis interimat quam calor virtutis divinæ fovebat.

Datum Anagniæ, XI Kal. Martii, anno sexto.

CCXL.

GRADENSI ELECTO (517).

*Reprehendit eum quod differat munus consecrationis, et minatur.*

(Anagniæ, X Kal. Martii).

Si juxta tuorum exigentiam meritorum, et districtione canonica tecum agere curassemus, pro te petitio facta hodie locum non haberet, quia, non solum non posses in episcopum promoveri, sed a prælationis officio dejici debuisses. Tanto namque tempore distulisti, post confirmationem electionis, munus consecrationis accipere, quod, si vel ignorans, fecisti, tanquam ignorans debes penitus ignorari, vel tanquam negligens negligi, aut tanquam contemnens contemni, cum infra tempus canonicum

(512) Monasterio Molismensi, tunc temporis, præerat Galcherus, qui sedit ad anno 1197 usque ad annum 1209. *Gal. Christ.* tom. IV, col. 736.

(513) Vide epistolam hujusce libri sexti 223.

(514) Vide epistolam 225.

(515) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 57.

(516) De eo jam dictum sæpius.

(517) De Gradensi patriarcha, circa, hæc, in quibus versamur, tempora, pauca admodum apud

consecrationem accipere non curasti, sed nec longe post tempus petere noluisti, ut de palleo taceamus. Verum, quia tenebræ ante lucem occultari non possunt, quamvis valeant effucari, cur hoc feceris non potuit nos latere, sed quo magis petisti latibulum, eo magis in propalatum devenisti. Revera, sicut ex tuis et aliorum litteris accepimus evidenter, infirmitas et pinguedo, sed magis cordis quam corporis, plus mentis, quam ventris, te hactenus potuerunt, imo plus poterunt de cætero, impedire. Sufficiat ergo tibi, quod es hactenus toleratus, et pro magno reputes stare qui non ascendere sed descendere meruisti. Nos tamen auctore Domino, super hoc statuemus quod viderimus statuendum propter cautelam utique necessariam malentes dimittere suspensum in dubio, quam ab officio reddere te suspensum.

Datum Anagniæ, x Kal. Martii.

## CCXLI (518).

AABATIBUS SANCTI APRI (591) ET SANCTI LEONIS (529); MAGISTRO R. ARCHIDIACONO, TULLENSIBUS.

*wt apostolicæ sedis legatus patronis etiam inconsultis sacerdotia conferre possit.*

(Anagniæ, x Kal. Martii).

Dilectus filius, R. Metensis canonicus, nobis humiliter intimavit, qnod, cum venerabilis frater noster... Prænestinus episcopus, apostolicæ sedis legatus, ecclesiam Sancti Trudonis eidem ad resignationem proprii pastoris in manibus ejus factam, liberaliter contulisset, dilectus filius, B. Metensis archidiaconus, ad quem illius ecclesiæ præsentatio pertinebat, asserens, quod eodem inconsulto conferri non potuit a legato, donationi ejus minus rationabiliter se opponens, canonicum ipsum super eadem ecclesia indebite molestare præsumpsit. Cum igitur plus juris habeat in concessione prælatus, quam in præsentatione patronus, nec præjudicetur prælato, si quando per apostolicæ sedis legatum, eo inconsulto, ecclesia concedatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus dictum archidiaconum, ut ab ejus super hoc indebita molestatione desistat, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, x Kal. Martii, anno sexto.

## CCXLII.

EPISCOPO AGATHENSI (521); ABBATI SANCTI PONTII (522).

*Sententiam suspensionis in episcopum Biterrensem a P. de Castronovo et Raduljo, monachis Fontisfrigidi, apostolicæ sedis legatis, latam, auctoritate apostolica confirmat* (523).

(Anagniæ, XII Kal. Martii).

Sicut ex tenore litterarum dilectorum filiorum, P. de Castro-novo et Radulfi, monachorum Fontisfrigidi, nobis innotuit, cum de mandato nostro ad exstirpandos hæreticos de provincia Narbonensi, sicut viri discreti et Dei zelum habentes, et pro fide Christiani nominis apprehendentes arma et scutum, diligenter et sollicite laborarent..... Bitterrensis (524) episcopus, requisitus ab illis, cum eis ire noluit ad commonendum super hoc nobilem virum... comitem Tolosanum, et postmodum rogatus ab ipsis, ut consules civitatis Biterrensis ad hæresim abjurandam, et ad defendendam contra hæreticos Ecclesiam Dei, cum eis pariter admoneret, non solum non acquievit eorum monitionibus, sed id fieri præpedivit, Christi se constituens inimicorum, cum ipse ad hoc per se pro debito sui officii teneretur; et cum, auctoritate nostra convocato clero, injunxissent eidem, ut, nisi usque ad diem præfixum hæreses dicti consules abjurassent, ipsos non differret excommunicationis vinculo innodare, licet hoc promiserit se facturum, id tamen effectui minime mancipavit, propter quod dicti P. et R. ipsum ab administratione, nec non et episcopali officio suspenderunt, donec se nostro conspectui præsentaret, clero Biterrensi, ne interim sibi obedirent in aliquo, in virtute obedientiæ, sub excommunicationis pœna, districtius inhibentes. Licet igitur quamplures enormitates de ipso audiverimus, quas non possumus nec debemus sub dissimulatione transire, quoniam ad exstirpandum crimen hæreseos, per quod blasphematur divina majestas, se non solum negligentem sed et contumacem ostendit, prædictam suspensionis sententiam ratam habentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus eum denuntietis et faciatis per

UGHELLUM, *Ital. sacr.* t. V, col. 1208.

« XXXIX. Joannes Signale... cui Innocentius PP. III diversas epistolas scripsit anno pontificatus sui III, Dominicæ vero Incarnationis 1200 excessit e vivis sub eodem Innocentio.

« XL. Benedictus Falerius, ex primicerio S. Marci, toto consentiente clero, Gradensis patriarcha electus est, et ab Innocentio pallium et benedictionem accepit, post annum 1201, extremisque annis ejusdem pontificis excessit e vivis, fuitque vir nobilitate generis ac pietate eximia præditus. »

(518) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1204, § 66.

(519) S. Apri monasterium rexit Garinus, *al.* Warinus, *vel* Warnerius, ab anno saltem 1195 usque ad annum 1227. Factus est postea episcopus Tullensis. *Gall. Christ.* t. XIII, col. 1079.

(520) Clemens, abbas S. Leonis, reperitur anno 1204, quo ecclesia de Manili a Matthæo episcopo donatus fuit. *Ibid.* col. 1105.

(521) Agathensi ecclesiæ, tunc temporis, præerat Raimundus II, ex illustri et pervetusta toparchorum Montispessulani familia oriundus. Episcopale pedum tenuit ab anno 1192 usque ad annum 1213. *Gall. Christ.* t. VI, col. 679.

(522) Hermengaudus, abbas S. Pontii, præfuit ab anno 1181, usque ad annum 1205, quo ad episcopatum Biterrensem evectus est. *Ibid.* col. 232.

(523) Epistolam hanc laudant, sed non referunt, auctores novæ Galliæ Christianæ, *ibid.* col. 324.

(524) Guillelmus IV, de Roquosello, *de Roquesel*, ex abbate S. Afrodisii, et canonico S... Nazarii, episcopus Biterrensis electus fuit anno 1199. Sedit usque ad annum 1205, quo occisus dicitur famulorum suorum fraude. *Ibid.* col. 325.

omnes ecclesias diœceseos Biterrensis suspensum ab omni officio et beneficio, appellatione remota, publice nuntiari, donec ad præsentiam nostram cum litteris eorumdem monachorum suspensus accedat, universo clero et populo diœceseos Biterrensis, ne illi obedientiam aliquam exhibeant, auctoritate nostra firmiter injungentes. Ne vero Biterrensis ecclesia dispendium patiatur, aliquibus personis, quas ad hoc idoneas esse noveritis, administrationem ipsius, auctoritate nostra suffulti, sublato appellationis obstaculo, interim committatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Anagniæ, XII Kal. Martii, anno sexto.

CCXLIII (525)

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO (526).

*Lamentabilis epistola, quod tota ejus provincia sit hæreticis repleta.*

(Anagniæ, IV Kal Februarii.)

Mirabilis architectus, Christi Dei virtus et sapientia, domum sibi excisis columnis septem, et fundamento se lapide primario collocato, construxit. spe cum sermone prophetico parietes erigente, ac ponente consummationis tectum doctrina evangelica charitate, constituensque in quatuor angulis virtutes quatuor cardinales, eam nihilominus vario virtutum ornatu depinxit, interius, ut ab intus omnis gloria filiæ regis esset. Verum ille, qui a principio in veritate non stetit, hujus ædificii structuram mirabilem non sustinens patienter, validum ventum misit a se, regione deserti, ut, concussis quatuor angulis domus, si posset, everteret fundamentum. Sed, licet domus multipliciter quatiatur, pati non potest omnino ruinam, cum sit supra firmam petram mirabiliter constituta: arietibus tamen aliquando datis in gyro, aliquos lapides excutit a structura, dum pugnant filii contra matrem, plus quam civile prælium exercentes, et Christi tunicam inconsutilem laniant, quæ sorte potius uni fuerat concedenda. Advenerunt namque musca, quæ est in extremo fluminis Ægypti, et apis, quæ est in terra Assur, torrentes vallum occupantes, et quiescentes in petrarum cavernis et foraminibus universi. Non enim in eos, qui solidæ petræ adhærent, solidati ab ea, possunt aliquid usurpare, sed in vaccis populorum taurorum congregatio debacchatur. Verumtamen, hujus domus custodiæ deputati, et pastores gregis dominici constituti, non ascendunt hodie ex adverso, ut pro domo Israel se murum opponant, contra hostes hujusmodi pugnantes cum terræ bestiis pro eadem. Nullus fere potest amodo inveniri, qui cum Moyse ponat gladium super femur in ultionem injuriæ Redemptoris, contra eos qui vitulum conflatilem constituunt adorandum, nec Phinees pugione configit Hebræum cum Madianitide coeuntem. Banaias quoque in diebus nivis, ut leonem in media cisterna percutiat, non descendit, nec Samson prosternit asini mandibula Philistæos. Ahiot etiam contra Eglon, regem Moab; siccam non exerit ambidextram, nec Simeon et Levi gladiis accinguntur, ut sororis stuprum studeant vindicare. Pastores, ante semetipsos pascentes, gregi dominico pabula non ministrant; quod est infirmum consolidare non student, nec sanant quod est ægrotum; alligant quod est fractum, et quod periit non requirunt; gladium vero suum a sanguine prohibent et opus Dei faciunt negligenter. Facta est autem fames in terra, et parvuli quærunt panem, sed qui frangat eis vix aliquis invenitur. Labe igitur hæreticæ pravitatis provincia tua infecta, non solum superseminata zizania de agro tuo, sicut audivimus, eradicare non studes, qui deberes Nabot exemplo morti potius exponere temetipsum, quam hortum olerum vineam tuam facere permitteres Achab regem; verum etiam, dilectis filiis, fratri R. et fratri P. de Castronovo, monachis Fontis-frigidi, qui ad exstirpandas hæreticas pravitates illuc a sede apostolica sunt transmissi, tuum denegas auxilium et favorem, nolens eis in suis necessitatibus subvenire, cum os bovi trituranti non debeat alligari, nec his qui, non quæ sua quærentes, sed quæ sunt potius Jesu Christi, verbo insistunt pariter et doctrinæ, minime te deceat denegare, quos etiam, etsi a nobis missi non essent, ex injuncto tibi officio deberes amplecti, et recipere in visceribus charitatis. Rogatus autem ab eis, ut cum ipsis ad dilectum filium, nobilem virum..... comitem Tolosanum accederes, ut tam tua, quam ipsorum persuasione posset induci ad jurandum, quod hæreticos expugnaret in defensionem ecclesiasticæ unitatis, eis acquiescere nullo modo voluisti, cum tu ipse rogare deberes potius quam rogari; sed nec etiam unam eis saltem equitaturam tunc voluisti concedere, ad opus quod incœperant peragendum, licet postmodum ad multam instantiam, et importunitatem ipsorum, unam sibi duxeris concedendam. Cum igitur his, qui dant psalmum, typanum non debeat denegari, nec prohiberi carnalia metere, qui student spitualia seminare, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, cum dictos monachos ad te venire contigerit, eos benigne suscipiens, tam in equitaturis, quam aliis necessariis, ipsis honeste studeas providere, nihilominus contra ipsos hæreticos taliter assistas eisdem, ut et ipsi opus incœptum laudabiliter valeat consummare, ac tu non possis de negligentia ulterius reprehendi; sciturus, quod si secus, quod non credimus, egeris, indignationem nostram poteris formidare.

Datum Anagniæ, IV Kal. Februarii, pontificatus nostri anno sexto.

*Scriptum est super hoc, in eumdem fere modum*, episcopis, abbatibus, prioribus, et aliis ecclesiarum prælatis per Narbonensem provinciam constitutis. *Scriptum est,....* abbati Vallis-Magnæ, et magistro

(525) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 57.

(526) De archiepiscopo Narbonensi jam egimus sæpius.

Rodulfo, canonico Narbonensi, *ut, cum a dictis fratribus fuerint requisiti, accingantur ad laborem cum eis in messem Dominicam profecturi.*

*Scriptum est*..... abbati Cisterciensi, *ut si quos in ordine suo ad prædicationis officium idoneos esse cognoverit, cum a dictis fratribus fuerit requisitus in adjutorium eorumdem mittere non postponat.*

CCXLIV (527)

MAGISTRO ROBERTO.

*Epistolam decretalem.* Licet Heli, *exponit.*

[Per tuas nobis litteras intimasti, te *plurimum* (528) dubitare super quadam epistola decretali, quam nos asseris edidisse de testibus admittendis contra Simoniacam pravitatem. Noveris igitur *incunctanter*, quod nos illam epistolam, quæ sic incipit : *Quamvis ad abolendam*, nequaquam edidimus ; sed aliam, quæ sic incipit: *Licet Heli* (529), nos edidisse fatemur. Ad cujus intelligentiam credimus distinguendum, utrum is, contra quem agitur de Simoniaca pravitate, denuntietur simpliciter, *an* (530) criminaliter accusetur, et utrum agatur secundum juris rigorem, an secundum temperantiam æquitatis. Item, utrum sit ipse regularis, qui jam renuntiaverit mundo, an sæcularis, qui adhuc in mundo *consistit*, et *utrum* inferioris sit gradus, an excellentioris sit dignitatis. Ad hæc, utrum antea fuusset claræ opinionis ac bonæ famæ, an graviter infamatus et valde suspectus, et utrum de facili possit puniri, an sine scandalo nequeat condemnari. Præterea, utrum testes sint honesti, an criminosi; et utrum jam sint emendati de crimine, an adhuc in crimine perseverent. Rursus, utrum crimina sint eadem vel minora, an paria vel majora ; utrumve testes ex zelo justitiæ, an ex malignitatis fomite deposuisse credantur. Denique, utrum ad Simoniacam hæresim detegendam sola dicta testium inducantur, an alia etiam adminicula suffragentur. Hæc omnia sunt ad intelligentiam illius epistolæ distinguenda, *sicut ex ipsius serie potest perpendere diligens indagator* (531). Ille *namque* Pomposianus abbas, qui jampridem renuntiaverat mundo, erat de simonia, perjurio, dilapidatione ac insufficientia graviter infamatus. Cumque per monachos, qui juraverant perhibere testimonium veritati, simonia multis modis *contra ipsum abbatem* videretur esse probata, ipse contra testes multas exceptiones opposuit, conspirationes videlicet et inimicitias capitales, furtum et adulterium, ut eos a testimonio removeret. Nos vero, ne innocentiæ puritas confusa succumberet, vel simoniæ pravitas effugeret inpunita, illas duntaxat exceptiones probandas admisimus, quibus forte probatis, testes non de zelo justitiæ, de malignitatis fomite processisse constaret, ut conspirationes et inimicitias capitales. Cæteras autem exceptiones oppositas, ut furti et adulterii, propter immanitatem hæreseos Simoniacæ, ad cujus comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas, quoniam, et si probatæ fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto, aliis adminiculis suffragantibus, præsertim, cum testes de crimine jam fuerint emendati. Tales igitur contra talem duximus taliter admittendos, non secundum juris rigorem, sed secundum temperantiam æquitatis, cum ageretur non criminaliter, ut deponeretur ab ordine, sed civiliter, ut ab administratione removeretur, tanquam immeritus, et damnosus. Et utique tales prælati ex levioribus causis possunt ab administrationibus amoveri, *maxime per summum pontificem, qui potestatem habet non solummodo judicandi, sed etiam disponendi* (532), sicut quorumdam religiosorum approbata consuetudo deposcit. Unde, prædictus abbas, non exspectata sententia, quasi male conscius sibi cessit.

CCXLV.

ABBATI DE CANCELLATA (533); MAGISTRO B. CANONICO ALBETERRENSI, PETRAGORICENSIS DIOECESEOS; A. DE LA FAIA, CANONICO SANCTI FRONTONIS PETRAGORICENSIS.

*Ut J. Morelli, clericum, in ecclesia Engolismensi, in canonicum et fratrem nominatum, præbenda frui curent.*

(Anagniæ, VII Id. Februarii.)

Cum dilectis filiis.... de Nentolio (534), et.... de Beania (535) abbatibus, et.... cantori Xanctonensi, nostras litteras misissemus pro dilecto filio, J. Morelli clerico, super restitutione Engolismensis præbendæ, qua se asserit a canonicis ejusdem ecclesiæ spoliatum, idem judices, sicut nobis innotuit ex suarum continentia litterarum, super institutione ipsius J. testes recipere curaverunt, et attestationes ipsas sub suis apostolatui nostro transmisere sigillis cum quibus eodem J. ad nostram præsentiam accedente, ipsi, dilecto fillio El. canonico Engolismensi, dilectum filium, Odonem, subdiaconum et capellanum nostrum, dedimus auditorem, et ipso E. litem nolente super hoc contestari, eo præsente attestationes ipsæ apertæ fuerunt, per quas constitit evidenter, quod præfatus J. auctoritate apostolica fuit Engolismensis ecclesiæ canonicus institutus, et per

(527) Reperitur inter Decretales, lib. v, tit. 3 : *De simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur*, cap. 32. Varias lectiones, pro majori diligentia, indicamus.

(528) Hanc vocem Decretales omittunt, et infra *incunct.*

(529) Vide epistolam libri secundi 260, quæ et inter Decretales reperitur, *loc. cit.* cap. 31.

(530) Decretales legunt *aut*; infra *exstitit* pro *consistit*, et *an* pro *utrum* exhibent.

(531) Hæc desunt in Decretal.; infra legunt *quidem* pro *namque*, et om. *contra ip. abb.*

(532) Hæc Decretales omittunt.

(533) Vide epistolam hujusce libri sexti 227, not.

(534) Post Bernardum, de Nantolio abbatem, anno 1187, Willelmum, anno 1215, immediate memorant auctores novæ Galiæ Christianæ, tom. II, col. 1293.

(535) Idem fere ac in nota superiori. Guillelmum, abbatem de Beania, anno 1188 memoratum, immediate excipit P. cujus nomen nonnisi anno 1219 in Instrumentis legitur. *Ibid.* col. 1119.

procuratorem de præbenda ejusdem ecclesiæ corporaliter investitus. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si vobis constiterit eumdem J. esse prædicta præbenda spoliatum injuste, vel contra justitiam non admitti, ipsam ei, appellatione remota, restitui faciatis; contradictores, si qui fuerint, aut rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Præterea, quoniam canonici Engolismenses super hoc ad nostram audientiam A appellarunt, nec fuerunt appellationem interpositam prosecuti, super restituendis expensis memorato J. quod canonicum fuerit, sublato appellationis obstaculo, decernatis, facientes quod decreveritis per districtionem eamdem firmiter observari. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Anagniæ, VII Id. Februarii, pontificatus nostri anno sexto.

---

# INNOCENTII III

## ROMANI PONTIFICIS

# REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM

## LIBER SEPTIMUS.

### PONTIFICATUS ANNO VII, CHRISTI 1204.

---

I (1).

CALOJOANNI BULGARUM ET BLACORUM REGI, EJUSQUE POSTERIS.

*Privilegium, quo Leoni, tituli S. Crucis presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, conceditur facultas ipsum in regem ungendi et coronandi.*

(Anagniæ, VI Kal. Martii.)

Calojoanni, illustri Bulgarorum et Blacorum regi ejusque posteris ei tam in regno quam in devotione sedis apostolicæ successuris, in perpetuum. Rex regum et Dominus dominantium, Jesus Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, cui dedit omnia Pater in manu, pedibus ejus subjiciens universa, cujus est terra et plenitudo ejus orbis terrarum et omnes habitantes in eo, imo cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum, summum apostolicæ sedis et Ecclesiæ Romanæ pontificem, quem in beato Petro sibi vicarium ordinavit, super gentes et regna constituit, evellendi, destruendi, disperdendi, et dissipandi, et ædificandi, et plantandi ei conferens potestatem, loquens ad eum in propheta. qui fuit de sacerdotibus Anatoth: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas et disperdas, et dissipes et ædifices et plantes* (*Jer.* I). Ut autem id expressius demonstraret, non per alium, sed seipsum, cum pro hominibus carnem assumpsisset humanam, et calceamentum suum extendisset in Idumæam, ut ei allophyli subderentur, et oves suas quæ de hoc B ovili non erant adduceret, et fieret unum ovile et unus pastor, in se, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, universalis Ecclesiæ posuit fundamentum, ejusque apostolorum principi Petro magisterium contulit et primatum, dicens ad eum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVII). Ubi etiam consequenter adjecit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*ibid.*).

Post passionem quoque suam, ascensurus in cœlum, ovile suum, videlicet Ecclesiam, ei committens et commendans in omnibus, dixit ei: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), vocabulo tertio repetito: per hoc C patenter ostendens quod ad ejus ovile non pertinent oves illæ quæ se commissas et subjectas esse beato Petro contumaciter denegarent, et ejus noluerint erudiri doctrina et magisterio subjacere. Siquidem Ecclesia est illa arca, in qua paucæ animæ, pereuntibus cæteris in diluvio, sunt salvatæ. Unde, sicut omnes quos arca non cepit, in diluvio perierunt, sic omnes qui extra Ecclesiam inventi fuerint, in judicio damnabuntur. Arca enim Ecclesiam, cataclysmus judicium, et pastorem Ecclesiæ Petrum Noe rector arcæ figurant. Ille cum Domino legitur ambulasse hic autem super undas maris, quod hunc

(1) Epistola hæc refertur in Gestis Innocentii III, § 73, sed non absque mendis aliquibus. Ejusdem epistolæ partem vulgavit Raynaldus ad annum 1204, § 34. Integram, nec non emendatiorem, ex apographo Conti exhibemus. Quæ apud Raynaldum leguntur hic uncis inclusa sunt.

mundum significat, ad Dominum scribitur pervenisse. In quo etiam expresse notatur, quod Petro non specialiter aliqua specialis Ecclesia, sed totus mundus commissus fuerit et Ecclesia generalis. Nam, sicut aquæ multæ sunt populi multi sic mare magnum et spatiosum mundum significat universum. Unde, vocatis cæteris in partem sollicitudinis, hunc assumpsit Dominus in plenitudinem potestatis, cum inquit ad eum : *Tu vocaberis Cephas quod Petrus interpretatur* (*Joan.* I) et caput, ut Petrum caput Ecclesiæ demonstraret, qui sicut unguentum quod a capite Aaron descendit in barbam, in membra diffunderet, ut nihil sibi penitus deperiret, quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra vero pars eorum aliqua derivatur. Insuper, quærenti Petro si quoties peccaret in eum frater ejus dimitteret ei usque septies, Dominus legitur respondisse: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII). Sane, cum omne tempus septem dierum numero concludatur, multiplicatus in seipsum septenarius in hoc loco notat universa peccata universorum, cum solus Petrus non solum omnia sed et omnium possit crimina relaxare. Ipsi enim, et non alii, dictum a Domino reperitur : *Tu me sequere* (*Matth.* VIII); id est in veri pastoris officio et potestatis ecclesiasticæ plenitudine imitare; quia cum in officio vicarium sibi substituit Dominus et in magisterio successorem, sic hæreditatem, in *cujus præclaris funes* (2) ejus ceciderant, transferens in eumdem, ut aliis possit per eum et sub eo quasi *patrem* (3) facere de hæreditate legata. [Cum igitur, licet immeriti ejus vices geramus in terris qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud, utpote per quem reges regnant et principes dominantur, cum Petro et successoribus suis, et nobis in eo, noverimus esse dictum : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII) ; cum ex præcepto Domini oves ejus pascere teneamur , populis Bulgarorum et Blacorum, qui multo jam tempore ab uberibus matris suæ alienati fuerunt, in spiritualibus et temporalibus paterna sollicitudine providere volentes, ejus auctoritate confisi per quem Samuel David in regem inunxit, regem te statuimus super eos, et per dilectum filium, Leonem (4), tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum providum et honestum nobis inter cæteros fratres nostros acceptum, sceptrum regni ac regium tibi mittimus diadema, ejus quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo a te juratoriam cautionem quod nobis et successoribus nostris et Ecclesiæ Romanæ devotus et obediens permanebis, et cunctas terras et gentes tuo

A subjecta imperio in obedientia et devotione sedis apostolicæ conservabis. Ad petitionem insuper venerabilis fratris nostri, Blasii, Brandizuberensis episcopi, quem ad sedem apostolicam destinasti, publicam in regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri nostro archiepiscopo Trinovitano, in terris in quibus imperis universis privilegium concedimus primatiæ, qui, et successores ipsius, tuos in posterum successores, simili ab eis juramenta recepto, apostolicæ sedis auctoritate coronent, et in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique metropolitani tam in Bulgariæ quam Blaciæ provinciis constituti subjaceant, et juxta formam canonicam reverentiam primati debitam B exhibeant et honorem. Sic ergo, fili charissime, gratiam quam apostolica sedes mater tua tibi facit agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus quæ tribuimus tibi, sic regnum tuum in apostolicæ sedis subjectione ac devotione confirmes, ut, cum sub beato Petro in illius petræ fuerit firmitate fundatum de qua inquit Apostolus : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X), nec pluviarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus, tu quoque, præter auxilium apostolicæ sedis, quod juxta devotionem tuam senties in præsenti, de temporali regno ad regnum pervenias sempiternum. Decernimus ergo ut nullus omnino... hoc privilegium nostræ constitutionis et confirmationis infringere, vel ei, etc. Si quis autem, etc.

Datum Anagniæ, per manum Joannis sanctæ, C Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, VI Kal. Martii, indict. VII, Incarnationis Dominicæ anno 1203, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

II (5).

ARCHIEPISCOPO TRINOVITANO.

*Constituit etiam Trinovitanum archiepiscopum primatem totius Bulgariæ et Blaciæ, mittitque illi privilegium hujusmodi per dictum legatum.*

(Anagniæ, *ut supra.*)

Archiepiscopo Trinovitano, Bulgarorum et Blacorum primati, ejusque successoribus canonice substituendis in devotione sedis apostolicæ successuris in perpetuum. Rex regum, etc., *usque ad* Samuel David in regem inunxit, charissimum in Christo filium nostrum, Calojoannem, hactenus ipsorum D dominum, regem statuimus super eos, per dilectum filium, etc., *usque* devotione sedis apostolicæ conservabit. [Te quoque in regno Bulgarorum et Blacorum primatem statuimus, ecclesiæ Trinovitanæ præsenti privilegio auctoritatem concedimus primatiæ statuentes, ut tu, et successores tui, qui tibi in apostolicæ sedis devotione successerint, cæteros

(2) Sic in apographis, et in Gestis.

(3) Sic et in apographo Conti.

(4) De Leone cardinali jam egimus supra epistola libri quinti 5, not. Sed ex hac hujus libri septimi epistola 1, patet Leonem titulo S. Crucis ante annum 1204, non vero anno 1205, prout illic ex Oldoino retulimus, insignitum fuisse.

(5) Legitur in Gestis Innocentii, § LXXV, sed non absque mendis aliquibus. Eamdem fere integram exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 37. Nos numeris omnibus absolutam damus ex apographo Conti. Quæ apud Raynaldum leguntur, hic uncis inclusimus.

A metropolitanos Bulgariæ et Blaciæ præcellatis ratione primatiæ, et ipsi tibi et eis juxta formam canonicam reverentiam primati debitam exhibeant et honorem, fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hæc duo nomina, primas et patriarcha, pene penitus idem sonant, cum patriarchæ et primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa. Præsenti quoque privilegio, tibi et per te tuis successoribus, inungendi, benedicendi et coronandi reges Bulgarorum et Blacorum in posterum liberam concedimus facultatem. Obeunte vero te, nunc ecclesiæ memoratæ primate, nullus ibi qualibet snbreptionis astutia præponatur, nisi qui canonice fuerit electus ad eam secundum consuetudinem approbatam. Electus autem, per metropolitanum et alios suffraganeos ejusdem ecclesiæ, qui poterunt interesse, in episcopum solemniter consecretur. Consecratus vero, ad sedem apostolicam nuntios suos mittat, pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, petituros: in cujus susceptione juramentum illud nobis, et successoribus nostris, et Ecclesiæ Romanæ præstabit, quod alii primates et metropolitani, secundum generalem consuetudinem, nobis præstant, et tu ipse in susceptione pallii præstitisti: cujus formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinamus, exprimentes in ea, ut, cum in regem quemlibet ex prædicti regis successoribus coronarint, præscriptum ab eo recipiant juramentum. Cum autem aliquis metropolitanorum, qui tibi jure subjacent primatiæ, viam fuerit universæ carnis ingressus, confirmabis electionem canonicam de persona idonea celebratam, et personam electam in episcopum consecrabis. Pro palleo vero, nuntios tuos cum nuntiis ecclesiæ cui præst, ad apostolicam sedem mittes, nosque illud tibi per eos libenter et hilariter transmittemus, per te metropolitano episcopo, juxta formam sub bulla nostra recipies, solemniter conferendum; ita tamen, quod, si legatum vel nuntium nostrum contigerit interesse, id eum eo pariter exsequaris, Chrisma vero et oleum catechumenorum et infirmorum singulis annis in cœna Domini, tam in ecclesia *tua quam in qualibet Ecclesia Blaciæ* (6), fieri secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ concedimus, ut, quoties necesse fuerit, qui baptizandi fuerint baptizentur, et confirmentur per diœcesanos episcopos qui fuerint confirmandi, nec episcoporum consecratio, nec ordinatio sacerdotum, propter defectum hujusmodi, vel impediatur penitus, vel diutius differatur, quia, licet hactenus apud vos nec in sua ordinatione presbyteri, nec in consecratione sua episcopi consueverint sacram recipere unctionem, volumus tamen, ut deinceps, non tam ritum nostrum quam mandatum divinum sequentes, per quod in lege præcipitur ut pontifices et sacerdotes ungantur, manus eorum qui ordinandi sunt in presbyteros, et tam manus quam caput eorum qui consecrandi sunt in episcopos, solemniter inungantur. Præterea, crucem, vexillum videlicet Dominicæ passionis, ante te per totam Bulgariam et Blaciam B deferendi fraternitati tuæ licentiam ipmartimur.] Decernimus ergo, etc.

Datum, *Ut supra.*

III (7).

B. ARCHIEPISCOPO TRINOVITANO BULGARORUM ET BLACORUM PRIMATI.

*Significat ei, quod episcopum Brandizuberensem fecit inungi. Mandat ut in posterum tam primas quam metropolitani episcopi et presbyteri ipsius provinciæ recipiant unctionem*, etc.

(Datum, *ut supra.*)

« [Cum venisset ad apostolicam sedem *venerabilis* « *frater noster, episcopus Brandizuberensis*, *clara* « *nobis insinuatione monstravit quod* (8) in consecratione sua *sacram* non *receperat* unctionem, « quoniam apud vos non consuevere pontifices, cum C « consecrantur, inungi. Nos ergo, quod illi defuerat mandavimus in ipso suppleri, facientes caput « ejus et manus per *venerabilem fratrem nostrum*, « *Joannem*, Albanensem episcopum (9), assistentibus ei duobus episcopis, secundum morem ecclesiasticum, sacro chrismate deliniri.] Hoc enim « Catholica tenet Ecclesia, non solum ex præcepto « divino, verum etiam apostolorum exemplo. In « Exodo quippe legitur præcepisse Dominus Moysi « ut Aaron et filios ejus inungeret, quatenus ei sa« cerdotio fungerentur. Et Anacletus, natione « Græcus, qui a beato Petro fuit in presbyterum « ordinatus, et postea in apostolatus officio Cle« menti successit, tradit (10) in ordinatione sua

(6) Gest. *Bulgariæ quam Blaciæ.*

(7) Edita est sæpius hæc Epistola. Legitur, sed mutila, in tertia collectione Decretalium, et inde in Gregoriana, nec non in Innocentiana collectione, lib. I, tit. 15, *De sacra unctione*, cap. unico.

Legitur integra, sed non absque mendis aliquibus, in Gestis Innocentii, § 76.

Eamdem etiam fere integram et emendatiorem exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 39.

Nos numeris omnibus absolutam ex fide apographi Conti damus. Quæ in editionibus Decretalium leguntur, hic uncis, de more, inclusa sunt, variis etiam lectionibus appositis. Ea vero quæ retulit Raynaldus, virgulis ad initium cujusque lineæ signatis distincta sunt. Varias etiam, et variis codicibus, lectiones, quas ad marginem Libri sui, in sua Gestorum editione, notavit Baluzius, ad majorem diligentiam addidimus.

D (8) In Decretal., *Bracarenus episcopus qui; sanctam* pro *sacram* et *acceperat* pro *receperat* legunt, et infra *ven... Joann.* omittunt.

(9) Joannes, natione Longobardus, tituli S. Clementis presbyter a Clemente PP. III assumptus, a Cœlestino vero III, Viterbii tunc temporis degente anno 1193, episcopus Viterbiensis renuntiatus deinde est. Ecclesiæ suæ regimen opere et exemplo laudabiliter gerens, Innocentium III pontificem, Cœlestini successorem, Viterbii excepit anno 1198; et cum ab ecclesia Viterbiensi approbante Innocentio, se liberasset, ab eodem renuntiatus est anno 1199 episcopus Albanensis. Anno 1210, Romæ e vita excessit. OLDOIN. *ad Ciacon.* Tom. I, col. 1143.

(10) Anaclet., ep. 2.

« ungendos episcopos, more apostolorum et Moysis; A
« quia omnis sanctificatio in Spiritu sancto consi-
« stit, cujus invisibilis virtus sancto chrismati est
« permista. Unde [scire te volumus duas esse
« species unctionis : exteriorem, quæ materialis
« est et visibilis : et interiorem, quæ est spiritualis
« et invisibilis. Exteriore visibiliter ungitur cor-
« pus, interiore invisibiliter ungitur cor. De prima
« Jacobus apostolus ait : « Infirmatur quis in vo-
« bis? (*Jac.* v.) » Inducat presbyteros ecclesiæ, et
« orent super eum, ungentes eum oleo in nomine
« Domini, et oratio fidei salvabit infirmum. De
« secunda *Joannes* (11) apostolus ait : « Vos, un-
« ctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis,
« et non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed
« sicut unctio ejus vos docet de omnibus (*I Joan.* B
« II). » Unctio visibilis et exterior, signum est in-
« terioris et invisibilis unctionis ; unctio ; vero in-
« visibilis et interior, non solummodo est signum,
« sed etiam sacramentum ; quia, si digne sumatur,
« vel agit, vel auget absque dubio quod designat.
« Ad *exhibendam* (12) *igitur* exteriorem et visibilem
« unctionem, benedicitur oleum, quod dicitur cate-
« chumenorum vel infirmorum, et conficitur chri-
« sma, quod ex oleo fit et balsamo, mystica ra-
« tione. Per oleum enim, nitor conscientiæ desi-
« gnatur, juxta quod legitur : » Prudentes virgines
« acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus
« (*Matth.* xxv) ; » per balsamum *autem*, exprimi-
« tur odor famæ, propter quod dicitur : « Sicut
« balsamum aromatizans odorem dedi (*Eccli.* xxiv). » C
« Hoc igitur chrismate ungi debet episcopus, non
« tam in corpore quam in corde, ut et interius
« habeat nitorem conscientiæ quoad *Deum* (13), et
« exterius habeat odorem famæ quoad proximum.
« De nitore conscientiæ dicit Apostolus : « Gloria
« nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ
« (*II Cor.* I). » Nam omnis gloria filiæ Regis ab in-
« tus. De odore famæ idem Apostolus ait : « Christi
« bonus odor sumus in omni loco, et aliis sumus
« odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem
« (*II Cor.* II). » Debet enim episcopum bonum ha-
« bere testimonium et ab his qui sunt intus, et ab
« his qui sunt foris, ut cortina cortinam trahat,
« et qui audit dicat : Veni. Hoc unguento caput et
« manus episcopi consecrantur. Per caput enim
« mens intelligitur, juxta illud : « Unge caput D
« tuum, et faciem tuam lava (*Matth.* VI). » Per ma-
« nus opera designantur, secundum illud : « Manus
« meæ distillaverunt myrrham (*Cant.* x). » Manus
« igitur unguntur oleo pietatis, ut episcopus ope-
« retur bonum ad omnes, maxime autem ad dome-
« sticos fidei. Caput autem inungitur balsamo cha-
« ritatis, ut episcopus diligat Deum ex toto corde,
« et ex tota mente (14), et ex tota anima, et pro-
« ximum suum sicut seipsum. Caput inungitur
« propter auctoritatem et dignitatem, manus pro-
« pter ministerium et officium. Caput inungitur, ut
« ostendatur illius repræsentare personam, de quo
« dicitur per prophetam : « Sicut unguentum in
« capite ejus, quod descendit in barbam, barbam
« Aaron (*Psal.* CXXXII). » Caput enim viri Christus,
« caput Christi Deus *est*, qui de se dicit : Spiritus
« Domini super me, propter quod unxit me, evan-
« gelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV). » Manus
« unguntur episcopo, ut ostendatur accipere pote-
« statem benedicendi et consecrandi. Unde, cum
« eas consecrator inungit : « Consecrare, inquit, et
« sanctificare digneris, Domine, manus istas per
« istam *sanctam* unctionem et nostram benedictio-
« nem, ut quæcunque consecraverint consecrentur
« et quæcunque benedixerint benedicantur in no-
« mine Domini. » *Verum* (15), in Veteri testamento
« non solum ungebatur sacerdos, sed et rex,
« et propheta, sicut in libro Regum præcipit Do-
« minus Eliæ : « Vade, et revertere in *viam* tuam
« per desertum in Damascum ; cumque perveneris
« illuc, unges Hazael regem super Syriam, et Jehu,
« filium Namsi, unges Regem super Israel ; Elisæum
« autem, filium Saphat, qui est de *Abelmala* (16),
« unges prophetam pro te (*III Reg.* XIX.) » Sed ubi
« Jesus Nazarenus, quem unxit Deus Spiritu sancto
« sicut in actibus apostolorum habetur, unctus est
« oleo (17) præ consortibus suis, qui secundum
« Apostolum, est caput Ecclesiæ, quæ est corpus
« ipsius, principis unctio a capite scilicet in bra-
« chium est translata, ut princeps extunc non un-
« gatur (18) in capite, sed in brachio, sive in hu-
« mero vel in armo, in quibus principatus congrue
« designatur, juxta quod legitur : « *Et* (19) factus
« est principatus super humerum ejus (*Isa.* IX). »
« Ad quod etiam designandum, Samuel fecit poni
« armum ante Saul, cui dederat locum in capite
« ante eos fuerant invitati. In capite vero pon-
« tificis sacramentalis est delibatio conservata,
« quia personam capitis in pontificali officio repræ-
« sentat. *Differt* (20) autem inter pontificis et prin-
« cipis unctionem, quia caput pontificis chrismate
« consecratur, brachium vero principis oleo delini-
« tur, ut ostendatur quanta sit differentia inter
« auctoritatem pontificis et principis potestatem.
« Quia vero Christus in sanguine suo fecit nos Deo
« nostro regnum et sacerdotes, propter quod Pe-
« trus apostolus ait : « Vos estis genus electum,
« regale sacerdotium ( I *Petr.* II) ; idcirco, in
« Novo Testamento, non solum sacerdotes et reges

(11) Tert. collect., *Jacobus*.
(12) Decret., *exibendum* et infra om. *autem*.
(13) Cod. Reg., *eum*.
(14) Decretal : add. *sua*; infra om. *est* et *sanctam*.
(15) Decretal., *unde* ; infra legunt *etiam*, pro *et*, *domum* pro *viam*, et *Hazael in regem*, et *unges in regem*.
(16) Decretal., *Abel*.
(17) Decretal., add. *pietatis*.
(18) Cod. reg. *Principes extunc non unguntur*.
(19) Decretal., om.
(20) Cod. Reg. et Pod. *refert*.

« unguntur, sed omnes etiam Christiani bis ante « baptismum, scilicet oleo benedicto, primum in « pectore, deinde inter scapulas, et bis post bapti- « smum, scilicet chrismate sacro, primum in ver- « tice, deinde in fronte. In pectore namque ungitur « baptizandus, ut per Spiritus sancti donum abji- « ciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem « rectam, quia « justus ex fide vivit (*Rom.* I). » « Inter scapulas *autem baptizandus inungitur* (21), « ut per Spiritus sancti *gratiam* (22) excutiat negli- « gentiam et torporem, et bonam operationem « exerceat, quia « fides sine operibus mortua est « (*Jac.* II), » etc. (23), ut per fidei sacramentum sit « munditia cogitationum in pectore, per operis « exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, « quatenus fides per dilectionem, secundum Aposto- « lum, operetur. In vertice vero baptizatus iuun- « gitur, ut sit paratus omni *poscenti* (24) de fide « reddere rationem, quia per caput intelligitur « mens juxta quod legitur : Oculi sapientis in ca- « pite ejus ; cujus superior pars est ratio, et inferior « sensualitas. » Unde, bene per verticem, *qui est* « *suprema* pars capitis, intelligitur ratio, quæ supe- « rior pars est mentis. In fronte ungitur baptiza- « tus, ut libere confiteatur quod credit, quia corde « creditur ad justitiam, ore *autem* (25) fit confessio « ad salutem : memor ejus quod Dominus ait : « Qui me confessus fuerit coram hominibus *confi-* « *tebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* X.) ; » « Ante baptismum *vero* inungitur oleo benedicto, et « post baptismum chrismate sacro, quia chrisma « soli competit Christiano. Christus enim a chri- « smate dicitur, vel potius a Christo dicitur chri- « sma, non secundum nominis formam, sed secun- « dum fidei rationem. A christo *enim* Christiani « dicuntur, tanquam uncti deriventur ab uncto ; ut « omnes currant in odorem unguentorum illius (26), « cujus nomen oleum est effusum. Per frontis chri- « smationem manus impositio designatur, quæ alio « nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiri- « tus sanctus ad augmentum datur et robur. Unde, « cum cæteras unctiones simplex sacerdos, *id est* « presbyter, valeat exhibere, hanc nonnisi summus « sacerdos, id est episcopus, debet conferre, quia « de solis apostolis legitur, quorum vicarii sunt « episcopi, quod per manus impositionem Spiritum « sanctum dabant, quemadmodum Actuum aposto- « lorum lectio manifestat. « Cum audissent, inquit « apostoli qui erant Hierosolymis quia recipisset « Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et « Joannem : qui cum venissent, oraverunt pro ipsis « ut acciperent Spiritum sanctum ; nondum enim « in quemquam illorum venerat, sed baptizati tan- « tum erant in nomine Domini Jesu. Tunc impone- « bant manus super illos, et accipiebant Spiritum « sanctum (*Act.* VIII) ; » cujus adventus per unctionis « mysterium designatur, quam columba in qua Spi- « ritus sanctus super Christum in baptismo descen- « dit ad vesperam, in cataclysmo revertens ra- « mum retulit virentis olivæ. Cujus utique sacra- « mentum David propheta prænoscens, exhilaran- « dam faciem in oleo prædicavit. Unguntur (27) « prætera secundum ecclesiasticum morem, cum « consecratur altare, cum dedicatur templum, et « cum benedicitur calix, non solum ex mandato le- « gis divinæ, verum etiam exemplo beati Silvestri, « qui cum consecrabat altare, illud chrismate per- « ungebat. Præcepit enim Dominus Moysi ut face- « ret oleum unctionis, de quo ungeret *tabernacu-* « *lum testimonii* (28), et arcam testamenti, men- « samque cum vasis. *De quibus etiam unctionibus si* « *forsitan dubitaveris, cum a te fuerimus requisiti,* « *fraternitatem tuam plenius instruemus. Verumta-* « *men* (29) unctionis sacramentum aliud quidem « efficit et figuram tam in Novo quam in Veteri « Testamento. Unde, non judaizat Ecclesia cum « unctionis celebrat sacramentum, sicut aliqui « mentiuntur, qui neque Scripturas neque Dei no- « vere *veritatem* Monemus igitur fraternitatem « tuam et exhortamur attentius, per apostolica tibi « scripta mandantes, quatenus ad mandatum dilecti « filii nostri, Leonis, tituli Sanctæ Crucis presby- « teri cardinalis, apostolicæ sedis legati, tu quoque « sacram *suscipias* (39) unctionem, ne quid tibi de- « sit ad plenitudinem sacramenti ; ut, cum sacro « fueris chrismate delibutus, archiepiscopos et « episcopos tuos similiter unguas, et per eos facias « manus sacerdotum inungi oleo benedicto, illum de « cætero [in ordinandis presbyteris et consecran- « dis episcopis morem *servans et faciem* (31) ob- « servari, quem apostolica sedes observat], quæ, « disponente Domino, cunctorum fidelium mater « est et magistra. Mittimus autem tibi per cardi- « nalem prædictum pontificalia ornamenta, caligas « et sandalia, amictum et albam, cingulum et suc- « cinctorium, orarium et manipulum, tunicam et « dalmaticam, chirothecas et annulum, planetam et « mitram. Pallium vero per dilectum filium, Joan- « nem, capellanum nostrum, antea miseramus. Et, « licet [Romanus pontifex non utatur baculo pasto- « rali, tum propter *historicam* (32), tum etiam « propter mysticam rationem (*quod* (33) *idem car-*

(21) Hæc Decretal. omittunt.

(22) Cod. Colbert. et Andegav. *donum*.

(23) Decretal. *et* post *mortua est*, et addunt ante *per operis*.

(24) Decretal. *petenti*, et infra *quæ est superior* pro *qui est suprema*.

(25) Decretal., *vero ;* omittunt infra *conf. et c. e. c. P. m.* ; et *ergo* pro *vero* legunt, et inferius *vero* pro *enim*.

(26) Decretal. add. : *unguenti* : infra *vel* legunt pro *id est*.

(27) In Decretal., *ungitur* ; et infra deest vocula *et*.

(28) Codd. Colb. et Andeg. *ostium tabernaculi*.

(29) *Verum* in Decretal., omissis quæ præcedunt, et infra *virtutem* pro *veritatem*.

(30) Cod. Reg. *recipias*.

(31) Decretal., *serves et facies*.

(32) Decretal., *historiam*.

(33) Tert. Collect., *quorum omnium rationem*.

« *dinalis, sicut a nobis accepit poterit edoceri* (34).]» Tu tamen ad similitudinem aliorum pontificum poteris eo uti.

Datum, *ut supra.*

IV (35).

*Instrumentum quo rex Bulgariæ et Blaciæ imperium suum Ecclesiæ Romanæ subjicit.*

(Anno 1204, indictione VII.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Cum placuit Domino nostro Jesu Christo, me dominum et imperatorem totius Bulgariæ et Blaciæ facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas et libros, et beatæ memoriæ imperatorum nostrorum prædecessorum leges, unde ipsi sumpserunt regnum Bulgarorum et firmamentum imperiale, coronam super caput eorum et patriarchalem benedictionem; et diligenter perscrutantes, in eorum invenimus scripturis, quod beatæ memoriæ illi imperatores Bulgarorum et Blacorum, Simeon, Petrus et Samuel, et nostri prædecessores, coronam *imperii* (36) eorum, et patriarchalem benedictionem acceperunt a sanctissima Dei Romana Ecclesia, et ab apostolica sede, principe apostolorum Petro. Sed imperium meum voluit benedictionem, et imperiale firmamentum coronæ capitis imperii sui suscipere, et patriarcham benedictionem ab Ecclesia Romana, ab apostolicæ sedis principe apostolorum Petro, et a sanctissimo Patre nostro, universali papa tertio Innocentio. Et a quocunque patriarchalis benedictio et mandatum (*sic*). in civitate imperii mei Trinovi, data et concessa fuerit a Domino papa, faciendi et consecrandi archiepiscopos, metropolitas. et episcopos, et reliquas ecclesiasticas obsecutiones sacramentales, concedit imperium meum, ut plenissimam in omni tenimento et imperii mei pertinentiis (37) habeant potestatem *Ecclesiæ* (38) enim omnes totius imperii mei et tenimenti, et patriarcha meus metropolitanus, episcopi, archiepiscopi, et cuncti sacerdotes Romanæ subsint Ecclesiæ, et teneant legem, et consuetudinem, et *observationem* (39), quas tenuerunt beatæ memoriæ imperatores totius Bulgariæ et Blaciæ, prisci illi nostri prædecessores, et nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem imperium meum ad securitatem chrysobolum suum, quod nunquam ad Ecclesia Romana et ab apostolica sede, principe apostolorum Petro, ipsum videlicet, imperium meum discedet, neque alii imperii mei principes disgregabuntur; sed ut vocatus dilectus filius sacrosanctæ et apostolicæ Romanæ sedis principis apostolorum Petri ero. Et deinceps, quacunque terras Christianorum seu paganorum meum acquisiverit imperium, sub potestate et mandato ejusdem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ et apostolicæ sedis erunt. Et, ut præsens chrysobolum imperii mei ratum et firmum habeatur, dedi imperium meum in manibus reverendissimi viri Joannis, sacrosantæ Romanæ sedis legati, et domini papæ capellani, in quo et nostrum pium et a Deo promotum subsignavit imperium, anno sex millesimo septingentesimo duodecimo, indictione VII.

V (40).

*Litteræ Basilii archiepiscopi Trinovitani. — Scribit, quod cum se conferre voluisset ad sedem apostolicam, Durachii impeditus ei fuit transitus: deinde revocatus ab imperatore, mense Septembri, in festo Nativitatis, palleo insignitus fuit.*

« Multas inclinationes et magnas preces Domino, « et gloriosissimo, et concathedrali apostolicæ se« dis, Patri totius Christianitatis, et domino meo, « Innocentio tertio papæ, archiepiscopus Basilius, « de minoribus et humillimis totius Bulgariæ et « Blaciæ, vestram perfectam benedictionem. Adoro « clementissimum Deum, et beatissimam Dei Ge« nitricem, ut sanam et gaudentem vestram sancti« tatem meum inveniat scriptum, et, quod mea « anima desideravit per octavum decimum annum, « ecce hodie dedit nobis Deus, et sancta tua oratio, « benedictionem sedis beati apostoli Petri et tuæ « sanctitatis. Noscat sanctitas tua, qualiter ego « conversatus sum tuam quærens benedictionem. « Mota est per mensem Julii quarta die, sex mille« simo septingentesimo undecimo. indictione sexta. « mea humilitas ad sanctum et gloriosissimum Pa« trem nostrum, Innocentium papam Romanum, et « fui dies triginta in Dyrrachio juxta mare. Et cum « vellem introire navim gratia transfretandi, tunc « retinuerunt me Græci, et non dimiserunt transire « (51) », sed tenuerunt me apud Dyrrachium per octo dies, et multa mea deprecatione erga Deum et beatissimum principem apostolorum Petrum, per sanctas tuas orationes, dimiserunt me Latini; nam consilium acceperant projiciendi me in mare, sed eripuit me Dominus tuaque sancta oratio. Exiens autem de civitate, reversus sum in villa nuncupata Cavatochori, et ibi dies quindecim permansi, et inde misi duos bonos homines meos Romam sanctitati tuæ, et utrum transierunt necne novit Deus; sed « (42) litteræ mihi ex parte domini mei impe« ratoris venerunt, domini Joannis, dicentes mihi; « Revertere cito, quia hic pervenit cardinalis a « domino papa. Legens ego litteras imperatoris, et « videns quoniam me vocabat, reversus sum, et « perveni Drinaum (43) mensem Septembrem, « et inveni virum sanctum, justum et rectum, a

(34) Desunt Decretal.

(35) Legitur in Gestis § LXX, et apud Raynaldum, ad annum 1204, § 28.

(36) Apogr. Conti et Cod. reg. *pro imperio.*

(37) Apogr. Conti add. *ipsi.*

(38) Gest. et Rayn. *ecce.*

(39) Apogr. Conti *obsecutionem.*

(40) Epistolam hanc legere est, sed in fine mutilam, in Gestis, § LXXII. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt. Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 32, ea duplici virgula ad initium cujusque lineæ apposita distinximus.

(4*A*) Huc usque Raynaldus.

(42) Rursus Raynald.

(45) Apogr. Cont. *Tinon;* legendum videtur, *Trinovum.*

« tua sanctitate directum ; nomen ejus, Joannes « capellanus ; et dedit mihi omnes litteras ex parte « vestræ sanctitatis, et perlectæ mihi fuerunt. « Unde valde anima mea est lætata, et manus meas « ad cœlum extendens, gratias Deo egi, quia visi- « tavit Dominus plebem suam, et Pater noster bea- « tus papa, quærens ovem quæ perierat, ut et eam « reducat in sancto ovili. Et sicuti continebatur in « litteris vestræ sanctitatis, sic dominus Joannes « capellanus fecit, secundum editum magnæ vestræ « sanctitatis, vestram mihi dedit benedictionem, « et largiens pallium ad plenitudinem pontificalis « officii, mense Septembris, octava die in festo « Nativitatis sanctissimæ nostræ Dei Genitricis. Et « ego cum multa devotionis humilitate recepto pal- « leo, exhibui fidelitatis obedientiam, presentibus « episcopis qui scribunt sanctitati vestræ, et prin- « cipe nostro, et multis aliis in ecclesia assistenti- « bus. Et iterum, Pater sancte, vestram rogo san- « ctitatem, ut dispenses, et adimpleas ordinem « ecclesiasticum, et qualiter debeam regere ovile « quod mihi est *commissum* (44) a Deo et sanctitate « tua. Sanctum chrisma non habemus, imo a Græ- « cis receperamus : sed de cætero nos tanquam et « vos Græci exosos habent. Et sciatis, domine mi, « quoniam hæc omnia in sanctitate tua remanse- « runt, quod debeat in omnibus dispensare, et de « sancto chrismate nos doceas, qualiter gentem « baptizare debeamus, et ne remaneat gens absque « chrismate sancto, et erit peccatum. Sed in omni- « bus nos filios tuos, perditos et pereuntes mo- « neas, et mittas mihi, Pater bone, pallea ad opus « duorum metropolitanorum Priosthlavæ et Bele- « busdii, et quidquid aliud noverit vestra sanctitas, « quæ sit ad opus mei pontificalis officii plenitudi- « nem, mihi illud vestra dirigat sanctitas (45 »].

*Litteræ Anastasii archiepiscopi Belesbudiensis, archiepiscopi Prostlave* (46 , *et suffraganeorum episscoporum.*

Colla eorum sui dominii bravio supponentes, ut sanctissimo Patri, et domino, domino papæ, prona cervice flexisque politibus inclinationem. In primis peccator et humilis metropolitanus sanctissimæ ecclesiæ Belesbudii Anastasius ; post eum peccator et humilis metropolitanus Saccas magnæ ecclesiæ Prostave ; et episcopus, licet indignus, sanctissimæ ecclesiæ Dei Genitricis de Scopia Marinus ; humilis episcopus sanctissimi episcopatus (47) sanctissimæ, ecclesiæ beati et gloriosissimi magni martyris Procopii de Niso Kiricus ; et indignus episcopus atque peccator sanctissimæ ecclesiæ Dei Genitricis Hydmens. Clemens : ut nostrum singularem pastorem, et universalem patrem et dominum, quatenus pallium ad pontificalis officii plenitudinem mittere dignemini humotenus rogitamus, ut et nos omnibus diebus vitæ nostræ pro vestra magnificentia orare non desistamus.

VI (48).

*Litteræ Calojoannis Innocentio papæ. — De eodem argumento ac in epistola superiori.*

« Sanctissimo et dominatori et universali papæ « sedenti in sede beati Petri, et domino patri regni « mei, tertio Innocentio, papæ sedis apostolicæ et « Ecclesiæ Romanæ, et magistro totius mundi. « Spero in Deum Salvatorem omnium quod bene et « multum bene valeat sanctitas tua, cum omnibus « sedentibus circa thronum sanctitatis tuæ, cardi- « nalibus sanctæ ecclesiæ Romanæ. Noverit magna « sanctitas tua, quod ego (49), filius tuus et Ro- « manæ Ecclesiæ, imperator omnium Bulgarorum « et Blacorum, cum omnibus principibus imperii « mei, multum bene sum per Deum et (50) oratio- « nem tuam. Multoties misit imperium meum nun « tios suos ad sanctitatem tuam, sed non invene- « runt opportunitatem transeundi ad sanctitatem « tuam (51). » Ideo certe non potuerunt transire, quia illi qui non habebant pacem cum imperio meo servabant vias. Postea, mense Junii præterito, imperium meum (misit) archiepiscopum meum et totius Bulgariæ regionis, et universalem sanctæ et magnæ *ecclesiæ* (52) Trinovæ, et magnum hominem imperii mei merito nominatum primatem, et archiepiscopum totius Bulgariæ et Blaciæ, nomine Basilium : qui, cum pervenisset Durachium, non fuit permissus transire ad sanctitatem tuam, ut compleret desiderium imperii mei sanctitas tua, secundum consuetudinem prædecessorum meorum, imperatorum Bulgarorum et Blacorum, Simeonis, Petri, et Samuelis, progenitorum meorum et cæterorum omnium imperatorum Bulgarorum. « (53) Ve- « rum, Deo adjuvante, et intervenientibus ora- « tionibus sanctitatis tuæ, venit ad me præsens nun- « tius apostolicæ cathedræ, et primæ sedis principis « apostolorum, et sanctæ et universalis Ecclesiæ « Romanæ, Joannes, capellanus, et detulit mihi « *litteras* (54) ex præcepto sanctitatis vestræ et « apostolicæ sedis, et palleavit dictum archiepisco- « pum, et fecit eum primatem totius Bulgariæ et « Blaciæ, et portavit imperio meo litteras sanctita- « tis tuæ, et exposuit quidquid ei sanctitas vestra « mandavit ; et repletum est cor meum gaudio ma- « gno, quoniam secundum voluntatem imperii mei « donavit mihi Deus et sanctitas tua. Et rogo et de- « precor *magnam sanctitatem* (55) tuam ut compleat

(44) Apogr. Cont. *creditum.*
(45) Hactenus Raynaldus.
(46) Sic in apgr. Legeudum forte, *Priosthlavæ.*
(47) *Prisdiani Abraham. Peccator et humilis episcopus.*
(48) Vide Gesta Innocentii, § LXXI, Raynaldum, ad annum 120 § 30, et notas ad epistolam superiorem.
(49) Apogr. Cont. deest.
(50) Apogr. Cont. add. *sanctam.*
(51) Huc usque Raynaldus.
(52) Gest. deest hoc verbum.
(53) Rursus Raynaldus.
(54) Apogr. Cont., *palleum.*
(55) Apogr. Cont. *magnificentiam.*

« desiderium imperii mei, et mittat virgam pastoralem ad congregandas oves, et cætera quæ patriarcha consuevit habere, et faciat præsentem « primatem et patriarcham in sancta et magna ecclesia Trinovæ, primæ civitatis totius Bulgariæ, « et habeat ecclesia ipsa etiam post mortem istius « patriarchæ patriarcham in perpetuum, ex præcepto sanctitatis tuæ. Et quoniam grave esset, « propter longitudinem viæ et guerram hominum, « in obitu cujus*que* (56) patriarchæ recurrere « ad Ecclesiam Romanam, concedatur ab Ecclesia Romana ecclesiæ Trinovæ, ut sibi possit « eligere et consecrare patriarcham, ne ex ejus absentia terra illa sine benedictione remaneat, et « tua consecratio imperfecta, et redundet peccatum « in sanctitatem tuam. Nunc autem petimus ut fiat « chrisma ex præcepto sanctitatis tuæ in sancta et « magna ecclesia civitatis Trinovæ, pro baptismate « Christianorum. Sciat sanctitas tua quod cum « sciverint Romæ (57) quod receperimus consecrationem a sanctitate tua, non dabunt mihi « chrisma. Et aliud peto a sanctitate tua, ut mittas « cardinalem ad imperium meum, seu istum qui « venit ad me, sive alium a sede apostolica, et des « ei diadema et sceptrum secundum apostolicæ sedis « et apostolorum principis benedictionem, et mittas « privilegium bullatum aurea bulla ad exemplar ipsius servandum perpetuo in ecclesia Trinovæ; et « hæc omnia dent imperio meo, et consecrent et « coronent imperium meum. Omnia autem prædicta, « *quæ* (58) mitti debent ad imperium meum a sanctitate tua, videat præsens nuntius, episcopus « Brandizuberensis, Blasius, ut possit referre quid « tu scripseris manu propria. Et si hæc omnia impleverit sanctitas tua ita reputabo cum prosapia « imperii mei et omnium Bulgarorum et Blacorum, « quod *sumus* (59) dilecti filii orthodoxæ sanctæ Romanæ ecclesiæ. Et de confinio Ungariæ, Bulgariæ, « et Blaciæ relinquo judicio sanctitatis tuæ ut dirigas « negotium istud recte et juste, ut non habeat peccatum anima sanctitatis tuæ, et ita habeat imperium meum justitias Bulgariæ et Blaciæ, quod « rex Ungariæ habeat justitias Ungariæ, et cessent « occisiones Christianorum in me et *imperium* (60). « Sciat autem sanctitas tua quod quinque episcopatus Bulgariæ pertinent ad imperium meum, quos « invasit et detinet rex Ungariæ cum justitiis ecclesiarum; et ipsi episcopatus sunt annihilati; et « si justum est hoc fiat. Quidquid dicturus est præsens nuntius imperii mei, episcopus Brandizuberensis, Blasius, sanctitati tuæ, habeas verum; « quoniam ex parte mea dicet. Misi sanctitati tuæ « examita (61) dupla tria, et cuppam auream,

A « et yperperorum (62) libras quatuor, et scutellas « argenteas tres, et gradale (63) argenteum. Imperator Bulgariæ Calojoannes. »

VII.

ANASTASIO ARCHIEPISCOPO BELLEBUSDIENSI.

*Mittit ei pallium.*

Cum omnes unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nec omnia membra eumdem actum habere noscantur, sed non solum in officiis sed in forma et a se distent, distantia hujusmodi, vel differentia potius, non deformitatem corporis sed decorem potius operante, cum stella etiam in claritate distet a stella, decet, ut qui majorem locum in Ecclesia Dei tenent, honorentur amplius, et specialibus honoris insignibus adornentur. B Cum igitur venerabilem fratrem nostrum..... archiepiscopum Trinovitanensem in omnibus terris, in quibus charissimus in Christo filius noster, Calojoannes, rex Bulgarorum et Blacorum illustris, imperat, primatem duxerimus statuendum, honoris insignia, quæ ad officium ejus spectant, et juxta sedis apostolicæ consuetudinem concedentes; ut te quoque, tanquam honorabile membrum ecclesiæ Trinovitanensis, et metropolitanum Belebusdiensis ecclesiæ, ac suffraganeis ejus metropolitico jure prælatum, specialiter honoremus, per dilectum filium, L. tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum honestate morum et dote scientiæ commendatum, quem inter cæteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, palleum de corpore beati Petri sumptum, C insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, tibi dirigimus conferendum juxta formam bullæ nostræ munimine roboratam. Monemus igitur fraternitatem tuam, et exhortamur in Domino, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus illud humiliter et devote suscipias, et eo, non ad elationem sed humilitatem potius, infra ecclesiam tua in missarum solemnibus, diebus illis utaris, quos idem tibi cardinalis exponet, talemque te studeas exhibere, ut interior virtutum ornatus exteriorem vestium ornatum excedat, et amictus exterior interiorem mentis habitum, non imaginaria tantum simulatione sed vera potius expressione figuret.

VIII.

ILLUSTRI REGI BULGARORUM ET BLACORUM.

D *Significat ei quod mandavit legato ut ipsum inungeret et regalia ei concederet.*

Licet, ex eo quod, per apostolorum principis merita, univeralis Ecclesiæ sub eo sumus pastore pastores, qui oves alias, quæ de ipsius ovili non fuerant, in unum adduxit ovile, ac pascendas eas Petro pastori commisit: *Pasce*, inquiens, *oves meas* (*Joan.* XXI), instantia nostra quotidiana sit

(56) Apogr. Cont. *libet.*
(57) Id est, *Constantinopolitani.*
(58) Gest. deest.
(59) Apogr. Cont. *sint.*
(60) Sic in Gestis. Verum in apogr. Conti, et apud Raynaldum, legitur *ipsum.*
(61) Examitum, *al.* Exametum, panus holosericus, Græcis recentioribus ἑξάμιτος.
(62) Moneta imperatorum Byzantinorum aurea, sic appellata, quasi ex auro eximie rutilo et recocto confecta esset, Cang., tom. III, col. 1275.
(63) Librum continens *Gradalia* vel *Gradualia*, id est Antiphonarium.

universarum ecclesiarum sollicitudo continua, et A profectus omnium populorum, quos mater Ecclesia, fermento veteri expurgato, in novam regeneravit infantiam, et in sinum suum, sicut gallina pullos suos congregat, congregavit; Bulgarorum et Blacorum populis tanto nos reputamus specialibus debitores, quantum non solum fidem catholicam per sedem apostolicam olim devotius receperunt, sed descenderunt etiam ex sanguine Romanorum, quorum sumus profectui et ministerio specialius deputati, qui tanquam peculiaris populus noster, nobis tam in spiritualibus quam temporalibus nullo subjacent mediante. Ut igitur ejus magisterium recognoscant, a qua sciunt se spiritualiter didicisse quod credunt, et quod sunt carnaliter accepisse, cum secundum carnem descenderint ex nobilibus Romanorum, nos, B pro quibus Dominus tanquam beati Petri successoribus exoravit, ne deficiat fides nostra, sed fratres nostros conversi aliquando confirmemus, eos confirmare volumus in fide catholica, et in devotione sedis apostolicæ roborare. Ut autem paternæ dilectionis affectu, quem gerimus circa ipsos, omnibus innotescat, et in filiis matris liberalitas commendetur, in spiritualibus et temporalibus eos tanquam speciales Ecclesiæ Romanæ filios volumus honorare, ideoque dilectum filium, L. tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum litteratura conspicuum et præditum honestate, quem inter cæteros fratres nostros specialis dulcedinis brachiis amplexamur, in Bulgariam et Blaciam a nostro latere destinamus, qui te auctoritate ac C vice nostra inungat, sceptrum tibi regale tribuat, et imponat regium diadema. Cumque venerabili fratri nostro... archiepiscopo Trinovitanensi, per dilectum filium, J. capellanum nostrum, pallium duxerimus destinandum, et statuerimus eum totius Bulgariæ ac Blaciæ primatem, per eumdem legatum metropolitanis, quos idem capellanus instituens ei de novo subjecit, pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, destinamus, eis juxta formam, quam sub bulla nostra interclusam mittimus, conferendum; eidem quoque legato plenam contulimus facultatem corrigendi quæ corrigenda cognoverit, et statuendi quæ duxerit statuenda, mandantes eisdem, ut tam clerum quam populum, in his quæ pertinent ad fidei Christianæ profectum, informent, et de benevolentia nostra efficiant cer- D tiores. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur attentius, quatenus legatum ipsum sicut personam nostram, imo nos et beatum Petrum in ipso, benigne recipias et honorifice studeas pertractare, salubria monita et statuta ipsius et tu ipse recipiens et observans, et ab universa terra tua recipi faciens et servari; taliter super hoc quod scribimus impleturus, ut devotionis affectum, quem circa nos et Romanam ecclesiam habere te credimus, in effectu operis cognoscamus.

## IX.

ARCHIEPISCOPO TRINOVITANENSI, TOTIUS BULGARIÆ ET BLACIÆ PRIMATI, ET ALIIS ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, CLERO, ET POPULO IN BULGARIA, ET BLACIA CONTITUTIS.

*Mittit ei pallium.*

Licet ex eo, etc., *usque* certiores. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus legatum ipsum, etc., *usque* honorifice pertractetis, ea quæ inter vos corrigenda duxerit vel etiam statuenda, suscipientes hilariter et inviolabiliter observantes, ut, etsi fueritis hactenus sicut oves errantes, ex quo tamen conversi estis ad episcopum et pastorem animarum vestrarum, ejus sequamini doctrinam et formam, cui Dominus totius Ecclesiæ magisterium contulit et primatum. Cavete autem, ne de facili moveamini a constantia mentis vestræ, sed in bono perseverantes proposito, in devotione sedis apostolicæ humiliter persistatis, ut in illius videamini petræ soliditate firmati, supra quam Dominus Ecclesiæ posuit fundamentum, claves regni cœlorum concedens, ut esset, quibus Petrus aperiret, apertum, et quibus clauderet, non pateret.

## X (64).

*Forma qua pallium tradi debet archiepiscopis Belesbudiensi et Trinovitano.*

[Ad honorem Dei] omnipotentis et beatæ Mariæ Virginis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et domni papæ Innocentii, et Romanæ Ecclesiæ, nec non et Ecclesiæ tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, quo ad missarum solemnia infra ecclesias tibi subjectas utaris in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in Ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, Natali beati Joannis Baptistæ, solemnitatibus omnium apostolorum, commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus ecclesiarum, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, et anniversario consecrationis tuæ. [Sane, solus Romanus pontifex in missarum solemniis pallio semper utitur, et utique, quoniam assumpus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium figuratur. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in ecclesia sua, in qua jurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis].

(64) Fragmentum hujus epistolæ reperitur inter Decretales, lib. I, tit. 8, *De auctoritate et usu pallii*, cap. 4. Integra legitur in Gestis, § LXXVII. Quæ in Decretalibus exhibentur, hic uncis inclusa sunt.

### XI (65).

*Forma juramenti ab archiepiscopo Trinovitano præstiti.*

Ego, archiepiscopus Trinovitanus, primas totius Bulgariæ et Blaciæ, ab hac hora in antea ero fidelis et obediens beato Petro sanctæque Romanæ et apostolicæ sedi, et domino meo (66) Innocentio ejusque Catholicis successoribus. Non ero in facto, vel consilio, vel consensu, ut perdant vitam aut membrum, vel capiantur aut spolientur. Consilium quod mihi crediderint, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Eorum certum malum si scivero, impedire studebo. Quod si non potero impedire, eis, quam cito potero, *intimare curabo* (67). Papatum Romanum, honores, dignitates et rationes apostolicæ sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditione canonica fuerim impeditus. Apostolorum limina singulis quadriennis per me vel per meum nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licentia. Legatum apostolicæ sedis, quem pro certo scivero esse legatum, devote suscipiam, et in suis necessitatibus adjuvabo. Cum quemlibet de meis suffraganeis (68) consecravero, faciam illi jurare ut Romano pontifici et Ecclesiæ Romanæ perpetuam obedientiam et debitum honorem impendat. Cæterum, cum aliquem coronavero in regem Bulgarorum et Blacorum, juxta indulgentiam mihi et successoribus meis ab apostolica sede concessam, ab eo juratoriam recipiam cautionem, quod ei qui tunc apostolicæ sedi præfuerit, successoribus ejus, et Ecclesiæ Romanæ devotus et obediens permanebit, et cunctas terras et gentes suo subjectas imperio, in obedientia et devotione sedis apostolicæ conservabit. Hæc omnia bona fide servabo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Evangelia in præsenti et in futuro. Amen.

### XII (69).

CALOJOANNI REGI BULGARORUM ET BLACORUM ILLUSTRI.

*Mittit ei vexillum.*

Ut in cruce Domini nostri Jesu Christi cum apostolo glorieris, et non tibi, sed ei cui flectitur omne genus, tuos de cætero triumphos ascribas, qui docet manus ad prælium et digitos movet ad bellum, et inter varios bellorum eventus ejus suffragio sentias te muniri, cui Dominus claves regni cœlorum et ligandi atque solvendi contulit potestatem, præter regiæ dignitatis insignia, quæ tibi per dilectum filium, Leonem, tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum providum et honestum, [tuæ serenitati dirigimus, per eumdem, vexillum, quo contra illos utaris qui honorant labiis Crucifixum, cor autem eorum est lon-

A ginquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri, B. (70) Brandizuberensis episcopi, tibi duximus destinandum. Prætendit autem non sine mysterio crucem et claves, qui beatus Petrus apostolus et crucem *pro* (71) Christo sustinuit, et claves a Christo suscepit. Repræsentat itaque signum crucis, in quo Christus, utpote qui vincit, regnat et imperat, debellavit aereas potestates, et in quo capiens præda prædonem absorbuit, moriens vita mortem et Behemoth cepit in suis oculis quasi hamo. Clavem autem geminam repræsentat, discretionis alteram reliquam potestatis, ut cum discreveris inter bonum et malum, lucem et tenebras, sanctum et profanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, *in* (72) laudem vero bonorum exer-
B ceas, et arma contra illos apprehendas et scutum qui non posuerunt Deum adjutorem sibi), sed in feritate sua et multitudine confidentes, nituntur contra stimulum calcitrare. Monemus igitur serenitatem regiam et hortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eodem vexillo in humilitate cordis utaris, et inter acies bellicas memor Dominicæ Passionis existas, ejusque magisterium recognoscas, cui Dominus ipse dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVIII). Sic enim inimici tui non solum contra te prævalere non poterunt, sed ante faciem tuam dante Domino non subsistent.

### XIII (73).

C ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, ET OMNIBUS TAM CLERICIS QUAM LAICIS, IN REGNO UNGARIÆ CONSTITUTIS.

*Scribit eis super reductione Bulgarorum, et ut legatum bene tractent.*

Volens apostolica sedes filios suos per varias mundi partes in unum, seu gallina sub alis pullos suos congregat, congregare ut ipsa suas oves agnoscat, et agnoscatur ab eis, fiatque unum ovile, ac unus pastor, sicut Dominus ipse dicit, Bulgarorum, et Blacorum Ecclesiam, quæ, tanquam non cognosceret semetipsam, illo pastore relicto, cui Christus pascendas commiserat oves suas : *Pasce*, inquiens, *oves meas* (*Joan.* XXI), post vestigia gregum abierat, et velut ovis errans recesserat ab
D ovili, ad se desiderat revocare, ut sit, juxta verbum propheticum, bonum pariter et jucundum habitare fratres in unum, fiatque majus gaudium ecclesiis Dei super ecclesia illa, cum ad apostolicæ sedis devotionem redierit, et reconciliata fuerit ecclesiasticæ veritati, quam supra nonaginta novem aliis, quas nec mors, nec gladius ab Ecclesiæ Romanæ reverentia

(65) Legitur in Gestis, § LXXVII, et apud Raynaldum, ad annum 1204, § 44.

(66) Apogr. Cont. add. *papæ.*

(67) Apogr. Cont. *nuntiare intimabo.*

(68) Apogr. Cont. add. *in episcopum.*

(69) Exstat in Gestis, § LXXIV. Eamdem etiam, sed non integram exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 36. Quæ apud ipsum leguntur, hic de more uncis inclusa sunt.

(70) In Gestis deest.

(71) Gest. in.

(72) Gest. deest. Rayn. et.

(73) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 45.

separavit. Ut igitur, ejus exemplo, qui filium prodigum redeuntem induit stola prima, et annulum dedit ei, Bulgarorum et Blacorum populos ad devotionem et reverentiam sedis apostolicæ redeuntes, in spiritualibus et temporalibus honoremus, per dilectum filium, L. tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem apostolicæ sedis legatum, virum providum et honestum, et inter cæteros fratres nostros prærogativa quadam dilectionis acceptum, ipsos duximus visitandos, qui eos in fide catholica et Ecclesiæ Romanæ devotione studeat confirmare. Ne autem primogenito scandalum pariat, et his qui nobiscum sunt semper quamdam velut invidiam moveat, si ecclesiam illam cum primogenito ad matris ubera redeuntem taliter honoremus, occidentes in ejus reditu vitulum saginatum, ei autem nec hædum etiam quem cum amicis suis comedat tribuamus, sed ipse gaudeat, et pariter epuletur, quoniam epulari eum convenit, et gaudere, quia frater ejus qui mortuus fuerat jam revixit, et qui perierat est inventus; eidem legato plenam concessimus facultatem, ut in provinciis per quas transit, causas quæ ad ejus audientiam perferentur, audiat et decidat, si potuerit, vel deleget, metatque in earum decisione et delegatione de ipsis omnia scandala; et seminans semen pacis cuntroversias studeat sepelire, et fiat odor vitæ in vitam omnibus per quos transit. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus cardinalem ipsum sicut apostolicæ sedis legatum recipiatis hilariter et honorifice pertractetis, et tam in eundo, quam redeundo in necessariis omnibus, et securo conductu ita liberaliter provideatis eidem, ut patronum eum de cætero apud sedem apostolicam habeatis, tantoque citius ab ea exaudiatur pro vobis, quanto a vobis pro ipsa fuerit amplius honoratus.

### XIV (73).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, ET UNIVERSO CLERO, IN SERVIÆ PROVINCIA CONSTITUTIS.

*De eodem argumento.*

Volens apostolica sedes, etc,, *in eumdem fere modum, usque* est inventus. In Servia quoque ipsi legationis officium duximus injungendum, ut evellat, destruat, disperdat et dissipet, ædificet et plantet, juxta quod ad profectum catholicæ fidei, statum ecclesiæ, correctionem et utilitatem vestram viderit expedire. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur in Domino, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus legatum ipsum sicut personam nostram, imo nos in eo recipientes, hilariter et honorifice pertractantes, statuta et mandata ipsius suscipiatis humiliter et inviolabi-

A liter observetis; alioquin, sententiam quam tulerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, inviolabiter observari.

### XV (75).

ELIENSI EPISCOPO, ET.... ABBATI SANCTI EDMUNDI (76).

*Ut mercatoribus Romanis super pecunia, ipsis a Rogerio de S. Edmundo debita, satisfieri curent.*

(Anagniæ, VI Non. Maii.)

Etsi devotionem illius in Domino commendemus qui mandatorum nostrorum est diligens exsecutor, quia tamen intentionis nostræ non est injusta mandare, ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur, mirari cogimur et moveri, si quando forte mandata per subreptionem a nobis fraudulenter extorta scienter exsecutioni demandet, cum non debeat ignorare, B quod, secundum canonicas et legitimas sanctiones nostras, mendax precator carere debet penitus impetratis, quia fraus vel dolus alicui patrocinari non debet, et jura non deceptoribus subveniunt, sed deceptis. Gravem itaque nobis dilecti filii, Jacobus de Josto, S. Bobonis de Maximo, M. Guidonis Marronis, S. Joannis Pantaleonis, et He. frater ipsius, S. Capharellus, Nich. Octavianus Deustegardet., et L. Pizulinus, mercatores Romani, proposuere querelam, quod, cum bonæ memoriæ Ro. de Sancto Edmundo, ex illa licentia generali quam apostolica sedes omnibus crucesignatis indulsit, et ex alia speciali quam nos eidem cruresignato concessimus, usque ad 3^m obligasset eisdem sua beneficia universa pro certa pecuniæ quantitate, quam recepit ab eis in terræ sanctæ subsidium profecturus, et C inde, post ejus decessum, generaliter mandaverimus omnia beneficia, quæ tempore mortis habebat, prædictis mercatoribus assignari, ut de ipsorum proventibus pecuniam reciperent, usuris cessantibus, mutuatam, venerabilis frater noster... Dunelmensis episcopus (76), qui pro mercatoribus ipsis primo secundoque apostolicum mandatum suscepit, occasione mandati ad ipsum vel ad dilectum filium... abbatem Sancti Albani (77), pronepotem venerabilis fratris nostri, S. Albanensis episcopi (78), prædictorum omnium veritate tacita, impetrati, super ecclesia, quam idem R. ab ejusdem abbatis possederat monasterio (79), ipsius episcopi conferenda nepoti, eadem illi ecclesiam dicitur assignasse, qui per procuratorem suum non solum il- D lum accepit, verum etiam percipit fructus ipsius in præjudicium mercatorum, qui de proventibus ipsius ecclesiæ potuissent plenius quietari. Unde, per effectum operis patet qualis fuit impetrantis affectus. Recolimus etiam, ipsum abbatem ad primum mandatum nostrum id facere noluisse, sicut per suas nobis litteras intimavit: tum quia, priusquam prædictus Rog. ipsam ecclesiam per favorem regium

(74) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 45.

(75) De Eliensi episcopo et abbate S. Edmundi, jam dictum est supra.

(76) Lib, x, epist. 135.

(77) Conferenda omnino ea quæ diximus ad epitolam libri sexti 204, not.

(78) Vide epistolam hujusce libri septimi 3, not.

(79) Sic in apogr.

accepisset, ipse ad illam vacantem quemdam clericum canonice præsentavit, jure sibi ex sola præsentatione sua in eadem ecclesia secundum canones acquisito, quia jus patronatus pinguius a clericis quam a laicis possidetur; tum etiam quia eadem ecclesia, quæ curam habet animarum annexam, maxime cum sit magna debet ad regimen suum non mercenarium sed pastorem habere. Cumque prædictus clericus super jure suo sibi reintegrando litteras apostolicas impetrasset, nulla de litteris ipsis in primo mandato mentio facta fuit. De quibus licet in secundo mandato fecerimus mentionem, quia proponebantur per vitium facilitatis obtentæ, mandavimus tamen cum inquisitione procedi, ne posset eidem clerico præjudicium generari, sed ipse, sicut accepimus, conqueritur vehementer grave sibi præjudicium esse factum, sive per fraudem adhibitam, sive per violentiam irrogatam. Quia vero, sicut de dubiis judicare non possumus, donec plene certificemur de illis, ita de certis ambigere non debemus, quin de illis libere decernamus; prædictis episcopo et abbati per scripta nostra præcipimus, ut, cum, exigente justitia, carere debeat robore firmitatis, quod occasione mandati per subreptionem obtenti noscitur attentatum, memoratam ecclesiam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, idem episcopus ad manus ejusdem abbatis, et ipse abbas ad manus suas non differat revocare, remoto ab eo procuratore seu vicario nepotis prædicti episcopi Albanensis, vel alio quolibet detentore, proventus ipsius fideliter colligentes, ut ad mandatum nostrum in solutionem prælibatæ pecuniæ convertantur; fructus quoque medio tempore perceptos ex ea recipere et accipere non postponant, et fructus quos idem episcopus inde percepit, eidem abbati tribuat nihilominus conservandos, contradictores, si qui fuerint, per excommunicationis sententiam, appellatione postposita, compescendo. Interim autem ipsam ecclesiam nulli penitus assignare præsumant, donec de ipsa nostræ receperint beneplacitum voluntatis, mandatum apostolicum taliter impleturi, ut diligentius exsequantur quod de scientia certa procedit, quam quod de tacita veritate prorupit. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si prænominati episcopus et abbas mandatum nostrum infra viginti dies neglexerint adimplere, vos, omni contradictione, appellatione et excusatione cessante, illud exsequi nullatenus omittatis, non obstantibus litteris, quas super hoc ipso negotio alia vice eisdem episcopo et abbati meminimus destinasse, si tamen eædem ad ipsos litteræ pervenerunt; sed nec quibuslibet aliis, si quæ apparuerint harum tenore tacito impetratæ. Nosque nihilominus eorum curaremus pro meritis inobedientiam castigare, quia, quantumcunque prædictum Albanensem episcopum tanquam honorabile membrum ecclesiæ diligamus, plus tamen Deum cœli timemus, qui jubet ne sit apud nos acceptio personarum, aut in manu nostra pondus et pondus quasi statera dolosa. Quod si non ambo, alter, etc.

Datum Anagniæ, VI Nonas Maii.

XVI (80).

PRIORI ET FRATRIBUS HOSPITALIS DE THUREGANO.

*Recipit eos sub protectione cum annuo censu unius aurei.*

(Laterani, III Id Maii.)

Solet annuere, etc., *usque* annuentes personas, et hospitale vestrum quod dilectus filius nobilis vir... dux Zeringiæ (81( pro suorum peccatorum remedio fabricavit, cum omnibus bonis, quæ impresentiarum, etc. *in modum protectionis usque* communimus. Ad indicium autem hujus protectionis a nobis obtentæ, aureum unum nobis, nostrisque successoribus, annis singulis persolvetis. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, III Id Maii.

XVII.

EPISCOPO OLORENSI (8), ABBATIBUS DE PLANA SILVA (83), ET SANCTI SEVERI (84).

*Ut archiepiscopo Auxitano, morbo caduco laboranti, coadjutorem assignent* (85).

(Laterani, III Id. Martii.)

Ad audientiam nostram, dilecto filio G. Donati, canonico Auxitanensis ecclesiæ significante, pervenit, quod venerabilis frater noster... Auxitanensis archiepiscopus, vinculo excommunicationis astrictus pallium usurpavit, et ab eo tempore usque modo nolens a se jugum excommunicationis excutere pertractavit ecclesiastica sacramenta. Idem etiam postquam pallium sic accepit, morbo laboravit caduco, et perjurii crimine indignationem in se Altissimi provocavit. Quia vero nobis super præmissis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super his diligentius veritate, si eumdem archiepiscopum inveneritis laborare, auctoritate nostra coadjutorem assignetis eidem juxta canonicas sanctiones, super

(80) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 81.

(81) Sic in apogr.

(82) Bernardus I, cognominatus, *de Sadarico*, ex abbate S. Petri Generensis, paulo post annum 1170, ad episcopatum Olorensem provectus fuit. Occurrit nomen ejus in instrumentis usque ad annum 1205. *Gall. Chr.* tom. I, col. 1269.

(83) De plane Silvæ abbatibus, rauca sane referuntur, sive in Annimalibus Præmonstrat.; tom. II, col. 571, sive apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. II; col 892.

(84) Duo sunt S. Severi monasteria, ad quorum abbates dirigi potuit hæc epistola.

S. Severi, in capite Vasconiæ, Adurensis diœceseos, abbas decimusquintus numeratur Arsius, anno circiter 1200, qui idem Lascurrensis episcopus obiit III Nonas Augusti, ann. 1213, ex S. Severi monumentis. Vid. *Gall. Christ.*, t. I col 1177.

S. Severi de Russitano, in diœcesi Tarbensi, abbatum series nimium imperfecta, nullum, circa hæc tempora, abbatem exhibet. Vid. *ibid.*, col. 1244.

(85) Conferenda omnino ea quæ diximus ad epistolam libri quinti 96, not.

aliis quod canonicum fuerit sublato appellationis obstaculo statuentes. Cæterum, quia dictus canonicus cum eum tali morbo sciverit laborare in susceptione pallei minime reclamavit, imo fraudulenter veritatem suppressisse videtur, volumus, et mandamus, ut, si vobis ita esse constiterit, ipsum, remoto appellationis obstaculo, canonice puniatis. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Laterani, III Id. Martii, anno septimo.

XVIII.

NOBILI VIRO... DUCI VENETORUM, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Ipsum ac Venetos ad resipiscendum, et ad pœnitentiam agendam, propter facinus quod adversus Jaderam commiserant hortatur.*

(Anagniæ, VI Kal. Martii.)

Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui civitatem Venetiarum in pluribus honorarunt, ad honorem ejus intendimus et profectum, nec difficiles nos exhibuimus in petitionibus nobis pro ipsa porrectis, sed eas, quantum cum Deo, et honestate potuimus, curavimus promovere, sicut et ipsi novimus, et te credimus meminisse. Verum quanto magis ad ejus aspiravimus commodum, et augmentum, tanto desideravimus amplius, ne illius in se provocaret offensam, qui exaltat humiles, et humiliat exaltatos. Noverat autem tua nobilitas, noverat et populus Venetorum, qualiter charissimus in Christo filius noster, H, rex Ungarorum illustris, et nobilis vir A. dux, frater ipsius, assumpserant signum C crucis, et in terræ sanctæ subsidium proposuerant transfretare, quorum profectus vobis impedientibus hactenus est dilatus. Præterea, te, ac Venetos non latebat, qualiter, post excidium terræ sanctæ, apostolica sedes universos qui ejus reliquiis subvenirent a die qua signum crucis acciperent, usque ab obitum, vel reditum eorumdem, in sua protectione susceperit, et tam familias eorum, quam bona sub ecclesiastica defensione præceperit manere secura. Ad notitiam quoque tuam novimus pervenisse, qualiter etsi rex ipse, ac terra ipsius, ex eo quod crucem assumpserat, auctoritate constitutionis super hoc a prædecessoribus nostris editæ, apostolica protectione gauderet, quia tamen plus timeri solet quod specialiter pollicetur, quam quod generaliter concluditur sponsione, protectionis nostræ litteras specialiter petierit, et recepit ad cautelam, quas si nec potuimus, nec debuimus denegare, ne illi subtrahere videremur quod signatis omnibus est indultum. Credimus etiam te novisse, qualiter nuntiis tuis, qui ad sedem apostolicam cum crucesignatorum nuntiis accesserunt, petentibus pactiones inter vos initas confirmari, et per eos tibi, et Venetis duxerimus inhibendum, ne terras regis ipsius aliquatenus læderetis. Insuper, ut iter Domini fieret in timore, nec modicum fermenti corrumperet totam massam per litteras nostras, quas ad audientiam tuam et Venetorum credimus pervenisse, curavimus districtius

A inhibere, ne terras Christianorum invadere, vel lædere tentaretis, nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia justa et necessaria causa tamen occurreret, propter quam aliud agere, accedente consilio apostolicæ sedis legati, possetis; si qui autem contra præsumerent, se scirent excommunicationis vinculo innodatos, et indulgentiæ, quam sedes apostolica crucesignatis indulsit, immunes. Tu autem et tui, omnibus his despectis, et legato nostro repulso, contra regem ipsum primo impetum facientes, ante Jaderam primas acies expandistis, et in auxilium vestrum convocantes exercitum Gallorum obtinuistis ab eis ut vestris consentirent, et manus suas fraterno sanguine macularent. Cepistis igitur, et evertistis per violentiam civitatem, des-B truxistis ecclesias, et altaria suffodistis, et in divinæ majestatis offensam, et Ecclesiæ Romanæ contemptum, commisistis facinus jam notorium pene penitus toti mundo. Non enim crucem sumpsistis, aut sumere debuistis in obsequium Jesu Christi, ut expugnaretis Christianos, sed potius Agarenos, crucis ipsius perfidos inimicos. Hæc autem ad correctionem vestram referimus ex charitate sincera, quia pater filium, quem diligit, corripit, et Deus quos amat arguit et castigat. Recepimus vero litteras Constantinopolitani imperatoris et tuas, et quæ significastis per eas notavimus diligenter. Verum, quamvis optemus ut per studium, et sollicitudinem tuam, ad devotionem apostolicæ sedis Constantinopolitana ecclesia revertatur, quia tamen ad subsidium terræ sanctæ propensius aspiramus, ne succursus ejus dilatus hactenus diutius differatur, monemus nobilitatem tuam et exhortamur in Domino, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, tu, et Veneti, reconciliati ecclesiasticæ unitati, peccatorum vestrorum maculas pœnitentiæ lacrymis expietis, ut, a criminum labe purgati, bellum Domini possitis in puritate cordis et corporis præliari, nec de multitudine, vel potentia vestra, vel ex eo quod prospere vobis successit hactenus, præsumatis, sed quanto plura Dominus vobis præter merita vestra concessit, tanto vos amplius in ejus oculis humiliare curetis, et patientia ejus ad pœnitentiam vos adducat, ut, absolutione in humilitate quæsita, et cum devotione suscepta, recuperationi terræ sanctæ totis viribus insistatis, quoniam id potissimum erit D vobis et meritorium apud Deum et apud homines gloriosum. Nos autem quod ipsi terræ videbimus expedire, studebimus, dante Domino, efficaciter procurare.

Datum Anagniæ, VI Kal. Martii.

XIX.

PRIORISSÆ ET MONIALIBUS DE RUESPERRA.

*Recipit eas sub protectione.*

(Anagniæ, II Non Martii.)

Solet annuere, etc. *usque* assensu. Personas vestras cum omnibus bonis vestrisque impræsentiarum, etc., *in modum protectionis, usque* communimus, districtius inhibentes, ne quis de novalibus

vestris, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis a vobis exigere præsumat. Nulli ergo, etc.

Datum Anagniæ, II Non. Martii.

### XX (86).

EPISCOPO FESULANO (87).

*Ne obediat consulibus Florentinis, qui dictum episcopatum transferre in civitatem Florentinam ordinaverant, subasserto jure patronatus, quod rescindi mandat.*

(Laterani, III Id. Martii.)

Lacrymabilem dilectarum in Christo filiarum, monialium Sancti Petri Florentini, querelam accepimus, quod consules civitatis ejusdem juramento se illicito astrinxerunt, ut episcopatum Fesulanum ad suam transferant civitatem, proponentes sedem B episcopatus ipsius in eodem monasterio collocare. In suis etiam constitutionibus addiderunt, ut de jure patronatus cognitio ad eorum referatur examen, ecclesiastico judicio prætermisso. Unde dilecto filio.... priori Sancti Fridiani Lucanensis dedimus in mandatis, ut consulibus ipsis ex parte nostra districtius inhiberet, ne translationem Fesulanensis sedis facere attentarent, cum hoc, si etiam fieri ad locum oporteret idoneum, non ad eos, sed ad nos specialiter pertineret; et eisdem injungeret, ut constitutiones illas rescinderent, quas super jure patronatus in præjudicium ecclesiastici juris fecisse dicuntur, tibi etiam et capitulo tuo firmiter inhibendo, ne super his consulibus acquiesceretis eisdem Verum, cum idem prior consules et populum Florentinum ab hac præsumptione desistere monuisset, C ipsi, monitiones non attendentes ipsius, nec majestati divinæ, nec apostolicæ sedis, nec muliebri sexui deferentes, moniales ipsas suum exire monasterium compulerunt, et ipsis monialibus in capella quadam intrusis, ipsum tibi monasterium tradidere. Sane, cum nobis et Ecclesiæ Romanæ juramento fidelitatis tenearis astrictus, in quo continetur expressum, ut papatum Romanum, salvo ordine tuo, contra omnem hominem pro posse defendas, et malum nostrum, si nosti, studeas impedire, de tua discretione mirari cogimur et moveri, quod, cum episcopalis sedis mutatio, sicut scire te novimus, et alios etiam docuisse, ad Romanum tantum pontificem de jure pertineat, et consuetudine D approbata, tu papatum Romanum in hac parte non defendis ut debes, sed magis impugnas, nec malum nostrum impedis, sed procuras, dum, præter auctoritatem nostram, imo contra prohibitionem expressam, cum prædictis consulibus machinaris Fesulanensem sedem ad Florentinam civitatem in monasterio memorato transferre. In quo etiam graviter læ- A dis ecclesiasticam libertatem, dum monasterium illud quocunque modo de manu recipis laicali, cum scias quod laicis, quantumcunque religiosis, non est de rebus ecclesiasticis disponendi attributa facultas. Licet autem archidiaconus tuus ad præsentiam nostram accesserit, et visus sit te multipliciter excusare, quia tamen non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus receptis litteris istis, ad civitatem accedas personaliter Florentinam, et quod est de prædicto monasterio taliter attentatum, vel de cætero fuerit attentandum, auctoritate nostra denunties irritum et inane; consules etiam et populum Florentinum ex parte nostra moneas diligenter, ut, monialibus ipsis prædicto monasterio restituto, de damnis et injuriis irrogatis infra quindecim dies satisfacere non postponant, et rescindant constitutiones quas super jure patronatus ecclesiarum contra libertatem ecclesiasticam statuisse dicuntur; alioquin, consules ipsos, consiliarios et principales fautores ipsorum, vinculo excommunicationis innodes, et facias excommunicationis sententiam latam in eos, per tuam diœcesim, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem idoneam solemniter publicari. Quod si prætermiseris adimplere, ab officio pontificali suspensus, infra mensem in persona propria te nostro conspectui repræsentes, nobis de tanto satisfacturus excessu, quia, coram nobis positus, pro certo cognosces utrum pecunia tua, sicut dicitur te jactasse, possit apud nos redimere culpam tuam.

Datum Laterani, III Idus Martii.

### XXI (88).

PRIORI SANCTI FRIDIANI LUCANENSIS (89).

*De eodem argumento.*

(Laterani, Id. Martii.)

Lacrymabilem, etc., *in eumdem fere modum, usque* tradidere. Dolemus autem, non tam pro monialibus ipsis quam pro consulibus memoratis, cum non sit minus injuriam perpetrare quam perpeti, magis vero dolemus propter apostolicam sedem, cujus singulare privilegium violare nituntur, cum ad eam tantum pertinebat episcopalis sedis mutatio, et propter universalem Ecclesiam, cujus intendunt infringere libertatem, cum laicis nulla sit de rebus ecclesiasticis disponendi attributa facultas. Unde, nos eidem episcopo in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandavimus, ut, receptis litteris nostris, etc., *usque* excessu. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus prædictos consules et populum Florentinum, nisi ad

(86) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 77.

(87) Raynerius, præsul Fesulanorum erat ab anno 1193. Anno 1218, variis criminibus initiatus apud Honorium PP. III, ab abbatibus S. Galgani et S. Michaelis, super iis apostolicis commissariis constitutis, mœrore animi tabefactus, diem obiit sequenti anno 1219. UGHELL. *Ital. sacr.*, tom. III, col. 321.

(88) Vide Raynaldum, *ibidem*.

(89) De eo jam dictum sæpius.

commonitionem tuam prædictam curaverint adimplere (90), tu consules ipsos et principales fautores eorum vinculo excommunicationis astringas, et sententiam ipsam facias per circumadjacentes civitates, pulsatis campanis et candelis accensis, solemniter publicari, quibus auctoritate nostra districtius facias inhiberi, ne cum illis aliqua contrahant mercimonia, sed eos potius tanquam excommunicatos evitent, ipsisque consulibus et toti populo Florentino ex parte nostra denunties, quod si forte in sua pertinacia duxerint persistendum, mercatores eorum per terras, ad quas devenerint, capi ac detineri cum omnibus mercimoniis faciemus; et, cum duos episcopos in sua velint statuere civitate, illis erit merito formidandum, ne unicum episcopatum eorum dividamus in duos.

Datum Laterani, Idibus Martii.

## XXII

ARCHIPRESBYTERO, ET G. ET R. MAGISTRIS CANONICIS LUCANENSIBUS.

*In favorem Noradi, subdiaconi, ne ipsum molestatione vexari sinant.*

(Laterani, XIV Kal. Aprilis.)

Significavit nobis dilectus filius Noradus, subdiaconus noster, quod, cum inter ipsum ex una parte et S. et S. fratres suo controversia suborta fuisset, B. avunculus, R. et C. cognati eorum quod eorum super hoc essent arbitrio parituri sibi astrinxerunt eos per juratoriam cautionem, et eidem subdiacono sub debito juramenti secreto postmodum injunxerunt, ut, relicto habitu clericali, matrimoninm contrahere non differret, et usque ad sexdecim annos aliquam hæreditatis suæ non peteret portionem, quorum arbitrio prædictus subdiaconus noluit, sicut nec debuit, obedire. Cum igitur mandatum hujusmodi fuerit illicitum et iniquum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus· quatenus eum super hoc non permittatis alicujus infamiæ molestatione vexari, cum sint ipsi potius, qui non sunt veriti taliter arbitrium promulgare; culpabiles judices, et, prædicto juramento vel arbitrio non obstante, faciatis eidem per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, patrimonii sui portionem debitam exhiberi. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, XIV Kalendas Aprilis.

## XXIII.

CONSULIBUS ET POPULO CAMERANENSIBUS.

*Ut recuperent et conservent possessionem Romanæ Ecclesiæ in castro Cameranensi.*

(Laterani, VIII Kal. Aprilis.)

Ad audientiam nostram noveritis pervenisse quod A possessiones et jura, quæ in castro Cameranensi habemus, male tractantur, et per incuriam et negligentiam deperduntur. Quocirca, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus dilecto filio Bald. civi Anconitano, de possessionibus et justitiis omnibus quas habemus in castro, vel ejus pertinentiis, respondere curetis. Ipse enim Bald. nobis juravit quod possessiones et jura ad ecclesiam Romanam spectantia in castro prædicto, et circa illud, et in ejus pertinentiis constituta, bona fide recuperabit ad nomen et utilitatem Romanæ Ecclesiæ, et quæcunque ad manus suas sive jam acquisita, sive in posterum acquirenda, in supradicto castro et ejus pertinentiis, quocunque modo pervenerint, bona fide ad nomen et utilitatem B Romanæ Ecclesiæ conservare, non minuere, non alienare, nec alienanti consentire, sed ad mandatum nostrum, vel successorum nostrorum, ea omnia cum integritate qualibet et augmento restituere sub eadem fidei religione promisit. Nos autem, ne possessiones vel jura ipsius castri alienari possint vel minui, omnem alium contractum decernimus irritum et inanem.

Datum Laterani, VIII Kal. Aprilis.

## XXIV (91).

EPISCOPO (92), ET CAPITULO LUNENSIBUS.

*Translationem episcopatus Lunensis ad Sarzanam auctoritate apostolica confirmat*

(Laterani, VIII Kal. Aprilis.)

Per litteras vestras olim nostro apostolatui præsentatas, intelleximus evidenter, quod, cum Lu- C nensis civitas, in qua sedes esse dignoscitur cathedralis, sic suos habitatores devoret et consumat, quod pauci vel nulli commorentur in ea, nec sit populus qui jura et libertates ecclesiæ vestræ protegat et defendat. Deliberato tandem consilio statuistis, si vobis hoc sedes apostolica indulgeret, ut ad locum alium populosum, Sarzanam nomine, episcopalem cathedram transferretis, et tempore sanctæ memoriæ Gregorii papæ, prædecessoris nostri, usque adeo proposuistis fuisse processum, quod, cum ille per partes illas transitum faceret, ipsius translationis licentiam apostolica vobis auctoritate concessit, et pro construenda ecclesia dedit vobis, filii canonici, lapidem benedictum. Sed, quia post paucos dies idem prædecessor noster viam D fuit universæ carnis ingressus, vos in ipso negotio procedere dubitastis, credentes mandatum ejus in ipsius obitu expirasse, propter quod considerantes attentius utilitatem et necessitatem cleri, et populi ecclesiæ Lunensi commissi, ad præsentiam nostram dilectum filium, Ph. vestrum canonicum, transmi-

(90) Sic in apogr., sed deest aliquid.

(91) Laudata apud Raynaldum, ab annum 1204, § 82.

(92) Lunensem ecclesiam regebat Gualterus, seu Walterus, jam ab anno saltem 1198. Exstant constitutiones pro bono regimine oppidi Sarzanensis, ab ipso factæ an 1200. Sequenti anno, concessit ecclesias S. Andreæ et S. Basilii, cum pertinentiis suis, capitulo Lunensi. Cathedralem antiquam ab ecclesia S. Basilii Lunensis. ad S. Andream Sarzanensem transtulit auctoritate Innocentii PP III, anno 1204 (ut habetur in hac ista epistola libri septimi 24. Numerum canonicorum ad 16 redegit anno 1205. Anno 1202 (potius 1203), pontificatus sui VI. Non. Martii, idem Innocentius ipsi confirmavit omnia jura et bona Lunensis ecclesiæ, nec non conven-

sistis, per eum devote ac humiliter supplicantes, ut vobis transferendi sedem episcopalem ad locum prædictum licentiam præberemus. Nos autem, petitionem vestram favore sedis apostolicæ prosequentes, de fratrum nostrorum consilio, ut sedem episcopalem, nullius contradictione vel appellatione obstante, ad locum prædictum auctoritate apostolica transferretis, liberam vobis concessimus facultatem. Cumque juxta indulgentiam nostram in eodem negotio procedere curassetis, tu, frater episcope, cum quibusdam ex canonicis tuis ad apostolicam sedem accedens, humiliter supplicasti, ut, quod autoritate nostra factum fuerat de translatione prædicta, apostolico dignaremur munimine roborare. Tuis igitur, et canonicorum ipsorum precibus inclinati, translationem episcopalis sedis in B Sarzanam ex indulgentia sedis apostolicæ factam, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Decernimus ergo, etc.

Datum Laterani, VIII Kalendas Aprilis.

XXV.

ABBATI SANCTI STEPHANI, ET MAGISTRO LANFRANCO, CANONICO BONONIENSI.

*De sententia, in causa quadam, quæ hic non declaratur, abroganda.*

(Laterani, XV Kal., Aprilis.)

Dilecto filio, C. clerico, etc. *usque* mandamus, quatenus inquiratis de præmissis diligentius veritatem, et, si eidem mulieri noveritis a prædictis canonicis, non obstante appellatione, quam super hoc ab ipso abbate se asserunt emisisse, cum illi per C subsequentem concessionem parendo sententiæ renuntiasse penitus videantur, faciatis per censuram ecclesiasticam sine difficultate concedi. Alioquin, ipsius abbatis sententiam, auctoritate nostra suffulti, quoad hunc articulum, penitus irretetis, cum in hac parte contra peracti tenorem sit expresse prolata. In aliis autem articulis, latam sententiam mandamus firmiter observandum. Testes, etc. Nullis litteris, etc.

Datum Laterini, XV Kalendas Aprilis.

XXVI.

N... (93)

*Ut inquiratur super privilegiis et indulgentiis suspectis.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

Cum sint diligentius inquirenda quæ gravem su- D spcionem inducunt, unde posset grave scandalum suboriri, si prætermitterentur segniter indiscussa, A fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus personas provinciæ tuæ, quæ privilegia seu indulgentias ab apostolica sede asserunt se habere, de quibus suspicio merito habetur, ad ostensionem eorum, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Quæ si fuerint de ratione suspecta, nostro præcipias conspectui præsentari, aut ipsa tandiu apud religiosas detineri personas, donec per scriptum eorum de ipsis plenam notiam habeamus,

Datum Laterani, III Kalendas Aprilis.

XXVII (94)

PRIORI SANCTI STEPHANI FANENSIS.

*Causam, quæ inter ipsum et M. episcopum Fanensem super ecclesia S. Stephani vertebatur, auctoritate apostolica dirimit.*

(Anagniæ, V Kal. Martii.)

[Cum venerabilis frater noster, ***M***, (95) *Fanensis* (96) episcopus ] et tu, in nostra essetis præsentia constituti, et de quæstione, quæ inter vos super ecclesia Sancti Stephani Fanensis vertebatur, velletis ad invicem litigare, dilectum filium, J. (97) tituli Sanctæ Priscæ presbyterum, et J. (98) Sanctæ Mariæ in Cosmedino diaconum, cardinales, vobis concessimus auditores, coram quibus allegando proponere curavisti, quod cum prædicta ecclesia Sancti Stephani, quarumdam monialium, quæ in ea videbantur sub religionis habitu conversari, malicia faciente, fuerit fere ad desolationem redacta, illas bonæ memoriæ C. (99) Fanensis episcopus, auctoritate felicis recordationis Eugenii Papæ prædecessoris nostri, ab ecclesia memorata removit, et canonicos in ipsa instituit regulares, statuens ut ordo canonicus perpetuis in ea temporibus debeat observari, et eam ab omni exactione, tam sua quam successorum suorum et Fanensis ecclesiæ prorsus absolvit, retento sibi et ecclesiæ suæ uno cereo trium librarum, ab ea annis singulis exsolvendo; et, quia prædictus episcopus te super libertate prædicta, tam a felicis memoriæ Cœlestino papa, prædecessore nostro, quam a nobis etiam confirmata, multipliciter aggravabat, apostolicum tibi petivisti patrocinium suffragari. Prædictus vero episcopus proposuit ex adverso, quod privilegium prædicti prædecessoris sui sibi et ecclesiæ suæ nullum præjudicium inferebat, quia eo tempore quo illud indulsit ecclesiæ memoratæ episcopatui resignarat, et habitum in ipsa ecclesia receperat regularem, et post

tiones et permutationes inter ipsum ac canonicos Lunenses, diplomate quod quidem legere est apud Ughellum, sed in regestis frustra requiretur. Pervenit Gualterus ad annum 1212, quod e vivis sublatus est, præsul æterna memoria dignus UGHELL. *Ital. sacr. t.* I, *col.* 916.

(93) Desideratur inscriptio.

(94) Fragmentum hujus epistolæ reperitur inter Decretales, lib. III, tit. 39, *De censibus, exactionibus et procurationibus*. cap. 21. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ etiam lectiones dantur.

(95) Vide epistolam libri sexti 180, not.

(96) In decret. *Favensis*,

(97) De isto jam dictum est sæpius.

(98) Joannes, comes Anagninus, Jacobi comitis et Andreæ germanus frater, Innocentii PP. III affinis, ex Capellano, anno 1200, renuntiatus fuit diaconus carnadilis S. Mariæ in Cosmedino, et sanctæ Romanæ ecclesiæ cancellarius. Excessit e vita anno 1213.

(99) Imperfecta nimium episcoporum Fanensium series chronologica, apud Ughellum (*Ital. sacr*. t. I, col. 710) nullum, circa tempora Eugenii PP. III, id est ab anno 1145, usque ad annum 1153, Fanensem episcopum memorat.

tres dies pœnitens, illud privilegium revocavit; præterea, tu, et canonici illius ecclesiæ, non estis privilegio illo usi, sed omnia obsequia, sicut ante indultum privilegium, sic et post, universis successoribus illius episcopi, et sibi præsertim, in hospitiis usque ad hæc tempora curavistis sine difficultate qualibet exhibere: asserens confirmationem prædicti prædecessoris nostri fuisse per subreptionem elicitam, et hactenus occultatam; propter quod, si forsitan in aliquo læsa erat Fanensis ecclesia, restitutionem sibi fieri humiliter postulabat. Cæterum, ad proposita sic respondere curasti, quod ipsum privilegium de jure valebat, quia episcopus dum illud concessit, nec episcopatui resignaverat, nec habitum receperat regularem, et ipsum de canonicorum suorum indulserat voluntate, sicut ex eodem instrumento evidenter apparet, in quo nomina canonicorum ecclesiæ Fanensis sunt subscripta, et idem in palatio Fanensi datum fuerit, sicut in eo continetur expressum. Nos autem, cum dicti cardinales ea quæ audierant nobis fideliter retulissent, dicto instrumento diligenter inspecto, revera [cognovimus, quod prædictus episcopus spallas (100), quas ab eadem ecclesia, tam ipse, quam prædecessores sui recipere consueverant, ecclesiæ prædictæ remisit, et statuit, quod aliud ei servitium non imponeret, sibi et ecclesiæ suæ annuatim trium librarum cereo pensionis nomine reservato. Quia *vero* (101) visitationi annexa est procuratio, cum nemo suis stipendiis debeat militare, *nec os bovi alligandum sit trituranti*, et episcopus, ratione spiritualis jurisdictionis, quam habet in ea, teneatur causa correctionis prædictam ecclesiam visitare, nec intelligatur quasi novum imponi quod ab ipsa fundatione de communi fuerat jure impositum, *de consilio fratrum nostrorum* decrevimus, quod idem episcopus, cum ad ipsam ecclesiam causa correctionis accesserit, moderatam ab ea procurationem percipiat bis in anno, sed nihil aliud, præter pensionem, et procurationes præscriptas, *idem episcopus* ab eadem ecclesia exigere *valeat, aut etiam extorquere* (102).] Decernimus ergo, ut nulli, etc.

Datum Anagniæ, v Kalendas Martii.

### XXVIII.

R. DE GECLEWERDS, G. DE DRICURG. ET MAGISTRO T. RECTORI ECCLESIÆ DE LILLESCHÆ (103).

*Causam, quæ inter abbatem et monachos de Melros et nobilem virum Albanum vertebatur, dijudicandam ipsis committit.*

(Anagniæ, II Non. Martii.)

Cum dilecti filii.... abbas, et monachi de Melros, proposuerint coram nobis, quod nobilis vir Albanus quasdam terras Willelmo quondam patre ipsius A eorum ecclesiæ de Machelin in eleemosynam assignatas, violenter redigere cupiens in forestam, eos super ipsis indebite molestaret, vobis dedisse recolimus in mandatis, ut ipsum A. ab ipsorum super illis terris indebita molestatione desistere, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, cogeretis. Verum, ut super causa ipsa mandatum apostolicum impleretis, diligentius procedentes in causam, partibus in vestra præsentia constitutis, testes recepistis hinc inde, ac super attestationibus eorum, ut etiam instrumentis, diu disputationibus, ac disceptationibus habitis, in causa ipsa usque ad sententiæ calculum processistis, et causam ipsam sufficienter instructam, ad nostram audientiam remittentes, octavas Sancti Andreæ B proximo præteritas pro termino partibus assignastis. Parte igitur abbatis, et monachorum ad ipsum terminum veniente, tandem, quia pars adversa diutius exspectata non venit, super instrumentis jam dictis, depositionibus testium, et partis allegationibus utriusque, cum fratribus nostris tractatum habuimus diligentem, et, inquisita veritate diligentius, et discussa, evidenter agnovimus, super ipsa causa sententiam pro jam dicto monasterio esse dandam. Ut autem per diligentiam vestram finis causæ imponatur eidem, instrumentorum tenorem, depositiones testium, allegationes etiam, prout ea receperamus sigillorum vestrorum munimine consignata, vobis sub bulla nostra remittimus interclusa, per apostolica vobis scripta præcipiendo C mandantes, quatenus, auctoritate nostra suffulti, ad sententiam pro ipso monasterio proferendam, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, procedatis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes, et facientes, quod judicaveritis, auctoritate nostra firmiter observari, cum ex tenore instrumenti evidenter appareat, quod hæc fuit mens, et intentio donatoris, ut clausula de Foresta, quæ in fine ponitur instrumenti, non ad superiorem donationem, quæ tam libera et pura fuit, ut immunis esset ab omni exactione ac consuetudine sæculari, sed ad inferiorem concessionem, quæ pensionem et determinationem habet insertam, juxta sanum referri debeat intellectum, quia in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque Plenissima est interpretatio D adhibenda. Quod si non omnes, etc.

Datum Anagniæ, II Nonas Martii.

### XXXIX (104.)

..... CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Respondet ei super appellationibus.*

(Laterani, VI Kal. Aprilis.)

[Super quæstionum articulis, de quibus nos con-

(100) Spalla, idem quod *spadula*, Italis *sdalla*, Gallis *espaule*, armus. In plerisque veterum chartarum sumitur pro armo, aut membro ferarum, vel aprorum, aut cervorum, quod domino præstari solet, pro jure vel facultate venandi in silvis dominicis. CANG., Tom. VI col. 619.

(101) In Decretal., *ergo*; omittunt infra quæ cursivo charactere distinximus.

(102) Decretal. legunt, *vel extorquere præsumat.*

(103) Sic in apogr.

(104) Reperitur inter Decretales, lib. I, tit. 29, *De officio et potestate judicis delegati*, cap. 27. Variæ lectiones dantur.

sulere voluisti *fraternitati tuæ* (105) taliter respondemus, quod per constitutionem nostram consultationi *bonæ memoriæ* Alexandri papæ (106), *prædecessoris nostri*, nullatenus derogatur, sed illa per istam exponitur, imo in ista, verius, quæ in illa fuerant prætermissa, supplentur. Ipse namque respondit, quod si super causa, quæ alicui ex apostolica delegatione committitur, a personis ecclesiasticis, una vel pluribus, quibus delegatus, ut parcat laboribus partium et expensis, causæ cognitionem ipsius, et testium *examinationem* (107) sententia sibi reservata, committit: appellatio fuerit interposita; hujus appellationis intuitu causam *indiffinitam* relinquere non tenetur. Nos autem statuimus, quod, licet is, cui causa committitur appellatione remota, non possit eam aliis sine provocationis obstaculo delegare, si tamen delegatus a nobis, aut judex quicunque, non tam cognitorem, quam exsecutorem, ad aliquem certum articulum quempiam deputarit, ab eo, nisi modum excedat, non liceat appellari; dummodo de partium deputetur, vel recipiatur assensu. Quod si delegatus a nobis vel litis exordium, vel causæ finem, nedum totum (108), ei duxerit committendum, ab ipso tanquam a judice licite provocetur; cum et lis ante judicem debeat contestari, et causa per judicem *diffiniri*. Intentionis igitur nostræ fuit, sicut ex tenore constitutionis præmissæ potest liquido deprehendi, quod ut judicialis auctoritas liberius valeat exerceri, delegatus a nobis licite possit et principium et finem, et medium causæ sibi commissæ, non solum conjunctim, sed et divisim alii delegare, non obstante quod dicitur, *quia* (109) judex debet cognoscere per se ipsum in principio, et in medio, et in fine, cum antequam ferat sententiam, universa, quæ acta sunt in judicio, investigare debeat diligenter. Verum, cum totam causam committit alicui, vel principium, vel finem ipsius, ab eo, tanquam (110) judice potest licite provocari. Cum autem alicui *media* tantum committit, ab ipso tanquam auditore provocari non potest, nisi mandati fines excedat, vel merito sit suspectus; unde, ne valeat recusari, provide constituimus, ut de partium detur vel recipiatur assensu. Porro, cum delegatus nobis jurisdictionem suam in alium transfert totam, si fuerit appellandum, non ad eum, sed ad nos appellari debebit. Cum autem aliquid sibi de jurisdictione reservat, si causa sit ei, appellatione remota, commissa, non ad nos sed ad eum de jure poterit appellari. Unde; si *forsitan appelletur* (111), ab eo, cui media *quæque* committit, sive cognitor aut exsecutor dicatur, vel

A quod melius est, auditor, pro eo quod *vel* mandati fines excedat, vel merito sit suspectus, nihilominus tamen delegatus a nobis juxta consultationem præmissam causam poterit diffinire, ut parcatur laboribus partium, et expensis. Eum vero, quem delegatus a nobis deputaverit auditorem, neutra partium poterit recusare, nisi coram eo justam recusationis causam ostendat. Si *ergo* (112) duo sunt a principe delegati, et unus committit alteri vices suas, ille nec potest (113), appellatione remota, procedere, nec causam alii delegare, quamvis in commissione facta duobus contineatur expressum, ut appellatione remota alter possit procedere sine reliquo, si non *possint* ambo pariter interesse; quia quod potest ex sola jurisdictione sibi

B a principe delegata, non potest cum jurisdictione a condelegato sibi *concessa*. Unde, si ab eo fuerit appellandum, licet aliquibus visum fuerit, quod ad condelegatum etiam valeat appellari, nobis tamen videtur, quod ad primum duntaxat appellandum est delegatum, propter rationem superius assignatam. Ejus *igitur* (114) appellatio, de quo tua fraternitas nobis scripsit, si nostræ constitutionis occasione ad nostram audientiam appellavit, pro eo quod delegatus a nobis, reservata sibi diffinitivia sententia, audientiam causæ commisit quibusdam, qui de *ipsius* assensu nec dati sunt nec recepti, nisi contra eos justam recusationis causam ostenderit, vel paratus fuerit ostendere coram judice delegato, non debuit impedire, quominus procederent auditores.

C Qui si etiam tanquam suspecti fuissent merito recusati, delegatus tamen a nobis nihilominus potuisset, sublato, appellationis diffugio, causam ipsam judicialiter expedire. Quod si justam recusationis causam noluit admittere delegatus, sed coram suspectis eum *audiri* cogebat, a tali gravamine licite potuit ad nostram audientiam appellare; quodque post appellationem hujusmodi est præsumptnm, judicari debet irritum et inane.]

Datum Lateranensi, VI Kal. Aprilis.

XXX (115).

DECANO ET CANONICIS SANCTÆ CRUCIS DE STAMPIS.

*Recipit eos sub protectioue.*

(Laterani, VI Kal. Apirilis).

Loca divinis cultibus mancipata, et ea maxime, quæ post Judaicæ perfidiæ cæcitatem lumen gratiæ

D sub Christianæ fidei titulo perceperunt, apostolicis sunt munienda præsidiis, et perpetuæ donanda munere libertatis, cum constet non jam esse filios ancillæ, sed liberæ, qui elegerunt ibi in libertate spiritus Domino deservire. Eapropter, dilecti in

(105) Decretalibus desunt, ut infra; verba *bon. nem. et præd. n.*

(106) Constitutio hæc Alexandrini PP. III, de quo hic agitur, legitur in Decretalium Gregoriana collectione, lib. I, tit, eod. cap. 18, *Cum te consulente.*

(107) Decretal. legunt *examinationes.*

(108) In Decretal. add. *negotium.*

(109) Decretal. legunt *quod*, et infra om. *et.*

(110) Decretal. add. *a.* infra *medium* pro *me-*

*dia* legunt.

(111) Decretal., *forsan appellaretur*, et modo, *causæ* pro *quæque* legunt, et infra *vel* omittunt.

(112) Decretal., *vero.*

(113) Decretal. add. *nec debet*; infra *possunt* legunt pro *possint*, et *commissa* pro *concessa.*

(114) Decretal., *ergo*, et infra *partium* pro *ipsius*, et *litigare* pro *audiri* legunt.

(115) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 68.

Domino filii, prædictam ecclesiam vestram, quam charissimus in christo filius noster, Ph. rex Francorum illustris, de assensu bonæ memoriæ G. Senonensis archiepiscopi, in synagoga de qua Judæos ejecerat, in honorem victoriosissimæ crucis ædificari constituit, cum omnibus quæ inpræsentiarum, etc., *usque* adipisci, ad instar felicis recordationis Lucii et Urbani, prædecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc., *usque* communibus ; statuentes, ut clerici, qui in circumpositis morantur eclesiis, sicut nihil in loco ipso Judæis possidentibus capiebant, ita deinceps ecclesiæ inibi constitutæ, conditionem aliquam vel gravamen in libertatis præjudicium non imponant, ne deterior efficiatur status Ecclesiæ, si ea, quæ fuerat Judæis inhabitantibus libera, sub observantia fiat Christianæ pietatis ancilla. Præterea, ut magisterium scholarum unum in musica, et aliud in aliis disciplinis, sine contradictione qualibet habeatis, ad exemplar dictorum prædecessorum nostrorum, auctoritate vobis apostolica indulgemus, prohibentes, ut de novalibus vestris et animalium nutrimentis, nullus a vobis de cætero extorquere præsumat. Prohibemus insuper, ne de possessionibus vestris de cætero a laicis exigantur. Ad hæc, præsentium auctoritate decernimus, ne quis in ipsam Ecclesiam interdicti, vel in canonicos ejus excommunicationis aut suspensionis sententiam, absque manifesta et rationabili causa, promulget. Cum autem generale interdictum, etc., *usque* celebrare. Concedimus quoque vobis cœmeterium, in quo decedentium fratrum et familiæ corpora tumulentur. Libertates quoque, etc., *usque* sancimus Decernimus ergo, ut nulli omnnio hominum, etc.

Datum Laterani, VI Kalendas Aprilis, anno septimo.

### XXXI.

ARCHIEPISCOPO (116) ET DECANO (117) ROTHOMAGENSIBUS.

*Ut fratribus Hierosolymitani Hospitalis justitiam requisiti facere possint.*

(Laterani, x Kal. Aprilis).

Quoniam nimis dispendiosum esset et grave dilectis filiis, fratribus Hierosolymitani Hospitalis de Normannia, cum sint in remotis partibus constituti pro singulis querelis apostolicam sedem adire, cum frequenter a multis, tam clericis quam laicis, gravibus (118) sint in remotis partibus constituti, ad supplicationem eorum super hoc eis duximus providendum. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, cum a dictis fratribus fueritis requisiti, malefactores eorum, in Rothomagensi provincia constitutos, ut eis ablata restituant, et de damnis et injuriis irrogatis satisfaciant competenter, vel in aliquos compromittant, qui, appellatione remota, justitia mediante, procedant, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis diffugio, compescendo, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non ambo... tu, frater archiepiscope, etc.

Datum Laterani, x Kalendas Aprilis, anno septimo.

### XXXII.

... ABBATI DE CORONA (119);.. ARCHIDIACONO BRIOCENSI; ET... SUBDECANO BEATI PETRI, PICTAVENSIBUS.

*Ut ad monasterium Sancti Hilarii de Cella accedentes, illud reforment.*

(Anagniæ, Kal. Martii.)

Dilectus filius... prior (120) Sancti Hilarii de Cella Pictavensis, per suas nobis litteras intimavit, quod, cum in ecclesia sua Regula beati Augustini a retroactis temporibus fuerit instituta, et Ordo canonicus, secundum eamdem Regulam institutus ibidem, a nostris prædecessoribus confirmatus, et fratres ipsius sub ejusdem professione Regulæ habitum induerint regularem, contra institutionem sui ordinis proprium sibi retinere præsumunt, prosilientes a claustro exeunt ad plateas, et more sæcularium, negotiationibus se immiscent, alienarum causarum litigiis insistentes, et in splendore vestium et ornatu se potius sæculares quam regulares ostendunt, in aliis pluribus Deum multipliciter offendentes. Verum, ecclesia ipsa ædificia congrua non habente, et ipsis etiam, quæ solebat habere, fere collapsis, cum idem prior ad innovationem eorum, et reformationem ordinis, velit operam adhibere, ipsi, non solum ad hoc non assentiunt faciendum, verum etiam ne fiat se violenter opponunt. Quia igitur ea quæ in ecclesiis perperam attentantur, sunt severius corrigenda, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad ipsam ecclesiam pariter accedentes, et eum habentes præ oculis qui secreta cordium scrutatur et renes, de consilio præfati prioris, tam in capite quam in membris, quæ regulariter fuerint corrigenda, auctoritate nostra suffulti, appellatione postposita, corrigatis, et statuatis quod ad religionis augmentum et gloriam nominis Domini videritis statuendum, faciatis quod statueritis auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam firmiter observari, religiosas personas de aliis ecclesiis evocantes, et in ipsa instituentes ecclesia, si necesse fuerit, et regularis observantia id requirat ; quod si aliquos contradictores inveneritis aut rebelles, eos a præsumptione sua per districtionem ecclesiasticam, appellatione

(116) De eo jam dictum est sæpius.

(117) Richardus I *de Malpalud* decanus Rothomagensis, sedebat anno 1200. Occurrit adhuc in Tabulario ecclesiæ Rothomagensis, Non. Octob. et IV Non. Februarii anno 1206.

(118) Sic in apogr. sed mendose.

(119) Vide epistolam libri quinti 96, not., ubi de Roberto, qui præerat anno 1200. Sed fortasse, hoc anno 1204, jam sedebat Ademarus, quem nonnisi anno 1210 memorant auctores Galliæ Christianæ, t. II, col 1046.

(120) Seguinum, Cellæ Hilarii priorem (de quo nihil aliud), hoc anno 1204, agnoscunt iidem auctores. *Ibid.* col. 1336.

postposita, compescendo, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Anagniæ, Kalendis Martii, anno septimo.

XXXIII.

J. PRIORI, ET FRATRIBUS ECCLESIÆ SANCTI STEPHANI FANENSIS (121).

*Recipit eos in protectione.*

(Anagniæ, XIII Kal. Aprilis).

Quoniam elegistis abjecti esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, et eorum estis vitam professi, quibus erat cor unum et anima una, quieti vestræ paterna volumus sollicitudine providere, ne, cum partem optimam elegeritis cum Maria, per inquitudines aliquorum cogamini, ultra quam deceat, cum Martha satagere circa multa. Ideoque, paci vestræ imposterum providentes, auctoritate præsentium districte inhibemus, ne quis in vos vel ecclesiam vestram, si manifesta et rationabili causa, interdicti, suspensionis vel excommunicationis, sententiam audeat promulgare, vel canonicos ejusdem ecclesiæ, absque præsentatione vel assensu tuo, fili prior, ad ordines promovere, vel eorum aliquem in protectione recipere in elusionem canonicæ disciplinæ, quominus in eum, cum excesserit, districtionem exerceas regularem. Similiter etiam, districte vetamus, ne qui molestatores vestros et ecclesiæ vestræ, ac invasores bonorum ipsius, cum per nos aut delegatos ab apostolica sede judices interdicti vel excommunicati fuerint, præter debitam satisfactionem absolvat, aut vos in divinorum celebratione, in exsequiis mortuorum et aliis rationabilibus consuetudinibus ecclesiæ vestræ, indebita molestatione fatiget. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, XIII Kalendas Aprilis.

XXXIV.

.... CANTUARENSI ARCHIEPISCOPO ; EPISCOPO ELIENSI, ET... ABBATI SANCTI EDMUNDI.

*Sententiam in causa ecclesiæ de Filebi latam confirmat.*

(Laterani, XVI Kal. Aprilis).

Ex litteris, tuis, frater archiepiscope, nostris est auribus relatum, quod, cum Jo. de Burgo, clericus Ernaldum Bil. laicum, super præsentatione Roberti de Brom. clerici, ad ecclesiam de Filebi, in qua idem F. jus obtinet patronatus, molestaret injuste, idem E. super hoc ad dilectum filium... abbatem de Sibeton (122), et conjudices suos, per nuntium suum litteras apostolicas impetravit, qui causæ meritis diligenter inspectis et cognitis, contra clericum ipsum diffinitivam sententiam protulerunt. Elapso vero postmodum spatio temporis aliquanti, prædictus J. litteras illas, quas, sicut proposuerat, semper suspectas habuerat, cœpit impetere falsitatis, instanter postulans, quod earum auctoritate fuerat attentatum, in irritum revocari, propter quod judices ipsi prædictas litteras, quamvis a tempore latæ sententiæ superinductis atramenti lineis cancellatas ab ipsis, tibi, qui super hujusmodi falsitatis cognitione recepisti mandatum apostolicum speciale, per fidelem nuntium transmiserunt. Cum autem prædictus Jo. in præsentia tua eadem proponeret esse falsas, adversa pars clericum quemdam, W. de Brom nomine, ad sui defensionem exhibuit, qui litteras ipsas a nobis se proposuit impetrasse. Recepta igitur ab utraque parte sufficienti super his quæ proposuerat cautione, litteras ipsas, sub sigillis partium atque tuo fideliter interclusas, per dilectum filium, R. latorem, P. de Maregni (*sic*), ad hoc electum de unanimi voluntate partium, nostro fecisti conspectui præsentari, quas nos in stylo, et filio, charta et bulla comperimus esse veras. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, denuntiantes ipsas litteras esse veras, prædictum E. super juste lata, ipsarum litterarum auctoritate, sententia non permittatis ab aliquo indebite molestari, quin potius faciatis sententiam ipsam, sicut est justa, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari. Contradictores, etc.

Datum Laterani, XVI Kalendas Aprilis.

XXXV (123).

. . . . ELIENSI EPISCOPO (124) ; . . . ABBATI SANCTI EDMUNDI (124) ; ET . . . . DECANO CICTERCIENSI.

*Ut inquirant super privilegia capitulo Eboracensi concessa.*

(Laterani, Kal. Aprilis.)

Quia omne regnum in se ipsum divisum, juxta verbum evangelicum, desolatur, proximam Eboracensis ecclesiæ desolationem ex diutina ejus divisione timemus, in qua filii, quod dolentes referimus, in patrem insurgunt, et armatur pater in dispendium filiorum. Invalescente siquidem multorum malitia charitas refriguit inter eos, et, superseminante inter ipsos zizania homine inimico, concordia in discordiam transiit, dilectio periit, et odium apud eos pro dilectione regnavit. Quamvis autem apostolica sedes ad removendam ab ipsis dissensionis materiam sæpius laboravit, quia tamen inveteraverat morbus, et cicatrix induruerat, non profecit, nec sanavit, quia ferrum distulit adhibere radici, vel, quod verius esse credimus quoniam causam ignoravit ulceris non curavit. Quia ergo boni judicis est lites minuere, non augere, ut exstinguamus penitus discordiæ fomitem, et odii materiam auferamus, causas discordiæ plenitus perscrutari proponimus, et rimari profundius vias morbi, ut exstirpata radice, arbor prorsus pereat et siccetur, quæ, hactenus in suis semiputata ramusculis, uberiori partu fortius pullulavit, facta fecundior suo damno. Videtur etenim, et

(121) Vide epistolam hujusce libri septimi 27.

(122) Sibonensis abbatia, in agro Norfolciensi situata, fundata fuit anno 1158, sed de ipsius abbatibus nihil apud auctores *Monastici Anglicani*, tom. I, pag. 866

(123) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 69.

(124) De Eliensi episcopo et abbate S. Edmundi, jam dictum est sæpius.

est verum, quod privilegium illud, quod bonæ memoriæ C. papa, prædecessor noster, dilectis filiis... decano (125) et canonicis Eboracensibus olim indulsit, et per quod eis dignitates, libertates, immunitates et consuetudines proprias confirmavit, inter eos et venerabilem fratrem nostrum . . . . Eboracensem (125) archiepiscopum scandalum foveat, et originem pariat jurgiorum. Verum, quamvis habeant singula fere capitula conditionem insertam, ita ut omnia quæ in eodem privilegio conceduntur, pendere de antiqua Eboracensis ecclesiæ dignitate, immunitate capituli, et approbata ejusdem ecclesiæ consuetudine videantur, sicut per inspectionem privilegii plenius poteritis edoceri, et archiepiscopus universa deducat in dubium, et super eis moveat quæstionem; decanus tamen et canonici, sicut idem archiepiscopus nostris auribus intimavit, tanquam de conditione constaret, non solum privilegio utuntur eodem, sed etiam abutuntur, et quædam, quæ recte intelligi poterant, depravantes, adversus archiepiscopum cornua elationis assumunt, et fere omnimodam sibi vindicant libertatem jurisdictionem archiepiscopalem pene penitus vacuantes. Ne igitur nascuntur injuriæ unde jura nascuntur, et apostolica sedes, quæ pacem aliis prædicat, occasione hujusmodi privilegii actrix et auctrix discordiæ censeatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, non obstantibus litteris tibi, frater episcope, ac conjudicibus tuis, contra dictum archiepiscopum, super facienda inquisitione directis, partibus convocatis inquiratis, appellatione remota, super dignitatibus, immunitatibus et consuetudinibus Eboracensis ecclesiæ ac canonicorum ipsius, et archiepiscopali jurisdictione ac jure, et utrum prædicti decanus et capitulum prædicto privilegio abusi fuerint, sollicite veritatem recipiatis quos testes partes coram vobis duxerint producendos, et examinetis omnia diligenter, et quod inveneritis, nobis per litteras vestras fideliter intimetis, ut, per vestram relationem instructi, Eboracensi ecclesiæ melius consulamus. Statuatis autem partibus, etc. Quod si non omnes . . . . duo, etc.

Datum Laterani, Kal. Aprilis.

XXXVI.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, COMITIBUS, BARONIBUS, ET UNIVERSO CLERO, ET POPULO IN SICILIA ET CALABRIA CONSTITUTIS.

*G. tituli S. Adriani dioconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum ad eos mittit, illumque eis commendat.*

(Laterani, Kal. Aprilis.)

Egressus Satan a facie Domini, et non solum super omnibus quæ possidere videbamini, sed et in personis quorumdam ex vobis, ab eo potestate suscepta, cribravit vos hactenus sicut triticum, et ut manipulum palearum excussit, ita, ut nihil inconcussum relinqueret, sed, immisso vento a regione deserti, elementa et in concussionem vestram, et A exidium commoveret. Licet enim noverit Dominus qui sunt ejus, utpote cui secreta et cordium sunt aperta, probare tamen voluit, et probavit an fides vestra proficeret an deficeret in adversis, et utrum resisteretis flatibus aquilonis, qui, flante austro, videbamini floruisse. Utinam igitur vexatio vobis dederit intellectum; utinam in hac sitis cribratione purgati, ut probatio fidei vestræ sit multo pretiosior quam aurum quod per ignem probatur, et quoniam in quibusdam ex vobis aurum æruginaverat, et argentum, nunc saltem, consumpta rubigine, ac scoria expurgata, utrumque splendidius elucescat! Sane, quia non fuerat vita vobis aliena magistra, ut non longe de cætero peteretis exempla in vobis ipsis vos voluit Dominus experiri quod omne regnum B in se divisum desolatur, et domus concidit supra domum, et quod ea quæ per concordiam crescunt, per discordiam dilabuntur. Siquidem, si fuissetis unanimes, et alterius onera portassetis, nec invidus suam reputasset gloriam miseriam fratris sui, sed putasset agi rem propriam, cum paries vicinus arderet, in pace servassetis atrium vestrum, ut fortes armati, nec timuissetis impetum fortioris. Verum, quia fere singuli singulas fecerant sibi partes, nec restitistis communiter inimicis, sed singulariter potius confovistis, rediit caput ad caudam, et primis novissimis, ac novissimis primis effectis, facti sunt in capite hostes vestri, et hæreditatibus vestris ad alienos, et domibus ad extraneos devolutis, nobilium et sublimium colla ignobiles et dejecti calcarunt, et servi etiam super vos dominium acceperunt. C Et quoniam asperius nihil est humili, cum surgit in altum, utpote qui desævit in omnes, ut se posse putent, et tyrannidem potentiam suam ponit, multi inter vos cæci, et imbecilles, et gigantes vestri gemunt sub aquis, et magnates ignibus traditi, vix sic etiam servorum illorum rabiem placaverunt, qui superiorum in vos indignationem et odium concitabant. Potuerat autem in vobis tantæ, non humanæ, sed divinæ animadversionis, vindicta, peccatorum vestrorum multitudinem expiasse, nisi crevisset in aliquibus infidelitatis vitium sub flagello, et qui in profundum peccatorum venerant contempsissent, ita ut, in suam etiam perniciem indurati, mallent hostibus contra fratres, quam contra hostes fratribus adhærere. Ideoque in omnibus his non est aversus furor Domini, sed adhuc manus ejus extenta, D nisi per viam aliam redeatis et per concordiam resurgatis in statum felicitatis antiquæ, a qua per discordiam decidistis. Siquidem, sicut plenitudo legis est dilectio, sic odium non solum legem evacuat, sed reges et regna expugnat, et non minus quam mus in pera, ignis in gremio, serpens in sinu male suos remunerat hospites, sed gravius in proprios desævit auctores, cum gladius eorum intrat in cor ipsorum, et laqueo proprio pereunt, dum incidunt in foveam quam pararunt. Licet autem, pro-

(125) De decano et archiepiscopo Eboracensibus egimus supra, lib. v.

pter offensas multiplices et immoderatos excessus aliquorum ex vobis, qui gloriantur cum male fecerint, et in pessimis rebus exsultant, vestram possemus dissimulare jacturam, quia tamen innocentis regis infantiæ deesse. nec volumus, nec debemus, et tantam regni miseriam clausis oculis pertransire, ne puniatur justus pro impio, et pro patre filius vel pater pro filio condemnetur sed anima quæ peccaverat, nisi adjiciat ut resurgat, in iniquitate propria moriatur, dilectum filium, C. (125) Sancti Adriani diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum providum et honestum, quem inter cæteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, ad vox duximus destinandum, vices nostras ei tam in spiritualibus quam temporalibus committentes, ut confirmet in devotione nostra et regia fidelitate fideles, errantes revocet, in eos quos revocare non poterit, tam spiritualiter quem temporaliter aggravet manus suas. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur in Domino, et per apostolica scripta mandamus, quatenus legatum ipsum sicut personam nostram, imo nos in eo recipientes hilariter et honorifice pertractantes, quæ inter vos in spiritualibus vel temporalibus duxerit statuenda, suscipiatis humiliter, et inviolabiliter observetis. Aliquin, sententiam quam spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles, faciemus auctore Domino firmiter observari.

Datum Laterani, Kalendis Aprilis.

## XXXVII.

ABBATI ET MONACHIS SANCTI JULIANI, HOSPITALARIIS CRUCIFERIS, ET ALIIS CLERICIS ARIMINENSIS DIOECESEOS.

*Ut sententiam excommunicationis ab episcopo Ariminensi in hæreticos latam observent.*

(Laterani, Non. Aprilis.)

Cum pastoris sententia sit servanda, et merito puniendus qui contra eam venire præsumit, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus eos, in quos venerabilis frater noster... (127) Ariminensis episcopus, excommunicationis vel interdicti sententias pro hæreseos crimine promulgaverit, ad divina nullatenus admittatis, nec corpora defunctorum tradatis ecclesiasticæ sepulturæ, non obstantibus privilegiis super his vobis indultis, cum propter immanitatem hujus sceleris, quod etiam leges civiles fortius persequuntur, hoc de certa scientia injungamus. Nos enim venerabili fratri nostro, Populiensi (128) episcopo, dedimus in mandatis, ut sententiam, quam propter hoc idem episcopus in vos de licentia nostra rationabiliter promulgaverit, usque ad satisfactionem debitam faciat, appellatione remota, inviolabiliter observari.

## XXXVIII.

SIPONTINO (129) ARCHIEPISCOPO.

*De quadam muliere, quæ marito impotente alium superinduxit; primo mortuo, secundus eam recusabat, licet ex ea prolem haberet: papa mandat fieri non posse.*

(Laterani, Kal. Aprilis.)

Sicut ex litteris tuis nobis præsentatis accepimus cum quædam puella tuæ diœcesis fuisset cuidam viro naturæ frigidæ matrimonialiter copulata, et in ejus domum traducta, quia continere non poterat, quemdam juvenem adamavit, et, antequam de impotentia viri quem acceperat apud ecclesiam proclamasset, se ad juvenem transtulit memoratum, qui eam desponsavit de facto, et ipsam carnis commistione cognovit; quod ut ad notitiam tuam pervenit juvenem ipsum ab ea discedere compulisti et juramento firmare, quod eam non teneret, nec tangeret commistione carnali, viro prædicto vivente, a quo non fuerat per sententiam separata. Vir vero primus eam in suam iterato recipiens, præ impotentia verecundus, habitum religionis suscepit, et post dies aliquot exsolvit carnis debitum universæ. Juvenis autem, qui eam, sicut præmissum, desponsaverat, eamdem recipiens et ducens in domum propriam, ipsam maritali affectione tractavit, et, cum prolem susceperit ex eadem, nunc quærit ab ea discedere, ac aliam ducere in uxorem. Unde, quid faciendum sit super hoc articulo, nostris postulasti litteris edoceri. Cum igitur multa sint, quæ, licet in principio non valeant, postmodum tamen allis causis emergentibus convalescunt, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, antedictum juvenem ut mulierem prædictam tanquam uxorem teneat, et maritali affectione pertractet, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas.

Datum Laterani, Kalendis Aprilis.

(126) Vide epistolam libri quinti 140. not.

(127) Bonaventura, *alias Ventura*, e pervetusta apud Vicentinos Trissina gente, fuit Ariminensis ecclesiæ antistes. Anno 1194, electus vocatur in bulla canonizationis S. Joannis Gualberti. Confirmationem omnium privilegiorum ecclesiæ suæ olim indultorum ab Innocentio pontifice obtinuit anno 1204, VI Id Aprilis. Hic Xenodochium S. Spiritus olim fundavit, fœdusque cum Bononiensibus junxit anno 1216. Ariminensem ecclesiam adminisravit usque ad annum 1130. Quippe grandævus factus eo se exsolvit viduatæque ecclesiæ optimum attribuendum pastorem curavit. UGHEL. *Ital. sacr.*, t. II, col. 425.

(128) Erat is, Guelphus Belmontius de Belmontiis Draconis filius, Ariminensis, teste Vecchiazano, qui, ob patris virtutem ac claritudinem generis, a clero, post Lantfrandi mortem, episcopus Populiensis electus fuerat anno 1203. Excessit ex humanis anno circiter 1213. *Rub.*, lib. VI.

(129) Erat is nomine Hugo, qui sedit usque ad annum 1216, juxta Ughellum, *Ital sacr.*, tom. VII, col. 1124.

## XXXIX. (130).

VENTURÆ (131), ARIMINENSI EPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBTITUENDIS, IN PERPETUUM.

*Recipit eum in protectione, et bona ipsius ecclesiæ confirmat.*

(Laterani, VI Id. Aprilis.)

Ex commisso nobis apostolatus officio, etc. *usque* salvo in omnibus jure ac reverentia Romanæ ecclesiæ, eidem et Ariminensi ecclesiæ locamus portam Sancti Donati, quæ vocatur Sancti Andreæ ; totam in integrum medietatem de porta Gallica, quæ vocatur Sancti Petri; porticum totum integrum per quod pergitur ad mare et porticum, unde ingressus est episcoporum; medietatem totam ex integro ripæ littoris maris, cum medietate de districto suo, quæ ad ripas littoris pertinet, sive de Judæis, sive de Christianis; verum et littus maris a flumicello decurrens usque ad fluvium, qui vocatur maricula. De prædictis autem rebus juris Sanctæ Romanæ ecclesiæ, quas prædicta Ariminensis ecclesia detinet, tu et successores tui, pro pensione libram unam argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Ad hæc, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, sicut ab eis sancitum est ita et nos mansurum in perpetuum de cætero sancimus, ut Ariminensis ecclesia nulli alii metropoli, nisi tantum sanctæ Romanæ Ecclesiæ sit subjecta, ipsiusque antistes tantum a Romano pontifice omni tempore consecretur. Plebem vero Sancti Paterniani, cum decimis et cæteris suis pertinentiis, ac cum aliis quæ beati Petri pariter juris exsistunt in fundo Arginariæ, sub annuo censu viginti quatuor denariorum Lucen. Nobis nostrisque successoribus annualiter persolvendo, tibi et successoribus tuis committimus, et præsentis scripti pagina confirmamus. Præterea, sententiam, etc. *usque in finem.*

Datum Laterani, per manum Joannis, sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi et notarii, VI Idus Aprilis, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

## XL (132).

ABBATI, ET CONVENTUI CASÆDEI.

*De episcopatu in ecclesia de Montepiloso restituendo.*

(Laterani.)

Gravem, et lacrymabilem dilectorum filiorum, clericorum et laicorum de Montepiloso, recepimus quæstionem, quod cum ipsorum civitas inter vicinas sit populosior civitates, licet olim episcopali donata fuerit dignitate, ac episcopalis sedes ei fuerit multorum prædecessorum, nostrorum privilegiis confirmata, imo etiam aliquoties restituta, tandem bonæ memoriæ C. papa, prædecessor no- A ster, super hoc sententiam protulit contra eos, et sede prius habita spoliavit, quod ad infamiam redundat, et perniciem animarum. In hoc autem ecclesiam suam asserunt enormiter esse læsam, cum coram eodem prædecessore nostro pars eorum fuerit indefensa, utpote cum plures, et potiores rationes ipsius in judicio exhibitæ non fuissent, quare ad audientiam de gratia nostra restitui postulabant. Nos autem, inspectis rescriptis privilegiorum, quæ super hoc ecclesiæ de Montepiloso fuerant a prædecessoribus nostris indulta, invenimus, quod bonæ memoriæ Cœl. papa, prædecessor noster, modum congruentem invenit, per quem tam ecclesiæ Sanctæ Mariæ Novæ, quam vos apud Montempilosum habetis, quem ecclesiæ Sanctæ Mariæ Veteris honori B fuerat, et utilitati provisum, cum suo privilegio statuisset, ut utraque unius episcopalis sedis dignitate, ac nomine censeretur, et ad episcopatus officium per electionem monachorum, et clericorum pariter assumeretur aliquis monachorum, qui ambabus ecclesiis præsideret, et tam episcopi quam abbatis officio fungeretur, quod postmodum felicis recordationis Innocentius papa, prædecessor noster, suo privilegio confirmavit. Verum, quoniam abbatia in prioratum fuit postmodum immutata, nec decebat ut episcopus abbati cuiquam subjaceret, forma ipsa convenienter non potuit observari. Licet autem contra latam a dicto prædecessore nostro sententiam non sit aliquid temere præsumendum, quia tamen justum clamorem cleri, et populi Montispilosi nec debuimus, nec voluimus obaudire, dilecto filio..... C priori Sanctæ Mariæ Novæ Montispilosi, dedimus in mandatis, quatenus infra mensem, per se, vel idoneum responsalem, nostro se conspectui præsentaret, ut, ipso, vel ejus responsale præsente, illi proponerent rationes, per quas nos intendunt ad restituendam sibi audientiam inclinare. Ipse vero, per suas nobis duxit litteras respondendum, quod, cum prioratus ipse ad vestrum monasterium pertineret, et ipse per vos in eo prior fuerit institutus per mandatum vestrum, respondere super tam arduo negotio non auderet. Monemus igitur discretionem vestram, et exhortamur in Domino, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus aliquem virum idoneum infra duos menses post susceptionem præsentium ad nostram præsentiam destinetis, cum D quo super his plenius tractare possimus. Cum enim in prioratu ipso fere penitus ordo deperierit regularis, ita, ut in eo vix etiam religionis vestigia videantur, et ex ipso monasterium vestrum vel nihil vel modicum consequatur, tantaque populi multitudo ex defectu pastoris in spiritualibus sustineat detrimentum ; et, quia sunt tanquam oves errantes, merito timeant periculum animarum, tam vobis, quam eis credimus expedire, ut de ordine vestro aliquis ejusdem loci episcopum assumatur,

(130) Laudata apud Raynaldum, an annum 1204, § 82.

(131) Vide notas ad epistolam hujusce libri septimi 37.

(132) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 77.

et, ne in hoc vestrum videatur monasterium aggravari, competens statuatur pensio vobis annis singulis exsolvenda, vel alius modus inveniatur idoneus, per quem vobis, et ipsis salubriter consulatur. Quod si forsitan mandatum nostrum neglexeritis exaudire, nos, magis quod animarum saluti, quam quod temporalibus utilitatibus vestris expediat, attendentes, super iis, dante Domino, statuemus quod viderimus statuendum.

Datum Laterani.

## XLI (133).

...... ARCHIEPISCOPO RAVENNATI (134).

*Ut potestatem et consules Mutinensas ecclesiasticam libertatem in civitate Mutinensi violantes compescat.*

(Laterani, II Id. Aprilis.)

Si judicaret Dominus causam suam, ne is, cui omne judicium dedit Pater, eos judicaret gravius in futuro, qui, a facie sua judicium et justitiam auferentes, injuste judicant, et domum orationis quondam liberam, utpote quam Filius liberavit, sub jugo redigunt servitutis, jampridem sicut Sodomam et Gomorrham, Lombardiæ provinciam subvertisset, ut ipsum in pœna saltem cognosceret, quem in donis non vult, sicut debuerat, revereri. Siquidem, ex adipe procedit iniquitas, et multa Dei benignitas Lombardos provocat ad contemptum, qui, quoniam confregit jugum servitutis eorum, et arcum fortium infirmavit, cui erant tanquam signum ad sagittam expositi, dilatati jam et incrassati, non solum a Deo recesserint, sed in ipsum converterint manus suas, et sponsam ejus, Ecclesiam scilicet, nitantur modis omnibus ancillare. Ecce qualiter Dei beneficia recognoscunt, ecce qualiter retribuunt Domino pro omnibus quæ retribuit ipse illis, qui quoniam cessare fecit exactorem ab eis, ipsi facti sunt exactores in eum, et liberam sponsam ejus, qui eos de inimicorum manibus liberavit, nituntur facere sub tributo Gemit etenim Geminianus (135), et mutilari se dolet ecclesia Mutinensis, dum ejus filii, subacti jugo pessimæ servitutis, publicis functionibus fatigantur, patent violentiæ laicorum, gravantur exactionibus, et angariis et perangariis opprimuntur. Sane, sicut venerabilis frater noster... Mutinensis (136) episcopus, per suas nobis litteras intimavit... Mutinensis potestas, ut duplici contritione tam ecclasiam quam clericos conterat, et addat afflictionem afflictis, oneribus, quibus prædecessores ejus interdum fatigarant ecclesiam Mutinensem, superaddit onera graviora. Nam, non solum clericos exactionibus subjacere, ac effodiendis fossatis servire compellit, sed, terminis quos patres ejus posuerant non contentus, episcopalem jurisdictionem prorsus evacuat, nec attendens quod servus suo domino stat aut cadit, clericos in foro sæculari respondere, ac in causis laicorum testimonium perhibere compellit. Præterea, A ut divinæ legis regulas vacuaret, in divinæ majestatis offensam, tam Vetus quam Novum volens solvere Testamentum, decimas et primitias, quas Dominus in horrea sua præcepit inferri, et filiorum Levi usibus applicari, clericis et ecclesiis sub voce præconia prohibuit exhiberi, et alia debita vetuit eis solvi; addens, quod nulli clerico de laico justitiam faceret, nisi clerici sub ejus examine responderent. Cumque dilectus filius, Guid. de Manfr. subdiaconus noster, canonicus Mutinensis, ei restitisset in facie, ac dixisset, quod ejus judicium non subiret, potestas eum protinus capi fecit, et custodiæ mancipari, de qua non prius liberavit quam amici ejus sub pœna quadraginta librarum promitterent, quod eum standi mandatis ejus juratoriam præstare facerent cautionem. B Clericos quoque publico banno subdit, et ne campanæ ad divina pulsentur officia præter ejus arbitrium, sub pœna pecuniaria interdicit, et in castris episcopi potestatem sibi præsumit indebitam usurpare, habitatores eorum pro suæ puniens arbitrio voluntatis. Quia igitur hæc nec debemus nec volumus æquanimiter sustinere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, personaliter ad civitatem ipsam acccedens, tam potestatem et consules, quam consiliarios et populum universum, moneas attentius et inducas, ne ecclesias et ecclesiasticos viros exactionibus subjacere compellant, vel fodiendis fossatis, et hujusmodi servilibus officiis deservire, sed eis potius violenter extorta restituant, et extorquenda dimittant. Quod si hujusmodi non potuerint monitis emolliri, civitatem C eorum interdicto supponas, ita, quod præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, nullum in ea divinum celebretur officium, vel exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, et tam potestatem quam consules et consiliarios, et omnes principales auctores et fautores iniquitatis ipsius, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos publice nunties, et per totam provinciam tuam facias sub solemnitate simili nuntiari. Quos etiam ab universis civitatibus, et civibus Lombardiæ, tam in colloquiis quam contractibus omnibus sicut excommunicatos arctius evitari præcipias, ita, quod si qui eis communicare præsumpserint, sententiam excommunicationis incurrant, quam tu postmodum solemniter publices, de- D nuntians similiter sic prædictos potestatem, consules, et consiliarios Mutinenses excommunicationi subesse, ut non possint absolutionis beneficium obtinere, nisi satisfacturi plenarie de commissis apostolico se conspectui personaliter præsentarint. Constitutiones insuper, ac sententias quæ ab excommunicatis ipsis, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, decernas irritas et inanes, nullo unquam tempore valituras, et illos, qui eis in prædictorum officiorum administratione successerint, in

(133) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 77.

(134) Vid. epist., libri quinti 6, not.

(135) Alludit ad nomen S. Geminiani qui a Mutinensibus præcipue colitur.

(136) Vide epistolam libri tertii, 32 not.

excommunicationis sententia successuros, nisi satisfecerint infra mensem, cum succedat in onere, qui substituitur in honore, cumque prædicti potestas, consules et consiliarii graviter persequantur ecclesiasticam libertatem, præsentium auctoritate, ut, nisi resipuerint infra mensem, filii eorum usque in tertiam et quartam generationem ad honores ecclesiasticos, et beneficia de cætero nullatenus assumantur. Ut autem quam moleste Dei, et Ecclesiæ generalis feramus injuriam, sentiant plenius in effectu, denunties eisdem, quod nisi resipuerint infra mensem, civitatem ipsorum episcopali privabimus dignitate, ac sedem ipsorum ad locum alium transferemus Quod. si nec infra mensem, alium poterunt ad satisfactionem induci, ne ad recuperandam dimissam dignitatem ullo tempore B valeant aspirare, per vicinos episcopatus Mutinensem diœcesim dividemus, et divisionem mandabimus inviolabiter observari. Adjicimus etiam, ut canonicos, clericos, et universos viros ecclesiasticos, tam exemptos quam alios, in civitate Mutinensi, et ejus districtu manentes, cum ab eodem episcopo fueris requisitus, civitatem, et ejus districtum egredi, nec regredi ad eodem donec fuerit satisfactum, per suspensionis et excommunicationis sententiam, sublato appellationis impedimento compescas, et eis, cum non tam pro sua, quam Ecclesiæ generalis exsulaverint libertate, facias per ecclesias tuæ provinciæ juxta tuæ discretionis arbitrium congrue provideri, contradictores ecclesiastica districtione compescens. Præterea, tam C Hierosolymitani Hospitalis, quam fratrum militiæ Templi Fratres, cogas, appellatione remota, nonobstantibus privilegiis, vel indulgentiis suis interdicti sententiam inviolabiter observare.

*Scriptum est* W. Balistario regio, justitiario civitatis Montis Sancti Angeli, ut illis, qui regios redditus in eadem civitate distrahere non verentur, viriliter se opponens, eos auctoritate nostra, quandiu nobis placuerit, recipiat fideliter, et conservet.

Datum Laterani, II Id. Aprilis.

### XLII (137).

ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS PER FRANCIAM CONSTITUTIS

*De eodem argumento ac in epistola* 164, 165, 166. *libri* IV.

(Laterani.)

Novit ille, qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium ac conscius secretorum, quod charissimum in Christo filium nostrum, Ph. regem Francorum illustrem, de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta diligimus, et ad honorem ac profectum et incrementum ipsius efficaciter aspiramus exaltationem regni Francorum sublimationem sedis apostolicæ reputantes, cum hoc regnum benedictum a Deo semper in ipsius devotione permanserit, et ab A ejus devotione nullo, sicut credimus, sit tempore discessurum, quia licet interdum hinc inde fiant immissiones per angelos malos nos tamen, qui Satanæ non ignoramus astutias, circumventiones ipsius studebimus evitare, credentes quod idem rex illius seduci se fallaciis non permittet. Non ergo putet aliquis, quod jurisdictionem aut potestatem ipsius minuere vel perturbare velimus, cum ipse jurisdictionem et potestatem nostram impedire non debeat, aut etiam coarctare, cumque jurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam usurpare vellemus? Sed, cum Dominus dicat in Evangelio : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe* (138) *eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum ; si te autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* ; *quod si non audierit eos, dic ecclesiæ ; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII) : et rex Angliæ, sicut asserit, sit paratus sufficienter ostendere, quod rex Francorum peccat in eum, et ipse circa illum in correctione processit secundum regulam evangelicam, et tandem, quia nullo modo profecit, dicat Ecclesiæ, quomodo, nos, qui sumus ad regimen universalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum divinum possumus exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius, nisi forsan ipse coram nobis vel delegato nostro sufficientem in contrarium rationem ostendat? Non enim intendimus judicare de fundo, cujus ad ipsum spectat judicium, nisi forte juri eorum (139) per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus. Non igitur injuriosum sibi debet regia sublimitas reputare, si super hoc apostolico judicio se committat, cum Valentinianus, inclytus imperator, suffraganeis Mediolanensis ecclesiæ dixisse legatur ; Talem in pontificali sede constituere procurate, cui et nos qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus, ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus suscipiamus necessario velut medicamenta curantis ; ut illud humiliter omittamus, quod Theodosius statuit imperator, et Carolus innovavit de D cujus genere rex ipse noscitur descendisse. Quicunque videlicet litem habens, sive petitor fuit vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosantæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi pars alia refragaverit, ad episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur, cum non humanæ constitutioni sed divinæ legi potiu innitamur, quia nostra potestas non est ex homine sed ex Deo. Nullus enim, qui sit sanæ mentis,

(137) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1203, § 58.

(138) Sic in apogr.

(139) Sic in apogr.

ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque peccato mortali corripere quemlibet Christianum, et, si correctionem contempserit, ipsum per districtionem ecclesiasticam coercere. Quod enim debemus corripere ac possimus, ex utraque patet pagina testamenti, cum clamet Dominus per prophetam : *Clama, ne cesses, quasi tuba ex. . . . vo. . . . t. . . . et a. . . po. . . m. . .* (140) *scelera eorum* (*Isa.* LVIII), et subjungat ibidem : Nisi annuntiaveris impio impietatem suam, ipse in iniquitate quam operatus est morietur, sanguinem autem ejus de tua manu requiram. Apostolus quoque nos monet corripere inquietos, et alibi dicit idem : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV). Quod autem possimus et debeamus etiam coercere, patet ex eo quod inquit Dominus ad prophetam, qui fuit de sacerdotibus Anathot : *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et dissipes, et edifices et plantes* (*Jer.* I). Constat vero, quod evellendum, destruendum et dissipandum est omne mortale peccatum. Præterea, cum Dominus claves regni cœlorum beato Petro tradidit, dixit ei : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Verum, nullus dubitat, quin omnis mortaliter peccans apud Dominum sit ligatus. Ut ergo Petrus divinum judicium imitetur, ligare debet in terris, quos legatos esse constat in cœlis. Sed forsan dicetur, quod aliter cum regibus, et aliter cum aliis est agendum.

Cæterum, scriptum novimus in lege divina : Ita magnum judicabis, ut parvum, non erit apud te acceptio personarum, quam beatus Jacobus intervenire testatur, si dixeris ei qui indutus est veste præclara : Tu sede hic bene ; pauperi autem : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum. Et licet hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus ab errore ad veritatem, et a vitio ad virtutem, præcipue tamen cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis, de qua Christus specialiter præcipit apostolis : *In quamcunque domum intraveritis, primum dicite* : *Pax huic domui, et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra* (*Luc.* X); *Quicunque autem non receperint vos, nec audierint sermones vestros, exeuntes foras, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis* (*Marc.* VI). Quid enim est a talibus exire foras apostolos, nisi communionem eis apostolicam denegare ? Quid est excutere pulverem de pedibus suis, nisi districtionem ecclesiasticam exercere ? Hic est etenim pulvis ille, qui Moyse cinerem de camino spargente, fuit ad plagam ulceris super omnem terram Ægypti. Quam gravis autem districtionis sententia in ultimo sint examine feriendi, qui non recipiunt pacis nuntios, nec audiunt sermones eorum, per se ipsa veritas consequenter ostendit, non simpliciter, sed cum quadam affirmatione proponens : *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati* (*Matth.* X); in civitate cives intelligens, a quibus non excepit ipsos reges. Porro, cum secundum legitimas sanctiones, quod quisque juris in alterum statuit, alius eo uti valeat contra illum, et sapiens protestetur parere legi (141), quam ipse tuleris, et rex ipse Francorum contra claræ memoriæ R. quondam Anglorum regem, qui ut salva ipsius regis pace loquamur, quia non ad confusionem ejus, sed ad excusationem nostram hoc dicimus, non erat eo deterioris conditionis, in bello fuit officio; et beneficio nostro usus, quomodo quod pro se adversus illum admisit contra se pro alio non admittet ? Nunquid apud nos debet esse pondus et pondus, mensura et mensura, quorum utrumque est abominabile apud Deum ? Postremo, cum inter reges ipsos formata fuerint pacis fœdera, et utrinque præstito juramento firmata, quæ tamen servata usque ad præfixum terminum non fuerunt, nunquid non poterimus de juramenti religione cognoscere, quod ad judicium Ecclesiæ non est dubium pertinere ut ruptæ pacis fœdera reformentur? Ne igitur tantam discordiam videamur sub dissimulatione fovere, dissimulare religiosorum locorum excidium, et stragem negligere populi Christiani, dilecto filio.... abbati Casemarii, dedimus in præceptis, ut, nisi rex ipse vel solidam pacem cum prædicto rege reformet, vel treugas ineat competentes, vel saltem humiliter patiatur, ut idem abbas, et venerabilis frater noster...... archiepiscopus Bituricensis, de plano cognoscant utrum justa sit quærimonia, quam contra eum proponit apud Ecclesiam rex Anglorum, vel ejus exemptio sit legitima quam contra illum per suas nobis duxit litteras exprimendam, juxta formam sibi datam a nobis procedere non omittat. Ideoque, universitatibus vestris per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus, postquam idem abbas super hoc mandatum fuerit apostolicum executus, sententiam ejus, imo nostram verius, recipiatis humiliter, et vos ipsi servetis, et faciatis ab aliis observari, securi, quod si secus egeritis inobedientiam vestram puniemus.

Datum Laterani,...... anno septimo.

### XLIII (142).

PETRO DE MALIANO, RECTORI HOSPITALIS DE PULCHICAVELLIS.

*Recipit eos sub protectione cum annuo censu.*

(Laterani, Non. Aprilis.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Personam tuam et Hospitale prædictum, quod ad receptionem pauperum pro tuorum peccaminum remedio fabricasti, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum, etc., *usque* communimus. Ad indicium autem hujus a sede apostolica protectionis obtentæ, unam libram § 81.

(140) Sic in apogr.
(141) Sic in apogr.

(142) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204,

ceræ gratis oblatam persolves nobis, nostrisque A
successoribus annuatim. Nulli ergo omnino, etc.

Datum Laterani, Nonis Aprilis.

XLIV (143).

ABBATI CASEMARII.

*Commissio cognitionis causæ inter reges Francorum et Angliæ.*

(Laterani,)

Fidem et prudentiam tuam in Domino commendamus, nec minus acceptamus fidem et prudentiam, imo magis, quia et mandatum prudenter exsequeris, et fideliter consulis quæ consulenda cognoscis, plene nobis circumstantias negotii quod instat exponens. Licet autem status charissimi in Christo filii nostri, regis Ottonis illustris, satis sit per Dei B
gratiam prosperatus, nondum tamen est roboratus et solidatus in tantum, quod de festinata ejus victoria præsumamus. Instabis igitur apud clarissimum in Christo filium nostrum, Ph. regem Francorum illustrem, tam per te quam per alios, quorum studium ad hoc cognoveris fructuosum, non semel solummodo, sed frequenter, ut, juxta formam litterarum nostrarum, cum charissimo in Christo filio nostro, J. rege Anglorum illustri, vel solidam pacem statuat, vel treugas ineat competentes, vel saltem humiliter patiatur, ut de plano tu et venerabilis frater noster..... Bituricensis archiepiscopus, cognoscatis, utrum, juxta quod rex ipse Francorum allegat, rex Anglorum in hac causa discordiæ quæ vertitur inter eos, subire curiæ ipsius judicium C
teneatur, an contra hoc legitima se possit exceptione tueri; ac per hoc utrum justa sit ejus querela, quam proponit apud Ecclesiam contra illum, an illius exceptio sit legitima, quam nobis contra ipsum exponit. Quod si forsan nihil horum facere voluerit sæpius requisitus, litteras, quas prælatis direximus, et quas nunc etiam destinamus, studeas exhibere, et, si fuerit appellatum appellationi deferas ad cautelam, terminum prosequendi præfigens, quia eo ipso quod ad nostram audientiam appellabitur, melius procedere poterimus, prout fuerit procedendum. Denunties tamen hoc regi Angliæ, ut, ad terminum quem præfixeris, mittat ad nos nuntios sufficienter instructos, qui suas coram nobis rationes allegent. Quod si non fuerit appel- D
latum, et videris quod grave scandalum non sequatur, quod tuæ discretioni committimus intuendum, juxta formam tibi datam in negotio memorato procedas. Cæterum, quidquid dicant aliqui, et quantumlibet extenuent dicta nostra, rationes tamen, quas in litteris nostris posuimus, quasdam probabiles credimus, quasdam vero validas reputamus, unde quasdam earum in aliis litteris, quas modo mittimus ad prælatos, expressius duximus exponendas.

Datum Laterani..... anno septimo.

XLV (144).

. . . COLONIENSI (145) . . . . TREVERENSI (146), ET . . . . SENONENSI (147) ARCHIEPISCOPIS, ET CAPITULO REMEN. ET EORUM SUFFRAGANEIS.

*Ut sententiam excommunicationis ab episcopo Cameracensi in comitem Namurcensem aliosque latam observari faciant.*

(Laterani, IV Idus Aprilis.)

Quasi ex adipe prodit iniquitas impiorum, et mala, quæ corde concipiunt, jam exercent publice præsumptores, dum Ecclesiam, quam Dominus suo sanguine liberavit, moliuntur nefandis præsumptionibus ancillare, personas ecclesiasticas, in quibus se idem Dominus honorari asserit et contemni, et injuriis afficere gravibus, et damnis intolerabilibus non metuunt molestare. Insurgunt nunc quidem instinctu diabolico filii contra matrem, et ipsi ejus dilaniant viscera, qui eam ab aliorum impugnationibus debuerant defensare, bona ipsius per violentiam rapientes et diripientes etiam per rapinam, ut jam recte mater contra filios, quos regeneravit in Domino, valeat exclamare: *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I), non attendentes quod a Domino dicitur: *Honora patrem tuum et matrem* (*Exod.* XX), et: *Qui maledixerit patri et matri, morte moriatur* (*Exod.* XXI). Sane, ad audientiam nostram, venerabili fratre nostro.... Cameracensi episcopo (148), lacrymabiliter significante, pervenit, quod, cum nobilis vir... comes Namurcensis, contra eumdem episcopum rancorem indebitum concepisset, occasione domus de Reumont, quæ juxta castellum in Cambresis, contra jus et consuetudinem terræ, fabricata fuerat, in Ecclesiæ Cameracensis præjudicium et jacturam, quam destruxit postmodum episcopus memoratus, licet domus eadem ad jurisdictionem comitis nullatenus pertineret, idem tamen episcopus, volens in bono vincere malum, post multas illatas eidem injurias ab ipso comite, ac deprædationem villæ de Melin, et incarcerationem hominum ipsius episcopi, cum jam ipse comes in terra episcopi per tres noctes cum magno exercitu jacuisset, ipsi comiti juxta bonorum hominum arbitrium voluit satisfacere competenter, vel, si mallet justitiæ plenitudinem exhibere, qui, oblatam sibi satisfactionem et justitiam recipere omnino recusans, sicut in testimonialibus litteris, quas a multis super negotio ipso recepimus, perspeximus contineri, cum nobilibus viris.... Lovaniæ, et... Lembore ducibus.... de Aubroc, et... de Los comitibus, et quampluribus aliis propriis nominibus exprimendis, qui cum eo manu armata terram intra-

(143) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204. § 66.

(144) Vide BZOVIUM, *Annul.* t. XIII, pag. 113, § 10

(145) Lib. III, epist. 54, not.

(146) Lib. V, epist. 57, not.

(147) Lib. III, epist. 45, not.

(148) Lib. V, epist. 19, not.

verant Camerarensis Ecclesiæ, castellum ipsius episcopi, consanguineos, homines, et amicos ipsius, modis quibus potuit impugnavit, et tam ipse quam fautores sui, terram Ecclesiæ Cameracensis hostili prædatione vastantes, quamdam partem ipsius non timuerunt incendio concremare. Et, licet venerabilis frater noster, Prænestinus episcopus, apostolicæ sedis legatus, eidem comiti, post preces, quas illi direxerat, auctoritate qua fungitur, curaverit districtius inhibere, ne Cameracensem Ecclesiam, vel ipsum aliquatenus molestaret, sed cum eo, si vellet, experiretur de justitia coram ipso, idem tamen comes, legati nostri preces et inhibitionem obaudiens, cum prædictis nobilibus, et aliis quos in favorem suæ iniquitatis vocaverat, ut viderentur in unum convenisse principes adversus Dominum, et adversus Christum ejus, qui noscuntur in sua virtute confidere, ac in suarum divitiarum abundantia gloriari, dicentes: *Manus nostra excelsa, et non Deus, fecit hæc omnia* (*Deut.* XXXII), terram intravit episcopi antedicti, et in ea nequitiam, quam mente conceperat, non est veritus exercere. Episcopus autem, quoniam comitem ipsum et fautores suos datos esse vidit in reprobum sensum, ut non solum nollent malefacta corrigere, sed ei, et terræ suæ deteriora minarentur inferre, in eos excommunicationis sententiam promulgavit, qui, nec sic a sua malitia desistentes, sententiam ecclesiasticam parvipendunt Quia igitur præsumptiones hujusmodi nec debemus, nec volumus æquanimiter sustinere, universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus, firmiterque præcipimus, quatenus eamdem excommunicationis sententiam, a prædicto episcopo in malefactores suos rationabiliter promulgatam, per universas vestras diœceses publicantes, faciatis per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, usque ad satisfactionem idoneam, inviolabiliter observari, non obstante, si forte quidam eorum alias illi non sint diœcesana lege subjecti, cum ratione delicti, quod in ipsius diœcesim perpetrarunt, animadvertere potuerit in eosdem. Quod si nec infra mensem eorum poterit duritia emolliri, ut redeuntes ad cor eidem episcopo satisfaciant de commissis, terras eorum subjicientes ecclesiastico interdicto, ad quemcunque locum comes ipse devenerit, qui prædictæ malitiæ principalis est actor, eo præsente divina prohibeatis officia celebrari, ut sic saltem ejus impleatur facies ignominia, et nomen Domini quærat, cum ei vexatio præbuerit intellectum. Si vero, quod non credimus, vos in mandati nostri exsecutione negligentes essetis aliquatenus, vel remissi, venerabilibus fratribus nostris.... Noviomensi et.... Silvanectensi episcopis, damus nostris litteris in præceptis, ut ipsi mandatum nostrum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, exsequantur, et, cum ad nos de vobis

A super his querela pervenerit, inobedientiam vestram curabimus auctore Domino, severitate debita castigare. Nullis litteris, etc.

Datum Lateranensi, IV Id Aprilis.

*Illis scriptum est super hoc.*

XLVI

MAGISTRO THOMÆ DE DISCE, CANONICO VUELLENSI (149).

*Præbendam ipsi ab archiepiscopo Eboracensi collatam auctoritate apostolica confirmat.*

Cum Ecclesia Vuellensis in proventibus, et in clericorum numero penuriam patiatur, venerabilis frater noster Gaufr. Eboracensis archiepiscopus, ad supplendum defectum hujusmodi, et cultum divini nominis ampliandum, cum consensu capituli ejusdem ecclesiæ, de quadam magna præbenda B in eadem ecclesia tunc vacante, duas præbandas instituit, duobus clericis in perpetuum conferendas, quarum unam, scilicet ecclesiam de Muscham cum pertinentiis suis, idem archiepiscopus tibi liberaliter assignavit, quam postulasti tibi per sedem apostolicam confirmari. Nos igitur, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, præbendam ipsam, sicut eam juste possides, et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

XLVII

..... WARADIENSI EPISCOPO ET... ABBATI DE PETIS VESPRIMENSIS DIOECESEOS.

*Ut inquirant an episcopatus in Ecclesiis quibusdam Græcis regni Ungariæ sit instituendus.*

C (Laterani, XVI Kal. Maii.)

Significavit nobis charissimus in Christo filius noster.... rex Ungarorum illustris, quod quædam ecclesiæ monachorum Græcorum regno Ungariæ constitutæ, per incuriam diœcesanorum episcoporum, et per ipsos Græcos, qui valde sunt, sicut asserit, dissoluti, penitus destruuntur, a nobis supplicans humiliter et devote, ut auctoritate nostra unus fieret episcopatus ex ipsis, qui nobis, nullo mediante, subesset, vel abbates, aut præpositi Latini constituerentur in illis, per quorum studium et diligentiam earumdem ecclesiarum status possel in melius reformari. Nos igitur, ejusdem regis petitionibus inclinati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad prædictas ecclesias acce- D dentes, iniquiratis diligentius veritatem, utrum per ipsos monachos Græcos eadem monasteria in religionis observantia valleant reformari. unus fierit potuerit episcopatus ex illis, qui nobis sit immediate subjectus, et quod super his inveneritis, fideliter conscribentes, sub testimonio sigillorum vestrorum ad nostram præsentiam destinetis, ut, per inquisitionem vestram instructi, securius in eodem negotio procedere valeamus. Interim autem, ad correctionem eorum impendatis operam efficacem.

Datum Laterani, XVI Kalendas Maii.

(149) Sic in apographo Conti ; legendum forsan *Wellensi.*

XLVIII (150).

ABBATI SANCTI AUBERTI (151), ET S. ARCHIDIACONO, ET MAGISTRO REN. CANONICO, CAMERACENSIBUS.

*De eodem argumento ac in epistola hujusce libri* 45.

(Laterani, VII Id. Maii.)

Cum, peccatis exigentibus, multa sit hodie malitia hominum super terram, et contra ecclesias et viros ecclesiasticos audaciam habeant non modicam præsumptores, ecclesiarum jura et libertates pervertere molientes, coguntur prælati earum, ut ipsorum valeant impugnationes repellere, et patrimonium et jura ecclesiatica defensare, graves labores subire pariter et expensas, et non solum illa, quæ expendenda fuerant in usus pauperum, stipendiis erogare, imo etiam multa alia recipere sub usuris; nec ecclesiarum status, dum eas iniqui sic aggravant, potest suscipere incrementum. Cum igitur venerabilis frater noster... Cameracensis episcopus, a nobili viro.... comite Namuracensi et aliis nobilibus, fautoribus ejus, multas passus sit injurias et jacturas, et terra ejus sit fere et penitus desolata, et pro impugnatione, quam ab hostibus suis substinuisse dicitur, non modico prematur onere debitorum, volentes, prout convenit, ejus indigentiæ subvenire, et utilitatem ecclesiasticam procurare, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, debitorum suorum quantitate taxata, de bonis episcopalibus et redditibus, prout expedire videritis, faciatis, auctoritate nostra, sublato cujuslibet contracdictionis et appellationis obstaculo, per eum suis creditoribus assignari, ut idem episcopus pro defectu rerum succumbere non cogatur, et creditores, qui ei subvenerunt in necessitatibus, unde promereruut gratiam, detrimentum aliquod non incurrant; contradictores, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Laterani, VII Idus Aprilis, anno septimo.

XLIX (252).

REGI BOHEMORUM ILLUSTRI.

*Conceditur ut possit in litteris rex nominari.*

(Laterani, XIII Kal. Maii.)

Licet, ante tuæ promotionis tempora, multi fuerint in Bohemia regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt a prædecessoribus nostris, Romanis pontificibus, obtinere, ut reges eos in suis litteris nominarent. Nos quoque, tum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, tum considerentes sollicite, quod a nobili viro. Ph. duce Sueviæ, te feceras coronari, qui, cum coronatus legitime non fuisset, nec te nec alium poterat legitime coronare, regem te hactenus non diximus nominandum. Verum, cum, ad commonitionem apostolicæ sedis et nostram relicto duce Sueviæ, ad charissimum in Christo filium nostrum, illustrem regem Ottonem, in Romanorum imperatorem electum, te converteris, usus consilio saniori, et ipse habeat te pro rege, tam intuitu precum ejus quam tuæ devotionis obtentu, regem te de cætero reputare volumus et vocare. Tu igitur, taliter gratiam tibi factam agnoscas, et sic ingratitudinis vitium studeas evitare, ut tua devotio mereatur, quod et gratia tibi detur ex gratia, et data gratis perpetuo conservetur, provisurus attentius, ut, quam citius poteris, ab eodem rege Ottone te facias solemniter coronari.

Datum Laterani, XIII Kalendas Maii.

L.

ARCHIPRESBYSTERO ET CLERICIS PLEBIS ARETINÆ.

*Lites inter ipsos et præpositum canonicosque Aretinos dirimit*

(Laterani, XIII Kal. Maii.)

Cum dilectus filius... concanonicus vester, pro plebe vestra, et dilectus filius...... præpositus, et quidam canonici Aretini, pro ecclesia S. Petri, quæ nuper auctoritate nostra unita est ecclesia cathedrali, ad sedem apostolicam accessissent, præsente venerabili fratre nostro.... Aretino episcopo (153), super diversis articulis in nostra præsentiæ litigarunt. Sane, vester proposnit procurator, quod, cum festum Beati Donati martyris in plebe vestra solemniter consueverit celebrari, præpositus et canonici Aretini nuper illud apud ecclesiam S. Petri, contra consuetudinem hactenus observatam, in juris vestris præjudicium, solemnius celebrarunt, ut non solum oblationes subtraherent, quæ vobis in festo ipso solebant magnifice provenire, sed et quosdam cereos, quos census nomine plebi eidem quidam nobiles annatim solvere tenebantur, quorum restitutionem procurator ipse vobis fieri postulabat. Addebat etiam, quod minæ vobis inferebantur multiplices, non tam a præposito et canonicis, quam protestate ac civibus Aretinis, super capitulo, quod in ecclesia vestra in capite jejuni fieri consuevit, celebratione baptismi, litanis, et aliis dignitatibus, quibus hactenus ecclesia vestra usa fuerat sine lite; unde, super his indemnitati vestræ petebat per sedem apostolicam provideri. Verum, præpositus proposuit ex adverso, quod, cum corpus beati Donati, sicut ex multis privilegiis pontificum Romanorum apparet, apud cathedralem ecclesiam requiescat, videretur absurdum, si solemnitate hujusmodi privaretur, vobisque celebrantibus festum ejus ecclesia Sancti Petri, quæ S. Donati ecclesiæ in unam cathedralem ecclesiam est conjuncta, in specialis patroni sui annua solemnitate sileret. Præterea, cum de unione prædictarum ecclesiarum apud sedem apostolicam tractaretur, mandasse nos aiebat, civibus Aretinis, ut honorificentias universas quas cathedralibus ecclesiis exhibent aliæ civitates,

(150) Laudata apud BZOVIUM, *Annal.* tom. XIII, pag. 113, § 10 Vide etiam Ryanaldum, ad annum 1204, § 82.

(151) Hugo, abbas S. Auberti, reperitur anno 1204 mense Maio, in charta pro Cantiprato notitiæ Eccles. Belgii, p. 517. *Gall. Christ.* tom. III, col. 155.

(152) Edita apud Raynaldum, ad annum 1204 § 55.

(153) Vide epistolam libri sexti 50, not.

eidem ecclesiæ Petri humiliter in posterum exhiberent, eo nequaquam obstante, quod servatum fuerat hactenus propter odium civitatis, unde ipsi mandatis apostolicis devote parentes, omnes et singuli id se facturos hilariter juraverunt. Cum igitur festum istud sit specialis solemnitas civitatis, capitulum quoque, baptismus, et litaniæ, in cathedralibus ecclesiis celebrari soleant apud alias civitates, hæc omnia ecclesiæ S. Petri competere auctoritate mandati nostri, et ratione juramenti a civibus præstiti proponebant : addens, quod cereos, de quibus procurator vester querimoniam deposuerat coram nobis, non ex debito census nomine, sed de gratia spontaneæ devotionis obtentu, prædicti nobiles offerebant, sed, etsi ex debito etiam solverentur, cum ipsi non subtraxerint eos vobis, non ab eis restitutionem petere, sed contra debitores jus vestrum prosequi debebatis. Nos igitur, auditis his, et aliis, quæ fuerunt utrinque proposita, utriusque partis quieti providere volentes, præsentium auctoritate decernimus, ut, cum sedes episcopalis non sit ab ecclesia Beati Donati ad ecclesiam S. Petri translata, sed ecclesia B. Petri ecclesiæ conjuncta, unde illa etsi sua privilegia communicaverit isti, dignitates tamen non amisit antiquas, festum B. Donati de cætero in ipsa primitiva ecclesia, quæ in ejus memoriam est fundata solemniter ab episcopo et canonicis, celebretur, quia, sicut indecens, esset ut festum B. Petri celebraretur ab episcopo et canonicis in ecclesia B. Donati, sic procul dubio esset absurdum, ut festum B. Donati celebraretur ab eis in ecclesia S. Petri, cum et nos in similibus id servemus, festum apostolorum principis apud ejus basilicam, et Festum Beati Joannis apud Lateranensem ecclesiam celebrantes, licet utraque sit ecclesia cathedralis. Verum, quoniam injuria non fit sancto sed honorificentia potius exhibetur, cum in diversis locis ejus merita fidelis populus veneratur, celebrandi festum ejusdem martyris in ecclesia vestra vobis non adimimus facultatem, libertatem quibuslibet relinquentes, utram ecclesiarum ipsarum maluerint eo die devotionis gratia visitandi, ut, nec retrahantur ab altera, nec ad reliquam compellantur. Ab impetitione vero vestra super cereis, et oblationibus, præpositum et canonicos reddimus absolutos; vos tamen super hujusmodi cereis, qui vobis nomine census debantur, convenire poteritis debitores. De capitulo autem id statuimus observandum, ut episcopus illud apud ecclesiam vestram in capite jejunii celebret summo mane, ita, quod, eo congrue celebrato, cum universo clero adeat ecclesiam S. Petri, officium ibi Cineris expleturus, cum et nos eodem die apud S. Anastasiam, collectam, et apud S. Sabinam, stationem, et missarum solemnia celebremus. Quia vero nimis videretur absurdum, si baptisma non fieret in ecclesia cathedrali, statuimus ut in ecclesia S. Petri baptismus solemniter celebretur, vosque juxta consuetudinem hactenus observatam in ecclesia vestra, parochianos vestri plebatus, qui vobis præsentati fuerint, baptizetis, cum et nos licet in ecclesia Lateranensi, baptizantis officium celebremus, nihilominus tamen in titulis urbis exhibeatur sacramentum baptismatis baptizandis. Cæterum, cum litaniæ primo, et tertio die ante festum ascensionis Dominicæ apud ecclesiam vestram, secundo vero apud ecclesiam S. Petri consueverint terminari, nos, volentes ecclesiæ cathedrali deferre, ordinem decernimus immutandum, ut videlicet primo die apud ecclesiam S. Petri, sequentibus vero apud ecclesiam vestram litaniæ processio finiatur, sicut etiam apud nos primo die hujusmodi celebratur processio apud ecclesiam primitivam, deceatque, ut Aretina Ecclesia Ecclesiæ Romanæ consuetudinem imitetur, et ejus sequatur examplar, cui nullo subjacet mediante. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, XIII Kal. Maii.

LI (154).

ARCHIEPISCOPO MAGUNTINO (155).

*Adversus Maguntinos, et de Metropoli in Bohemia constituenda.*

(Laterani, XII Kal. Maii.)

Usque adeo se nobis in facto tuo hactenus pro majori parte opposuit ecclesia Maguntina, et sic contumaciter in sua obstinatione permansit, nec adhuc etiam adjicit ut resurgat, ut, si ei vellemus pro meritis respondere, non solum, qui te caput suum admittere despicit, membris possemus eam penitus mutilare, sed, quia non intelligit quantæ dignitatis privilegium et honoris augmentum per sedem sit apostolicam consecuta, deberemus reducere caput ed caudam, et primam novissimam facere, ac novissimam primæ præferre, in perpetuam memoriam rebellionis ipsius, et ejus opprobrium sempiternum, ut ex pœna ipsius alii discerent, quod non est tutum contra torrentem brachia dirigere, et contra stimulum calcitrare. Verum, quia personam tuam sincera diligimus in Domino charitate, pro te adhuc eidem ecclesiæ duximus deferendum, licet, quanto magis differimus pœnam ejus, tanto simus etiam eam gravius punituri, nisi quanto citius expiaverit culpam suam, et genimina viperarum, quæ in ea latebras suas fovent, pedibus tuis exhibuerint se calcanda, et apud te cum filio prodigo proclamarint : Pater, jam non sumus digni vocari filii tui, fac nos sicut aliquos ex mercenariis tuis, et inter ipsos admitte, qui te pastorem nostrum et animarum nostrarum episcopum non admisimus hactenus, nec fuimus venerati. Sane, supplicarunt nobis charissimus in Christo filius noster.... illustris rex, et populus Bohemorum, ut, cum tu propter locorum distantiam et diversitatem linguarum minus sufficias circa eos metropoliticum officium exercere, nos, qui vice Christi tenemur universis fidelibus

(154) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 53.
(154) Lib. v, epist. 14 et 15.

providere sollicitudine pastorali, tum propter evidentem utilitatem, tum etiam propter necessitatem urgentem, in Bohemia, cum, spatiosa et populosa sit multum, sedem metropoliticam statuere dignaremur, per quam non tam honori eorum quam saluti utiliter consulatur. Licet autem propter contumaciam ecclesiæ Maguntinæ petitio hæc accelerari deberet potius quam differri, ne tamen contra te aliquid agere videremur, eam non statim admittendam, sed super his, quæ circa eam inquirenda fuerunt, mandamus inquiri, ut, si forsan evidens utilitas et urgens necessitas id exposcat, provideamus ecclesiæ Maguntinæ, dum tamen, a suo resipiscens errore, ad mandatum apostolicum humiliter revertatur, ut per hoc non tam aliquid honori ejus subtractum, sed additum videatur. Hæc igitur fraternitati tuæ duximus intimanda, ut tuam nobis significes voluntatem, sciturus quod, si super hoc duxerimus procedendum, honori tuo sufficienter, dante Domino, curabimus providere.

Datum Laterani, XII Kalendas Maii.

LII (156).

REGI BOHEMORUM ILLUSTRI

*Petitionem ejus de erigenda in Bohemia metropolitica differt, et mandat ut archiepiscopi Maguntini consensum obtinere curet.*

(Laterani, XI Kal. Maii.)

Monet nos tuæ nobilitatis devotio, et fidei sinceritas exhortatur, ut, in quibus cum Deo et honestate valemus, petitiones tuas benignius admittamus. Cum enim consiliis nostris acquieveris hactenus, et inposterum mandatis apostolicis te exponas, decet ut devotioni tuæ delectio nostra respondeat, et sedes apostolica te honoret, cum tu ejus honorem studeas efficaciter promovere. Sane, per tuos nobis nuntios supplicasti, et charissimus in Christo filius noster, Hungariæ rex illustris, pro te apud nos suppliciter intercessit, ut in Bohemia metropolim construere dignaretur, cum spatiosa et populosa sit terra, et ab ecclesia Maguntina, cui est metropolitico jure subjecta, tam locorum distantia quam linguarum diversitate, divisa, ut, cum per Romanum imperium obtinere meruerit regiam dignitatem, per Romanam Ecclesiam mereatur dignitatem metropoliticam obtinere. [Licet autem tam te quam terram tuam velimus, in quibus honeste possumus, honorare, quia tamen arduum est negotium, et petitio continet novitatem, mirari te nolumus et moveri si non protinus preces tuas duximus consummandas, cum magna deliberatione res egeat, ut quod dispositum fuerit tanto stabilius perseveret, quanto cum majori fuerit maturitate statutum. Siquidem ostendenda nobis est prius et urgens necessitas, et utilitas evidens quæ fieri hoc exposcat, facultas, et voluntas Ecclesiæ, in qua sedes debet metropolitica stabiliri, et utrum in Bohemia diœceses possit statui competenter, statuendæ metropoli supponendæ. Præterea, convenienda et commonenda super hoc est ecclesia Maguntina, ne, si aliter factum fuerit, venerabilem fratrem nostrum, G. Maguntinum archiepiscopum, quem ereximus, dejicere videamur, si ex hoc concitaverimus plus in eum Ecclesiæ suæ odium et scandalum civitatis.] Ut reddamur igitur de omnibus certiores, dilectum filium, T... subdiaconum et capellanum nostrum, virum utique litteratum, providum et discretum, nobis et fratribus nostris merito suæ probitatis acceptum, in Bohemia destinamus, qui super his et aliis, de quibus viderit inquirendum, inquirat, et plene nobis super his quæ contigunt negotium ipsum, significet veritatem. Tu quoque, non tantum per litteras tuas et populi, sed per solemnes nuntios tuos, et episcopos, ac ecclesiæ quos talia petere deceat, petitionem tuam poteris innovare, ut super his melius procedere valeamus, prout viderimus expedire. Nos enim promptam gerimus voluntatem, in his et aliis petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, exaudire. Tu ergo, facias eumdem subdiaconum secure ad præsentiam prædicti archiepiscopi Maguntini produci, et præsentari litteras nostras capitulo Maguntino, ne, si aliquid omissum fuerit ex his quæ ipsi inquirenda commisimus, in negotio ipso plene procedere non possimus.

Datum Laterani, XI Kal. Maii.

LIII (157).

CANONICIS, ET MINISTERIALIBUS MAGUNTINIS SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Multa super rebellione per eos facta adversus Ecclesiam et archiepiscopum.*

(Laterani, XI Kal. Maii.)

Supplicarunt nobis humiliter, et devote, etc., *ut in ea quæ mittitur archiepiscopo, in eumdem fere modum, usque* consulatur, ut sicut per Romanum imperium obtinere meruit regiam dignitatem, ita quoque per Romanam Ecclesiam mereatur dignitatem metropoliticam obtinere. Licet autem multi de ecclesia Maguntina, si tamen dicendi sunt de Ecclesia, qui suis exigentibus culpis præcisi sunt ab ecclesiastica unitate, propter rebellionis excessum, et inobedientiæ vitium, in quo contra majestatem divinam, Romanam, et Ecclesiam archiepiscopum suum obstinata mente perdurant, gravi meruerint animadversione puniri, nos tamen, qui correctionem paterno desideramus affectu, memores ejus, quæ filia specialis, et honorabile membrum apostolicæ sedis existit, non statim petitionem hujusmodi duximus admittendam, sed prius inquirere disposuimus, quæ super iis fuerint inquirenda, ut, si forte petitionem ipsam admittendam esse noverimus, provideamus in ea, sicut expedire viderimus ecclesiæ Maguntinæ, dum tamen a suo resipiscens errore, se non reddat indignam. [Alioquin non nobis, sed vo-

(156) Epistolæ hujus fragmentus edidit Raynaldus, ad annum 1204, § 53. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(157) Fragmentum hujusce epistolæ exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 54. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

bis merito poteritis imputare, sic forte qui caput abjicitis, membrum aliquod amittatis. ] Vestrum igitur erit taliter honori nostro deferre, ut et nos vestro debeamus deferre, honori, providentes vobis in tempore opportuno, ne forte post tempus, non providentiæ, sed pœnitentiæ vobis locus merito reservetur.

Datum Laterani, XI Kalendas Maii.

LIV (158).

ILLUSTRI REGI BOHEMORUM

*Privilegia ipsi ab imperatoribus concessa, et ab Ottone nuper confirmata, auctoritate etiam apostolica confirmat.*

(Laterani, XVII Kal. Maii.)

Sic sibi spiritualis et materialis gladius mutuæ mutuant subventionis auxilium, et vicissim communicant vires suas, ut defectus ope vicaria suppleant, et uterque alterius perficiat imperfectum. Decet enim ut sibi ad invicem suffragentur, et apud eos qui gladium spiritualem non timent, jus ipsius armis gladius materialis alleget, et spiritualis temporali cum necesse fuerit, auctoritatis suæ robur impendat, et tribuat super his quæ minus essent valida sine ipso valorem. Cum igitur charissimus in Christo filius noster, illustris rex Otto, in Romanorum imperium electus, jura et privilegia quæ ab antiquo tibi et tuis prædecessoribus ab imperatoribus fuere concessa, suo tibi duxerit privilegio confirmanda, et tam libertates, quam terras et castra, et alia tibi concesserit, ut dispositioni regiæ auctoritatis pontificatus accedat, concessiones ipsas, sicut ad honorem tam Ecclesiæ quam imperii sunt, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, XVII Kalendas Maii.

LV (159).

..... FRAGENSI ET..... OLOMUCENSI EPISCOPIS, ET..... ARCHIDIACONO DE BEHIN.

*Ut si quis Bohemorum regi damnum aliquod inferre tentaverit, censuris ecclesiasticis compescant.*

(Laterani, XI Kal. Maii.)

Cum charissimus in Christo filius noster, P.... illustris rex Bohemiæ, juxta mandatum nostrum, ad subsidium charissimi in Christo filii nostri, illustris regis Ottonis, in Romanorum imperatorem electi, sit expositus et paratus pati, nolumus nec debemus, ut ab aliquibus prægravetur, maxime dum in ejus fuerit obsequio constitutus. Ut autem indemnitati ipsius auctoritate apostolica consulatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, si qui forsan in præjudicium ejus aliquid præsumpserint machinari, unusquisque vestrum pariochianos suos laicos per censuram ecclesiasticam, clericos vero per subtractionem beneficiorum, sublato appellationis obstaculo, ab hujusmodi præsumptione auctoritate nostra compescat.

Datum Laterani, etc., XI Kalendas Maii.

(158) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 55.

(159) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 55.

A LVI.

STRIGONIENSI ARCHIEPISCOPO.

*De translatione præpositura cujusdam.*

(Laterani, VIII Kal. Maii.)

Supplicavit nobis charissimus in Christo filius noster... rex Ungarorum illustris, ut, quia in quodam castro suo Posomensi præpositura consistit, et ex accessu hominum ad eamdem, timet sibi de castro ipso periculum provenire, ei licentiam concedere dignaremur, ut præposituram ipsam extra munitionem construere, ei licentia nostra valeret. Nos autem, ejus petitionibus annuentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, super translatione ipsius præposituræ, illud auctoritate nostra statuas, quod necessitati regni et utilitati Ecclesiæ noveris expedire, provisurus ne corpus B beati martyris qui in dicta ecclesia requiescit, debita veneratione fraudetur.

Datum Laterani, VIII Kalendas Maii.

LVII (160).

EIDEM.

*Ut coronet filium regis Ungariæ cum ipse in terram sanctam ire proposuerit.*

(Laterani, VIII Kal. Maii.)

Supplicavit nobis, etc., *ut supra usque* ut, quia transire proposuit in subsidium Terræ sanctæ, ne regnum suum remoneret quasi regimine destitutum, tibi scribere dignarentur, ut charissimum in Christo filium nostrum... natum suum, regali diademate insignires. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus] cum ab C eodem rege fueris requisitus, juxta petitionem suam prædictum filium ejus, quamvis minorem, non differas coronare, recepturus ab ipso patre, filii sui vice, corporaliter juramentum super apostolicæ sedis obedientiam, quam super Ecclesiæ Ungaricæ libertate, sicut progenitores sui cum humilitate ac devotione debita impenderunt.

Datum *ut supra*.

LVIII.

REGI UNGARORUM ILLUSTRI

*Explicat mandatum quod jam emiserat super præposituris regni Ungariæ (161).*

(Laterani, VIII Kal. Maii.)

Olim nobis regalis magnificentia per suas litteras supplicavit, ut, cum regales præposituræ quæ sunt in Ungaria, sicut ad te in temporalibus, sic ad nos D in spiritualibus nulla pertineant mediante, statuere dignaremur, quatenus novus præpositus ad sedem apostolicam infra annum, vel in persona propria, vel per idoneum nuntium cum litteris regalis assensus accederet, confirmationis gratiam obtenturus. Nos ergo, tuis precibus inclinati, statuimus, ut quicunque de cætero ad regimen præpositurarum illarum, quæ ad nos in spiritualibus nullo pertineant mediante, fuerint evocati, ad apostolicæ sedis præsentiam infra annum, in personis propriis vel per

(160) Vide Raynaldum, ad annum 1204. § 47.

(161) Vide epistolas libri quinti 102, et libri sexti 7, 56.

Idoneum nuntium eum litteris regalis assensus accedant, pro confirmationis munere obtinendo, ita quod interim in spiritualibus non ministrent; quod si forte infra dictum terminum venire neglexerint, extunc præposituris illis se noverint exspoliandos. Consequenter autem, bonæ memoriæ J. Strigoniensis archiepiscopus, ad præsentiam nostram accedens, in nostra et fratrum nostrorum præsentia proposuit viva voce, quod in abbatiis et præposituris regalibus ad eum et Strigoniensem Ecclesiam jurisdicto ecclesiastica pertinebat, unde petebat, constitutionem præscriptam, tanquam per subreptionem elicitam, revocari. Nos autem, viam mediam eligentes, provida deliberatione decrevimus, ut, occasione litterarum, quas primo direximus circa præposituras et abbatias Ecclesiæ Strigoniensis per Ungariam ubicunque subjectas, nullum ei vel successoribus suis præjudicium generetur. Regalem igitur excellentiam volumus non latere, quod nec per secundas litteras juri, tam nostro quam regio, nec per primas, ipsius archiepiscopi et Strigonensis Ecclesiæ justitiæ derogetur, cum in primis fuerit constitutum de illis quæ in spiritualibus ad nos nullo mediante pertinere noscuntur, in secundis vero decretum de iis quæ Strigoniensi Ecclesiæ asseruntur esse subjectæ.

Datum, *ut supra.*

LIX (162).

HUG. ABBATI MONASTERII SANCTI AUGUSTINI DE MONTE-ALTO, EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Recipit eos sub protectione, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Laterani, IV Kal. Maii.)

Quoties a nobis petitur, etc. *usque:* annuentes, prædictum monasterium Sancti Augustini, in quo diurno estis obsequio mancipati, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et ad exemplar piæ recordationis Alexandri papæ II, prædecessoris nostri, translationem ipsius monasterii a Monte Castello in Montem Gentilem auctoritate apostolica confirmamus, etc., *usque* communimus; statuentes, ut quascunque possessiones, etc., *usque* vocabulis; locum ipsum in quo prædictum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, terris, vineis, nemoribus usuagiis, et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis, et semitis, et omnibus aliis libertatibus, et immunitatibus suis; ecclesias Sanctæ Mariæ et Sancti Joannis, positas in Monte-alto; ecclesias Sancti Nicolai. Sancti Leonardi, Sancti Petri de Podio, Sancti Pauli juxta mare, et Sancti Manuliani, cum cellis et totam silvam de Anglo, et domum Leprosorum de Monte-alto; ecclesiam Sancti Nicolai de Ponteclo; plebem de Valentano; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bulzia; Sancti Stephani de Piscia, et Sancti Petri de Cannino ecclesias, cum omnibus pertinentiis suis; jura quoque et consuetudines quas habetis in Monte-alto; portum de Morallis, et portum fluminis Montis-alti, et redditus quos habetis ex eis. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, etc. Discedentes vero, etc. Licitum præterea vobis a quocunque malueritis, etc. Obeunte vero te, etc. Præterea, omnes libertates, etc., *usque* communimus. Ad indicium autem hujus privilegii ab apostolica sede obtenti, obolum unum aureum nobis annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate, et in prædictis capitulis diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Laterani, per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, IV Kal. Maii, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

LX.

. . . LINCOLNIENSI, ET . . . WIGORNIENSI (163) EPISCOPIS.

*In favorem canonici cujusdam; ne eum ab archiepiscopo Eboracensi molestari sinant.*

(Laterani, V Id. Maii.)

Cum olim venerabili fratri nostro. . . Eboracensi archiepiscopo, dederimus in præceptis, ut nuntio dilecti filii . . . nepotis dilecti filii nostri, G. (164) Sancti Georgii ad Velum Aureum, etc., *usque* districte præcipiendo mandamus, quatenus, inquisita super illis diligentius veritate, nisi constituerit fructus sæpedictos ex approbata consuetudine cedere debuisse in solutionem debitorum canonici prædefuncti, eos cum blado oblato, per censuram ecclesiasticam faciatis restitui nuntio cardinalis prædicti, de damnis tam in domibus præbendæ, quam in aliis rebus datis, facientes eidem satisfactionem congruam exhiberi, nihilominus inquirentes de injuriis ejusdem cardinalis nuntiis irrogatis, et si archiepiscopus post sæpedictam sententiam missarum solemnia celebrarit, et quod super his inveneritis per vestras nobis litteras intimare (165), et nuntium nepotis cardinalis ejusdem facientes pacifica ipsius præbendæ possessione gaudere, ipsum a molestatione cujuslibet defendatis; quia, si quis in sæpefata præ-

(162) Vide Raynaldum ad annum 1204, § 81, ubi epistolam hanc numero tantumodo indicat.

(163) De Linconliensi et Wigorniensi episcopis jam egimus supra.

(164) Gregorius, Tuscus, de Monte-Carello, filius Lotharii de Albertis tituli S. Georgii ad Velum Aureum, *al.* in Velabro, diaconus cardinalis, a Clemente PP. III, anno 1190, in tertia cardinalium creatione, renuntiatus est, Innocentii PP. III jussu, legatione functus est in Tuscia et Umbria cum Petro urbis præfecto, ut eas provincias constitueret et regeret. Hunc Innocentius, virum providum, prudentem, honestate morum et generositate natalium commendatum fuisse scribit. E vivis excessit sub Innocentio III, post annum salutis humanæ 1210. *Oldoin, ad Ciacon.* t. I., col 1146.

(165) Sic in apographo, sed deest aliquid.

benda se jus habere confidit, per nos suam poterit justitiam obtinere; mandatum apostolicum taliter impleturi, quod obedientiam vestram possimus merito commendare. Testes, etc. Quod si non ambo, etc. Nullis litteris ... harum mentione non habita, etc.

Datum Laterani, v Id. Maii.

LXI.

*Ne a quoquam, nisi in duplici casu, excommunicari possint.*

(Laterani, vi Id. Maii.)

Etsi Ecclesiarum omnium sollicitudo nobis immineat generalis, cum speculatores simus super domum Domini constituti, eis tamen specialiter adesse tenemur, quæ apostolicæ sedis sunt filiæ speciales. Cum igitur Ecclesia vestra nos nullo respiciat mediante, volentes vobis paterna sollicitudine præcavere, districtius inhibemus, ne quis in vos, vel ecclesiam vestram, præter auctoritatem apostolicæ sedis, excommunicationis, vel interdicti sententias audeat promulgare, nisi forte ratione alterius beneficii, vel occasione delicti alibi perpetrati, sed nec sic absque manifesta et rationabili causa sententias hujusmodi quisquam in vos ferre præsumat, quas si quis alio modo ferre præsumpserit, in primo casu decernimus irritas, in secundo decernimus irritandas. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, vi Idus Maii.

LXII.

*Antiquas eorum Ecclesiæ consuetudines confirmat.*

(Laterani, vi Id. Maii.)

Suscepti regiminis administratione compellimur, etc., *usque* satagere videamur. Ex parte siquidem vestra fuit nobis olim humiliter supplicatum, ut super dignitatibus, ecclesiæ vestræ, parochia videlicet et festivitatibus, archidiaconatu et archipresbyteratu consueta, et canonica nominatione, et repræsentatione et aliis antiquis, et rationalibus consuetudinibus ecclesiæ vestræ, ne super his possetis ab aliquibus contra justitiam, fatigari, apostolicæ provisionis dignaremur præsidium adhibere. Nos igitur, paterna vobis super his volentes inposterum sollicitudine providere, auctoritate præsentium districte inhibemus, ne cui liceat vos, vel ecclesiam ipsam, super dignitatibus antedictis, et honestis consuetudinibus hactenus observatis indebite molestari. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, vi Id. Maii.

LXIII (168).

*Recipit eos sub protectione.*

(Laterani, xii Kal. Junii.)

Cum a nobis petitur, etc. *usque* : annuentes, personas vestras et hospitale de Bekekeg, ab A. de Raze, et H. uxore ipsius, fundatoribus ejus, Hospitali Teutonicorum Sanctæ Mariæ in Jerusalem pia liberalitate concessum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ in præsentiarum, etc. *in modum protectionis, usque* communimus. Ad indicium autem hujus protectionis a nobis obtendæ, quinquaginta et unum denarios Trisacensis monetæ, gratis oblatos, nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Nulli ergo, etc.

Datum Laterani, xii Kal. Junii.

LXIV (169).

*Ut terras comitissæ Mathildis in sua diœcesi consistentes nomine pontificis recipiat.*

(Laterani, ii Id. Maii.)

Fidem et devotionem tuam in multis experti, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut terras quæ fuerunt bonæ memoriæ comitissæ Mathildis in tua diœcesi consistentes, vel et tuo episcopatui adjacentes, nomine nostro recipias, et possessionem ingrediaris earum, et fructus ex illis percipias, prout videris expedire.

Datum Laterani, ii Idus Maii.

LXV.

*Recipit eos sub protectione.*

(Laterani, xi Kal. Junii.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu, personas et monasterium vestrum cum omnibus bonis quæ in præsentiarum, etc., *usque* communis. Null ergo, etc.

Datum Laterani, xi Kal. Junii.

LXVI (172.)

*Ut inquirant de W. Trajectensi decano, qui ex regulari vita ad sæcularem transierat.*

(Laterani, Idib. Maii.)

[Consulti sumus frequenter a multis, utrum is qui

(166) Quis fuerit, tunc temporis, decanus sacræ capellæ Divionensis, pro certo statuere non possumus. Hugonem I de Lippo usque ad annum 1195, mox immediate, sed non ante annum 1214, Robertum I d'Ancenoys, ex instrumentis, memorant auctores *Galliæ Christinæ*, tom. IV. col. 85 .

(167) Vide epistolam libri quinti 43.

(168) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 81.

(169) Vide Raynaldum ad annum 1204, § 77.

(170) Henricus ad Mantuanam sedem allectus fuit anno 1194. Præfuit usque ad annum 1227, saltem usque ad annum 1220. Uchell. *Ital. sacr.* t. I, col. 933.

(171) Vide epistolam libri quinti 96, not.

(172) Reperitur, sed mutila, inter Drecretales, lib. iii, tit. 31, *De eregularibus et transeuntibus ad religionem*, cap. 20. ubi *abbati de Affligensi, et magistris R. et G. canonicis Trajectensibus*, directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

monasterium est ingressus, habitum *assumendo* (173) A novitii, si ante possessionem emissam infra tempus probationis voluerit exire, licite possit, absque apostasiæ nota vel noxa, præsertim cùm debita morum correctione, ad sæculum remeare. Licet autem super hoc senserint diversi diversa, nos tamen credimus distinguendum, utrum is proposuerit absolute vitam mutare, ut sub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur, an conditionaliter experiri observantiam regularem, ut ita demum, si (174) sibi placuerit, profiteatur ordinis disciplinam, aut si *forsitan* non placuerit, moribus emendatus ad statum pristinum revertatur. In primo casu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem saltem regulam pertransire. In secundo potest ad sæculum, non tamen ut vivat sæculariter, remeare. Ut ergo B quæ sit ejus intentio plenius agnoscatur, propositum suum in principio protestetur.] Hac ergo distinctione diligenti meditatione pensata, circa dilectum filium W. Trajectensem decanum, inquiratis sollicite quæ videretis inquirenda, et statuatis canonice quæ statuenda noveritis, facientes, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, Idibus Maii.

LXVII (175).

........ ARCHIEPISCOPO TOLETANO, ET........ BURGENSI, ET........ ZAMORENSI EPISCOPIS.

*Præcipit ut B. natam regis Castellæ, quæ a rege Legionensi recesserat, et beneficium absolutionis poscebat, absolvant.*

(Laterani, XI Kal. Junii.)

Cum ejus locum, licet immeriti, teneamus in terris, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, et qui etiam, cum iratus fuerit, non obliviscitur misereri, decet nos circa illos misericorditer agere, qui ad gremium matris Ecclesiæ humiliter redire desiderant, et de commissis satisfactionem debitam exibere. Licet autem nobilis mulier, B. nata charissimi in Christo filii nostri.... illustris regis Castellæ, graviter suum offenderit Creatorem, ex eo quod illustri regi Legionensi adhærere præsumpserit per incestum, ac propter hoc excommunicationis meruerit vinculo innodari, quia tamen, sicut ex litteris vestris, fratres, archiepiscope, et episcope Burgensis, accepimus, ad cor rediens, ab eo ex toto recessit, et, de commissis satisfactionem promittens debitam exibere, absolutionis beneficium humiliter sibi postulat indulgeri, ipsius petitioni misericorditer duximus annuendum. Quorcirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ab ea publice ac solemniter juxta formam Ecclesiæ juratoria cautione recepta, quod nostris debeat parere mandatis, auctoritate nostra eidem absolutionis beneficium impendere procuretis, injungentes eidem sub debito juramenti, salvis aliis mandatis quæ sibi duximus facienda, ut ad prædictum regem nullatenus revertatur. Quod si non omnes... duo, etc.

Datum Laterani, XI Kalendas Junii.

LXVIII (176).

....... EPISCOPO (177), DECANO, ET...... PRÆCENTORI HERE ORDENSIBUS.

*Ut inquirant de causa Joannis, magistri hospitalis Eboracensis.*

[Laterani, II Id. Maii.)

[Significavit nobis *dilectus filius, Joannes* (178), magister hospitalis Eboracensis] quod, cum P. quondam rector Hospitalis ipsius, diem clausisset extremum, venerabilis frater noster...... Eboracensis archiepiscopus, ad quem et prædecessores suos Hospitalis ejusdem ordinatio pertinuit ab antiquo, nolens ipsum ex defectu rectoris dispendium sustinere, dictum Joannem, presbyterum ejusdem domus, a suis fratribus unanimiter in rectorem electum, præferit ibidem, sperans quod domus ipsa per ipsum tam in temporalibus quam spiritualibus susciperet incrementum. Procedente vero tempore... decanus, et capitulum Eboracensis Ecclesiæ, tanquam ad ipsos Hospitalis ejusdem ordinatio pertinere, magistrum ipsum a suæ administrationis officio removere volentes, litteras apostolicas super hoc ad..... decanum Lincolniensem, et suos conjudices impetrarunt, quarum auctoritate in jus vocari forcerunt tam archiepiscopum quam rectorem. Partibus igitur, die sibi peremptorie assignata, coram ipsis judicibus constitutis, judices vices suas aliis commiserunt, sola sibi diffinitiva sententia reservata. [Præterea, capitulum Eboracense, auctoritate quarumdam litterarum, in quarum sigillo continebatur sigillum capituli ad citationes tantum, cum aliud sigillum capitulum illud noscatur habere (179), *per ipsum* (180) quemdam constituebat actorem. Sed, licet *pars allegasset adversa*, quod *idem* occasione litterarum illarum auctor non *debebat* admitti, et

(173) In Decret. *sumendo*.

(174) Decretal. add. *intra annum*.

(175) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 70. Vide etiam Gesta Innocentii, § 68.

(176) Fragmentum epistolæ hujus reperitur inter Decretales, lib. I, tit. 28, *De appellationibus, recusationibus et relationibus*, cap. 48. Quæ illic leguntur hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(177) Ægidius [*al.* Cilda], filius Willelmi de Breus, electus episcopus Herefordensis, anno 1199, consecratus fuit anno 1200. Anno 1208, tempore quo per præceptum papæ sententia gene neralis interdicti in Anglia promulgata fuit, una cum Eustachio Eliensi, Willelmo Londoniensi, et Maugerio Wigorniensi, episcopis, gratis exsilium subeuntibus, migravit in Galliam. Postea redux, anno 1214, Hugonem, priorem. Theokesbiriæ, electum in abbatem ejusdem domus, benedixit in ecclesia Wigorniensi, ad mandatum W. Wigorniensi epioeopi. Vide apud Wharton, *Angl. sacr.* t, I. pag. 394. 479, 480, 482 et 634.

(178) Decretales omittunt hæc verba.

(179) « Capituli est habere sigillum, et sigillum capituli est authenticum, id est fidem facit sine testium subscriptione. Plerumque capitulum duplici sigillo utitur, majori et minori; et sigillo constituto ad certos actus puta ad citationes, fides non adhibetur in aliis rebus, ut hic. » Altcser. *not. ad loc. cit.*

(180) Decretales omittunt, et infra *idem magister allegavertt* legunt pro *pars alleg. adv.*; *idem* omittunt, et *deberet* pro debebat exhibent.

insuper adjunxiret, quod, auctoritate litterarum quarumdam a nodis *super hoc ad venerabilem fratrem nostrum.... Eliensem episcopum, et suos conjudices* (181) obtentarum, prius *era conventa quare* non debuit per litteras posteriores, in quibus nulla fiebat mentio de prioribus, conveniri, judices tamen exceptiones hujusmodi admittere noluerunt, *quadpropter pars eadem* (182) vocem ad nos appellationis emisit. Quocirca, *discretioni vestræ per apostolica scripta* mandamus quatenus *inquiratis super præmissis diligentius veritatem, et*, si vobis constiterit ob dictas causas vel ob earum aliquam ad nostram fuisse sententiam appellatum, in irritum revocato quidquid post appellationem *ad nos legitime interpositam inveneritis attentatum* (183), partes] ad vestram præsentiam convocetis, et audiatis diligenter, appellatione remota, quæ hinc inde duxerint proponenda, et, si partes consenserint, ad diffinitivam sententiam procedatis; alioquin, omnia in scriptis fideliter redigentes, eadem nobis sub sigillis vestris inclusa mittere procuretis præfigentes partibus terminum competentem, quo cum ipsis recepturæ sententium nostro se conspectui repræsentent. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito, etc. Quod si non omnes.... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Laterani, II Idus Maii.

LXIX.

EISDEM.

*De eodem argumento ac in epistola* 68.

(Laterani, XIII Kal. Junii).

Significarunt nobis dilecti filii, fratres et sorores Hospitalis Eboracensis, quod, cum inter venerabilem fratrem nostrum, Eboracensem archiepiscopum et J. rectorem Hospitalis ex una parte, et..... decanum et capitulum Eboracenses ex altera, super amotione ipsius rectoris, coram dilecto filio...... decano Lincolniensi, et suis conjudicibus delegatis a nobis, quæstio verteretur ipsi, ne idem J. quem elegerant unanimiter in rectorem, amoveretur in eorum præjudicium et gravamen, neve quisquam in sæculari habitu constitutus, eis invitis et reclamantibus, domus suæ administrationem per dictos decanum et capitulum usurparet, quia, de quibus in litteris nostris nulla mentio babebatur, non erat inhibitum appellare. nostram audientiam appellarunt. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis de præmissis diligentius veritatem, et, si rem noveritis ita esse, in irritum revocetis quidquid post appellationem ad nos legitime interpositam inveneritis attentatum; partes ad vestram præsentiam convocetis, et audiatis diligenter, appellatione remota, quæ hinc inde duxerint proponenda, et, si partes consenserint, A diffinitivam sententiam proferatis; alioquin, gesta omnia in scriptis fideliter redigentes, eadem nobis sub sigillis vestris inclusa mittere procuretis, præfigentes partibus terminum competentem, quo cum ipsis recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito, etc. Quod si non omnes...... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Laterani, XIII Kalendas Junii.

LXX.

*Ut Ricc. scriptori papæ præbendum juxta mandatum apostolicum confirment.*

(Laterani, V Non. Maii.)

B Etsi rem grandem postulassemus a vobis non credebamus sustinere repulsam, sed, ut videmus, ingratitudinis vitium non vitatis, nec voluistis facere de necessitate virtutem, cum precum nostrarum primitias, quas pro dilecto filio magistro Ricc. scriptore nostro, vobis porreximus, repulistis. Ut autem preces et præceptum nostrum utcunque possetis eludere, imperatorum indulgentiam allegastis, in suggillationem ecclesiasticæ potestatis, cui si forsitan in hoc articulo deferretur, scandalizarentur de cætero cæteri, exsecutionem mandati nostri penitus impedirent; sicque melior esset status rebellium, quam conditio devotorum. Sane, cum olim pro eodem scriptore nostro scripta vobis apostolica misissemus, ut unam de tribus præbendis, quæ in ecclesia vestra vacabant, ei pro reverentia beati Petri et nostra libera- C liter conferretis, mandatum nostrum surdis auribus transeuntes id efficere non curatis. Venerabilis quoque fratris nostri, G., (185) Prænestini episcopi, apostolicæ sedis legati, cui per hoc commisimus vices nostras, et litteris apostolicis dedimus in mandatis, ut vos ad id monere attentius et inducere procuraret, preces et monita penitus obaudistis. Qui, cum post diligentem commonitionem apud vos in nullo proficeret, quia tandem vos in elusionem mandati nostri ad electionem procedere velle cognovit, nam propter hoc conveneratis frequenter, sed nondum vota vestra concurrebant in unum, vobis ex parte nostra districte prohibuit, ne præsumeretis electionem aliquam facere de præbendis, quarum ad nos erat donatio devoluta, nisi magi- D strum ipsum in una trium illarum præbendarum, quam malletis, in canonicum reciperetis et fratrem; sed et idem magister, ne quid fieret in suum præjudicium et contemptum mandati nostri, sedem apostolicam appellavit. Vos autem, dicentes quod jus electionis ab imperatoribus haberetis, nec deberetis super hoc, per aliquem impediri, vel cogi, et negantes nobis jus aliquod in ecclesia vestra de

(181) Decretal., *ad alios judices*, pro *s. h. a. v. f. n. E. ep. e. s. c.*, et infra, *conventus* pro *er. conv.*, *q.*

(182) Decretal., *propter quod*, pro *quap. pars ead.* et infra *discretioni.... scripta*, et *inquiratis..... verotatem* omittunt.

(183) Decretal. tenunt; *hujusmodi noveritis esse factum.*

(184) In apographo Conti legitur *Priori*, sed ex ipsius epistolæ contextu patet legendum esse *Præposito*. De præposito S. Gereonis vide epistolam iibri quinti 71, not.

(185) De eo jam dictum est sæpius.

longa præbendarum vacatione deberi, mandato nostro, prohibitione legati, et appellatione ipsius magistri contemptis, duos pueros in duabus præbendarum illarum, et in tertia quemdam extraneum elegistis, quibus, post iteratam appellationem ejusdem magistri, tu, fili præposite, donum panis, et tu, fili decane (186), stallum chori, et locum capituli contulisti. Quare, prædictus legatus rebellionem vestram expertus in opere, ac grave ferens se præsentem fuisse contemptum, venerabili fratre nostro.... archiepiscopo (187), et universo fere clero Coloniensibus, congregatis in unum, eumdem magistrum de præbenda, quæ diutius in ecclesia ipsa vacaverat, auctoritate apostolica investivit. Licet autem quod a vobis præsumptum fuerat, multis de clero plurimum displiceret, tamen H. scholasticus, et Everardus canonicus vestri, semper contumaciter restiterunt, et ei cum quibusdam suis fautoribus minabantur. Unde, dictus magister, eo quod propter metum illorum ad ecclesiam illam accedere non valebat, nominatim eosdem Scholasticum et Everardum, qui præcipue rebellantium caput erant, ad sedem apostolicam appellavit, festum Beati Joannis Baptistæ proximo præteritum suæ terminum appellationi præfigens, ad quem nec venerunt, nec pro se curaverunt mittere responsalem. Volentes igitur adhuc, utrum aliqua in vobis obedientiæ scintilla remanserit experiri, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus, ducti consilio saniori, eumdem scriptorem nostrum saltem hac vice pro reverentia beati Petri et nostra intuitu quoque ipsius, qui vobis, et ecclesiæ vestræ in multis potest existere fructuosus, recipiatis in canonicum et fratrem, et præbendam a prædicto episcopo eidem auctoritate nostra collatam, amoto ab eadem quolibet illicito detentore, ipsi vel procuratori ejus nomine suo, sublato cujuslibet contradictionis, excusationis, et appellationis obstaculo, assignetis, et faciatis pacifice possidere, et vos, præposite et decane, donum panis, stallum in choro, et locum in capitulo ei, prout est ecclesiæ vestræ consuetudinis, conferatis. Alioquin, quia quod de ipso incœpimus, reliquere nolumus imperfectum, et quæ in contemptum nostrum temere attentatur, clausis, non possumus, sicut nec debemus oculis pertransire, electionem a vobis factam post prohibitionem prædicti legati, et appellationem ad nos interpositam, de præbendis, quæ vacaverunt ultra tempus in Lateranensi concilio diffinitum, apostolica auctoritate cassatam et, vos a collatione præbendarum noveritis esse suspensos, quia privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate. Cæterum, ne facilitas veniæ incentivum pariat delinquendi, cum ferro abscindenda sint vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, volumus et præcipiendo mandamus, ut tu, fili præposite, cum prædictis scholastico et Everardo concanonicis tuis, usque ad festum beati Lucæ proximo venturum, satisfacturus de contemptu, nostro te conspectui repræsentes. Quod si nec sic vexatio vobis dederit intellectum, noveritis, contradictores et rebelles extunc excommunicationis vinculo innodatos, et ecclesiam vestram suppositam interdicto. Nos enim, dilectis filiis..... Præposito Sancti Andreæ (188), et..... Bunnensi (189), et.... Sanctorum Apostolorum decano (190), Coloniensibus, nostris damus litteris in mandatis, ut, vobis in exsecutione mandati nostri cessantibus tam suspensionibus quam excommunicationis et interdicti sententias non differant publicare, ac prædicti magistri procuratorem in stallum chori, et locum capituli corporaliter inducentes, per districtiones jam dictas, auctoritate nostra, subblato appellationis obstaculo, tueantur inductum. Prioribus quoque Coloniensibus præcipiendo mandamus, ut, cum delegati nostri sententias a nobis in vos, et ecclesiam vestram latas duxerint publicandas, et ipsi eas studeant sine refragatione servare, ac faciant a clero Coloniensi auctoritate nostra firmiter observari.

Datum Laterani, v Nonas Maii.

*Scriptum est super hoc*..... præposito Sancti Andræ, etc.... Bunnensi, et Sanctorum Apostolorum decanis Coloniensibus.

*Scripstum est etiam* prioribus Coloniensibus.

LXXI.

...... ABBATI DE WERDEN (191), COLONIENSIS DIOECESEOS, ETC...., BUNNENSI (192), ETC... SANCTI CUNIBERTI (193) PRÆPOSITIS, COLONIENSIBUS.

*Electionem episcopi Monasteriensis examinandam ipsis committit.*

(Laterani, v Kal. Junii.)

Ex litteris venerabilis fratris nostri, G. (194)... Prænestini episcopi, apostolicæ sedis legati, et dilectorum filiorum... præpositi... decani, et majoris, ut asseritur, partis canonicorum Monasteriensis ecclesiæ, ac quorumdam abbatum, accepimus,

(186) Gerardus, decanus S. Gereonis, anno 1202 reperitur in instrumento, apud HONTHEIM, *Hist. Trevir.* tom. I, pag. 643.

(187) Lib. III, epist. 54, not. 187.

(188) Theodoricus, præpositus S. Andreæ, anno 1202, reperitur instrumento, apud HONTH. *loc. cit.*

(189) Vide lib. v, *loc. cit.*

(190) Yvo, decanus SS. Apostolorum, anno 1202, reperitur apud HONTHEIM. *loc. cit.*

(191) Heribertus II de Burem, abbas monasterii Werthinensis, *al*, de Werda, *seu* de Werdena, anno 1198, cum Theodorico, episcopo Trajectensi, ac Thiedmaro Mindensi, infertuit Aquisgrani coronationi Ottonis, Romanorum regis. Anno sequente, monasterium S. Liudgeri Helmstatiense incendio conflagravit. Anno 1204, XVIII Kal. Februarii, Innocentius III de usu pontificalium Heriberto bullem concessit, datam Anagniæ, pontificatus ejus anno VI, quam quidem in Regestis non reperimus. Obiisse dicitur circiter annum 1230. *Gall. Christ.* tom. III, col. 729.

(192) Lib. v, epist. 71, not.

(193) Theodoricus, præpositus S. Cuniberti, anno 1202, reperitur in instrumento, apud H *Hist. Trevir.* tom. I, pag. 643.

(194) De eo jam dictum est sæpius.

quod, cum bonæ memoriæ.... Monasteriensis episcopus (195), in commissæ sibi administrationis officio dies suos feliciter consummasset, canonici ejusdem ecclesiæ ad electionem de substituendo pontifice faciendam, statuo termino convenerunt, suorum pars quædam dilectum filium..... Bremensem, altera vero Claboltensem, præpositum nominavit, unde fuit ex parte ipsius Bremensis præpositi ad ejusdem legati audientiam appellatum. Partibus igitur in ejus præsentia constitutis, electores prædicti Bremensis præpositi, suum ei præsentantes electum, proponere curaverunt, quod.... præpositus, etc.... decanus, cum cæteris ecclesiæ suæ prælatis, ac duplo major, et sanior pars capituli Monasteriensis, abbatibus totius episcopatus consentientibus, in capitulo ipsum elegerant unanimiter in pastorem. Quia ergo Bremensis præpositus fuerat a majori parte capituli, utpote a duplo, imo multo pluribus, et a prælatis Ecclesiæ, scilicet præposito majore, decano, cantore, custode, parti alteri nullo consentiente prælato, et antiquioribus ecclesiæ, quoniam electores ipsius, omnibus alterius partis electoribus, uno excepto, errant in introitu, et stallo priores, a saniori quoque parte capituli, quia consilio abbatum totius episcopatus in anima tua hoc consulentium, et judicio conscientiæ suæ respicientum ad solam utilitatem monasteriensis ecclesiæ, a jejunis in loco congruo, bono per omnia zelo, remota omni affectione consanguinitatis et familiaritatis, electus, et quia dictus Claboltensis præpositus electus non fuerat a prælatis, imo pauci canonici, multa ei familiaritate ac consanguinitate conjuncti, post prandium loco indebito, videlicet extra civitatem, post appellationem ad prædictum legatum interpositam, eumdem perperam nominarunt, postulabant instantius Bremensis præpositi electores, ut, alterius partis electione cassata, electionem eorum dictus legatus auctoritate apostolica confirmaret. Præterea, dilecti filii, nuntii ejusdem Bremensis præpositi, coram nobis asseververe constanter, quod idem Claboltensis præpositus de legitimo non fuerat matrimonio procreatus, et hoc erat in suis partibus manifestum. Licet autem ab altera parte, primitus in ejusdem legati præsentia constituta, fuisset propositum, quamdam inter ministeriales et canonicos compromissionem fuisse illicite celebratam, et quod canonici, qui jus in eleetione habebant, contempti fuerant, nec etiam advocati consensus, et quorumdam aliorum nobilium, et virorum religiosorum, prout fieri debuit, fuerat requisitus, et quod ministeriales, et cives Monasteriensis portas civitatis suæ serari (196), ac turres muniri fecerunt præsidiis, cum deberet electio celebrari, quare pars eadem cum quibusdam nobilibus coacta fuit ad locum alium se transferre, ac processit in electionem ibidem, nihil tamen pro electione sua, vel pro suo allegabat electo, sed instanter inducias postulabat; ad quod pars respondit adversa, quod ei jam fuerant induciæ decem et octo septimanarum indultæ, quapropter super induciis quas petebat, ejus erat petitio reprobanda; præsertim, cum ex viduatione pastoris magnum Monasteriensi Ecclesiæ periculum immineret. Prædictus vero episcopus, auditis, quæ in ejus præsentia fuerant allegata, quia propter ardua negotia, quæ ipsi fuerant a nobis injuncta, idem non poterat negotium terminare, ne partes fatigarentur inanibus laboribus, et expensis, eisdem injunxit, ut Dominica qua cantatur *Invocavit*, proximo præterita, nostro se conspectui præsentarent. Nos, ergo, licet nuntii prædicti Bremensis præpositi cum litteris ejusdem legati nostro se conspectui præsentarint, quia tamen pro parte altera nullus comparuit responsalis, et ideo de præmissis nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, veritate plenius inquisita, electionem, quam de persona idonea inveneritis canonice celebratam, sublato appellationis obstaculo, confirmetis, reliqua penitus reprobata; contradictores censura ecclesiastica compescentes. Si vero utraque fueri electio reprobanda, cassetis utramque, facientes eidem Ecclesiæ infra quindecim dies de persona idonea per electionem canonicam provideri; quam si forte infra idem tempus Monasterienses canonici neglexerint celebrare, vos, auctoritate nostra suffulti, virum idoneum præficiatis eidem ecclesiæ in pastorem; ita, quod si vobis constiterit dictum Claboltensem præpositum fuisse illegitime natum, cum in Lateranensi concilio sit statutum, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam ætatis annum tricesimum egerit, et de legitimo sit matrimonio natus, et qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur, et clerici, qui contra formam istam quemquam elegerint, et eligendi tunc potestate privatos, et ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos, ante omnia electionem illam non tam irritandam quam irritam indicetis, clericos qui eum eligere præsumpserunt, pœna prædicta, sublato appellationis obstaculo, punientes. Unde, si nova forsan

(195) Quis fuerit Monasteriensis episcopatus, de quo hic agitur, pro certo statuere nequadam aggredimur. Bucellinus, *German. sacr.* tom. I, pag. 27, refert Godelscalcum Saxonem, humili genere natum, sed virtutibus illustrem, (quem post Ludovicum, comitem de Teckenlberg, anno 1190 notum, et de ecclesia sua meritissimum, collocat), obiisse anno 1200. Mox, immediate idem auctor memorat Hermannum, comitem de Catzenelenbogen, vulgo *Ter* (ut ait Bucellinus), ob insignem in omnes benevolentiam appellatum, qui imperatorem in Italiam secutus, titulum principis et potestatem gladii sæcularis primus meruit, nec obiit (juxta eumdem Bucellinum) ante annum 1246. Verum, instrumento, quod ut authenticum et idem indubitatæ fidei refert Hontheimius, *Histor. Trevir.* t. I, pag. 612, n° 435, Hermanus, Monasteriensis episcopus, jam ab anno 1182, diserte nominatur et subscribitum; et in altero diplomate, apud eumdem auctorem, *ibid.* pag. 657, n° 456, anno 1220 Theodoricus Monasteriensis episcopus reperitur.

(196) Sic in apogr.

A occurrerat electio celebranda, illis exclusis, qui ad electionem contra statutum Lateranensis concilii processerunt, cæteris injungatis, ut juxta præscriptam formam electionem non different celebrare. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, v Kal. Junii.

LXXII.

. . . . . ZAMORENSI EPISCOPO.

*De casu quodam unius pueri petentis promoveri ad sacros ordines, cum fuerit in causa mortis unius.*

(Laterani, XII Kal. Junii.)

Ex parte tua nostris est auribus intimatum, quod, cum quidam puer quemdam canem perculeret, alter puer, cujus erat canis, illum in facie manu percussit qui percusserat ejus canem, sed, cum ille fustem arriperet ut reperculeret illum a quod fuerat B ipse percussus, et ambo fustem tenerent hinc inde, pater illius qui canem percusserat, supervenit ut filium castigaret. Pueri vero, in fugam conversi, fustem quem tenebant ad invicem dimiserunt, et, cum per aliquantulum spatium essent ab eodem jam loco remoti, jam dictus pater unius in fustem illum taliter incidit, quod per unum oculum casu inopinato fustis intravit, ex quo cerebro statim emisso de medio est sublatus. Postmodum autem, puer qui canem percusserat, habitum religionis assumpsit, et, cum ad ordines recipiendos accederet, per ejus et aliorum multorum confessionem quæstio incidit hujus facti, quæ tibi tantum dubitationis induxit, quod nos consulere voluisti, utrum hoc facto non impediente ad sacros ordines valeat C promoveri. Nos igitur tuæ fraternitati super hoc taliter respondemus, quod ex præmissis puerum illum non credimus ita esse culpabilem, ut ejus ordinatio de jure valeat impediri.

Datum Laterani, XII Kalendas Junii.

LXXIII.

CAPITULO SANCTÆ CÆCILLÆ.

*Sententiam quæ in causa, inter ipsos et archipresbyterum ecclesiæ S. Laurentii in Pusciola vertente, in ipsorum favorem lata fuerat, auctoritate apostolica confirmat.*

(Laterani, VI Kal. Junii.)

Cum olim inter vos et M. archipresbyterum ecclesiæ Sancti Laurentii in Pusciola, super subjectione quam in ipsa ecclesia petebatis, quæstio verteretur nos, auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, æco- D nomum ejusdem ecclesiæ syndico vestro (197) condemnavimus, in processionibus, scrutinio et baptismo, ita tamen ut hoc Ecclesiæ Romanæ nullum præjudicium generaret, si quando jus suum duceret prosequendum. In institutione autem, et destitutione, ac capitulo, economum ejusdem ecclesiæ Sancti Laurentii ab impetitione syndici vestri prorsus absolvimus, eidem syndico super hoc perpetuum silentium imponentes. Quia vero archipresbyter et clerici ejusdem ecclesiæ interdum latæ sententiæ non parebant, ne de cætero lucrum ex sua rebellione reportent, suspensionis sententiam ferimus in rebelles, auctoritate vobis præsentium indulgentes, ut quoties debitum vobis obsequium in scrutinio, baptismos et processionibus denegarint, latam a nobis in eos suspensionis sententiam publicetis. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VI Kalendas Junii.

LXXIV (198).

. . . . , . ELECTO GRADENZI (199).

*Epistola comminatoria, quod consecrationem et pallii petitionem distulerat, et propter excessum Venetorum.*

(Laterani, Kal. Junii.)

Licet, præter negligentiæ tuæ culpam, quia videlicet contra canonicas sanctiones consecrationis beneficium et pallii ornamentum petere distulisti, propter excessum etiam Venetorum, quem in Deum, et Romanam Ecclesiam, et charissimum in Christo filium nostrum...... regem Ungarorum illustrem, imo totum populum Christianum temere commiserunt, et adhuc contra Christianos committere non desistunt, non solum differre consecrationem tuam, sed spem tibi promotionis auferre merito valeremus, ut de personæ tuæ meritis taceamus; quia tamen correctionem Venetorum paterno desideramus affectu, circa te ad præsens non duximus aliud disponendum, nisi ut in eo statu permaneas, quem es ex electione tua et confirmatione pariter assecutus, donec aliud disponamus.

Datum Laterani, Kalendis Junii.

—

(197) Sic in apogr. Conti.

(198) Vide epist. libri sexti 240.

(199) De patriarcha Gradensi, qui tunc temporis sedebat, hæc refert UGHELLUS, *Ital. Sacr.* tom. V, col. 1209. « XL. Benedictus Falerius, ex primicerio S. Marci, toto consentiente clero, Gradensis patriarcha electus est, et ab Innocentio pallium et benedictionem accepit post annum 1201, extremisque annis ejusdem pontificis excessit e vivis. Fuit vir nobilitate generis ac pietate eximia præditus. » Hactenus Ughellus : Recte quidem, cum Benedictum e primicerio S. Marci ad patriarchatum Gradensem evectum fnisse asserit. hoc enim diserte affirmat Marinus Sanutus, *Vit. de Duc. di Venez.* tom. XXII, *Rer. Italic. Script.*, col. 528 : recte, si vis, cum addit ipsum nonnisi post annum 1201 pallium et benedictionem ab Innocentio accepisse; hoc enim ex Innocentii epistola confirmatur : an recte etiam, cum innuit pariter eumdem tantummodo post annum 1201 ad patriarchatum evectum fuisse, nescimus. Illius enim electionem ad annum Henrici Danduli ducatus octavum, id est Incarnationis Dominicæ 1200, referre videtur Andreæ Danduli Chronicon. Vid. MURATOR. *Rer. Italic. Script.*, tom. XII, col. 319.

LXXV (200).

..... ABBATI CISTERCIENSI (201), ET P. ET R. MONACHIS FONTIS-FRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ut adversus archiepiscopum Narbonensem pluribus vitiis et accusationibus infamatum inquirant.*

(Laterani, v Kal. Junii.)

Quia omne caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, ut prophetica vox testatur, non est mirum, si membra capite languente languescunt, et ad subditos derivatur corruptio prælatorum, præsertim, cum canes muti non valentes latrare, ad vomitum redeunt, vel quæ vomuisse debuerant amplexantur, et pastores, pascentes potius semetipsos, nec voce, nec baculo fugant lupos in ovile dominicum sævientes. Sane, si sacerdos peccaverit, faciet delinquere populum, et cum fuerit sacerdos ut populus pastore tam in mente quam lingua percusso, disperguntur oviculæ ac perduntur, et, cum non habeant doctorem in bono, declinant ad dogmata seductorum, et insidiantum præda fiunt. Sicut enim nostris est auribus intimatum..... (202) archiepiscopus Narbonensis, in tantum est in pontificalis officii exsecutione remissus, ut non immerito videatur, tanquam arbor sterilis, terram inutiliter occupare, cum Narbonensem ecclesiam jam per tredecim annos tenuerit occupatam, et nec semel etiam Narbonensem provinciam vel diœcesim visitarit. Unde, cum non sit qui pro domo Domini se murum opponat ascendentibus ex adverso, ejusdem archiepiscopi negligentia faciente, in partibus illis hæretica pravitas plurimum pullullavit ; ita, ut hæretici passim et publice dogmatizent, et seducant incautos, quos tanto facilius post se trahunt, quanto ex vita ipsius archiepiscopi et aliorum prælatorum Ecclesiæ, contra Ecclesiam sumunt perniciosus argumentum, et aliquorum crimina refundunt in Ecclesiam generalem. Nam, idem archiepiscopus tanquam non bene notaverit qualem se debeat episcopus exhibere, neglecta pontificalis officii honestate, quasi ad idololatriam se convertit dum servit avaritiæ, non doctrinæ, et docere præsumit, quod non sapiat hæresim Simonia, quod ipse non saperet, si quid super hoc sentiant canones sapuisset. Præterea, cum in Lateranensi concilio sit statutum, ut qui Brabantiones, Aragonenses, Navarros, Basculos (203), et Cotarellos conducere præsumpserint vel fovere, per ecclesias, in diebus Do-

A minicis et aliis solemnitatibus, excommunicati publice nuntientur, et eidem omnino cum eis sententiæ ac pœnæ subjaceant, nec ad communionem recipiantur Ecclesiæ, nisi societate illa pessima et hæresi abjuratis ; archiepiscopus ipse, non solum hujusmodi non evitat, sed Nicolaum, duce Aragonensium, et populatorem patriæ, et monasteriorum et ecclesiarum quasi assiduum destructorem, quem bonæ memoriæ.... prædecessor ipsius archiepiscopi, excommunicatum publice nuntiavit, in duobus castris suis, videlicet Capitis stagni et de Cruscadas, ubi de novo pedagium statuit, villicum stabilivit, qui, archiepiscopo præsente, prædam, quam de quodam castro Catholicorum abduxerat, ad unum castrorum ipsorum ducere non expavit. *Cumque*
B (204), juxta verbum Apostoli, episcopum esse oporteat hospitalem, ipse hospitalitatem non exhibet, et eleemosynam non largitur, et corpore sæpe sanus per unam vel duas hebdomadas ad ecclesiam non accedit, unde a quibusdam hæreticus reputatur. Insuper, ecclesias Capitis-Stagni et de Montell. cum dudum vacaverint, in manu sua contra canonicas detinet sanctiones, et *a..... quondam Elenensi* (205) *episcopo, ecclesiam de Jessous, priusquam eum consecraret, extorsit, quam adhuc detinet occupatam* (206) Similiter etiam a..... quondam Magalonensi (207) episcopo, priusquam ei consecrationis munus impenderet, exegit et accepit solidos quadringentos prout Magalonenses canonici parati fuerunt coram venerabili fratre nostro....... (208) tunc Massiliensi præposito, nunc episcopo Forojuliensi, probare.
C Præterea, cum decem et octo canonici antiquitus esse soleant in ecclesia Narbonensi, nunc per negligentiam vel malitiam potius archiepiscopi memorati, dimidiatus est numerus, cum jam non sint canonici, nisi novem, quorum tres, licet alibi, suas habeant dignitates, præbendas tamen ibidem detinere præsumunt, in Ecclesiæ detrimentum, quæ defectum maximum patitur ministrorum. In tantum autem idem archiepiscopus se in spiritualibus exhibet negligentem, licet sit in temporalibus circumspectus, ut non solum non inhibeat, sed permittat ut Berengarius de *Morian* (209), licet sit canonicus regularis, immo a biennio jam prælatus sit canonicis regularibus in abbatem, archidiaconatum, et tam locum quam redditus vestiarii detineat in ecclesia
D Narbonensi, et quatuor vel quinque parochiales ecclesias, et *canonicas Biternenses* (210). Similiter etiam

(200) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad an. 1204, § 57. Integram vulgavit Angel. Maurique, *Annal. Cisterc.* ad annum 1204, cap. IV, § 2, t. III, pag. 404 ; sed non absque mendis, nec non omissis aliquibus, quæ quidem omnia, ad majorem diligentiam, in margine notavimus.

(201) Lib. v epist. 16, not.

(202) Vide epistolam libri sexti 81, not.

(203) Sic in apogr. Apud Maurique, *Barellos.*

(204) Apud Maurique, *Cum insuper.*

(205) Erat is verisimiliter. Artaldus, quem ab anno circiter 1198 usque ad annum 1201, Helemenses infulas gessisse compertum habemus. *Gall. Christ.* tom. VI, col. 1050.

(206) Apud Manrique desunt.

(207) Lib. III epist. 24, not.

(208) Raimundus de Petreolis, præpositus Massiliensis, occurrit in instrumentis ab anno 1180 usque ad annum 1201, *Gal. Christ. vel.* tom. III, pag. 675 Raimundum, episcopum Forojuliensem, jam ab anno saltem, 1203, agnoscunt novæ *Galliæ Christianæ* auctores, tom. I, col. 431, sed cum ex aliquo religioso ordine ad episcopatum asssumptum autumant quod quidem quo pacto cum hac Innocentii epistola conciliari possit, nescimus.

(209) Apud Maurique, *Monan.*

(210) Apud Maurique. *Canonicam Bitterensem.*

magister P. (211) licet abbas sit in ecclesia Sancti A Pauli, et in eadem majorem obtineat sacristiam, archidiaconatum tamen detinet Narbonensem; cumque ratione abbatiæ, deberet esse sacerdos, nondum tamen in presbyterum est promotus. Et, quamvis annus integer sit elapsus, quod magister B.... quondam archidiaconus Narbonensis, viam fuit universæ carnis ingressus, nullus tamen adhuc archidiaconatus quem ipse habuerat est collatus. W. etiam de Boian, licet focariam publice teneat, ex qua filios et filias, populo sciente, suscepit, canonicam detinet Narbonensem, *qui, cum archidiaconatum detineat Biterrensem, nondum tamen in subdiaconum est promotus* (212). Tantam autem ex infirmitate capitis membra contrahunt corruptelam, ut multi monachi et canonici regulares, et alii viri religiosi, habitu B religionis abjecto, focarias publice teneant, quarum quadam subtraxerunt ab amplexibus maritorum, usuras exerceant, aleis et venationibus vacent, advocati, assessores et judices in causis sæcularibus pro certa pecuniæ summa fiant, personas in se joculatorum assumant, et usurpent officium medicorum. Ex hoc quoque perditionis exemplum ad laicos derivatur, cum plerique viventibus uxoribus propriis adulteras superducant, quas personæ quædam ecclesiasticæ, in scandalum populi et insultationem hæreticorum, ad processionem recipere non verentur, *et quamplures* (213) prælati ecclesias suas hæreticorum fautoribus committere non formidant. Quia igitur tantæ temeritatis et enormitatis excessus dissimulare nec volumus nec debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus *et* C *districte præcipimus* (214), quatenus, ad Narbonensem Ecclesiam accedentes, inquiratis, super his et aliis quæ fuerint inquirenda, plenius veritatem, et, si vobis constiterit de præmissis vel aliquibus prædictorum, propter quæ idem archiepiscopus sit merito deponendus, ponentes ad radicem arboris infructuosæ securim, ipsum, auctoritate nostra suffulti, sublato appellationis obstaculo, deponatis; mandantes his ad quos jus pertinet eligendi, ut de consilio vestro personam idoneam sibi eligant in pastorem. Quod si consiliis vestris acquiescere forte noluerint infra mensem, vos, Deum habentes præ oculis, non obstante *contradictione vel* (215) appellatione illorum, personam talem præficiatis Ecclesiæ Narbonensi, quæ, facta forma gregis ex animo, D subditorum vitam verbo instruat et exemplo, nec tam præcesse noverit quam prodesse. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, v Kalendas Junii, anno septimo.

## LXXVI (216).

ABBATI CISTERCIENSI 217, ET MONACHIS FRIGID APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ut procedant contra hæreticos.*

(Laterani, II Kal. Junii.)

Etsi nostri navicula piscatoris interdum jactetur fluctibus, et ventorum impulsibus quatiatur, cum ab his qui foris existunt persecutiones patitur et pressuras, de illius tamen protectione confisa, qui Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, et promissione secura quæ ait: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI), exterius non timet naufragium, sed interius periculum in falsis fratribus plus veretur. Ecce etenim, inconsutilis vestis Christi, cui manus crucifigentium pepercerunt, per eos rumpitur, qui eum in membris suis iterum crucifigunt, et, non præ multitudine, sed malitia piscium, scinditur rete Petri, dum conversi qui oves putabantur in lupos, oves rapiunt et dispergunt, et exeuntes a nobis qui non erant ex nobis, nos tanto gravius persequuntur, quanto familiaris nocet amplius inimicus, ut lupi minus vitantur ab ovibus in ovium vestimentis. Ecce reptilia, quorum non est numerus, quæ olim, licet insidiarentur calcaneo ut cum equo prosternerent ascensorem, occulte tamen repentia in pulvere letitabant, nunc insurgunt in faciem et apertas insidias moliuntur; animalia quoque pusilla, quæ, suas foventes foveas, vineam Domini latenter consueverant demoliri, nunc messem Dei, facibus ad caudas ligatis patenter exurunt, et, non sicut catulus leonis in abditis habitans, sed sicut leo paratus ad prædam, animalia magna circumeunt, et quærunt quos devorent, concepta fiducia, quod Jordanis in os influat eorumdem. Ecce frumentum, quod paterfamilias evangelicus seminarat, excrescentibus zizaniis, quæ inimicus homo superseminaverat, suffocatur, et bruchus et locusta consumunt quæ videbantur fructum centesimum polliceri, et Dathan et Abiron in Moysem et Aaron impudenter insurgunt, et oves post vestigia gregum abeunt, et unicum unius pastoris ovile contemnunt, diversas sibi tabernacula facientes; et, licet sic quodammodo innovari videantur tempora Dominicæ passionis, cum rursus in necem Christi Herodes conveniant et Pilatus, Simon tamen, tanquam graventur somno ejus oculi, adhuc dormit, nec exerit in Malchum gladium, sed torpere ipsum patitur in vagina, dum hi, quos in partem sollicitudinis evocavit, ut Israel populum custodirent, super grege suo vigilias noctis non vigilant, sed dormiunt potius et dormitant, et prohibent a sanguine manus suas, licet in eorum oculis

(211) Petrum III, S. Pauli Narbonensis abbatem, ex instrumentis, ab anno 1204 ad annum 1221 agnoscunt auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. VI, col. 146. Concinit Necrologium, quod laudant iidem auctores: Anno 1221, *obiit magister Petrus, abbas S. Pauli, et archidiaconus*, etc.

(212) Apud Maurique desunt.

(213) Apud Maurique *neque, quod pejus est.*

(214) Apud Maurique desunt.

(215) Apud Mansique desunt.

(216) Laudata apud BZOVIUM, *Annal.* t. XIII, p. 124, § 22. Vide etiam Raynaldum, ad annum 1204, § 57.

Integram vulgavit Angel Maurique, *Annal. Cisterc. ad annum* 1205, cap. 2, § 6, tom. III, pag. 418; sed, prout ad epistolam proxime superiorem jam monuimus, non absque mendis aliquibus, quibusdam etiam omissis.

(217) Vide notas ad epistolam superiorem 75.

cum Madianitide coeat vir Judæus. In mercenarium quoque pastor degenerat, dum, pascens non populum sed seipsum, quærit in ovibus lac et lanam, nec lupis in ovile insurgentibus se opponit, nec se objicit obicem aut murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso; sed, quia mercenarius est conversus in fugam, cum possit perturbare perversos et negligat, eorum convincitur iniquitati favere. Cumque declinaverint fere omnes, et facti simul inutiles sint quamplures, vix est qui cum Moyse causam Dei gladio in populo exsequatur, et causam populi allegel precibus apud Deum, vel cum Phinee sanguine proximi Deum placet, et in populis faciat ultionem. Gaudemus autem, et bonorum omnium largitori quas possumus gratiarum exsolvimus actiones, quod in Ordine vestro multi reperiuntur habentes zelum Dei secundum scientiam, potentes in opere et sermone, ac parati de ea quæ in nobis est fide, et spe, omni poscenti reddere rationem, in quibus etiam eam vigere credimus charitatem, ut animas suas pro fratribus suis ponant, si necessitas Ecclesiæ postularit, qui tanto sunt ad confutandos fabricatores perversorum dogmatum aptiores, quanto minus in eis quid reprehendere valeat, valebit æmulus invenire, cum bonum testimonium habeant ab his etiam qui sunt foris, quod in eis vita sanctorum sanæ doctrinæ concordet, et non minus vivificet vita doctrinam, ut sit videlicet sermo eorum vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, quam doctrina vitam informet, ut hoc in eorum legatur moribus, quod sermonibus explicatur. Licet igitur, ad conferendum caput reptilium, vulpes parvulas capiendas, et sævientis lupi, et rugientis leonis maxillas in freno cohibendas et camo, ne lacerarent de cætero vestem Christi, et Ecclesiam laniarent, vos, filii, R. et P. ad verbum exhortationis nostræ duxeritis laborandum, nec fuerit labor vester inanis, cum Dominus dixerit gressus vestros, quia tamen messis est multa, operarii autem pauci, tibi, fili, abbas, onus sollicitudinis hujus in remissionem tuorum peccaminum, de consilio fratrum nostrorum, imponimus; discretioni vestræ per apostloica scripta mandantes quatenus omnes pariter ad exstirpandam hæreticam pravitatem in nomine Domini procedatis, ut ad ovile Christi oves reducatis errantes, et, si quæ in contumacia sua forte persistant, quæ vocem pastoris illius, qui beato Petro successit in officio pastorali non audiant, nec redire velint ad ecclesiasticam unitatem, Satanæ in interitum carnis traditas nuntietis, et expositas personas earum exsilio, et judicio sæculari, et bona confiscationi subjecta; ad confiscationem bonorum ipsorum, et proscriptionem perpetuam personarum, tam charissimum in Christo filium nostrum, Ph. regem Francorum illustrem, et L. notum ipsius, quam comites, vicecomites, et barones in ipsis partibus constitutos ad id ex parte nostra propensius commonentes, et injungentes eis in remissionem omnium peccatorum; cum illos, qui contra hæreticos fideliter laborarint, eadem indulgentia gaudere velimus, quam in Terræ sanctæ subsidium transfretantibus indulgemus. Ut autem injunctæ vobis, non tam nostræ quam divinæ, legationis officium possitis melius et liberius exercere, plenam vobis in Aquensi, Arelatensi et Narbonensi provinciis, et vicinis etiam diœcesibus, si quæ sunt hæreticorum labe pollutæ, concedimus facultatem destruendi, disperdendi et evellendi, quæ destruenda, disperdenda, et evellenda noveritis, et ædificandi, et plantandi quæ ædificanda fuerint, et plantanda, *sub interpositione anathematis prohibentes, ne qui pro ecclesiasticis sacramentis quidquam audeant extorquere* (218), illos qui contra prohibitionem vestram venire præsumpserint canonice puniturі. Si qui vero pro violenta manuum injectione in latæ sententiæ canonem inciderint, auctoritate nostra suffulti eis absolutionis beneficium impendatis; injungentes eisdem ut contra hæreticos accingantur. Si quid vero difficile vobis occurrerit, quod consilium apostolicæ sedis exposcat, nos super eo per vestras litteras consuletis. Taliter autem vos procedere volumus, et monemus, ut modestia vestra, cum nota fuerit universis, obmutescere faciat imprudentum hominum ignorantiam, nec appareat quidquam in verbis vel actibus vestris, quod hæreticus etiam valeat reprobare. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Laterani, II Kalendas Junii, anno septimo.

LXXVII (218.)

*Scriptum est... Aquensi... Aretatensi.... Narbonensi archiepiscopis, et suffraganeis eorum, et abbatibus prioribus, decanis, archidiaconis, et aliis Ecclesiarum prælatis in eorum provinciis constitutis. — De eodem argumento ac in epistola superiori,*

In virtute obedientiæ districte præcipiendo, ut prædictis... abbati et monachis tanquam apostolicæ sedis legatis potenter, et efficaciter assistentes, quæ inter eos, præsertim ad fidei catholicæ munimentum et impugnationem hæreticæ pravitatis, duxerint statuenda, recipiatis humiliter, et inviolabiliter observare procuretis, correctionem eorum sine contradictione qualibet admittentes. Alioquin, sententiam, quam illi tulerint in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

LXXVIII (219).

ARCHIEPISCOPO NARBONENSI (220).

*Privatur abbatia montis Aragoni, quæ sibi prius commendata fuerat, propter incompatibilitatem.*

(Laterani, IV Kal. Junii.)

Sicut is qui inventus est in pauca fidelis, consti-

(218) Vide Bzovium et Raynaldum, *loc. cit.*, epistola 76.

(219) Vide Raynaldum, *loc. cit.*

Fragmentum ejusdem epistolæ exhibet Angel. **Maurique**, *Annat. Cisterc*, ad. an. 1204, cap. 4, § 13, tom. III, pag. 426; quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(220) Vide epistolas libri tertii 24, not.; libri sexti 81, 243; libri septimi 75, 76, 77.

tui meruit supra multa, ita servus, qui talentum sibi creditum non tradit nummulariis ad usuras, sed in sudario religavit, eo est sententia divina privatus. Hoc autem pro te dicimus, qui, non attendens quando dominus tuus venturus sit, et positurus tecum districtissimam rationem, talento tibi credito, ut in sudario sordeat, religato, tanquam canis mutus latrare non valens, non opponis te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, sed,] occasione abbatiæ montis Aragoni, super qua olim tecum sedes apostolica dispensavit, debitum officii pastoralis subtrahis tam ecclesiæ quam provinciæ Narbonensibus, et dum præesse cupis utrique, quod dolentes dicimus, neutri prodes, utpote qui vix uni sufficis providere. Nos autem, jampridem volentes incommodis quæ ex hoc sequuntur occurere, ne commissis tibi grex Dominicus luporum pateret morsibus, et hæretica pravitas in provincia Narbonensi amplius pullularet, tibi dedimus in mandatis (221-22), ut, relicta penitus abbatia, contentus esses ecclesia Narbonensi, cui sic tanto posses melius providere, quanto te de cætero minus sollicitudo traheret abbatiæ. Quia vero nondum es mandatum apostolicum exsecutus, attendantes sollicite, quod privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate, nos ispi eadem te abbatia privamus ; mandantes canonicis constitutis in ea, ut personam idoneam canonice sibi eligant in abbatem. Venerabili quoque fratri nostro..... archiepiscopo Terraconensi, mandamus, ut, nisi illis mandatum nostrum exsecuti fuerint infra mensem ; ipse illis personam idoneam præficiat, quæ ipsis non tam præesse noverit quam prodesse.

Datum Laterani, IV Kal. Junii, anno septimo.

*Scriptum est illis super hoc.*

LXXIX (223).

REGI FRANCORUM.

*Ut assistat legatis apostolicis contra hæreticos.*
(Laterani, v Kal. Junii.)

[Ad sponsæ suæ, universalis videlicet Ecclesiæ, munimentum, pontificalem et regiam Dominus instituit dignitatem, unam quæ foveret filios, aliam quæ adversarios expugnaret ; unam quæ subditorum vitam verbo instrueret et exemplo, aliam quæ iniquorum maxillas in freno cohiberet et camo, ne pacem Ecclesiæ pertubarent ; unam quæ inimicos diligeret et pro persecutoribus etiam exoraret, aliam quæ ad vindictam malefactorum et laudem bonorum gladium materialem exereret et armis quietem ecclesiasticam tueretur. Expedit igitur, ut et spiritualis auctoritas, et sæcularis potestas, suæ causam institutionis attendentes, concurrant ad Ecclesiæ defensionem in unum, et utraque alteri suffragetur, ut, quos a malo ecclesiastica non revo-

A cat disciplina, brachium sæculare compescat, et eos qui, de feritate propria confidentes, gladium materialem non timent, spiritualis ultio subsequatur. Ne igitur sine causa portare gladium videaris, oportet ut, apprehendens arma et scutum, in adjutorium ejus potenter assurgas, cujus vestis, quod dolentes referimus, in regno Francorum scissuram patitur, cujus vineam vulpes parvula demolitur, et cujus oves luporum insultibus exponuntur. [Intrarunt etenim regnum ipsum lupi rapaces in ovium vestimentis, qui oves rapiunt et dispergunt, et, cum ecclesiasticam non timeant disciplinam, ut pote ab Ecclesia separati, tanto in ovile Christi licentius debacchantur, quanto minus invenerunt hactenus qui temporaliter ipsis resisteret, et causam Dei B apud eos gladiis allegaret. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur in Domino, et in remissionem injungimus peccatorum, quatenus, vel per te ipsum, si fieri poterit, vel per charissimum in Christo filium nostrum, L. natum tuum, aut alium virum prudentem, perversitati eorum potenter occurrens, quantum ecclesiasticam diligas unitatem, patenter ostandas, et tam comites quam barones, ut eorum bona confiscent et personas proscribant, tradita tibi cœlitus potestate compellas. [Cæterum, quia non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare, ut facientes et consentientes par pœna constringat, si qui comitum, baronum, vel civium eos de terra sua eliminare noluerint, aut eos receptare præsumpserint, aut ausi fuerint confovere, ipsorum bona confisces, et totam C terram eorum domanio regio non differas applicare.] Dilectis quoque filiis... Cisterciensi abbati, et P. et R. monachis Fontis-Frigidi, apostolicæ sedis legatis, quos ad hoc specialiter destinamus, sic assistat regia magnitudo, ut gladii spiritualis defectum materialis supplere gladius comprobetur, et tu, præter gloriam temporalem, quam ex tam pio et laudabili opere consequeris, eam obtineas veniam peccatorum, quam in terræ sanctæ subsidium transfretantibus indulgemus.

Datum Laterani, v Kalendas Junii, pontificatus nostri anno septimo.

LXXX (224).

PETRO DE PARISIO, CAPELLANO SUPRA PONTEM LINCOLNIENSEM.

D *Recipit eum sub protectione B. Petri, cum annuo censu unius bisantii*
(Laterani, Kal. Junii).

Cum a nobis petitur, etc. *usque* inclinati, capellam, quam W. de Parisio, quondam pater tuus, supra pontem civitatis Lincolniensis, quem ipse construxit propriis sumptimus, in honore beati Thomæ martyris, ædificare incœpit, et tu etiam consummare proponis eamdem, et possessionibus

(221-22) Lib. VI, epist. 81.

(223) Epistolam hanc laudat Bzovius, *loc. cit.* Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 64. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Integrum vulgavit Angel. Maurique, *Annal. Cisterc.* ad annum 1204, cap. 2, § 12, tom III, p. 419.

(224) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 81.

augmentare, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Præterea possessiones quas tu vel idem pater tuus eidem capellæ legitimæ contulistis, sicut eas juste possidet et quiete, auctoritate ipsi apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus protectionis ab apostolica sede perceptæ, bisantium unum, nobis gratis oblatum, singulis annis nobis, et successoribus nostris capella memorata persolvet. Nulli ergo... nostræ protectionis, et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, Kal. Junii.

LXXXI (225).

CANONICIS CUSENTINIS.

*Ut permutationi ecclesiæ de Botrano consensum præbeant* (226).

(Laterani, II Non. Junii.)

Attendentes olim, quod novæ religionis plantatio, quam bonæ memoriæ... abbas Joachim, imo Deus ministerio ejus, plantaverat et rigarat, tribuens ei misericorditer incrementum, floreret in flore, ne intemperies frigoris, quæ in partibus illis non solum ver sibi vindicat et autumnum, sed menses etiam metitur æstivos, florentem Dei vineam congelaret, sed flos potius transiret in botrum, et botrus fructum odoris et honestatis afferret, venerabili fratri nostro... archiepiscopo vestro, dedimus in mandatis, ut a dilectis filiis... abbate et fratribus Florensis monasterii, competani recompensatione recepta, locum Botrani, religioni congruum, pertinentem ad ecclesiam Cusentinam, cum pertinentiis suis, eis liberum assignaret, dilectis filiis... Sancti Spiritus, et... de Coratio abbatius, et fratre R. de Tortian. super hoc exsecutoribus deputatis. Idem autem archiepiscopus, tanquam obedientiæ filius, malens humiliter obedire quam contra stimulum calcitrare, certa recompensatione, nec æquivalenti solummodo sed in quadruplum meliori, recepta locum Botrani prædictis fratribus assignavit ; sed vos commutationi hujusmodi vestrum denegastis assensum, propter quod exsecutores ipsi vos a perceptione præbendarum vestrarum auctoritate apostolica suspendarum. Cumque postmodum quidam ex vobis propter hoc ad sedem apostolicam accessissent, abbate ipso præsente vicinitatem loci Botrani, et ex vicinitate multum ecclesiæ vestræ commodum, et remotionem excambii, et ex ea plurimum incommodum, et civium scardalum allegarunt, qui consuetudine quam habebant in Sila, non paterentur æquanimiter se privari. Nos autem, tam Florensibus fratribus quam ecclesiæ vestræ providere volentes, licet archiepiscopus ex permissione canonica certam partem possessionum suarum in favorem religionis conferre potuisset eisdem, venerabili tamen fratri nostro... Marturanensi episcopo et prædicto... de Coratio, et... Sanctæ Mariæ de Formosa, abbatibus, et... thesaurio Marturanensi, dedimus in mandatis, ut inquirerent de præmissis diligentius veritatem, et, si competens esset recompensatio, quam archiepiscopus ipse receperat, vel competens offerretur, ipsa recepta, commutationem prædictam facerent per censuram ecclesiasticam, appellatione remota inviolabiliter observari ; alioquin, cum juxta mandati nostri tenorem absque recompensatione congrua fieri minime debuisset, ipsam in irritum revocarent ; quod si non omnes his exsequendis interresse valerent, tres eorum ea nihilominus exsequi procurarent. Quamvis autem unus exsecutor ipsorum viam fuerit universæ carnis ingressus, duo tamen, dissentiente tertio, recompensationem congruam judicarunt. Movemur igitur non modicum et miramur, quod mandatum nostrum, quod vobis esse debuerat odor vitæ in vitam, factum est vobis odor mortis in mortem, cum nec prædictorum fratrum religio vos movere, nec emollire apostolicæ sedis auctoritas potuisset, ut non consentiens operibus pietatis propositum vestrum mutaretis in melius, et, tanquam membra consentientia capiti, unum et idem cum eodem archiepiscopo sentiretis. Quod autem nec zelus Dei, nec indemnitas ecclesiæ Cusantinæ noveat vos ad istud, ex eo evidenter apparet, quod prædecessoribus archiepiscopi memorati, super concessionibus quas consanguineis suis fecisse noscuntur, non solum præstitistis assensum, sed eas propriis subscriptionibus roborastis. Sed timetis forsitan, ne per reliogiosorum virorum accessum vestra irreligio detegatur, et honestas ipsorum ex vicinitate locorum inhonestatem vestram amplius manifestet. Sane, cum eumdem archiepiscopum in patrem vobis assumpseritis et pastorem, et ei administrationem commiseritis totius ecclesiæ Cusentinæ, ac de ipso laudabile nobis testimonium curaveritis perhibere, potuissemus nos, quod vir sinceræ opinionis et ad probatæ vitæ super modica possessione fecerat, approbare. Præterea, cum duo ex exsecutoribus nostris, uno viam universæ, carnis ingresso, commutationem ipsam duxerint approbandam, licet tertius dissentiret, quia tamen sententia plurium tenet secundum canonicas sanctiones, possemus de jure quod ipsi approbaverant, approbare, ac in vos animadvertere gravius, quia latam in vos a primis exsecutoribus suspensionis sententiam non servastis Volentes autem in bono vincere malum, et invitis etiam beneficium exhibere, ac facere vos participes orationum fratrum Florensinum, cum translati fuerint in Botrano, monemus universitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus commutationi eidem sine difficultate qualibet vestrum tribuatis assensum, et, facti voluntarii de invitis, tam pio et laudabili operi vestras accommodetis hilariter voluntates. Nos enim, si hoc ad commonitionem nostram feceritis et mandatum, acceptabimus ve-

(225) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 582.

(De argumen c istius epistolæ, vide epistolam libri sexto 220.

stram obedientiam licet seram, et in vestris et ecclesiæ vestræ negotiis propter hoc libentius vos curabimus exaudire. Alioquin quod expedire viderimus, ex collata nobis potestatis plenitudine statuemus, eritque vobis non immerito formidandum, ne inde nostram incurratis offensam, unde mereri gratiam potestatis. Unitam igitur eligatis obedientiæ potius viam sequi, ut et benevolentiæ nostræ digni, et orationum Florensium fratrum mereamini esse consortes, quam in contumacia persistentes debeatis de inobedientia reprehendi, nec minus auctoritate apostolica compleatur, quod voluntarie per vos exsequi poteratis!

Datum, etc. II Nonas Junii.

LXXXII.

CIVIBUS CUSENTINIS.

*De eodem argumento.*

(Laterani, II Non. Junii.)

Attendentes olim, etc., *in eumdem fere modum, usque* indicarunt. Cum igitur spiritualiter et temporaliter vobis expedire credamus, ut religiosorum virorum monasterium in diœcesi Cusentina consurgat, utpote quorum orationibus apud Deum, et suffragiis apud homines in vestris poteritis opportunitatibus adjuvari, monemus universitatem vestram, et exhortamur attentius, et in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus non solum non impediatis opus hujusmodi pietatis, sed expediatis potius, et instetis apud canonicos Cusentinos, ut prædictæ cummutationi præstent assensum, et præcedentem duritiam per obedientiam expient subsequentem. Quod si ad id nequiverint emolliri, eis saltem materiam auferatis, ne in excusationem suam vestram sicut hactenus contradictionem allegent, et in vos contumaciæ suæ causam valeant retorquere. Hoc autem universitatis vestræ discretio non ignoret, quod si super hoc commonitioni nostræ paruerilis et mandato, in communibus et privatis negotiis vestris, quantum honestas permiserit, favorem vobis apostolicam propter hoc libentius impendemus, et civitatem vestram diligere curabimus et fovere.

Datum Laterani, etc.

LXXXIII (227).

POTESTATI ET POPULO ASISINATIBUS.

*De juramento ipsorum standi mandatis sedis apostolicæ, et alia multa.*

(Laterani, VIII Id. Junii.)

Gratum gerimus, et acceptum, et devotionem vestram in Domino commendamus, quod, sicut dilectus filius noster, L. (228) tituli Sanctæ Crucis presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, per suas nobis litteras intimavit, eum hilariter et humiliter recepistis et studuistis honorifice pertractare. Tu quoque, fili Potestas, cum quinquaginta de majoribus et melioribus civitatis, quos ipse nominatum expressit, stare mandatis apostolicis jurasti, super eo pro quo civitas vestra fuerat interdicta, et hoc idem unus pro populo, non consentiente solummodo, sed mandante, juravit, vosque postmodum, juxta quod cardinalis vobis injunxerat, dilectum filium, magistrum Barnabam, et nobilem virum, magistrum Michaelem, ad nostram præsentiam destinastis, pro vobis mandatum apostolicum recepturos. Attendentes igitur, quod propterea civitas vestra fuerat interdicta, quod Gerardum Giliberti excommunicatum a nobis in potestatem recipere præsumpsistis, et, nec moniti, nec jussi a nobis sæpius, eum ante statutum terminum removistis ab officio rectoratus, ut vos, in eo, in quo nostram incurristis offensam, paterno corrigamus affectu, sicut eisdem nuntiis præcepimus viva voce, sic nunc per apostolica vobis scripta mandamus, et præcepimus sub debito juramenti, quatenus de cætero nullum excommunicatum vel Ecclesiæ inimicum scienter ad civitatis vestræ regimen assumatis. Ne autem in hoc ex ignorantia delinquere vos contingat, cum libere vobis aliquem elegeritis in rectorem, antequam recipiatis ipsum, vel juretis eidem, ipsum per nuntios vestros a sede apostolica humiliter postuletis, quæ vobis eum, nisi vel excommunicatus, vel Ecclesiæ fuerit inimicus, sine difficultate concedet. Si vero aliquos ex civibus vestris, vassalis nostris, qui nobis fideles sint et devoti, duxeritis in consules eligendos, nolumus ut pro eis ex debito juramenti ad sedem apostolicam laboretis. Sud eadem quoque districtione mandamus, quatenus per litteras vestras apertas nobis infra quindecim dies significare curetis, nos mandatum hujusmodi recepisse.

Datum Laterani, VIII Idus Junii.

LXXXIV (229).

.....EBREDUNENSI (230) ARCHIEPISCOPO, ET DILECTO FILIO.... ABBATI BOSCAUDUNENSI (230).

*Ut de exessibus episcopi Venciensis diligenter inquirant* (231).

(Laterani, VI Id. Junii.)

Cum tu, frater archiepiscope, bonæ memoriæ, C. papæ, predecessori nostro, excessus et enormitates.... episcopi Vinciensis (232) per tuas litteras intimasses, idem prædecessor noster tibi et venerabilibus fratribus nostris.... Diniensi (233), et.... Se-

(227) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 77.

(228) Vid. epistolas libri quinti 5, not.; et libri sexti 1, not.

(229) Vide BZOVIUM, *Annal.* tom. XIII, pag. 121, § 22. Vide etiam Raynaldum ad annum 1204, § 68.

(230) Vide notas ad epistolam libri sexti 121.

(231) Conferenda hæc epistola, cum epistola libri secundi 34.

(232) Agitur hic de Petro, cognominato *Grimaldi*, quem episcopum Venciensem, ab anno 1193 usque ad annum 1202, agnoscunt auctores novæ Galliæ Christianæ, t. III, col. 1219. Ipsum ulterius sedisse, ex hac Innocentii epistola evincitur.

(233) B. id est Bertrandum de Turrias, episcopum Diniensem, quem ab ano 1192 agnoscunt, non ultra annum 1196 memorant auctores novæ Galliæ Christianæ, *ibid.* col. 1113; imo ipsius obitum eodem anno 1196 assignare videntur. Bertrandum vitam et præsulatum saltem usque ad annum, in quo nunc versamur, 1204, produxisse, probat hæc Innocentii epistola.

necensi (234) episcopis, mandare curavit, quod si vobis de ejus inhonesta conversatione constaret, ipsum, ab officio et administratione suspensum, ad sedem apostolicam cum vestrarum litterarum testimonio mitteretis, procuratoribus eidem Ecclesiæ deputatis, qui de officio et rebus ecclesiasticis disponerent sollicitudine Diligenti. Subsequenter vero, tu nobis tuas litteras destinati, per eas nobis insinuans, quod tu et prædicti episcopi dictum episcopum Venciensem inveneratis gravioribus et deterioribus maculatum quam sedi apostolicæ nuntiasses, unde præceperatis ipsi, ut suspensus apostolico se conspectui præsentaret, qui tamen neque ad Ecclesiam Romanam accessit, neque propter suspensionem episcopalia desiit exercere; qua de causa nos tibi districte præcipiendo mandavimus, ut prædictum episcopum qui suspensionis sententiam in se latam contempserat observare, excommunicatum publice nuntiares, et faceres ab omnibus arctius evitari, donec ad presentiam nostram accederet cum tuarum testimonio litterarum, coram nobis super his responsurus. Porro tu, licet nobis rescripseris, quod ejus inobedientias, rebelliones et enormitates excessuum nemo est qut ignoret, et ejus error pejor priore quotidie reperitur, tamen juxta mandatum nostrum, unde miramur plurimum et movemur, procedere non curasti, sed tanquam inobediens, et districti nostri præcepti contemptor, prædicta non dubitasti sub dissimulatione transire, quæ poteras, et debueras sine speciali mandato nostro exsecutioni mandare. Unde, ex patre dilectorum filiorum.... Præpositi (235), et canonicorum ecclesiæ Venciensis, fuit in auditorio nostro lacrymabilis conquestio replicata, quod ecclesia Venciensis propter culpam episcopi est fere usque ad fundamentum ad extremam inanitionem deducta, cum per eum ædificia ecclesiæ sint pene penitus dissipata, nec aliter ibi quam in aliqua parochiali ecclesia divina officia celebrentur; et idem episcopus quadam vidua publice in mensa, et in domo, sicut et notorium, abutatur, licet eam ad tuam instantiam abjuravit, unde manifeste perjurium dicitur incurisse, et alias tam in exsecutione, sui ordinis, quam in aliis sit adeo dissolutus, quod ex hoc tota diœcesis, maxime in spiritualibus, grave sustinet detrimentum, et non solum per Ebredunensem provinciam, sed per alias remotiores merito suæ conversationis est ejus infamia divulgata, ita ut ab omnibus reputetur episcopalis opprobrium dignitatis. Quoniam igitur putridi dentes excutiendi sunt de faucibus ecclesiæ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus super his et aliis, quæ super hoc fuerint inquirenda, studeatis veritatem indagatione sollicita perscrutari, et, si cum noveritis deponendum, ipsum, auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, deponatis, dantes canonicis licentiam personam idoneam in episcopum eligendi. Nullis litteris, etc.

Datum Laterani, VI Idus Junii, anno septimo.

## LXXXV.

PRIORI DE ESSEBI, ET MAGISTRO H. DE GILLEVILLIS, CANONICO LINCOLNIENSI; ET MAGISTRO A. DE WILNA, RECTORI ECCLESIÆ DE BARESWUH, LINCOLNIENSIS DIOECESEOS.

*Ut in causa Agnetis mulieris, quam pater et noverca in monasterium detruserant invitam, procedatur.*

(Laterani, II Kal. Junii.)

Litteras vestras accepimus, continentes, quod, cum Agnes mulier in nostra fecisset præsentia recitari, quod . . . pater, et . . . noverca ipsius, Lincolniensis diœceseos, ut eam sua hæreditate fraudarent, renitentem penitus et invitam in monasterium de Hawerholm detruserunt, et fecerunt ibidem in vinculis diutius retineri, unde, quam citius fuit a vinculis expedita, recessit, nos vobis super hoc causam duximus committendam, coram quibus, cum ipsa testibus fide dignis, et omni exceptione majoribus, prædicta omnia in jure probasset, canonici et moniales ordinis de Sempingham, in quorum monasterio dicebatur fuisse detrusa, firmiter asserebant, eam devote religionis habitum suscepisse, suam tamen assertionem simplicem sacramento semper affirmare negantes; quare merito dubitastis, utrum esset eorum simplici assertioni credendum, et utrum veritas esset ab actricis adversariis elicienda, de quorum injuria suam semper deposuerat quæstionem. Nos igitur, attendentes, quod contra despositiones testium juratorum eorum simplici non est assertioni credendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus in eodem negotio, si res ita se habet, secundum attestationes receptas, ratione prævia, appellatione postposita, procedatis. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes . . . duo vestrum, etc.

Datum Laterani, II Kalendas Junii.

## LXXXVI.

PRIORI, ET MONACHIS SANCTI ANDREÆ DE ARCE (236).

*Recipit eos sub protectione, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Laterani, VII Kal. Junii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Monasterium Sancti Andreæ, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ præsentiarum juste

(234) Manrellium anno 1189, mox et immediate Guillelmum I, anno 1213, episcopos Senecenses memorant auctores supra laudati, *ibid.* col. 1252, de cæteris tacent.

(235) Imperfecta præpositorum ecclesiæ Venciensis series, apud auctores sæpius laudatos, (*ibid.* col. 1232) nullum ante D. quem sub anno 1239 collocant, præpositum Venciensem exhibet.

(236) *S. Andreæ de Arce* : legendum fossan *de Ardes*, vel *in Arde*, prout scribitur in charta qua abbas et conventus S. Mariæ de Lonleya Cenomanen. cellam seu prioratum S. Andreæ *en le Arde*, in. Ultonia, ad ipsos pertinentem, Ricardo, archiepiscopo Armachano, concedunt. *Monastic. Anglican.* t. II, p. 1019. Vide infra epist. 88.

et canonice possidet, aut in futurum justis modis, etc. A *usque* suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Ynchemackargi, ecclesiam de Archien, ecclesiam de Donanachti, ecclesiam Sancti Andreæ de Duero, ecclesiam Sancti Nicolai in arce, ecclesiam de Kilkoikernau, ecclesiam de Kilbracti, ecclesiam Sancti Corcani, ecclesiam de Stakerole et ecclesiam de Erderacheth, et omnes ecclesias et ecclesiastica beneficia totius dominici Joannis de Curcei, ab aqua de Dalenard usque ad aquam de Kerlingford, excepta ecclesia castelli de Maicone, per diœcesanos episcopos propriis monachorum usibus deputata, sicut in ipsorum episcoporum authenticis continetur, et ea juste et pacifice possidetis, vobis, et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli B ergo . . . hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VII Kalendas Junii.

### LXXXVII.

. . . PRIORI ET MONACHIS DE FOLKESTAN (237).

*De argumento simili.*

(Laterani, VII Kal. Junii.

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Monasterium de Folkestan, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ impræsentiarum juste et canonice possidet, etc., *usque* suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Kanekinge (238), ecclesiam de Aukeham (238), medietatem decimationum de Niweton (238), decimas de *Teteriingham* [al *Sterlingham*], de *Waleton*. [al. *Walton*], de Northewode et de Standene, et tertiam partem decimationum C de *Fliete*, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis, et per vos monasterio vestro, auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo . . . paginam nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VII Kalendas Junii.

### LXXXVIII.

. . . PRIORI ET MONACHIS MONASTERII SANCTI ANDREÆ DE STOKES (239).

*De argumento simili.*

(Laterani, III Id. Junii.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Personas vestras, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum, etc. *usque* suscipimus. Specialiter autem ecclesiam de Wotene [*fors.* Wytonæ], ecclesiam de Lullinstoke [*al* Lullingstoke], ecclesiam de Hoilefort et ecclesiam de Hichestoche, cum omnibus pertinentiis suis, duas partes decimæ de Corniton. totam decimam unius faldæ de Cumba; duas partes decimæ de Wileton. duas partes decimæ de Lullinstoke; jus quod habetis in cappellania castelli de Stokes; in territorio ejusdem castelli, unam bidam terræ; terram de Tinelande; unum ferlingum terræ, unam acram prati, dimidiam virgatam de Brechei [*al* Breche], et molendinum novum; in Walliis, jus patronatus ecclesiæ de Traigru [*al.* Tregru]; in Hibernia apud Woltoniam, omnes ecclesias et ecclesiastica beneficia totius dominici Joannis de Curci (240), ab aqua de Dalnart [*al.* Darnart] usque ad aquam de Kellingfort [*al.* Carlingford], excepto castello de Maincove; decem carrucatas terræ in Arte [*al.* de l'Art], in terra scilicet Maccollokan [*al.* Maccoloqua]; in Dalboing. in Hailo scilicet, villam et ecclesiam de Arderashac, cum pertinentiis suis, et decem carrucatas terræ, in Kinelmolan, tres carucatas terræ, sicut ea omnia uste et pacifice possidetis, vobis, et, per vos, monasterio vestro, et auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum . . . paginam nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis, etc.

Datum Laterani, III Idus Junii.

### LXXXIX.

..... ABBATI DE SELEM (241).

*De absolutione episcopi Constantiensis.*

(Laterani, XVII Kal. Julii.)

Sicut nostris est auribus intimatum, etsi in .... Constantiensem (242) episcopum fuerit excommu-

—

(237) Folkestanense cœnobium, in agro Cantiano, fundaverunt Nigellus de Munevila cum uxore sua Emma, *in honore et amore Dei, et Sanctæ Mariæ, et sanctæ Eanswythæ*, et ecclesiæ B. Mariæ de Lonleyo Cænoman. cui tunc temporis præerat Ranulphus D abbas, addictum et donatum voluerunt, anno Dominicæ Incarnationis 1095. Vide *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 569. Cœnobium idem, cum aliis prioratibus alienigenis, *Leicestransi Parliamento* suppressum fuit, anno Henrici regis quinti secundo, J. C. 1414.

(238) Ecclesiæ istæ nusquam nominantur in charta fundationis, nec in charta confirmationis quam emisit *Willelmus de Abrincis*, dominus de Folkestan, unus e Nigelli de Munevilla successoribus. Vide *ibid.*

(239) Legendum *de Stokecursy*. Prioratus S. Andreæ de Stokecursy, in agro Devoniensi, sicut et cœnobium Folckestanense, de quo supra, olim spectabat ad abbatiam B. Mariæ de Lonleyo Cenomanen. et una cum supradicto cœnobio suppressum fuit. Vide *Monastic. Anglic.* tom. 1. pag. 577.

(240) Charta, qua Joannes de Curceio beneficia hic memorata ecclesiæ S. Andreæ de Stokes concedit, habetur in *Monastic. Anglican.* tom. II, pag. 1019. Sed, quod miramus, istius operis auctores instrumettum illud, non velut ad ecclesiam S. Andreæ de Sokes, in agro Devoniensi in Angha, sed velut ad eccesiam S. Andreæ de Ardes (de qua supra, in epistola 86), in Hibernia sitam pertinens, referunt.

(241) Lib. v, epist. 99, not.

(242) Conferenda omnino hæc epistola, cum his quæ apud auctores novæ Galliæ, tom. V, col. 915, referuntur de Diethelmo de Cleggoia, *al.* de Weissenburg et de Crenkingen. Hunc etenim præsulem, quem, ex Angiæ-divitis abbate, Constantiensem episcopum ab anno 1191 vel 1192, ex instrumentis agnoscunt, episcopatum Constantiensem *magna cum laude* per 15 annos rexisse dicunt.

nicationis sententia promulgata, id tamen ad ejus audientiam non pervenit priusquam.... Bambergensis (243) episcopus, cui fuerat apud sedem apostolicam objectum quod ab ipso excommunicato diaconatus ordinem suscepisset, ad propria remearet. Quia vero reconciliari desiderat ecclesiasticæ unitati, et absolutionis sibi postulat beneficium exhiberi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ab eo publice juratoria cautione recepta, quod mandatis nostris pareat super eo, pro quo est excommunicationis vinculo innodatus, ei, auctoritate nostra, juxta formam ecclesiæ, beneficium absolutionis impendas, et processum tuum cum litteris ejus patentibus nobis infra duos menses cures fideliter intimare.

Datum Laterani, XVII Kalendas Julii.

XC. (244).

..... ABBATI DE SALEM (241).

*Super collatione præbundarum quarumdam in ecclesia Astensi.*

(Laterani, XVII Kal. Julii).

Ex parte Astensis ecclesiæ fuit nostris auribus intimatum, quod, cum quædam præbendæ in ipsa per quatuor annos et amplius vacavissent, *venerabilis, frater noster* (246), Astensis episcopus (247), *canonicos suos monuit diligenter, ut ecclesia ordinarent, quibus non admittentibus monitionem ipsius, episcopus* quosdam *in ecclesia ipsa* (248) instituit, credens hoc sibi ex concilio Lateranensi licere. Instituti autem *sentientes* non esse firmam institutionem hujusmodi, ad *venerabilem fratrem nostrum* (249), Mediolanensem archiepiscopum (250), recurrerunt, qui eosdem in canonicos Astensis ecclesiæ ordinavit, et in corporalem præbendarum possessionem induxit, capitulo ejusdem ecclesiæ præbente consensum, tribus tantum exceptis, *quibus* contra institutionem *illam proponere* in præsentia nostra volentibus, et parti ecclesiæ ipsam defensare paratæ, dilectum filium G. (251) tituli Sancti Vitalis presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, in cujus præsentia tres illi dicebant electionem illam debere cassari, quia nec episcopus, nec archiepiscopus supradictus de concessione Lateranensis concilii potuerat præfatam ecclesiam ordinare, cum uterque circa tempus eis indultum a canone in ordinatione illa negligens fuerit, et remissus. Pars vero altera dicebat econtra, quod, licet institutio episcopi non valeret, archiepiscopi tamen ordinatio de jure valebat, quia ei tempus indultum a canone, nisi a tempore, quo illi declaratum fuerat non currebat, ad quod probandum inducebat multiplices rationes. His autem utrinque propositis, [tandem utraque pars concorditer est confessa, quod in prædicta ecclesia non erant distinctæ præbendæ, nec canonicorum numerus erat certus. Nos igitur, *his et aliis, quæ fuerunt utrinque proposita, diligenter auditis* (252), intelleximus, evidenter, statutum Lateranensis concilii de beneficiis ultra sex menses vacantibus, locum in hoc articulo nullatenus habuisse, *cum*, etsi farsan Astensis ecclesia canonicorum pateretur defectum, *nullæ tamen in ea præbendæ vacabant, cum in illa nec sint distinctæ præbendæ, nec canonicorum numerus diffinitus* (253). Unde, institutio per episcopum et archiepiscopum facta occasione concilii memorati, carere *debebat* robore firmitatis. Quia tamen totum capitulum, tribus *tantum* (254) exceptis, prædictorum receptionem *approbat* et affectat, nec ab illis tribus aliquid rationabile contra ipsos objectum est et ostensum, *discretioni vestræ, per apostolica scripta* mandamus, quatenus, *inquisita diligentius veritate*, si Asten. ecclesiæ *suppetunt* facultates, secundum consuetudinem hactenus observatam, prædictos clericos, *sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo*, pro canonicis faciatis haberi;] contradictores, etc. Quod si non ambo, etc. Tu, frater episcope, etc.

Datum Laterani, XVII Kalendas Julii.

(243) Post Conradum, in Bambergensem episcopum electum anno 1202, et sequenti statim ab electione die mortuum, Eckembertus, sive Erimbertus, Stephani, Ungarorum regis, frater, filius Bertholdi, Meraviæ, ducis, huic ecclesiæ præfuit laudabiliter 32 annis. Bellum gessit contra Bernardum, Carinthiæ ducem, cujus ditiones vastans captus est, certis autem pacis conditionibus dimissus. Obiit anno 1235. Bucelin., *German. sacr.* tom. I, part. II, pag. 24.

(244) Reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 8, *De concessione præbenbæ et ecclesiæ non vacantis*, cap. 10. Quæ illic leguntnrt, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(245) Erat is Bernardus, cognominaus apud Pancirolum aliosque multos, *Circa* apud Ughellum, *Balbus*; qui, ex præposito Papiensi, electus fuit episcopus Faventinus, anno circiter 1192, deinde ad Papiensem sedem translatus versus annum 1198, (vid. epistolam libri primi 324) obiit cum sanctitatis odore anno 1213. Decretalistarum princeps et antesignanus fuit Bernardus, de quo vide Mittarellum, *De litteratura Faventina* col. 22. Vide etiam UGHELLUM, *Ital. sacr.* tom. I, part. sign. * col 31.

(246) Hæc Decretales omitunt, et quæ sequuntur, *canonicos*, etc.

(247) Defuncto, circa annum, 1198, Nazario II, Bonifacius, monachus antea S. Benedicti, factus est episcopus Astensis. Cum plura loca ac jura suæ ecclesiæ in grave ejus præjudicium alienasset, re ad Innocentium PP. III delata, ipse volens nolensve episcopatui cessit, anno 1205 (vel potius 1206), ut patet ejusdem Innocentii epistola libri octavi 200, quam suo loco exhibebimus. UGHEL. *Ital. sacr.* t. IV, col. 532.

(248) Decretales *ibidam* legunt pro *in eccl. ipsa*, et infra *scientes* pro *sentientes*.

(249) Desunt hæc in Decretal., et infra *qui se* pro quibus, et *hujusmodi opponere curaverunt* pro *illam prop.*

(250) Lib. III, epist., not.

(251) Lib. V, epist. 60, not.

(252) Desunt hæc in Decretalibus, ut infra *cum*, et verba *nullæ... diffinitus*.

(253) Decretal. legunt *vel*, et infra *debet* pro *debebat*.

(254) Hanc vocem Decretal. omittunt, ut infra verba cursivo charactere distincta. Pro *suppetunt* legunt *suppetant*.

XCI.

..... ABBATI ET CONVENTUI CASÆDEI.

*Terminum peremptorium assignat ad respondendum super facto Montispelosi* (255).

(Laterani, xv Kal. Julii.)

Grave gerimus et indignum, quod cum vos super facto Montispilosi duxerimus peremptorio edicto citandos, ad nostram venire præsentiam noluistis, quasdam tantum excusationes prætendentes per litteras vestras, quod ad præsens ad nos non poteratis accessum habere, quia messes habebatis præ manibus, et intemperiem aeris timebatis, unde, nos rogabatis suppliciter, ut a facta citatione vobis parcere dignaremur ad præsens. Unam igitur illarum excusationum frivolam reputantes, aliam de gratia duximus admittendam, ut, nisi veneritis interim, post fervorem saltem æstatis, in festo Sancti Michaelis proximo venturo, quod vobis pro peremptorio assignamus, ad nostram venire præsentiam sine dilatione ac excusatione aliqua non tardetis, aut pro vobis mittatis idoneos responsales. Alioquin, pro certo noveritis, quod nos extunc in ipso negotio, cum ipsum amplius protelari nolimus, vobis absentibus, nec super hoc requisitis, de cætero procedemus.

Datum Laterani, xv Kalendas Julii.

XCII.

..... ARCHIEPISCOPO (256), ET ..... PRÆPOSITO SANCTÆ MARIÆ DE ALBARIO, JANUENSIBUS.

*Ut S. suoceram N. de Camilla, matrimonium generi sui accusantem, compescant.*

(Laterani, xvii Kal. Julii.)

Significante N. de Camilla, cive Januensi, nostro est et apostolatui declaratum, quod, cum ipse J. mulierem, duxisset legitime in uxorem, S. mater mulieris ipsius, nisa et matrimonium accusare, ut ab eo pecuniam extorqueret, et, licet intellectui suo prava non possint opera respondere, nihilominus tamen vult habere pecuniam, ut a matrimonii ejusdem de cætero accusatione desistat. Cum igitur non sit malitiis hominum indulgendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si verum est quod proponitur, prædictam mulierem ab accusatione ipsius matrimonii repellentes, eidem super hoc silentium imponatis. Testes, etc. Quod si non omnes, etc. Tu, frater archiepiscope, cum eorum altero, etc.

Datum Laterani, xvii Kalendas Julii.

XCIII (257).

..... COMPOSTELLANO, ET ..... TOLETANO ARCHIEPISCOPIS ..... TIRASONENSI, ET ..... COLIMBRIENSI EPISCOPIS.

*Ut natam regis Castellæ inducant ad restituenda regi Legionensi oppida, quæ, sive dotis titulo, sive donationis propter nuptias, ab ipso sibi assignata fuerant.*

(Laterani, xii Kal. Julii.)

Cum olim ad nostram audientiam pervenisset, quod ..... rex Legionensis, qui a nata charissimi in Christo filii ..... regis Portugalensis illustris, quam incestuose duxerat, fuerat separatus, filiam charissimi in Christo filii nostri ..... Castellæ regis illustris, neptem videlicet propriam, sibi præsumpserat copulare, dilectum filium, fratrem Rainerium, in Hispaniam duximus destinandum, ut, juxta verbum propheticum, solveret colligationes impietatis, solveret fasciculos deprimentes (258). Ipse igitur, ingressus Hispaniam, regem Legionensem semel et iterum ex parte nostra commonuit, ut a tam detestanda et nefanda copula resiliret, universis obligationibus dissolutis, quæ fuerant pro ipsa copula consummanda contractæ. Verum, cum apud eum nihil penitus profecisset, nec rex ipse die sibi et loco præfixo ejus se conspectui præsentasset ultra terminum etiam exspectatus, ipse, juxta formam mandati nostri procedens, in regem excommunicationis, et in regnum ejus interdicti sententias promulgavit. In regem vero Castellæ, ac terram ipsius, cum se mandatis ejus exponeret, et filiam suam, si sibi redderetur, se assereret recepturum, non duxit aliquatenus procedendum. Postmodum autem, rex ipse Castellæ, per te, frater Toletane, ac venerabilem fratrem nostrum ....... episcopum Palentinum, et rex Legionensis, per venerabilem fratrem nostrum ..... Zamorensem episcopum, nobis humiliter supplicarunt, ut dignaremur super hujusmodi copula dispensare. Sed, cum in hac petitione fuissent passi repulsam, postulatis a nobis, ut relaxaremus saltem sententiam interdicti, cum ex eo toti regno periculum immineret. Nos igitur, probare volentes spiritus si essent ex Deo, et utrum ex hoc sperata et a vobis proposita utilitas proveniret, relaxavimus, non ex toto nec perpetuo, sed in una parte solummodo et ad tempus, quandiu scilicet expediret et placitum nobis esset, sententiam interdicti; sic videlicet, ut in regno ipso divina celebrarentur officia, sed decedentium corpora non traderentur ecclesiasticæ sepulturæ, clericis duntaxat exceptis, quibus de gratia concessimus speciali ut possent in ecclesiastico cœmeterio tumulari, solita tamen solemnitate cessante. Ne vero remittere pœnam, sed commutare potius videremur, dictum regem Legionensem, et memorantam filiam regis Castellæ, ac omnes principales eorum consiliaros et fautores, vinculo excommunicationis astrinximus, et, ad quamcunque civitatem, villam vel oppidum devenirent, divina in eis, illis præsentibus, vetuimus officia celebrari. Quia vero castra quædam, quæ rex Legionensis filiæ regis Castellæ

(255) Vide epistolam hujusce libri septimi 40.
(256) Lib. vi, epist. 171.
(257) De argumento istius epistolæ, vide Gesta Innocentii, § 68. Vide etiam Raynaldum, ad annum 1204, §. Insuper conferenda epistola hujusce libri septimi 67.
(258) Sic in apographo.

tradidisse dicebatur in dotem, vel in donationem potius, propter nuptias, ita ut, si eam aliqua occasione relinqueret, ipsa cederent in jus ejus, videbantur dissolutionem hujusmodi complere plurimum impedire, cum castra ipsa non tam ob turpem quam ob nullam causam potius essent data, utpote cum manifeste constaret, quod matrimonium non existeret inter eos, et ideo nec dos, nec donatio propter nuptias, ne filiæ regis Castellæ ad commodum cederet, quod in pœnam ejus debebat potius retorqueri, restitui voluimus castra ipsa, et ad id eam per excommunicationis sententiam coarctari, auctoritate apostolica decernentes, ut, si proles suscepta esset tunc temporis, vel susciperetur in posterum ex tam incestuosa copulata et damnata, spuria et illegitima penitus haberetur, quæ in bonis paternis nulla occasione succedit secundum legitimas sanctiones. Cæterum, rex Castellæ, de quo miramur non modicum, callide procuravit, ut totum regnum Legionense proli ex copula tam incestuosa susceptæ juraret, unde, nos ei sub divini judicii obtestatione mandavimus, ut dissolveret penitus colligationes iniquitatis istius, et non solum reciperet natam suam, sed etiam revocaret, ut subductam incestuosis amplexibus, cui vellet, tantum in Domino, jungeret fœdere conjugali; alioquin, in eum et terram ipsius, prout videremus expediret procedere curaremus, et admonitionem nostram acrior vindicta, quam crederet, sequeretur. Ipse autem, per dilectum filium, magistrum L. nuntium suum, se nisus est multipliciter excursare, ne castra prædicta restituere cogeretur, cum non ab eo, sed ab ejus filia tenerentur. Licet igitur hujusmodi sit copula dissoluta, unde tam regem Legionensem quam filiam regis Castellæ mandavimus a vinculo excommunicationis absolvi, et regnum ejus a sententia interdicti, præstita secundum formam ecclesiæ juratoria cautione, quod nostris debeant parere mandatis; ut tamen penitus dissolvatur quidquid ob illam incestuosam copulam nequiter fuerat colligatum, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus, postquam rex Legionensis fuerit absolutus, sepedictam filiam regis Castellæ monere diligentius et inducere procuretis, præcipientes hoc ei ex parte nostra, sub debito præstiti juramenti, ut castra ipsa, sive in dotem, sive in donationem propter nuptias, vel quocunque modo propter hujusmodi copulam data fuerint, ipsi regi Legionensi restituat, vel saltem, si quid fuit quæstionis, assignet et tradat in manibus vestris, tandiu detinenda, donec per arbitros electos communiter, vel si noluerint vel nequiverint in arbitros convenire, per nos mediante justitia terminetur. Quod si mandatis nostris et monitis vestris noluerit obedire, ipsam, omni gratia et timore postpositis, sublato appellationis obstaculo, in excommunicationis sententiam reducatis, eadem sententia ferientes tam patrem et matrem ipsius, regem et reginam Castellæ, quam omnes qui præsumpserint impedire quominus mandatum apostolicum super hoc valeat adimpleri, et ad quemcunque locum devenerint, eis præsentibus divina prohibeatis officia celebrari. Quod si non omnes nolueritis aut potueritis interesse ... tres vestrum ea, etc.

Datum Laterani, XII Kalendas Julii.

### XCIV (259).

..... ARCHIEPISCOPO COMPOSTELLANO; ..... ZAMORENSI, ET ..... PALENTINO EPISCOPIS.

*Ut regem Legionensem resipiscentem absolvant.*
(Laterani, XIII Kal. Julii.)

Cum ejus locum, licet immeriti, teneamus in terris, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat, et qui etiam cum iratus fuerit non obliviscitur misereri, decet nos circa illos misericorditer agere qui ad gremium matris Ecclesiæ humiliter redire desiderant, et de commissis satisfactionem debitam exhibere. Licet autem..... illustris rex Legionensis graviter suum offenderit Creatorem, ex eo quod nobili mulieri ..... natæ charissimi in Christo filii nostri, illustris regis Castellæ, adherere præsumpserat per incestum, ac propter hoc excommunicationis meruerit vinculo innodari, quia tamen, sicut accepimus, ad cor rediens, ab ea ex toto recessit, et, de commissis promittens satisfactionem debitam exhibere, absolutionis beneficium humiliter sibi postulat indulgeri, ipsius petitioni misericorditer duximus annuendum. Quocirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ab eo, et principalibus consiliariis, et fautoribus ejus, qui eamdem secum propter hoc sententiam subierunt, necnon et ab illis qui communicaverunt eidem, publice ac solemniter juxta formam Ecclesiæ juratoria cautione recepta, quod nostris debeant parere mandatis, auctoritate nostra eis absolutionis beneficium impendatis, et latam in regnum ipsius relaxetis sententiam interdicti, injungentes ipsi sub debito juramenti, salvis aliis mandatis nostris, quæ sibi duxerimus facienda, quod ad prædictam nobilem nullatenus revertatur, nec illam recipiat etiam redire volentem. Quod si non omnes valueritis, aut volueritis, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Laterani, XIII Kalendas Julii.

### XCV (260).

GUIDONI, MAGISTRO HOSPITALIS SANCTÆ MARIÆ IN SAXIA (261), EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Hospitale Sanctæ Mariæ in Saxia unit cum Monte-*

(259) Vide Gesta Innocentii, et Raynaldum, *loc. cit.*, ad epistolam 93.

(260) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 77. Vide Gesta Innocentii, § 144.

(261) Conferenda omnino hæc epistola cum his quæ in *Historia Occitaniæ* leguntur, tom. III, pag. 43 et seqq.

*pessurano Sancti Spiritus, pro salute Romani pontificis et cardinalium; et multa privilegia.*

(Laterani, XIV Kal. Julii.)

Inter opera pietatis, quæ, secundum Apostolum, promissionem habent vitæ, quæ nunc est, pariter et futuræ, hospitalitatem nobis specialiter et frequenter divina Scriptura commendat, utpote quæ illa omnia comprehendit, propter quæ Dominus in ultimæ discussionis examine remuneraturum se bonos, et malos asserit puniturum. Hæc enim pascit esurientes, sitientes potat, colligit hospites, nudos vestit, et non solum infirmos visitat, sed, eorum in se infirmitates assumens, infirmantium curam agit, in carcere positis subvenit, et quibus vivis in infirmitate communicat, participat in sepultura defunctis. Per hanc quidam angelis receptis hospitio placuerunt, cum Abraham et Loth hospitalitati vacantes angelos meruerunt hospitali, per quos Abraham jam senex futuræ sobolis promissionem accepit, et Loth fuit de incendio Sodomæ liberatus. Duo quoque discipuli, qui Jesum hospitio coegerunt, quem in expositione Scripturæ non noverant, in panis fractione noverunt. Per hanc, superflua divitum, quæ congregata forte servarentur ad mortem, in necessitates pauperum erogatur ad vitam. Per hanc, terrenea in cœlestia, et transitoria in æterna felici commercio commutantur, dum per manus pauperum thesaurizamus in cœlis, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur, et facimus nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus, in æterna tabernacula nos admittant. Hæc igitur attendentes, non solum pro nostra, sed prædecessorum ac successorum, et fratrum nostrorum, episcoporum, presbyterorum atque diaconum Romanæ Ecclesiæ cardinalium, tam vivorum quam etiam defunctorum salute apud Sanctam Mariam in Saxia, locum utique satis idoneum ad hospitalitatis officium exercendum eleemosynis Ecclesiæ Romanæ venerabile construximus hospitale, in quo futuris temporibus, dante Domino, recipiantur et reficiantur pauperes et infirmi, et exhibeantur alia opera pietatis; statuentes, ut regularis ordo, qui secundum Deum et institutionem fratrum hospitalis Sancti Spiritus in eodem loco per nos institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur: hoc tamen adjecto, ut in eadem ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici, regulam ejusdem hospitali professi, qui, pro nobis, et prædecessoribus, et fratribus nostris, vivis pariter ac defunctis, specialiter obsecrantes, omnia spiritualia libere administrent, et super his nulius, nisi Romani pontificis, correctioni subjaceant, ad quem, quoties expedierit, monitione præmissa, charitativa fiat a fratribus proclamatio propter Deum, ut ipse, cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit providendum. Ipsi autem, victu et vestitu contenti, quem eis secundum eamdem regulam præcipimus exhiberi, divinis vacent officiis, et intendant

A ecclesiasticis sacramentis, ita quod de aliis hospitalis negotiis, præter concessionem magistri, se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuæ, fili magister, et successorum tuorum, vel eorum qui per te vel eos ad hoc fuerint deputati, sine contradictione ac murmuratione relinquant. Cæterum, quoniam in hospitali Sancti Spiritus diebus nostris per Dei gratiam hospitalitas valde viget, illud isti, et istud illi de concilio fratrum nostrorum unimus, ut et istud illi tanto utilius munimen impendat, quanto vicinius nobis existens defensionem nostram illi facilius poterit implorare, illudque isti tanto commodius subveniat in ministris, quanto personæ conversantes in illo ad hospitalitatis sunt officium aptiores; ita tamen, ut per hanc unionem prædictum Sancti B Spiritus hospitale jurisdictioni Magalonensis ecclesiæ minime subtrabatur, illa duntaxat constitutione servata, quam inter eamdem Magalonensem ecclesiam, et prædictum Sancti Spiritus hospitale decrevimus observandam.

Statuimus insuper ut unus tantum magister hospitalibus præficiatur ambobus, qui utrumque visitet annuatim, et quæ statuenda vel emendata viderit statuat et emendet, et transferendi fratres, ubicunque fuerint, prout melius viderit expedire, liberam habeat facultatem. Qui si forsan apud urbem, vel ubilibet citra montes, viam fuerit universæ carnis ingressus, fratres hospitalis Sanctæ Mariæ in Saxia, fratribus hospitalis Sancti Spiritus ejus non differant obitum nuntiare, illique Romam duos vel tres C de fratribus suis mittant, qui cum fratribus hospitalis Sanctæ Mariæ in Saxia electionem celebrent regularem. Quod si forsan apud Montem Pessulanum obierit, vel ubilibet ultra montes, per fratres Sancti Spiritus fratribus Sanctæ Mariæ ipsius obitus nuntietur, qui, ut prædiximus, duos vel tres de fratribus suis Montem Pessulanum transmittant ad electionem regulariter celebrandam. Cæterum, cum ecclesia Sanctæ Mariæ in Saxia, et hospitale constructum ibidem ad nos nullo pertineant mediante, salvo quod clerici ejusdem ecclesiæ debent ex nostro mandato basilicæ principis apostolorum, in scrutinio, baptismo et litania, ne disparis conditionis homo præferatur eidem, et servus, qui alii domino stet aut cadat, præponatur hospitali D prædicto, quod nostræ tantum est juridictioni subjectum, personam tuam, fili magister, et successorum tuorum a quorumlibet prælatorum eximimus potestate, ut nullus in te vel eos interdicti vel excommunicationis sententiam, sine mandato sedis apostolicæ, audeat promulgare; quam, si aliter prædicta hospitalia uniamus, ne tamen hujusmodi unio confusionem inducat, cum, etsi unio Deo sit placita, discretio tamen ei nihilominus sit accepta, privilegio præsenti statuimus ut fratres, qui colligendis eleemosynis pro pauperibus hospitalis Sanctæ Mariæ in Saxia fuerint deputati, tantum Italia, et Sicilia, et Anglia, et Ungaria sint contenti. Fratres

autem hospitalis Sancti Spiritus in Monte Pessulano libere in provinciis aliis eleemosynarum statuant collectores, ita, quod utrique suis terminis sint contenti, nec invadant alteri terminos aliorum, nec eleemosynæ, quæ pro hospitali Sanctæ Mariæ in Saxia collectæ fuerint, ad hospitale Sancti Spiritus transferantur, nec quæ fuerint illi fidelium devotione collatæ, occasione qualibet deferantur ad istud. Si qui vero fratrum vestrorum, qui destinati fuerint ad eleemosynas colligendas in quamlibet civitatem, castellum, vel vicum advenerint, si forte locus ille a divinis fuerit officiis interdictus, pro omnipotentis Dei reverendia, in eorum adventu jucundo, semel in anno, pulsatis campanis, aperiantur ecclesiæ, ut super eleemosynis aequirendis verbum exhortationis ad populum in ecclesia proponatur. Decernimus insuper ut receptores fraternitatum sive collectarum vestrarum, salvo jure dominorum suorum, in beati Petri, et nostra protectione consistant, et pace in terris in quibus fuerint potiantur. Simili etiam modo sancimus ut quicunque in vestra fuerit fraternitate receptus, si forsan parochialis ecclesia, cujus ipse parochianus exstiterit, a divinis fuerit officiis interdicta, cumque mori contigerit, ipsi sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus, vel nominatim fuerit interdictus. Decimas autem de terris et vineis, quas ad opus infirmorum et pauperum, propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium, seu de fructibus hortorum vestrorum nullus exigere, vel extorquere præsumat. Liceat autem vobis in domibus vestris, quas in præsentiarum habetis, vel in futurum eritis habituri, ad opus vestrum, et familiæ vestræ, nec non infirmorum, et pauperum ibidem manentium, oratorium, et cæmeterium, sine impedimento cujuslibet contradictionis, habere. Chrisma vero... a diœcesanis episcopis, etc. Alioquin, liceat vobis quemcumque malueritis, etc. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat in ecclesiis vestris, etc. *usque* celebrari. Liceat quoque vobis liberas et absolutas personas e sæculo fugientes, etc. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in locis vestris possessionem, fas sit absque magistri sui licentia inde discedere, nisi arctioris religionis obtentu; discedentem vero, etc., *usque* retinere. Si qui vero fratrum vestrorum, post factam professionem, turbatores religionis vestræ, vel inutiles fuerint fortassis inventi, liceat tibi, fili magister, et successoribus tuis, eos, cum assensu et consilio sanioris partis capituli, amovere, ipsique dare licentiam ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere valeant, transeundi, et loco eorum alios subrogandi, qui unius anni spatio in vestra societate

A probentur; quo peracto, si mores eorum exegerint, et ipsi utiles fuerint ad servitium hospitalis inventi, professionem faciant regularem. Ad hæc, districtius inhibemus ne a te, fili magister, vel successoribus tuis et fratribus hospitalium eorumdem exigat ulla ecclesiastica, sæcularisve persona fidelitates, hominia, juramenta, vel securitates reliquas, quæ a laicis frequentatur. Postremo, decimas, quas consilio et assensu episcoporum a clericis, vel laicis potueritis obtinere, illasque quas consentientibus diœcesanis episcopis et clericis, ad quos pertinent acquiretis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat prædicta loca... salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. De cætero, successores nostros obsecramus, et obtesta-
B mur in Christo Jesu, qui venturus est judicare vivos et mortuos, ut loca vestra cum personis, et rebus ad hospitalitatis officium deputatis, tanquam speciales patroni specialiter foveant, et defendant, quoniam, etsi cæteris piis locis teneantur ex apostolicæ servitutis officio providere, huic tamen hospitali, quod de bonis Ecclesiæ Romanæ fundatum est, et dotatum, et tam nostris quam successorum nostrorum diebus credimus ampliandum, curam debent impendere specialem. Si qua igitur... cunctis autem eisdem locis, etc.

Datum Laterani, per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, XIV Kalendas Julii, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III
C anno septimo.

## XCVI

..... EPISCOPO (262), ET..... PRÆPOSITO (263) UTICENSIBUS.

*Litteras confirmationis super administratione quorumdam canonicorum Nemausens. obtendas irritat.*

(Laterani, XVII Kal. Julii.)

Ad audientiam nostram, dilecto filio.... præposito Nemausensi (264), significante, pervenit quod quidam canonici Nemausensis ecclesiæ, super dilapidatione vel aliis criminibus infamati, a nobis litteras confirmationis super administrationibus suis obtinere laborant, religionis ac professionis suæ conditione suppressa. Cum igitur regularibus personis non consueverit apostolica sedes aliqua personaliter confirmare, discretioni vestræ per apostolica scripta
D mandamus quatenus confirmationes, quas ab ipsis canonicis, cum regulares existant, noveritis taliter impetratas, auctoritate nostra suffulti, denuntietis irritas et inanes. Quod si non ambo... tu, frater episcope, etc.

Datum Laterani, XVII Kalendas Julii, anno septimo.

(262) Uticenses infulas gessit Abrardus II, ab anno 1203 usque ad annum 1207 *Gall. Christ.*, tom. VI, col. 623. Vide etiam *Histor. Occitan.*, tom. III, pag. 121.

(263) Bernardus, præpositus Uticensis, notus est in instrumentis anno 1203. Sed anno 1205 occurit Albericus, qui et Albricius et Alancus *al.* nominatur. *Gall. Christ. loc. cit.* col. 648.

(264) Erat is verisimiler Frotardus, quem anno 1199 memorant auctores novæ Galliæ Christianæ, *ibid.* col. 466. Successor ejus, Guillelmus de Casulis, nonnisi anno 1233 in instrumentis occurrit. *Ibid.*

## XCVII.

..... EPISCOPO (264), ET CAPITULO LAUDUNENSIBUS.

*Ut admittant ad sacerdotalem præbendam personam illam quam Hubaldus, subdiaconus, ecclesiæ Laudunensis canonicus, duxerit nominandam tempore vacationis, propter potestatem ipsi ab episcopo datam.*

(Laterani, x Kal. Julii.)

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius Hubaldus, subdiaconus noster, ecclesiæ vestræ canonicus, nobis humiliter intimavit quod tu, frater episcope, potestatem ipsi dedisti sacerdotalem conferendi præbendam, quæ primo in vestra esset ecclesia vacatura, et bonæ memoriæ W. (266). Remensis archiepiscopus, tunc apostolicæ sedis legatus, vobis, filii capitulum, auctoritate nostra districte præcepit, sicut per litteras suas ad vos directas apparet, quæ coram nobis lectæ fuerunt, ut, cum sacerdotalis præbenda in ecclesia vestra vacaret, personam illam, cui præfatus subdiaconus vellet illam conferre, reciperetis ad eam sine alterius interpositione personæ, et eamdem personam curaretis de illa sine difficultate qualibet investire. Asseruit etiam idem subdiaconus quod, cum esset ad sedem apostolicam accessurus, ipse præcavens appellavit, ne tu, frater episcope, si forte interim aliquam sacerdotalem contingeret vacare præbendam, eam ulli conferres, nec vos, filii, capitulum, reciperetis aliquem præsentatum ad illam, nisi quem duxerit præfatus subdiaconus præsentandum. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus personam illam, cui memoratus subdiaconus sacerdotalem præbendam, cum contigerit illam vacare, duxerit canonice conferendam, sine contradictione qualibet admittetis, tibi, frater episcope, firmiter inhibentes ne interim aliquam sacerdotalem præbendam alicui contra formam concessionis tuæ conferre præsumas. Alioquin, noveritis nos dilectis filiis.... cancellario, et Helvin et Adæ, canonicis Parisiensibus, in mandatis dedisse ut vos ad hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant, in irritum reducentes, si quid, post appellationem a præfato subdiacono ad nos legitime interpositam, contra concessionem sibi factam de sacerdotali præbenda noverint attentatum. Quia vero concessiones hujusmodi, si ad consequentiam traherentur, fieri possent in fraudem canonicæ sanctionis, per quam prohibentur ecclesiastica beneficia concedi, sive promitti, antequam vacent, nolumus quod hujus occasione mandati, quod gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus licentia concedatur.

Datum Laterani, x Kal. Julii, anno septimo.

## XCVII.

CAPITULO VICENTINO.

*Præposituram Vicentinam Nicolao, subdiacono suo, auctoritate apostolica confert.*

(Laterani, VIII Kal. Julii.)

De singulorum provisione solliciti, circa illos benedictionis apostolicæ rorem diffusius instillare debemus in quibus dulci quadam mistura bonorum scientia et honestas sociali fœdere conjunguntur. Tales enim, qui scientia condunt honestatem, et scientiam honestate decorant, tanto debent ad ecclesiastica beneficia facilius promoveri, quanto per provisionem talium, non minus Ecclesiarum, in quibus recepti fuerint, quam ipsorum utilitas procuratur. Sane, cum præpositura ecclesiæ vestræ, sicut nuper nostris auribus est relatum, tandiu vacavisset, quod juxta Lateranensis statuta concilii, ad nos ejus esset donatio devoluta, de nostro volentes vobis gratiam facere specialem, proposueramus vos litteris commonere, ac commonendo præcipere, ut ipsam dilecto filio Nicolao, subdiacono nostro quem suæ devotionis intuitu, quam ad nos et Romanam Ecclesiam habere dignoscitur, charum habemus pariter et acceptum, præsertim cum multi vestrum in eum, sicut nobis intimatum fuerat consentirent, pro reverentia beati Petri et nostra, sublato cujuslibet contradictionis obstaculo, conferretis, de nostro vobis gratiam comparantes. Cumque super hoc litteræ conscriptæ fuissent, et in audientia publice recitatæ... clericus supervenit, et ex parte vestra, filii archidiacone, Al. de Bragantiis Gabriel Piza, Clari et A. presbyter, litteras exhibuit continentes nos quibusdam vestris fratribus præcepisse, quod eumdem N. sibi præficere in præpositum intenderent, licet nulla in Ecclesia vestra vacaret dignitas, vel præbenda, præterquam unius canonici simplicis, qui hoc anno fuerat viam universæ carnis ingressus. Hoc etiam prædictæ litteræ continebant quod præpositura, nec dignitas nec personatus fuerat in Ecclesia Vicentina, sed administratio quædam simplex, quæ interdum clericis, interdum Laicis conferri juxta canonicorum arbitrium consuevit. Novissime vero, cum hujusmodi administrationis officium fuisset olim magistro Guidoni commissum, quia prudenter injunctam sibi sollicitudinem exercebat, non prius fuit eodem officio quam vita privatus, nec ante cessit administrationi hujusmodi, quam decessit. Cæterum, cum idem P. ex parte quorumdam vestrum litteras procuratorias exhiberet, per dilectum filium, M. (267) Sancti Theodori diaconum cardinalem, quem ei concessimus auditorum, intelleximus quæ proponere voluit, et quæ prædictæ litteræ continebant. Attendantes igitur, quod non minor est auctoritas nostra quam vestra in gratia facienda, gratiam,

(265) Lauduni, tunc temporis, sedebat Reginaldus I (cognomine *Surdelle*), quem huic Ecclesiæ, ab anno 1201 usque tad annum 1210 præfuisse, et instrumentis compertum habemus. *Gall. Christ.* tom. IX, col. 536.

(266) Lib. III, epist. 14.

(267) Lib. III, epist. 45, not.

quam vos prædicto magistro fecistis, eidem subdiacono facientes, administrationis officium, quod idem magister habuit in ecclesia Vicentina, ipsi committimus, quandiu vexerit, et bene administraverit detinendum. Si vero, quod absit! inventus fuerit prodigus dispensator, nec prudenter officium suum fuerit exsecutus, ad querimoniam vestram, inquisita super hoc et cognita veritate, ipsum ab eodem officio, juxta suorum exigentiam meritorum, curabimus amovere. Monemus igitur discretionem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus non impediatis, quominus commissum sibi a nobis officium laudabiliter exsequatur, scituri nos dilectis filiis. Bono Joanni, Sanctæ Mariæ Vercellensis, et Tisoni Tarvisino, subdiaconis nostris, et Dionysio, Paduano, canonicis, præcipiendo mandasse, et in corporalem ejus possessionem inducant, et auctoritate nostra tueantur inductum, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes.

Datum Laterani, VIII Kalendas Julii.

*Scriptum est illis super hoc.*

XCIX (268).

... PATAVIENSI EPISCOPO (269),

***Facultatem ipsi tribuit, cum electus fuisset in Aquilegensem patriarcham, suo arbitrio, vel ad istam metropolim transeundi, vel in Pataviensi sede remanendi.***

(Laterani, VIII Julii.)

Cum bonæ memoriæ P. Aquilegensis patriarcha, nuper sicut Domino placuit, viam fuerit universæ carnis ingressus, canonici Aquilegensis Ecclesiæ, convenentes in unum, assentientibus nobilibus, et ministerialibus, in te postulandum a nobis unanimiter convenerunt, et ad impetrandum postulationis tuæ apostolicæ sedis assensum, venerabilem fratrem nostrum... Concordiensem episcopum (270), et dilectos filios, S. magistrum scholarum, et W. canonicos Aquilegenses, et quosdam vassallos et ministeriales Aquilegensis ecclesiæ, ad nostram præsentiam destinarunt. Nos autem, licet nobis de prudentia tua et honestate constaret, quia tamen de proposito non constabat, non potuimus, sicut nec debuimus, postulationem hujusmodi absolute protinus approbare, ne in honoris tui redundaret dispendium, potius quam augmentum. Sane, cum Pataviensi Ecclesiæ, sponsæ tuæ, spiritualis conjugii vinculo sis astrictus, non possis alii nubere secundum canonicas sanctiones, nisi prius a lege prioris, et priori ligamine solveris; unde, si prius spirituale conjugium, quod inter te ac Pataviensem Ecclesiam, furiente Domino, intervenit, nos ejus Vicarii solveremus, quam nobis constaret, utrum in Aquilegensem Ecclesiam consentires, et tu, soluto hujusmodi vinculo, non patereris ad Aquilegensem metropolim te transferri, sic admitteres alteram, quod reliquam non haberes, et in honoris tui vergeret detrimentum, quod crederetur in augmentum amplioris honoris et oneris procuratum. Volentes igitur Aquilegensi Ecclesiæ, quæ filia est sedis apostolicæ specialis, sine Pataviensis Ecclesiæ consulerere læsione, et tuæ nihilominus honestati deferre, fraternitatem tuam monemus, et exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus quatenus, diligenter utriusque statu pensato, si absque detrimento Pataviensis Ecclesiæ Aquilegensi metropoli te credideris profuturum, factæ de te postulationi non dieras, infra octo dies postquam requisitus fueris, consentire. Alioquin, si altera juvari nequiverit absque alterius læsione, tutius est juvare neutram, quam alteram lædere, sicut novibus te legisse. Ne autem Aquilegensis Ecclesia, pro te denuo postulando, ad sedem apostolicam rursum laborare cogatur, venerabili fratri nostro... Salseburgensi (271) archiepiscopo, et episcopo Gurcensi (272), dedimus in mandatis, ut si postulationi hujusmodi assensum tuum duxeris impendendum, ipsi auctoritate nostra suffulti a vinculo, quo tibi juncta fuerat,

(268) Laudata apud Raynaldum, ad an. 1204, § 75.

(269) Wolfkerus, *al.* Walterus, *al.* Wolbertus, vir nobilis de Ellenbrechtschirchen, antea præpositus Collensis, item Pataviensis canonicus, anno 1191, in locum Dietpoldi, concordibus omnium votis electus fuerat episcopus Pataviensis, vir, ut aiunt, divino præditus eloquio, eruditissimus in divinis litteris. Anno 1197, in Orientem pro fectus erat, unde, anno 1198, redux, Philippi Sueviæ partibus adhæsit. Pacis inter Eimricum, *al.* Hemmeradum, Ungariæ regem, ejusque fratrem, Audream, anno 1200, præcipuus auctor fuit. Anno 1202, Romum citatns fuit, cum aliis antistitibus qui Philippo pertinaciter favebant. Wolfkerus accepto mandato paruit, Romam venit, seseque purgavit, facta simul sponsione, se in negotio, quod tunc fervebat, imperii, voluntati pontificiæ obsecuturum. Quam quidem sponsionem juribus imperii fraudi non fore, ipsi testimonium perhibuit Innocentius, litteris hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1204, datis XI Kal. Junii, quas legere est in Regesto de Negot. imper. epist. 110.

Hactenus de Wolfkero Patavii episcopo; et ea ex Hansizio, *German. sacr.* tom. I, pag. 337 et seqq. deprompsimus. Pauca de eodem ad Aquile ensem patriarchatum electo addenda.

Wolfkerum ad patriarchalem Aquilegensium sedem vocatum, non nisi hoc anno 1204 transire potuisse, fidem faciunt authenticæ et indubitatæ fidei, quas nunc exhibemus, Innocentii litteræ. Unde, erroris in notis chronologicis convincitur instrumentum illud, quod ex Tabulario S. Matthiæ de Muriano depromptum vulgavit Mittarellus, *Annal. Camaldul.* tom. IV, *Append.* col. 256, in quo Wolcherius, patriarcha Aquilegensis, definitionis sententiam, in causa quadam adversus monasterium S. Michaelis de Lemo, emittit, *anno*, prout ibi dicitur, 1203, *indictione* VI, *die vero quarto intrante Novembri*: legendum esse patet 1204. Utcunque sit, Wolfkerus, patriarchalibus infulis ornatus, Innocentio, et post Innocentium, Honorio PP. III percharus exstitit, quorum legatus de latere Venetos Paduanosque conciliavit, interfuitque concilio Lateranensi anno 1215. Obiit circa annum 1219. UGHELL. *Ital. sacr.* t. V, col. 71.

(270) Woldericus, notus in instrumentis circa hæc, in quibus versamur, tempora. UGHELL. *Ital. sacr.*, t. V, col. 332.

(271) De eo jam dictum est sæpius.

(272) Wernherus creatus an. 1192, obiit an. 1212. BUCELIN. *German. sacr.* part. I, p. 49.

Ecclesiam Palaviensem absolvant, et tibi ea similiter absoluto licentiam tribuant ad Aquilegensem ecclesiam transeundi.

Datum Laterani, VIII Kalendas Julii.

*Scriptum est illis super hoc.*

C.

J. EPISCOPO FURCONIENSI (273).

*Donationem casalis S. Gusanii* [al. *Eusanii*], *episcopo Furconiensi, a Rogerio, rege Siciliæ, factam, auctoritate apostolica confirmat. Inseritur donationis instrumentum.*

Laterani, XVII Kal. Julii.

Solet annuere, etc., *usque* impertiri. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus annuentes, donationem casalis Sancti Gusanii, ab inclytæ recordiationis Rog. rege Siciliæ factam bonæ memoriæ Berardo, episcopo Furconiensi (274), **B** prout in ejusdem regis authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus, etc., *usque* communimus. Ad majorem autem hujus rei firmitatem habendam, authenticum regis prædicti de verbo ad verbum huic nostræ paginæ duximus inserendum, cujus tenor talis existit : In nomine Domini Dei æterni, et Salvatoris nostri, Jesu Christi, Roger. divina faciente clementia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ et principatus Capuæ. Residentibus nobis in palatio nostro Terracin [*al.* Tarentino], apud Salernum cum charissimo filio nostro, Rog. duce Apuliæ, et comitibus et magnatibus, aliisque baronibus regni nostri, Berardus, venerabilis Furconiensis episcopus, ad nos veniens, nostram admodum deprecatus est clementiam, quatenus in territorio **C** sui episcopatus castellum fieri ei consederemus quod Collepaydonis vocatur. Nos autem, de more solito precibus ejus annuentes, ei postulata concessimus. Insuper etiam, casale Sancti Gusanii de quo altercatio inter prædictum episcopum et Siniciensem coram nostra præsentia facta fuit, et judicio curiæ ad nostra regalia pervenit, eidem episcopo ex nostra solita largitate et pietate concessimus, credentes prædictum episcopum fore inde fideliorem et obedientiorem regno nostro. Ad hujus sane da- **A** tionis et concessionis nostræ memoriam, et inviolabile firmamentum, præsens scriptum sigillo nostro insigniri, et per manum Roberti notarii nostri scribi fecimus.

Datum in civitate Salerni, per manum Roberti cancellarii, anno Incarnationis Dominicæ 1147, mense Novembris, indictione XI, anno vero regni domini Rog. Dei gratia gloriosissimi regis Siciliæ, ducatus Apuliæ, et principatus Capuæ XVII, feliciter. Amen, amen, amen. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, XVII Kal. Julii.

CI.

... AVENIONENSI (275)... TRICASTRINENSI (276), ET... CAVALLICENSI (275) EPISCOPIS.

*Ut sententiam interdicti adversus præpositum et canonicos Sistaricenses, in causa, quæ inter ipsos et fratres Templi militiæ super oratorio quodam vertebatur, latam firmiter observari faciant.*

Laterani, XI Kal. Julii

Cum olim inter dilectos filios, fratres militiæ. Templi, ex una parte, et... præpositum (278) et canonicos Sistaricenses, ex altera, super constructione oratorii, quod apud Sistaricensem civitatem construere proponebant, fuisset quæstio diutius agitata, tandem, utraque parte in nostra præsentia constituta, et eorum rationibus plenius intellectis, de communi fratrum nostrorum consilio, taliter duximus super ipso negotio statuendum, ut præpositus et capitulum Sistaricenses, si vellent, a Templariis infra duos menses sufficientem reciperent cautionem, quod de oratorio illo damnum aut præjudicium nullatenus posset matrici eccelsiæ generari, et ita, secundum quod in eorum habetur privilegiis, liberam facultatem haberent præfatum oratorium consummandi. Quod si forte prædicti præpositus et canonici cautionem ipsam non ducerent admittendam, Templariis ipsis auctoritate dedimus apostolica potestatem, ultra locum illum in quo construere incœperant, ubicumque mallent, in

(273) De episcopatu, olim Furconiensi, nunc Aquilano, consulendus Ughell. *Ital. sacr.* tom. I, col. 415. Joannes, episcopus Furconiensis, ad quem dirigitur hæc epistola, nec non epistola, mox exhibenda, hujusce libri septimi 112, translatus fuit ad ecclesiam Prænestinam anno 1208. *Idem, ibid.* col. 422.

(274) Idem Berardus, anno 1187, si Ughello fides, obtulit Guillelmo Bono, regi Siciliæ pro servitio terræ sanctæ milites sex, et servientes duodecim, ratione feudorum quæ ab ipso rege tenebat. *Ibid.* col. 422.

(275) Rostagni II, de Margaritis, episcopi Avenionensis, nomen primum legitur in instrumentis ab anno 1185. Pro asserenda Avenionensium civium libertate multa utiliter constituit, deditque litteras in quibus plurimæ immunitates ipsis conceduntur anno 1198. Obiisse dicitur II Kal. Julii anno 1209. in ipsius epitaphio. *Gall. Christ.* tom, I, col. 815.

(276) Bertrandus, cognomen sortitus ab urbecula pagi Tricastinensis, Petralata (Gallice, *Pierre-late*), dicta sive quod inde esset oriundius, sive quod illius dominium ad ipsius gentem pertineret, excepit Guillelmum I, cognominatum Hugonem, post annum 1192, et ante annum 1198. Adhuc sedebat anno 1205. Ante mortem legitur abdicasse, ut in secessu **D** Deo sibique viveret, donec anima corpore soluta migraret ad cœlum ; quod contigit anno circiter 1206. De eo notatur, ipsum suis in litteris supremum se de dominum passim nuncupasse. *Ibid.* col. 713.

(277) Ecclesiæ Cavallicensi seu Cabellicensi, tunc temporis præerat Bertrandus I, quem S. Andreæ tabulæ docent cognominatum fuisse de Duro forti (Gallice, *Durefort*), et, antequam fieret, anno circiter 1203, episcopus, in ecclesia Cavallicensi sacristæ officium fudctum. Sedem tenuit usque ad annum 1222. *Ibid.* col. 946.

(278) Willelmus II, præpositus Sistaricensi memoratur in instrumentis, ann. 1174, 1202 et 1205, XII Kal. Maii. *Ibid.* col. 506.

suo tamen solo, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, juxta privilegiorum suorum tenorem, oratorium fabricandi. Vobis etiam, fratres Avenionensis et Tricastrensis, dedimus in mandatis, ut præfatos præpositum et canonicos moneretis attentius, et inducere curaretis, ut sibi et Sistaricensi Ecclesiæ a Templariis, ut dictum est, reciperent cautionem, et constructionem oratorii ultra locum illum, sicut superius est distinctum, de cætero nullatenus impedirent, eos, si forte contra hoc venire præsumerent, censura ecclesiastica compescentes. Vos autem, sicut ex litterarum vestrarum tenore nobis innotuit, cum prædicti præpositus et canonici a vobis per litteras vestras tertio fuissent commoniti diligenter, ne fratres ipsos oratorium in solo suo ædificare volentes aliquatenus impedirent, ipsi, admonitiones vestras penitus contemnentes, litteras transmissas a vobis turpiter projecerunt, et incœptum opus oratorii armata manu non sunt veriti demoliri; propter quod in eos, tanquam in contumaces, interdicti sententias protulistis, quam ipsi observare minime voluerunt. Ne igitur de sua rebellione valeant impune lætari, et qui nolunt per devotionem, saltem per pœnam severitatis ecclesiasticæ ad obedientiam revocentur, si forte datum eis fuerit nt redeant ad cor suum, et vexatio dederit intellectum, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus prædictam interdicti sententiam facientes firmiter observari, præfatos præpositum et canonicos, ut de damnis et injuriis irrogatis fratribus domus militiæ Templi plenariam satisfactionem impendant, ab eorum super oratorio construendo, juxta formam datam a nobis, molestatione deinceps omnino cessantes, per excommunicationis sententiam et privationem beneficiorum suorum, sublato cujuslibet occasionis et appellationis obstaculo, compellatis, et præscriptas sententias mandetis et faciatis, per Ecclesias vicinarum diœceseon, singulis Dominicis et festivis diebus, pulsatis campanis et candelis accensis, publice nuntiari, donec, a suo resipiscentes errore, cum debita humilitate ad mandatum ecclesiæ revertantur; nihilominus etiam complices et fautores eorum, ut prædictis fatribus super hoc debitam satisfactionem impendant, ab ipsorum fratrum infestatione penitus desistentes per censuram ecctesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Quod si non omnes..... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, XI Kalendas Julii, anno septimo.

CII (279).

NOBILI VIRO, JOANNI ODDONIS, CONSOBRINO NOSTRO.

*Montorii, alteriusque castri, cui Caminaras nomen, de urbanorum judicum consilio, dominium tribuit. (Inseritur consilium judicum.)*

(Laterani, VIII Kal. Julii.)

Justis petentium, etc., *usque* complere. Recepimus A sane consilium, quod sapientes urbis super tuo nobis negotio præbuerunt, ad majorem illud cautelam præsentibus literis inserentes: In nomine Domini, Amen. Damus consilium vobis, domine Innocenti, Dei gratia summo et universali papæ, nos judices, videlicet, Henr. Transtiberim, Paulus Consalin. Oddo de Insula, Petrus Malpilii, Andreas Transtiberim, et Andreas Bulgaminum; dativi et advocati, Nicolaus Tullii, Joannes Bartholomæi; Oddo Joannis Tiniosi, Bartholomæus Petri Nicolai, Nicolaus Joannis Bonifacii, quatenus investiatis Joannem Oddonis, Romanum, de toto castro, qnod dicitur Montorium, intus et deforis, cum omnibus possessionibus, pertinentiis et tenimentis ipsorum castrorum, et ipsum Joannem dictorum castrorum, B possessionum et tenimentorum eorum verum possessorem faciatis et constituatis, ipsumque in possessione jam dicta, vos, et successores vestri, qui pro tempore erunt, perpetuo defendatis et viriliter defendere faciatis, quia liquet nobis quod, cum ad conquestionem dicti Joannis Oddonis, Abaiamontem de Montorio, et O. filium ejus, qui dicta castra, videlicet Montorium et Caminatas [*al.* Caminaras], per violentiam destinare præsumunt, pluries legitime citari feceritis, ut jamdicto Joanni Oddonis super dictis castris, possessionibus, pertinentiis et tenimentis ipsorum coram vobis justitiam exhiberent, eisdem prædictis Abaiamonti, et O. ejus filio, plenissimam securitatem in eundo, redundo ac litigando præstantes, ipsi vero venire et juri parere C contempserint, et semper contumaces exstiterunt et rebelles, propter quod ipsos Abaiamontem, et Oddonem, filium ejus, excommunicastis, et exoommunicationem publicari fecistis. Ipsi autem, in reprobum sensum dati, in prædictis anathemate et excommunicatione per plures annos pertinaciter perdurarunt, et adhuc in eisdem perdurare non desinunt, et semper contumaces exstiterunt, et existunt adhuc, et cognoscimus hoc ita de jure et consuetudine fieri debere, et hanc chartam sigillo sanctæ Romanæ Ecclesiæ imprimi faciatis.

Datum coram domino Hug (280). Dei gratia Sancti Eustachii diacono cardinale, anno vero pontificatus nostri (281) VII, indictione VII, mense Juniii die IX, de communi voluntate et mandato prælibatorum judicum ac advocatorum scriptum per manus Andreæ, D dativi judicis de Transtiberim. Nos igitur, juxta præscripti tenorem consilii, te per dilectos filios, nobiles viros, Od. de Palumbaria, et Rayner. Joannis de Paulo, fecimus in corporalem possessionem prædictarum rerum induci, et, ex secundo decreto, de ipsis verum te constituimus possessorem. Nulli ergo... hanc paginam nostræ constitutionis et investitionis infregere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VIII Kalendas Julii.

—

(279) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 77.

(280) Lib. III, epist. 15, not.
(281) Leg. forte *vestri*.

CIII.

NOBILI MULIERI... FILIÆ QUONDAM JUDICIS GALLURENSIS.

*Ut super matrimonio contrahendo consiliis Turritani archiepiscopi acquiescat* (282).

(Laterani, vi Non. Junii.)

Gratum gerimus et acceptum, quod vestigiis quondam... patris tui, judicis Gallurensis, inhærens, in Ecclesiæ devotione persistis, et juxta providentiam et consilium ejus disponere desideras actus tuos. Ille siquidem tam te quam terram suam sub apostolicæ sedis tutelam reliquit. Tu vero in contrahendo matrimonio, nostro concilio te committis, propter quod ad honorem tuum tanto amplius aspiramus, quanto ex hoc majoris sumimus tuæ devotionis indicium, et reverentiæ certius argumentum. Monemus igitur nobilitatem tuam et exhortamur in Domino, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, sicut de tua devotione confidimus, et tu de gratia nostra speras, super hoc venerabilis fratris nostri, Turritani archiepiscopi consiliis acquiescas.

Datum Laterani, vi Nonas Julii.

*In eumdem fere modum*... matri puellæ *scriptum est usque* mandamus, quatenus, super hoc beneplacitum et mandatum nostrum exspectans, eam non præsumas cuiquam copulare, sed potius venerabilem fratrem nostrum... Civitatensem episcopum, ad præsentiam nostram mittas, cum quo disponamus plenius quod fuerit disponendum, et quod fuerit dispositum impleamus.

CIV.

..CALARITANO ARCHIEPISCOPO.

*De eodem argumento*

(Laterani, vi Non. Julii.)

Fraternitatem tuam novimus non latere, qualiter... quondam Gallurensis judex, in mortis articulo constitutus, tam terram quam filiam suam sub apostolicæ sedis tutela reliquit. Nos igitur, eidem puellæ juxta intentionem patris sui providere volentes, eam viro legitimo, per quem nulla in Sardinia suscitetur discordia, sed potius sopiatur, et qui nulli judicum merito sit suspectus, ideoque judicatum Gallurensem in pace melius valeat gubernare, tradere proponimus in uxorem, Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur in Domino, et per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, cum tu detineas castra ejus, ea nulli prius assignare præsumas, quam puellæ ipsi providerimus in maritum, sed super hoc venerabilis fratris nostri... Turritani archiepiscopi, consiliis et monitis acquiescas; alioquin, satisfacturus de tanto contemptu, nostro te conspectui repræsentes. Ut autem intentio nostra melius compleatur, interim venerabilem fratrem nostrum... Civitatensem episcopum, ad præsentiam nostram mittas, cum quo disponamus plenius quod fuerit disponendum, et quod fuerit dispositum impleamus.

Datum Laterani, *ut supra.*

(282) Vide lib. vi, epist. 29, 144, *et seqq.*

CV.

EPISCOPIS, ET NOBILIBUS VIRIS, LIBERIS, IN GALLURENSI EXISTANTIBUS JUDICATU.

*De eodem argumento.*

Universitatem vestram novimus non latere, etc. *usque* : in uxorem. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus super hoc mandatum nostrum et beneplacitum, etc., *ut in ea quæ mittitur matri puellæ.*

CVI.

NOBILI VIRO... JUDICI CALARITANO.

*De eodem argumento*

(Laterani, v Non. Julii.)

Quod ad tollendum scandalum, quod in Sardinia motum fuerat, et concordiam reformandam, nobilem virum, G. marchionem, qui nobilem mulierem, II. filiam... quondam judicis Gallurensis, ducere volebat uxorem, a Judicatu Gallurensi provide removisti, et... filium quondam judicis Arborensis, ad preces et mandatum apostolicum liberasti, tanto habemus gratius et acceptius reputamus, quanto ex hoc majus sumimus tuæ devotionis indicium, et sinceritatis expressius argumentum. Super eo quoque prudentiam tuam in Domino commandamus, quod nec per tuas litteras exorasti, ut prædictam puellam quam memoratus pater ipsius sub nostra tutela reliquit, non suspectæ personæ in conjugem traderemus, quæ nobis exhiberet debitum famulatum, et cujus occasione Sardinia denuo nequeat perturbari. Quia igitur consilium tuum, quod salubre credimus acceptamus, nobilitatem tuam monemus et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus puellam ipsam non permittas cuiquam matrimonialiter copulari, cum nos in brevi, dante Domino, in viro idoneo ei providere velimus, qui nec tibi, nec nobili viro... judici Turritano, merito sit suspectus. Taliter igitur super hoc mandatum apostolicum exsequaris, quod propter hoc ad honorem et profectum tum specialiter intendere debeamus.

Datum Laterani, v Nonas Julii.

*In eudem fere modum,* judici Turritano.

CVII (283).

...ARCHIEPISCOPO TURRITANO.

*Cum Turritanus judex et uxor ejus quarto et quinto consanguinitatis gradu conjuncti essent, et grave alioqui scandalum ex divortio immineret, præsulis arbitrio causam committit.*

(Laterani, vi Non. Julii.)

Per tuas nobis litteras intimasti, quod nobilis vir... Turritanus judex, et... uxor ipsius, in quarto et quinto gradu consanguinitatis invicem se attingunt, et tandiu conjugalem sibi exhibuerunt affectum, quod filium, cui jam terra juravit, et duas filias susceperunt, quarum altera viro nupsit. Cumque mulier ipsa mater sit nobilis viri, Hug. de Basso, judicis Arboreæ, si celebretur divortium inter illos,

(283) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 79.

hujusmodi scandalum formidatur, quod et illis etiam creditur displicere, cum a tempore felicis recordationis A. papæ, prædecessoris nostri, manserint sic conjuncti. Verumtamen judex hoc petit, ut vel cum uxore sua ei de permissione nostra liceat remanere, vel, celebrato divortio, ad alias nuptias convolare, quo facto, dimissurum se asserit concubinas, quos, quoniam a conjuge jamdudum abstinuit, secundum pravam terræ consuetudinem detinet, et quas interim non posse dimittere se testatur. Cum igitur tu de jure non dubites, nos autem de scandalo dubitemus, negotium ipsum tuæ discretioni committimus, ut, auctoritate nostra fretus, id agas quod magis videris expedire.

Datum Laterani, VI Nonas Julii.

CVIII (284).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, PER SARDINIAM CONSTITUTIS

*Ipsos archiepiscopo Turritano pro Romano pontifice laboranti ad victum necessaria suppeditare jubes.*

(Laterani, V Non. Julii.)

Cum nemo suis cogatur stipendiis militare, miramur non modicum et movemur, quod, quando venerabilis frater noster... Turritanus archiepiscopus, pro negotiis nostris ad diversas Sardiniæ partes accedit, necessaria ei cupiditate detestabili denegatis, licet exhibere vos debeatis tam ipsi quam aliis hospitales, præsertim cum in quibusdam Sardiniæ partibus victualia nequeant venalia reperiri. Quia igitur id in apostolicæ sedis redundat dispendium et contemptum, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, cum idem archiepiscopus ad negotia nostra exiverit procuranda, si ad vos forsitan declinarit, in moderatis expensis taliter provideatis eidem, quod devotionem vestram merito valeat commendare; alioquin, noveritis nos eidem archiepiscopo mandavisse ut per suspensionis sententiam vos compellat, satisfacturos de tanto comtemptu, idoneos nuntios ad sedem apostolicam destinare.

Datum Laterani, V Nonas Julii.

CIX (285).

...PISANO ARCHIEPISCOPO (286).

*Ut marchio Calaritanus juret fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, cum Sardinia sit juris et proprietatis ejusdem ecclesiæ.*

(Laterani, V Non. Julii.)

[Quod insula Sardiniæ juris, ac proprietatis apostolicæ sedis existat, et judices ejus Ecclesiæ Romanæ juramentum fidelitatis debeant, et soleant exhibere, tua fraternitas non ignorat.] Unde, cum jura nostra defendere tenearis, non possumus non mirari, quod ne nobilis vir... marchio Calaritanus, nobis, et Ecclesiæ Romanæ juravet, exacti et recepti ab eo juramenti occasione, diceris impedisse; licet ei jam secundo dederimus in mandatis ut, juramento tibi exhibito non obstante, præstaret nobis fidelitatis debitæ juramentum. Quia igitur jura nostra tibi usurpare, vel aliter turbare non debes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eidem marchioni per litteras tuas mandes, ut juramento, quod tibi exhibuit, non obstante, fidelitatem nobis et Ecclesiæ Romanæ, sicut mandavimus jam bis ipsi, jurare procuret, sollicite provisirus, ne, si aliter egeris, dum fidelitatem ab ipso receptam ultra debitum tibi volueris observari, juramentum fidelitatis Ecclesiæ Romanæ præstitum male serves, sicque privilegium merearis amittere, dum permissa tibi abusus fueris potestate.

CX (287).

...ARCHIEPISCOPO TURRITANO.

*Quod non deferre debeat archiepiscopo Pisano, nisi fuerit in provincia Turritana, licet habeat privilegia a sede apostolica legationis ei primatiæ in Sardinia.*

(Laterani, V Non. Julii.)

Licet venerabilem fratrem nostrum... Pisanum archiepiscopum, et ejus Ecclesiam non velimus super collato sibi a predecessoribus nostris privilegio legationis, et primatiæ, quod nos postmodum confirmavimus, molestrare; pati tamen nec volumus, nec debemus, ut beneficio sedis apostolicæ abutatur et in gravamen subditorum assumat, quod ei ad illorum provisionem, et commodum est indultum. Cum igitur certis temporibus auctoritate nostra legationis officium in Sardinia valeat exercere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum terram ipsam, juxta tenorem privilegii ecclesiæ Pisanæ concessi, datis temporibus, visitarit, quandiu in eadem provincia fuerit, ei tanquam legato apostolicæ sedis intendas, absenti autem, vel alio tempore venienti, non teneberis auctoritate legationis aliquatenus respondere. Auctoritate vero primatiæ, non plus potest in provincia Turritana, quam primatibus universis concedunt canonicæ sanctiones.

Datum, *ut supra*.

CXI (288).

EXEMPTARUM ECCLESIARUM PRÆLATIS IN SARDINIA CONSTITUTIS

*Increpat quod sæculare tribunal adeant*

(Laterani, V Non. Julii.)

Cum diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, ex eo quod Deum non diligatis conjicimus, quod bona vobis cooperantur in malum, et libertas in pessimam degenerat servitutem. Accepimus etenim

(284) Vide Raynaldum ad annum 1204, § 79.
(285) Epistolæ hujus fragmentum, hic, initio, uncis inclusum, exhibet Raynaldus, ad annum 1204 § 79. Vide libri sexti epist. 17, 18, 27, 28, *et seqq.*

(286) Vide epistolam libri tertii 9, not.
(287) Vide Raynaldum ad annum 1204, § 79.
(288) Epistolam hanc, sed mutilam, exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 80.

nim, quod, exemptionis occasione, qua sedes apostolica vos donavit, in libertatem, quæ vera servitus est, vos et ecclesias vestras nitimini vendicare, dum ecclesiasticum forum contemnitis, et super causis ecclesiasticis etiam contenditis coram judice sæculari, nec aliis quam terrenis judicibus vos asseritis subjacere. [Quia vero in præjudicium Ecclesiæ libertatis insolentia hæc redundat, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus cum inter vos aliquid habueritis quæstionis, ad sæculare forum contra sanctiones canonicas vos invicem non trahatis, nec coram terræ judicibus vel officialibus eorumdem, præsertim super causis ecclesiasticis, contendatis, sed per nos, vel legatum nostrum, cum in Sardinia fuerit, aut arbitros electos a patribus, vestrum prosequamini B adversus personas ecclesiasticas rationem. Alioquin, quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, quoniam uti libertate nescitis, redigimus vos in perpetuam servitutem.]

Datum, *ut supra.*

## CXII (289).

..... TURRITANO ARCHIEPICOPO.

*Facultatem tribuit ei perditos et dissolutos clericos corrigendi.*

(Laterani, v Non. Julii.)

Si ab agro Dominico, cujus culturæ te Dominus deputavit, spinas et tribulos eradicare desideras, ut semen, quod est verbum Dei, in spineta non cadat, sed tanto fructificet amplius, quanto terra, in quam cecidit, profundius purgata fuerit, et magis C diligenter exculta, laudabiliter officium tuum imples, illudque notasse non superficie tenus, sed medullitus te ostendis, quod ait Dominus ad prophetam: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I). Gaudemus ergo quod, perditis male malis, vineam tuam aliis agricolis vis locare, amotisque ab ecclesia Turritana..... archipresbytero et canonicis, qui nil canonicum sapiunt, sed desipiunt potius, et mundanis illecebris se involvunt, plantare in ea palmites canonicæ religionis intendis. Quia ergo rectis dispositionibus nihil moræ debet, vel difficultatis afferri, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut, si absque scandalo fieri poterit, in eadem ecclesia, sublato appellationis obstaculo, juxta pium tuæ D mentis propositum, canonicos instituas regulares, archipresbytero, et canonicis memoratis alibi congrue provisurus, nisi forsan eorum aliqui velint in eadem ecclesia induere religionis amictum, et in ea de cætero regulariter conversari. Quod si ex hoc scandalum sequeretur, ad correctionem archipresbyteri et canonicorum ipsorum sicut ad te noscitur pertinere, diligenter ac prudenter intendas, eos qui correctioni tuæ se duxerint opponendos, monitione A præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compescens.

Datum, *ut supra.*

## CXIII (290).

NOBILI VIRO.... JUDICI TURRITANO.

*Ne se intromittat in litibus clericorum et ecclesiasticam libertatem impediat.*

(Laterani, v Non. Julii.)

Cum lex inhibeat naturalis ne aliis facias quod fieri non vis tibi, debes studiosius præcavere, ne in divinam attentas injuriam, quod in offensam hominis facere prohiberis. Sane, pondus et pondus, mensura et mensura utrumque (291) sit abominabile apud Deum, sollicita debes meditatione pensare, ne aliter metiaris Domino, quam tibi homines vis metiari (291), et in ministros ejus eam tibi jurisdictionem usurpes, quam in ministros tuos non patereris alios vindicare. Licet enim aliqui clericorum clericalem non sapiant honestatem, sed militiæ clericalis insignia infami turpis vitæ titulo dehonestent, eorum tamen infamia divinæ ipsos auctoritate non subtrahit, quominus ecclesiastico subsint judicio, quod est ejus; et, sicut servus stat suo domino, sic et cadat, sicut in familiaribus et servis tuis familiare tibi jugiter demonstrat exemplum, ut magnis minima comparemus. Si enim deliquerit servus tuus, et merito super commisso crimine fuerit infamatus, namque ideo jurisdictio tua devolvetur ad alium, ut cui subditus tuus fuerat ante culpam, in servitutem alterius transeat post delictum, et excessum non valeas vindicare, nec animadvertere in eumdem, quantumcunque graviter te offendat? Dolemus autem quod, hoc minus quam deceret attendens, tanquam in parem tibi Dominum repulares clericos in sortem vocatos ipsius, et qui sunt hæreditas Domini, et Dominus hæreditas eorumdem, non solummodo ipse judicas, sed a tuis facis subditis judicari, et in eam ipsos redigis servitutem, ut ad laicale mandatum cogantur in causis civilibus coram sæculari judice testimonium perhibere. Cumque candentis ferri et aquæ frigidæ ac similia judicia lex canonica non admittat, benedicere ac interesse talibus compelluntur miseri sacerdotes, et si compellentibus parere noluerint, a curatoribus, in quorum habitant juridictione, pœna pecuniaria percelluntur. Præterea, quamvis Ecclesiæ secundum terræ consuetudinem habeant servos suos, in eos tamen non possunt jurisdictionem debitam exercere, cum tam in causis civilibus quam aliis subire sæculare judicium compellantur. Insuper, quod est pejus, non solum simplices sacerdotes judicas, sed majores, et in christos Domini, et per eos in Christum Dominum, jurisdictionem tibi niteris vindicare. Utinam, fili charissime, diligenter attenderes, quam horribile sit in manus Dei viventis incidere, thesau-

(289) Vide Raynaldum. ad annum 1204, § 79.
(290) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 80.

(291) Sic: deest aliquid.

rizare iram in die iræ, ac indignationem in te Altissimi provocare! Utinam diligenti meditatione pensares quod nil prodest homini, si universum mundum lucretur, et patiatur suæ animæ detrimentum, nec potest homo dignam commutationem pro anima sua dare! Utinam memoreris novissima tua, juxta sententiam sapientis, ut cum intelligeres quod nulla est redemptio in inferno, nunc, dum tempus habes, operareris bonum ad omnes, et præsertim ecclesias et viros ecclesiasticos honorares, et foveres in propria libertate, cavens sollicite, ne si Ecclesiam despexeris in præsenti, frustra requiras ejus suffragium in futura, nec valeas obtinere ut aliquis simplicium sacerdotum intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam tuam, si nunc illos superbe contemnas in quibus Dominus honorari se asserit et contemnit, et quibus in Evangelio ipse dicit: Qui vos tangit me tangit, et qui tangit vos tangit pupillam oculi mei! Monemus igitur nobilitatem tuam ei exhortamur in Domino, et in remissionem injungimus peccatorum, quatenus, cum omne datum optimum, et omne donum perfectum a Patre luminum sit desursum, contra eum qui terrenum tibi contulit potentatum non extendas improvidas manus tuas, nec in ministros et servos ipsius indebitam tibi jurisdictionem usurpes, ne spolieris propriis, dum inhiaveris alienis; sciens quod privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Sic igitur præsumptionis et abusionis hujusmodi vitium de terra tua studeas exstirpare, sicque viros ecclesiasticos et ecclesias in sua libertate conserves, ecclesiastico judicio relinquens eosdem, ut cum Dei ministros honoraris in terris, honorari ab eo merearis in cœlis, illudque non cum reprobis, sed cum justis audire: *Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti* (*Matth.* xxv). Nos autem venerabilibus fratribus nostris..... Turritano, et..... Calaritano, et..... Arborensi archiepiscopis, et eorum suffraganeis præcipiendo mandavimus, ut tam te quam alios Sardiniæ judices, qui clericos in sæculari foro contra sanctiones canonicas coegerint litigare, vel in aliis temere violaverunt privilegium clericorum, nisi ad commonitionem eorum destiteris a prædictis, excommunicationis sententia feriant, et excommunicatos faciant publice nuntiari.

Datum, *ut supra.*

CXIV (291).

....HILDESEMENSI (292) EPISCOPO, ET PRÆPOSITO MAGDEBURGENSI.

*De absolutione electi Mersenburgensis.*

(Laterani, Kal. Julii.)

Ex litteris.... electi Mesenburgensis (293) accepimus quod venerabilis frater noster G. (294), Prænestinus episcopus, apostolicæ sedis legatus, in eum, cum ejus non posset obedire mandatis, post appellationem ad nos interpositam, excommunicationis sententiam promulgavit; unde idem electus humiliter postulavit a nobis, ut misericorditer ei, cum mandatis nostris paratus sit in omnibus obedire, faceremus absolutionis beneficium exhiberi. Quocirca discretioni vestræ, de qua plene confidimus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ab ipso electo juratoria cautione recepta, quod nostris mandatis obediat absolute, absolutionis ei beneficium impendatis, juramenti tenorem ejusdem in litteris redigi facientes, in quibus idem confiteatur electus, se hujusmodi juramentum in nostris manibus præstitisse, ac litteras ipsas ejus sigillo signatas nobis mittere non tardetis. Verum, si Magdeburgensis archiepiscopus (295) infra duos menses post receptionem præsentium non redierit ad Ecclesiæ unitatem, ut absolutionis beneficium mereatur, extunc, tu, frater episcope, associaris tibi duobus episcopis, eidem electo, postquam a te fuerit ordinatus in presbyterum, juxta canonicas sanctiones, auctoritate nostra suffultus, sublato appellationis obstaculo, munus consecrationis impendas, et consecrato districtius inhibere procures, ne ipsi archiepiscopo,, dum contumax nobis et rebellis exstiterit, obedientiam exhibeat vel honorem.

Datum Laterani, Kalendis Julii.

CXV (296).

J. FURGONENSI EPISCOPO EJUSDEM SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*Recipit eum sub protectione, et enumerantur bona ad ipsius Ecclesiam spectantia*

(Laterani, Kal. Julii).

In eminenti apostolicæ sedis specula divina disponente clementia constituti, fratres et coepiscopus nostros ampliori debemus charitate diligere, et ecclesias eorum gubernationi commissas apostolica patrocinio communire. Eapropter, etc., *usque* et ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ, prædecessoris nostri ecclesiam Furconensem, cui, auctore Deo, præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc,, *usque* communimus: statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia, etc., *usque* vocabulis exprimenda: ecclesiam majorem Sancti Martini cum villa quæ vocatnr civitas, cujus medietas est ejusdem ecclesiæ, cum hominibus et possessionibus suis; ecclesiam Sancti Eusanii cum capella, et hominibus, et tenimentis suis; castrum Collepaydonis, cum ecclesia et tenimentis suis; Podium, cum ecclesiis et tenimentis suis; ecclesiam Sanctæ Justæ, cum capella, et hominibus suis, et tenimentis; ecclesiam Sancti Justini, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Paganica, cum capellis,

(291) Laudata apud Raynaldum, ad annum 1204, § 56. Vide epist. libri sexti 87.

(292) Vide libri v, epist. 14, not.

(293) De episcopi Mersenburgensibus, circa hæc in quibus versamur tempora, nihil certi reperimus apud Bucelinum, *Germ. sacr.*, part. II, pag. 42.

(294) Lib. v, epist. 8, not.

(295) Vide epistolam libri quinti 8, not.

(296) Vide notas ad epistolam hujusce libri septimi 100.

hominibus, et tenimentiis suis; ecclesiam Sanctæ Euphemiæ, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Guasto, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Petri de Guasto, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Nicolai de Sagetica, cum possessionibus suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Picentia, cum possessionibus suis; ecclesiam Sancti Martini de Picentia, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Angli de Besegne, cum hominibus et tenimensis suis; ecclesiam Sancti Petri de Limignam, cum hominibus et tenimentis; suis; ecclesiam Sancti Nuntii, cum hominibus et tenimentiis suis; ecclesiam Sanctæ Luciæ, cum capella, hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Martini de Oruella, cum capellis hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sanctæ Scholasticæ, cum tenimentis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Undacum tenimentis suis; ecclesiam Sancti Candidi, cum capellis, et hominibus, et tenimentis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ in Planula, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Mariæ de Banne, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Martini, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Laurentii de Saxa, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Barano, cum hominibus et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Felicis de Monte, cum tenimentis suis; ecclesiam Sancti Thomæ de Troila, cum tenimentis suis; ecclesiam Sancti Stephani de Roccha, cum capellis, et hominibus, et tenimentis suis. Præterea, subscripta capella diœcesana tibi lege subjecta (297), sicut ea rationabiliter possides, tibi nihilominus confirmamus; Bagnum, scilicet, cum villis, ecclesiis, et pertinentiis suis; Castellian. Bagagnium et Paganicam, cum ecclesiis, villis et pertinentiis suis; Telettum, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Interveram, cum ecclesiis, villis et pertinentiis suis; Carmadam, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Podium et villam de Picentia, cum ecclesiiis et pertinentiis suis; Guastum, cum ecclesiis, villis et pertinentiis suis; Collebrengun., cum ecclesiis et pertinentis suis; Ragnum, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Pescumavire, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Sinicium, cum Sancto Demetrio, et Sancto Joanne et Sancto Martino, et Sancto Mauro, cum pertinentiis suis; Stisiam, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Bamili, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Roccam Atonescam, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Pere et Fossam, cum eeclesiis et pertitiis suis; Villam de Unda, cum ecclesiis et pertinentiis suis; Turrim cum ecclesiis, villis et suis pertinentiis; Gegnarum, cum ecclesiis, villis et suis pertinentiis; Rodium, cum ecclesiis, villis et pertinentiis suis; Pile, cum ecclesiis, villis et pertinentis suis; Saxam, cum ecclesiis, villis et suis pertinentiis; Podium Sanctæ Mariæ, cum ecclesiis, villis et pertinentiis suis; Luculum, cum ecclesiis, villis et aliis pertinentiis suis; Colementum, cum ecclesiis, villis et pertinentiis suis; Tornamparte, cum ecclesiis, civitatem Forulæ, cum villis et pertinentes suis; duabus ecclesiis et pertinentiis suis; Roccam Sancti Stephani, cum villis suis; Castellion de Ballo, cum ecclesiis et pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Joanis de Colementis, cum cappellis, et hominibus, et tenimentis suis; ecclesiam Sancti Angeli de Tupeselu, cum capellis, et hominibus, et tenimentis suis. Statuimus præterea, ut nullus clericus, cujuscunque ordinis, etc.. *usque* irritum habeatur. Prohibemus autem, ne præpositi vel, etc., *usque* revocetur. Ad hoc, præsenti decreto inhibemus, ne aliquis in diœcesi tua ecclesiam vel oratorium aliquod, sine tuo vel successorum tuorum assensu, construere de novo præsumat, salvis tamen privilegiis pontificatum Romanorum. Libertates præterea et immunitates, a prædecessoribus nostris, etc., *usque* communimus, Decernimus ergo . . . salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Laterani, per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, Kalendas Julii indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

*Eidemque diplomati hæ subscriptiones adjectæ.*

Ego, Innocentius, catholicæ Ecclesiæ episcopus. Ego, Octavianus, Ostien. et Velletren. episcopus, E. Petrus, Portuen. et Sanctæ Rufinæ episcopus. E. Joannes, Albanen, episcopus. Eg. Petrus, tituli Sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis. E. Guido, presbyter cardinalis. Sanctæ Mariæ Transtiberim et Calixti. E. Hugo, presbyter cardinalis Sancti Martini et Equitti. E. Joannes, tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis. E. Joannes, tituli Sanctæ Priscæ presbyter cardinalis. E. Cencius, sanctorum Joannis et Pauli presbyter cardinalis, et Pammachii. E. Benedictus, Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis. E. Gratianus sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis. E. Gregorius Sancti Georgii Ad Velum aureum diaconus cardinalis. E. Ugo, Sancti Eustachii diaconus cardinalis. E. Joannes. in Cosmedin. cardinalis.

## CXVI (293).

### CAPITULO REMENSI

*Objicit multa super electione archiepiscopi, et G. cardinalem, episcopum Prænestinum, modo ipse consenserit, ipse in archiepiscopum providit.*

(Laterani, II Non Julii).

Licet nec reprehensibile sit nec novum, quod in electionibus prælatorum vota eligentium varientur

(297) Sic in apogr.

(298) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1204, § 68. Integram vulgavit Ughellus, *Ital sacr.* t. I, col. 232. Et ex eo Sammarthani *in vetere Gallia Christiania*, tom. I, pag. 520. Recudi curaverunt auctores *novæ Galliæ Christianiæ*, tom. X, inter instrumenta, col. 54. ch. LVII. Accuratiorem nunc exhibemus ex apographis Vaticano et Conti. Conferendæ sunt omnino epistolæ libri sexti 9 et 200.

per hujusmodi tamen schismata, quæ interdum potius ex impetuosa levitate quam bono zelo procedunt, ecclesiæ solent incurrere detrimentum, sicut ecclesiæ vestræ accidisse conspicimus et dolemus. Sane, cum bonæ memoriæ W. archiepiscopus vester, universæ carnis debitum exsolvisset, quia non potuistis in unum omnes pariter convenire? sed, contradicentibus quibusdam ex vobis, quidam Venerabilem fratrem nostrum . . . Belvacensem episcopum, per impetuosam præsumptionem, ex indiscreto zelo, post appellationem ad nos interpositam, in archiepiscopum nominarunt, laboravit Remensis ecclesia, et expensis se gravibus oneravit.

Nos autem, partibus in nostra præsentia constitutis, et inquisita plenius et cognita veritate, postulationem factam de episcopo Belvacensi, exigente justitia, repellentes, de gratia vobis electionem liberam duximus concedendam, per apostolica vobis scripta mandantes, ut, infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum convenientes in unum invocata Spiritus sancti gratia, canonice vobis eligeretis personam idoneam in pastorem, et faceretis quam citius posset fieri opportune, in pontificem consecrari. Adjecimus etiam, ut in examine districti judicii a vobis requireret Dominus, nisi humano favore ac mundano timore postpositis, personam in spiritualibus et temporalibus, secundum conscientiam vestram, idoneam vobis præficere curaretis. Venerabili fratri nostro quoque. . . . . Antissiodorensi (299) episcopo, et dilectis filiis. . . . . abbati de Persenia (299), et magistro R. de Corzon (299), canonico Noviomensi, dedimus in mandatis ut, si negligeretis forsitan mandatum apostolicum adimplere, ipsi, auctoritate nostra suffulti, contradictione qualibet et appellatione cessante, Deum habentes præ oculis, personam, quæ tanto congrueret oneri et honori, vobis in pontificem assignarent, et eum facerent per suffraganeos Remensis ecclesiæ consecrari. Vos autem, receptis litteris nostris, loco convenientes eodem, sed animo discordantes, utpote qui nondum ab oculis cordis vestri prioris rancoris nebulam terseratis, personas vobis varias nominastis, quibusdam ex vobis. . . . Præpositum (300), quibusdam majorem archidiaconum (301) eligentibus in pastorem. Quia igitur, prædictorum executorum audientiam et præsentiam evitantes, maluistis ad sedem apostolicam laborare, discordantium partium concordia nostrum judicium eligente, dilecto filio, J. (202)..... de Porta carceris

A procuratori partis illius quæ præpositum duxerat eligendum, et sociis ejus, et O. procuratori partis adversæ, et collegis ipsius audientiam concedentes, propositiones partium et confessiones audivimus, recepimus testes, et publicantes depositiones eorum, examinavimus omnia diligenter. Fuit ergo propositum eoram nobis, quod pars illa, quæ præpositum nominarat, non solum adversa parte contempta, sed neglectis etiam quibusdam ex illis, qui cum eis postmodum in electione præpositi concordarunt, in domo Hug. de Sparnaco, concanonici sui, seorsum habuerant super electione tractatum; communiter statuentes, quod, si non possent in personam eamdem omnes pariter convenire, illum, ex compromisso, reciperent in pastorem, quem
B decanus (303) et *prædictus* (304) J. de Porta carceris, et Gervasius, præpositi nepos, in quos compromiserunt communiter, sub hac forma, eis in archiepiscopum nominarent. Adjectum est etiam, quod cum...... Vicedominus, prædictum archidiaconum elegisset, appellans ne quis in præjudicium electionis ipsius aliquid attentaret, decanus, velut in furorem conversus, nullo prorsus concilio de præposito in capitulo habito, nec communi deliberatione præmissa, subito præpositum capiens, "et *nos* (305) istum, inquit sociis, *capiamus* (306); sicque capientes eum, quidam alii dum decano intronizaverunt eumdem, et laudes solitas decantarunt. Sive igitur ex deliberatione in domo Hug. extra capitulum habita, *sive* (307) repente in capitulo nulla
C deliberatione præmissa, decanus præpositum nominavit, patet cum præter formam electionis canonicæ nominatum. Objectum est insuper, quod præpositus erat super Simoniæ vitio infamatus, quod abusus fuerat sigillo capituli, quod tanquam *herniosus* (308) rupturæ vitio laborabat, et quod medio digito sinistræ manus fuerat mutilatus, licet testes super hoc varia retulissent, deponentibus quibusdam eorum, quod tantum extrema uncia digiti carebat ejusdem, et addentibus aliis quod secundam integram non habebat. Canonibus igitur revolutis, inventi sunt diversi super hoc articulo non adversi. Nam, etsi aliqui habeant, quod quidam corpore vitiati, et hi specialiter qui casu partem digiti amiserunt, ad clericatus officium admittantur, ali-
D qui tamen habent, quod qui membrorum sunt damna perpessi, sunt a sacris ordinibus prohibendi qui super hoc sibi nullatenus adversantur, cum multi ad minores possint ordines promoveri, qui

(299) Vide not. ad epist. cit.

(300) Quis fuerit, tunc temporis, præpositus Remensis, pro certo statuere nondum possumus. Balduinus II præsedisse dicitur in instrumentis, ab anno 1192 usque ad annum 1206. Verum, exstant apud Martenium, *Anecdot.* tom. III, pag. 988, litteræ M. præpositi, B. decani, totiusque capituli Remensis, scriptæ anno 1202, saltem 1203, ex quibus conjicere est, Milonem (*de Nanteuil*), filium Galcheri Castilionei, et Helvidæ dominæ Nantolii, præpositum item Roleti, quem Balduino successisse compertum habemus, jam ab anno 1202 vel 1203, præposituram Remensem obtinuisse. Milo factus est episcopus Belvarensis anno 1217. *Gall. Christ.*, t. IX, col. 147.

(301) Lib. VI, epist. 9, not.

(302) Apud Ughell et Sammarth. *T.*

(303) Vid. lib. V, epist. 149, not.

(304) Apud Ughell. et Sammarth. *prædecessor. T.*

(305) Apud Ughell. et Sammarth. *non.*

(306) Apud Ughell. et Sammarth. *expiamus.*

(307) Apud. Ughell. et Sammarth. *fuisse.*

(308) Apud Ughell. et Sammarth. *criminosus.*

ad superiores cum effectu non debent aliquatenus A aspirare. Nam major sufficientia in his requiritur qui ad sacros sunt ordines promovendi, quam in his qui sunt in minoribus ordinibus constituti, sicut et major in presbytero, quam diacono, episcopo quam presbytero, archiepiscopo quam episcopo, primate quam archiepiscopo, et major his omnibus est in summo pontifice perfectio requirenda. Quatuor igitur opposita sunt in factum, et quatuor in personam. In factum, illicita compromissio, contemptus fratrum, canonica provocatio, et impetuosus processus; in personam, infamia Simoniæ, abusus sigilli, rupturæ vitium, et digiti mutilatio. Licet autem contra personam archidiaconi nihil ostensum fuerit vel objectum, imo multipliciter a multis fuerit commendata, contra factum tamen electionis B ipsius fuit propositum ex adverso, quod, cum decanus ad sedem apostolicam appellasset, ne quis sine communi vel majoris et sanioris partis assensu ad electionem procederet celebrandam, vicedominus, et sequaces ipsius, pauciores numero, cum vix tertia pars capituli sequeretur eumdem, et dignitate minores, cum nulla personarum Remensis ecclesiæ vicedomino consentiret, et inferiores ordine, cum nullus presbyterorum faveret eidem, eumdem archidiaconum nominarat, et quod ad hoc zelo processerat indiscreto, cum pars altera tam Remensem quam Carnotensem (309) decanum, Ecclesiæ Remensis canonicum, qui quondam in priori negotio eidem archidiacono faverat, eligendum, et quamplures viros providos et honestos postulandos a C nobis duxerint nominandos, quorum nullum pars ipsius archidiaconi voluit acceptare, utpote quæ non ad utilitatem Ecclesiæ, sed promotionem illius potius intendebat. Præterea, ex utriusque confessione patebat, quod archidiaconus ipse in subdiaconatus erat ordine constitutus; canon autem subdiaconos, quia et ipsi ministrant altaribus, exigente opportunitate, concedit, spectatæ religionis et scientiæ fuerint, non tamen sine Romani pontificis vel metropolitani scientia, in episcopos eligendos; unde, cum Remensis ecclesia metropolitanum non habeat alium, quam Romanum pontificem, nec nos conscii essemus electionis ipsius, constabat eam contra formam canonicam attentatam. Cumque super his et aliis coram nobis fuisset varie disceptatum, nos attestationibus, confessionibus et allegationibus D diligenter auditis et plenarie intellectis, de communi fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, electionem utramque curavimus reprobare. Verum, quoniam officii nostri debitum, et Remensis ecclesiæ commodum requirebat ut ei provideremus personam idoneam in pastorem, ne, si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo apostolicæ sedis beneficio abutentes, Remensem scinderetis ecclesiam, et, labores novos veteribus laboribus cumulantes, afflictionem adderetis afflictæ, ad venerabilem fratrem nostrum, G. (310). Prænestin. episcopum, apostolicæ sedis legatum, virum providum et honestum, oriundum de regno Francorum, qui fuerat in Cisterciensi ordine primus abbas, et, suæ religionis exigentibus meritis, a nobis assumptus fuerat in episcopum Prænestinum, virum utique coram Deo et hominibus potentem in opere ac sermone, oculos nostræ considerationis extendimus, et vobis et eidem ecclesiæ providimus in rectorem, dum tamen ejus super hoc accedat a sensus, quem invitum cogere nolumus, sed consentientem assumi. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur in Domino, et per apostolica vobis scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, si episcopus ipse dispositioni nostræ consenserit, ipsum sicut pastorem et episcopum animarum vestrarum recipiatis humiliter et honorifice pertractetis, debitam ei obedientiam et reverentiam impendentes; scituri, nos venerabilibus fratri nostro... Senonensi (311) archiepiscopo, et dilectis filiis..... Clarevallensi (312), et . . . Sanctis Victoris (313) Parisiensis abbatibus, dedisse firmiter in mandatis, ut, si qui, quod non credimus, facto nostro se duxerint opponendos, eos per districtionem ecclesiasticam, sublato appellationis impedimento, compescant; eisdemque mandavimus, ut, si forsan idem episcopus non pateretur ad Remensem ecclesiam se transferri omni gratia et timore postpositis, personam idoneam, et honori tanto et oneri congruentem, solum Deum habentes præ oculis, auctoritate nostra suffulti, vobis, appellatione postposita, præficiant in pastorem, contradictores modo simili compescentes.

Datum Laterani, secundo Nonas Julii, pontificatus nostri anno septimo.

CXVII.

N. . . . . (314).

*Causam inter G.* (315) *de Cros archidiaconum Claromontensem ex una, et capitulum Claromotense, Parentiumque, papæ subdiaconum, ab altera parte, super ecclesiæ Claromontensis decanatum, vertentem ipsi committit* (316).

(Laterrani, IV Id. Julii.)

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius, G.

(309) Hugo II, decanus Carnotensis, jam dicitur anno 1203 mense Februario, et reperitur adhuc XV Kal. Maii, anno 1206. *Gall. Christ.* tom. VIII, col. 1101.

(310) Lib. V epist. 8, not.

(311) Vide epistolam libri tertii 14, not.

(312) Vide lib. V, epist. 109, not.

(313) Vide lib. VI, epist. 168, not.

(314) Deest inscriptio, tam in apographo Vaticano quam in apographo Conti.

(315) Girardus, *vel* Giraudus, *vel* Geraldus, de Cros (*al.* Wigrini), ex archidiacono (vide libellum supplicem, oblatum archiepiscopo Bituricensi anno 1195, apud BALUZIUM, *Prob. Hist. dom. Arvern.* pag. 72), decanus Claromontensis, prout ex hac Innocentii epistola cernitur, demum, anno 1209 defuncto Guillelmo, Bituricensi archiepiscopo, successor ei datus fuit. *Gall. Christ.* tom. II, col. 63.

(316) Conferenda sunt cum argumento istius epistolæ ea quæ leguntur in Gallia Christiania,

de Cros, archidiaconus Claromontensis, nobis humiliter supplicavit, ut sententiam per venerabilem fratrem nostrum.... Lemovicensem episcopum (317), super decanatu Claromontensis ecclesiæ, pro eo rationabiliter latam, quæ jam in parte fuerat exsecutioni mandata, faceremus in totum exsecutioni mandari. Cum autem dilecti filii..., abbas (318), et G. Dalmas, canonicus Claromontensis, procuratores dilectorum filiorum, capituli Claromontensis, in nostra essent præsentia constituti, nobis proponere curaverunt, quod sententia illa contra justitiam, et post appellationem ad nos legitime interpositam, fuerat promulgata ; et ideo idem archidiaconus in petitione sua non erat aliquatenus audiendus. Idem vero archidiaconus proposuit ex adverso, quod dicti.... abbas et canonicus, tanquam procuratores recipi non debebant, cum tam ipsi quam illi pro quibus venerant, excommunicationis essent vinculo innodati, quia prædictus episcopus omnes illos excommunicationis vinculo innodarat, qui sententiæ per eum pro memorato archidiacono latæ se ducerent opponendos, et, cum super hoc fuisset aliquandiu litigatum, tandem ad cautelam procuratores absolvi fecimus antedictos. Postmodum vero, cum idem abbas, et canonicus vellent agere contra illum, ipse archidiaconus nec sic eos, ut procuratores admittere voluit, pro eo quod illorum se procuratores gerebant, qui adhuc erant excommunicationis vinculo innodati, et ideo pro eis in jure non poterant experiri. Cumque idem archidiaconus ipsos tanquam procuratores nollet admittere, vel dictis eorum aliquatenus respondere, dilectus filius Parentius (319), subdiaconus noster, basilicæ principis apostolorum canonicus, se ipsi opposuit ex adverso ; asserens canonice se fuisse in decanum ecclesiæ Claromontensis electum, propter quod dictus archidiaconus in sua petitione non erat aliquatenus audiendus, quia decanatus ipse non ad illum, sed ad se potius pertinebat. Ad quod memoratus archidiaconus replicabat, quod donec sententia lata pro ipso plenariæ foret exsecutioni mandata, prædictus P. ad impediendam exsecutionem sententiæ non debebat audiri. Ad hoc dictus P. respondebat, sententiam pro ipso archidiacono a supradicto episcopo latam nullum sibi præjudicium generare, cum res inter alios acta non præjudicet aliis, sed legitimas sanctiones (320). Cumque super his alliquandiu disceptassent interlocuti fuimus, ut dictus P. si posset incontinenti suam intentionem fundaret, qui demum ad suam intentionem fundandam testes et instrumenta produxit ; super quibus cum utrinque fuisset aliquandiu disputatum, nos interloquendo pronuntiavimus, quoniam per ea quæ fuerant ostensa constabat, quod sui intererat ut idem Parentius se opponeret archidiacono memorato. Lite igitur inter eos, tam super electione, quam super sententia, legitime contestata, quæsitum fuit ab ipso archidiacono coram nobis, utrum attestationes prius exhibitas in articulo supradicto in hoc judicio vellet admittere ; qui, præhabita deliberatione respondit, quod vellet, dummodo posset, objicere tam in personas testium quam in dicta. Quo audito, pars adversa respondit, quod attestationibus illis in hoc judicio uti nolebat, cum non super principali negotio, sed super articulo incidenti fuissent, lite non contesta, receptæ ; unde, super toto nogotio, vel illos, vel alios volebat producere testes. Pars autem respondit adversa, quod cum testes illi tam super sententia quam super electione dixissent, et eorum attestationes fuissent in judicio publicatæ, non licebat eidem, postquam testificata didicerat, super eisdem articulis alios producere testes, præsertim, cum in hoc ipso judicio pars eadem attestationibus illis usa fuisset. Nos igitur, auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, justitia pronuntiavimus exigente, quod testes essent recipiendi super toto negotio, quos utraque pars duceret producendos. Quorcica, discretioni vestræ, per apostolica scripta mandamus, quatenus, receptis testibus, et instrumentis inspectis, et confessionibus et allegationibus diligenter auditis, causam ipsam, tam super principali, quam super incidenti, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis firmiter observari. Quia vero quæ in capitulo aguntur non facile possunt, nisi per canonicos ipsos probari, volumus et mandamus, ut ad cautelam absolvatis eosdem, ut vocati ad testimonium libere valeant pro utralibet parte testari. Testes, etc. Nullis litteris, etc.

Datum Laterani, IV Idus Julii, anno septimo (321).

*ibid.* col. 313, in serie decanorum Claromontensium.

« XIII. Guillelmus I, archidiaconus Claromontensis, et Petrus Parent, canonicus S. Genesii, de decanatu Claromontensi contenderunt, ineunte sæculo XIII, pro qua dirimenda lite, Innocentius PP. III instituit cognitores et judices Hugonem d'Anglars, abb. Casæ Dei, et abbatem Novem-Fontium, ordinis Præmonstratensis. »

« XIV. Geraldus *vel* Girardus de Cros, [*al.* Wigrini], postea archiepiscopus Bituricensis, anno circiter 1209. »

(317) Lib. v, epist. 68, not.

(318) Capitulum Claromontense, juram a sæculo decimo, tres dignitates, præpositum, abbatem, decanum, habuisse notum est. De abbatibus, circa Innocentii PP. III tempora, pauca hæc reperiuntur, *in Gall. Christ.* loc. cit. col. 308.

« VIII. Bertrandus de Murol, an. 1203, in Chartario S. Illidii.

« IX. Guillelmus d'Aubusson, in charta Roberti episcopi, an. 1207. »

(319) Vide supra, not. 316.

(320) Sic legitur in apographo Vaticano, mendose.

(321) Notandum est, quas, ad argumentum de quo hic agitur spectantes, epistolas reperiri inter Decretales ; unam (quæ *ad abbates de Novofonte et Casæ Dei* directa dicitur), lib. II, tit. 20, *De testibus et attestationibus*, cap. 38 ; alteram (quæ in collectione Gregoriana *Lemovicensi et Caturcensi* : in Innocentiana vero Alteserræ, *Lemovicensi et*

CXVIII.

N . . . . (322).

*Ut priorem et monachos Dunelmenses ad exhibendam episcopo debitam obedentiam inducant.*

(Laterani, XIV Kal. Julii.)

Conquerente venerabili fratre nostro . . . episcopo Dunelnensi (323), ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod prior... (324) et monachi Dunelmenses ei consuetam obedientiam, et debitam reverentiam subtrahunt, et jura ipsius, ac libertates antiquas, et laudabiles consuetudines et hactenus observatas temere perturbantes, et attentes plurima contra inhibitionem nostram factam eisdem, ipsi super his, et multis aliis injuriosi et graves existunt. Nos igitur, fratribus, et episcopis nostris in sua volentes ratione adesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus dictos priorem et monachos, ut eidem episcopo reverentiam, et obedientiam debitam, et consuetam exhibeant humiliter et devote, et de damnis, et injuriis irrogatis satisfaciant competenter, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis; reducentes in statum pristinum quidquid contra jura ipsius episcopi, libertas solitas, et laudabiles consuetudines, et hactenus observatas, ac inhibitionem nostram ab eisdem temere noveritis attentatum. Nullis literis, etc. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Laterani, XIV Kalendas Julii.

CXIX.

ASSALITO CANONICO . . .

*Dispensatio pro defectu Natalium* (325).

(Laterani, III Kal. Augusti.)

Ad hoc Deus in apostolica sede constituit plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, ut, diligenter inspectis variis circumstantiis, personarum et rerum, temporum et locorum, nunc rigorem exerceat, nunc mansuetudinem anteponat, interdum exsequatur justitiam; interdum gratiam largiatur, prout in causis diversis diverso modo viderit dispensandum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis amaris devicti lacrymis, et devotis supplicationibus inclinati, cum pro te multorum religiosorum virorum laudabile receperimus testimonium, et nos ipsi noverimus te in litterali scientia laudabiliter profecisse, devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut, non obstante defectu natalium, usque ad sacerdotii gradum per ecclesiasticos ordines valeas promoveri, et tam præbendas, quam dignitates recipere, quibus ordo
A non fuerit sacerdotalis annexus, ita duntaxat, ut vitam ducas honestam, ne paternæ incontinentiæ appareas imitator, quatenus cum magis te reddideris gratiosum, majorem gratiam debeas obtinere. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ dispensationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, III Kal. Augusti, anno septimo

CXX.

N . . . . . (326).

*De eodem argumento.*

(Laterani, VII Kal. Augusti.)

Ad hoc Deus, etc., *in eodem fere modo, usque* obtinere. Verum, cum venerabilis frater noster O. (227), Hostiensis episcopus, olim in partibus vestris apo-
B stolicæ sedis legatus, vobis dederit in mandatis, ut præfatum Assalitum in canonicum reciperitis et fratrem, tandem, quia contra ipsum fuit exceptum a vobis, quod ei natalium defectus obstaret, ipsumque propter hoc recusaretis recipere, idem A. ad præsentiam nostram accedens, ad . . . Burdegalensem archiepiscopum, et . . . Albaterrensem abbatem litteras impetravit, ut compelleremini ad receptionem illius, sed vos, ad nos voce appellationis emissa, Bernardum pro vobis presbyterum, et ipse pro se magistrum P. Haimerici Boiol, ad nostram præsentiam destinatis, quibus petentibus suas rationes audiri dilectum filium, L. (328) tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, per quem auditis quæ fuerunt proposita coram eo, ve-
C nerabili fratri nostro . . . episcopo, et dilectis filiis, W. Alboini, subdiacono nostro, canonico Lemovicen. sub expressa forma litteras duximus destinandas, a quorum examine idem A. cum sibi videret imminere gravamen, vocem ad nos appellationis emissit. Cum igitur quam prætendebatis adversus eum exceptio, sit per nostram dispensationem abolita, prout superius est expressum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum, pro reverentia beati Petri et nostra, in canonicum et fratrem, nisi aliud obsistat canonicum, admittatis, ne apostolicæ benignitati, quæ illum ad beneficium ecclesiasticum percipiendum admittit, videamini contraire. Alioquin noveritis nos dilectis filiis . . . cantori, et Arnaldo de Montel et Guidoni Guahan canonicis, Lemovicensi-
D bus, in mandatis dedisse, ut vos ad hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant.

Datum, *ut supra.*

*Illis scriptum est super hoc,*

*Cantuariensi episcopis* inscribitur), lib. II, tit. 28, *De appellationibus recusationibus et relationibus*, cap. 45.

(322) Deest inscriptio tam in apographo Vaticano quam in apographo Conti.

(323) Vide epistolam libri sexti 89.

(324) Jam observavimus priorem Dunelmensis ecclesiæ, tunc temporis fuisse Bertramum I, WARTH. *Angl. sacr.* tom. II, pag 788. Sed male concordat hæc Innocentii epistola, cum historia episcoporum Dunelmensium. Vide Gaufr. de Goldingham, *Hist. Dunelm.* cap. 13 et sedd.

(325) Vide epistolam libri sexti 98.

(326) Deest inscriptio, tam in apographo Vaticano quam in apographo Conti : verum, ex epistola libri sexti jam citata, patet decano et capitulo ecclesiæ S. Aredii directam fuisse.

(327) De eo jam dictu est sæpius.

(328) Vide epistolas libri quinti 5, not., libri septimi 1, not.

CXXI.

N . . . . (329)

*De ordinatione presbyterorum, tam græcorum quam Latinorum, ab episcopis Græcis facta.*

(Laterni, IV Non. Augusti.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod quidam presbyteri, Græci pariter et Latini, a Græcis episcopis, absque unctione manuum se faciunt ordinari, et simul accipiunt omnes ordines extra quatuor tempora, contra canonicas sanctiones. Cum igitur hujusmodi præsumptio sit sagaciter exstirpanda, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi presbyteros tuæ diæceseos ab exsecutione ordinis sic suscepti appellatione remota, nostra fretus auctoritate suspendas, nisi forsan eorum aliqui de tua, vel prædecessoris tui licentia fuerint ab episcopis Græcis taliter ordinati, circa quos suppleas quod ab illis fuerat prætermissum. Provideas tamen attente, ne clericos tuæ diœceseos ab episcopis Græcis ulterius ordinari permittas, et, si qui præter tuam licentiam ab eis se fecerint ordinari, tu eos suspendas perpetuo ab exsecutione ordinum taliter susceptorum.

Datum Laterani, VI Nonas Augusti.

CXXII.

N. . . . . . . N. . . . . . . (330).

*Sententiam, qua G. diacono, decima ipsi ab episcopo Ambianensi collata adjudicata fuit, contra J. de Canduetre, Noviomensis diœceseos, quia eamdem decimam injuste occuparat, latam, auctoritate apostolica confirmat, et mandat ut dictum G. ab omni molestatione tueantur, ablataque ei restitui faciant*

Laterani, IV Kal. Augusti.

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius, G. diaconus, nobis humiliter intimavit, quod, cum quædam decima, quæ a venerabili fratre nostro.... Ambianensi episcopo (331), sibi collata fuerat intuitu pietatis, quam etiam J. de Canduetre, Noviomensis diœceseos, postmodum contra justitiam occupavit, illam hæreditario jure ad se asserens pertinere, a dilecto filio... abbate Longipontis (332), et W. Normano, Suessionensi canonico, per diffinitivam sententiam eidem G. adjudicata fuisset et

A in ipsum J. quia restituere nolebat ablata, et ab ejus molestatione cessare, excommunicationis sententia promulgata, et demum per dilectos filios. decanum (333), et.... præpositum (334), et... archidiaconum Ambianenses, auctoritate nostra, tam diffinitiva quam excommunicationis sententia confirmata fuisset, et exsecutioni mandata, tandem præfatus J. ad venerabilem fratrem nostrum... Noviomensem episcopum, et conjudices suos, præmissorum tacita veritate, litteras impetravit a nobis (335) per quas se asserit absolutum; propter quod supradictus G. ad sedem apostolicam tertio laboravit, et ultra quam per octo menses, non sine magno rerum dispendio, fecit moram, sed pro parte altera nullus comparuit idoneus responsalis. Nos
B igitur, prædictam diffinitivam sententiam, sicut est justa, ratam habentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, cum de præmissis, tam per delegatorum, quam prædicti Ambianensis episcopi litteras, nobis facta sit plena fides, sæpedictum J... patrem, et fautores ipsius, ab ejusdem G. indebita molestatione cessare, et ablata cum integritate restituere universa, et illos etiam, ad quos pertinet, decimam solvere memoratam, ut ipsam eidem G. sine difficultate persolvant, per excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogatis; mandatum nostrum taliter impleturi, quod idem G. pro defectu justitiæ ad nos non cogatur iterum laborare. Nullis litteris obstantibus, etc. Quod si non omnes... duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

C Datum Laterani, VI Kalendas Augusti, anno septimo.

CXXIII.

N. . . . . . . . . .(336).

*Roberto Vaisliaci, diacono, omni beneficio ecclesiastico carenti, præbendam in ecclesia Suessionensi primo vacaturam assignat.*

(Laterani, XVII Kal. Septembris.)

Et officii nostri severitas, quo debitores sumus omnibus, nos inducit, et clericorum conditio, qui sunt in Dominicam sortem assumpti, ac vivere debent de patrimonio Jesu Christi, nos vehementer

(329) Deest inscriptio in apographo Conti.

(330) Desideratur inscriptio.

(331) « Theobaldo III (*d'Heilly*), hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1204, defuncto, successor datus fuit Richardus, ex antiqua vicedominorum de Gerboredo familia, Eustachio milite et Ermentrude parentibus natus. Germanos habuit Gervasium et Guillelmum milites. In ecclesia Ambianensi a juventute enutritus, ex canonico factus fuerat Decanus, ex decano autem episcopus. Sedit usque ad annum 1210, quo Ambianensis sedes in instrumentis vacare dicitur. » Hactenus auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. X, col. 1180. Verum, difficultas quædam inest. Theolbaldum III, *anno* 1204 *ineunte*, *ultima aprilis*, defunctum asserunt. Mox, Richardum *anno* 1205, *nondum consecratum* dicunt. Atqui præsulem Ambianensem, hic diserte, *episcopum* non *electum* (prout de antistite nondum consecrato dixisset), vocat Innocentius. Dicendum igitur, Theobaldum anno 1204, sed vetere stylo, id est anno revera, juxta nostrum computandi morem, 1205, obiise, et de ipso adhuc agi in hac Innocentii epistola, quæ anno 1204 data fuit.

(332) Galcherus de *Ochies*, Longipontis abbas, reperitur in instrumentis ab anno 1201, saltem (nam
D decessor ejus, Adam I, obiisse dicitur circa annum 1198), usque ad annum 1219, quo ad Cisterciensis ordinis culmen evectus est. *Gall. Christ.*. t. IX, col. 476.

(333) Ex his quæ duximus, nota, conjicitur decanum Ambianensem, tunc temporis, fuisse ipsum Richardum de Gerboredo (*de Gerberoy*), qui mox episcopus factus est. Concinunt ea quæ leguntur apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. X, col. 1218, ubi Richardus, decanus ab anno 1191, usque ad annum 1204 mense Novembri, aut nomine expresso, aut littera initiali R. designatus, in instrumentis reperiri dicitur.

(334) De præpositis Ambianensibus, apud auctores novæ *Galliæ Christianæ*, nihil.

(335) Lib. V, epist. 41, not.

(336) Desideratur inscriptio.

hortatur ut eos rore provisionis apostolicæ perfundamus, illosque præsertim, quos morum honestas informat, et commendabiles reddit scientia litterarum. Inde siquidem est, quod pro dilecto filio, Roberto Vaisliaci, diacono, ecclesiasticum beneficium non habente, discretionem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, qualenus eidem, pro reverentia beati Petri et nostra, præbendam in ecclesia Suessionensi, si qua vacat ibidem, sine difficultate qualibet liberaliter couferatis. Alioquin, primo vacaturam donationi nostræ præcipimus reservari, personæ idoneæ conferendam.

Datum Later., XVII Kal. Septembris, anno septimo.

*Scriptum est super hoc*... præposito (337)..... B decano (338). et capitulo, *in eodem fere modo, usque* conferendam. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenns ad præbendam, si qua in ecclesia vestra vacat ad præsens, vel primo vacaturam, nullum in canonicum recipere præsumatis, nisi cui eam duxerimus conferandam.

*Scriptum est super hoc*... decano (339), succentori, et Bliardo de Acreio, canonico, Remensibus, *in eodem fere modo, usque in finem, hoc addito:* Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præceptum nostrum denuntietis inviolabiliter observandum, mandatum apostolicum taliter adimplentes, ut devotio vestra per effectum operis comprobetur, et obedientiam vestram debeamus dignis in Domino laudibus commendare. C

CXXIV.

NN. . . . . . . . . . . . (340).

*Ut Rog. de Bisatiis a civibus Bisin. in rectorem, sed absque violentia, recipit procurent.*

(Laterani, Kal. Sept.)

Dilectus filius, Jacobus, consobrinus et marescalcus noster, magister justitiarius Apuliæ et terræ Laboris, nobis humiliter supplicavit, ut cum nobilis vir, Rog. de Bisatiis, nobis semper fidelis exstiterit et devotus, et mandatorum nostrorum diligens exsecutor, ita quod ad mandatum nostrum, et monitionem dilecti filii, nobilis viri, G... comitis Brenensis, qui pro eo nobis pariter supplicavit, civitatem Minerbien, quam ipse tenebat, eidem reliquerit Marescalco, in recompensationem ipsius, ei D civitatem Bisin, concedere dignaremur, cum ipsius concessio sine alicujus gravamine fieri valeat et offensa. Verum, quia voluntatis nostræ non est, nec aliquando fuit, domania regis distrahere, sicut A quidem fecisse noscuntur, qui potius dissipatores fuere, nolumus, ut homines civitatis ipsius ad hoc aliqua violentia compellantur, sed, si de ipsorum fieri poterit voluntate, ipsi curam civitatis illius usque ad ætatem legitinam charissimi in Christo filii nostri, F. Siciliæ regis, illustris, auctoritate nostra concedas, ita quod, cum dictus rex ætatis legitimæ fuerit, de civitate ipsa disponat juxta suæ voluntatis beneplacitum. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, qualenus cives ipsos ad hoc moneas et inducas, et, ut ei tanquam rectori suo intendant humiliter et devote, operum tribuas efficacem.

Datum Laterani, Kalendis Septembris.

CXXV.

. N. . . . . . . . . . . (341).

*De eodem argumento ac in epistola* 124.

(Laterani, Kal. Sept.)

Cum dilectus filius, nobilis vir R. de Bisatiis, nobis et charissimo in Christo filio nostro, F. illustri Siciliæ regi, fidelis semper exstiterit et devotus, et in ejus servitio laudabiliter insudarit, civitatem vestram sub ipsius regimine suscipere posse credimus incrementum. Quocirca, universitatem vestram monemus, et exhortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsi tanquam rectori, usque ad ætatem legitimam regis ipsius, intendatis humiliter et devote, ut per ejus industriam civitatis vestra valeat melius gubernari.

Datum, *ut supra.*

CXXVI (342).

H. UNGARIÆ REGI

*Summopere dolet quod in finibus Ungariæ injuriose impedisset cardinali legato transitum ad Bulgariam, monet eum de tali errore emendando, ne in ipsum animadvertere cogatur* (343).

[Inter alios reges catholicos et principes Christianos, de te specialiter, fili charissime, gloriamur, quod Deo fidelis nobisque devotus existas, ita, ut tu merito valeas gloriari, quod gratiam et favorem apostolicæ sedis obtineas specialem, sicut hinc inde plurima probant non solum indicia, sed exempla. Rediens enim ad apostolicam sedem, Joannes, tunc capellanus noster, nunc Furconiensis episcopus (345) constanti nobis assertione suggessit, quod, a te cum ingenti honore et devotione susceptus, clementer obtinuit, non solum quod circa negotium *Culini Bani* (342) a regia celsitudine requisivit, verum etiam impetravit, quod tam ipsi quam aliis Ecclesiæ Romanæ nuntiis et legatis liber pateret

(337) Lib. III, epist, 41, not.
(338) *Ibid.*, not.
(339) Vid. epist, libri quinti 149, not.
(340) Desideratur inscriptio.
(341) Desideratur inscriptio, sed ex epistola 124, patet hanc *Civibus Bisin*, directam fuisse.
(342) Epistola hac inserta repereritur in Gestis Innocentii, § LXXVIII, sed nec integra, nec satis emendata.
Fragmentum ejusdem exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 45. Quæ in Gestis legatur, hic uncis inclusa sunt. Quæ apud Raynaldum, hic duplici ad iditum cujusque lineæ virgulæ distinximus. Variæ etiam lectiones dantur.
(343) De argumento hujus epistolæ, vide epistolas libri septimi 7, 8, 9, 10, 11.
(344) Vide epistolas hujusce libri septimi 100 et 115.
(345) Gest. *Culumbani.*

per regnum tuum progressus pariter et regressus in Bulgariam et Blachiam. Tu quoque, si bene recolimus, suggessisti, quod tuæ serenitati placebat, ut Megajuppanus Serviæ, debitam et devotam apostolicæ sedi reverentiam et obedientiam exhiberet, et a nobis, salvo in temporalibus jure tuo, regium susciperet diadema. Unde, nos hujus exsecutionem negotii venerabili fratri nostro . . . . Colocensi archiepiscopo, meminimus injunxisse. Per has ergo, non tam generales quam speciales causas inducti, dilectum filium nostrum, Leonem. tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, in Bulgariam et Blachiam per regnum tuum ad propagationem fidei Christianæ duximus destinandum, qui, sicut nobis suis litteris intimavit, a tua regia celsitudine, ultra etiam quam crediderit, exstitit honoratus, ita ut, quasi deposita gravitate regali, universa conareris efficere quæ sibi crederes complacere, dato prius cum omni jucundi tate ducatu nuntiis, quos in Bulgariam duxerat transmittendos; datoque pacis osculo, et facta cum magno gaudio mutua promissione amicitiæ specialis, ac muneribus elargitis, non solum licentiam obtinuit transeundi, verum etiam nuntiis tuis præcepisti, ut cum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens quod tuum sibi scriptum in confinio destinares, quod ipse apud se secretius retineret, et secundum illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum nuntiis tuis usque ad regni terminum, pervenit ad castrum quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante, regnum Ungariæ a Bulgarorum provincia separatur, multis eum cum desiderio exspectantibus ex altera parte, sed post unius horam diei, nuntios tuos ex insperato recepit, qui, cum festinatione maxima venientes, sibi et . . . episcopo Bulgaro, transitum fecerunt omnino præcludi, ex parte regia proponentes, ut ad quoddam tuum prædium retroiret, quod itinere trium dierum reliquerat jam post tergum, ibique morans Domino Bulgarorum per nuntios demandaret, quod ad quamdam insulam festinus accederet, in confinio constitutam, ut ibi prius de controversia quæ vertitur inter vos plene cognosceret, et eam fine debito terminaret. *alias* (346) ei transitus nan pateret. Ipse vero cardinalis inter multa respondit, quod hoc tali modo facere non debebat, tum quia, si eum cum hujusmodi pactionibus reciperet ad matris ubera redeuntem, cum super hoc non tam sæculare quam spirituale negotium ageretur, videretur intervenire species Simoniacæ pravitatis, tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum, donec obligatus esset apostolicæ sedi per vinculum *speciale* (347). Unde, cum nollet ab incœpto itinere retroire. protinus exiit edictum a comite Castri, quod qui-A cunque sibi et suis, aut etiam episcopo memorato auderent aliquid vendere, seu aliquid humanitatis solatium exhibere, pœnam incurrerent personarum et rerum, et ipse cardinalis cum episcopo sæpedicto a trecentis ad minus circumfusis satellitibus custoditur, qui adeo ipsum comprimunt, quod ostium cameræ, si camera dici debet, observant, ut taceamus quæ sibi et suis circa necessaria naturæ viliter irrogantur. « (348) Heu ! heu ! fili charissime, ubi « est *regalis* (349) clementia, ubi religio Christiana, « ubi specialis devotio quam ad nos et Romanam « Ecclesiam prædicaris habere ? Mutatus est color « optimus, et aurum in scoriam est conversum. « Parcat igitur eis Deus, qui animum tuum tam « pravo consilio seduxerint, volentibus inter regnum B « et sacerdotium discordiam seminare! Sed nos « pro certo speramus, quod aut per te ipsum jam « errata correxeris, aut ad commotionem nostram « taliter debeas emendare, ut injuria transeat in « honorem et offensa in gratiam convertatur (350).»] Quocirca, serenitatem regiam, de qua plene (351) confidimus, rogamus attentius, et monemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus injuriam cardinali prædicto, imo verius nobis in ipso, quin potius illatam Domino Jesus Christo in nobis, ita satagas abolere, ut nos in hoc devotionem tuam experiri possimus, et non cogamur propter hoc aliquid agere quod tibi possit esse molestum, quia quantumcunque nobis molestum existeret te in aliquo molestare, non possemus tam perversum C exemplum relinquere incorrectum, et propositum nostrum, *quod auctore Deo inchoavimus* (352-253), nihilominus exsequemur.

*Scriptum est*, suffraganeis Strigoniensis Ecclesiæ, *ut ipsum regem ad hoc maneant attentius, et inducant, et tales se circa negotium istud*, omni *gratia et timore postpositis, exhibere procurent*, quod fidem et devotionem, quam erga matrem suam Romonam Ecclesiam habere tenentur, in opere cognoscamus.

*Hæc cedula fuit interclusa in litteris ad prædictum regem transmissis.*

(354) « Mitius et benegnius tibi scribimus, quam « instans materia postularet, ne quis forte litteras « nostras inspiciens æstimaret apostolicæ sedis fa« vorem tibi esse subtractum, quod utique utilitati « ac honori tuo nullatenus expediret, quia multa D « gesta sunt, et geruntur in regno tuo, quæ, si de« ducerentur ad limam, correctionem exposcerent « graviorem, non solum de voto tuo, captione fra« terna, et electionibus prælatorum, sed etiam mul« tis aliis, quiæ, ne nimium conturberis ad præsens « duximus *supprimenda* (355). Provideas ergo tibi, « ne in eam te difficultatem inducas, de qua non « valeas expediri. »

(346) Cod. Pod. cit. a Baluzio, *aliter*.
(347) Gest. *spirituale*.
(348) Raynaldus, *loc. cit.*
(349) Gest. *regia*.
(350) Hactenus Raynaldus.

(351) Gest. *plane*.
(352-3) Gest. *auctore Domino*.
(354) Rursus Raynaldus.
(355) Sic in Gestis, et apud Raynald. In apogr. Conti, *expendenda*.

CXXVII (356).

L. TITULI SANCTÆ CRUCIS PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Respondet querelis regis Ungariæ.*

(Apud S. Petrum, XVII Kal. Octopris.)

Ad litteras quas nobis charissimus in Christo filius noster.... rex Ungariæ, destinavit, rescribimus in hunc modum.

[Regiæ celsitudinis litteras, quas nobis per dilectum filium, nobilem virum, E. militem, destinasti, benigne recepimus, et quæ significasti per eas, notavimus diligenter. Ad primum ergo capitulum, respondemus quod utique piæ recordationis progenitores tui, ex quo regnum Ungariæ et catholicæ fidei unitatem, per beati Stephani, regis, diligentiam, divina gratia præcedente, pervenit, cum multa devotione sedem sunt apostolicam venerati, et omnes qui ex ejus progenie descenderunt, sicut in regno ita sibi et in reverentia beati Petri successoribus exhibenda pariter successerunt, præsertim inclytæ recordationis Bela, rex pater tuus, qui toto tempore vitæ suæ sedem apostolicam studuit honorare, cui tu, tam in regno quam in devotione, succedens, ea facere studuisti, quæ ad ipsius procederent commodum et honorem. Porro, sicut nos ea quæ dicta sunt absque dubio recognoscimus esse vera, ita ut ea, quæ sunt dicenda vera esse procul dubio recognoscas. Licet enim prædecessores nostri progenitores tuos inter alios reges catholicos diligere ac honorare studuerint quadam gratia speciali, satagentes illis secundum Deum in omni necessitate favere, specialiter tamen claræ memoriæ patrem tuum apostolica sedes toto conamine promovere curavit, ita quod, cum propter quasdam causas, sicut credimus, tibi notas regalem non posset obtinere coronam, felicis recordationis Alexander papa, prædecessor noster, post multas exhortationes, præceptiones et commonitiones Strigoniensi archiepiscopo factas, ut ei regium diadema conferret, cum ipse non posset ad hoc aliquatenus inclinari, tandem.... Colocensi archiepiscopo districte præcepit, ut ipse illum absque præjudicio Strigoniensis ecclesiæ coronaret in regem, et sic ad mandatum apostolicæ sedis obtinuit coronari. Quantum etiam, circa principium regni tui, quod utique propter dissensiones multorum non leviter exstitit pertubatum, apostolica sedes tibi curaverit subvenire, ipse rerum ostendit effectus, quæ tandem, per legatum suum ad hoc specialiter destinatum, te ac tuos ex una parte, nec non et fratrem tuum ac fautores ejus ex altera reduxit ad pacem, quæ licet formata fuerit et formata, utinam tamen melius observata fuisset! Ad secundum vero capitulum, respondemus hoc modo, quod revera to nuntiis nostris in terram Joannitii, domini Bulgarorum; et ipsius nuntiis ad Ecclesiam Romanam ire volentibus, per terram tuam securum conductum et liberum transitum concessisti, dimittens exercitum ad preces legati nostri, quem congregaveras contra ipsum, sumptibus frustra consumptis, super quibus serenitati tuæ copiosas gratiarum referimus actiones. Quod autem scripsisti, quoniam prædictus Joannitius terram, quam pater tuus.... sorori tuæ, imperatrici Græcorum, dedit in dotem, detinet occupatam, et terram Serviæ, tuæ coronæ subjectam, adjuncta sibi paganorum multitudine copiosa, crudeliter devastavit, ita quod præter eos, qui per ejus tyrannidem sunt perempti, non pauci Christiani sunt in paganorum captivitatem deducti, eo videlicet tempore, quo precibus nostris inductus, rege Bohemiæ a Philippi consortio separato, et regi Ottoni conjuncto, cum ipso, pro isto, validum contra illum exercitum destinasti, certissime noveris, nobis esse valde molestum, quidquid in tuam injuriam et jacturam noscitur attentatum, et ut tibi congrue satisfiat, nos diligens studium impensuros et operam efficacem. Ad tertium vero capitulum, taliter respondemus quoniam, et si scripseris, quod prædictus Joannitius nullius terræ de jure sit dominus, licet aliquam partem tui, et aliam alterius regni ad tempus destineat occupatam, unde miraris, quod tam manifestum inimicum tuum, te inconsulto, tam subito in regem proposuerimus coronare, secus est tamen ex aliqua parte, ut salva tui pace loquamur, cum super hoc non plene noveris veritatem. Nam antiquitus in Bulgaria muli reges successive fuerunt auctoritate apostolica coronati, sicut Petrus, et Samuel, et alii nonnulli post illos. Nam, et ad prædicationem sanctæ memoriæ Nicolai papæ, prædecessoris nostri, rex Bulgarorum, ad quorum consulta sæpissime respondebat, cum toto regno suo commisso meruit baptizari, sed tandem, prævalentibus Græcis, Bulgari perdiderunt regiam dignitatem, quinino compulsi sunt gravi sub jugo imperatori Constantinopolitano servire, donec novissime duo fratres, Petrus videlicet et Joannitius, de priorum regum prosapia descendentes, terram patrum suorum non tam occupare quam recuperare cœperunt, ita, quod una die de magnis principibus, et innumeris populis mirabilem sunt victoriam consecuti. Non ergo negamus, quin forsan aliquam partem terræ violenter invaserunt, sed constanter asserimus quod plurimam terræ partem de jure recuperavere paterno. Unde, nos eum non super alienam terram sed super propriam ad instar prædecessorum nostrorum regem intendimus coronare, volentes, ut et ipse terram restituat injuste detentam, et terra injuste detenta restituatur eidem, cum ipse postulaverit hoc a nobis, ut de terris invasis faciamus inter te et ipsum utrique parti justitiam exhiberi. Cum igitur nuntiis nostris ad eum, et nuntiis

(356) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1204, § 46.

Legitur in Gestis Innocentii, § 78, sed aliquanto mutila, nec non mendis aliquibus vitiata. Integram, numerisque omnibus absolutam, ex colatione apographi Conti et codicis Vaticani exhibemus.

ejus ad nos, non solum liberum concesseris transitum, verum etiam securum ducatum, non debuimus opinari, quod ipse tibi esset infestissimus inimicus, *licet* (357) per nostræ sollicitudinis studium, inimicitiarum occasione sublata, de inimicis fieri valeatis amici, nec repente processimus ad hoc negotium, consummandum, cum frequenter ad eum nuntios cum litteris nostris propter hoc curaverimus destinare, ut filliam revocaremus ad matrem, et membrum reduceremus ad caput, quatenus esset unum ovile et unus pastor. Verum, et illud non abs re potuissemus attendere in hoc casu, quod cum nobilis vir, Stephanus, *Meganippanus* (358) Sarviæ, per honorabiles nuntios nobis humiliter supplicaverit, ut in terram suam dirigemus legatum qui eam ad obedentiam Ecclesiæ Romanæ reduceret, et regium B sibi diadema conferret, nosque petitionem ipsius de communi fratrum nostrorum consilio decreverimus admittendam, hujus legationis officium venerabili fratri nostro, J. Albanensi episopo, injungentes, intellecto tandem quod hoc tuæ *sublimitati* (359) plurimum displiceret, ob tui gratiam non sine quadam nostri confusione destitimus ab incœpto. Tu, vero postquam expugnasti Sarviam, amoto Stephano, et Vulco substituto in locum ipsius, per tuos *nobis* (360) nuntios *intimasti* (361), quod terram illam ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ reducere cupiebas, et salvo in temporaliter jure tuo, æquanimiter sustinebas, ut dictus Vulcus regalem susciperet ab apostolica sede coronam. Unde, nos hujus exsecutionem negotii de consilio nuntiorum tuorum C venerabili fratri nostro.... Colocen. archiepiscopo, duximus committendam ; sed, cum jam biennium sit transactum, in nullo novimus esse processum. Ad quartum vero capitulum, respondemus hoc modo, quod licet dilectum filium, L. tituli Sanctæ Crucis presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, devote receperis et honoraveris studiose, ita quod eum in osculo pacis benigne dimissum fecisti usque ad regni fines honeste conduci, ut jam non superesset nisi Danubii transitus de Ungaria in Bulgariam, quia tamen, juxta verbum poeticum :

*Turpius ejicitur quam non admittitur hospes*
(Ovid. *Trist.* 5, 6, 13.)

Miramur non modicum et movemur, magis quidem pro te, quam pro nobis, quod mox eum retroducere D præcepisti, cum minus indecens exstitisset si non admisses euntem, quam admissum non sineres proficisci. Rationibus ergos, quas ob hoc in tuis litteris expressisti, sufficeret illud Salomonicum respondere : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (*Prov.* I) nisi respondere nos oporteret ad illud, quod per litteras tuas suppliciter postulasti, ut, vel a proposito coronationis illius desisteremus omnino, A vel saltem tandiu cessaremus, donec discordia inter vos, judicio posset, vel arbitrio terminari, cum tu paratus existas judicio, vel arbitrio legati nostri parere. Reddemus ergo paucissimas de plurimis rationes, ne nimis expressa responsio te nimium conturbaret. Cum enim cardinalis prædictus in regno tuo longam fecerit moram, et tam a te, quam ab aliis non solum honeste receptus, sed et magnifice fuerit honoratus, profecto non posset esse mediator communis ad concordiam reformandam aut judex æqualis ad controversiam dirimendam, nisi pari modo in terra sua reciperetur ab illo, ut omnis suspicio tolleretur. Præterea, non posset illum compellere ad faciendam concordiam, vel justitiam exhibendam, antequam jugum suspiceret apostolicæ disciplinæ, nostroque se subjiceret magisterio et præcepto. Ad hæc, cum idem legatus procedat ad propagandum Christianæ fidei sacramentum, et promovendum apostolicæ sedis honorem, si forsan impedires eumdem, profecto divinam indignationem incurreres, et nostram mereréris offensam, illumque tibi redderes amplius inimicum, nihilque proficeres, quia nos modo alio possemus nostræ voluntatis propositum adimplere. Attende nihilominus dilligenter quale denique reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in regem, et tale nos reputare cognosce, si tu impedire coneris ne filius noster spiritualis in regem valeat coronari ; filius, inquam, prodigus, qui olim cum meretricibus vivendo luxuriose substantiam dissipavit, sed tandem ad se ipsum reversus patrem revertitur, qui accurens *amplectitur* (362), et osculatur filium revertentem, præcipiens servis suis, ut eum induant stolam primam, et dent annulum in manu ejus, et calceamenta in pede ipsius, occidantque vitulum saginatum ut manducent, et epulentur, quia filius ejus mortuus fuerat, et revixit, perierat et inventus est. Qualiter ergo pater indignationem sedaverit filii senioris, parabola te doceat evangelica, cujus doctrinam te cupimus, et in hoc et in aliis imitari. Quod si forsitan verearis, ne postquam coronam acceperit, insolentior fiat subito sublimatus, scire *debes* (363) pro certo, quod non tantum ex procurata fraude proficeret, quantum deficeret ex fide mentita, nosque minus dicimus tibi, ut tu intelligas per te magis. Ad quintum ergo capitulum, respondemus quoniam, etsi scripseris, quod de iis, qui sedis apostolicæ sententiam contemnentes, tibi sub securitate nostra contra fraudem inimicorum nil providenti, Jaderam destruxerunt, elapso jam fere biennio, nihil adhuc justitiæ super tam irreparabili damno per Romanam Ecclesiam consequi potuisti ; unde, si permitteres prædictum Joannitium coronari, antequam inter te et ipsum discordia sopiretur,

(357) Sic, et cod. Reg. et Pod, cit. a Baluzio ; in Gest. *sed.*

(358) Gest. *Megajuppanus.*

(359) Sic, et in Gest. cod. Pod. cit. a Baluzio, *serenitati.*

(360) Gest. deest.

(361) Sic in Gest. in apogr. Conti *destinasti.*

(362) Sic in Gest. apogr. Conti, *amplexat.*

(363) Gest. *te decet.*

nunquam amplius per Romanam Ecclesiam tibi possel justitia exhiberi, nolumus te, fili charissime, ignorare, quod tam stolium Venetorum, quam Francorum exercitum propter destructionem Jaderæ anathematis vinculo curavimus innodare. Cumque majores exercitus Gallicani absolutionis beneficium postularent, non prius potuerunt absolvi, quam juraverint nostris *stare* (364) mandatis, et obligaverint non solum se ipsos, sed suos etiam successores per litteras authenticas et patentes, quod ad mandatum nostrum super illo excessu satisfacere procurabunt. Quia vero... dux Venetorum, et sui nondum absolutionis gratiam postularunt, nos in tantum jam processimus contra eos, quod dilectum filium....... suum patriarcham electum, noluimus consecrare; imo cum ad nos personaliter accessisset, remisimus eum non sine multo pudore confusum. Significavimus quoque tibi, ut apud Jaderam, quæ hactenus cum tota provincia sua subjecta fuit patriarchæ Graden. faceres electionem canonicam de persona idonea celebrari, et electum ad nos consecrandum, et palliandum dirigeres, ut sic inciperemus punire superbiam Venetorum. Pari modo prædictus Joannitius puniretur, si post susceptionem coronæ nollet super discordia, quæ vertitur inter vos, arbitrio, vel judicio legati nostri parere, fierentque novissima sua deteriora prioribus, et error novissimus pejor priore. Quia vero quantumque sæpedictum Joannitium diligamus, te tamen diligimus incomparabiliter magis; modum, sicut credimus, invenimus congruentem, per quem honori, et juri tuo debeat provideri, sicut per litteras, quas super hoc modo dirigimus, advertere poteris evidenter. Quocirca, serenitatem regiam rogamus attente, et monemus, quatenus, Deo dans gloriam et nobis honorem, non impedias propagationem fidei *catholicæ* (365), nec dilationem apostolicæ sedis, cujus consilium experieris absque dubio fructuosum.] Hactenus regi prædicto. De cætero devotioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus prædictum Joannitium non super alienam terram, sed super propriam corones in regem, et ad terminandam discordiam, quæ vertitur inter ipsum, et prædictum regem Ungariæ, cognita plenius veritate, justitia mediante, procedas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, firmiter observari.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kalendas Octobris.

CXXVIII.

.....ILLUSTRI REGI UNGARIÆ.

*De electione abbatis S. Egidii de Ungaria.*

(Apud S. Petrum, XVIII Kal. Octobris.)

Venientes ad apostolicam sedem dilecti filii, H... G... A... et D... monachi Sancti Egidii de Ungaria, nobis lacrymabiliter intimarunt quod, eorum abbate defuncto, alium sibi, secundum antiquum et approbatum morem sui monasterii, elegerunt, quod hactenus tam abbates quam monachos consuevit habere Latinos; sed, tu, fili charissime, quod cum devotione ac reverentia retulerunt, regium sibi noluisti præbere consensum affirmans quod in alium quam Ungarum minime consentires. Venerabilis autem frater noster, B... Spalatensis archiepiscopus, hoc attendens, ad præsentiam tuæ serenitatis accessit et monasterium ipsum velociter impetravit, de quo, si verum est, valde miramur, qui, licet professione sit monachus, et natione Latinus, cum tamen pontificis gerat officium, abbatis non debuit ministerium usurpare, præsertim et in aliena diœcesi, et per laicam potestatem; qui, non multo post, cum servis monasterii memorati, monachos universos super thesauro monasterii apud regiam celsitudinem graviter accusavit, sed ipsi, voluntatem præsentientes illius, statim, ipso præsente, cuidam homini tuo, quem ipse secum adduxerat, et multis aliis bonis viris, thesaurum Eclesiæ non solum integrum assignarunt, sed etiam augmentatum. Verum, idem archiepiscopus, voluntatem suam cupiens adimplere, opportunitate captata, in eos armata manu irruit violenter, et quosdam ex ipsis manu propria flagellavit, quosdam vero conjecit in vincula, cunctisque penitus destitutis, monachos Ungaros pro sua instituit voluntate, appellationi non deferens, quam idem monachi super tanto gravamine ad sedem apostolicam emiserunt, terminum in Assumptione beatæ Mariæ proximo præteritæ præfigentes. Quia vero nec novum est nec absurdum ut in regno tuo diversarum nationum conventus uni domino sub regulari habitu famulentur, licet hoc unum sit tibi Latinorum cœnobium, cum tamen ibidem sint multa Græcorum, serenitatem regiam rogamus attentius et monemus, quatenus, in statum debitum revocato quod non tam proprio motu quam alieno consilio diceris concessisse, non impedias, nec impediri permittas, quominus, prædicti monachi secundum consuetudinem hactenus observatam, assumant sibi personam idoneam per electionem canonicam in abbatem. Nos enim, venerabili fratri nostro... Waradiensi episcopo, et dilectis filiis........ abbati de Buccano, et.... præposito Strigoniensi, damus firmiter in mandatis, ut, inquisita diligentius veritate, si rem invenerint taliter processisse, nisi prædictus Spalatensis archiepiscopus ad commonitionem eorum excessum suum per se ipsum curaverit emendare, ipsi ei pro tanta præsumptione canonicam pœnam infligant, et, eo a prælibato monasterio prorsus excluso, faciant illud juxta formam præscriptam, appellatione postposita, ordinari; contradictores, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVIII Kalendas Octobris.

*Illis scriptum est super hoc, districte præcipiendo*, ut, omni gratia et timore postpositis, etc.

(364) Sic in Gest. Apogr. Conti, *parere.*

(365) Gest. *Christianæ.*

*Scriptum est* B.., Spalatensi archiepiscopo, *in eumdem fere modum, usque* præfigentes. Ecce qualiter ecclesiasticam libertatem diligis et defendis, qualiter apostolicæ sedis honorem promoves et procuras, qualiter pontificalem modestiam exhibes et observas, qualiter monasticam regulam prosequeris et zelaris! Certe, nisi præscriptos excessus per te ipsum corrigas et emendes, et a similibus abstineas, et attendas, nos, quanto familiarius te diligimus, tanto districtius puniemus, ut pœna unius sit cautela multorum, et justi lavent manus suas in sanguine peccatoris.

CXXIX (366).

........ILLUSTRI REGI SICILLÆ.

*Mittit G. tituli S. Adriani presbyterum cardinalem, ut ea tractet quæ sunt tractanda cum ipso rege et pacem componat.*

(Romæ, IV Non. Octobris,)

Regiæ celsitudinis litteras, quas nobis per dilectum filium..... abbatem de Refesia, et Alb. præpositum, adjunctis sibi venerabili fratre nostro Anselmo (367), Neapolitano archiepiscopo, et dilecto filio, Thoma de Gaieta, regio justitiario, destinasti, paterna benignitate recepimus, et quæ significata sunt nobis tam per nuntios quam per litteras, notavimus diligenter, gaudentes in eo, qui est Dei virtus et sapientia, quod de die in diem sicut ætate sic etiam sapientia proficis et virtute. Cum igitur ad honorem et salutem personæ tuæ, regni quoque tui tranquillitatem et pacem efficaciter aspiremus, misimus nuper ad tuæ serenitatis præsentiam dilectum filium, G. (368) Sancti Adriani diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum providum et honestum, qui vice nostra illa tractet et agat, quæ tam tibi quam regno tuo debeant expedire. Unde, nos ea quæ per nuntios memoratos oblata et postulata fuerunt, referimus ad eumdem, exprimentes ei nostræ beneplacitum voluntatis, ut utrinque concessis quæ fuerint opportuna, pax procuretur et salus, ne miserabile regnum continuis guerrarum cladibus destruatur. Quocirca, serenitatem regiam rogamus attentius et monemus, quatenus ejusdem cardinalis consiliis et monitis acquiescas, sciturus pro certo, quod nos, qui pro defensione personæ ac terræ tuæ multos et magnos labores hactenus sustinuimus, grandes quoque fecimus ac graves expensas, nunquam tibi deerimus, quin, ad honorem et profectum tuum efficaciter intendentes, contra malignantum incursus apostolicum tibi patrocinium impendamus.

Datum Romæ, etc., IV Nonas Octobris.

CXXX (369).

NOBILI VIRO, W. CAPARONI SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*De eodem argumento ac in epistola superiori.*

(Romæ, IV Non Octobris.)

Quoniam Marcualdus cum fautoribus suis excommunicationis fuit vinculo innodatus, et tu ei pro posse favisti, mirari non debes, si tibi, antequam absolutionis gratiam merearis, salutationem et benedictionem apostolicam denegamus. Recepimus tamen benignitate paterna nuntios, quos cum litteris regiis ad nostram præsentiam destinasti, et quæ non tam promissa, quam requisita fuerunt, pensavimus diligenter. Porro, si non solum ex æquo, verum etiam e vicino respondissent postulatis oblata, satisfecissemus utique postulatis, cum ad regis salutem, et regni pacem efficaciter aspiremus tuum quoque, si per te ipsum non steterit, procurare velimus honorem pariter et profectum. Sperantes igitur, quod tu, intellecto beneplacito nostro, sine difficultate debeas nostræ acquiescere voluntati, tractatæ pacis negotium ad dilectum filium, G..... Sancti Adriani, diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, duximus referendum, quem in Siciliam ad regis præsentiam curavimus destinare. Quocirca, nobilitatem tuam monemus attentius, per apostolica tibi scripta mandates, quatenus ejusdem cardinalis monitis et consiliis acquiescas, et ad consummationem pacis utique necessariæ cum eodem cardinale, cui beneplacitum nostrum expressimus, diligens studium, et operam efficacem impendas, sciturus pro certo, quod apud Deum, et apud homines, et in præsenti, et in futuro gratia nostra tibi poterit plurimum esse fructuosa. Sin vero, correctionem, et admonitionem divinam et indignationem apostolicam poteris gravissime formidare.

Datum, *ut in alia.*

CXXXI (380).

L. REGIO PROTONOTARIO

*De argumento simili.*

(Romæ, IV Non. Octobris.)

Licet Marcualdus cum fautoribus suis excommunicationis vinculo fuerit innodatus, quia tamen nescimus utrum faveris illi præsertim in malo, cum potius audierimus, quod fidelis et devotus nobis existas, salutationis et benedictionis nostræ tibi gratiam impertimur, super quo tamen si conscientia te remordet, per dilectum filium, G. Sancti Adriani diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, facias te absolvi. Ut ergo devotioni tuæ debitum gratiarum non tam verbo quam opere rependamus, discretionem tuam rogamus attentius, et monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus erga matrem tuam, Romanam Ecclesiam, de bono procedens in melius, ea satagas operari, quæ ad honorem et profectum ejus accedant, regis quoque ac regni pacem respiciant et salutem; sciturus pro certo quod nos gratia tibi vicissitudine curabimus respondere, ita quod de gratia nostra merito poteris gloriari.

Datum, *ut in alia.*

(366) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 75. Vide etiam Gesta Innocentii, § 38.

(367) Lib. III, epist. 49 not.

(368) De eo jam egimus supra.

(369) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 75.

(370) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 75.

## CXXXII.

..... LEMOVICENSI EPISCOPO (371).

*Ut magistrum W. Brunater, in canonicum in ecclesia Engolimen. recipi faciant.*

(Romæ, Non. Octobris).

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius, magister W. Brunater. pro quo canonicando in Engolismensi ecclesia scripseramus (372), nostris auribus intimavit, quod cum venerabilis frater noster Henricus, Xanctonensis episcopus (373), et dilectus filius G., subdiaconus noster, archidiaconus Alniniensis, quos super Engolimensi canonica exsecutores concesseramus eidem, diutius apud ejusdem ecclesia canonicos laborarint, ut de ipso canonicando magistro mandatum apostolicum adimplerent, eisdem canonicis non admittentibus monitiones eorum, nec proponentibus rationabile aliquod, cur a mandati nostri executione cessarent, ipsum magistrum, auctoritate nostra suffulti, de ipsa canonica investire curarunt, contradictores excommunicationis sententia innodentes, sed ipsi canonici eum recipere contempserunt; unde, nobis idem magister graviter querebatur. Arnaudus vero Chatet, clericus, ab ipsis canonicis destinatus, proponebat econtra, quod ipsi exsecutores favorabiles erant nimium jam dicto magistro, et ecclesiæ ipsi suspecti, ac tu, qui juxta mandatum apostolicum debueras arbitros eligere non suspectos, per quos de suspicione inquireretur exsecutorum ipsorum, tales pro tuo beneplacito elegisti, qui exsecutores ipsos reverebantur in tantum, ut potius eos super isto facto et alio justos esse assererent quam suspectos. Proposuit etiam idem Ar... quod, cum ecclesia ipsa sit viduata pastore, ad receptionem ipsius magistri compelli capitulum non debebat, cum ipsum, vel alium, dum vacaret Ecclesia, recipere non valerent, nec etiam ad ipsum recipiendum suppetebant Ecclesiæ facultates, unde ipsam ecclesiam ab ejus impetitione, petebat absolvi. Verum, cum idem Ar... requireretur a nobis, si proponere vellet aliquid in personam, aut aliquid coram prælatis exsecutoribus fuisset propositum contra eum, respondit quod nihil contra eum proponere intendebat nec sciebat aliquid fuisse propositum, nisi quod eum Ecclesiæ facultates non poterant sustinere. Nos igitur, attendentes quod liberalis et larga debet esse manus principis ad beneficia conferenda, ipsum magistrum, cujus provisione benignius inten-A dere cœperamus, de canonica Engolismensis ecclesiæ manu propria curavimus investire; et, ut eidem ecclesiæ parceremus, cujus facultates propter guerrarum discrimina diminutæ dicebantur ad præsens, injunximus ei, ut tandiu a perceptione fructuum abstineret, donec de ipsis, secundum solitum cursum Ecclesiæ, illi sicut et aliis, debita et consueta provisio posset impendi. Ideoque, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus ipsum magistrum a canonicis ipsis, auctoritate nostra suffultus, nullius contradictionis et appellationis obstaculo, facias tanquam canonicum suum et fratrem benigne tractari, et recipi ac illa plenissime quæ pertinent ad canonicatus honorem; contradictores per suspen-B sionis et excommunicationis sententiam, appellatione remota, compescens, et faciens sententiam quam protuleris, per Engolismensem diœcesim solemniter publicari. De facultatibus autem ipsius ecclesiæ inquiras deligentius veritatem, et, si eas secundum consuetudinem observatam sufficere posse cognoveris, facias ei de illis, sicut uni ex aliis, provideri. Alioquin si eas constituerit adeo immunitas, quod secundum cursum consuetum ecclesiæ provideri non possint, eidem tu, postquam ad illum statum redierint secundum quem possit consueta provisio singulis ministrari, canonicos ipsos, vel eos qui pro tempore fuerint, ut eidem magistro canonicalem portionem impendant, per districtionem ecclesiasticam appellatione remota compellas.

C Datum Romæ, etc., Nonis Octobris, anno septimo.

## CXXXIII (374).

NOBILI VIRO, RICCARDO, GERMANO NOSTRO.

*Diversas possessiones ipsi confirmat.*

(Apud S. Petrum, VII Id. Octobris.)

Ex publico instrumento scripto per manum Astaldi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriniarii, cognovimus evidenter quod Rolandus (375), presbyter cardinalis tituli Sancti Marci, Romanæ Ecclesiæ cancellarius, et Boso, sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis (376), felicis memoriæ Adriani papæ, prædecessoris nostris, camerarius, ex mandato ejus et voluntate concesserunt, et investientes tradiderunt in feudum Odoni de Polo et D hæredibus ejus legitimis, et hæredibus hæredum suorum, quos in testamento sibi constituerent, in

(371) Vide epistolam libri quinti, 68, not.

(372) Tide epistolam libri quinti 133.

(373) Lib. v, edist. 96, not.

(374) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 77.

(375) Rolandus Bandinellus, filius Ranutii, nobilis Senensis, ex clerico Ecclesiæ Pisanæ subdiaconus apostolicus primum, deinde ab Eugenio PP. III, in prima creatione, anno 1185, tituli SS. Cosmæ et Damiani diaconus, posteo ab eodem tituli S. Marci presbyter cardinalis, et S. R. E. cancellarius renuntiatus, demum Romanus pontifex electus, Alexander III dictus fuit. OLDOIN ad Ciacon. tom. I, col. 1044.

(376) Boso, natione Anglus, Adriani PP. IV nepos et scriba, ex monacho S. Benedicti ad S. Albanum tit SS. Cosmæ et Diamani diaconus, ac S. R. E. camerarius, ab Adriano PP. IV in prima creatione anno 1155, deinde ab Alexandro PP. III, S. Pudentianæ titulo pastoris presbyter cardinalis renuntiatus est. Adriano PP. IV gratissimus fuit, eoque defuncto, præcipuus auctor electionis Alexandri III fuit, quem semper secutus est, et præsertim Venettas, atque omnibus pacis actionibus functus est. Obiit circa annum nostræ salutis 1181: vir pius et eruditus, et qui inter præcipuos sui temporis theologos a scriptoribus Anglis merito numeretur. OLDOIN ad Ciacon, t. I, col. 1064.

perpetuum, videlicet Polum Justinianum, Anticulum, Roccam de Niblis, Montem-Magnum, Guadannolum, Sarracenescum, Roccam de Sorrecis, Castellum novum, cum omnibus pertinentiis et utilitatibus suis, tali tenore, quod ipse, ac hæredes sui, et hæredes hæredum suorum, in perpetuum, prædicto Romano pontifici, et successoribus suis, sine alio feudo fidelitatem præstarent, ita quod idem pontifex, et successores ipsius, prædicto nobili et hæredibus suis non possent prædictum feudum auferre, nisi nobilis ipse, vel hæredes ipsius, in eum vel successores ejusdem aliquid tale committerent, propter quod judicio bonorum suorum parium, non habentium inimicitias contra ipsos, feudum deberent amittere prælibatum. Cum igitur prædictus Odo, et Gregorius, filius ejus, prædecessoribus nostris qui pro tempore fuerant, pro supradicto feudo fidelitatem jurassent, et illud ultra quadraginta annos per Romanam Ecclesiam possedissent; tandem temporibus nostris, dilectus filius.... abbas monasterii Cliviscauri, prænominatum Odonem et Gregorium, filium ejus, coram senatore urbis impetens, eos super terris præscriptis traxit in causam, qui, ad nostram præsentiam recurrentes, postulaverunt instanter a nobis, ut eos super feudo quod ab Ecclesia Romana tenebant, non permitteremus coram alio conveniri, sed potius feudum ipsum defenderemus eisdem. Nos igitur, eos a senatus curia retrahentes, quia non poteramus prædicto monasterio justitiam denegare, causam inter eos in curia nostra tractandam commisimus bonæ memoriæ Saxoni, judicum primicerio, et Petro, Joannis Adæ advocato, nec non Marsicano, subdiacono nostro, coram quibus in Lateranensi palatio per advocatos suos aliquandiu disceptarunt. Interim, autem prædictus Odo de Polo, vivente patre ac post decessum ipsius, su er conjugali copula contrahenda inter filium tuum et filiam suam tecum cœpit habere tractatum, et, multis pactis intercedentibus, tandem coram venerabili fratre nostro, Octaviano, Ostiensi episcopo (377), ipsoque mediante, apud Sanctam Martinam in ejus palatio ad invicem convenistis. Cumque præscriptam terram, quam ipse ac progenitores ipsius multis debitis obligaverant, tua debitorum onere liberasses, ipse ac fratres ejus, qui, cum terra subjaceret debitis obligata, vix poterant ex ea tenuem ducere vitam, cœperunt ad eam anxius aspirare. Vitam, cum suam contra te querelam proponerent coram nobis, tu sæpissime respondisti, quod paratus eras sub examine nostro, vel fratrum nostrorum, aut judicum, vel etiam ad arbitrium bonorum virorum sive communium personarum, plenariam eis justitiam exhibere, nosque necessarios sibi sumptus in lite promissimus misericorditer elargiri. Sed ipsi, pravo ducti consilio, cœperunt non solum contrate te, verum etiam contra nos multa confingere falsa, ut quasi sub specie pie-
A tatis clamorem populi concitarent, ita quod nudati per urbem frequenter cum crucibus ad ecclesias discurrebant. Et, licet prohibiti fuissent a nobis ne contra non tale aliquid attentarent, ab incœpto tamen desistere noluerunt, sed pejora prioribus attentantes, secunda feria post Pascha, tumultum et seditionem populi concitarunt, ita, quod blasphemis clamoribus incessanter emissis, in ipsa Beati Petri basilica divinum officium perturbarunt. Et, cum de more coronati reverteremur per urbem, quot et quantas sustinuerimus insidias et injurias, referre nos pudet, quamvis pene omnibus fuerint manifestæ. Porro, nec his contenti fuere, sed, ut error novissimus esset pejor priore, cum Romanus populus quibusdam subreptionibus esset coram senatore
B in Capitolio congregatus, sæpedictam terram, ad jus et proprietatem sedis apostolicæ pertinentem, verbo, quia facto non poterant, et scripto, quia jure nequibant, senatui populoque Romano, quantum in eis erat, concedere præsumpserunt. Sed nos, incontinenti, jus nostrum, convocato populo, per quosdam fratrum nostrorum fecimus protestari; et, ne jus Ecclesiæ deperiret, præcepimus tibi ut terram ipsam per Romanam Ecclesiam recognoscens, eam defenderes et munires. Verum, ipsi, cum complicibus suis, falsis contra te commentis populum seducentes, ipsum adversum te adeo commoverunt, ut, armis ad conflictum assumptis, turrem tuam acriter expagnarent, ita quod eam, te vix tandem per fugam liberato, ceperunt, et adhuc quidam sub nomine communitatis detinent occupa-
C tam, multis, tam tibi quam adjutoribus tuis, damnis et injuriis irrogatis. Licet ergo filii Gregorii de Polo nos et Romanam Ecclesiam vehementer offenderint, eis tamen præjudicare minime volumus, cum nondum in curia nostra fuerint judicati. Verum, paterna tibi volentes sollicitudine providere, de communi fratrum nostrorum consilio et assensu, concedimus et mandamus, ut terram præscriptam teneas et possideas, donec de damnis, quæ te propter hoc incurrisse monstrabis, et expensis, quas te fecisse propter idem ostendes, maxime postquam tibi præcepimus, ut terram ipsam ad opus Ecclesiæ Romanæ defenderes et munires, tibi fuerit congrue satisfactum, salva tibi nihilominus omni alia ratione, quamcunque habes in terra prædicta, ita, quod tu de ipsa
D facias guerram et pacem ad mandatum Romani pontificis, et ipse te manu teneat, et defendat, sicut, secundum bonam et approbatam consuetudinem dominus debet defendere, ac manutenere vassallum. Tu vero, de terra ipsa nullam transactionem facere attentabis, absque ipsius licentia speciali, quam tamen ipse tibi concedet, si vel urgens necessitas, vel evidens utilitas postulabit. Quia vero inter Ecclesiam Romanam, et urbem, et te, ac nobiles memoratos pacem et concordiam affectamus, si forte necessitas faciendæ pacis exegerit, ut ipsam terram,

(377) De eo jam dictum est sæpius.

vel partem ipsius accipiamus ad manus nostras, tu A recepta satisfactione pecuniæ, vel excambio competenti, eam nobis propter hanc causam tradere procurabis. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VII Idus Octobris.

CXXXIV (378).

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS, PER FRANCIAM CONSTITUTIS

*Ipsos a sententia interdicti ab abbate.... Casemarii, in negotio pacis inter reges Angliæ et Franciæ, lata immunes pronuntiat* (379).

(Laterani, VII Id. Augusti.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod cum dilectus filius, abbas Casemarii, nuntius noster, vos Meldis ad colloquium convocasset, exhibitis B litteris, quæ vobis pro reformanda pace inter charissimos in Christo filios nostros, Ph. Francorum, et J... Anglorum reges illustres a sede apostolica mittebantur, habito concilio respondistis quod cum prædictus rex Angliæ juxta nostrarum continentiam litterarum minime processisset, vos, propter perplexitates multas et magnas calamitates, quas imminere verebamini Ecclesiæ Gallicanæ, nos consulere decrevistis, et, ne interim præfatus abbas procederet, ad nostram audientiam appellastis, certum appellationi terminum præfigentes, ad quam prosequendam, data fide in manu ejusdem abbatis, vos per pacis osculum astrinxistis, ita quod post terminum esset ab officio pontificali suspensus, si quis appellationem ipsam in termino prosequi non cura- C ret, præsentibus nuntii regis vestri, qui hoc ipsum vobiscum pariter approbabant. Utrum autem præfatus abbas exegerit hujusmodi cautionem, an vos spontanei obtuleritis, ignoramus. Commendamus tamen et in illo zelum, si gratis recepit oblatam, et in vobis devotionem, si spontaneam obtulistis. Verum, quia fidem et obedientiam vestram nos, et prædecessores nostri sumus frequenter experti, ut ostendamus affectum, quem non solum ad vos, et ecclesias Gallicanas, verum etiam ad ipsum regem, ac regnum Francorum habemus, nolumus vos hoc vinculo tenere ligatos, sed appellationem interpositam prosequamini, prout regno et sacerdotio noveritis expedire, quia nos ita volumus sacerdotii jura integra conservare, ut etiam regni jura custodiamus illæsa. D

Datum Laterani, VII Idus Augusti, anno septimo.

CXXXV (380).

G. SANCTI ADRIANI DIACONO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*De eodem argumento ac in epistola hujusce libri septimi* 129.

(Apud S. Petrum, IV Non. Octobris.)

Recepimus nuntios quos ex parte regia Willelmus Capparonis nuper ad nostram præsentiam destinavit, abbatem videlicet de Refesia, et Albertinum præpositum, quibus per mandatum regale feci adjungi venerabilem fratrem nostrum, Anselmum, Neapolitanum archiepiscopum, et dilectum filium, Thomam, regium justitiarum de Gaieta, diligentique meditatione pensavimus quæ per eos petita sunt, et oblata, insuperque promissa, quæ omnia cum iis quæ requisivimus schedula continet interclusa. Volentes autem tibi deferre, cui commisimus vices nostras, noluimus eis finale dare responsum, sed ad te cuncta decrevimus referenda, discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus, statu Siciliæ prudenti meditione pensato, tractatum pacis aut consummes, aut rumpas, seu protrahas, sicut videris expedire, quod totum idcirco tuæ discretioni sub trina disjunctione committimus faciendum, quia tu plenius causarum et temporum, nec non rerum, ac personarum potes circumstantias intueri. Tu ergo, de plenitudine gratiæ nostræ securus, Deum habens præ oculis, nos etiam, ac te ipsum, et tam apostolicæ sedis honorem, quam regis salutem, et regni quietem attendens, studiose procedas ad omnia cum illorum concilio, quos fideles expertus es ac devotos, primam a Deo, et secundam a nobis recepturus pro tuo labore mercedem. Ad hæc scribimus universis, quibus scribendum per tuas litteras suggessisti, per apostolica tibi scripta mandantes, ut negotium Romanum et Messanen. studeas temperare, prout necessitas postulaverit utrorumque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Non. Octobris.

CXXXVI (381).

P. EPISCOPO PANORMITANO ELECTO (382-83).

*Ipsum ad pacem comperendam hortatur.*

(Apud S. Petrum, III Non. Octobris.)

Cum gratiam nostram sis in multis expertus, dubitare non debes quin personam tuam in Domino diligamus, et cum in nobis virtus constantiæ sit probata, mobilitatis non debet vitium formidari. Verum, discretio, quæ virtutum est condimentum, inter adversos eventus diversa nos cogit pro tempore temperare. Tu ergo, de gratias nostra securus, ea studeas operari, per quæ magis ac magis in te fidei puritas, ac devotionis sinceritas elucescant, quia nos nihil, auctore Deo, quantum homini datur, de contingentibus omittemus, quin erga fideles et devotos ex una parte, ac infideles et indevotos ex altera, æquitatis lance pensata, regio tramite procedamus. Quia vero frequenter angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis, non facile credas omni spiritui, donec veraciter probes utrum hujusmodi spiritus sit ex Deo, ne forte, maligno deceptus errore, dicas bonum malum, aut malum bonum,

(378) Vide Gesta Innocentii, § 129. Vide etiam Raynaldum, ad annum 1204, § 67.

(379) Vide epistolam hujusce libri septimi 44.

(380) Vide Raynaldum ad annum 1204, § 75. Vide etiam notas ad epistolam hujusce libri septimi 129.

(381) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 75. Vide etiam notas ad epistolam hujusce lib. septimi 129.

(382-83) Lib. V, epist. 29, not.

ponasque lucem tenebras, aut tenebras, lucem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Non. Octobris.

CXXXVII.

..... ILLUSTRI REGI UNGARIÆ.

*Gratulatur quod legato transitum concesserit; hortatur ut eum benigne et honorifice tractet* (384).

(Apud S. Petrum.)

Gratum gerimus, et acceptum, et serenitatem tuam in Domino commendamus, quod licet primo quibusdam occasionibus motus, dilecto filio, L. tituli Sanctæ Crucis presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, transitum feceris denegari, ne procederet ad coronandum Joanitium, dominum Bulgarorum, donec controversiam quæ inter te et illum, super terrarum terminis vertitur, judicio vel concordia terminares, postmodum tamen, ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram, usus concilio saniori, ei transeundi pro voto concessisti liberam facultatem. Sane, quam cito verbum illud ad aures nostras pervenit, quasi prævidimus et prædiximus quod nunc videmus, et gaudemus impletum, quod videlicet non receptis litteris nostris, nec etiam tuis nuntiis exspectatis, corrigeres per te ipsum quod in injuriam apostolicæ sedis videri poterat attentatum. Cum igitur cardinalem prædictum devote receperis, et honorifice pertractaris, ut bonum initium meliori fine concludas, celsitudinem tuam rogamus attentius et monemus, quatenus eum in reditu suo benigne recipiens et honeste pertractans, per regnum tuum facias secure conduci, ut, et ipse, qui magnum in Ecclesia Dei obtinet locum, et nobis inter cæteros fratres nostros charus existit, ad honorem et profectum tuum fortius obligetur, et nos, qui personæ nostræ reputamus impensum quidquid honoris exhibetur eidem, magnificentiam tuam propter hoc debeamus propensius commendare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum.

CXXXVIII.

ARCHIDIACONO PAPIENSI.

*Ut in causa, quæ inter Guillemum de Tabiaco et abbatem de Clavat. Mediolanensis diœcesos vertebatur et ipsi commissa fuerat, procedere possit.*

(Apud S. Petrum, Non. Octobris.)

Significante dilecto filio, Guillelmo de Tabiaco, nos accepisse cognoscas, quod cum ipse, et.... abbas de Clavat. Mediolanensis diœceseos, super quodam feudo sub examine venerabilis fratris nostri, Mediolanensis archiepiscopi (385), judicis ordinarii, litigarent, idem archiepiscopus eamdem causam P. Menelotio, canonico Mediolanensi, commisit fine debito decidendam, qui contra eumdem G... sententiam promulgavit, a qua fuit ab ipso G... ad nostram audientiam appellatum. Quamvis autem procurator ipsius, ad apostolicam sedem accedens, ad te commissionis litteras impetraverit, nullam de appellatione prædicta facientes mentionem, ne tamen propter hoc tua possit jurisdictio impediri, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, legitime in appellationis causa procedens, sententiam ipsam, appelatione remota, sicut justum fuerit, confirmare vel infirmare procures. Nullis litteris veritati, etc

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Octobris.

CXXXIX (386).

..... ARCHIEPISCOPI BREMENSI (387), ET SUFFRAGANEIS EJUS, ET ABBATIBUS, PRIORIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, IN BREMENSI PROVINCIA CONSTITUTIS.

*Ut fideles ad se contra Livoniæ barbaros cruce signandos invitet*

(Apud S. Petrum, VI Id. Octobris.)

Etsi verba evangelizantium pacem, et evangelizantium bona in omnem terram exierint, et in fines etiam orbis terræ, ita quod mundus merito argui possit de justitia et peccato, Behemoth tamen sub umbra calami dormiens, qui cum flumen absorbeat non miratur, sed fiducim habet quod Jordanis influat in os ejus, sic quosdam a veritatis lumine reddidit alienos, et mentes infidelium excæcavit, ut illuminatio Evangelii gloriæ Christi fulgere non possit in illos, nec ipsi eum cognoscere valeant, qui splendescere de tenebris fecit lucem, traditi in reprobum sensum, ut ira Dei de cœlo super impietatem eorum et injustitiam reveletur, eo quod in injustitia detinent veritatem. Licet enim lumen vultus Dei signatum sit super eos, ut invisibilia ejus possent conspicere intellecta, quia tamen, cum cognovissent Dominum, ipsum sicut Deum glorificare minime curaverunt, facti sunt velut arida in Adæ opere maledicta, spinas et tribulos germinans, quæ fructum afferre debuit tricesimum, sexagesimum, et centesimum. Verum, Dominus, qui non angelos sed semem Abrahæ apprehendit, ut fieret pontifex fidelis ad Deum, ne omnino perderet quod crearat, dedit in solitudine cedrum, spinam, myrtum pariter et olivam, ut terram sine aqua in aquarum exitu collocaret. Sane, cum Livonum gens usque ad hæc tempora fuisset infidelitatis tenebris involuta, et ad agnitionem non venerit veritatis, ut quasi solitudo fructum boni operis non afferret, nuper in ea Dominus misit sanctæ prædicationis fluenta, ut ipsam, ad quam, pro asperitate propriæ siccitatis, via prædicatoribus non patuit usquemodo, acquis quæ pertranseunt inter medium mon-

(384) De argumento hujus epistolæ, vide epistolas hujusce libri septimi 126, et sedd. cum notis.

(385) De eo jam dictum est sæpius.

(386) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 56.

(387) Erat is, verisimiliter, Gerardus, comes de Lippia, qui, primo episcopus Osnaburgensis, bellum cum Stettingis, Christiani nominis hostibus, tempore Friderici imperatoris gessisse, deinde, ad metropolitanam Bremensium, sedem (quo anno incertum) translatus, an. 39 præfuisse dicitur. BUCELIN, *German. sacr.* tom. I, part. I, pag. 32 et 55 [33].

tium feliciter irrigaret, ex quibus jam bestiæ agri potaut, quas Petrus mactans incorporando fidei catholicæ manducavit. In ipsa siquidem Dominus dedit cedrum, eos videlicet qui virtutibus præminent et Christi sunt bonus odor, spinam et posuit in eadem, ut per sanctæ prædicationis officium et comminationem judicii, mentes ipsorum compunctionis dolore quasi quibusdam aculeis perforentur, qui lacrymas quasi sanguinem animæ ab eorum oculis faciant emanare. Myrtum quoque posuit et olivam, eos videlicet qui desolatos consolari valeant in pressura, ne pro immoderata tribulatione desperent, et illos qui, misericordiæ operibus insistendo, indigentibus satagant subvenire. Verum, qui ex parte compluit Dominus terram illam, et ex parte ipsam reliquit hactenus incomplutam, venerabilis frater noster, Al eorumdem episcopus, ad conversionem illorum operam tribuens efficacem, tres religiosorum ordines, Cisterciensiem videlicet, monachorum, et canonicorum regularium, qui, disciplinæ insistentes pariter et doctrinæ, spiritualibus armis contra bestias terræ pugnent, et fidelium laicorum, qui, sub Templariarum habitu, Barbaris infestantibus ibi novellam plantationem fidei Christianæ resistant viriliter et potenter, studuit ordinare, ad agnitionem fidei revocare pro viribus satagens aberrantes. At, cum messis sit multa, operarii vero pauci, a nobis idem episcopus humiliter postulavit, ut sacerdotes et clericos circumadjacentium regionum, qui affixo suis humeris signo crucis, voverunt Hierosolymam proficisci, in messem ipsius ad annuntiandum gentibus Jesum Christum mittere dignaremur, et nihilominus laicos, qui, propter rerum defectum et corporum debilitatem, terram Hierosolymitanam adire non possunt, permitteremus in Livoniam contra barbaros proficisci, voto in votum de nostra licentia commutato. Nos igitur, ejus precibus benevolum præbentes favorem, postulata ipsi duximus indulgenda, ut sermo Dei in eos currere valeat, et Christiana religio propagari, adjicientes insuper, ut, cum dictus episcopus divini verbi seminatores in gentem illam duxerit destinandos, in quamcunque Bremensis provinciæ civitatem, castellum vel vicum intraverint, si locus ille fuerit superpositus interdicto, in eorum jucundo adventu semel in anno aperiantur ecclesiæ, et excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, divina ibi officia celebrantur, propter Evangelii reverentiam, quod assumpserunt in gentibus prædicandum, per quod, abolito vetustatis errore, ad viam ab invio, et a tenebris reducantur ad lucem, liberati a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, et ipsius revelata facie gloriam speculantes, in eamdem imaginem transformentur. Quoniam autem qui seminat et qui metit, non erit vacuus a mercede, volentes vos participes fieri mercedis eorum, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, eis in evangelizando

A præbentes auxilium opportunum, quæ a nobis eisdem misericorditer sunt indulta, per vestras parochias nuntiari et observari firmiter faciatis, ad subventionem eorum nihilominus commissum vobis populum exhortando, ut euntes flendo qui semina sua mittunt, cum exultatione veniant manipulos reportantes.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Octobris.

CXL.

.... ARCHIEPISCOPO TURRITANO.

*Ut Ytochor de Thorum, qui acolythum sibi ignotum interemerat, absolvi faciat.*

(Apud S. Petrum, III Id Octobris.)

Sua nobis Ytochor de Thorum significatione B monstravit, quod cum bonæ memoriæ.... Empuriensis episcopus, quondam acolythum a domo sua, propter excessus quosdam, et enormia quæ commiserat, expulisset, ipse, habitum adjiciens clericalem, intonso crine, et sine corona, in laicali habitu incedebat. Ipse autem.... et.... pater ejus, qui adversus eumdem Y. graves inimicitias exercebant, sibi quamdam vineam fere totaliter inciderant, quamdam in ea partiunculam relinquente. Cumque postmodum dictus acolythus partiunculam illam quæ remanserat, et quam se destructurum prædixerat, devastaret, idem Y. casu fortuito superveniens, ipsum acolythum, instigante diabolo interemit. Super quo cum injunctam sibi pœnitentiam peregisset, et tu eum adhuc excommunicationis laqueo propter hoc asseras innodatum, humiliter C postulavit a nobis, ut eum, cum ad nostram præsentiam venire non possit, faceremus absolvi. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum, secundum prædicta, ex habitu vel tonsura in eo deprehendere non potuerit ordinem clericatus, nisi per alia tibi constiterit argumenta, quod eum clericum esse cognosceret, nec tu ipsum tanquam excommunicatum evites, nec ab aliis facias evitari; alioquin, eum secundum Ecclesiæ formam absolvas, et eidem, injuncto quod talibus consuevit injungi, expensas quas facturus fuisset ad sedem apostolicam veniendo, itineris nihilominus redempto labore, in opera pietatis facias erogari.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Id. D Octobris.

CXLI.

EIDEM.

*Ne debitu, quæ conversa in usus ecclesiæ non probantur, solvere teneatur.*

(Apud S. Petrum, II Id. Octobris.)

Ad audientiam nostram, pluribus referentibus, est delatam, quod bonæ memoriæ, B. prædecessor tuus, quibusdam quædam instrumenta concessit, per quæ non modicam compelleris persolvere pecuniæ quantitatem, propter quod Turritana ecclesia incurrit non modicum detrimentum. Volentes igitur Turritanæ ecclesiæ, sicut tenemur, in-

lemnitatibus præcavere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ne debita illa solvere juxta sanctiones legitimas tenearis, quæ conversa in usus Ecclesiæ non probantur. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

### CXLII.

POPONI, PATAVIENSI ELECTO (388).

*Plebes S. Agathæ et de Stadeloit episcopoli mensæ deputatas ipsi confirmat.*

(Apud S. Petrum, Idib. Octobris.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod tres prædecessores tui propter destructionem, et inopiam episcopatus Pataviensis in Krhems (389), Sanctæ Agathæ, et in Stadeloit (389) plebes episcopali mensæ liberaliter contulerunt, quas quadraginta annorum spatio habuerunt continue, ac pacifice possederunt. Quare nobis humiliter supplicasti, ut easdem plebes tam tibi quam Ecclesiæ tuæ auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Nos igitur, tuis precibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, salvo apostolicæ sedis mandato, plebes teneas memoratas, sicut prædecessores tui noscuntur hactenus pacifice possedisse. Decernimus ergo, etc. Hanc nostræ concessionis, etc. Si quis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Octobris.

### CXLIII.

EIDEM (390).

*Jus patronatus ecclesiæ S. Mariæ Pataviensis ipsi confirmat.*

(Apud S. Petrum, Idib. Octobris.)

Cum a nobis petitur, etc *usque* ; assensu, jus patronatus ecclesiæ Sanctæ Mariæ Pataviensis in qua moniales morantur, quod Henricus, quondam imperator bonæ memoriæ, Wolfkero, prædecessori suo, et ecclesiæ Pataviensi concessit (391) intuitu pietatis, cum pertinentiis, suis, sicut illud juste possides, et quiete, tibi et Ecclesiæ tuæ auctoritas apostolica confirmamus, etc. Decernimus nostræ confirmationis, etc. Si quis, etc.

Datum, *ut in alia.*

### CXLIV.

CAROLO, CANONICO AQUILEGENSI.

*Recipit eum sub protectione.*

(Apud S. Petrum, Idib. Octobris.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu ; personam A tuam, etc., *usque* suscipimus. Specialiter autem præbendam quam habes in Aquilegensi Ecclesia sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus etc. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

### CXLV.

HERLUINO, LETHGLENNENSI EPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*Recipit eum sub protectione.*

(Apud S. Petrum, Idib. Octobris,)

In eminenti apostolicæ sedis specula, etc. *usque* providere. Eapropter, etc., *usque* annuimus, et prædictam Lethglennensem Ecclesiam, cui, auctore Deo, B etc., *usque* communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, etc., *usque* vocabulis exprimenda : Ipsam Lethglennensem civitatem, in qua cathedralis sedes est, cum ecclesiis, possessionibus, nativis et omnibus aliis pertinentiis suis ; Clavam Eidnec, cum ecclesiis, possessionibus, et nativis, et aliis pertinentiis suis ; Thechmochua, cum ecclesiis, possessionibus, et nativis, et aliis pertinentiis suis; Thechmocdoch in Nuacongbail, cum ecclesiis, possessionibus, et nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Domnachescrach, Tulaci et Collabain, cum ecclesiis, possessionibus et nativis, et omnibus pertinentiis suis ; Strutar, Glondussen, cum aliis ecclesiis, possessionibus, et nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis; Cetorlocth Stebre, cum ecclesiis, possessionibus, et nativis, et omnibus aliis pertinen- C tiis suis; Glotach, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et aliis pertinentiis suis ; Cluainerena, Achadarglaiss, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et alis pertinentiis suis ; Jurnaide, Lenidruim, Urard, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Techmolling, cum ecclesiis, possessionibus, et nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Midissel, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Berrech, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Athfadat, Cellasnad et Artingenœda, lirecellend, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Dissurtrich, Balanna, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Cellederggida, Radmor, cum ecclesiis, possessionibus, D nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis ; Tilach-

(388) Translato ad patriarchatum Aquilegensem Wolfkere (de quod vid. epist. hujusce libri septini 99), Popo, *al.* Poppo, præpositus Aquilegensis, atque, (ut Schritovinus scribit,) abbas, (cujus autem cœnobii, adhuc ignotum,) ipsi suffectus est, hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1204, sub finem mensis Junii. Obiisse primo ordinationis suæ anno, scribitur in Fastis Mellicensibus. Quidam dicunt sedisse annum unum et menses sex, obiisse die septimo Kal. Januarii, anno, non 1206 (quod non cohæret). sed 1205, HANSIZ., *German. sacr.* t. I, pag. 350. Vide etiam BUCELIN, *German. sacr.* tom. I, part. I, pag. 45.

(389) Sic legitur in apogr. Legendum forte : *In comitatibus S. A. et de S.*

(390) Vide notas ad epistolam superiorem.

(391) Habetur diploma apud HANSIZIUM, *German. sacr.* tom, I, pag. 339. Sed ibi, ecclesiam S. Mariæ (quam dicit *abbatiam*), pro prædio Mendingensi, Wolfkero tradit imperator, vel potius restituit, ob religionem in ea reformandam. Datum dicitur diplomo, *anno ab Incarnatione Domini* 1193, *ind.* XI, *regnante domino Henrico sexto, Rom. imper. invictissimo anno regni ejus* XXIII, *imperii vero secundo. Datum Spiræ per manum Sigeloi, imperialis aulæ.,..,.* (sic) *protonotarii*, *in sancta die Paschæ*, V Kal.

fortchm, Cluammormœdoc cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis; Achadadell, cum ecclesiis, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis; Druimcosinti, et ecclesiam Dathilec, et Celmecchail, in parochia Hubargaühuby, Leus, Hofelmeth, Fodereth, Odron, cum Thathmolig, possessionibus, nativis, et omnibus aliis pertinentiis suis; decernimus ergo, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Dublinensis archiepiscopi debita reverentia. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, sanctæ Romæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, Idibus Octobris, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

CXLVI (392).

JOANNI PRESBYTERO, RECTORI, ET FRATRIBUS HOSPITALIS RIVI CENERARII [*al.* RIVICENERATII].

*Recipit eos in protectionem sub annuo censu.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Novembris.)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* inclinati, personas vestras et hospitale Rivi Generarii, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ inpræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, etc., *usque* suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus protectionis perceptæ, nobis et successoribus nostris tres solidos Mucanensis monetæ gratis oblatos annis singulis persolvetis. Nulli ergo, etc. nostræ protectionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XII Kalendas Novembris.

CXLVII (393).

. . . POTESTATI, ET POPULO JANUENSIBUS.

*Ut prædatores munerum a Balduino missorum ad restituendam prædam cogant.*

(Apud S. Petrum, II Non. Novembris.)

Grave gerimus et indignum, nec alterius possumus sub dissimulatione transire, quod plurimi Januenses nobis injuriam pro honore, offensam pro gratia, et maleficia pro beneficiis rependentes, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, tam in capite quam in membris graviter persequuntur, benignitate nostra nequiter abutentes, ut, quia nos ad indulgendum sibi sæpe faciles ac favorabiles invenerunt, ipsi ad offendendum nos proni semper inveniantur, et prompti. Nuper enim, [cum charissimus in Christo filius noster, Balduinus, Constantinopolitanus imperator illustris, per dilectum filium, fratrem Barrochium, dudum in Lombardia domorum Templi magistrum, ad exhibendas suæ devotionis primitias quædam nobis donaria destinaret, videlicet, carbunculum unum emptum, ut asserit, mille marc. argenti, unum annulum pretiosum, A examita quinque, palliumque peroptimum ad altaris ornatum, et per eumdem ad opus templi transmitteret duas iconas, unam habentem tres marcas auri, et aliam decem marcas argenti, cum ligno vivificæ crucis et multis lapidibus pretiosis duas cruces aureas, et inter topazios, smaragdos, et rubinos pene ducentos, unam crystallinam ampullam, et duos scyphos argenteos, unam sacellam desuper deauratam, duas capsellas, et unam ampullam argenteas, et insuper quinquaginta marcas argenti, Henr. Belamuto, et W. Portus, cives vestri, cum septem Galeis in portu de Mothone, ei supradicta omnia nequiter abstulerunt, quamvis ex parte nostra et imperatoris prædicti fortiter reclamaret, et diligenter exponeret, quantum civitas Januensis B propter hoc posset incurrere detrimentum; qui, cum nullo modo proficeret apud illos, tandem eis videntibus universa distinxit, ostendens quæ ad domum Templi, et quæ ad sedem apostolicam pertinerent. Cum igitur apostolicæ sedis injuria, et prædicti imperatoris offensa, vobis nec ad honorem proficiat, nec ad profectum accedat, devotionem vestram monemus, et hortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus prænominatos cives vestros ad restituenda oblata efficaciter compellatis,] et eo in manu venerabilis fratris nostri . . . archiepiscopi vestri (394), faciatis integre resignari. Alioquin, cum negligere perturbare perversos nihil sit aliud quam fovere, nec carent scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori C desinit obviare, noveritis, nos eidem archiepiscopo, sub debito fidelitatis, in virtute obedientiæ, injunxisse, ut, remoto cujuslibet appellationis obstaculo malefactores prædictos cum complicibus suis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicationis mucrone percellat, et civitatem vestram generali subjiciat interdicto; ita, quod præter baptisma parvulorum, et pœnitentias morientium, nullum in ea divinum officium celebratur; et, si nec sic fuerit satisfactum, manus nostras in vos curabimus durius aggravare, prædictus etiam imperator dignam sumet de vobis pro tanta præsumptione vindictam.

Datum Romæ, apud S. Petrum, II Non. Nov.

CXLVIII (395).

MATTHÆO ET FRATRIBUS MONASTERII SANCTÆ MARIÆ DE BOTRANO.

D *Commutationem locorum Floris et Botrani, inter ipsos ab una, et Archiepiscum Capitulumque Cusentinos, ab altera parte, factam, auctoritate apostolica confirmat.* (*Insertum est ipsum commutationis instrumentum.*)

(Apud S. Petrum, III Kal. Novembris.)

Ut palmes, quem Pater cœlestis plantaverat, non tam floreret in Flore, quam fructificaret in Botro, et uberiorem fructum odoris et honestatis afferret,

*Aprilis*, Anno quidem 1193, dies Paschæ incidit in diem 28 mensis Martii. Vide *l'Art de vérif. les dates*, tom. I, nouv. édit., pag. 24.

(392) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 81.

(393) Fragmentum hujus epistolæ exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 23. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(394) Lib. VI, epist. 171.

(395) De argumento hujus et sequentis epistolæ confer epistolas libri sexti 137 et 120, libri septimi 81. Vide etiam notas ad easdem.

pluresque currerent in odorem suavitatis illius, si abundantius Auster perflaret hortum aromatum, nec pateret vinea Domini Sabaoth flatibus Aquilonis, venerabili fratri nostro, Lucæ, archiepiscopo, et dilectis filiis, capitulo, Cusentinis, dedimus in mandatis (396), ut, quoniam in loco Floris non solum ver et autummum acerbitas sibi frigoris vendicabat, sed menses etiam metiebatur æstivos, locusque Botrani, ad Ecclesiam pertinens Cusentinam, religioni congruus dicebatur, a vobis juxta æstimationem ipsius archiepiscopi recepto excambio competenti, prædictum locum cum pertinentiis suis vobis assignare curarent, illum in vos ita libere conferentes, sicut excambium ad ipsos libere transferretur, ut sicut monastorium Floris ad nos nullo medio pertinebat sic monasterium, quod in Botrano consurgeret, ad nos nullo mediante spectaret, dilectis etiam filiis . . . Sancti Spiritus, et . . . de Coratio abbatibus, et fratri Rog. de Tarcian. dedimus firmiter in mandatis, ut eos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellerent procurarent. Cumque idem archiepiscopus mandatum nostrum, quantum id eo fuit, humiliter fuerit exsecutus, canonici vero ejus contradicerent voluntati, exsecutores prædicti canonicos ipsos a perceptione præbendarum suarum, auctoritate apostolica, suspenderunt. Quamvis autem quidam ex canonicis ipsis tecum, fili abbas, in nostra præsentia constituti, vicinitatem Botrani, et compensationis distantiam, et scandalum civium allegassent, nos tamen, vobis providere volentes, cum archiepiscopus vobis in favorem religionis certam partem possessionum suarum conferre de canonica permissione valeret, venerabili fratri nostro . . . Marturanensi episcopo, et prædicto . . . de Corratio, et . . . de Formosa abbatibus, et . . thesaurario Marturanensi, mandavimus (397), ut inquirerent super his sollicite veritatem, et, si competens esset excambium quod archiepiscopus idem receperat, vel competens offerretur, ipso recepto, commutationem hujusmodi facerent inviolabiliter observari : alioquin, cum juxta mandati nostri tenorem, absque recompensatione congrua fieri minime debuisset, eam in irritum revocarent, ita quod, si non omnes his exsequendis interesse valerent, tres eorum ea nihilominus adimplerent. Licet vero unus exsecutorum ipsorum viam fuerit universæ carnis ingressus et tertius dissentiret, duo tamen recompensationem congruam judicarunt. Quia ergo tenet sententia plurium, secundum canonicas sanctiones, licet potuissemus de jure, quod prædicti duo dissentiente tertio, approbaverant, approbare, ac in canonicos animadvertere gravius, quia latam in se a primis exsecutoribus sententiam non servarant in bono tamen malum vincere cupientes, eis præcipiendo mandavimus (398), ut commutationi eidem sine difficultate qualibet consentirent. Ipsi ergo, sicut in eorum litteris perspeximus contineri auctoritate mandati nostri, et operis pietate prospecta, considerata quoque multa utilitate possessionis de Syla, quam vos obtulistis eisdem de assensu et voluntate communi, quod mandavimus humiliter exsequentes, locum Botrani certis terminis limitatum, cum ecclesiis ibidem positis, vobis libere concesserunt, possessione de Syla certis distincta limitibus ecclesia Sancti Nicolai de Botulo, cum omnibus tentimentis suis, et ecclesia Sancti Martini de Jove, cum tentimentis suis, quodam molendino in fluvio Cardon, posito, et tenimento, quod Canale vocatur, a vobis pro commutatione receptis. Ut igitur quod de mandato nostro laudabiliter est impletum, auctoritate nostra robur majoris obtineat firmitatis, commutationem ipsam, sicut in partium authenticis continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Cæterum, ne de forma commutationis ipsius in posterum dubitetur, authenticum a prædictis archiepiscopo et capitulo Cusentinis super ipsa confectum de verbo ad verbum huic confirmationi nostræ duximus subscribendum, cujus tenor est talis.

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, æter- « næ, omnipotentis et individuæ Trinitatis. Amen. « Apostolica sedes, quæ principale tenet in orbe « dominium, potestate sibi tradicta, salubre semper « subditis dat mandatum, cui nullus, qui justitiæ « semitas proponit incedere, pertinaci debet animo « contraire. Paterna siquidem pietas, quæ diversos « filiorum ordines indifferenter in suo gremio colli- « git, cunctis omni tempore sic providet, ut, bonis « temporalibus convenienti statu dispositis, donis « perpetuis fideles per ea gaudeant acquisitis. Hinc « est, quod dominus papa, precibus venerabilium « abbatis et fratrum de Flore pulsatus, nobis, ar- « chiepiscopo et capitulo Cusentinis, hujusmodi lit- « teras destinavit. (399) Innocentius, episcopus, ser- « vus servorum Dei, venerabili fratri . . . archi- « episcopo, et dilectis filiis, capitulo Cusentinis, sa- « lutem et apostolicam benedictionem. Cum in ha- « bitu regulari, sub religionis monasticæ disciplina « tu, frater archiepiscope, portaveris jugum Domini « ab adolescentia tua, et sic fueris fidelis in pauca, « quod constitui merueris supra multa, ut in futuro « supra plurima statuaris, illorum debes necessitati- « bus specialiter subvenire, qui, sedentes secus pe- « des Domini cum Maria, in lege ipsius jugiter me- « ditantur, partem optimam eligentes. Sane, signi- « ficantibus dilectis filiis . . . abbate ac fratribus « monasterii de Flore, nos noveritis accepisse, quod « monasterium ipsum, positum in montanis, usque « adeo est ventis expositum, ut, præ acerbitate et « assiduitate frigoris, hiems non solum sibi ver ven- « dicaverit et autummum, sed in menses æstivos « suos terminos dilatarit. Patet etiam locus ipse in- « cursibus malignorum, per hoc non modicum quieti

(396) Lib. VI, epist. 137.
(397) Lib. VI, epist. 220.

(398) Lib. VI, epist. 81.
(399) Vide epist. libri sexti 157.

« fratrum adversus, et per primum contrarius so-
« spitati. Cum ergo locus quidam, qui Botranus di-
« citur, et ad ecclesiam pertinet Cusentinam, reli-
« gioni esse idoneus referatur, devotionem vestram
« monemus et exhortatur attentius, et per apo-
« stolica vobis scripta mandamus atque præcipimus,
« quatenus, ab abbate ac fratribus ipsis, juxta æsti-
« mationem tuam, frater archiepiscope, recepto ex-
« cambio competenti, prædictum locum cum perti-
« nentiis suis ipsis assignare curetis, illud in eos
« ita libere conferentes, sic excambium ad vos libere
« devolvetur, ut, sicut monasterium Floris ad nos
« nullo pertinet mediante, sic monasterium quod in
« Botrano consurget nobis nullo medio supponatur.
« Alioquin, noveritis nos dilectis filiis . . . Sancti
« Spiritus, et . . . de Coratio abbatibus, et fratri
« Rog. de Turcian. dedisse firmiter in mandatis, ut
« vos ad id, monitione præmissa, per censuram ec-
« clesiasticam, appellatione remota, compellant.

« Datum Ferentini, Kalendis Septembris, pontifi-
« catus nostri anno sexto.

« His ergo receptis litteris, cum ego prædictus
« archiepiscopus, recepto ab antedictis fratribus
« competenti excambio, mandatum apostolicum
« exsecutioni mandassem, sed canonici nostri pro
« ipsa mandati magnitudine minus facile ad id
« possent induci, ad sedem apostolicam quibus-
« dam ex ipsis euntibus, commutationis arbitrium
« aliis a domino papa exsecutoribus est commissum.
« Quibus renuntiantibus, quod esset competens com-
« mutatio, et summo pontifice, ut, fieret, iterum, per
« apostolica scripta jubente, prospecta pietate simul
« et virtute mandati, et considerata multa utilitate
« possessionis quam in Syla nobis memorati abbas,
« et fratres Floris longe melius, quam prius osten-
« derant, obtulerunt, de communi tandem voluntate
« atque consensu, mandatum apostolicum humiliter
« et fideliter, sicut debuimus, curavimus adimplere.
« Damus itaque vobis, domine Matthæe, venerabilis
« abbas Floris, et fratribus successoribus vestris in
« perpetuum, ecclesiam Sanctæ Mariæ, et ecclesiam
« Sancti Nicolai, et ecclesiam Sancti Angeli, positas
« in tenimento Botrani, cum ipso tenimento quod
« his divisis et finibus terminatur. Incipit a fonte
« Sancti Joannis de Clauco, et ascendit ab orientali
« parte per viam publicam usque ad petras fixas,
« quæ dividunt inter nemus Botran, et nemus Cre-
« pisciti, et a meridie vadit quædam semita per me-
« dium ipsius nemoris et descendit ad flumen Aias-
« sæ, transitque ipsum flumen per terminum Sancti
« Vitalis, et ferit ad Vallon. tornaricium, et ascen-
« dit per ipsum Valon. ad viam de Pantanellis, et
« vadit ipsa via usque ad locum, qui dicitur tres
« aræ. Et a parte occidentali descendit per Vallon-
« cell. de Bubernet, qui conjungitur cum Vallon. de
« Ursata, et descendit a parte septentriolani per
« ipsum Vallon. de Ursai, usque ad memoratum
« flumen usque ad Vallonem. qui dicitur de Clauc.
« et ascendit per ipsum Vallon, usque ad terras quæ
« vocantur de Abjuso, et ascendit per fines ipsarum
« terrarum, et ferit ad viam, quæ vadit ad Casale
« Pulian. et vadit ipsa via usque ad terminum terræ
« Jac. de Pulian. et vadit per ipsum terminum us-
« que ad Valloncell. siccum, qui descendit usque
« ad Vallon. de Clauc. et ascendit per ipsum Vallon.
« usque ad prædictum fontem Sanctis Joannis de
« Clauco, et concludit in priori fine. Hoc tenimen-
« tum commutanus et concedimus vobis cum ne-
« more, vineis, arboribus, aquis, molendino, et
« omnibus quæ ibidem Cusentin. Ecclesia in episco-
« palis mensæ demanio pacifice hactenus, ac libere
« tenuit et possedit, concedentes nihilominus vobis
« vestrisque posteris potestatem construendi ibidem
« monasterium, sicut in prænotatis litteris apostoli-
« cis continetur, et possidendi locum ipsum libere
« ac pacifice sicut possedit et habuit hactenus ec-
« clesia Cusentin. et faciendi in eo, et de eo quid-
« quid vobis posterisque vestris placuerit, reservato
« Ecclesiæ nostræ tantum usu incidentorum ligno-
« rum in parte nemoris his finibus designata. Inci-
« pit a fonte Sancti Joannis de Clauco, et descendit
« ipsum Vallon. Clauc. usque ad rivulum Serron.
« alti, et ascendit per ipsum rivulum usque ad viam
« Serræ, et vadit ipsa via juxta Serram versus
« orientem, usque ad viam publicam et revertitur
« per ipsam viam, et concludit in priori fine. Nihil
« autem juris, seu potestatis infra hujus partis fi-
« nem nobis, et nostræ ecclesiæ reservamus, nec li-
« cebit nobis nostrique posteris glandes sibi perci-
« pere, vel in terra ipsa, quam vobis, sicut totam
« aliam concedimus, aliquid construere, aut in da-
« mnum, et scandalum vestri monasterii aliquate-
« nus operari, sed solo usu lignorum, sicut dictum
« est, contenti erimus, vobis in perpetuum usu glan-
« dium, et fundi proprietate relicta. Hoc totum te-
« nimentum, sicut superius descriptum est, vobis
« commutando concedimus, et tam vobis, quam ve-
« stris posteris, sicut justum fuerit, omni tempore
« defendemus. Recepimus autem a vobis ecclesiam
« Sancti Nicolai de Bottulo, cum tenimento ipso,
« vincis, arboribus, fulla, et molendino, quæ tibi
« sunt, et alio molendino in fluvio Cardonis posito,
« et tenimentum quod Canale vocatur, cum ecclesia
« Sancti Martini de Jove cum tenimento suo, quam
« vobis bonæ memoriæ And. prædecessor noster,
« cum communi capituli consensu concesserat, sub
« annus censu libix unius ceræ, quem nos recepta
« ipsa ecclesia vobis absolute remisimus, et teni-
« mentum in Syla, quod his divisis et finibus termi-
« natur. Incipit in flumine, quod dicitur Loric. et
« vadit a meridie via publica per Vallembonam us-
« que ad flumen Argentiol, et transit per eamdem
« viam ad rivum qui dicitur Cassand. et inde vadit
« usque ad Macla. de Aren. A parte autem orientis,
« ascendit a prædicta Macla de Aren. et tendit per
« nemus usque ad Serrem, quæ dicitur Sancti An-
« geli, et ferit ad Oristas, quæ dividunt Mesocam-
« pum, et Trag. et descendit in directum ad flumen

« Garg. in districto ipsius fluminis per caput Macla- « rum, et inde transito flumine Garg. per directum « ascendit ad cacumen montis, et inde descendit « recte usque ad flumen Net. et ab aquilone ascen- « dit ipse fluvius usque ad vadum Castili de Sclavis, « et ab Occidente revertitur via publica per Tri- « giam, et per petram Caroli Magni, et per Serram « de Grimald, usque ad prædictum fluvium Loric. « concludit in priori fine. Hoc totum tenimentum « cum nemoribus, aquis, et omnibus, quæ infra se « continent, a vobis recipimus, sicut illud monaste- « rium Floris ex imperiali done hactenus tenuit, et « possedit. Ut autem hæc commutatio, de mandato « domini papæ et voluntate nostra unanimi ad utrius- « que Ecclesiæ commodum facta, inviolabile robur « obtineat, omnes qui pro parte Ecclesiæ nostræ « aliquo tempore illam impedire, vel irritare præ- « sumpserint, nisi bis et ter admoniti resipuerint, « excommunicationis pœnæ subjacere decernimus, « et præsens privilegium per manum Alberti scripto- « ris nostri scribere præcipimus impressione sigilli « Ecclesiæ nostræ, necnon nostra, et fratrum no- « strorum subscriptione munitum. Anno ab Incar- « natione Domini nostri Jesu Christi 1204, Frederici, « gloriosissimi regis Siciliæ, ducatus Apuliæ et « principatus Capuæ anno VII, mense Julii, indictione « VII, pontificatus autem nostri anno primo. Ego « Lucas Dei gratia Cusentinus archiepiscopus, pro- « pria manu subscripsi. Ego Jac. Cusentin. deca- « nus. Ego, Petrus cantor Cusentin. Ego, Michael « thesaurarius. Ego, Ruf. Cusentin. canonicus. Ego. « Pag. Cusentin. canonicus. Ego, Bern. Cusentin. « canonicus. Ego, Suardus Cusentin, canonicus. « Ego Isaac Cusentin. canonicus. Ego, Nic. Cusen- « tin. canonicus. Ego, W. Cusentin. canonicus. « Ego, magister Romoaldus Cusentin canonicus. » Nulli erga, etc., nostræ confirmationis, etc. Sis quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Novembris.

## CXLIX (400).

MATTHÆO, ABBATI MONASTERII SANCTÆ MARIÆ DE BOTRANO, EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*Recipit ipsos sub protectione, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Apud S. Petrum, III Non. Novembris.)

His qui objecti esse malunt in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum, et sub regulari habitu ei, cui servire regnare est, humiliter deservire, quam per sæculares illecebras evagari, apostolicum convenit tam præsidium quam subsidium adhiberi, ut tanto licentius in lege Domini meditentur, quanto utilius eis in necessitabus suis sollicitudine nostra fuerit et auctoritate Provisum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris olim postulationibus inclinati, ut palmes, quem Pater cœlestis, etc., *usque* ad nos nullo mediante spectaret. Quia ergo archiepiscopus et canonici memorati mandatum nostrum tandem receperunt humiliter, et unanimiter impleverunt, ut quod auctoritate nostra laudabiliter est impletum, favoris nostri gratia fortius roboremus, monasterium Sanctæ Mariæ in Botran. in jus et proprietatem beati Petri, et sub ejus et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem monasterio, etc., *usque* observetur. Præterea, quascunque possessiones, etc., *usque* vocabulis exprimenda: locum ipsum Botran. cum ecclesiis Sancti Nicolai et Sancti Angeli, et aliis omnibus suis pertinentiis, sicut vobis est ab eisdem archiepiscopo et canonicis assignatus; locum Floris, cum pertinentiis suis; locum, qui dicitur Calosub. cum pertinentiis suis; locum, qui dicitur Paraclomitus, et alium locum, qui dicitur Semigari, cum suis pertinentiis; locum, qui dicitur Eremita, cum suis pertinentiis; locum, qui dicitur Campus de Manna, cum alio loco, qui dicitur Misdi, cum omnibus pertinentiis suis; locum, qui dicitur Gimellaria, cum omnibus pertinentiis suis; tenimenta de Garga; tenimenta de Fraguliis, de Tassetan, et de Caput rosæ, cum omnibus pertinentiis suis; terras laboratorias, pascua, silvas, aquas, et quidquid contingit a flumine, quod dicitur Lorica, et vadit per viam publicam a parte occidentali usque ad Serraricum, et descendit per ipsam viam usque ad flumen Sabuti, et ascendit per ipsum flumen usque ad fontem, et vadit inde terminus usque ad flumen Ampulini, quod est a meridie, et descendit ipsum flumen usque ad eum locum, ubi jungitur cum flumine Neto, et ascendit per ipsum flumen usque ad Serram, quæ respicit Gimellara, et est in finibus monasterii Sancti Tripedii a parte orientis, et inde vadit terminus per fines monasterii abbatis Marci, usque ad viam quæ venit a Cherentea, et vadit per porticum, quæ videlicet via manet in confinio a parte aquilonis usque ad locum, qui dicitur Frassinetum, ex quo loco ascendit terminus per flumen Netum. et ascendit per ipsum flumen usque ad eum locum, qui respicit ad Cristas, ubi dicitur Tria Capita, et vadit in directum ad Cristas, quæ dividunt Mesocampum et Fragulum, et vadit ad Serram, quæ dicitur Sancti Angeli, et descendit ad viam publicam, ubi dicitur Macula de Arena, et vadit per ipsam viam de Vallebona, et concludit in priori fine; Tenimentum Flucæ, cum omnibus tenimentis suis; redditum Salinæ de Neto, quinquaginta videlicet aureorum bisantiorum; monasterium abbatis Marci, et obedientiam Sancti Martini de Neto, et quidquid habetis in tenimento fluminis Frigidi; domos, quas habetis in civitate Cusentiæ; domum etiam, quam emistis in arce Cusentiæ;

(400) Vide notas ad epistolam superiorem 148.

Casalinos sitos circa domum eamdem, vobis a W. justitiario intuitu pietatis collatos, et domum, quam monasterio vestro obtulit frater Joannes de Rublan. Statuimus, et præsenti decreta sancimus, ut monasterium vestrum nulli, nisi Romanæ Ecclesiæ cujus juris existit, debeat subjacere. Sane, laborum vestrorum quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullis, etc., *usque* præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos, etc. Prohibemus insuper, etc., fas sit absque abbatis licentia de eodem loco discedere. Discedente viro, etc., *usque* retinere; illud districtius inhibentes, ne terras etc. Si quæ vero donationes etc. Ad hæc etiam, prohibemus, ne aliquis monachus, etc., *usque* utilitatem. Quod si facere forte præsumpserit, etc., *usque* respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, etc., *usque* deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne nullus episcopus, etc. *usque* vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, sine mandato Romani pontificis, se aliquatenus intromittat. Prohibeminus insuper, ut nullus archiepiscopus, episcopus, vel alii ecclesiarum rectores in vestrum monasterium interdicti, vel in fratres inibi constitutos suspensionis vel excommunicationis sententiam audeat promulgare. Quod si factum fuerit, irritam sententiam illam decernimus, et inanem. Porro, si in mercenarios vestros, pro eo quod decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum, etc., *usque*: duximus irritandam. Cum autem generale interdictum, etc. Chrisma vero, etc., *usque* ordinationes clericorum, et cætera ecclesiastica sacramenta a quocunque malueritis catholico suscipiatis episcopo gratiam atque communionem apostolicæ sedis habente, qui nostra suffultus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Obeunte vero, etc., *usque* eligendum. Electus autem, a Romano pontifice, vel a quo ipse præceperit, munus benedictionis accipiat. Paci quoque, etc. Decernimus ergo, etc., salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Ad indicium autem quod idem monasterium specialiter beati Petri juris existat, annuatim unum aureum nobis, nostrisque successoribus persolvetis. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, III Nonas Novembris, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno septimo.

## CL (401).

CLERICIS SANCTI PETRI IN MAGDALONA.

*Rescribit eis, quoties in Dominicum diem pervigilium incideret, Sabbato jejunandum, atque pridie S. Matthiæ festa die jejunii religionem servandam.*

(Apud S. Petrum, Nonis Novem.)

(402) [Ex parte vestra fuit quæsitum *a nobis* (403), utrum, si Nativitatem Domini, vel Assumptionem beatæ Virginis, vel festivitatem alicujus apostolorum in secunda feria contigerit evenire, die Sabbati præcedenti vigilia debeat jejunari, et utrum in beati Matthiæ apostoli vigilia sit jejunium injungendum, Ad quod breviter duximus respondendum, quod *et* (404) die Sabbati *prælibatas* festivitates secundæ feriæ præcedentis, et beati Matthiæ debet vigilia jejunari.] Insuper postulatis, quando sacerdos in Missa perfundere debeat, per litteras apostolicas edoceri. Ad quod taliter respondemus (405), [quod semper sacerdos debet vino perfundere, postquam totum *perceperit* (406) Eucharistiæ sacramentum, nisi cum eodem die aliam missam debuerit celebrare, ne, si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Novembris.

## CLI.

. . . EPISCOPO TERMULANO (407), ET ABBATI SANCTI JOANNIS IN LAMIS.

*Querelas Fogitanorum adversus Trojanos et Trojanum episcopum examinandus ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Octobris.)

Proposuit nobis dilectus filius. . archipresbyter Fogitanus, ex parte tam cleri quam populi de Fogia, conquerendo, quod, cum in eo loco, in quo Arpa, quondam civitas populosa et magna fuerat, sit Fogia constituta, sicut ex antiquis ædificiis et fossatorum ambitu demonstratur, gravamen non modicum reputant, quod ille præficitur ipsis, qui eis nequaquam præesse deberet. Nam, post destructionem civitatis ipsius, partem diœceseos suæ Sipontus, et partem Luceria occupavit; quare aliquanto tempore fuerunt ecclesiæ Lucerinæ subjecti. Postmodum vero, Troja, quæ fuerat diœceseos Lucerinæ, a sede apostolica impetravit, episcopali cathedra insigniri; et, cum Lucerinus episcopus, ipsius civitate destructa, apud Alesin. latitaret, Trojanus episcopus, et populus sibi commissus, Fogitanam ecclesiam, quæ tunc sub nullius erat constituta regimine, occuparunt; Fogiam, quæ, sicut Arpensis civitas, fuerat de Came-

(401) Epistolæ hujus prima pars reperitur inter Decretales, lib. III, tit. 46, *De observatione jejuniorum*, cap. 1.
Pars altera reperitur etiam, sed admodum mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 41, *De celebratione missæ et sacramento Eucharistiæ, et divinis officiis*, cap. 5. Quæ in utroque loco leguntur, hic uncis inclusa sunt. Vide etiam Raynaldum ad annum 1204, § 68.

(402) Vid. Decret. lib. III, tit. 46, cap. 1.

(403) In Decretal. desunt hæc verba.

(404) Deest in Decretal. particula hæc, et infra verbum *prælibatas*, et post *festivitates* add. *prælibatæ*.

(405) Vid. ibid., tit. 41, cap. 5.

(406) Decretal. legunt *acceperit*.

(407) Interrupta, jejunaque Termulanorum episcoporum series, apud UGHELLUM, *Ital. sacr.* tom. VIII, col. 530, Aliforium memorat circa annum 1169, ex monumentis monasterii Casæ-novæ. Pennensis diœceseos; mox Joannem, sed non nisi anno 1265.

ra principum, me ipsius ecclesiæ dominio privarentur, semel sub Roberto Guiscardo, secundo sub duce Rainone, tertio sub imperatore Lothario, quarto sub claræ memoriæ rege Rogerio, penitus destruentes. Verumtamen, episcopus ipse, contradicentibus clero et populo Fogitanis, nunquam episcopalium possessionem pacificam potuit obtinere, nec maximam partem Lucerinæ diœceseos, quam occupaverat, possidet; sed sive illa exstiterit Lucerinæ diœceseos, sive fuerit de Arpensi, Lucerinus episcopus ipsam possidet sine lite, quare, Trojanus episcopus ad Fogiam transitum habere non potest, nisi per diœcesim Lucerinam. At, ubi regni tempestas fuit tranquillitate sedata, et Fogia effecta est, auxiliante Domino, populosa, a regibus, qui per tempora regnaverunt, obtinuerunt privilegia libertatis. Unde, cum episcopus et populus Trojani a regibus non possent aliquatenus impetrare, ut Fogiam eorum jurisdictioni submitterent, ipsorum furor est accensus in tantum, quod ad destructionem ipsius inimicos regni iterum et iterum adduxerunt. Tempore namque quo inclytæ recordationis rex W. viam est universæ carnis ingressus, adducentes quotcunque inimicos regni potuerunt ad eorum excidium congregare, exceptis hominibus interfectis (*sic*), damna intulerunt eisdem viginti millium unciarum, et destruentes ecclesias extra Fogiam constitutas, altare quoddam, quod bonæ memoriæ Alexander papa, prædecessor noster, consecrarat in honore beati Joannis, non sunt veriti violare, sanctorum reliquias in eodem reconditas auferentes. Cumque ipsis nequaquam possint resistere, eo quod Fogia, sicut aliæ civitates regni, eo tempore non munita fuerat, episcopo et capitulo obtulerunt, quod parati erant ipsorum stare mandatis, et eis, tam in temporalibus, licet fieri non deberet de jure, quam etiam spiritualibus obedire, per suos eisdem nuntios supplicantes, ut, si terræ parcere forte nollent, ad ecclesias saltem miserationis oculos inclinarent, scituri pro certo, quod, si ab ecclesiarum nollent destructione cessare, ipsis in spiritualibus de cætero nullatenus responderent. Ipsi vero una cum populo responderunt, quod non solum terram destruere, sed ecclesias ipsas evertere, et campanas, et sanctorum reliquias apud Trojam proposuerant asportare, nolentes de cætero jus aliquod temporale vel spirituale in Fogia obtinere, eo quod locus ipse per eos fieri habebat inhabitabilis, ab ipsis in pascuum aut terram arabilem redigendus. Tandem vero, ipsis sicut Domino placuit, effugatis, et cum confusione reversi ad propria, seriem claræ memoriæ regi Tancredo exponere curaverunt, qui, confirmans eisdem privilegia libertatis, adjunxit ut, sicut ex ipsius concessione poterat fieri, uteretur de cætero Fogia vocabulo civitatis, scribens et supplicans bonæ memoriæ Clementi et Cœlestino, prædecessoribus nostris, ut eis episcopum concedere dignarentur, qui, eorum votis favorem præstantes benignum, quod eos pontificali deberent infula decorare, spem ipsis per suas litteras tribuerunt. Verum, cum imperator Henricus regnum fuisset adeptus, et cancellarius regni esset Trojanus antistes (408), ab imperatore prædicto Fogiam impetravit, et Fogitanorum bona Trojanis ab eodem fecit imperatore concedi. Obtinuit etiam ab eodem, mœnia Fogiæ dirui, ut sic saltem eam postmodum destruere possent ex toto. Quod cum ad eorum audientiam pervenisset, ut possent a servitute hujusmodi liberari, octo millia unciarum auri prædicto imperatori dederunt, qui sic eis privilegium contulit libertatis, retinens eos in demanio suo, sicut fecerant reges, prædecessores ipsius. Attamen, eo tempore, clerici Fogitani ab eodem fuere imperatore coacti Trojanensi episcopo respondere; quos cum idem episcopus in custodia coarctasset, trecentas uncias auri ab ipsis extorsit, hunc eis vicarium statuens, quem nunc habet Ecclesia Trojana pastorem (409), qui, cum sit ambitiosus, sicut asserunt, pariter et protervus, beneficia clericis abstulit Fogitanis et Trojanis ea studuit assignare. Libertates quoque ac privilegia ecclesiæ supradictæ penitus destruens, quanta gravamina in vicaria et in præsulatu postmodum, prædecessorum suorum sequens vestigia, eisdem intulerit ex subsequentibus poterit elucere. Nam cum ipse pater communis esse deberet, idem, velut hostis et inimicus, cum non possit persequi eos armis, astutiis utitur contra eos, ut, sub prætextu gladii spiritualis, eos valeat aggravare, interdicti et excommunicationis sententias in eos sine causa promulgat, et, juris ordine prætermisso, clericos etiam occasione levissima, et nulla, quandoque vocat ac Trojam, et quod gravissimum reputant, ipsos inter inimicos suos faciens commorari, eis officium vel beneficium nequaquam restituit, nisi precibus Trojanorum, quibus eos necessitate compulsos supplicare oportet, ut sic per Trojanos destitui et restitui videantur. Insuper, terram ipsorum, quæ membrum est suæ diœceseos, sicut idem episcopus asserit, speciosum, debitis et certis temporalibus visitare non curat, imo nullatenus accedit ad ipsam, ut sic eos Trojam adire compellat, et se coram Trojanis, non pastorem, sed hostem exhibeat eorumdem. Cum igitur pretiosiora membra digna sint amplius honorari, ex præmissis colligitur manifeste, quod idem nec pater est neque pastor, cum eis nullum honorem exhibeat, sed tantum ipsis opprobria inferat et gravamen. Præterea, cum Fogitani, pro justitia alicui exhibenda, secundum pri-

(408) Jam observavimus, Gualterum de Polena, regni Siciliæ cancellarium, ex Trojana ad Cataniensem Ecclesiam translatum fuisse. Vide lib. v, epist. 39, not.

(409) Erat is, verisimiliter, Gualbertus, quem episcopum Trojanum post Gualterum de Polena, anno 1195 memorat, cujusque successorem, Philippum, munus consecrationis anno 1212, III Id. Octobris, accepisse asserit UGHELLUS, *Ital. sacr*, tom. I, part. sign. * col. 237.

vilegia sibi concessa, Fogiam non teneantur exire. (A) nisi de nostro vel regis speciali mandato, et episcopus ipse clericorum correctiones et confirmationes infantium in Fogia debeat exercere, et causas matrimoniales cognoscere, prout in eorum privilegiis continetur, idem eos Trojam adire compellit, ibique matrimonii causas audit, nullatenus parcens eorum laboribus vel expensis, nec periculis, quæ ipsis a castrorum latronibus inferuntur. Et, cum Fogia per quindecim milliaria distet a Troja, pueri, qui ad confirmandum illuc a matribus deferuntur, inter ulnas ipsarum multoties deficiunt in eundo. Cæterum, cum, secundum privilegia ipsis indulta, sine rationabili causa et ordine judiciario clericos Fogitanos non debeat officio beneficioque privare, idem in eos nunc depositionis, nunc suspensionis et (B) excommunicationis sententias proferт, juris ordine prætermisso, pro suæ arbitrio voluntatis, juri vel consuetudini, seu privilegio nullatenus deferens, nec appellationi legitime ad apostolicam sedem ab eisdem emissæ. Archipresbyterum quoque, cantorem et præbendarios instituere præsumit et destituere, irrequisita capituli voluntate, licet electio ejusdem archipresbyteri ad capitulum ipsum, et institutio cantoris et præbendarium, ex privilegiis et consuetudine approbata, ad archipresbyterum pertinere noscatur. Exigit insuper a singulis ecclesiis Fogitanis de decimis duas quartas, cum in una ei solummodo teneantur et cathedratico respondere, non erubescens eorum temporalia metere, quibus minime studet spiritualia seminare. Libertates etiam et dignitates ecclesiæ Fogitanæ, sicut ex composi- (C) tione quadam inita inter ipsos, et roborata per publicum instrumentum, non solum observare contemnit, verum etiam, quantum potest, evacuat et infringit. Cumque nullam ecclesiam in eorumdem parochia in ipsorum præjudicium construi permittere debeat, idem ad illorum destructionem indifferenter omnibus licentiam tribuit ecclesias construendi, ut sic a parochianis ipsorum non possint percipere debitas rationes, dictis parochianis apud loca religiosa eligentibus sepulturam. Ut autem addat afflictionem afflictis, quasdam petias terræ ad Fogitanam ecclesiam pertinentes, prout prædicti regis Tancredi authentico demonstratur, ipsis conatur auferre, pro ratione constituens propriam voluntatem. Trecentas insuper uncias, quas tum no- (D) mine mutui, tum imperiali potentia suus ab eisdem clericis prædecessor extorsit, solvere contradicit, licet idem prædecessor ipsius in pignus eis suos redditus obbligaverit, de quibus episcopus ipse pro solutione hujusmodi debiti eos aliquid percipere non permittit. Sane, legatos apostolicæ sedis apud Fogiam de redditibus ad hoc specialiter deputatis procurare contemnit, ut ipsos contra eorum consuetudinem sit necesse prædictos legatos de bonis propriis procurare. Ad majus autem opprobrium eorumdem, cum eum ordinationes clericorum celebrare contingit, post omnes clericos suæ diœceseos vocat ad ordines Fogitanos. Sanctum chrisma ipsis conferens subsannando, prius illud casalibus tribuit, et castellis. Unde exclamant alii contra eos, in eorum capite stercora projicientes et herbas, equorum stramenta quandoque, ac ipsos equos multoties subtrahendo. Sed, ut episcopi, qui præfuerunt per tempora, ignominia Fogitanorum facies adimplerent, juxta ostium suæ domus Fogiam fecere depingi, ut quasi tam in spiritualibus quam temporalibus fuerit ecclesiæ Trojanæ commissa, desuper scriptitantes Trojæ Fogiæ casale concessum. Præterea, ipsorum ecclesias dedicare, ac consecrare altaria prætermittit, nec patitur eas ab aliis episcopis consecrari. Licet autem bonæ memoriæ Cælestinus papa, prædecessor noster, eis duxerit indulgendum, ut donec discordia, quæ inter Trojanos et eos existit, pacis esset reformatione sedata, chrisma, oleum sanctum, et alia ecclesiastica sacramenta a quocumque catholico mallent episcopo, qui gratiam apostolicæ sedis haberet, perciperent, idem tamen episcopus omnibus prohibet, ne ministrent eis sacramenta prædicta, quare in Sabbato vigiliæ Paschæ multoties non celebravere baptisma et infantes sine sacramento decessere prædicto, et chrismatis unctione. Adjecit insuper archipresbyter memoratus, quod si ad statum antiquum vellemus habere respectum, restituendi potius essent Luceriæ, quæ utcunque ipsos primitus habuit, et possedit. Si vero ad statum antiquiorem et debitum prospicere dignaremus, terram ipsorum in statum pristinum reducentes, ipsis concederemus antistitem quem civitatem Arpensem, in qua Fogia est constructa, constat aliquando habuisse. Cum enim propter destructionem terræ, ac defectus populi, cathedralem amiserint dignitatem, aliis propter paucitatem adjuncti; a rationis tramite nullatenus discordaremus, si eamdem per Dei gratiam populosam effectam curaremus dignitate pristina insignire. At si ad gravamina per Trojanam ecclesiam eisdem illata nostrum extenderemus intuitum, eos ab ipsius jurisdictione eximeremus omnino, eo quod privilegia suæ dignitatis meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Ut igitur tantæ dissensionis scandalum sopiatur, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus personaliter tam Trojam quam Fogiam adeuntes, ad reformandam inter eos pacem efficaciter intendatis, et, si tractatum pacis admiserint, ut vel potior pars discordiæ amicabili possit conventione sedari, vos, universa redigentes in scriptum, ad sedem apostolicam transmittatis, ut modicum illud discordiæ, quod remanserit, auctoritatis nostræ arbitrio deleatur. Alioquin, super præmissis et aliis, quæ partes duxerint proponenda, inquiratis diligentissime veritatem, et quæ inveneritis per vestras nobis litteras fideliter intimetis, præfigentes eis terminum competentem, quo cum eisdem litteris nostro se conspectui repræsentent.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Kal. Oct.

## CLII (110).

........ LITTERÆ BALDUINI IMPERATORIS AD PAPAM

*Significat ei, quo modo Constantinopolitanum imperium occupatum sit a Latinis.*

[« Sanctissimo *in Christo* (411) Patri, et domino
« charissimo Innocentio, Dei gratia summo ponti-
« fici, Balduinus, eadem gratia Constantinopoli-
« tanus imperator, et semper Augustus, Flandrensis
« et Haimoniæ comes, miles suus, cum devota
« *semper* (412) obsequii voluntate oscula pedum.
« Cum, paternæ sollicitudinis zelo, et nostræ con-
« gregationis in id ipsum amore speciali, quæ circa
« nos aguntur sanctitas vestra scire desideret, se-
« riatim vobis declarandum esse decrevimus, quam
« mira circa nos usa est divina clementia bonitate,
« quamque, non nobis quidem, sed nomini suo glo-
« riam dederit, omnibus sæculis admirandam. Mi-
« rabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succe-
« dunt, ut etiam infidelibus dubium esse non de-
« beat, quin manus Domini operetur hæc omnia,
« cum nihil a nobis speratum aut provisum ante
« contigerit, sed tunc demum nova nobis Dominus
« procuravit auxilia, cum nihil humani videretur
« superesse consili. Et quidem, si bene memine-
« rimus, per litteras paternitati vestræ transmissas,
« nostri progressus et status narrationem eo usque
« deduximus, ut, urbe populosa capta violenter,
« a paucis Tyranno fugato, ac filio Isachii, Alexio,
« coronato, mora promissa foret et ordinata
« per hiemem, ut potenter *obruerentur* (413), si
« qui resistere viderentur Alexio; et nunc breviter
« narranda suscipimus, quæ circa nos postea con-
« tigerunt, et, prænotato, quod, sicut, non opera
« hominum fuere, sed Dei, quæ Græcis intulimus,
« ita non hominum opera fuere sed dæmonum, quæ
« cum imperatore novo, Græcoque per omnia,
« Græcia nobis ex perfidia consueta retribuit. Nos
« mitem ministraret moribus nostris adversa bar-
« baries, de civitate exeuntes, ex adverso civita-
« tis (414) interjacente *portu* (415), ad preces im-
« peratoris castra posuimus, et ex insperato, seu
« innata malitia, seu Græcorum seductus perfidia,
« animo recedit a nobis, cui tanta beneficia contu-
« limus, imperator, et in omnibus, cum patre pa-
« triarcha et mole nobilium, nobis promissis per-
« jurus et mendax, tot incurrit perjuria, quot nobis
A « præstitit juramenta. Unde, nostro tandem desti-
« tutus auxilio, prælia contra nos meditatur in-
« cassum, et navigii, quod eum adduxerat et su-
« blimaverat ad coronam, procurat incendia, sed
« voto tam crudeli, Deo non protegente, frauda-
« tur. Fit pars sua per cuncta deterior, et hominum
« suorum cædes, incendia et rapinæ proveniunt.
« Imminente foris pugna, intus timoribus coarcta-
« tur. Imperatorem ei æmulum parantibus Græcis,
« ea occasione captata, quod nullum ad auxilium
« nostrum deberet habere *confugium* (416). Cum-
« que eidem evadendi spes unica restaret in nobis,
« juratum sibi quemdam, Marculfum nomine, san-
« guine sibi propinquum, de quo pro beneficiis im
« pensis, super omnes alios confidebat, mittit ad
B « exercitum nostrum, qui Blakernæ palatium nobis
« sub imperatoris et suo juramento promittit obsi-
« dium, donec nobis cuncta promissa reddantur :
« accedit ad palatium recipiendum nobilis marchio,
« illudit Alexius marchioni et quos jam nobis de-
« derat, spretis obsidibus, consueta perjuria non
« veretur. Nocte insecuta, Marculfus, domino suo
« perjurus et nobis, Græcis reddendi nobis palatii
« revelat arcana, atque ex hoc in perpetuum eis
« eripi libertatem, et ad hoc modis omnibus ve-
« niendum esse declarat, nisi dejiciatur Alexius.
« Cujus proditionis merito tertius in urbe impera-
« tor, attollitur; in dominum dormientem et rei
« nescium sacrilegas mittit manus, eumque carcere
« tetro *concludens* (417), tertium Nicolaum quem-
« dam, qui apud Sanctam Sophiam imperiales in-
C « fulas noviter usurparat, traditum sibi Græcorum
« qui eum creaverant, proditione, rursus incarcerat,
« mortuoque postmodum Isachio, qui animum filii
« sui a nobis præ omnibus, ut dicebatur, averterat,
« acclamante clero Græcorum, et populo, ut de
« terra tolleremur, in brevi, tantum sanguinem
« nostrum sitientibus Græcis, prælia contra nos
« proditor jam dictus instaurat, urbem machinis
« et propugnaculis munit, quorum similia nemo
« viderit unquam. Cumque murus miræ latitudinis
« lapidibus minutis, cæmentoque tenacitatis et fir-
« mitatis antiquæ constructus, in altum valde con-
« surgens, turres haberet amplissimas, pedibus cir-
« citer quinquagenis, paulo plus minusve, distantes
« inter quaslibet duas a parte maris, quo noster
D « timebatur *assaltus* (418), turris lignea erigitur
« super murum, stationibus tribus aut quatuor mul-
« titudinem continentibus armatorum. Nihilominus

(410) Legitur in Gestis Innocentii, § 91. sed non absque mendis aliquibus. Integram, nec non emendatiorem, exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 6. Ideo hic uncis inclusa, duplicique ad initium cujusque lineæ virgula in margine distincta exhibetur.

Eamdem recitat Arnoldus Lubecensis, *Chron. Slav.* lib. VI, cap. 20, cum aliqua discrepantia. Nos numeris omnibus absolutam, ad fidem apographi Conti, nec non codicis Vallicellani, diligenter exscriptam damus.

(411) In Gestis deest.

(412) In Gestis deest.

(413) In Gestis, et apud Raynaldum, *obtinerentur.*

(414) In Gestis, add. *in.*

(415) Sic in Gestis; legendum censet Raynaldus, *monte.*

(416) Cod. Reg. citatus a Baluzio, *refugium.*

(417) Sic et apud Raynaldum; in Gestis, add. *ac conducens.*

(418) Sic et apud Raynaldum ; in Gestis, *assultus.*

« etiam inter quaslibet duas turres, seu petraria, « seu mangonellus erigitur. Turribus autem superr« eriguntur ligneæ turres altissimæ stationum sex, « superque supremam stationem adversus nos por« riguntur scalæ appodiationes ex utraque parte et « propugnacula continentes, paulominus excelsis « scalarum capitibus, quam jacere in altum posset « arcus a terra. Murum etiam ipsum murus circum« cingit *inferior* (419), duplexque fossatum ne muris « ulla applicari possent ingenia sub quibus valerent « latitare fossores. Interim, terra marique nos ten« tat perfidus imperator, *nos* (420) semper Domino « protegente et suos frustrante conatus. Nam, pro« pter ordinationem nostram, ad prædam victua« lium procul exeuntibus nostris, usque ad mille « animas hominum pugnatorum, imperator occur« rit in multitudine gravi, primoque congressu « dissipatur omnino. Cæsis captisque non paucis, sine « damno nostrorum, fuga ignominiosa consulens sibi « clypeum adjicit, arma deponit, et nostris vexillum « imperiale dimittit, nobilemque, quam sibi præferri « fabiebat, iconiam, quam ordini Cisterciensi nostri « dedicavere victores. Iterato navigium nostrum « flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio « sedecim suas naves incensas, velis in altum ex« pansis et inferius colligatis ad proram, flante for« titer Austro, nostras mittit in naves; sed Domino « *faciente* (421) cum multo nostrorum labore, cu« stodimur indemnes, et ardentibus navibus clavis « infixis catenis hærentibus, nostrorum remigio « trahuntur in pelagum, et ab imminenti mortis « periculo a Domino liberamur. Nos igitur, terre« strem cum provocamus ad pugnam, et ponte « atque amne transmisso, qui exercitum nostrum « separabat a Græcis, cuneis ordinatis, ante por« tam diu stetimus regiæ civitatis, et palatii impe« rialis, quod Blakerna nuncupatur, in nomine Do« mini, agmina Israel prædecente cruce vivifica, « parati ad prælium Græcos excipere si eis placuis« set exire. Et quidem pro militiæ exercitio exeuntem « nobilem quemdam nostri pedites trucidarunt. Sic « in castra reversi, terra marique sæpius provoca« mur, sed, dante Domino, semper, ac triumphali« ter obtinemus. Mittit ad nos pacis fictæ legatos « perfidus incubator imperii, postulat, et obtinet « cum duce colloquium. Cumque eidem dux magna« nimus objecisset quod nulla cum eo pacis posset « esse securitas, qui dominum suum carcere con« clusisset, postposita jusjurandi religione et fidei, « ac fœderis inter quamtumlibet infideles firmiter » obtinentis, et ipsi præripuisset imperium, eidem« que bona consuleret fide, ut dominum suum resti« tueret et humiliter veniam postularet, nostras « etiam pro se promitteret preces, et quod cum « eodem domino suo misericorditer, si vellet, agere « deberemus, ac quidquid contra nos egerat vene« nose, si rediret ad animum, imputare vellemus « ætati, lapsuive consilii, ille vana verba subintulit, « quia quæ responderet rationabiliter non haberet. « Obedientiam autem Romanæ Ecclesiæ, et subven« tionem terræ sanctæ, quam juramento et scripto « imperiali firmarat Alexius, adeo refutavit, ut vi« tam amittere præeligeret, Græciamque subverti « quam quod Latinis pontificibus orientalis ecclesia « subderetur. Nocte igitur insequenti, dominum « suum latenter laqueo suffocat in carcere, cum quo « ipsa die prandium sumpserat *Judæ* (422), et clava « ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis, « et costas inaudita crudelitate confringit, casuque « vitam, quam laqueo extorserat, confingit ere« ptam, ac imperiali sepultura concessa, propala« tum omnibus scelus, funeris honore dissimulat. « Sic nobis hiems tota perficitur, donec navibus « nostris scalis aptatis, et instrumentis bellicis præ« paratis, nos et nostra recipientes in navibus, « v Idus Aprilis, hoc est feria sexta ante passionem « Domini, unanimiter pro honore sanctæ Romanæ « Ecclesiæ et subventione terræ sanctæ, navali « prælio invadimus civitatem, et ea die, sine multo « tamen nostrorum sanguine, fuimus tanta per« pessi, ut inimicis nostris in opprobrium vertere« mur, quorum ea die pars fuit per cuncta supe« rior, adeo ut tracta in terram Græcis compellere« mur, bellica nostra machinamenta relinquere, et « infecto negotio ad ripam redire cogeremur adver« sam, ea die, ut videbatur inutiliter fatigati. Con« turbati ergo plurimum. et conterriti, sed demum « in Domino roborati, definito concilio rursus in« stauramus ad pugnam, et quarto die, II Idus « Aprilis, hoc est feria secunda post passionem « Domini, flante Borea, rursus applicamur ad « muros, scalis navium, scalis turrium applicatis, « cum multo labore nostrorum, permultum resi« stentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios « sensere nostrorum, non diu belli anceps du« ravit eventus; duæ siquidem naves pariter col« ligatæ, quæ nostros episcopos Suessionensem, « videlicet et Trecensem, deferebant. quarum erant « insignia paradisus et peregrina, primæ scalis suis « scalas turrium attigerunt, et felici augurio pere« grinos pro paradiso certantes hostibus admove« runt. Prima muros obtinent vexilla pontificum, « ministrisque cœlestium secretorum prima conce« ditur de cœlo victoria; irruentibus igitur nostris, « cedit, Domino jubente, multitudo infinita perpau« cis, et propugnacula relinquentibus Græcis, no« stri audacter militibus portas aperiunt; quorum « cum imperator, qui non procul a muris in tento« riis stabat armatus, conspicaretur ingressum, « statim tentoria dereliquit, et fugit; nostri cædi-

(419) Sic legitur in Gestis, et apud Raynaldum ; in apographo Conti, *inferiorem*.

(420) Sic legitur in Gestis, et apud Raynaldum in apographo Conti, *nosque*.

(421) Sic in Gestis, apud Raynaldum, et in apogr. Conti; verum in cod. Vaticell. *favente*.

(422) Sic in apographis, et apud Raynaldum : in Gestis, add. *similis*.

« bus occupantur, civitas capitur populosa, recipientur in palatiis imperialibus qui nostrorum enses effugiunt, multaque cæde facta Græcorum nostri sese recolligunt advesperascente jam die, arma fessi deponunt, de assultu palatiorum in crastino tractaturi. Suos recolligit imperator, et crastinam hortatur ad pugnam, asserens quod nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa conclusos. Sed nocte latenter dat terga devictus. Quo comperto, Græcorum plebs attonita de substituendo imperatore pertractat, et, dum, mane facto, ad nominationem cujusdam Constantini procedunt, pedites nostri, non exspectata deliberatione majorum ad arma prosiliunt, et, terga dantibus Græcis, fortissima et munitissima palatia relinquuntur, totaque in momento civitas obtinetur. Diripitur equorum innumera multitudo, auri et argenti, sericorum, pretiosarumque vestium, atque gemmarum, et omnium eorum quæ ab hominibus inter divitias computantur, tam inæstimabilis abundantia reperitur, ut tantum tota non videretur possidere Latinitas, et, *quæ admodum* (423) pauca negaverant, cuncta nobis divino judicio reliquerunt, ut secure dicamus, quia majora his mirabilia, circa bellorum casus nulla unquam narret historia, ut impleta prophetia manifeste videatur in nobis, quæ dicit, persequetur unus ex vobis centum alienos; quia, si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quam centum et obsedit et vicit. Nunc autem, non nobis victoriam usurpamus, quia salvavit sibi dextera Domini, et brachium virtutis ejus revelatum est in nobis. A Domino *tantum* (424) factum est istud, et super omnia mirabilia mirabile est in oculis nostris. Ordinatis igitur diligenter quæ disponenda rerum poscebat eventus, ad electionem imperatoris unanimiter et devote procedimus, et omni ambitione seclusa, cum sex baronibus Venetorum, venerabiles viros, episcopos nostros . . . . . Suessionensem, Halberstatensem, Trecensem, dominumque Bethleemitanum, qui a partibus transmarinis auctoritate apostolica nobis fuerat delegatus, Acconensem electum, abbatemque Lucedii, imperaroris nostri sub Domino constituimus electores. Qui, oratione præmissa, ut decuit, Dominica, misericordia Domini personam nostram, quod a nostris meritis procul erat, unanimiter ac solemniter elegerunt, divinis laudibus clero et populo pariter *acclamante* : *sequentique Dominica* (425), qua *Jubilate* cantatur, præcipiente apostolo Petro regem honorari, eique obediri quasi præcellenti, et Evangelio nuntiante, quod gaudium nostrum nemo tollit a nobis, cum ingenti honore atque tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis ad honorem Dei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac subventionem Terræ sanctæ, gloriose coronatum, ad imperii fastigia, Deo et hominibus amabiles Patres, memorati pontifices, cum universorum applausu et piis lacrymis sublimarunt. Aderant incolæ Terræ sanctæ, ecclesiasticæ militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat et gratulabunda lætitia, exhibitumque Deo gratius obsequium asserebant, quam si civitas sancta Christianis esset cultibus restituta, cum, ad confusionem perpetua inimicorum crucis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Terræque Hierosolymitanæ sese regia civitas devoveret, quæ tandiu jam potenter adversaria stetit, et contradixit *utique* (426). Hæc est enim, quæ spurcissimo gentilium ritu, pro *fraterna* (427) societate, sanguinibus alternis ebibitis, cum infidelibus ausa est sæpius amicitias firmare ferales, et eosdem mamilla diu lactavit uberrima, et extulit in superbiam sæculorum, arma, naves et victualia ministrando. Quid econtrario fecerit peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla, quam verba. Hæc est, quæ, in odium apostolici culminis, apostolorum principis nomen audire vix poterat, nec unam eidem inter Græcos Ecclesiam concedebat, qui omnium Ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum (428). Hæc est, quæ Christum solis dideral honorare picturis, et, inter ritus nefandos, quos sibi, spreta Scripturarum auctoritate, confinxerat, etiam lavacri salutaris plerumque facere præsumebat iterando jacturam. Hæc est, quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur sed canum, quorum sanguinem effundere pene inter merita reputabant, nec ulla pœnitentiæ satisfactione pensabant laici, monachi ve penes quos, sacerdotibus *spretis* (429), tota ligandi atque solvendi consistebat auctoritas. Hæc, et hujusmodi deliramenta, quæ epistolaris explicare non valet angustia, impletis iniquitatibus eorum, quæ ipsum Dominum ad nauseam provocabant, divina Justitia nostro ministerio digna ultione percussit, et, expulsis hominibus Deum odientibus, et amantibus sese, terram nobis dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino et aleo stabilitam, fructibus opulentis, nemoribus, aquis et pascuis speciosam, spatiosissimam ad manendum, et cui similem non continet orbis aere temperatam. Sed nec in his desideria nostra subsistunt nec ab humeris nostris sustinebimus vexillum regale deponi, donec, terra ipsa incolatu stabilita nostrorum, partes debeamus invisere transmarinas, et Deo dante, propositum peregrinationis explere.

(423) In Gest. *quia admodum ;* apud Raynaldum, *quemadmodum.*

(424) Sic in cod. Vallicell. In Gestis, et apud Raynaldum, *nec non ;* in apographo Conti, *tamen.*

(425) In Gestis, *acclamante. Sequenti Dominica.*

(426) Sic in cod. Vallicell. In Gestis et apud Raynaldum, *nec non* ; in apographo Conti, *utrique*

(427) Sic in apogr. Conti, in cod. Vallicell., in cod. reg., nec non apud Arnold. Lubec. cit. a Baluzio. In Gest. vero, *superna.*

(428) Hic quædam alia inserta esse apud Arnold. Lubecen. monet Baluzius.

(429) Arnold., *summotis.* Cod. reg. *sumptis.* Cod. Pod. *perspretis.*

« Speramus enim in Domino Jesu, quod qui cœpit « in nobis opus bonum ad laudem et gloriam no- « minis sui, inimicorum crucis depressionem perpe- « tuam perficiat, confirmabit solidabitque. Paterni- « tatem igitur vestram propensius exoramus et ob- « secramus in Domino, ut gloriæ hujus atque victo- « riæ, et spei præoptatæ, cujus ostium magnum « nobis apertum est, principes esse velitis et duces « vestrisque temporibus et operibus ascribatis decus « æternum, quod absque ulla dubitatione vobis con- « tinget, si apostolicæ sanctitati devotos, vestri « præcipue incolas occidentis, nobiles et ignobiles, « cujuslibet conditionis aut sexus, eidem desideriis « accensos, ad veras immensasque divitias cape- « scendas, temporales pariter et æternas, salutari- « bus monitis accendatis, proposita venientibus « omnibus apostolica indulgentia, nobis et imperio « nostro, aut temporaliter, aut perpetuo fideliter « servituris. Universis enim, Deo dante, sufficimus « quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit; « universos volumus simul et possumus, secundum « status suos varietatemque naturalium, et augere « divitiis, et honoribus ampliare. Specialiter autem, « Deo amabiles, ecclesiasticos viros, cujuslibet reli- « gionis aut ritus, sollicitudo vestra paterna poten- « ter inducat, ut ad idem populum prædicationibus « publicis et potentibus verbis accendant, et exem- « plis edoceant, catervatimque et ipsi venire festi- « nent in locis amœnissimis et uberrimis, non jam « in sanguine, sed in multa libertate, et pace, om- « niumque bonorum affluentia Ecclesiam plantaturi, « salva semper, ut decet, suorum canonica licentia « prælatorum. Ad laudem etiam et gloriam Redem- « ptoris, et sanctitatis vestræ perpetuum decus, « utilitatemque præcipuam generalis Ecclesiæ per- « tinere credentium nullus ambigeret, si in civitate « Constantinopolitana, veteribus honorata conciliis, « vestra paternitas generale concilium convocaret, « beatissimæ personæ vestra præsentia confirman- « dum, novamque Romam veteri counirет sanctio- « nibus sacris, et perpetuo valituris. Jam enim ad « concilium Græciam rebellem vos invitasse didi- « cimus, quasi quæ nunc videtis tempora præsignan- « do, licet, sive pro rebellione Græcorum, sive pro « utilitatibus mundi, et variis occupationibus, inte- « rim videamini distulisse. Ecce nunc tempus ac- « ceptabile, Pater sancte, ecce nunc dies salutis. « Cogitasse videtur Dominus temporibus vestris « cogitationes pacis, qui scabellum pedum vestro- « rum vestros posuit inimicos. Canite, quæsumus, « tuba sacerdotali in Sion, amantissime Pater, « vocate cœtum, congregate populum, coadunate « senes et sugentes ubera, sanctificate diem acce- « ptabilem Domino, diem stabiliendæ unitatis et « pacis, et, quam ad Dominum custodimus, nostræ « fortitudinis confirmandæ. Quantumlibet enim in- « sufficientes simus ex nobis, sperare audemus in « Domino, quod gaudium Domini sit fortitudo nostra « ad evacuandum scandalum crucis, et subjiciendam « in terris omnem adversariam potestatem erigen- « tem se adversus Dominum et adversus Christum « ejus. Recordamini, Pater sancte, cathedræ vestræ « sessorum, quorum in cœlo gaudent animæ, et in « terris vivit gloriosa memoria, Joannis, Agapeti, « et Leonis, et aliorum qui ex variis causis Con- « stantinopolitanam leguntur Ecclesiam præsentiali- « ter visitasse, sicut in apostolicis continetur ar- « chiviis, et invenietis manifeste, si nos qui asserunt « se legisse, non fallunt, quod pro causis longe mi- « noribus eorum quilibet advenlarit. Si quidem ex « ardenti desiderio, ultra quam decet, ingerimus, ex « benignitate consueta, reverende Pater, ignoscite, « affectumque nostrum, apicemque negotii, ulterius « et potius quam verba, spectate. Illud autem silere « nulla ratione debemus, quod reverendi pontifices, « et abbates nostri, et inferioris status venerabilis « clerus, tam magnifice ac decenter, tam honeste « inter nos se habuit ac prudenter, et armis Deo « potentibus tam constanter ac triomphaliter dimi- « cavit, ut coronam victoriæ de manu Domini merito « debeant exspectare, et eorum in perpetuum esse « meruerit in benedictione memoria, et, ne quid eis « in ulla gratia desit, apostolici favoris, et gratiæ « cumulum pro tam bene meritis evidentius repor- « tare. Illustrem virum, H. Dandal, ducem Veneto- « rum, dilectum nobis ac merito diligendum, cum « amicis ac sociis nostris Venetis quos fideles ac « industrios per cuncta reperimus, paternitati vestræ « pro suæ probitatis merito plurimum commenda- « mus. »]

CLIII (430).

BALDUINO, ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI.

*Respondet epistolæ superiori.*

(Apud S. Petrum, VII Id. Novembris.)

[Litteras imperatoriæ dignitatis, quas nobis per dilectum filium, Barochium, Fratrem militiæ Templi, tua devotio destinavit, paterna benignitate recepimus, earumque tenore plenissime intellecto, gravisi sumus in Domino, et in potentia virtutis ipsius, quod is, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, magnifica tecum miracula dignatus est operari, ad laudem et gloriam nominis sui, ad honorem et profectum apostolicæ sedis, et ad utilitatem et exaltationem populi Christiani, ut de tua taceamus magnificentia et virtute. Illud autem inter cætera nobis gratum est et acceptum, et super eo tuam prudentiam commendamus, quod potentiæ tuæ parum aut nihil, Deo autem et nobis totum ascribis, ut exaltet humilitas, quem superbia non extollit.] Sperantes igitur, imo pro certo tenentes, quod ut sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ cunctorum

(430) Fragmentum hujus epistolæ exhibet Raynaldus ad annum 1204, § 20. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

fidelium mater est et magistra, de corde puro, et conscientia bona, et fides non ficta, semper cupias venerari, ad honorem et profectum tuum diligens studium impendere volumus et operam efficacem. Unde, tam te quam terras et homines tuos, sub principali beati Petri et speciali nostra protectione suscipimus, dantes firmiter in præceptis universis archiepiscopis et episcopis, nec non aliis ecclesiarum prælatis regibus quoque, ducibus ac comitibus, cæterisque principibus, et populis universis, ut terras et homines tuos manuteneant et defendant, nec eos ipsi molestent, nec ab aliis faciant molestari, sed archiepiscopi et episcopi molestatores eorum per districtionem ecclesiasticam appellatione remota, compescant, et eos ad satisfactionem omnimodam tam per excommunicationem in personas, quam per interdictum in terras, omni occasione cessante, compellant. Universis etiam, tam clericis quam laicis crucesignatis, consistentibus tecum in exercitu Christiano, sub spe remissionis et indulgentiæ, quam eis apostolica sedes pollicetur, injungimus et mandamus, ut ad defendendum et retinendum Constantinopolitanum imperium, per cujus subventionis auxilium terra sancta facilius poterit de paganorum manibus liberari, tibi prudenter et potenter assistant, et nos interim, de succursu tibi pro utraque terra mittendo, ita disponere satagemus, quod affectum animi nostri per exhibitionem operis comprobabis. Illud autem, fili charissime, sollicita debes meditatione pensare, quod postquam regnum Græcorum ab obedientia sedis apostolicæ deviavit, de malo semper declinavit in pejus, donec a superbis ad humiles, ab inobedientibus ad devotos, a schismaticis ad Catholicos justo Dei judicio est translatum, ut per obedientiæ virtutem resurgat ad bonum, quod per inobedientiæ vitium defluxit ad malum. Quocirca, sublimitatem tuam monemus et exhortamur attentius, in remissionem tibi peccatorum injungentes, quatenus Græcorum Ecclesiam et Constantinopolitanum imperium, quod ad invocationem apostolicæ sedis gratia sibi divina subjecit, in ipsius obedientia studeas conservare, per quam et ipsum imperium tibi melius conservabis; attentius provisurus, ut ecclesiastica bona, tam immobilia quam mobilia, diligenter facias et fideliter custodiri, donec per nostræ dispositionis arbitrium salubriter ordinentur, ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, sine confusione reddantur.

Datum Romæ, apud S. Petrum, VII Idus Nov.

## CLIV (431).

EPISCOPIS, ABBATIBUS, CÆTERISQUE CLERIS, IN EXERCITU CRUCESIGNATORUM APUD CONSTANTINOPOLIM EXISTENTIBUS.

*Gratulatur a Græcis ad Latinos traductum esse imperium, et de Græcorum circa fidem errore disserit.*

(Apud S. Petrum, Idib. Novembris.)

A Legimus in Daniele propheta quod est Deus in cœlo, qui revelat mysteria, ipse mutat tempora, et transfert regna. Hoc autem in regno Græcorum, temporibus nostris, videmus et gaudemus impleri, quoniam is qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud, Constantinopolitanum imperium a superbis ad humiles, ab inobedientibus ad devotos, a schismaticis ad Catholicos, a Græcis videlicet transtulit ad Latinos. Sane, a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Hæc est profecto dexteræ Excelsi mutatio, in qua dextera Domini fecit virtutem, ut sacrosanctam Romanam B Ecclesiam exaltaret, dum filiam reducit ad matrem, partem ad totum, et membrum ad caput.](432) Tempus enim advenisse videtur, in quo, destructis vitulis aureis, Israel revertatur ad Judam, et ad Jerusalem Samaria convertatur, quatenus atrio, quod secundum Apocalypsim Joannis, est extra templum, foras ejecto, non jam in Dan et Bethel, sed in montem Sion ad Dominum ascendatur. Nos igitur, ei, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, etsi non quantas debemus, quantas tamen valemus, gratiarum solvimus actiones, et ei labiorum nostrorum vitulos immolamus, qui temporibus nostris dedit hanc gloriam nomini suo sancto et glorioso, quod invocatum est super nos (433).] Jam enim secundum spiritum adimpletur, quod C olim secundum litteram exstitit consummatum. Legitur enim quod Maria Magdalene mane, cum adhuc tenebræ essent, venit ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento, et cætera quæ sequuntur in evangelica lectione. Sane, per Mariam Magdalenam intelligitur Synagoga, per monumentum vero vetus accipitur testamentum; per lapidem monumenti legis littera designatur, quæ fuit in tabulis lapideis exarata. Maria igitur, videlicet Synagoga, mane, id est tempore primitivo, cum adhuc tenebræ essent, tempus videlicet cæcitatis et ignorantiæ, antequam lex per Moysen data fuisset, de qua dicit Apostolus: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces* (*Rom.* VII); venit ad monumentum, id est Vetus Testamentum accepit, in quo mysteria Scri- D plurarum clausa, tanquam corpora in monumento, latebant, et rarescentibus tandem tenebris, et illucescente plenius vero die, luce videlicet illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: in cujus eclypsi petræ scissæ, ac monumenta leguntur aperta, vidit in primitivis fidelibus, qui ex circumcisione fuerunt; nam salus ex Judæis est, lapidem amotum ab ostio monumenti, videlicet intelligentiam litteræ a Veteri Testamento discretam,

(431) Fragmenta hujus epistolæ refert Raynaldus, ad annum 1204, § 21. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(432) Raynaldus, loc. cit.

(433) Hactenus Raynaldus.

quia legem non tam litteraliter quam spiritualiter intelligendam esse cognovit per doctores evangelicæ veritatis, sicut unus ex eis, videlicet Paulus apostolus, protestatur : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III), et sicut idem alibi dicit: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera* ; *sed qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera per repromissionem : quæ sunt per allegoriam dicta* (*Gal.* IV). Itemque *: Non omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque qui sunt semen Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen* (*Rom.* IX); item : *Non qui filii sunt promissionis æstimantur in semine* (*ibid.*). Currens igitur Maria Magdalena, venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit eis : *Tulerunt Dominum meum, et nescimus ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX). Sicut per Mariam Magdalenam Judæorum intelligitur Synagoga, ita per Petrum, qui ad Latinos est specialiter destinatus, et apud eos Romæ sepulturam accepit populus intelligitur Latinorum. Græcorum vero populus per Joannem, qui missus ad Græcas, Ephesi tandem in Domino requievit. Petrus unam construxit Ecclesiam, videlicet Ecclesiarum omnium unum caput. Unde, Dominus dixit et: *Tu est Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Joannes autem in Asia plures Ecclesias stabilivit, tanquam unius capitis multa membra. Unde in Apocalypsi facit de septem ecclesiis, et earum singulis mentionem, ut sicut multa membra gubernantur sub uno capite, ita multæ particulares ecclesiæ sub una universali regantur. Venit ergo Maria ad Petrum pariter, et Joannem, quia Synagoga per primitivos apostolos, qui ex ipsa crediderant, tam Latinis, quam Græcis verbum Evangelii prædicavit. Nam in omnem terram exivit sonus eorum, et ideo dicitur cucurrisse Maria, quia velociter sermo prædicationis currebat. Venit, inquam, et dicit eis. *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX), ac si diceret manifestius : Scribæ, et Pharisæi veritatem, quæ Christus est, occidentes, sepelierunt in Veteri Testamento, ut in eo nulla de illo secundum ipsos mentio habeatur, et ita, secundum expositionem ipsorum, ubi Christus in Veteri Testamento sit positus, ignoratur. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro et venit primus ad monumentum, et cum se inclinasset vidit posita linteamina, non tamen introivit. Ad prædicationem enim illius Ecclesiæ quæ de circumcisione crediderat, audierunt gentes, quæ prædestinatæ erant ad vitam, Græci videlicet et Latini, et cucurrerunt certatim ad intelligentiam Veteris Testamenti, ut per illud agnoscerent tantarum rerum quam Deus ostenderat veritatem. Sed, quamvis Græcorum populus prius recepisset Vetus Testamentum sibi primitus nuntiatum, et ad ejus se intelligentiam inclinasset, atque humanitatis Christi mysteria prius intellexerit, quam Latinus, quoniam ad eum prius et plures apostoli pervenerunt, ut Paulus, Barnabas, et Joannes, non tamen monumentum intravit, nec sudarium, quod seorsum erat, involutum in unum locum aspexit, quia doctores Græcorum ad plenam intelligentiam Veteris Testamenti, et profunda mysteria Deitatis, nec hactenus, nec nunc etiam pervenerunt, nisi forte perpauci. Per linteamina enim, quibus corpus Jesu fuerit involutum, humanitas Christi mysteria designantur, per sudarium, quod fuerat super caput ipsius, intelligitur mysterium Deitatis. Nam, secundum Apostolum : *Caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* XI). [Unde legitur in Isaia, quod duo Cherubim, qui sex alas habere scribuntur, duabus alis faciem, et duabus pedes velabant, duabus alis volitantes, quia mysteria Deitatis, quæ per caput, sive faciem designantur, et ea, quæ ante mundi creationem fecit Dominus Deus, et quæ facturus est post judicium, sunt occulta, sed media magis patent, et circa ea nos etiam volitamus. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, quia Latinus populus usque ad interiora, et profundiora Veteris Testamenti mysteria penetravit, et ideo vidit linteamina posita, et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum, in unum locum (434) quoniam inter humanitatis et Deitatis sacramenta discrevit, ut, sicut in Deo non distinguit naturam, sed distinguit personas, ita in Christo non distingat personam, sed distinguat naturas. Græcus ergo, licet credat tres in divinitate personas, et unam in deitate substantiam, quod tamen Spiritus sanctus procedat a Filio, sicut procedit a Patre, non credit (435).] Unde, non ad injuriam propriam, sed Græcorum opprobrium Joannes de se ipso subjungit : *Nondum enim sciebat Scripturam* (*Joan.* XX). Quid est autem, quod Judæorum populus electus est prius ad culturam unius Dei, duo vero circa fines sæculorum assumpti, nisi quod una est in Trinitate persona, quæ a nullo mittitur, quoniam est a nullo, duæ vero, quæ ab uno sunt, et ab uno mittuntur. Quod si populus Judaicus, qui est electus in Patribus, typum gerit illius, a quo omnis potestas in cœlo, et in terra nominatur, cujus typum gerit Latinus, cui datus est Christi vicarius, nisi ipsius Filii, qui traditur occurrisse beato Petro, et tam ipsi, quam pro ipso dixisse : Venio Romam iterum crucifigi? Quia vero Græcorum populo datus est beatus Joannes, a quo et incepit perfectorum religio monachorum, bene typum gerit illius Spiritus, qui quærit et diligit spiritales. Cæterum, si est ita, quid est, quod Græci nondum acceperunt posse credere, procedere Spiritum sanctum a Filio, sicut a Patre, nisi quod humiliter quidem acceperunt

(434) Rursus Raynaldus.

(435) Hactenus Raynaldus.

doctrinam a populo Judaico, qui gerit mysterium Dei Patris, sed hactenus sprevit humiliter recipere a Latino, qui habet in hac parte similitudinem Dei Filii, ut quomodo idem Spiritus accipere dicitur a Filio, quod annuntiet, ita Græcorum populus, qui doctrinam accepit aliquando ab Hebræo accipiat tandem similiter a Latino? [(436) Ideo namque Pater summe diligit Filium, quia quidquid habet Pater totum contulit Filio, et ideo Filius summe diligit Patrem, quia quidquid habet Filius totum accepit a Patre, pari ratione Pater, et Spiritus sanctus summe se diligunt, quia quidquid habet Pater, totum Spiritui sancto dedit, et quidquid Spiritus sanctus habet, a Patre totum accepit. Nisi ergo talis habitudo inter Filium, et Spiritum sanctum existeret, profecto non se summe diligerent, et ita Filius magis diligeret Patrem, quam Spiritum sanctum, et Spiritus sanctus magis diligeret Patrem quam Filium, quod est inconveniens, et absurdum, et penitus impossibile. Nam cum ipsi tres sint unum et idem, in nullo varium vel diversum, non est aliquid amplius in uno, quam in alio diligendum, cum inæqualitatem indemnitas non admittat. Ut ergo summe se diligant advinvicem ipsi tres, oportet ut Spiritus sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio, quatenus sicut Pater a nullo est, et duo alii sunt ab eo, ita Spiritus sanctus sit a duobus aliis, et nullus ab eo, ac per hoc sit inter omnes relativa distinctio in personis, sicut est inter omnes substantialis identitas in natura (437)]. Hoc plane mysterium si fuisset intellectum a Græcis, jam cum Latinis in monumentum intrassent, scientes, quod non est Deus dissensionis, sed pacis. At, quia nesciebat adhuc Scripturam Joannes quod videlicet oporteret Christum a mortuis resurgere, non est mirum, si Græci adhuc nesciunt mortuam esse litteram, ubi Spiritus Christi vivit; scient autem in proximo, sicut credimus et speramus, scient, utique scient, et convertentur ex eis reliquiæ in toto corde suo, et venient in Sion quærentes Dominum, et David regem suum, et adorabunt in altari, quod erectum est Romæ, in titulum sempiternum, et extunc manus Domini erit cum eis. Tandem enim implebitur, et forte jam incipit adimpleri, quod Evangelista subjungit : *Tunc ergo intravit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, et vidit et credidit* (*ibid.*), et sic facti sunt primi novissimi, et novissimi primi. Videbit enim quod Petrus viderat, et credet quod credit Ecclesia Latinorum, ut amodo simul ambulent in domo Domini cum consensu. Maria vero stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Populo quippe Græcorum intrante, Synagoga Judæorum stat foris, quia exteriorem litteræ corticem intuetur, nec dum ad interiorem veritatis medullam attingunt. Liber enim, quem manus missa ad Ezechielem expandit, scriptus erat intus et foris. Et ideo quasi famelica plorat, qui dum exteriorem corticem masticat, nequaquam reficitur interiori medulla, et quæ externa sectatur, non apprehendit interna. Cum ergo sua se viderit exspectatione deceptam, in fine sæculorum inclinabit se ipsam a cordis duritia, et tanquam in monumentum prospiciens, discusiet subtilius legem suam, et videbit duos angelos sedentes in albis, unum ad caput et unum ad pedes, id est expositores tam Novi quam Veteris Vestamentis concorditer et aperte de divinitate et humanitate Christi loquentes, nec ipsa quæret ab eis, sed illi increpabunt ipsam dicentes : *Quid quæritis viventem cum mortuis?* (*Luc.* XXIV.) Quocirca, mulierem illam appellant, quæ non intellectu virili, sec sensu femineo meditatur, et ideo dicit eis : *Tulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* XX). Paulatim progreditur ad intelligentiam veritatis, dum incipit intelligere quod tulerunt Jesum, *salvator* qui vel *salutaris* interpretatur, de Veteri Testamento, quia lex vetus neminem ad perfectum perduxit, nec justificabitur ex operibus ejus quisquam, sed adhuc nescit ubi posuerunt eum, quia nondum evangelio plene credit, in quo Jesus reperitur. Tandem vero conversa retrorsum ad Evangelii veritatem, Jesum stantem non quidem jacentem videbit, sed nec adhuc sciet eum esse Jesum, quoniam ipsum fuisse Messiam, et venisse jam credet. Unde et appellat eum Dominum suum, sed non intelligit quod sit Deus. Tunc vero Jesus quærit ab ea : *Mulier quid ploras? quem quæris?* (*ibid.*) quia præveniet gratia Christi eam; sed illa eum existimans hortulanum, dicit ei : *Domine, si tu sustulisti eum* (*ibid.*), etc. Non fallitur in hac existimatione Maria. Nam Jesus illius horti cultor et custos existit, de quo legitur in Canticis canticorum : *Hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* IV). Demum Jesus eam vocabit ex nomine, quando convertet corda patrum in filios, ut reliquiæ Israel salvæ fiant, et illa respondente, *Rabboni* (*Joan.* XX), subjungit : *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*ibid*), quasi diceret : Licet Messiam esse me credas, a lege ac prophetis omnibus repromissum tamen Deo Patri me non credis æqualem. Vade igitur ad fratres meos, per concensum videlicet ad prædicatores evangelicæ veritatis, et dic eis, hoc est clama, et crede cum eis, quoniam ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, id est in divinitate Deo Patri consubstantialis et æqualis existo. Ecce jam, fratres et filii, colligere potestis aperte, quia Deus, quod ab æterno prævidit, et in Evangelio præsignavit, per vos tandem in nobis sa-

(436) Rursus Raynaldus.

(437) Hactenus Raynaldus.

cramentum adimplet superius prælibatum, ut intelligetis quod cum quasi casi fortuito, sed alto quidem consilio Deos hoc mysterium per vestrum ministerium operatur, quatenus de cætero sit unum ovile et unus pastor, provida namque dispensatione conditor temporum, tempora distribuit universa, ut cum plenitudo gentium ad fidem intraverit, tunc etiam omnis Israel salvus fiat. Monemus igitur universitatem vestram, et exhortamur attentius et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, ad accendendum devotionis affectum, quem erga matrem suam Romanam Ecclesiam habet exercitns Christianus præscripta ei fideliter exponatis, et tam charissimum in Christo filium nostrum, B.... Constantinopolitanum imperatorem illustrem, quam majores et minores in ipso exercitu constitutos inducere procuretis, ut regnum Græcorum in obedientia sedis apostolicæ studeant stabilire, per quam unique poterit, et sine qua minime posset ab eis ipsius dominium retineri.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum Idibus Novembris.

CLV (438).

LUNDENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ut census Romanæ Ecclesiæ per regnum Daciæ et Sueviæ colligat.*

(Apud S. Petrum, Idib. Novembris.)

Ut tuæ fraternitatis devotio, quam perpectam habemus in multis, nobis sit obnoxior, tibi ducimus committenda, per quæ nobis et apostolicæ sedis possis et debeas amplius complacere. Ideoque fraternitatem tuam, de qua plene confidimus, rogamus attentius et monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus istud onus pro nobis assumas ut censum beati Petri per regna Daciæ ac Sueviæ fideliter colligas et reserves, ipsum nobis per fidelem nuntium transmissurus vel assignaturus eis, quibus per litteras nostras tibi duxerimus injungendum. Ut autem hoc plenius et liberius possis efficere, plenam et liberam tibi concedimus facultatem, ut contradictores, si qui fuerint, per ecclesiasticam censuram, appellatione remota, compescas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Novembris.

CLVI (439).

EIDEM

*Ut villicum, qui presbytero cum uxore sua turpiter agenti nasum absciderat ac linguam læserat, anathemate solvat sub certis conditionibus.*

(Apud S. Petrum. Idib. Novembris.)

Ex parte tua nostris est auribus intimatum, quod quidam sacerdos, dum consuesceret cum uxore cujusdam tui villici nefariam rem habere, captus fuit a villico, qui ei nasum abscidit et læsit ipsum in lingua, nec tamen loquelam amisit. Unde presbyter ipse ad ostium se translutit monachorum, ut suam salvare posset animam inter eos. Verum, cum vilicus ipse super hujusmodi facto sibi petat absolutionem impendi, a nobis, ut eum ppssis absolvere, postulasti, Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, villicum ipsum, qui tanquam excommunicatus vitatur, communioni restituas, ita quod expensas, quas esset facturus in itinere ad sedem propter hoc apostolicam veniendi, mittat in subsidium Terræ sanctæ, vel in Christianorum auxilium qui laborant in partibus illis, contra perfidiam paganorum, et nihilominus laborem itineris redimat juxta proprias facultates.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum Idibus Novembris.

CLVII (440).

EIDEM.

*Facultas reformandi Lundensem et Upsallensem ecclesias.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Decemb.)

Ad hoc nos honestas tuæ fraternitatis inducit, ut tibi benignius concedamus quæ personis sunt ecclesiasticis concedenda. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuæ fraternitati concedimus, ut in Lundensem et Upsallensem archiepiscopatus vice nostra evellas et destruas, disperdas et dissipes, ædifices et plantes, sicut ad honorem Dei, exaltationem Ecclesiæ, ac salutem populi tibi commissi videris expedire. In his ergo et aliis te talem exhibeat, ut fama tui nominis, quæ suavem diffundit odorem, per hiemem tribulationum temporalium non marcescat sed in actibus suis ver potius et æstatem ostendat, quæ suo agricolæ vineam committenti fructum reddant uberrimum in autummo.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Decembris.

CLVIII (441).

EIDEM.

*Mittit ei pallenm, Upsallensi archiepiscopo, ejus quod incendio perierat loco, tradendum.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Decembris.)

Significasti nobis per litteras, quod venerabilis frater noster.... archiepiscopus Upsallensis, per incendium palleum quod habebat, amisit, unde, pro ipso humiliter per litteras et nuntios postulasti, ut aliud illi mittere dignaremur, cum ipse et Ecclesia ejus multa paupertate laborent, propter quod specialem non potuit nuntium ad sedem apostolicam destinare. Licet autem tibi per privilegium sedis apostolicæ sit concessum, ut Upsallensi sede vacante, cum aliquem ibi subrogari contingit, nuntiis tuis et Ecclesiæ Upsallensis ad sedem apostolicam accedentibus, palleum concedatur, per te subrogato pontifici conferendum, quia tamen sedes illa non vacat, nec ipsum dandum de novo requiritur, ut tu tantum pro petitione ipsius tuos destinasti nuntios, et non ille, de jure potuimus postulato negare. Verum, ut supplicationi tuæ, cui volumus, quantum

(438) Vide Raynaldum, ad annum 1264, § 56.
(439) Vide Raynaldum, ad annum 1204. § 56.
(440) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 55.
(441) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 56.

possumus cum Domino, deferre, gratiam faciamus, pallium ipsum tibi per tuos nuntios duximus destinandum, per te archiepiscopo assignandum eidem, ita tamen, quod hoc in posterum ad consequentiam non trahatur.

Datum Romæ, apud sanctum Petrum, XII Kalendas Decembris.

CLIX (442).

CAPITULO STRIGONIENSI.

*Vocat eos ad præsentiam suam, ut de postulatione archiepiscopi Colocensis in archiepiscopum Strigoniensem sententiam audiant.*

(Apud S. Petrum, X Kal. Decembris.)

[Postulationi, quam celebrastis] de venerabili fratre nostro, J... Colocensi archiepiscopo, ad Strigoniensem metropolim transferendo, venerabiles fratres nostri, ejusdem metropolis suffraganei, videlicet C. Quinqueeclesiensis, B... Watiensis, R... Vesprimiensis, et J... Nitriensis, episcopi, penitus contradicunt, per suas nobis litteras intimantes, quod V.,. bonæ memoriæ, archiepiscopo vestro, viam universæ carnis ingresso, eis inconsultis, vos, habito adinvicem consilio diligenti, quodam de concanonicis vestris ad charissimi in Christo filii nostri, H. Ungarorum regis illustris, præsentiam destinatis, et quem vobis præfici volebatis, nomine tenus expressistis. Post dilationem vero non longam, cum ad festum Beati Stephani regis iidem episcopi solemniter convenissent, et super electione Strigoniensis ecclesiæ unanimi deliberatione tractarent, vos, ab eisdem episcopis requisiti, quem illi sedi velletis præfici ac præponi, taliter respondistis, quod nullum auderetis eligere, nisi qui plenam regis gratiam obtineret, et protinus prædictum Colocensem archiepiscopum, in quem jampridem cum rege conveneratis prædicto, nominare curastis, adjicientes quod in electione archiepiscopi suffraganei nihil juris haberent quibus ipsi suffraganei responderunt, quod a prima Christianitatis institutione in regno Ungariæ usque ad ista tempora, nullus ad sedem Strigoniensem fuerat electus, nisi suffraganeis una cum canonicis eligentibus, juxta constitutionem canonicam et consuetudinem approbatam. Dixerunt etiam, quod prius inquiri deberet, utrum de gremio illius ecclesiæ posset utilis et idoneus reperiri, asserentes, quod in ea multi sunt viri honesti, discreti et litterati, qui possent illi ecclesiæ decentius præsidere. Illud insuper per easdem nobis litteris intimarunt, quod, cum prædictus Colocensis archiepiscopus, usque ad hæc tempora, Colocensem ecclesiam strigoniensi metropoli asseruerit esse parem, eique tam verbo quam opere varias et intolerabiles injurias irrogarit, non modicum formidabant, ne, si ad memoratam metropolim transferretur, propriæ confessionis et assertionis non immemor, quasi rubore perfusus, ne sibi ipsi contrarius videretur, negotia Strigoniensis ecclesiæ minus efficaciter assumeret promovenda. et ipsos episcopos, qui ejus verbis et actibus juxta debitum suum dure quandoque restiterant, opprimere non cessaret cum tamen, juxta canonicas sanctiones, judex aliquibus non debeat dari suspectus, Porro, dilecti filii.... abbas de Bucco, et magister Petrus, pro rege prædicto, nec non et..,. præpositus Posonen, et.... thesaurarius Ecclesiæ vestræ, pro vobis in contrarium allegantes, assueruere constanter, ea, quæ ab ipsis episcopis proposita fuerant, penitus esse falsa, firmiter proponendo, quod per eumdem præpositum et alios ante communem tractatum vocati fuerunt solemniter, et venerunt, eorumque de gratia multoties fuit requisitus assensus; sed, cum super ecclesiæ vestræ provisione consilium et auxilium vobis congruum denegarent, vos, ipsi ecclesiæ desolatæ providere volentes, vocatis prædictis episcopis, convenistis in unum et vota vestra in prædictum Colocensem archiepiscopum, ut ipsum postularetis a nobis, unanimiter, eis præsentibus, contulistis, suppliciter exorantes, ut nos suis litteris pro postulatione vestra rogarent, quod ipsi facere penitus recusarunt. Prænominatis autem nuntiis asserentibus, quod translationem ipsius archiepiscopi urgens necessitas et evidens utilitas exigebant, in ipsa disceptatione fuit propositum coram nobis, quod memoratus archiepiscopus Colocensis, in grave Strigoniensis ecclesiæ præjudicium, vobis reclamantibus et confirmationes sedis apostolicæ ostendentibus, filium prædicti regis coronavit in regem, cum non ad Colocensem ecclesiam, sed ad metropolim vestram coronatio regis Ungariæ pertinere noscatur; unde tanquam alieni juris invasor et apostolici statuti contemptor, debebat graviter castigari, poteratque verisimili conjectura præsumi, quod, cum ipse querelam contra se ipsum et contra factum proprium non esset moturus, jus ecclesiæ vestræ super hoc prætermitteret indefensum, per quod ei grave posset præjudicium generari, quamvis econtrario fuerit replicatum, quod, absque contradictione cujuslibet et præjudicio alicujus, præscripta coronatio ab universitate fuerat celebrata. [Licet ergo per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio alicujus postulationem potuissemus repellere memoratam, ut tamen vobis, quantum cum Deo possumus, de speciali gratia consulamus, ita duximus providendam, quod, *si prædicti pontifices in contradictione perstiterint, et vos ad postulationem institeritis obtinendam, quia nobis non constitit de præmissis, usque ad Septuagesimam proximo venturam* (443), per procuratores idoneos, ad omnia sufficienter instructos, nostro vos conspectui præsentetis, quatenus, utraque parte præsenti, quod justum fuerit decernamus.] Si autem illi duxerint

(442) Fragmentum hujus epistolæ reperitur in collectione Decretalium, lib. I, tit. 5, *De postulatione prælatorum*, caput 5. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt. Eamdem epistolam laudat Raynaldus, ad an. 1204, § 47.

(443) Hæc in Decretalibus desunt.

a contradictione cessandum, et vos insistere volueritis ad postulationis gratiam obtinendam, nihilominus infra præscriptum terminum personas idoneas ad nostram præsentiam destinetis, quæ nobis fidem facere velint et valeant, super his quæ fuerint opportuna. Quod si, contradicentibus episcopis memoratis, vos minus de jure videritis confidendum, ne incassum laborem subeatis pariter et dolorem, aliam vobis personam idoneam provideatis canonice in pastorem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, x Kalendas Decembris.

*Scriptum est super hoc* regi, *hoc addito :* Monemus igitur celsitudinem tuam, quatenus prædictos episcopos non impedias nec impediri permittas, quominus episcopi supradicti suam apud nos justitiam libere prosequantur. B

Datum, *ut in alia.*

CLX (444).

M...... PRIORI SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ DE VALLE-FARES.

*Concedit ei Ecclesiam ab Alexandro PP. fabricatam, e. sub proprietate B. Petri relictam, sub annuo censu duarum librarum ceræ.*

(Apud S. Petrum, VIII Kal. Decemb.).

Sicut in authentico felicis memoriæ Cœlestini papæ, prædecessoris nostri, perspeximus contineri nobilis vir, P... de Lacopessel, fundum de Valle-Fares Ecclesiæ Romanæ obtulit, in quo ecclesia beatæ Mariæ Magdalenæ, constructa a bonæ memoriæ Alexandro papa, prædecessore nostro, in jus fuit et proprietatem beati Petri recepta. Nos igitur, C eorumdem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, eamdem ecclesiam sub nostra protectione suscipimus, etc. *usque,* communimus. Ad indicium autem, quod eadem ecclesia beati Petri juris et proprietatis existat, nobis et successoribus nostris, quas libras ceræ singulis annis exsolves. Nulli ergo.... nostræ protectionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Kalendas Decembris.

CLX.

..... EPISCOPO (445), ET CAPITULO NOVARIENSIBUS.

*Concessionem præbendæ cujusdam ab archiepiscopo Mediolanensi factam irritat.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Decembris.)

In litteris venerabilis fratris nostri... Mediolanensis archiepiscopi (446), perspeximus contineri, quod D dilectus filius, M... Bruxuard, ad præsentiam ejus accedens, ab eo humiliter postulavit, ut quamdam præbendam, quæ in Novariensi ecclesia de jure vacabat, et ad ipsum, ex statuto Lateranensis concilii, ejus erat donatio devoluta, ipsi conferre misericorditer dignaretur. Cumque multi ejusdem M... amici, tam clerici quam laici, apud dictum archiepiscopum institissent, asserentes concorditer ita esse, idem, ipsorum precibus fatigatus, dicto M... prædictam concessit præbendam. Verum, dilectus filius, magister Guido, Novariensis canonicus, memorato archiepiscopo postmodum intimavit, quod ei fuerat falso suggestum, videlicet quod præbenda vacaret, cum inter M... nepotem ejusdem magistri, et Joannem Bruxuard, patruum prædicti M... super eadem præbenda, coram judicibus a sede apostolica delegatis eo tempore quæstio verteretur ; unde. dicebat donationem illam nullius esse momenti cum fuerit tacita veritate subrepta, et, multa insuper super prædictis proponens, ad sedem apostolicam appellavit, postulans, ut per litteras suas nobis rei seriem nuntiaret, cujus petitioni præbens assensum, ipsi postulata concessit, prædictis etiam delegatis suas litteras intimavit, quod ipse nemini voluit facere præjudicium ; consulens illis, ut in dicta causa procederent secundum apostolici mandati tenorem. Nos igitur, attendentes quod fraus et dolus nulli debet patrocinium impertiri, concessionem memoratæ præbendæ ab eodem archiepiscopo factam, lite pendente, irritam decernimus et inanem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IX Kalendas Decembris.

CLXII.

W. (447) ABBATI MONASTERII MONTIS-MAJORIS, EJUSQUE FRATRIBUS, TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*Recepit eos sub protectione, et enumeratur bona ad ipsos spectantia.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Decembris).

Cum nos universis catholicæ Ecclesiæ filiis debitores, ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, existimemus, illis tamen locis atque personis propensiori nos convenit charitatis studio imminere, quæ ad sedem apostolicam noscuntur specialius pertinere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris, etc. *usque :* clementer annuimus, et prædecessorum nostrorum felicis memoriæ, Urbani, Pascalis, Gelasii, Calisti, Eugenii et Lucii, Romanorum pontificum, vestigiis inhærentes, prædictum monasterium, in quo divino, etc., *usque* communimus ; statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona, etc., *usque* exprimenda vocabulis, in comitatu Arelatensi monasterium ipsum Sancti Petri Montis-majoris, cum pertinentiis suis ; Castelletum, cum omni territorio suo ; ecclesiam Sancti Isidori infra muros civitatis Arelaten. sitam, cum parochia et cæmeterio ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Mari,

(444) Laudata a Raynaldo, ad annum 1204, § 81.

(445) Petrus, ex cathedralis canonico Novariensem emersit ad sedem versus annum 1196. Quatuordecim annos Novariensem Ecclesiam administrasse dicitur, defunctus anno. 1210 UGHELL. *Ital. sac.* tom. IV, col. 968. Vide etiam lib. III, epist. 6.

(446) Ibidem.

(447) Guillelmus III, de Bonilis, ex priore S. Antonii, electus Montis-majoris abbas, hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1204, in mense Octobris, ad sedem apostolicam una cum Petro rege Arragonum, Arelatensi archiepiscopo, et præposito profectus, inaugurationem et benedictionem accepit sine controversia. Præfuit usque ad annum 1233. *Gall. Christ.* tom. I, col. 608.

cum omnibus pertinentiis suis : castrum de Miramars et ecclesias ejusdem castri, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam et villam Sancti Genesii, cum pertinentiis suis ecclesiam Sancti Martini parochialem de Lauria, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Laurentii, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam sancti Romani, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Jacobi de Moriers, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam de Pellicana, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Sereni, cum pertinentiis suis ; et ecclesiam Sancti Petri de Mallan. cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Avinionem. omna jura, et possessiones, quas in castro Tarasconis et Bellicadri habetis ; omnia jura quæ in villa et in territorio de Laurada, habetis ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de villa Sancti Remigii, cum medietate ejusdem villæ, et cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Genesii de Romanino ; omnia jura, quæ habetis in villa de Cabannis, et ejusdem territorio ; ecclesiam Sancti Sepulcri de Verqueriis, cum pertinentiis suis, et cætera, quæ in eadem villa habetis ; omnia jura et possessiones, quas habetis in villa Sancti Andeoli et ejusdem territorio ; omnia jura, et possessiones, quas habetis in villa de Moleges, et ejusdem territorio, ecclesiam Sancti Verani, quæ est in territorio de Airaga, cum omnibus pertinentiis suis ; omnia jura, et possessiones, quas habetis in villa et territorio de Gravesons, et in villa et territorio de Lagoses. In episcopatu Cavellicen. ecclesiam Sancti Petri de Menomenas, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Joannis de Cleu ; omnia jura et possessiones, quas in villa et territorio de Insulta, et omnia jura, quæ in territorio de Avellonegues habetis. In episcopatu Carpentoraten. ecclesiam Sancti Petri de Paternis ; ecclesiam Sancti Mauricii de Vennasca, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Laurentii de Marmorem. cum pertinentiis suis, ecclesiam Sanctæ Fidei, cum pertinentiis suis ; monasterium Sancti Antonii, et medietatem castri de Bedonio, cum omnibus pertinentiis suis ; monasterium Sancti Jacobi de Valle-saltus, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Michaelis de Anesca, cum pertinentiis suis, ecclesias Sancti Martini et Sanctæ Mariæ de Montiliis, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Vasionen. ecclesiam Sanctæ Mariæ de Forcas, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Andreæ de Ramera, cum pertinentiis suis ; ecclesiam de Dolonn. et villam, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Andeoli de Cairan. cum peritnentiis suis, et ecclesiam Sancti Petri de Revello, cum pertinentiis suis. In episcopatu Aurasicen. ecclesiam Sancti Marcelli de Sirinnam. cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Petri de Velloricha, cum pertinentiis suis ; omnia jura, et possessiones, quas in civitate Auravicen. habetis. In comitatu Aquen. ecclesiam Sancti Petri de Aleno, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Michaelis de Mala-

A mort. cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Roccarossa ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Plano, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Stephani de Ronnas ; ecclesiam Sancti Joannis de Salietas ; ecclesiam Sancti Petri de Mari, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Chalican. cum omnibus pertinentiis suis ; monasterium Sancti Honorati de Rocca-fraudosa, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Juliani de Agulla, cum pertinentiis suis ; eclesiam de Vellaus ; ecclesiam de Cabrer. et ecclesiam Sancti Petri de Pino, cum omnibus pertinentiis suis, quidquid juris habetis in ecclesia de Oleras, et quartam partem ejusdem castri ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Sesols ; ecclesiam de Balcodenas ; ecclesiam de Balles, et

B ecclesiam Sanctæ Mariæ de Tous, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Juliani quæ est ini territorio de Joquas, cum pertinentiis suis ; castrum de Pertisio, cum omni villa adjacente, et cum territorio culto et inculto ; omnes ecclesias in eodem castro, cum pernentiis, suis, et cum omni dominio totius castri in omnibus intus et extra, et portum Durentiæ ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Alneu, et ecclesiam Sancti Laurentii de Robians, cum omnibus pertinentiis suis ; monasterium Sanctæ Mariæ de Carocolo, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesias de Castro Rellan. Sancti Petri, Sanctæ Mariæ, et Sancti Donysii, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sanctæ Crucis de Auribell. ecclesiam Sancti Shephani de Crau, quæ est sita in territorio castri Sancti Saturnini, cum omnibus

C pertinentiis suis. In episcopatu Forojulien. monasterium de Correns, cum omnibus pertinentiis suis ; in castro Villæpiscis, ecclesiam Sancti Michaelis, cum parochia sua ; in castro Roca-bruna parochiam ; in castro Flachan, ecclesias, cum parochiis suis ; quidquid juris habetis in ecclesia Sanctæ Mariæ de Aurete, et ecclesias de Bersa, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Regen. monasterium Sancti Petri de Stublon. cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Vincentii de Mesello ; ecclesiam Sancti Petris de Riolas ; ecclesiam Sancti Pontii de Castronovo, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Rancti Martini de Bruneto, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Petri de Vileta, cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Honorati

D de Pallarols, et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Villanova, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Senecen. castrum, quod dicitur Noranta, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Sistericen. ecclesiam Sancti Petri de Saumana, cum pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Salvatoris de Valbaines, cum pertinentiis suis. In episcopatu Vapicen. ecclesiam Sanctæ Mariæ de Antonavas, cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Laugerii de Jaubia, cum pertinentiis suis. In diæcesi Viennen. ecclesiam Sancti Antonii de Mota, cum parochia sua, et cum omnibus aliis pertinentiis suis, et domum eleemosynariam, quæ in ejus pa-

rochia sita est, et proprietate, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Montanea; ecclesiam Sancti Marcellini; ecclesiam Sancti Joannis de Formental. ecclesiam Sancti Martini de Vunai; ecclesiam Sancti Perri de Monteluser; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Quincem; ecclesiam Sancti Desiderii de Castro; ecclesiam Sancti Cypriani; ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdeleinæ de Baen, cum omnibus pertinentis suis; ecclesiam Sancti Petri de Lausonna; ecclesiam de Caprereriis, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesias Sancti Evodii, Sancti Boniti, Sancti Hilarii, Sancti Salvatoris, et Sanctæ Mariæ de Lechis, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Gratianopolitan. ecclesiam Sancti Justi; ecclesiam castri de Rouo, et dominium ejusdem castri, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Romani de Cranenco, cum omnibus pertinentiis suis; monasterium Sancti Stephani de Nacon, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Joannis de Exarto; ecclesiam de Reneuvell. Ecclesiam de Conniis; ecclesiam Sancti Justi, et ecclesiam Sanctæ Mariæ; et Albaripa, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Dien. monasterium Sancti Johannis de Roms; ecclesiam Sancti Martini de Coronel. cum pertinentiis suis, et quidquid juris habetis in ecclesia Sanctæ Mariæ de Auriolo. In episcopatu Valentiæ, ecclesiam Sancti Petri de Mota, Sancti Thomæ, et Sanctæ Mariæ de Jallans, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Maimanis; ecclesiam de Cerna, et ecclesiam de Podio Rigaudo, cum omnibus pertinentiis suis. In comitatu Vigintimilien. justa mare, abbatiam Beati Appellen. cum omnibus pertinentiis suis. Sane, novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus, etc. *usque* : præsumat. Præsenti nihilominus decreto prohibemus, ut nullus, intra parochias vestras, absque diœcesani episcopi et vestro assensu, ecclesiam de novo ædificare præsumat, salvis tamen privilegiis pontificum Romanorum; in parochialibus autem ecclesiis, etc. *usque* : idonei fuerint tantum ad repræsentationem vestram animarum curam committat, ut de plebis quidem cura episcopo, vobis autem de temporalibus debeat respondere. Sepulturam quoque, etc. *usque* : obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesiæ. Obeunte vero te, etc. *usque* beati Benedicti Regulam, providerint eligendum, qui videlicet aut a Romano pontifice, aut ab eo, cui permiserit, professione seposita ordinetur. Nulli etiam episcopo facultas sit sine Romani pontificis aut legati ejus mandato idem monasterium excommunicationi, vel interdicto A subjicere. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ anctoritate, et diœcesanorum episcoporum canonica justitia in supradictis capellis. Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ libertatis, quatuor solidos Mergurien. monetæ veteris nobis, nostrisque successoribus, annis singulis persolvetis. Si qua igitur, etc. Cunctis, autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et notarii, III Kalendas Decembris, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

CLXIII.

..... PARMENSI EPISCOPO (448).

*Compositionem inter abbatem sancti Sixti et communitatem Cremonensem initam auctoritate apostolica confirmat.* (*Insertum est ipsum compositionis instrumentum.*) B

(Apud S. Petrum, VIII Id. Decemb.)

Cum dilectus filius, G. abbas Sancti Sixti, nuper ad sedem apostolicam accessisset, de Cremonensibus depositurus in præsentia nostra querelam, pro cujus monasterio civitas fuerat interdicta, et potestates, et consules, ac consiliari vinculo excommuninationis astricti, dilectus filius, Joannes Bonus, pro ipsa civitate advenit, qui cum ipso abbate, ad admonitionem nostram, amicalem curavit compositionem inire. Nos ergo, postmodum ad postulationem utriusque partis, interdictum, cui erat civitas ipsa supposita, duximus relaxandum; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, C qualenus interdictum ipsum denunties relaxatum a nobis, et, ab excommunicatis juratoria cautione recepta, quod nostris curent obedire mandatis, beneficium eis absolutionis impendas, injungens eis sub debito præstiti juramenti, ut inviolabiliter prædictam compositionem observent, quam tamen salvo in omnibus jure apostolicæ sedis, volumus observari. Tenor autem illius compositionis est talis. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Abbas monasterii Sancti Sixti, mediante domino papa et auctoritatem præstante, propria voluntate et consensu prioris P. tale pactum iniit cum nuntio Cremonensi, Johanne Bono, videlicet super facto Guastallæ et Luciariæ, scilicet, quod ipse abbas nomine suo et monasterii sui promisit, D quod nec ipse, nec monasterium suum movebit aliquam quæstionem seu litem contra communitatem Cremonensem super prædictis villis, donec imperator fuerit a romano pontifice coronatus, salvo sibi et ecclesiæ suæ omni jure quod habet in prædictis Curtibus, et in omnibus fructibus præ-

(448) Opizzo Sanvitalis, Ugonis equitis filius, ex perillustri vetustoque procerum Parmensium in Italia genere, Bernardum, anno 1194 die 8 mensis Novembris defunctum, ad episcopalem. Parmensis Ecclesiæ sedem confestim secutus est. Vir fuit Opizzo eloquentissimus, in utroque jure peritissimus, et in rebus tractandis sagax et prudens, erga divinum sanctorumque cultum pius: corpus enim S. Domini, anno 1207, in oppidum Burhi solemni pompa transulit, quod inde oppidum S. Domnini nomen accepit. Singulari gratia apud Othonem imperatorem IV valuit. Ipsius mentio frequens habetur in Regesto Honorii PP. III, Excessit e vita anno 1224, II Kal. Junii, sepultusque est in Cathedrali. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. II, col. 220.

teriti temporis; ita tamen, quod quidquid usque modo actum est per dominum Reginensem (449), vel per dominum Mutinensem (450), delegatos domini papæ, super prædicta querela, nihil noceat vel præjudicet Cremonensibus in jure suo, seu possessione, præterquam in temporis interruptione et actionis perpetuatione. Dicta vero testium productorum ab abbate coram episcopo Mutinensi tantum valeant, quantum de jure valere debebunt, et pro hac dilatione et concordia accepit prædictus abbas centum sexaginta libras imperiales a Cremonensibus, et coram summo pontifice confessus est, se recepisse prædictam pecuniam, renuntians, exceptioni non numeratæ pecuniæ, et præterea securitatem et cautionem recepit de viginti libris imperialibus, quas singulis annis recipere debebit a Cremonensibus in festo Sancti Michaelis usque ad terminum supradictum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Decembris.

## CLXIV (451).

EPISCOPIS, ET ABBATIBUS IN EXERCITU CHRISTIANO APUD CONSTANTINOPOLIM CONSTITUTIS.

*Ut in ecclesiam a Græcis sacerdotes Latini constituantur, et rectorem faciant eligere*

(Apud S. Petrum, VII Id. Decembris.)

Quia non minor est virtus, quam quærere, parta tueri, ad meritum vobis credimus profuturum, Constantinopolitano imperio ad augmentum. et generali Ecclesiæ ad honorem, si ecclesias, a Græcis relictas, de Latinis clericis ordinetis, ad cultum divini nominis sub orthodoxæ fidei regula in devotione sedis apostolicæ conservandas. Turpe siquidem esset, in ultimæ discussionis examine ulciscendum, si sic Græcorum terminos exiretis, ut, inordinatis ecclesiis, regnum quasi sine sacerdotio remaneret, nec essent qui Latinorum populo ibidem, dante Domino, perpetuo remansuro, juxta suum ritum divina rite celebrarent Officia, et exhiberent ecclesiastica sacramenta. Monemus igitur discretionem vestram et exhortamur in Domino, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus, convenientes in unum, in ecclesiis Constantinopolitanæ civitatis, in quibus Latini hactenus non fuerunt, auctoritate nostra suffulti, Latinos clericos instituere procuretis, qui et dignum Deo impendant obsequium, et ecclesiastica bona conservent, et in apostolicæ sedis devotione persistant et parochianis eorum in divinis officiis et ecclesiasticis provideant sacramentis. Quia vero membra sine capite non subsistunt, ne iidem clerici, si absque rectore fuerint, acephali videantur, volumus et mandamus, quatenus universis Latinis clericis, cujuscumque regionis et gentis, apud Constantinopolim constitutis, convocatis in unum, de præficiendo eis idoneo provisore, viro videlicet Deum timente, tam ætate maturo, quam scientia reverendo, tractatum cum eis pariter habeatis, et eum, in quem canonice concordarint, auctoritate nostra rectorem præficiatis eisdem, a nobis vel legatis nostris, quos Constantinopolim in proximo destinare disponimus, confirmandum, ut per nos vel eos, quod defuerit plenius suppleatur. Personam autem, quæ ad hoc onus, fuerit nominata, ad suscipiendum quod ei fuerit auctoritate nostra impositum, non solum inducere, sed, monitione permissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellere procuretis; mandatum nostrum taliter impleturi quod non de negligentia reprehendi, sed de diligentia debeatis potius commendari. Quod si non omnes.... tres vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Decembris, anno septimo.

## CLXV (452).

P. DE CASTRONOVO, ET RODULPHO, MONACHIS FONTISFRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Omissa sacerdotiorum provisione, eam ad pontificem devolutam declarat*

(Apud S. Petrum, VIII Id. Decemb.)

Litteras vestræ discretionis accepimus, *quibus, responsum apostolicum imploratis super his quæ ambigua vobis existunt, videlicet* (453), quod, cum in quibusdam Ecclesiis, legationi vestræ subjectis, quædam beneficia et dignitates tanto tempore vacavissent, quod tam prælati quam capitula, secundum tenorem Lateranensis concilii, essent jure instituendi privati, postquam vester adventus *illis* innotuit, in Beneficiis illis personas minus idoneas instituere præsumpserunt.] Unde, cum reciperetis consilium a viris peritis, ut tales institutiones, ab his quorum non intererat, et qui propria culpa jure instituendi se privaverant, factas, auctoritate apostolica cassaretis, nostrum prius in hoc consilium decrevistis habere. Proposuistis præterea, quod consuetudo in quibusdam ecclesiis inolevit, ut lectisternia, in quibus corpora defunctorum ad ecclesias deferuntur, cedant in usus ecclesiæ ministrorum, nec autem (454), refrigescente populi charitate, ac devotione cessante, inter clerum et populum occasione lectorum sæpe scandalum generatur. Item, cum multi, qui in sententiæ latæ canonem inciderunt, et qui vobis legationis ratione non subsunt, ad vos pro bene-

(449) Petrus ad Regiensem (sic enim potius legendum videtur) sedem promotus est anno 1187. Postremam diem obiit anno 1212. UGHELL. *Ital. Sacr.* tom. II, col. 303.

(450) Lib. III, epist. 32, not. 430.

(451) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 22.

(452) Relata, sed nimium mutila, inter Decretales, lib. I, tit. 10, *de supplenda negligentia Prælatorum*, cap. 4. Quæ illic leguntur, hic, de more, uncis inclusa sunt; variæ etiam lectiones dantur.

Ejusdem fragmentum exhibet Raynaldus, ad annum 1204, § 66.

(453) Hæc in Decret. desunt, ut infra vox *illis*.

(454) Sic, et in apographo Vaticano; sed mendose, ut videtur.

ficio absolutionis accedant, volentes contra hæreticorum pravitem accingi, ac etiam, cum quidam claustrales, propter interjectionem manuum in clericos sæculares, excommunicationis vinculo teneantur astricti, nec accingi contra hæreticos valeant, nec habeant facultatem sedem apostolicam adeundi, et postulent a vobis absolvi, quid vos super hoc oporteat facere requisistis. [*Nos igitur, inquisitioni vestræ* (455) *breviter respondentes, per apostolica vobis scripta* mandamus, « (456) qualenus, » si beneficia vel dignitates ipsas noveritis perso» nis idoneis assignatas, ea de patientia permit» tatis ab ipsis pacifice possideri ; alioquin, per» sonas *ipsas* (457) amoventes prorsus ab illis, ea » de personis idoneis, auctoritate nostra suffulti, » *nullius contradictionis vel appellationis obstaculo* » (458), non differatis quantocius ordinare (459). »] contradictione per censuram ecclesiasticam compescentes. Clericos autem diligentius moneatis, ne super lectis qui ad eorum ecclesias cum defunctorum corporibus deferuntur, molestam exactionem, aut inhonestan importunitatem exerceant, laicos quoque ut in his laudabilem consuetudinem ex devotione fidelium hactenus observatam observent, monitione curetis inducere diligenti, eos ad hæc si necesse fuerit per districtionem ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. Ad hæc, cum apostolica sedes consueverit legatis suis ex gratia speciali committere absolutionem illorum, qui pro injectione manuum violenta vinculo sunt excommunicationis astricti, volumus emandamus, ut super his procedatis, prout illorum saluti videritis expedire, nisi excessus eorum esset difficilis et enormis, utpote si sit ad mutilationem membri, vel sanguinis effusionem processum, aut violenta manus in episcopum vel abbatem injecta, cum excessus tales et similes sine scandalo nequeant præteriri. Cæterum, super his, de quibus nostrum consilium ultimo requisistis, videlicet contra illos, qui, suorum privilegiorum obtentu, ab omni legatorum correctione subtrahunt, nisi ad eos specialiter fuerint destinati, cum infamia conversationis eorum, et fidelibus scandalum, et hæreticis insultandi vobis præstet maximum argumentum, consulimus, et monemus, ut, super negotio vobis injuncto vehementius intendentes, non requiratis in aliis qui possint impedire commissa, ne unum quod inevitabilem necessitatem inducit, per aliud, quod est tolerabile, impedimentum assumat.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Decembris, anno septimo.

CLXVI (460).

ARCHIEPISCOPO ARELATENSI (461).

*Ut episcopo Aurasicensi, gravi atque incurabili mobo laboranti* (462), *socium et coadjutorem adjungat.*

(Apud S. Petrum, IV Non. Decemb.)

[Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum *venerabilis frater noster.... Aurasicensis* (463) episcopus gravi, et incurabili morbo fere *jam* per

(455) Decretal. *discretioni vestræ.*

(456) Hæc apud Raynaldum.

(457) Deest hoc verbum.

(458) Desunt hæc.

(459) Hactenus Raynaldus.

(460) Extat inter Decretales, lib. III, tit. 6, *de clerico ægrotante vel debilito*, cap. 5. Variæ lectiones dantur, quæ Italico charactere distinguuntur desunt in Decretalibus.

Eamdem epistolam laudat Raynaldus, ad annum 1204, § 68. Sed error inest in indicatione marginali numeri.

(461) Archiepiscopalem Arelatensium sedem tunc obtinebat Michael de Moresio, de quo, jam egimus in notis ad epistolas libri quinti 74 et 128, ubi de ipsius in archiepiscopum Arelatensem electionis epocha fuse disputavimus. Utrum anno 1202 assignando sit hæc electio, ambigitur; sed ultra annum 1203 differri nequit, ut ex instrumentis apud auctores novæ Galliæ Christianæ (tom. I, col. 565), citatis evincitur. Michaelem usque ad annum 1217 sedisse pro comperto habemus. Verum, ex notis chronologis epistolarum Innocentii diversæ oriuntur difficultates; quasdam jam attigimus. alias hic breviter indicamus : sed easdem aliis solvendas relinquimus.

Ex epistola libri quinti 128, quæ quidem nullam peculiaris anni nec dici notam chronologicam exhibet, sed quam non nisi post VII Id. Septembris anno 1202 dari potuisse probavimus, eruitur, archiepiscopum Arelatensem tunc temporis apud sedem apostolicam versatum fuisse.

Notum est aliunde, ut ex instrumento mox, in hoc libro septimo, n° 229, exhibendo patebit, Arelatensem præsulem, anno 1204, jam a IV Idus Novembris Romæ præsentem fuisse, una cum Petro, Aragonum rege, quem ad curiam Romanam, ut coronam accipere, accedentem secutus fuerat.

Demum, hæc, de qua nunc agimus, ejusdem libri septimi epistola 176, quæ, IV Non. Decembris, anno pontificatus Innocentii septimo, id est anno Christi 1204, data diserte dicitur, ad antistitem, non Romæ commorantem, sed in diocesi sua præsentem, directa fuisse videtur.

(462) Conferenda sunt omnino cum his quæ hic leguntur, ea quæ a novæ Galliæ Christianæ auctoribus, (tom. I, col. 775.) de episcopis Aurasicensibus referuntur. Arnulphum, tricesimum secundum episcopum Arausicensem, jam ab anno 1182, ex instrumentis agnoscunt. Mox addunt : « Cum lepra laboraret hic episcopus, coadjutorem accepit jussu Innocentii PP. III, occasionemque præbuit huic pontificis juris decisioni : *Episcopo, qui propter morbum incurabilem pastorale officium exercere non potest, dandus est coadjutor, nec afflicto afflictio est addenda, imo potius ipsius miseriæ miserandum.* Ipse vero morbosus antistes rus concessit, duabus leucis ab Arausione in loco suburbano, inter loca Montis-Draconis et Mornasse, ibique domum exstruxit, ut reliquum vitæ exigeret, quæ in eremum versa est S. Lupi. Quando vero, morbo cogente, ab administratione suæ Ecclesiæ abstinuerit, nescimus. Adfuit an. 1184, Guillelmo de Baucio, privilegia canonicis Arausicanis concedenti, quo tempore verisimile est eum sanum fuisse, nec adhuc recessisse ab hominum consortio. Innocentius III cathedram S. Petri non conscendat, nisi an. 1198, quo paulo post de coadjutore illi dando decretum fecit . . . .

« XXXIII. Guillelmus Elias, quem Prevotius, post Ughellum, dicit monachum fuisse Cisterciensem. ex coadjutore Arnulfi factus est episcopus anno 1200..... Migravit ex hac vita anno 1221, ut notat Albericus, eum virum honestum et religiosum vocans.»

(403) Decretal., *Auragiensis.*

quadriennium laboravit, ita quod pastorale officium A non *potuit, nec* potest ullatenus exercere, *nobilis vir.... de Baucio,* princeps terræ illius, consules, ac cives civitatis ejusdem, a te postulant incessanter, ut *tam* ipsis, *quam Aurasicensi ecclesiæ,* cum sis metropolitanus eorum, studeas providere. Verum, cum *tu prædictum episcopum* (464) ad cessionem compellere nec possis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, imo potius *sit* ipsius miseriæ miserandum, eo quod idem vir bonus exstiterit et *honestus,* et ecclesiam sibi commissam salubriter *gubernavit* (465), *quid super his agere debeas sedem duxisti apostolicam consulendam.* Nos *igitur,* volentes tam *præfato* episcopo quam Ecclesiæ *suæ salubriter provideri* (466), *fraternitati tuæ taliter respondemus, et apostolica scripta mandamus,* quatenus illi coadjutorem associes, virum providum et honestum, per quem tam episcopo quam populo *sibi commisso salubriter* (467) consulatur.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Non. Decembris, pontificatus nostri anno septimo.

## CLXVII.

UNIVERSIS HAS LITTERAS INSPECTURIS.

*Ne abbatissæ Urbis, inconsulto papa vel ejus vicario immobilia vendere, alienare, et in feudum tradere præsumant.*

(Apud S. Petrum, VII Idus Decemb.)

Quia nonnullæ abbatissæ cœnobiorum Urbis, reverentia divina postposita, utpote propriæ salutis oblitæ, super possessionibus, et aliis bonis ad monasteria spectantibus, quibus præsunt, alienationes C faciunt, in eorum gravissimam læsionem; nos, eorum indemnitatibus, quorum nobis cura specialis imminet, consulere cupientes, de communi fratrum nostrorum concilio, præsenti constitutione decernimus, ut universæ abbatissæ Urbis a potestate vendendi, obligandi, infeudandi atque locandi, seu alinandi quocunque modo res immobiles, sint suspensæ, ita quod omnis venditio, obligatio, infeudatio, locatio, seu alienatio rerum immobilium ab eisdem quomodolibet celebrata, ipso jure irrita censeatur, nisi forsan Romani pontificis, vel ejus vicarii, qui pro tempore fuerit, licentia intervenerit specialis in publicam scripturam redacta. Nulli ergo... hanc paginam nostræ constitutionis, etc., *usque* incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus D Decembris, pontificatus nostri anno septimo.

## CLXVIII (468).

.... ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI (469), ELIENSI (470), ET WIGORNIENSI (471) EPISCOPIS.

*Commissio causæ restitutionis dotis, per regem Anglorum uxori ejus fratris regis prædefuncti faciendæ.*

(Apud S. Petrum, XVII Kal. Januarii.)

Si judex, qui nec Deum timebat, nec hominem. verebatur, commotus ad instantiam viduæ conquerentis, de adversario suo vindictam fecit eidem, quanto magis nos a clamoribus viduarum non debemus avertere aures nostras, qui, licet immeriti, ejus locum tenemus in terris, qui omnibus injuriam patientibus, sine personarum acceptione, facit judicium, et voce prophetica subveniri jubet oppresso, et viduam defensari? Licet autem, ut novit ille qui scrutatur renes et corda, J. regem Anglorum illustrem, sicut charissimum filium diligamus, contra justitiam tamen magnitudini suæ deferre non possumus, cum, gratia et timore postpositis, eam non B debeamus alieni denegare, in ipsa facti sapientibus et insipientibus debitores, ex susceptæ officio servitutis. Plus enim serenitatem regiam crederemus offendere, si ei parceremus aliquatenus in hac parte, quam gratiam impartiri, eo quod occasionem videremur præstare ipsius impediendi salutem, ad quam tenemur ipsum modis omnibus exhortari. Cum igitur charissima in Christo filia, B.. quondam Anglorum regina illustris, multiplicatis querelis pulsari fecerit aures nostras, quod rex ipse dotalitium ejus, et alia quædam ad ipsam de jure spectantia, pro suæ voluntatis arbitrio detineret, nos, quantum cum Domino potuimus, celsitudini regiæ deferentes, per nostras eum curavimus litteras commonere, ut super his eidem reginæ satisfacere procuraret, eo quod in his divinam offenderat majestatem, et in conspectu hominum reprehensibilis apparebat. Ab ipse, claræ memoriæ A... matrem suam (472), dotalitium ipsum detinere proponens, tandem post commonitiones nostras et preces multorum, amicabilem compositionem super prædictis inivit cum ea, quam licet auctoritate impetraverit apostolica confirmari, eam tamen inviolabiliter observare, prout constantiam magnitndinis regiæ decuit, non curavit, redditus, quos in compositione prædicta assignarat, eidem ipsi subtrahens universos. Cumque iterum eadem super his nobis replicari fecerit quæstionem, nos, per eumdem hæc corrigi cupientes, eum rogavimus et monuimus, in remissionem ei suorum peccatorum injungentes, ut conquerendi sic satisfacere non differret, quod Altissimum quem offenderat, complacaret, et in conspectu hominum ex hoc promereri posset gloriam et honorem. Et, ejus volentes potius saluti consulere, dilectis filiis... Casemarii (473)... majoris Monasterii Turon (474), et... de Virson (475), abbatibus, nihilominus dedimus in mandatis, ut

(464) Decretal. *ipsum*, pro *t. p. ep.*

(465) Decretal. *gubernaverit.*

(466) Decretal. *providero.*

(467) Decretal. *utiliter*, om. *sibi com.*

(468) Hanc. epist. laudat Raynaldus, ad an. 1204, § 69.

Vide etiam Angel. Maurique, *Annal. Cisterc.*, t. III, pag. 448, col. 2, ad annum 1205, cap. 4, § 4.

(469) De eo jam dictum est sæpius.

(470) Lib. v, epist. 54.

(471) Lib. v, epist. 23, not.

(472) Sic in Apographo, sed mendose, ut videtur.

(473) De abbate Casemarii (Joanne), sæpius in Regestis.

(474) Majoris monasterii abbates enumerantur ab auctoribus veteris *Galliæ Christianæ* t. IV, pag. 592, col. 1, lit *A* et *B*.

(475) Monasterium Virzionense (hic enim agi videtur de abbate hujus monasterii, *al.* Doverensis),

cum super dotalitio, medietate mobilium, damnis et A injuriis reginæ illatis, ad justitiæ plenitudinem exhibendam, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, cogere procurarent. Verum, licet prædictus Casemarii abbas ipsum ad id monuerit viva voce, idem tamen memoratæ reginæ adhuc satisfacere non curavit, sicut ipsius ad nos querela indicat iterata, cum saltem illud eum movere deberet, quod..... uxor quondam fratris ejus, qui tantus exstiterat, quasi paupercula et abjecta, apud nobilem mulierem, B.... comitissam Campaniæ, sororem suam, cogitur mendicare. Cæterum, cum supradicta mater regis ejusdem viam sit universæ carnis ingressa et dotalitium, quod detinebat, ad ipsius regis manus sit in ejus obitu devolutum, se de cætero ex hoc non poterit rationabiliter excusare, si sæpe- B dictæ reginæ dotalitium ipsum non duxerit assignandum. Quapropter, magnificentiam regiam rogamus per nostras litteras et monemus, et in remissionem ei suorum injungimus peccatorum, ut, divinæ pietatis intuitu et nostrarum precum obtentu, præmemorate reginæ dotalitium ipsum assignare non differat, de damnis et injuriis eidem illatis, et quæstionibus aliis, quas adversus eum se proponit habere, satisfactionem congruam impendendo. Alioquin, quia viduis et orphanis specialiter sumus in sua justitia debitores, fraternitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, ut tam super dotalitio, quam aliis quæstionibus, duas adversus eumdem regem sæpedicta regina duxerit proponendas, inquiratis, appellatione remota, diligentius veritatem, et usque ad calculum C diffinitivæ sententiæ procedentes, gesta omnia fideliter redacta in scriptis, sub sigillis vestris nobis transmittere non tardetis, et assignetis partibus terminum competentem, quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent, sententiam recepturæ; contradictores censura ecclesiastica, sublato appellationis obstaculo, nihilominus compescentes. Volumus etiam nihilominus et mandamus, ut, cum procurator et Nuntii prædictæ reginæ propter maris et viarum discrimina ad vos accessum frequenter habere non possint, ipsis, et parti adversæ, uno edicto pro omnibus, appellatione cessante, terminum peremptorium assignetis, spatii longitudinem attendentes. Testes autem, etc. Nullis litteris veritati et justitiæ, etc. Quod si non omnes D duo vestrum etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kalendas Januarii, anno septimo.

tunc temporis regebat Guillelmus I, notus in instrumentis jam ab anno 1185. Obiit anno 1169, III Non. Januarii. *Gall. Christ.* nov., tom. II, col. 138.

(476) Epistola hæc, fere tota, sed in partes divisa, reperitur inter Decretales in diversis locis, prout sigillatim in nobis sequentibus indicabitur. Quæ in Decretales leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ etiam lectiones dantur.

(477) De isto jam dictum est sæpius.

(478) Vide Decretales, lib. I, tit. 29, *De officio et potestate judicis delegati*, cap. 28.

## CLXIX (476).

..... EPISCOPO ELIENSI (477).

*Diversis ejus consultationibus respondet.*

(Apud S. Petrum. XIV Kal. Januarii.)

(478) [Pastoralis officii] diligentia et sollicitudo, quam geris circa exsecutionem mandatorum nostrorum, et zelus tuæ rectitudinis nos invitant, ut, quamvis simus multiplicibus negotiorum, occupationibus præpediti, eisdem tamen ad horam subtrahamus ipsos, in qua tuis intendamus consultationibus responsuri.

Consulit etenim nos tuæ fraternitatis discretio, utrum, si delegatus a principe causam sibi commissam alii delegare voluerit, nolentem delegationem suscipere ad ipsam suscipiendam valeat coarctare? Ad quod tibi de fratrum nostrorum concilio taliter (479) [duximus respondendum, quod, cum *delegato* (480) a principe jurisdictio dandi *judicem* sit a lege concessa, dummodo idem exonerare se ipsum malitiose non quærat, potest compellere renuentem eo quod jurisdictio illa nullius videretur *esse* momenti, si *cohertionem* aliquam non haberet. *Debet tamen delegatus prædictus* sollicite providere, ut, si personis superioribus, exigente necessitate, negotium duxerit delegandum, in coarctionibus inferendis dignitati deferat et personæ.]

Subsequenter etiam quæsivisti, utrum cui voluerit delegatus, cum viderit expedire, possit injungere, ut ad suam præsentiam citet partes, et eis, si obedire contempserint, pœnam infligere pro contemptu. Ad quod tuæ fraternitati breviter respondemus, quod (481) [cum totum negotium alii possit *committere* (482), sicut superius est expressum, citationis officium potest cuilibet, discretione prævia, demandare, ac punire merito contemptorem].

(483) [Ex parte tua fuit insuper *requisitum* (484), utrum, si aliqua causa fuerit ad archiepiscum per appellationem delata, possit eamdem jure ordinariæ potestatis suffraganei sui subdito delegare, vel animadvertere in eumdem si causam renuerit suscipere delegatam? Ad quod *utique* respondemus, quod archiepiscopus ipsum ad suscipiendam delegationem hujusmodi compellere nequit invitum, cum in eum, exceptis quibusdam certis articulis, nullam habeat potestatem, licet episcopus suus eidem sit metropolica lege subjectus.]

(485) [Postulasti præterea *per sedem apostolicam edoceri*, si, cum a sententia lata litterarum auctoritate nostrarum, in quibus appellatio est inhibita

(479) Ibid. loc. cit.

(480) Decretales legunt *delegata*, et *invicem* pro *judicem*; infra verbum *esse* omittunt et *delegatus tamen debet* legunt pro *D. t. d. p.*

(481) Ibid loc. cit.

(482) Omittunt Decretales hoc verbum.

(483) Ibid. I, tit. 31, *De officio judicis ordinarii*, cap. 11.

(484) Decretales legunt *quæsitam*; mox om. verbum *utione* et in infra *per sed. ap, ed.*

(485) Ibid. lib. I, tit. 29, loc. et cap. cit.

fuerit appellatum, et litteræ post appellationem ad judices alios *emanarint* (486), ad mandatum posteriorum judicum exsecutio sententiæ a prioribus demandata debeat retardari, ut priores judices ipsam neque per se, neque per alios exsequantur? Nos autem inquisitioni *tuæ sic duximus respondendum* (487), quod, cum *nos* appellationis causam ex certa scientia judicibus aliis committimus cognoscendam, appellationem videmur recipere, ac jurisdictionem priorum judicum revocare, ut interim exsecutio sententiæ suspendatur, donec appellationis merita plenius sint discussa.]

(488) [Præterea quæsivisti, quando de revocatione ambigitur litterarum, utrum judicum priores, an posteriores cognoscere debeant? Utrum per secundas sint primæ litteræ revocatæ? Ad quod *taliter respondemus* (489), quod nisi posteriores prioribus, vel e converso, duxerint deferendum, simul utrique cognoscant; et si forte nequiverint in unam sententiam concordare, quamvis plures sint ex una parte, quam altera, per arbitros communiter electos a partibus hujusmodi concertatio sopiatur.

Qnoniam *autem* (490) sub hujusmodi forma, videlicet, causam, quam talis adversus talem, et quosdam alios super hoc et quibusdam aliis se proponit *habere*, duximus committendam, a nobis litteræ multoties impetrantur, sollicite quæsivisti, an judex, ex delegatione hujusmodi ante personarum, vel rerum expressionem, super personis vel rebus exprimendis habeat potestatem; adjiciens, utrum, si antequam personæ, vel res expressæ fuerint nominatim, super non expressis in commissione priori, sed generaliter comprehensis, speciales litteræ, quæ de priori commissione nullam faciant mentionem, ad alios judices a sede apostolica emanarint, eumdem rigorem debeant obtinere? Nos igitur, ad hæc duo *taliter* (491) respondemus, quod, cum generali per speciale procul dubio derogetur, jurisdictio per speciales litteras attributa, per speciales, quantum ad ea quæ specialiter exprimuntur, penitus enervatur, licet de prioribus non faciant mentionem. Unde, superflua relinquitur prima quæstio, etsi merito dici possit, quod, donec jurisdictio revocetur, eam super rerum vel personarum articulis exprimendis obtinet delegatus, sed antequam exprimantur personæ, vel res, delegatus nequit jurisdictionem hujusmodi exercere].

(492) [Quia vero sæpe contingit, quod exsecutio sententiæ Ordinario demandatur, *Sedem duxisti apostolicam consulendam, utrum, si Ordinarius* (493)

A ipsam injustam esse cognoverit, debeat eam exsecutioni mandare? An sit ei potius subsistendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, sed exsecutio tantum *demandetur* (494) eidem, *inquisitioni tuæ taliter duximus respondendum*, quod, cum Ordinarius *obsequi* (495) teneatur, etsi *sciant* sententiam illam injustam, exsequi nihilominus tenetur eamdem, nisi apud *Judicem* possit efficere, ut ab hoc onere ipsum absolvat.]

Edoceri (496) [præterea postulasti, an *alicui* liceat sine speciali mandato apostolicæ sedis, delegato, qui reum propter contumaciam manifestam excommunicationis vinculo innodavit, vel petitorem causas rei servandæ in possessionem petitorum induxit, rebus humanis exempto, eidem volenti juri parere,

B absolutionis beneficium impertiri, vel possessionem restituere infra annum, sufficienti recepta primitus cautione? Ad quod *utique* (497) dicimus, quod, cum delegatus quantum ad illud major sit ordinario, sine mandato summi pontificis excommunicatus ab hujusmodi delegato non potest per alium, præterquam in mortis articulo, absolutionis gratiam obtinere, nisi forsan delegatus talis exstiterit, cui alius succedat in onere ac honore; nec per alium, quam per summum pontificem recuperare poterit possessionem amissam. Verumtamen, ne alius post annum verus efficiatur possessor, coram ordinario, vel si ejus copiam habere nequiverit, coram publicis et honestis personis, ut quasi præscriptionem interrumpat annalem, offerre ac præstare, quod juri parebit, poterit cautionem, ut sic post annum recupe-

C rare possessionem per sedem apostolicam mereatur.]

(498) [Quæsivisti *etiam diligenter*, utrum, quando inhibetur appellatio in rescripto frustratoria, tantum *appellatio* inhibita videatur, *ut ab omni gravamine liceat appellare, an omnis appellatio videatur exclusa, nisi tantum in casibus expressis a jure*? Nos igitur, attendentes, quod per appellationem frustratoriam, etiamsi non fuisset inhibita, negotium non debeat impediri, *diligentiæ tuæ* breviter respondemus, quod quælibet provocatio intelligitur removeri, quæ a jure non indulgetur expresse; sed, si appellans fuerit gravatus injuste, gravamen hujusmodi per superiorem poterit emendari. Verum, quia multoties quis ad tempus per appellationem legitimam a

D judicis sui quoad aliquem certum articulum eximitur potestate, *tuæ fraternitatis nos duxit* discretio *consulendos* (499), utrum, si *clericus* excommunicationis sententia innodatus ante denuntiationem ipsius,

(486) Decretal. add. *an*.
(487) Decret. *t. t. r.*, et mox omittunt vocem *nos*.
(488) Ibid. lib. I, tit. 3, *De rescriptis*, cap. 14.
(489) Decretal., *tibi respondeo*.
(490) Decretal., *vero*, et mox add. *tibi* post *habere*.
(491) Decretal., *tibi*.
(492) Ibid. lib. I, tit. 29, loc. et cap. cit.
(493) Decretal., *quæsivisti, an si*, loco *s. d. a. c., u. s. ord.*
(494) Decretal., *demandatur*, et mox *respondemus*, pro *inq. t. t. d. resp.*
(495) Decretal. add. *delegato*, et mox *sciat* pro *sciant.*, infra *eum* legunt pro *judicem*, et post *alicui* add. *ordinario*.
(496) Ibid. lib. I. tit. 31, loc. et cap. cit.
(497) Decretal. omittunt, ut et infra verba cursivo charactere distincta.
(498) Ibid. lib. II, tit. 28, *De appellationibus, recusationibus et relationibus*, cap. 53.
(499) Decretal., strictius, *consuluisti nos*, et mox *quis* legit pro *cler.*

ab ea, tanquam minus rationabiliter promulgata, in eo casu, in quo ante sententiam appellatio vires obtinuisse videtur, curaverit provocare, eo quod per appellationem interpositam excommunicantis videtur jurisdictio dormitasse, *tempore* (500) denuntiare possit *eamdem*, et ad tempus ecclesiasticis beneficiis spoliare, *cum per provocationem taliter factam suo effectu excommunicatio non privetur?* Nos itaque *inquisitioni tuæ duximus respondendum*, quod, cum exsecutionem excommunicatio secum trahat, et excommunicatus per denuntiationem amplius non ligetur, ipsum excommunicatum denuntiare *non immerito potest* (501), ut ab aliis evitetur, et illi *nimirum* proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.]

Cum autem sæpe contingat patronos Ecclesiarum laicos, nunc unum, nunc alium ad vacantes ecclesias præsentare, sollicite (502) [postulasti *per sedem apostolicam explicari* (502), an clericus, ad aliquam Ecclesiam a patrono laico præsentatus, si diœcesanus *ejus* ipsum non duxerit admittendum, et hujusmodi præsentatione aliquid juris assequatur in illa; et, si forte idem ad sedem apostolicam *appellavit*, et post appellationem ab ipso interpositam idem patronus alium curaverit præsentare, ac episcopus secundo instituerit præsentatum, idem ab ipsa merito debeat amoveri? Nos igitur, *bonæ memoriæ* (504) Alexandri papæ *prædecessoris nostri* vestigiis *pro sui reverentia* inhærentes, qui inter præsentatos a laico et clerico patronis distinguens, *in præsentatis* a laico conditionem possidentis censuit *potiorem*, dicimus, quod institutio præsentati [secundo loco a laico patrono robur obtinet firmitatis. Verumtamen, constituimus, ut episcopus, qui præsentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur, quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.]

(505) [Interrogasti *præterea* (506), utrum viris religiosis, quibus a sede apostolica est indultum, ut ecclesias suas in proprios usus possint convertere, decedentibus personis earum, liceat auctoritate propria possessionem earumdem ecclesiarum intrare, vel per diœcesanum in ipsam sint potius inducendi? Ad quod *utique* respondemus quod, nisi forte in indulgentia summi pontificis id contineatur expressum, suo

A episcopo inconsulto, in possessionem ipsarum eis non est licitum introire, quia per indulgentiam hujusmodi episcopali juri non credimus derogari

Sollicite (507) præterea quæsivisti, cum auctoritate Dionysii fuerint *parochiæ* limitatæ, quatenus singularum parochiarum proventus, in usus Ecclesiæ cederent necessarios et stipendia ministrorum; si episcopo liceat sine auctoritate summi pontificis, vel saltem *absque* sui capituli voluntate, viris religiosis conferre obventiones alicujus *parochialis* Ecclesiæ, sustentatione vicarii reservata; et, cum Lateranis concilii statuta prohibeant Ecclesiis novam imponi, vel augeri veterem pensionem, postulas edoceri, an episcopus valeat *locis* (508) religiosis, consentiente patrono, totam ecclesiam vel

B de novo conferre aliquam portionem? Ad *quæ* breviter respondemus, quod, salva constitutione canonica de concedenda piis locis quinquagesima portione, neque primum, neque secundum facere potest episcopus, nisi de licentia Romani pontificis, præter sui capituli voluntatem.]

(409) [Tua *insuper* nos duxit discretio consulendos, si episcopus, consentiente patrono, viris religiosis aliquam ecclesiam concedendo, hac utatur simplicitate verborum; Concedimus vobis illam ecclesiam, utrum eo ipso videatur ecclesia illa in eorum usus fuisse concessa, vel jus tantummodo patronatus? Nos autem tuæ inquisitioni duximus *taliter* respondendum, quod, si episcopus ecclesiam illis conferat de consensu patroni, profecto patronus

C quod suum est, conferre videtur, jus videlicet patronatus, et episcopus confert illud, quod ipse obtinet temporaliter in eadem, ut, si fructuum ejusdem ecclesiæ aliquam percipiat portionem, in eorum usus illa portio convertatur. Quod si ex ipsius proventibus nullam debeat episcopus portionem habere, omnes proventus præter cathedraticum in eorum usus credimus convertendos. Sed, ut episcopi donatio sit legitima, consensus est suis capituli requirendus.]

(540) [Explicari *præterea* postulasti, utrum quis possit de molendinis, et piscariis necessarias expensas deducere, priusquam solvat decimas ex eisdem, sicut est in negotiatione concessum? Ad quod, *sine præjudicio melioris sententiæ*. respondemus, quod,

D licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia

(500) Decretal., *ipse*, et mox *eumdem* pro *eamdem*; infra legunt *beneficii*, *clericum spoliare*, et omittunt *cum* in *privetur*; *respondemus* pro *respondend.*

(501) Decretal., strictius, *potes*, et mox *nimirum* om

(502) Ibid. lib. III, tit. 18, *De jure patronatus*, cap.

(503) Decretal., *edoceri*, et mox *episcopus* legit pro *ejus* et *appellavit* pro *appellavit*.

(504) Hæc om. Decretal ut et sequentia *prædecess.* et *pro sui rev.* infra, *Inter præsentatos* legunt pro *in præsentatis*, et meliorem pro *potiorem*.

(505) Ibid. lib. V, tit. 19, *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 9.

(506) Hoc verbum Decretal. om. ut infra *utique*.

(507) Ibid. lib. III, tit. 10, *De his, quæ fiunt a prælato, sine consensu capituli*, cap. 9.

(508) Hoc verbum infra Decretal. om., et mox *quod* legit pro *quæ*. Desunt infra veuba Italico charactere distincta.

(509) Ibid. lib. III. tit. 24 *De donationibus*, cap. 7.

(510) Ibid. lib. III. tit. 30, *De decimis, primitiis et oblationibus*, cap. 28.

decimata, cum ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, et de residuo quasi de lucro decimas persolvendas, ut, si vendatus domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut qualibet merces; expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis ex illis, de quibus fructus proveniunt, non credimus deducendas, etiamsi fuerint decimatæ; quoniam salva decima fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas : fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum, nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persolvuntur, credimus deducendas expensas, de proventibus decimandis, quia penes dominum res permanent restauratæ, ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruatur.]

Quæsivisti etiam, quibus indiciis fides habenda sit decretalibus, de quarum auctoritate judex potest non immerito dubitare, cum plures inveniantur in compilatione scholarium, et allegentur in causis, de quibus per bullam non constitit, nec ipsæ per metropoles insinuatæ fuerunt ? Quia igitur, sæpe contigit, quod etiam coram nobis decretales hujusmodi proponuntur, quas esse authenticas dubitamus, fraternitati tuæ benignius respondentes (511), [auctoritate præsentium duximus statuendum, ut cum aliqua Decretalis, de qua judex merito dubitet allegatur, si eadem juri communi sit consona, sæcundum eam non metuat judicare ; verum, si juri communi sit dissona, secundum ipsam non judicet, sed superiorem consulat super ipsa.]

(512) Quoniam *autem* (513) per dilatorias exceptiones malitiose nonnunquam causarum terminatio prorogatur, inquisitioni tuæ respondendo decernimus, ut infra certum tempus a judice assignandum omnes dilatoriæ proponantur ; ita quod si partes extunc aliquas voluerint proponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur, nisi forte *de novo aliqua fuerint exorta*, vel is, qui eam voluerit opponere, fidem faciat juramento, se postmodum ad illius notitiam pervenisse.]

(514) [Statuimus præterea, ut principales personæ non per advocatos, sed per se *ipsos* (515) factum proponant, nisi forte adeo *fuerint* indiscretæ, ut earum defectus de judicis licentia per alios suppleatur.] Cum autem sæpe contingat ad diem quem judex delegatus a nobis partibus assignavit, earum altera procurante ut negotium prorogetur, judicem ipsum a rege vel archiepiscopo evocari, nos, perversorum volentes malignitatibus obviare, decernimus, ut si delegato constiterit hoc fuisse alicujus partis malitia procuratum, ipsam puniat animad-

A versione condigna, et, ne aliquid lucrum ex hujusmodi fraude reportet, personæ neutri parti suspectæ quantum ad diem illum committat ipsum negotium audientium, quæ in ipso, appellatione remota, procedat, nisi forte partes ipsæ consenserint negotium prorogari.

Præterea, nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, si quis sine impositione manuum fuit ad ordinem diaconatus assumptus, et si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus? Ad quæ fraternitati tuæ breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalen-
B das Januarii.

CLXX.

ANICIENSI EPISCOPO (516).

*Ut de facto P. cantoris, cum muliere quadam, inquirat*

(Apud S. Petrum, XVII Kal. Januarii.)

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod, cum Aniciensis Ecclesia sacerdotibus indigeret, dilectum filium, P... cantorem ejusdem ecclesiæ, virum litteratum et moribus insignitum, ordinare in presbyterum voluisti ; sed ipse respondit, quod non fieret nisi de nostra permissione sacerdos, eo videlicet quod olim quædam mulier dixit ei, quod eam cum pede percusserat semel in tergo, quare fecit aborsum, et cantor ipse credebat, quod hanc vel aliam cum pede semel in dorso percusserit, sed eam nunquam aborsum fecisse credebat, mulierem quoque,
C ut quæreret plenius veritatem ab ea, ad pœnitentiarium Aniciensem adduxit, qui, quæsitis attentius quæ super iis fuerant inquirenda, nihil certum potuit ab ipsa percipere, sed credebat, quod mulier ipsa talia fingeret, ut extorqueret pecuniam a cantore; qua de causa ad ordinationem ipsius procedere noluisti, donec super hoc apostolicum responsum haberes. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiras super iis diligentius veritatem, et, si assertionem præfatæ mulieris non constiterit esse veram, cantorem ipsum si alias habeatur idoneus, et super hoc non fuerit infamatus, ac eum conscientia non remordet, ad presbyteratus cures officium promovere.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kalen-
D das Januarii, anno septimo.

CLXXI (517).

REGI ANGLORUM.

*Ut reducat in gratiam Dublinensem archiepiscopum, et ei omnia ablata restituat, cum comminatione interdicti ubicunque permanserit.*

(Apud S. Petrum, Idibus Decemb.)

Non tam miserabilis quam miseranda conquestio

(511) Ibid. lib. II, tit. 22, *De fide instrumentum*, cap. 8.

(512) Ibid. lib. II, tit. 25, *De exceptionibus*, cap. 4.

(513) Decretal. legunt *eam*, et infra *aliqua de novo sibi competens exorta fuerit*, pro *de nov. al. f. ex.*

(514) Decretal., *ipsas*, et infra *sint* pro *fuerint.*

(515) Ibid. lib. ii. tit. 1, *De judiciis*, cap. 14.

(516) Bertrandus I, *al.* Bernardus, (*de Chalençon*,) versus annum 1202, Odiloni (*de Mercœur*) in Aniciensi sede successit. Notus est in instrumentis usque ad annum 1213, quo obiisse dicitur die 21 Decembris, *Gall. Christ.*. tom. II, col. 708.

(517) Fragmentum hujus epistolæ exhibet Ray-

venerabilis fratris nostri... Dublinensis archiepiscopi, graviter propulsavit sæpius aures nostras, nec adhuc propulsare desistit, clamorem suum lacrymosis inculcans gemitibus et amaris, ita ut magnitudinem clamoris ipsius ad aures Domini Sabaoth ascendisse credamus, qui utinam, si deliquimus, parcat nobis, quod tantum perpecimus homini, qui, in suis ei non deferens, tandiu ministrum ejus afflixit, et adhuc afflicto non parcit! [Novit enim regia celsitudo, et satis potest memoriter retinere, quoties suavibus verbis et blandis eam pro ipso archiepiscopo duxerimus commonendam (518), et per alios fecerimus commoneri, et quot et quantas porrexerimus tibi preces, ut eum, quem per septem annos extra regnum exsulare fecisti, et, in afflictione non modica et officii erubescentia pastoralis, per partes ignotas aliorum suffragia mendicare, in gratiam tuam reciperes, et ei ablata restitui faceres universa. Quid autem super hoc nostræ valuerint monitiones et preces, subsequens rerum affectus evidenter ostendit, cum exauditi non simus,] sed indecenter potius obauditi, et, quod pejus est, Creator offensus, qui suam non dimittet offensam inultam, quin injuriam servi sui ex parte vindicet in præsenti, et etiam reservet sibi vindictam aliam in futuro. Sane, ne super litterarum inculcatione nostrarum, quas tibi sæpenumero super hac curavimus destinare, plurimum immoremur, cum tibi de ipsis, ut credimus, plene constet (519), nuper, cum te dilectus filius, N... abbas Casemarii, ex parte nostra monuerit, coram multis et magnis viris, et etiam corripuerit, quia mandatum nostrum non adimpleveras in hac parte, tu ei emendaturum omnia te firmiter promisisti. Sed, cum idem archiepiscopus, de tua promissione confidens, reverti vellet ad propria, et tecum fecerit per aliquot dies moram, ac tu ipsum de die in diem protraxeris vanis verbis, nec velles ei quod promiseras adimplere, tristis, et vacuus a spe sua, coactus est Parisius remeare (520)], cujus plagæ cum suavitatis oleum superponere debuisses, asperitatis vinum opponere curavisti, ut calamum conquassatum omnino confringeres, et senectutem ipsius cogeres deficere paupertate. A procuratoribus enim ejus centum libras sterlingorum, quas ad solutionem debitorum ejus cum labore multo collegerant, sicut dicitur, extorsisti, et mandasti etiam archiepiscopo Cassellen. ut administrationem susciperet diœceseos Dublinensis. Ut igitur regia celsitudo, quæ fuit in nostrarum precum exauditione tam dura, paternas super hoc monitiones recipiat, licet tarde, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortatur in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad Dominum Jesum Christum, qui carnem nostræ mortalitatis assumpsit, ut nos suos in Patris gloria faceret cohæredes, Romanam Ecclesiam insuper, quam in beato Petro, apostolorum principe, stabilivit, et nos etiam, quos in agendis tuis, si bene recolas, invenisti favorabiles et benignos, habens debita consideratione respectum, præfatum archiepiscopum in gratiam tuam liberali benegnitate recipias, et ei ablata restitui facias universas, taliter quod ex officio pastorali mandamus, et pleno cordis affectu monemus, adimpleturus hac vice, quod tua super hoc, vel sera, correctio præteritorum offensam valeat expiare. Alioquin, cum in hoc deinceps parcere tibi nolimus, qui, eo quod tantum pepercimus, incurrisse timemus Creatoris offensam, noveris nos venerabilibus fratribus nostris... Cantuariensi archiepiscopo, et... episcopo Eliensi, districte præcipiendo mandasse, quos etiam propter prioris mandati nostri neglectum graviter redarguimus, ut, si forsitan eidem archiepiscopo infra duos menses post receptionem præsentium a te non fuerit congrue satisfactum, episcopatum ad quemcunque tuæ jurisdictioni subjectum locum deveneris, quandiu fueris ibi præsens, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, denuntient interdictum; quod si nec sic ad hoc induci potueris, totam etiam provinciam Dublinensem interdicto concludant: pro certo sciturus, quod, si mandatum hujusmodi pertransieris aure surda, et durum te nobis ostenderis, ubi te benignum invenire debemus, causam Ecclesiæ, imo Dei, non dimittemus adeo indefensam, quin cognoscere tibi demus, quid manus vicarii Jesu Christi valeat operari. Quod si vellemus ulterius quasi tibi deferendo differre, procul dubio videremur te non diligere sed odire, quia pater filium quem diligit corripit, et Deus quos amat arguit et castigat.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Decembris, anno septimo.

## CLXXII

### DECANO ET CAPITULO NIGELLENSIBUS.

*Mandat, quod Renelmo et Roberto canonicis præbendas omnino integrare non differant.*

(Apud S. Petrum, Kal. Decembris.)

Accendens ad præsentiam nostram dilectus filius, Renelmus, canonicus Ecclesiæ vestræ, sua nobis insinuatione monstravit, quod, cum ipse et Robertus auctoritate apostolica in eadem Ecclesia canonici fuerint instituti, utrique dimidiæ præbendæ beneficio assignato tam auctoritate litterarum nostrarum, quam concilii Turonensis, quod beneficiorum inhibet sectionem, ut vos suas eis integraretis præbendas, cum instantia postularunt; quibus vos

naldus, ad annnm 1204, § 69. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Alterum ejusdem fragmentum legere est apud Angel. Maurique, *Annal. Cisterc.*, tom. III. pag. 448, col. 2, ad annum 1205, cap. IV, § 4.

(518) Vid. epist. libri quinti 160 et libri sexti 63, 64.

(519) Hæc apud Maurique.

(520) Hactenus Maurique.

benignum præbentes assensum, sicut etiam vestræ litteræ continebant, promisistis eisdem, quod, quam cito se facultas offerret, eorum præbendas curaretis sine interpositione alterius integrare. Verum, magister W. de litteris nostris, quas idem Renelmus super conferenda sibi præbenda integra, et Robertus super integratione præbendæ suæ obtinuerant a nobis, non habita mentione, ad vos nostras litteras reportavit, ut eidem in aliqua præbendarum Ecclesiæ vestræ studeretis liberaliter providere. Cæterum, cum dictus Renelmus ad nostram præsentiam accessisset, et pro se et præfato Roberto nobis humiliter supplicasset, ut per litteras illas integrationes præbendarum suarum non sineremus aliquatenus impediri, dictus magister eidem se super hoc opponere procuravit. Nos igitur eis dilectum fillium nostrum, H. (521) Sancti Eustachii diaconum cardinalem, concessimus auditorem, qui, auditis hinc inde propositis, et habito prudentum virorum consilio, super contradictione integrationis præbendarum illarum, de mandato nostro, eidem magistro duxit silentium imponendum, cum magis esset consentaneum rationi eorum integrari præbendas, qui jamdudum canonici fuerant instituti, quam ei conferri, qui eam ex rigore juris petere non valebat. Quocirca, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præbendas eorum diversas contra statuta consilii Turonensis, contradictione et appellatione cessantibus, integrare, cum se facultas obtulerit, juxta promissionem vestram, minime differatis; cautius provisuri, ut propter integrationem eorum præbendas alias dividere non temptetis, ne sic, semper aliqua præbenda ibidem existente divisa, mandatum possit apostolicum impediri. Alioquin, dilectis filiis...... abbati Sancti Auberti (522), et magistris P. de Sancto Symphoriano, et R. de Bekerel, canonicis Cameracensibus, præcipiendo mandavimus, ut, vobis in exsecutione mandati nostri cessantibus, illud, sublato appellationis obstaculo, studeant effectui mancipare; contradictores... nullis litteris veritati, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Decembris, anno septimo.

CLXXIII (523).

..... MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO (524), ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Ut Placentinos tanquam excommunicatos faciant evitari.*

(Apud S. Petrum, XVII Kal. Januarii.)

Cum olim fumus iniquitatis Placentinorum civium oculos apostolicæ speculationis offenderit, nec potuerimus illum in pluvia paternæ monitionis supprimere, quin fortius elevaretur in altum, ita quod partes inficeret vicinas pariter et remotas, modum aliam cogimur invenire, ut qui pluviam non admittit, A corruat sub procella, quia forsitan evaporare desistet, ubi non invenerit quo respiret. Satis siquidem audivistis, ad quantam miseriam episcopum (525), clerum et Ecclesiam Placentinos, adduxerint, et sub quantis afflictionibus et ærumnis eos vivere potius quam deficere, quod sine cordis amaritudine non possumus proferre, compellant. Ne igitur vapor iniquitatis eorum se ad parietes vicinos extendat, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus cives jam dictos, ad quemcunque locum provinciæ Mediolanensis devenerint, in colloquiis, hospitiis atque contractibus, tanquam excommunicatos faciatis arctius evitari, et teneri etiam bona illorum, ubicunque illa contigerit inveniri, donec per satisfactionem condignam reconB ciliari Ecclesiæ mereantur: sic mandatum apostolicum impleturi, ne illius videamini contemptores.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kalendas Januarii.

CLXXIV (526).

ABBATIBUS, PRIORIBUS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, PER LOMBARDIAM CONSTITUTIS.

*Ut episcopo Placentino exsulanti de censu apostolicæ sedi debito subveniant.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Januarii.)

Compatientes laboribus et pressuris, quas venerabilis frater noster... episcopus Placentinus, ad præsens extra ecclesiam Placentinam a suis civibus cogitur sustinere, ipsi, cum de suo sustentari non possit, volumus providere de nostro. Ideoque per C apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus censum apostolicæ sedis, quem de vestris debetis Ecclesiis, cum ab ipso fueritis requisiti, et assignare curetis, quandiu extra ecclesiam suam coactus fuerit exsulare; nuntiis ejus, quos propter hoc destinaverit, tam in necessariis quam securo conductu, liberaliter providentes.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XV Kalendas Januarii.

*In eumdem modum,* abbatibus, etc. per Ravennatensem provinciam constitutis.

CLXXV (527)

EPISCOPO PLACENTINO (528).

*Indulget, ut dum ab ecclesia sua exsulat, tam vacantes quam vacaturas præbendas retinere possit.*

D (Apud S. Petrum, XV Kal. Januarii.)

Compatientes tuis afflictionibus et pressuris, quas ad præsens extra ecclesiam Placentinam a civibus tuis cogeris sustinere, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut tam vacantes in tuo episcopatu præbendas, quam etiam vacaturas, dum fueris in exsilio, ad sustentationem tuam et clericorum Ecclesiarum illarum, tibi liceat retinere; ita tamen, ut postmodum illæ, quæ ad donationem tuam pertinent, per

(521) Vide epistolam libri quinti 29, not.
(522) Erat is, nomine, Hugo. Vid. *Gall. Christ.* tom. III, col. 155.
(523) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 77.
(524) Lib. III, epist. 6, not.
(525) Lib. V, epist. 75, not.
(526) Vide Raynaldum ad annum 1204, § 77.
(527) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 77.
(528) Vide notas ad epistolas superiores.

te, aliæque, per illos qui eas conferre tenentur, personis idoneis conferantur. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis, etc.

Datum, *ut supra*.

CLXXVI.

NOBILI VIRO GUIDONI COMITI.

*Sententiam in causa, quæ inter ipsum et electam ac sorores monasterii de Rosan. vertebatur, latam, auctoritate apostolica confirmat.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Januarii.)

Ex parte tua, et... electæ, et sororum monasterii de Rosan. nuntii ad nostram præsentiam destinati humiliter postularunt, ut eis audientiam concedere dignaremur, quibus dilectum filium, Hu. Sancti Eustachii diaconum cardinalem, dedimus auditorem. In cujus præsentia cum aliquandiu fuerit litigatum hinc inde, tam per instrumenta quam per litteras constitit evidenter, quod super causa, quæ inter te et electam prædictam adinvicem vertebatur, per dilectos filios, J. priorem Sancti Fridiani, et..... archipresbyterum Florent. et J... Pisan. canonicum, quibus fuerat de utriusque partis assensu commissa, diffinitiva fuerat sententia promulgata. Nos autem, per assertionem cardinalis ipsius super promulgatione ipsius sententiæ certiores effecti, eam, sicut justa est, auctoritate apostolica confirmamus, etc. *usque* communimus; salva quæstione proprietatis alteri parti, si tamen super possessionem tantum sententiam ipsam constiterit promulgatam. Nulli ergo, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Januarii.

CLXXVII (629).

...'. EPISCOPO AUSONENSI.

*Quod clerici vel laici, per litteras protectionis a jurisdictione episcopi non subtrahuntur.*

(Apud S. Petrum, Idib. Decemb.)

[Ex parte tua fuit quæsitum *a nobis* (530), utrum clerici, *vel* laici, qui litteras protectionis ostendunt, in quibus *personas suas ex* nomine cum omnibus rebus suis sub apostolica protectione consistere *declaratur*, a jurisdictione diœcesani episcopi sint exempti? Nos autem, *inquisitioni tuæ per hoc taliter respondemus* (531), quod per litteras hujusmodi, *quas quandoque aliquibus personaliter indulgemus*, ab episcopum suorum potestate minime subtrahuntur.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Decembris.

CLXXVIII.

..... PADUANO EPISCOPO (532).

*Ut monachos e claustro egressos ad claustra redire compellat.*

(Apud S. Petrum, X Kal. Januarii.)

Ad audientiam nostram, dilecto filio nostro.... abbate de Columba Cisterciensis ordinis signficante, pervenit, quod quidam monachi ejusdem ordinis claustrum non ex petita suorum abbatum licentia exeuntes, in provincia Venetorum sibi reclusoria præpararunt, non arctioris religionis obtentu, sed ut vitam transigant laxiorem. Unde, nos venerabili fratri nostro.....Castellano episcopo (533), dedimus in mandatis, ut eos compelleret ad claustra relicta per censuram ecclesiasticam remeare, sed ipse quod mandavimus exsequi prætermisit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, prædictos reclusos, ut ad claustra redeant derelicta, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compellere non omittas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, X Kalendas Januarii.

CLXXIX.

ODONI, EPISCOPO PARISIENSI (534).

*De undecim præbendis ecclesiæ de Campellis viginti duas creandi potestatem ipsi facit* (535).

(Apud S. Petrum, III Kal. Januarii.)

Cura suscepti regiminis nos hortatur, ut ecclesiarum utilitatibus intendentes, paterna curemus sollicitudine providere, ne ipsæ debito ministrorum cultu fraudentur. Cum igitur in ecclesia de Campell. duodenus tantummodo sit numeros præbendarum, quarum quælibet valentiam fere quinquaginta librarum excedit, et ipsius canonici, eo quod sit villa campestris, vix unquam faciant residentiam in eadem, ne ipsa diutius divinis obsequiis defraudetur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, quatenus cum consilio capituli tui, si res ita se habet, ex illarum undecim viginti duas præbendas (536), ap-

(529) Exstat inter Decretales, lib. V, tit. 33, *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 18.

(530) Hæc in Decret. desunt; mox *et* legunt pro *vel;* infra, *personæ suæ expresso* pro *personas suas ex*, et *declarantur* pro *declaratur*.

(531) Decretal. *respondemus tibi*, pro *i. t. s. h. l. r.*; et mox om. *quas indulgem.*

(532) Gerardus Pomedella, nobilis Patavinus, ad Patavinam, seu Paduanam episcopalem sedem provectus est, anno 1169, lætantibus civibus Patavinis, qui de Gerardo, tametsi adhuc juvene, magnam egregiamque spem conceperant, quam vicissim nec ipse fefellit. Pluribus enim salutaribus scriptis legibus, et clerum suum optime instituit, inque discordantes cives, pace facta, diu mansurum fœdus percussit. Venetiis fuit anno 1177, cum inter Alexandrum PP. III, Fridericumque imperatorem I, pacis fœdus percuteretur, et Lateranensi concilio interfuit anno 1179. Patavinæ Ecclesiæ egregie præfuit Gerardus anno XLV, et, senio gravis, episcopatus se abdicavit anno 1214; pauloque post mortem obiit: quem virum in opere et sermone potentem, prudentem quoque, et sanctæ memoriæ appellat Rolandinus, in Chronico lib. I. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. V, col. 419.

(533) De Castellano episcopo jam egimus alias.

(534) De Odone, episcopo Parisiensis, jam egimus sæpius.

(535) Litteræ ipsius Odonis de hac reformatione, habentur in Historia Ecclesiæ Parisiensis, tom. II, pag.

(536) Deest aliquid.

pellatione remota,canonicis totidem perpetuis temporibus assignandas,duodecima ecclesiæ Beati Victoris,sicut eam nunc canonice possidet, in integrum reservata, salvisque fructibus præbendarum integraliter his, qui nunc eas possidere noscuntur, nisi forte ipsi consentire voluerint, ut eis viventibus, medietas fructuum aliis conferentur.Præterea, ne propter canonicorum absentiam prædicta ecclesia de Campell.et Sancti Marcelli, Sancti Germani Altissiodorensis, et Sancti Clodoaldi ecclesiæ,in quibus collatio præbendarum ad te dignoscitur pertinere, debita divinorum celebratione priventur, devotioni tuæ duximus indulgendum, quatenus in memoratis ecclesiis,de consilio et consensu capituli parisiensis ecclesiæ, necnon capitulorum ecclesiarum dictarum, appellatione cessante,constituas, ut canonici debitam faciant residentiam in eisdem, sicut cum ipsis capitulis,vel majori et saniori parte ipsorum,deliberatione provida duxeris ordinandum, salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Nulli ergo...hanc paginam...nostræ concessionis,etc.

Datum Romæ,apud Sanctum Petrum,III Kalendas Januarii, anno septimo.

CLXXX.

PRIORI (537) ET MONACHIS DE LENTON. [*al.* LANTHON.]

*Recepit eos sub protectione, et enumerantur bona ad ipsos spectantia* (538).

(Apud S. Petrum, VII Id. Januarii.)

Justis petentium desideriis, etc., *usque* assensu. Ecclesiam de Falmarchsam, cum capellis de Papecha,et de Radewell,et omnibus eorum pertinentiis ; ecclesias de Maperthesal,de Hecha,de Rassenden. de Hirencestr. de Curtenhal. de Herleston. de Wichingestum.de Fostum et de Bruchton.cum omnibus earum pertinentiis; capellam Sancti Edmundi de Bruchton. Ex dono Ricc. de Daivill, duas carrucatas terræ in Abebi ; ex dono Ricc. Buissel duodecim buovatas terræ in Bruchton,et quamdam partem Gardini sui, et quindecim acras terræ, et unam acram prati,et dimidiam ; intra Lelund,tres virgatas terræ et tres homines vobis a W. Poverell. intuitu

A pietatis concessos ; decimas in Blidesword.in Neubothle, in Duston, in Ernebi, in Barcswrd. in Cothis,in Hottun.et in Piria decimam molendini,quod vocatur Tuigrisl. decima in Molentun,in Desburch. in Blaculuesle,in Aversham, et in territorio de Empingeham, a bonæ memoriæ Roberto (539) Lincolniensi episcopo monasterio vestro pia liberalitate concessas,sicut in ejusdem authentico plenius continetur,et vos ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis,et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus,et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Januarii.

CLXXXI.

B EISDEM.

*De eodem argumento ac in epistola superiori.*

(Apud S. Petrum, VII Id. Januarii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Nothingha. Sancti Petri,et Sancti Nicolai ejusdem villæ, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesias de Radeford, de Langare, de Torluavestun.de Lindebi et de Barton.et de Oscington. cum omnibus earum pertinentiis ; quidquid juris habetis in ecclesiis de Acdingburc et de Cotgrave : decimas quas habetis in Chillewell.in Watinho, in Aspele, in Suthon. in Baseford. in Jorph, in Gunolveston,in Stapelfort, in Langelaia, in Rudington. et in Boneia, sicut ea omnia ex concessione bonæ memoriæ W.Eboracensis archiepiscopi (540), juste ac pacifice possidetis,et in ejus litteris plenius continetur,vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo,etc. Si quis, etc.

C

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Id. Januarii.

CLXXXII (541).

..... LONDONIENSI EPISCOPO (542).

*Dignitatem ecclesiæ Londoniensis confirmat.*

(Apud S. Petrum, Ibid. Decemb.)

Cum longa consuetudine temporis ecclesia Lon-

(537) Exstat apud Warthon, *Angl. sac.* part. II, pag. 321, successio priorum Lanthoniæ, *al.* Lentoniæ, quæ ex *Historia prioratus Lanthoniæ ms. in Bibliotheca Cottoniana* deprumpta dicitur.Imperfecta nimium illa chronologica series, post Galfridum de Henelawe (qui ipse, post Rogeri obitum,prioratum Lanthoniæ,prior septimus, sortitus, dein episcopus Menevensis factus est anno 1204), Martinum, priorem octavum memorat ; sed isti successioni fidem fere adimit et ipse Wharton;addit enim,in historiis et monumentis occurrere nonnulla de prioribus Lanthoniensibus, quæ cum ea minime conciliari possunt.

(538) Diploma Eduardi regis II,bona Lanthonensis prioratus,in agro Nothighamensi,confirmantis, habetur in *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 645. Ibi, loca omnia, quæ hic enumerantur, reipsa, sed cum aliquibus nominum discrepantiis, quas hic notare operæ prætium non duximus, recensentur.

(539) Agitur hic de Roberto cognomine *Bloeth*, prout conjici potest ex Synchronismis, *Robertus* enim, *Lincolniensis episcopus*, una cum Giraldo, archiepiscopo Eboracensi, testis adest Willelmo Peverel monachis de Lenton, bona largienti,in charta fundationis ; *Monastic. Anglic. loc. cit.* Giraldum autem, archiepiscopales Eboraci infulas gessisse, eodem tempore quo Robertus, dictus *Cloeth*, Lincolniensi præerat ecclesiæ, compertum est. Vide Giraldum Cambrensem,*De vitis episcoporum Lincol-* D *niensium*, cap. 21. Vide etiam varia monumenta apud Wharton, *Angl. sacr.* tom. I.

(540) Willelmus, clericus, ad archiepiscopatum Eboracensem evectus est a rege Anglorum Stephano anno 1142,prout legitur in historia anonymi controversiæ inter sedes Cantuariensem et Eboracensem de primatu, apud Warthon, *Angl, sacr.* tom. I, pag. 71, non vero anno 1140, etsi hoc affirmetur a Rogerio de Hoveden, *Annal. par pr.* pag. 485, lin. 32 et seqq.Sed propter illegitimam electionem depositus fuit anno 1137. Ad archiepiscopalem sedem, anno 1154, assentiente Anastasio PP., reversus, eodem anno in solemnitate Pentecostes, inter missarum solemnia veneno interfectus est. Vide *Chronic. S. Crucis Edimburgens.* ad an. 1154.

(541) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 69.

(542) Erat is nomine Willelmus de S. Maria,

doniensis, sicut oblata nobis petitio continebat, ea prærogativa usa sit hactenus libertatis, ut episcopus, qui pro tempore resedit ibidem, inter comprovincialium episcoporum conventus, in sessionibus, processionibus, responsionibus, et suscriptionibus, tanquam dignitate primus obtinere consueverit primum locum, a nobis humiliter postulasti, ut dignitatem hujusmodi eidem Ecclesiæ dignaremur confirmare. Nos autem, tuis justis postulationibus annuentes, dignitatem ipsam, sicut eam eadem ecclesia ex antiqua consuetudine approbata hactenus, et obtenta, contradictione possedit, tibi, et per te ipsi ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, etc. Decernimus ergo, etc.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Idibus Decembris.

CLXXXIII.

.....ARCHIPRESBYTERO EDUENSI,.... PRIORI SANCTI SYMPHORIANI, EDUENSIS DIOECESEOS, ET MAGISTRO R. DE DENCEVOI, CANONICO DIVIONENSI, LINGONENSIS DIOECESEOS.

*Mandat eis ut sententiam in causa, quæ inter abbatem et monachos Clarævallenses ab una, et monachos Sancti Benigni Divionensis ab altera parte vertebatur, latam, observari faciant.*

(Apud S. Petrum).

Ex litteris dilecti filii, P. (543)..... monasterii Cellensis, et D. (544)... Sancti Lupi Trecensis, abbatum accepimus, quod, cum eis, et venerabili fratri nostro... (545) Trecensi episcopo, causam quæ inter abbatem (546) et monachos Clarævallenses ex una parte, et .. (547) abbatem, et monachos Sancti Benigni Divionensis, Lingonensis diœceseos, ex altera, super domo de Moreins vertebatur, commisimus terminandam, ipsi partes debita citatione vocarunt, et Clarævallenses miserunt in possessionem causa rei servandæ, pro Divionensium contumacia vel defectu. Postmodum vero, nobilem mulierem... dominam Suessifont, quæ ex parte Divionensium intraverat domum ipsam, denuntiaverunt excommunicationi subjectam, quandiu in ea domo præsumeret commorari. Interim autem, ipso episcopo viam suæ peregrinationis aggresso, Divionenses, biennio jam elapso, venerunt ad ipsos abbates, eis querimoniam deponentes quod Clarævallenses illos super jam dicta domo præsumerent molestare, asserentes se probare paratos, quod litteras, quas eis de possessione Clarævallenses destinaverant, recepissent tunc primo, cum præterito biennio essent factæ.

A Proponebant autem Clarævallenses econtra, se per testes idoneos posse probare, quod abbas Divionensis eas infra duos menses ex quo factæ fuerant, propriis manibus recepisset, et prior etiam domus ipsius. Cumque Divionenses, quoquo modo rei veritas se haberet, sufficientem quod starent juri cautionem offerrent, iidem abbates, cum episcopus absens esset, cui erat specialiter causa commissa, utpote qui cum illorum altero poterat in causa procedere, et ipsi non poterant sine ipso, se super hoc deinceps intromittere noluerunt. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictam sententiam, sicut est justa, faciatis inviolabiliter observari, et, inquisita de præmissis diligentius veritate, si prædictos Divionenses vobis constiterit adeo contumaces, ut etiam infra annum
B nullam obtulerint cautionem, Clarævallenses constituatis auctoritate apostolica possessores, adversariis super jure proprietatis defensione legitima reservata. Nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum.... anno septimo.

CLXXX (548).

ABBATI MONASTERII SANCTI VINCENTII CENOMANENSIS.

*Monasterium Sancti Vincentii Cenomanensis recipit sub protectione beati Petri, et enumerantur bona ad idem monasterium spectantia.*

(Apud S. Petrum, v Id. Januarii).

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, etc., *usque :* mancipati estis
C obsequio, ad exemplar felicis recordationis Eugenii papæ, prædecessoris nostri, snb beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium etc., *usque* vocabulis exprimenda : ecclesiam de Contiliaco; ecclesiam Sancti Lenogisili, cum capella Sancti Joannis Leprosorum, et capella Sancti Martini de Fossart; ecclesiam de Sagonia, cum capella Sancti Karilephi ; ecclesiam de Gurgaa ; ecclesiam de Noento; ecclesiam de Doscella ; ecclesiam Sancti Cornelii de Balniolo ; ecclesiam Sancti Petri de Tufeio ; capellam Sancti Hilarii prope Tufeium ; ecclesiam Sancti Petri de Soldaio ; ecclesiam de Tricione ; ecclesiam Sancti Vincentii de Laboratorio ; ecclesiam de Sarciaco ; capellam Sancti Ger-
D vasii de Belino ; et in his omnibus, synodalia et

prout eriutur ex Annalibus ecclesiæ Wigorniensis, ad annum 1208, apud Wharton, *Angl. sacr.* tom. I, pag. 480. Richardo Nigello defuncto die decima Septembris 1198, successerat Willelmus de S. Maria, genere Northmannus, canonicus D. Pauli, regis Richardi primi quandoque secretarius, qui consecratus est 22 Junii 1199. Hic unus fuit ex illis qui universum regnum pontificis nomine sacris interdixerunt, et excommunicatum pronuntiaverunt Joannem regem, qui, præterea quod eam ob causam quinquennali exsilio mulctavit eum, arcem ejus Stratfordensem, quam sedi Londinensi contulerat Guillelmus primus, demolivit anno 1211, et penitus destruxit. Episcopatum Guillelmus sponte abdicavit 26 Januarii ineunte. Vide Matth. Paris.

(543) Petrus II, monasterii Cellensis abbas, occurrit in instrumentis, ab anno 1191, usque ad annum 1206. Vid. *Gall. Christ.* tom. XII, col. 545.

(544) Drogo, abbas S. Lupi, innotescit ab anno saltem 1196, usque ad annum 1206. *Ibid.* col. 588.

(545) Vide epistolam libri tertii 11, not.

(546) Epist. libri quinti 10 , not.

(547) Nivardus, ex abbate S. Sequani, Petro III de Granceio, abbati S. Benigni cedenti successor datus anno 1203, cessit ipse anno 1206, vel potius 1205. Vid. *Gall. Christ.* tom. IV, col. 684.

(548) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.

circadalia; ecclesiam de Crucis Monte; ecclesiam de Maceriis, ecclesiam Sancti Petri de Laboratorio; et in his tribus, medietatem synodalium et circadalium (549); capellam Sanctæ Mariæ de Abbatia; capellam Sancti Flocelli; capellam de Campaniaco; ecclesiam de Concraio, cum duabus partibus oblationum altaris in quinque solemnitatibus, et duabus partibus primitiarum totius anni; ecclesiam de Cels; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Curte dominica; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Villana, juxta Luceium; capellam Sancti Petri de Valenceliis; ecclesiam de Toreio; ecclesiam de Flacio, prope castrum Ligeris; capellam Sancti Petri; ecclesiam Sancti Germani; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Noviomo; ecclesiam de Colungiaco, cum duabus partibus oblationum altaris in quinque festivitatibus, cum duabus partibus primitiarum totius anni; ecclesiam de Pilimilio, cum tertia parte decimæ de Chenseles; medietatem decimæ et primiceriarum de Malmissestere; ecclesiam Sancti Maximi de Mosterioto, cum capella de Paleis; ecclesiam Sancti Victuri de Basogeriis, cum capella Sanctæ Mariæ; ecclesiam de Altanoisia, cum duabus partibus oblationum altaris in septem solemnitatibus, et cum duabus partibus primitiarum totius anni; ecclesiam de Nuiliaco; ecclesiam de Ham, cum duabus partibus oblationum altaris in sex solemnitatibus, et cum duabus partibus decimæ et primiceriarum totius anni; ecclesiam de Meuldin; ecclesiam Sancti Patricii; ecclesiam Sancti Karilephi de Curia Dode; ecclesiam Sancti Leonardi; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Ace; ecclesiam de Piace; ecclesiam de Juliaco; ecclesiam de Sancto Marcello; capellam Sancti Domnoli juxta Segrejum; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Ceveneio; capellam Sancti Andoeni de Ponte Baladonis, juxta pontem Baladonis; terras, prata, et aquam ad piscandum usque ad medium amnis, quanta est longitudo earumdem terrarum et pratorum, quæ de jure suo dedit ecclesiæ vestræ Odo de Aleriis, pro centum solidis Cenomanensis monetæ, et decimam partis prædicti Odonis de molitura molendini de Cuce, et ibidem cœmeterium; ecclesiam Sancti Martini de Dongolio, cum capella de Magneniis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Mairoliis; ecclesiam de Avenis; ecclesiam Sancti Martini de Bellifagio; capellam Sanctæ Trinitatis de Novemfontibus, cum duabus partibus decimæ ac primitiarum de terra et animalibus vestris; ecclesiam de Sabla; capellam Sancti Remigii prope Tufeium, cum duabus partibus oblationum in quinque festivitatibus, et primitiarum totius anni; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Morciliaco; ecclesiam de Reneio; ecclesiam de Toreio super Blanc; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Parvencheriis; capellam Sancti Georgii de Castello; capellam de Vizaio; capellam de Grableio, cum decimis et omnibus pertinentiis suis; præbendam, quam habetis in ecclesia Sancti Juliani Cenomanensis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Berthivini, et ecclesiam sanctorum martyrum Vincentii et Laurentii de Landa patriæ (550), cum earum pertinentiis; jus quod habetis in ecclesia de Gevre; jus quod habetis in ecclesia de Monte Bretonis; jus quod habetis in ecclesia Sancti Rigomeri de Soliniaco, in ecclesia Sancti Juliani de Tanet; sextam partem decimæ in ecclesia Sancti Martini de Soliniaco prope Baladon; sextam partem oblationum altaris in quatuor festivitatibus in eadem parochia; decimam Hug. de Curtahen. decimam Gauterii de Valle, et decimam Pagani de Soliniaco, atque decimam Haimonis juxta montem Dublelli; decimam de Musaldio, in parochia Sanctæ Mariæ de Novavill, de terra Garini Morant duas partes decimæ et primitiarum; de terra Fulconis de Chaneveroliis, duas partes decimæ ac primitiarum; de terra Hervei de Sancto Denogisilo, duas partes decimæ ac primitiarum; de terra Pagani de Novavill. duas partes decimæ; de terra Willelmi de Tusca medietatem decimæ ac primitiarum; de terra Willelmi Faucillum, duas partes decimæ, ac primitiarum; de terra Villanæ, duas partes decimæ, et primitiarum; de terra de Allendreis, quæ est monasterii vestri, decimas omnes et primitias; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte Dublello, cum appendiciis suis; in ecclesia Sancti Sulpitii de Mosteriolo, duas partes decimæ; in parochia Sancti Martini de Lamanai; de terra Reginandi de Nuisement, duas partes decimæ; in parochia de Buisseio, sextam partem decimæ ecclesiæ et quamdam vineam juxta cancellum ecclesiæ; in eadem parochia de terra de Roucheria, duas partes decimæ, et primitiarum; in parochia de Wlureio, tertiam partem decimæ de terra de Piro, et decimatorem (551); in parochia de Dunel, tertiam partem decimæ de feudo de Dunel; in eadem parochia de terra Huberti Espechel, quæ dicitur Landas, duas partes decimæ et primitiarum; in ecclesia de Madre, nonam partem decimæ; in ecclesia de Quinta tertiam partem oblationum in quinque solemnitatibus, et primitiarum totius anni, et decimæ, cum jure quod habetis in cœmeterio, quamdam plateam eidem ecclesiæ junctam; in ecclesia de Attanay, duas partes oblationum in tribus solemnitatibus, et primitiarum et cœmeterium libere, et oscham (552) Fredeberti; in parochia Sancti Aniani, duas partes decimæ de terra Pagani

(549) Vox incognita Cangio, nec non Carpenterio, sed quæ hic usurpatur pro *circadarum*, vel *circatarum*. *Circada*, vel *circata*, census qui solvebatur episcopo aut archidiacono, pro visitatione; ita dictus a *circumeundo*, quod episcopi aut archidiaconi diœceses suas visitent circumeundo. *Cang.*, t. II, col. 628.

*Synodalia*, idem intelligitur de censu qui episcopo a clericis venientibus ad annuas synodos quibus interesse tenebantur pendi solebat. *Id.* tom. VI, col. 934 et 935.

(550) Sic in apogr.

(551) Sic in apogr.

(552) Sic diserte legitur in apograpbo. Verum, nonne legendum *oschiam*? vel *olchiam*, vel *olcham*, vel *olquam*, vel *olcam*; Gallice, *ousche*, vel *oche*;

de Tiron, et de una parte terræ Albini; decimam pasturæ porcorum in foresta Pagani de monte Dubelli, quæ dicitur Tiron.

Præterea, necessitati vestræ in posterum providere volentes, apostolica auctoritate statuimus ut nec vobis, nec successoribus vestris aliquando liceat obedientiam de Campaniaco, aut alias possessiones ecclesiæ vestræ donare, vendere, aut quomodolibet ab ipsa ecclesia alienare. Decernimus ergo ut nulli, etc., *usque*: profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur, in futurum, ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis. . . . paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem, eisdem locis sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Romæ, apud sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in via Lata diaconi cardinalis (553), v Idus Januarii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero dominis Innocentii papæ III anno septimo.

### CLXXXV (554).

HUGONI SANCTI PETRI CLUNIACENSIS (555).

*Confirmat privilegia quæ enumerantur, una cum ejus pertinentiis.*

(Apud S. Petrum, Idib. Januarii.)

Religionis monasticæ modernis temporibus speculum, et in Galliarum partibus documentum, beati Petri Cluniacensis monasterium, ab ipsos suæ fundationis exordio, sedi apostolicæ in jus proprium est oblatum. Proinde, prædecessores nostri, Romani pontifices, locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis prærogativa donarunt, et universa ei pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus munierunt. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Cluniacense monasterium, quod specialiter beati Petri juris existit sub ejusdem beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti regulam ac institutionem Cluniacensium fratrum, in eodem loco institutus, etc., *usque* observetur. Præterea, quascunque possessiones, etc., *usque* vocabulis exprimenda: locum ipsum, in quo præfatum vestrum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; in Burgundia, Karumlocum, Marciniac. Pared. Sanctum Marcellum Cabilonensem, Virgiac. Troald. et omnes alios prioratus, et cellas, et possessiones, et jura quæ habetis in provincia Lugdunen. ultra Ararim; Nantuac. Ginniac. monasterium de vallibus Poliniaci, monasterium de Altapetra; Vallemclusam ultra vigum Roman. monasterium Paterniacum; insulas et omnes prioratus et cellas. possessiones et jura quæ in illa parte Burgundiæ sive in Teutonia possidetis; in provincia Viennen. Sanctum Victorem Gebennen. Condamin. Burget. Dominam (556) Lavard. et omni loca et jura quæ in ipsa Viennen. provincia possidetis; in Provincia, Sanctum Saturninum, Tornac. Podium de Canagobia; extra Montem Pesulan. Cluniset. et cætera loca vestra in Provincia constituta; in Guasconia, Karenacum Moriac. Sanctum Montem, et omnia loca vestra quæ in Guasconia possidetis; præterea, Silviniac. monasterium Celsimen. Sanctum Florum, Voltam, Sanctum Eutropium, Mogon. Agiam, monasterium de Charitate, cum omnibus pertinentiis suis; Sanctum Stephanum; Sanctum Salvatorem Nivernen., Sanctum Martinum de Campis; Longumpontem; Gaiam; Sanctam Margaritam in Campania, cum grangiis de Macricuria et de Sancta Petronilla, et omnibus pertinentis suis; Crispiac. Consiacum Lehunum, cum prioratibus Sancti Laurentii et Sancti Nicolai, quos.. prior Lehun. monasterio suo cum eorum pertinentiis noviter acquisivit; Sanctam Margaritam in Codun. Mondiderium; Abbatisvillam; Sanctum Lupum; monasterium Sanctorum Cosmæ et Damiani; Froewill. Renargias, et quidquid in Bituricen., Burdegalen., Senonem., Remen., Treveren. et Rothomagen. provinciis possidetis; monasterium Lowen., Lenton., Montem-acutum, Testord., Labdecumbam, Apeford. et Tikesore villas, cum omnibus ap-

quæ quidem voces intelliguntur de terræ portione arabili, fossis vel sæpibus undique clausa. Vide Cangium, *Glossar.* tom. IV, col. 1338 et 1339; ubi quidem *oscham* agnoscit *ex tabulario monasterii S. Vincentii Cenomanensis*, fol. 68 verso.

(553) Joannes, ex subdiacono, notario et pontificii sacelli sacerdote, tituli S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis et procancellarius, ab Innocentio PP. III, in quarta creatione, hoc ipso Innocentii pontificatus anno septimo, mense Martio, ut vult Panvinius, vel mense Decembri, juxta Ciaconii sententiam, renuntiatus est. Hunc Joanne, rege Anglorum, clericos acriter persequente, idem Innocentius in Angliam legavit, ad suadendum regi ut ab injuria clericorum cessaret. Ad eumdem cardinalem qui biennio mansit in Anglia, plures scripsit epistolas Innocentius. Peracta Anglicana legatione, una cum Petro, tituli S. Marcelli presbytero cardinali, legatione functus est in Gallia, ad componendam ac firmandam pacem inter reges Francorum Philippum et Anglorum Joannem, atque ad Philippo suadendum ut injuste dimissam uxorem reciperet. Lucis usuram amisit sub eodem Innocentio; Panvinius enim, cum cardinales nominet qui comitiis interfuerunt, atque Honorium in Romanum pontificem elegerunt, Joannem hunc prætermittit, neque ulla post annum 1210 amplius illius memoria exstat. OLDOIN. *ad Ciacon.* II, col. 24.

(554) Vide Raynaldum ad annum 1205, § 68.

(555) Vide epistolam libri sexti 174, not.

(556) Sic in apogr.

pendiciis earum; Sanctam Mariam de Nagera, Sanctum Zoilum de Carrion., Villam francam, Sanctam Columbam de Burgis, Cornelian. Monasterium Pontiden. Monasterium Sancti Maiolis Papien., Sancti Gabrielis Cremonen. et monasterium Sancti Pauli de Argon. Cellam de Bertreis, et cellam de Namarchia, et quidquid in Anglia, Hispania, Lombardia, et in Leodien. diœcesi possidetis; in Tuscia, juxta cryptas, Sanctam Mariam de Aquaviva; in civitate Tuscanen. Sanctum Joannem de Podio, Sanctum Petrum de Alian. in episcopatu Tusculanem., Sanctam Mariam de Peselo; et in Sicilia, prioratum de Sacco, cum omnibus pertinentiis suis. Sane, laborum vestrorum decimas, pro quibus tam vos quam alios monasticæ religionis viros inquietare episcopi consueverunt, illorum videlicet quos dominicaturas appellant, et vestro sumptu a monasterii et cellarum vestrarum clientibus excoluntur, sine omni episcoporum et episcopalium ministrorum contradictione, deinceps habeatis quietius, qui vestra peregrinis fratribus et pauperibus erogatis. Liceat quoque vobis clericos et laicos, liberos, etc. Prohibemus, insuper, etc. Discedentem vero, absque communi litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Quod si quis forte, etc., *usque*: promulgare. Ad hæc etiam, prohibemus ne aliquis monachus, etc., *usque* domus vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserit, etc., *usque*: reddere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, etc., *usque*: deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus vel alia quæcunque persona ad synodos vel conventus vos ire compellat, nec ad domos vestras, etc., *usque*: convocandi, vel missas etiam celebrandi, nisi ab abbate fuerit invitatus, accedat. Statuimus etiam ut ecclesiæ omnes, cœmeteria, monachi, clerici et laici universi, intra terminos habitantes, qui sunt a rivo de Salnai, et ab ecclesia Lufiaci, et cruce de Lornant, a termino quoque molendini de Tornasach, per villam quæ dicitur Varenna, cum nemore Burserio; a termino etiam qui dicitur Perois, usque ad rivum de Salnai, sub apostolicæ tantum sedis jure ac tuitione permaneant. Neque ipsius Cluniacensis loci presbyteri, aut etiam parochiani, ad cujuslibet, nisi Romani pontificis, vel ejus legati, et Cluniacensis abbatis, cogantur ire synodum vel conventum. Sane pro abbatis, monachorum seu clericorum, infra prædictos terminos habitantium, ordinatione, pro chrismatis confectione, pro sacri olei, ecclesiarum et altarium consecratione, et cœmeteriorum benedictione, Cluniacense monasterium, quem maluerit antistitem convocet, gratiam et communionem apostolicæ sedis habentem; Cluniacenses vero monachos, ubilibet habitantes, nulla omnino persona, præter Romanam pontificem, et legatum qui ad hoc missus fuerit, excommunicet aut etiam interdicat, ita tamen, ut circa legatos apostolicæ sedis obedientia vel reverentia debita per hoc nullatenus minuatur. Tibi etiam, filii abbas, et per te monasterio Cluniacensi, concedimus, ut in processionibus missarumque solemniis, tam tu quam successores tui, mitra, annulo, chirothecis, sandaliis, et aliis pontificalibus insigniis uti possitis, benedictionemque solemnem super populum facere ad divini nominis gloriam et monasterii Cluniacensis honorem. Illud autem districtius inhibemus, ne quis possessiones, jura, vel bona monasterii vestri, præter sedis apostolicæ conscientiam, cui specialiter est subjectum, quolibet modo alienare, vel antiquas et rationabiles ipsius monasterii consuetudines, et hactenus observatas, violare præsumat. Si quæ vero donationes, etc. *usque*: censemus. Decimas præterea, et possessiones, ad jus ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum, et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Percussuram quoque proprii numismatis, vel monetæ, sicut hactenus est obtentum, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, adjicimus, ut in omnibus prioratibus, et cellis quæ nunc sine proprio abbate vestro regimini sunt subjectæ, nullus unquam futuris temporibus abbatem ordinare præsumat, sed tam prioratus ipsi et cellæ, quam et cætera in quibuslibet locis omnia, quibus Cluniacensis ecclesia, tempore Arvernensis concilii, quod per felicis memoriæ Urbanum papam, prædecessorem nostrum, celebratum est, investita erat, de quibus tunc nulla quæstio mota est, tam tibi, fili abbas, quam successoribus tuis, in pace semper, et quiete serventur, illis duntaxat exceptis, quæ per auctoritatem sedis apostolicæ sunt ab illo statu mutata. Pro altaribus et ecclesiis, sive decimis vestris, nulli episcoporum facultas sit gravamen vobis indebitum irrogare. Sed, sicut eorum permissione quædam ex parte, quædam ex integro habuistis, ita futuris temporibus habeatis. Cæterum, omnes ecclesiæ, quæ ubilibet positæ sunt, seu capellæ vestræ, cœmeteria libera sint, et omnis exactionis immunia, præter consuetam episcopi paratam, et justitiam canonicam in presbyteros, qui adversus ordinis sui offenderint dignitatem. In parochialibus vero ecclesiis quas habetis, liceat vobis, seu fratribus vestris sacerdotes eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, debeant respondere. Quam si committere illis, quod absit! ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex apostolicæ sedis benignitate officia celebrandi, dummodo sint idonei, licentiam consequantur. Ecclesiarum vero, seu altarium consecrationes, si diœcesani episcopi gratis noluerint exhibere, a quolibet catholico suscipiatis episcopo, gratiam et communionem apostolicæ sedis habente. Nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres, pro qualibet interdictione, vel excommunicatione, divinorum officiorum suspensionem aliquatenus patiantur; sed, tam monachi ipsi quam et famuli eorum.

et qui se professioni monasticæ devoverunt, clausis ecclesiarum januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrent, et peragant debita sepulturæ. Cæterum, abbatias, quas prædecessores nostri, Romani pontifices, vestris prædecessoribus concesserunt, nos quoque vobis et successoribus vestris duximus concedendas, ut per industriam vestram religionis status in eis, auctore Domino, conservetur; videlicet, abbatias Sancti Martialis Lemovicensis, Monasterii novi Pictavensis, Sancti Joannis Angliacensis, monasterii Lesacensis, Moisiacensis, Figiacensis, Mauziacensis, Tiernensis, et Sancti Germani Antissiodorensis; illud nihilominus statuentes, ut in eis sine abbatis Cluniacensis consilio abbas nullatenus eligatur. Paci quoque, et tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra terminos sacri banni, quos supradictus Urbanus papa distinxit, seu infra clausuras locorum, vel grangiarum vestrarum, nullus homo, cujuscunque conditionis aut potestatis existat, invasionem, prædam, aut rapinam, vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, seu homicidium perpetrare præsumat. Præterea, omnes libertates, et immunitates, etc., *usque* communimus. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesanorum episcoporum canonica justitia in ecclesiis non exemptis. Si qua igitur in futurum, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis (557), Sanctæ Mariæ in via Lata diaconi cardinalis, Idibus Januarii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

## CLXXXVI (558).

REGI FRANCORUM.

*Ut compescat insolentiam Judæorum in regno commorantium, et contra hæreticos insurgat.*

(Apud S. Petrum, XVII, Kal. Febr.)

(559) [Etsi non displiceat Domino, sed ei potius sit acceptum ut sub catholicis regibus et principibus christianis vivat, et serviat dispersio Judæorum, cujus tunc tandem reliquiæ salvæ fient cum in diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitaverit confidenter, vehementer tamen oculos divinæ majestatis offendunt, qui crucifigentium filios, contra quos adhuc sanguis clamat in Patris auribus, crucifixi Christi cohæredibus præferunt, et tanquam ancillæ filius cum filio liberæ possit, et, debeat hæres esse, Judaicam servitutem illorum libertati præponunt, quos Filius liberavit. Sane, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod in regno Francorum Judæi adeo insolescunt, ut, sub specie usurariæ pravitatis, per quam non solum usuras, sed usuras usurarum extorquent, ecclesiarum bona et possessiones Christianorum usurpent, sicque illud impletum in Christianorum populo videatur, quod in Judæorum persona propheta deplorat: *Hæreditas*, inquiens, *nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos* (*Thren.* V). Præterea, cum in Lateranensi concilio sit statutum, ut Judæi, nec sub alendorum puerorum obtentu, nec pro servitio, nec alia qualibet causa, in domibus suis habere permittantur mancipia christiana, sed excommunicentur qui cum eis præsumpserint habitare, ipsi et servos Christianos habere non dubitant, et nutrices, cum quibus eas interdum abominationes exercent, quas te potius punire convenit quam nos deceat explicare. Insuper, cum idem concilium testimonium Christianorum adversus Judæos in communibus causis, cum et illi adversus Christianos testibus Judæis utantur, censuerit admittendum, et anathemate feriri decreverit quicunque Judæos Christianis in hac parte præferret, usque adeo eis defertur in regno Francorum, ut non credatur Christianis testibus contra ipsos, sed ipsi contra Christianos ad testimonium admittantur.

Quod si aliquando hi, quibus suam credunt pecuniam sub usuris, Christianos testes super facta solutione producant, plus creditur instrumento, quod apud eos per negligentiam, aut incuriam debitor reliquerat indiscretus, quam testibus introductis; imo, non recipiuntur etiam testes in hoc articulo contra eos, usque adeo etiam, quod cum rubore referimus, insolescunt, ut Senon. juxta quamdam ecclesiam veterem novam construxerint Synagogam, ecclesia non modicum altiorem, in qua, non, sicut olim priusquam fuissent ejecti de regno, demissa voce, sed cum magno clamore secundum ritum Judaicum sua officia celebrantes, divinorum celebrationem in eadem ecclesia non dubitant impedire (559*).] Quinimo, nomen Domini blasphemantes, publice Christianis insultant, quod credant in rusticum quemdam suspensum a populo Judæorum, quem quidem nec nos pro nobis suspensum ambigimus, cum peccata nostra ipse tulerit in suo corpore super lignum, sed rusticum moribus aut genere non fatemur, imo nec ipsi diffiteri valerent quin ipse secundum carnem de sacerdotali stirpe descenderit ac regali, et mores ejus præclari fuerunt, et honesti. In die quoque parasceves, Judæi contra veterem consuetudinem per vicos, et plateas publice discurrentes, concurrentes, juxta morem, undique Christianos ut adorent crucifixum in cruce, derident, et eos per improperia sua student ab adorationis officio revocare. Patent quoque latronibus usque ad noctem dimidiam ostia Judæorum, nec, si quid furto sublatum inventum fuerit apud eos,

(557) Vide epistolam superiorem 184, not.

(558) Epistolam hanc laudat Bzovius, *Annal.* t. XIII, pag. 131, § X. Eamdem, sed mutilam, edidit Raynaldus, ad annum 1205, § 57. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(559) Hæc apud Raynaldum, loc. cit.

(559*) Hactenus Raynaldus.

quisquam de illis potest justitiam obtinere. Abu- A tuntur ergo Judæi patientia regia, et, cum inter Christianos positi remaneant, hospites suos male cum opportunitate captata Christianos latenter occidunt, sicut nuper dicitur, accidisse, cum quidam pauper scholaris in eorum latrina mortuus est repertus. Ne igitur per eos nomen Domini blasphemetur, nec deterior sit Christianorum libertas, quam servitus Judæorum, monemus serenitatem regiam et exhortamur in Domino, et in remissionem injungimus peccatorum, qualenus sic Judæos super his et similibus a sua præsumptione compescas, sic abusiones hujusmodi de regno Francorum studeas abolere, quod habere zelum Dei secundum scientiam videaris, et cum leges etiam sæculares gravius animadvertant in eos, qui nomen Domini blasphemant, sic animadvertas in B blasphemos hujusmodi, quod aliquorum pœna metus sit omnium, nec facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi. (560) [Ad eliminandos insuper hæreticos de regno Francorum potenter insurgas, nec lupos, ad perdendas oves sub ovina pelle latentes, in terra sua latere permittat regia celsitudo, sed in eorum demonstret persecutione fervorem quo fidem prosequitur Christianam.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kal. Februarii, anno septimo.]

## CLXXXVII.

.... EPISCOPO (561) ET CANONICIS FELTRENSIBUS.

*Statutum de decem canonicis in ipsorum ecclesia instituendis confirmat.*

(Apud S. Petrum, v Id. Januarii.)

C Solet annuere, etc., *usque :* impertiri. Ex parte siquidem vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut canonicorum denarium nummum, quem juxta facultates Ecclesiæ vestræ, cum octo canonici fuerint hactenus, in eadem, deliberatione provida, statuistis, dignaremur vobis auctoritate apostolica confirmare; præsertim, cum hoc ipsi Ecclesiæ videatur plurimum expedire. Nos igitur, vestris postulationibus annuentes, constitutionem ipsam, sicut ad utilitatem Feltrensis Ecclesiæ provide facta est, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, nisi facultates ejusdem Ecclesiæ in tantum ex- D creverint, quod merito idem sit numerus augmentandus, salvis tamen in omnibus apostolicæ sedis mandatis. Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Idus Januarii.

## CLXXXVIII.

EISDEM.

*Privilegia confirmat.*

(Datum, *ut supra.*)

Solet annuere, *usque :* impertiri. Ea propter, vestris justis precibus inclinati, libertates et immunitates Ecclesiæ vestræ concessas, nec non antiquas et rationabiles consuetudines, tam vobis et servientibus, quam possessionibus vestris hactenus observatas, ratas habentes, eas futuris temporibus illibatas decernimus permanere. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

## CLXXXIX.

.... ILLUSTRI REGI ARMENIÆ.

*Ut satisfaciat de damnis per ipsum illatis fratribus militiæ Templi.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Februarii.)

Gravem in præsentia nostra dilecti filii.... magister et fratres militiæ Templi, deposuere querelam, quod tu, quædam casalia eorum sine rationabili causa succendens, bestias et bladum suum ipsis per violentiam abstulisti, damnum eis ad valens quinquaginta millia bisantiorum pro tuæ voluntatis arbitrio inferendo. Præterea, quosdam de fratribus suis rebus propriis spoliatos, et verberibus ac plagis afflictos, carcerali fecisti custodiæ mancipari, duobus insuper castris eorum, rupi videlicet Willelmi, et rupi Ruissoli, quæ hostili obsidione vallaras, grave damnum, tam in personis quam rebus, et jacturam non modicam irrogasti. Volentes igitur in hac parte animæ tuæ saluti consulere, et honori ac famæ serenitatis regiæ nihilominus providere, rogamus excellentiam tuam et exhortamur in Domino, quatenus super damnis et injuriis memoratis fratribus irrogatis, satisfactionem ipsis exhibeas competentem, et ab eorum gravamine manum pariter et animum retrahas, nec patiaris eos ab aliis, quantum in te fuerit, molestari. Alioquin, noveris nos venerabilibus fratribus nostris.... Bibliensi, et.... Valaniensi episcopis, in mandatis dedisse, ut, partibus convocatis, causam audiant, et, appellatione remota, justitia mediante, decidant, et faciant quod decreverint per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XV Kalendas Februarii.

## CXC (562).

RICARDO (563), ABBATI COMPENDIENSI.

*Indulget usum mitræ et annuli.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Februarii.)

Solet annuere sedes apostolica piis votis, et ho-

(560) Rursus Raynaldus, loc. cit. usque ad finem.

(561) De episcopo Feltrensi, Torentino de Curte, jam egimus ad epistolam libri tertii 39, not. Torentinum de Curte, usque ad annum 1205 sedisse, ex instrumentis compertum habemus. Successor ejus, Philippus Patavinus, non nisi anno 1209 innotescit. Vid. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. V, col. 344.

(562) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.

(563) Ricardus I, ex monacho abbas Compendiensis, ex instrumentis innotescit ab anno 1197, usque ad annum 1212. Quidam defunctum volunt 21 Sept. 1215, aut 1217; verum successor ejus Galterius memoratur anno 1213. *Gall. Christ.*, tom. IX, col. 437.

nestis petentium desideriis favorem benivolum impertiri. Ea propter, dilecte fili, tuis precibus grato concurrentes assensu, usum mitræ ac annuli tibi personaliter de benignitate sedis apostolicæ indulgemus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, xv Kalend. Februarii, anno septimo.

CXCI.

PRIORI CAMALDULENSI, ET...... MAGISTRO GUALANDO CANONICO PISANO.

*Super translatione episcopatus Fesulani* (564).

(Apud. S. Petrum, XIII Kal. Februarii.)

Cum super translatione Fesulanæ sedis ad locum magis commodum facienda sit multoties laboratum nos, paci et utilitati, tam Ecclesiæ Fesulanæ quam Florentinæ civitatis, intendere cupientes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis episcopo et capitulo Fesulanis, potestate, consulibus et consiliariis Florentinis, habeatis cum ipsis diligenter tractatum, et, si locum idoneum in ipsa diœcesi ad translationem Fesulanæ sedis utiliter faciendam, cum assensu dictorum episcopi et capituli, et pace prædictorum potestatis, consulum et consiliariorum valueritis invenire, per vestras nobis litteras intimetis, per vestram relationem instructi, in ipso negotio melius procedere valeamus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Februarii.

CXCII (565).

....... OLOMUCENSI EPISCOPO.

*Scribit in favorem P. qui ad sacerdotii ordinem diaconatus gradu prætermisso promotus fuerat.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Februarii).

Tuæ, *nobis præsentatæ* (566), litteræ continebant, quod, sicut ex relatione quorumdam *bonorum virorum acceperas*, P. presbyter, lator *præsentium*, diaconatus ordine prætermisso, se fecit ad *gradum* (567) sacerdotii promoveri. *Cumque super hoc ab ipso quæsiisses diligentius veritatem*, ipse tibi secreto est *humiliter* confessus, se pro certo nescire, si res taliter se haberet. Sed, ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod *ipse* (568), tempore quo ordines inferiores suscepit, infra annos discretionis fuerat, constitutus. *Tu igitur, ipsum ad apostolicam sedem transmittens, nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur, ejus miseriæ condolentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus, quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem, et, *ea* peracta, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur, ipsum in diaconum ordinare procures, et sic de misericordia eumdem ministrare permittas in ordine sacerdotis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XII Kalendas Februarii.

CXCIII.

......CABILONENSI EPISCOPO (569), ET.....ABBATI CLUNIACENSI (570).

*Causam electionis abbatis sancti Martini Trecensis examinandam ipsi committit.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Februarii.)

Olim, pro dilecto filio P. capellano venerabilis fratris nostri..... Senonensis archiepiscopi (571), et M. canonico Sancti Lupi Trecensis, quorum uterque ad reginem ecclesiæ Sancti Martini Trecensis canonice se dicit electum, O..... P..... et H...... ad nostram præsentiam destinatis, et petentibus sibi audientiam exhiberi, dilectum filium, M. (572) Sancti Theodori diaconum cardinalem, dedimus auditorem, qui cum ea quæ coram ipso fuere proposita nobis fideliter retulisset vobis per scripta nostra dedimus in mandatis, ut inquireretis super omnibus diligentius veritatem, et, si quam de duabus electionibus inveniretis de persona idonea canonice celebratam, confirmaretis eamdem, appellationis diffugio non obstante, contradictores censura ecclesiastica, appellatione postposita, compescentes, alioquin, utraque cassata, faceretis eidem ecclesiæ per electionem canonicam de persona idonea provideri; ante omnia provisuri, ut, nisi vobis constaret præfatum capellanum fuisse canonicam ecclesiæ Sancti Lupi, vel Sancti Martini Trecensis, quando fuit in abbatem electus, ejus electionem, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstante irritaretis omnino, ne per illam tenori privilegiorum apostolicæ sedis posset præjudicium generari, in quibus habetur, quod, altera illarum vacante, electio aliunde non fiat, nisi de fratribus earumdem, donec ibidem aliquis idoneus reperitur. Licet igitur ecclesiæ Sancti Lupi hujusmodi privilegium sit concessum, ea videlicet ratione, quoniam de monasterio Sancti Martini descendit, quia tamen simile privilegium Cantamerulensi ecclesiæ (573) pari potuit ratione concedi, cum ab eodem monasterio Sancti Martini fuerit derrivata, nos, paritatem in similibus attendentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus electionem prædictam, si alias fuerit in-

(564) Vide epistolam hujusce libri 20 et 21, et quæ ibi adnotata sunt.

(565) Reperitur inter Decretales, lib. v, tit. 29, *De clerico per saltum promoto*, cap. I, ubi ad episcopum Bonon. directa dicitur.

(566) In Decret. desunt hæc verba et mox *bon. vir. acc., et lat. præs.*

(567) Decretal. legunt *ordinem*, et mox omissis verbis *cumque... veritatem*, addunt *quoque* post *tibi*. Deest vox *humiliter*.

(568) Decretal, om. *ipse*, et mox verba *tu... scripta*; infra, *qua* legunt pro *et ea*.

(569) Vide epistolam libri quinti 16, not.

(570) Lib. VI, epist. 174, not.

(571) De eo jam actum est sæpius.

(572) Lib. III, epist 54, not.

(573) Qua ratione, hic, de Cantamerulensi ecclesia mentio fiat, non satis intelligitur; nisi quis dicere velit, electum, de quo hic agitur, scilicet P. capellanum archiepiscopi Senonensis, Cantamerulensi ecclesiæ insimul addictum fuisse.

venta canonica, non obstante prædicto privilegio A confirmetis (573*), cui tam per hoc mandatum nolumus in posterum derogari, cum ex prædicta similitudine non declarandi jus, sed faciendi gratiam traxerimus argumentum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Kalendas Februarii, anno septimo.

CXCIV.

MAGISTRO PETRO, PRESBYTERO DE SANCTA COLUMBA.

*Ne mancipia parochiæ suæ Judæis cohabitare sinat.*

(Apud. S. Petrum, XIII Kal. Februarii.)

Non decet eos, quos unda baptismatis regeneravit in Christo et adoptavit in filios veræ lucis, ut cohabitent illis, quos duritia cordis ab agnitione veri luminis excæcavit, ne in eorum obtenebrentur B errore, quos vera fides introduxit ad lucem. Eapropter, dilecte in Domino fili, qui zelum Dei secundum scientiam videris habere, devotioni tuæ, auctoritate præsentium indulgemus, ut, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, Christiana mancipia, quæ in parochia tua præsumpserint cohabitare Judæis. a præsumptione possis hujusmodi per excommunicationis sententiam coercere, secundum canonicas sanctiones, ut sic a tali servitio retrahantur, quos a gratia libertatis in servitutis opprobrium redigere nititur Judaismus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Februarii.

CXCV.

*Ut fideicommissariis decedentium voluntatem non ad C implentibus, ipse adimpleat.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Februari.)

Solat annuere sedes apostolica piis votis, et honestatis potentium desideriis favorem benevolum impertiri. Sane, sicut ex tua relatione didicimus, quamplures tuæ diœceseos viri, cum eis aliqui decedentes pro suorum remedio peccatorum bona sua distribuenda committunt, per annum et amplius eorum solutionem protendunt, plurimique insuper fideicommissarii suis usibus præsumunt applicare legata. Eapropter, venerabilis frater, tuis precibus grato concurrentes assensu, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, si hujusmodi fideicommissarii ad monitionem tuam juxta legitimas decedentium voluntates ecclesiis et clericis noluerint impartiri legata, extunc tibi liceat, sublato cujuslibet contra- D dictionis et appellationis diffugio, prævia ratione, pias adimplere morientium voluntates. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IX Kalendas Februarii, anno septimo.

CXCVI.

......PISANO ARCHIEPISCOPO (575).

*Causam de plebe Bujanensi ipsi soli judicandam committit.*

(Apud S. Petrum, VII Kal. Februarii.)

Causam, quæ inter homines de Massabuiani, ex una parte, ac Bugianenses (576), ex altera, super plebe ipsius loci noscitur agitari, tibi, et.... priori Sancti Alexandri Lucan. dicimur commisisse. Verum, quia pars altera memoratum priorem se dicit habere suspectum, eo quod fautor, et advocatus fuerit partis adversæ, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita plenius veritate, si rem inveneris ita esse, remoto priore prædicto, tu solus in eadem causa, secundum formam litterarum, appellatione postposita, prævia ratione procedas. Testes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Kalendas Februarii.

CXCVII (577).

DECANO (578), ET CAPITULO BELVACENSIBUS.

*Ne, quandiu ipsorum episcopus juri parere voluerit adversus eum a divinis cessent.*

(Apud S. Petrum, X Kal. Februarii.)

Cum vigor districtionis ecclesiasticæ ad puniendam inobedientiam contumacium sit repertus sic illum convenit moderari, ut, sublata de medio contumacia, pœna quoque contumacibus debita relegetur; ne, si vel bonum malum, vel malum bonum dicatur, impietatem contingat fieri sub specie pietatis. Sane, referente venerabili fratre nostro. . . . . episcopo 579) vestro, nostris est auribus intimatum, quod in ipsius contemptum ea præsumitis attentare, quæ penitus obviant rationi, ut, quandiu paratus est stare juri, organa contra ipsum ecclesiastica suspenditis, quod in odium contumacium est admissum. Ne igitur episcopus, quem speciali charitate diligimus, a vobis super hujusmodi de cætero contra justitiam prægravetur, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ei, tanquam patri et pastori animarum vestrarum, devotam obedientiam et debitam reverentiam impendere procuretis, et, quandiu juri

(573*) P. electionem a judicibus, hic a pontifice delegatis, confirmatam fuisse, ex abbatum S. Martini serie conjicitur. Petrum enim I, ab anno saltem 1207, usque ad annum 1222 præfuisse, ex instrumentis probatur. Vid. *Gall. Christ.* tom. XII, col. 581.

(574) Lib. III, epist. 14, not.

(575) Lib. III, epist. 9, not.

(576) Legendum videtur Bujanenses, ex litteris Honorii PP. III, apud MITTARELLUM, *Annal. Camaldul.* t. IV, pag. 279.

(577) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 59.

(578) De decanis Bellovacensibus, circa hæc, in quibus versamur, tempora, pauca admodum repe-riuntur apud novæ Galliæ Christianæ auctores, tom. IX, col. 770.

« XIX. Waleramus, seu Galerannus, ab anno 1194, annum 1204. Verumtamen, Odo quidam præerat, ex Sammarthanis, anno 1203. Edidit Walerannus anno 1202 statuta pro residentia canonicorum.

« XX. Joannes I, ab anno 1205, ad annum 1218. Verumtamen, Dionysius Simon, in supplemento Historiæ Bellovacensis, p. 106, asserit illum obiisse anno 1217. Ad eum scripsit Innocentius PP. III anno 1213, Capitulum *Tua nos*, 34, De simonia. »

(579) Vide epistolam libri quinti 149, not.

parere voluerit, a divinis contra episcopum neque vos ipsi cessetis, nec cessare alios faciatis, nisi talis sit causa, quæ judiciarium ordinem non requirat. Alioquin, cum nolimus eum contra justitiam prægravari, qui singulis in jure suo existimus debitores, interdictum hujusmodi præcipimus non servandum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, x Kalendas Februarii, anno septimo.

CXCVIII (580).

. . . . . . BELVACENSI EPISCOPO (581).

*Commissio exactionis decimarum, etiam lanarum, agnorum, fructuum et feni.*

(Apud S. Petrum, xi Kal. Februarii.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod quamplures laici tuæ diœceseos decimas lanarum, agnorum, fructuum et feni ecclesiis et personis, quibus debentur, solvere contradicunt, ad sui excusationem illud solummodo allegantes, quod nec in Belvacensi diœcesi fuerunt hujusmodi decimæ hactenus requisitæ, nec in vicinis diœcesibus requiruntur. Cum igitur talis exceptio, imo potius excusatio in peccatis, eos non debeat a decimarum ipsarum præstatione tueri, ut ipsos, ad præfatas decimas ecclesiis et personis, quibus debentur, sine contradictione solvendas, possis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellere, auctoritate tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ix Kalendas Februarii, anno septimo.

CXCIX (582).

FRATRIBUS HOPITALIS SANCTI JACOBI DE COLLE BERTANNI.

*Recipit eos in protectionem, sub annuo censu unius bisantii.*

(Apud S. Petrum, vi Kal. Februarii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Personas vestras, et hospitale ipsum cum pertinentiis suis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus a sede apostolica protectionis obtentæ, bisantium unum gratis oblatum solvetis nobis nostrisque successoribus annuatim. Decernimus ergo, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, vi Kalendas Februarii.

CC (583).

FERRARIENSI EPISCOPO (584).

*Ut Venetias adeat, et de consecrando electo Gradensi inquirat.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Februarii.)

Licet dilectus filius... Gradensis electus (585), per dilectum filium, P. (586) tituli Sancti Marcelli presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum

A fuerit confirmatus, quia tamen infra tempus a canonibus diffinitum consecrationis munus postulare neglexit, nos consecrationem ipsius non solum differre potuimus, verum etiam omnino negare, ut prætereamus Venetorum excessus, qui Romanam Ecclesiam multipliciter offenderunt, tum quia legatum prædictum, accedentem ad ipsos, noluerunt recipere ut apostolicæ sedis legatum, tum etiam quia Jaderam, contra inhibitionem nostram sub interminatione anthematis factum, evertere præsumpserunt. Verum, quia ejus locum, licet immerito, tenemus in terris, qui, cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur, etsi graviter offensi fuerimus, nolentes tamen in ira misericordiam continere, ipso tandem ad nostram præsentiam acce-
B dente, ita duximus disponendum, ut, correctionem Venetorum interim expectantes, possemus imposterum gratiam impertiri, quatenus idem electus in eo statu maneret, quem ex sua electione fuerat et confirmatione pariter assecutus. Quia igitur dilectus filius, nobilis vir,...... dux Venetorum, ad mandatum Ecclesiæ rediens, sicut per sua nobis litteras intimavit, per... nuntium legati prædicti, absolutionis beneficium est adptus, fraternitati tuæ per apostolicæ scripta mandamus, quatenus, Venetias personaliter adiens, quoniam contra personam ipsius electi quædam sinistra dicuntur, inquiras super his diligentius veritatem, cum, secundum apostolum, nemini debeat cito manus imponi, et, si nihil eidem videris obviare de canonicis institu-
C tis, ne idem electus ad nos iterum laborare cogatur, Gradensis Ecclesiæ suffraganeis convocatis, ipsi, vice nostra, munus consecrationis impendas. Quod si canonicum aliquid propositum fuerit contra eum, audias quæ fuerint utrinque proposita, et ea nobis studeas fideliter intimare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, iv Kalendas Februarii.

CCI (587).

BALDUINI IMPERATORIS AD PAPAM.

*Pactorum inter eum et Venetos initorum confirmationem postulat.*

[Sanctissimo Patri et Domino, I. Dei providentia summo pontifici, B. eadem gratia fidelissimus in Christo Constantinopolitanus imperator a Deo coronatus, Romanorum moderator, et semper augustus,
D Flandriæ Haynæque comes, cum debita subjectione obedientiam humilem et devotam. Statum et processum exercitus Christiani, et nostrum, nuntiis et litteris nostris paternitati vestræ plenius explanasse meminimus. Nunc autem conventiones inter nos, et peregrinos ex una parte, et...ducem Venetorum et Venetos ex altera, ante expugnationem regiæ civitatis habitas, sigilli nostri munimine roboratas, vobis curavimus destinare; sanctitatem vestram,

(580) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 59.
(581) Lib. v, epist. 149, not.
(582) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68
(483) Vide Raynaldum, ad annum 1204, § 25.
(584) Vide epistolam libri tertii 39, not.

(585) Vide epistolam libri sexti 240, not.
(586) De eo jam dictum sæpius.
(587) Epistolam hanc exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 1.

sicut tenemur, attentius rogantes, ut dictas conventiones ratas habeatis, et eas auctoritatis apostolicæ munimine confirmetis. Sanctitatem etenim vestram nosse volumus, quod cum memorato duce et Venetis societatem bonam et fidelem insimul habuimus, et eos cooperatores probissimos et efficaces ad honorem Dei, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et imperii nostri, sicut ipsa opera demonstrant, invenimus, et in futuro desideramus habere, cum et ad regimen imperii nostri, et ad subventionem terræ sanctæ, et ad unitatem Ecclesiæ conservandam, societas eorum utilis sit et necessaria, nec sine eorum societate et amore imperium nostrum ad honorem Dei, et vestræ sanctæ sedis regi valeat competenter.]

## CCII (588).

DUCIS VENETORUM AD PAPAM.

*Excusat se de excisa Jadera, et de expugnata Constantinopoli rationem reddit; exinde supplicat ut petitiones quas ei facit per nuntios benigne exaudiat.*

[ Venerabili in Christo Patri, et Domino, I. Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, H. Dandulus Dalmatiæ atque Croatiæ dux, vester humilis et devotus, cum omni devotione servitium. Notum facio sanctitati vestræ, quod, cum crucem assumpserim pro servitio Jesu Christi et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et transmeandi gratia de Venetiis iter arripuerim, necessitate temporis hiemalis ingruente, oportuit me cum stolio meo, et peregrinorum apud Jaderam hiemare, quæ cum esset rebellis mihi et Veneticis longo tempore injuste per proditionem contra juramenta præstita, de civitate et civibus, secundum quod moris est invicem se inimicantium, juste, ut existimavi, sumpsi ultionem. Verum, quia, ut dicebatur, in vestra erant protectione, quod ideo non credebant, quia non existimo vos, nec antecessores vestros, illos sub protectione recipere qui crucem accipiunt tantum ut eam portent, non etiam iter perficiant, propter quod peregrini solent crucem accipere, sed et aliena inveniant, et injuste detineant, paternitati vestræ contra me, et Venetos sententiam excommunicationis placuit promulgare, quam patienter et humiliter sustinuimus, usquequo per Dominum P. tituli Sancti Marcelle presbyterum cardinalem, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatum, præstita condigna satisfactione, meruimus absolutionem, sicut secundum ordinationem vestrorum nuntiorum, et scriptorum paginam vestræ poterit sanctitati clarius innotescere. Superveniente autem inspiratione divina, magis quam humano, ut opinamur, consilio, Alexio, filio quondam Isachii imperatoris Constantinopolitani, eundi in Romaniam iter arripuimus, et ipsum, sicut Domino placuit, præstita ab eo cautione de obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, expulso Alexio avunculo suo, captaque Constantinopolitana civitate, cum magno periculo et labore, obtinere curavimus prius ab Isachio patre ipsius et parentibus ejus, et pluribus aliis magnatibus civitatis, eadem securitate accepta, qui cum in dicta promissione mendaces, et fallaces existerent, ipsos tanquam inimicantes, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Christianitatis proditores diffidavimus quibus scilicet patre et filio per Græcorum proditionem exstinctis, aliisque Græculis sublimatis, Græcorum sustinentes molestias, et infestationes assiduas, tam per mare mittentium ad nos naves accensas, ut nostrum navigium comburerent, et diuturna bella inferentium, quam per terram multis variisque modis, communicato consilio omnium clericorum et laicorum exercitus, convenientibus quibusdam inter nos et ipsos præmissis, sicut ex tenore exempli dictarum pactionum sanctitas vestra poterit clarius cognoscere, civitatem Constantinopolitan. ad honorem Dei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Christianitatis subventionem decrevimus debellandam, quod, et Christi suffragante misericordia, vestroque merito, nostroque laborioso studio præcipue præ cæteris viventibus, contra omnium opinionem perfectum est. Capta igitur civitate, multaque strage Græcorum interveniente, Marcoflus, qui tunc erat imperator, cum suis sequacibus de civitate aufugit, et secundum inter nos scriptum constitutum, et sacramentum adimplevimus. Cognoscat igitur sanctitas vestra, quod ego una cum Veneto populo, quidquid fecimus, ad honorem Dei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vestrum laboravimus, et in nostra voluntati habemus similiter laborare. Unde, supplico sanctitati vestræ, quatenus petitiones, quas nuntii mei, viri nobiles et discreti, scilicet Leonardus Naugaiosus, dilectus meus nepos, et Andreas de Mulin. quos ad pedes vestræ sanctitatis transmittimus, fecerint, benigne exaudire dignetur vestra sanctitas et effectui mancipare.

## CCIII (589-590).

EPISCOPIS ET ABBATIBUS, CÆTERISQUE CLERICIS, APUD CONSTANTINOPOLIM EXISTENTIBUS.

*Lætatur de reditu Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad obedientiam apostolicæ sedis, et electionem Patriarchæ ab ipsis factam decernens irritam eumdem auctoritate apostolica eligit.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Februarii.)

Evangelica docente Scriptura, didicimus, quod ascendens Jesus in unam navem, quæ erat Simonis, rogavit eam reducere a terra pusillum, et sedens docebat de navicula turbas. Sicut per mare sæculum, ita per navem Ecclesia, et per rete prædicatio designatur . Navis ergo Simonis est Ecclesia Petri, quæ benedicitur una, quia catholica Ecclesia una est, quam Christus commisit Petro regendam, ut unitas divisionem excludat. Ascendit autem Jesus

(588) Epistolam hanc exhibet Raynaldus, ad an 1205 § 2.

(589-590) Epistolæ hujus fragmentum legere est in Gestis Innocentii, § XCVI ; sed pertinet ad epistolam sequentem 204, ubi eadem verba, quæ hic uncis inclusa sunt, repetuntur.

per effectum in navem Simonis, cum Ecclesiam A Petri fecit ascendere, quod a tempore Constantini apparuit evidenter, et extunc regnare dignatus est qui poterat imperare, ut dulcius per preces qnam per præceptum induceret, quatenus reducerunt pusillum navium a terra hoc est,paulatim transferrent Ecclesiam a terrena consuetudine ad cœlestem, vel potius a litterali ad spiritualem doctrinam ; et sedens docebat de navicula turbas, quia extunc fecit Petrum stabilem sedem habere,sive in Laterano, sive in Vaticano, fecitque illum docere, quia extunc in Ecclesia Petri cœperunt multiplicari doctores, ut Leo, Gregorius, Gelasius, Innocentius, et alii multi post eos. Cessavit autem ad tempus loqui, cum sermo prædictionis in Ecclesia Petri cessavit, non tam forte propter indignitatem B præsulum, quam propter malitiam subditorum, juxta quod Dominus inquit prophetæ : *Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est : cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum* (*Ezech.* III) ; et ideo, ut cessavit loqui, dixit ad Simonem : *Duc in altum, et laxa retia in capturam* (*Luc.* v).Tunc ducitur navis in altum,cum Ecclesia in sublimem doctrinam attollitur, vel in statum provehitur meliorem. Utrum autem diebus istis navis sit in altum adducta, malo tacere, ne me ipsum videar commendare*;* sed hoc unum audacter affirmo, quia laxavi retia in capturum.Simon ergo,qui, tanquam servus obediens, preces magistri reputat esse præceptum,respondens dixit ad C illum : *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus,in verbo autem tuo laxabo rete* (*ibid.*).Certe, nox adversitatis nimium impedivit, ut, licet prædecessores mei plurimum laborarint, ipsi tamen pene penitus nihil ceperint: sed, ubi ergo in verbo Dei laxavi rete, conclusimus, ergo et fratres mei, piscium multitudinem copiosam, sive in Livonia, convertendo paganos per prædicatores illuc directos ad fidem,sive in Bulgaria et Blachia,reducendo diversos ad unitatem, seu etiam in Armenia, requirendo diutius derelictos per legatos ad hos populos destinatos. Quid est autem quod subditur : *Quia rumpebatur eorum rete* (*ibid.*),nisi quod hæretici moliuntur prædicationem apostolicam enervare, ita quod aliqui pisces de retibus elabuntur? Sed, D licet aliquantulum invaluerint, non tamen ad ultimum prævalebunt adversus eam. Cum autem conclusissent multitudinem piscium copiosam,annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos.Alia navis, erat Græcorum Ecclesia,quæ fecit se aliam, cum ab unitate universalis Ecclesiæ se alienare præsumpsit.Et illis quidem innuimus,cum eos per litteras et nuntios nostros monuimus,ut venirent, et adjuvarent nos, id est, ut revertentes resumerent partem sollicitudinis nostræ, tanquam coadjutores dispensationis nobis injunctæ. Venerunt autem per Dei gratiam, quia, postquam diebus istis Constatinopolitanum imperium a Græcis translatum est ad Latinos, Ecclesia quoque Constantinopolitana rediit ad obedientiam apostolicæ sedis,tanquam ad matrem filia,et membrum ad caput,ut inter nos et illos societas indivisa de cætero perseveret. Sane, fatemur illos fratres, socios et amicos, quia, licet super eos prælationis officium habeamus, hæc tamen prælatio non inducit dominium, sed potius servitutem, juxta quod Dominus inquit apostolis : *Principes gentium dominantur eorum. et qui potestatem habent super eos benefici vocantur*; *vos autem, non sic, sed qui major est inter vos, erit omnium servus, et qui præcessor, tanquam ministrator* (*Luc.* XXII), Unde, beatus Petrus Apostolus ait : *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo* (*I Petr.* v). Venientes ergo socii nostri venerunt, et adhuc sunt veniendo venturi, ut impleatur quod sequitur : *Et impleverunt ambas naviculas, ita, ut pene mergerentur* (*Luc.* v). Certe, utraque navicula est implenda, quoniam et ad sedem Romanam, et ad Constantinopolitanam Ecclesiam revertentur, qui se ab utriusque obedientia subtraxerunt, et tunc pene mergetur utraque, quia necesse est ut scandala veniant ; sed fidelis est Deus, qui fideles suos tentari non patitur supra vires. Cum autem hoc viderit Simon Ptrus, procidet ad genua Jesu, dicens : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdabit eum, et omnes qui erunt cum illo* (*ibid.*). Et ego, vldens, quod jam incipiunt ista compleri, procedere debeo per humilitatem et devotionem ad genua Salvatoris, ut pro tanta gratia gratiarum ei referam actiones. Dicere quoque possum,quod, cum sim homo peccator, indignus sum frui ejus præsentia tam præclara. Magno quippe stupore circumdor, cum omnibus qui sunt mecum, pro tanti miraculi novitate, quod diebus istis evenit.Sed, ue forte pro nimio stupore confundar, notare debeo diligenter, quod Jesus inquit ad Simonem : *Noli timere, quoniam ex hoc jam homines eris capiens* (*ibid,*), quasi dicat : Pro certo confide, quia, postquam ceperis pisces, id est postquam reduxeris Christianos, extunc homines capies,id est Judæos et paganos convertes. Pisces enim, qui vivunt in aqua, Christianos designant, qui ex aqua et spiritu renascuntur; homines autem, qui vivunt in terra Judæos et paganos significant, qui terrenis inhiant et inhærent. Sed postquam ad obedientiam apostolicæ sedis omnes omnino reversi fuerint Christiani, tunc multitudo gentium intrahit ad fidem,et sic omnis Israel salvus fiet. Ecce ergo, socii nostri veniunt ut adjuvent nos,quia Græcorum Ecclesia redit ad obedientiam apostolicæ sedis, ut, eorum adjuta subsidio, liberet duas ejus sorores, Alexandrinam videlicet et Hierosolymitanam Ecclesias, quæ captivæ tenentur sub jugo regis Ægypti, et invitæ serviunt Pharaoni. Cæterum, licet quinque sint patriarchatus in orbe, Romanus scilicet, Constantinopolitanus,Alexandrinus,Antiochenus et Hierosolymitamus, hic tamen tres tan-

tum apostoli nominantur, videlicet Petrus, Jacobus et Joannes, qui simili prohibentur stupore correpti, quia nimirum tres ex illis specialiter spectant ad Petrum, qui Antiochenam et Romanam Ecclesias consecravit præsentialiter per se ipsum, Alexandrinam vero, per Marcum, discipulum suum, quem illuc personaliter destinavit; Constantinopolitana vero Ecclesia specialiter pertinet ad Joannem, qui et Græcis prædicavit in Asia, et apud Græcos fuit Ephesi tumulatus; Ecclesia vero Hierosolymitana proprie spectat ad Jacobum, sive filium Zebedæi, qui, primus inter apostolos interfectus, Hierosolymam suo martyrio dedicavit, sive filium Alphæi, quem apostoli Hierosolymorum episcopum ordinarunt. Et ob hoc forte tres istos apostolos Jesus assumpsit in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos, nec alienum a ratione videtur, quod, cum propter causam prædictam Romanus pontifex habeat quinque patriarchales sedes in orbe, apud tres tantum illarum solemniter coronatur. Patet igitur ex præmissis, quod socii nostri veniunt, ut adjuvent nos, quoniam, ubi (591) [dextera Domini, quæ glorificata est in virtute, Constantinopolitanum imperium a Græcis transtulit ad Latinos, volentes hi, qui fuerant in exercitu Latinorum, imperio ipsi de persona idonea providere, *de* (592) principibus Galliarum imperatorem concorditer elegerunt. Ut autem Veneti, qui fuerant laboris participes, essent pariter consortes honoris, placuit Latinis in communi, ut de clero Venetiarum assumeretur vir idoneus, et præficeretur Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcha. Cum ergo quidam clerici Venetorum fuissent ecclesiæ Sanctæ Sophiæ servitio deputati, ne acephali sine capite viderentur, de præficiendo sibi pastore tractantes, convenerunt in unum, et dilectum filium, T. (593) subdiaconum nostrum, in patriarcham *unanimiter* (594) elegerunt, et confirmationem electionis suæ per nuntios proprios a nobis humiliter postularunt, nobili viro. . . duce Venetorum, per solmnes nuntios suos idem cum instantia requirente. Imperialis quoque snblimitas per suas nobis litteras supplicavit, ut conventiones inter eum ac peregrinos, ex una parte, ipsumque ducem ac Venetos, ex altera, initas ante debellationem regiæ civitatis, suique sigilli munimine roboratas, nos ratas dignaremur habere, ac eas auctoritatis apostolicæ munimine roborare; scire nos volens, ut ejus verbis utamur, quod, cum memorato duce ac Venetis bonam societatem habuerat et fidelem, et eos cooperatores probissimos, et efficaces ad honorem Dei, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac imperii Constantinopolitani, sicut eorum opera testabantur, invenerat, et in futuro desiderabat habere, cum ad imperii regi-

A men, et subventionem terræ sanctæ, ac unitatem Ecclesiæ conservandam, utilis et necessaria esset societas eorumdem, nec sine societate ipsorum pariter et amore, ad honorem Dei, et apostolicæ sedis, regi posset idem imperium competenter. Idem quoque nobis sub verbis eisdem nobiles viri, B. marchio Montisferrati, L. Blesen. et... Sancti Pauli comites, per suas litteras intimarunt. Nos ergo, scriptum conventionum ipsarum ejusdem imperatoris, et ipsorum marchionis et comitum sigillis munitum, coram nobis perlegi facientes, contineri perspeximus in eisdem, ut clerici partis illius, de qua non contingeret imperatorem assumi, libere sibi eligerent patriarcham. Cum ergo hujusmodi nobis fuisset electio præsentata, licet de persona electa, ex mora
B diutina quam apud sedem apostolicam fecit olim, nos et fratres nostri sufficienter notitiam haberemus, utpote quam noveramus genere nobilem, honestam moribus, providentia circumspectam, et competenter litteris eruditam, electionem tamen examinavimus juxta morem, et eam invenimus contra formam canonicam attentatam, non tam ex eo quod a multis exstitit contradictum, et ab aliquibus etiam appellatum, etsi postmodum fuerit a contradictione pariter et appellatione recessum, quam pro eo quod, cum laicis, quantumcunque religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, auctoritate alicujus principis sæcularis in Constantinopolitana Ecclesia, nec debuerat, nec potuerat eligi patriarcha. Sed, nec clerici
C Venetiarum, qui ecclesiæ Sanctæ Sophiæ se canonicos electos appellant, in eadem ecclesia jus abuerant eligendi, cum in ea neque per nos, neque per legatos, aut delegatos nostros, fuerint instituti; propter quod electionem ipsam, de communi fratrum nostrorum consilio, curavimus in publico consistorio reprobare. Verum, cum personarum delictum in damnum ecclesiarum non debeat redundare, nec idem subdiaconus in aliquo deliquisset, utpote qui absens fuerat et irrequisitus electus, memores precum jamdicti imperatoris, quæ non solum utilitatem, verum etiam necessitatem innuere videbantur, et eidem ecclesiæ, cujus ad nos ordinatio specialiter pertinebat, providere volentes, ac sub ea spe Venetis gratiam exhibere, ut ad obsequium crucis Christi fortius accingantur, ex collata nobis ple-
D nitudine potestatis, eumdem subdiaconum nostrum, tanquam membrum apostolicæ sedis, elegimus, et confirmavimus eidem Ecclesiæ patriarcham (595).] (596) Monemus igitur universitatem vestram attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus quod nos provida deliberatione statuimus, vos prompta devotione servetis.

(591) Vide Gesta Innocentii, § XCVI.

(592) Gest. *ex*.

(593) *Thonam.*

(594) Deest in Gestis.

(595) Hactenus in Gestis.

(596) Quæ deinde sequuntur, sic leguntur in Gestis Innocentii, § XCVI.

Monemus igitur imperatoriam dignitatem, consulimus, et exhortamur, quatenus patriarcham ipsum, cum ad Constantinopolitanam accesserit civitatem,

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XII Kalendas Februarii.

CCIV (597).

B. ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI.

*De confirmatione patriarchæ Constantinopolitani.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Februarii.)

Postquam dextera Domini quæ glorificata est in virtule, etc., *ut supra usque* confirmavimus eidem ecclesiæ patriarcham. Monemus igitur imperatoriam dignitatem, consulimus, et hortamur, quatenus Patriarcham ipsum, cum ad Constantinopolitanam accesserit civitatem, benigne recipias, et honores, et tanquam episcopum et pastorem animæ tuæ humiliter venereris, et in justitiis suis, et Ecclesiæ sibi commissæ, manuteneas et defendas taliter in terris honoraturus eumdem, ut ab eo cujus minister existit, merearis in cœlestibus honorari.

Datum, *ut in alia* .

*In eumdem modum scriptum est* nobili viro, duci Venetorum.

CCV (598).

*Instrumentum concordiæ, inter comites Flandriæ, etc., Marchionem Montisferrati, et Venetos.*

(Mense Martii, indictione VII.)

[ In nomine Domini, amen. Nos quidem, B. Montis-ferrati marchio, et Bald. Flandr. et *Aynæ* (599), L. Blesen. et Clarimontis, H. Sancti Pauli, comites pro parte nostra vobiscum, vir inclite, domine H, Dandule, Venetiæ, Dalmatiæ atque Crovatiæ dux, et cum parte vestra, ad hoc, ut unitas et firma inter nos possit esse concordia, et ad omnem materiam scandali evitandam, ipso cooperante qui est pax nostra, et fecit utraque unum, ad ejus laudem et gloriam talem duximus ordinem observandum, utraque parte juramento astricta. Inprimis, *omnium* (600) armata manu, Christi invocato nomine, civitatem expugnare debemus, et, si, divina auxiliante potentia, civitatem intraverimus, sub eorum regimine debemus manere et ire, qui fuerint super exercitum præelecti, eos sequi, secundum quod fuerit ordinatum. Totum *quidem* (601) havere, quod in civitate inventum fuerit a quolibet, duci debet et poni in commune, eo loco quo fuerit ordinatum, de quo tamen havere vobis et hominibus Venetis tres partes debent solvi, pro illo havere, quod Alexius, quondam imperator; vobis et nobis solvere tenebatur. Quartam vero partem nobis retinere debemus donec fuerimus in ipsa solutione coæquales. Si autem aliquid residuum fuerit, debemus per medieta-

A tem inter vos et nos dividere, donec fueritis *apacati* (602). Si viro minus fuerit, ita quod non possit sufficere ad memoratum debitum persolvendum, undecunque fuerit prius havere acquisitum, ex eo debemus dictum ordinem observare; salvis tamen victualibus, quæ debent observari et dividi tam vestris quam nostris æqualiter, ita quod utrique pars possit inde congrue sustentari. Quod autem residuum fuerit partiri debet in alio havere juxta ordinem prænominatum. Vos etiam, et homines Veneti, libere et absolute, absque omni controversia, per totum imperium habere debetis omnes honorificentias et possessiones, quas quondam consuevistis habere, tam in spiritalibus quam in temporalibus, et omnes rationes sive consuetudines, quæ sunt *in scripto*

B (603), et sine scripto. Debent etiam sex homines eligi pro parte vestra, et sex pro nostra, qui juramento astricti, eam personam eligere debent in exercitu, quam credant melius scire *tenere* (604), et melius posse tenere, et melius scire ordinare terram et imperium ad honorem Dei, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et imperii, et, si fuerint in uno concordes, illum debemus imperatorem habere, quem ipsi concorditer elegerint. Si vero sex in una parte, et sex in alia concordaverint, sors mitti debet, et super quem sors ceciderit, debemus pro imperator habere ; et, si plures consenserint in una parte quam in alia, illum imperatorem habebimus, in quem major pars consenserit. Si vero plures partes fuerint quam duæ, super quem major pars concordaverit, sit im-

C perator. Debet vero iste imperator habere universam quartam partem acquisiti imperii, et palatium Blachernæ, et Buccam Leonis. Reliquiæ vero tres partes per medietatem inter nos et vos dividantur. Sciendum *etiam* (605), quod clerici, qui de parte illa fuerint, de qua non fuerit imperator electus, potestatem habebunt ecclesiam Sanctæ Sophiæ ordinandi, et patriarcham elegendi ad honorem Dei, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et imperii. Clerici vero utriusque partis illas ecclesias ordinare debent, quæ suæ parti contigerint. De possessionibus vero ecclesiarum, tot et tantum clericis et ecclesiis debent provideri, quod honorifice possint vivere et sustentari. Reliquæ vero possessiones ecclesiarum dividi et partiri debent secundum ordinem præsignatum. Insuper enim jurare debemus, tam ex nostra parte

D quam ex vestra, quod ab ultimo die instantis mensis Martii morari debemus usque ad annum expletum, ad imperium et imperatorem manutenendum ad honorem Dei, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et

benigne recipias et honores et tanquam episcopum et pastorem animæ tuæ humiliter venereris, et in justitiis suis, et ecclesiæ sibi commissæ, manuteneas et defendas, taliter in cæteris honoraturus, ut ab eo cujus minister existit, merearis honorari.

(597) Epistola hæc reperitur in Gestis Innocentii, § XCVI.

Eadem laudat Raynaldus, ad annum 1205 § 14.

(598) Reperitur in Gestis Innocentii, § XCII. Legitur etiam apud Raynaldum, et annum 1205, § 4. Variæ lectiones dantur.

(599) In Gestis, *Hainoviæ*, apud Raynaldum, *Hannoniæ*.

(600) Raynald. *omnes.*

(601) Gest. *que.*

(602) Gest. *apagati.* Raynaldus legendum censet, *placati.*

(603) Apogr. Cont. *in Scripturis.*

(604) Gest. et Raynald. deest.

(605) Gest. *est*

imperii. Deinde vero in antea omnes, qui imperio remanserint, ipsi imperatori astringi debent juramento, secundum bonam et rationabilem consuetudinem; et illi qui tunc imperio remanserint, ut prædictum est, jurare debent, quod firmas et stabiles partes et partitiones quæ factæ fuerint, habebunt. Est autem et sciendum, quod a nostra vestra parte duodecim homines, vel plures, pro partes eligi debent, qui, juramento astricti, feuda et honorificentias inter homines distribuere debent, et servitia assignare, quæ ipsi homines imperatori facere debent secundum quod illis bono videbitur, et conveniens apparebit. Feudum vero, quod unicuique assignatum fuerit, libere et absolute possidere debent de hærede in hæredem, tam in masculo quam in femina, et plenam habeant potestatem ad faciendum inde quidquid suæ fuerit voluntatis; salvo tamen jure et servitio imperatoris et imperii. Imperator vero reliqua servitia facere debet quæ fuerint facienda, præter ea quæ ipsi facient, qui feuda et honorificentias possidebunt, secundum, ordinem sibi injunctum. Statutum est etiam, quod nemo hominum alicujus gentis, quæ communem guerram vobiscum et successoribus vestris, vel populo Veneto habuerit, recipiatur in imperio, donec guerra illa fuerit pacificata. Teneatur etiam utraque pars ad dandam operam bona fide, ut hoc a Domino papa possit impetrari, ut, si aliquis contra hanc institutionem ire tentaverit, sit excommunicationis vinculo innodatus. Insuper, imperator jurare debet, quod firmas et stabiles partitiones et dationes quæ factæ fuerint, irrevocabiliter habebit, secundum *ordinem superius distinctum* (606). Si vero aliquid in istis omnibus fuerit addendum, vel minuendum, in potestate et discretione vestra, et vestrorum sex consiliatorum, et domini marchionis, et ejus sex consiliatorum, consistat. Sciendum est etiam, quod vos, *prædicte* (607) domine dux, non debetis imperatori qui fuerit electus, vel imperio, ad aliqua servitia facienda, juramentum præstare, propter aliquod datum vel feudum, sive honorificentiam, quæ vobis debeat assignari, tamen illi, vel ille, quem vel quos loco vestro statueritis super his quæ vobis fuerint assignata, debeant juramento teneri ad omne servitium imperatori et imperio faciendum, juxta omnem ordinem superius declaratum.

Datum anno Domini 1204, mense Martii, indictione VII.

### CCVI (608).

NOBILI VIRO..... DUCI VENETORUM.

*Respondet petenti ipsi pactiones inter Francos et Venetos initas confirmari.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Februarii.)

[ Venientes ad apostolicam sedem, dilectos filios,

A *E. et* (609) A nobiles cives Venetorum, nuntios tuos, benigne recepimus, et, quæ coram nobis proponere curaverunt, audivimus diligenter. In nostra igitur præsentia constituti conventiones quasdam inter te ac Venetos ex una parte, de charissimum in Christo filium nostrum, B. Constantinopolitanum imperatorem illustrem, et Francos ex altera, concorditer initas asserebant, quas ne quis violare præsumeret, petebant sub pœna excommunicationis per sedem apostolicam inhiberi, ut quicunque videlicet veniret de cætero contra eas excommunicationis sententiæ subjaceret. Super hac autem prima petitione cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, tria invenimus quæ ipsi petitioni penitus contradicunt. Hoc enim in conventionibus ipsis capitulum est expressum, ut inter Venetos et Francigenas possessiones ecclesiasticæ dividantur, reservata clericis portione, de qua possint honorifice sustentari. Sane,
B « (609*) cum Ecclesiarum thesauros non sine Creatoris offensa manus diripuerit violenta, majorem « culpam incurrerent, qui spoliatas thesauris ecclesias suis possessionibus mutilarent, nec deceret « apostolicam sedem illos hoc modo defendere, qui « sic ecclesiasticam offenderent dignitatem. Præterea, cum ad honorem Ecclesiæ Romanæ hujus« modi sint initæ pactiones, et fere in singulis capi« tulis hoc expressum, ut ad honorem ejus omnia « provenirent, nec debuimus nec potuimus confir« mare, quod, contra juramentum ab utraque parte « communiter præstitum, honori sedis apostolicæ « derogaret (610). » Insuper, cum in te, ac in sex
C de consiliariis tuis, et nobilem virum... marchionem Montis-Ferrati, ac sex de consiliariis suis, addendi vel minuendi sit collata facultas, qualiter in laicorum arbitrio nostram sententiam poneremus, ut illi sententiam excommunicationis incurrerent, qui nobis ignotas, et sacris forsitan canonibus inimicas, constitutiones laicas non servarent? Cumque dilectus filius, T. Constantinopolitanus electus, in proximo Constantinopolim sit venturus, non fuerat de possessionibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ante adventum ipsius aliquid *disponendum* (611) a laicis, vel confirmandum a nobis, quod posset in juris ejus injuriam, et Ecclesiæ suæ dispendium redundare.] Secundo vero, iidem nuntii a nobis ex parte tua humiliter postularunt, ut, cum sis confectus senio
D et labore confractus, a voto peregrinationis assumptæ te absolvere dignaremur, cum nihilominus velis et possis efficaciter procurare, ut ad terræ sanctæ succursum exercitus naviget signatorum. « Nos igitur « (612) attendentes, quod tuæ circumspecto probi« tatis, subtilitas vivacis ingenii, et consilii maturi« tas sanioris, exercitui Christiano multum sit in« posterum profutura, cum imperator prædictus et

(606) Apogr. Conti, *ordinem supra dictum.*
(607) Gest. et Raynald. *præfate.*
(608) Partem epistolæ hujus legere est in Gestis Innocentii, § XCVII. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt. Ejusdem epistolæ fragmenta exhibet Raynaldus, ad an. 1205, § 9. Ea duplici virgula ad initium cujusque lineæ margini apposita distinximus.
(609) In Gest. desunt.
(609*) Hæc apud Raynaldum.
(610) Hactenus Raynaldus.
(611) Cod. reg. citatus a Baluzio, *ordinandum.*
(612) Rursus Raynaldus.

« crucesignati studium et sollicitudinem tuam vehe- « menter extollant, et inter homines de tua præ- « sertim discretione confidant, petitioni hujusmodi « ad præsens non duximus annuendum, ne vel nobis « imputaretur ab aliquo, si hac occasione dissolve- « retur exercitus in terræ sanctæ subsidium præpa- « ratus, vel tibi posset ab aliquo derogari, quod « non in obsequium crucifixi assumpseris signum « crucis, si, tuam et tuorum jam ultus injuriam, « non ulciscereris opprobrium Jesu Christi, et, de- « bellatis hostibus tuis, hostes fidei negligeres de- « bellare. Verum, cum, sicut credimus, crucesignati « adhuc peregrinationis propositum differre propo- « nant, et ad solidandum imperium remanere am- « plius in partibus Romaniæ, circa statum tuum, et « necessitatem exercitus cogitabimus amplius et sta- « tuemus, dante Domino, quod viderimus expedire « (613) ». Monemus igitur nobilitatem tuam, et exhortamur in Domino, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus, cum mundo servieris hactenus, et ex hoc non modicam gloriam fueris assecutus, de cætero Domino fideliter servias et non tibi, sed ejus nomini des honorem, honorans ministros ipsius, et ecclesias in sua ratione defendens, ut ab eo defendi et protegi merearis, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, et nullum malum deserit impunitum; sciturus pro certo, quod, quantum cum honestate nostra poterimus, ad honorem tuum efficaciter intendemus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Kalendas Februarii.

CCVII.

NOBILI VERO, H. DUCI VENETORUM.

*Ipsius absolutionem confirmat.*

(Apud Sanctum Petrum, IV Kal. Februarii.)

Per tuas nobis litteras intimasti, quod de mandato dilecti filii, P. tituli Sancti Marcelli presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, tu cum tuis absolutionis beneficium es adeptus. Nos igitur fidem dictis litteris adhibentes, te ac tuos reputamus, ab excommunicationis vinculo absolutos, et, si solita forma Ecclesiæ in vestra fuit absolutione servata, gratum gerimus et acceptum. Alioquin, quod defuit suppleri volumus, et mandamus, ne in persona tua videamur aliquid omisisse, quod in Ecclesiæ præjudicium possit in posterum allegari. Super hoc autem ex responsione cardinalis ejusdem exspectamus effici certiores.

CCVIII (614).

B. ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI,

*Pactiones, quoad divisionem possessionum ecclesiasticarum, irritat.*

(Apud S. Petrum.)

Qualiter circa negotium dilecti filii, T. Constantinopolitani electi duximus procedendum, per alias litteras, quas tuæ imperiali sublimitati transmisimus plenius tibi poterit elucere. Verum, quia inter te et peregrinos ex una parte, ac nobilem virum, H. ducem, et Venetos, ex altera, quasdam pactiones fuisse initas, et juramento firmatas in scripto conventionum ipsarum, tuo et nobilium virorum, B. marchionis Montis-Ferrati... Blesen, et. . Sancti Pauli comitum sigillis munito, quod coram nobis perlegi fecimus, perspeximus contineri, per quas si firmiter servarentur, Constantinopolitana Ecclesia non modicum læderetur, et derogaretur apostolicæ dignitati, cum caput expers esse non possit doloris membrorum, nec idem dolere quin compatiantur, et membra, nos, eidem Ecclesiæ, sicut tenemur, volentes adesse, supplicationem, quam pro eisdem pactionibus confirmandis nobis porrigere procurasti, non duximus admittendam. In eis namque continebatur expresse, quod inter Francos et Venetos dividi debent possessiones ecclesiasticæ, reservata clericis portione, de qua possent honorifice sustentari. Cum hoc igitur attentari non possei sine injuria Creatoris, juramentum super hoc præstitum, illicitum penitus appareret, et posset perjurium potius appellari, nisi, salvo apostolicæ sedis honore, in eodem juramento fuisset abjectum. Quia ergo honor Ecclesiæ Romanæ non servaretur illæsus, si Constantinopolitana ecclesia, quæ membrum est sedis apostolicæ speciale, in mutilatione possessionum suarum sustineat detrimentum, serenitatem tuam rogamus attentius, et monemus, et in remissionem tibi tuorum injungimus peccatorum, quatenus, illius intuitu, qui te ad imperium sublimavit, ipsius sponsam habens propensius commendatam, ad devisionem possessionum suarum ullatenus non procedas, et ipsas ab aliis dividi non permittas, ut, jure ipsius Ecclesiæ illæso, sicut convenit, conservato, ab eo præter remunerationem cœlestem merearis in imperii solio confirmari, cujus sponsam curaveris honorare. Id autem tanto debes libentius observare, quanto in coronatione tuæ ex majori devotione jurasti, quod in jure suo manuteneres ecclesias, et in suis eas rationibus defensares.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum.

*In eumdem fere modum*, nobili viro.... duci Venetorum, *usque* monemus, per apostolica tibi scripta in virtute Dei districtius inhibentes, quatenus ad divisionem possessionum ecclesiarum procedere non attentes, nec permittas, quantum in te fuerit, id ab aliis attentari. Alioquin, quia hoc non possumus nec debemus in patientia tolerare, episcopis et abbatibus in exercitu Christiano apud Constantinopolim existentibus, dedimus firmiter in mandatis, ut tam te, quam alios, qui ad divisionem ecclesiasticarum possessionum intenderint, ab hujusmodi præsumptione cessare per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis impedimento, compellent, et, si fuerit

(613) Huc usque Raynaldus.

(614) Epist. hanc laudat Bzovius, *Annal.* t. XIII, p. 106, § 4. Vide etiam Raynaldum, ad an. 1205, § 9.

attentatum, illud faciant per districtionem eamdem in statum pristinum revocari.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Id. Februarii.

*Scriptum est* episcopis et abbatibus ipsius *super hoc*.

*In eumdem modum* nobilibus viris.... marchioni Montis-Ferrati, et universis comitibus exercitus Christiani.

### CCIX (615).

CAPITULO VIVARIENSI.

*De cessione facta ab eorum episcopo, et de nova electione facienda.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Februarii.)

Scripta Moyses, minister Domini, cura et sollicitudine totius Israelitici populi, quia solus laborem non poterat sustinere, de omni populo Israel viros Deum timentes elegit, quos principes populi constituit, et tribunos, centuriones, quinquagenarios et decanos, ut, faciliora tantummodo judicantes, ad Moysen deferrent quod erat gravius vindicandum. Ad illius sane similitudinem, vicarius Jesu Christi, accepta in Petro plenitudine ecclesiasticæ potestatis, et ecclesiarum omnium sibi sollicitudine incumbente, ut in his quæ ad Deum pertinent melius valeat interesse, quosdam in partem sollicitudinis convocavit, judicio sibi difficilium reservato. Verum, quia sæpe contingit, quod hi, qui ad regendum et corrigendum alios sunt assumpti, offendunt graviter, et aliis præbent materiam delinquendi, et clamor iniquitatis eorum ad ipsius aures ascendit, cum per se ipsum non possit descendere ac videre, suos angelos mittit, qui vitia evellent et destruant, virtutes ædificent atque plantent, quasi membra capiti obsequentes. Nos igitur, licet immeriti, ad hujusmodi onus, disponente Domino, evocati, officii nostri debitum exsequi cupientes, quoniam provinciam Viennensem et quasdam alias infectas esse accepimus scabra rubigine vetustatis, dilectos filios, fratrem R. et fratrem P. de Castronovo, monachos Frontis-frigidi apostolicæ sedis legatos, ad eas duximus destinandos, ut vice nostra corrigerent corrigenda, quæ secundum Deum ordinanda cognoscerent statuentes. Ipsi vero, sicut per suas nobis litteras intimarunt, ad vestram ecclesiam accedentes, ut juxta mandati nostri tenorem, tam in capite quam in membris, appellatione remota, corrigenda corrigerent, a..... quondam episcopo (616) vestro, vobis, et clericis civitatis, receperunt corporaliter, juramentum, ut plenam de ipsius episcopi et vestris excessibus, tam vos quam illi dicerent veritatem. Tunc vero, cum quidam canonicorum vestrorum multa gravia contra episcopum proposuissent eumdem, et de eis, tum per confessionem ipsius, tum per depositionem testium juratorum, pro parte non modica constaret eisdem, venerabilis frater noster..... archiepiscopus Viennensis (617), ad ecclesiam vestram accedens, ipsis legatis humiliter supplicavit, ut non ad depositionem dirigeretur ipsorum intentio, sed ad ipsius episcopi potius cessionem. At ipsi, considerantes, quod hoc utilitati Vivariensis ecclesiæ potius expediret, cum dictus episcopus potens esset et nobilis, et episcopatus totus pereclitari sub ipsius posset potentia, et per eum expensis gravibus onerari, causamque in longum protrahere, non sine gravi damno ecclesiasticæ honestatis, preces duxerunt memorati episcopi admittendas, et idem episcopus, ejusdem acquiescens consilio, loco cessit, pontificali sibi officio reservato. Eo vero cedente, cum vos ad eligendum vobis pastorem velletis in capitulo convenire, ipsi vobis auctoritate apostolica inhibere curarunt, ne in electione attentaretis procedere, donec per litteras nostras constaret non approbasse ipsius episcopi cessionem, sicut viri providi et discreti ardua judicio sedis apostolicæ reservantes, eo quod nullus episcoporum loco vel officio potest cedere, nisi de licentia sedis apostolicæ speciali. Verum, quia ex pastoris absentia ecclesiæ vestræ periculum non modicum noscitur imminere, ne tyranni terræ ipsius in patrimonium ejusdem ecclesiæ libere valeant debacchari, nobis humiliter supplicarunt, ut concedere dignaremur vobis virum idoneum in pastorem. Nos igitur, eorum sollicitudinem et zelum rectitudinis in Domino commendantes, et quod ab eis pro utilitate ecclesiæ vestræ super cessione ipsius factum est, ratum habentes universitatem vestram per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, solum Deum habentes præ oculis, cum consilio prædictorum legatorum nostrorum infra octo dies virum idoneum, qui non tam præesse, quam prodesse velit et possit, vobis concorditer, ac canonice in ponti-

(615) Epistolam hanc vulgavit Angelus Maurique, *Annal. Cisterc.* ad an. 1205, cap. 11, § 10 tom. III, pag. 445.

(616) Quis fuerit tunc temporis episcopus Vivariensis, non satis compertum est. Imperfecta apud veteris Galliæ Christianæ auctores (tom. III, pag. 1182), Vivariensium antistitum series, Nicolaum ab anno 1177, usque ad annum 1198, ex instrumentis, memorat. Eumdem usque ad annum 1202 agnoscere videtur Colom. *De episcop. Vivariens.* Ab anno 1202, usque ad annum 1206, tacent instrumenta; nec ante annum 1206, Bernonis *seu* Burnonis, quem immediate post Nicolaum memorant iidem veteris Galliæ Christianæ auctores (*loc. cit.*) nomen legitur. Verum de Nicolao hic agi doctissimo Historiæ Occitaniæ Scriptori videtur (*Hist. de Langued.*, tom II, pag. 242).

(617) De archiepiscopis Viennensibus, circa hæc in quibus versamur tempora, pauca admodum referunt veteris Galliæ Christianæ auctores, tom. I, pa.g 802.

LXVII. Aynardus rescriptum immunitatis privilegiorum ab Henrico imperatore accepit 1196, taurini, V K l. Aug. præsentibus Annone Tarentasiensi, et Angelo Tarentino archiepiscopis.

LXVIII. Humbertus II, religionem professus in Carthusia Cellionis, prope Burgum, ad apicem pontificatus evehitur, cujus mentio est in Historia Antonianorum, sub anno 1208 et 1214 in diplomate Frederici.

ficem eligatis. Alioquin, legatis eisdem nostris damus litteris in mandatis ut ipsis extunc vobis personam idoneam, appellatione remota, præficiant in pastorem. Contradictores, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, xiii Kal. Februarii, anno septimo.

CCX (618).

FRATRI P. DE CASTRONOVO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*De patienter et acriter fungenda legatione.*

(Apud S. Petrum, vii Kal. Februarii.)

[Debitum charitatis, quæ non quæ sua sunt quærit, exposcit, ut is, qui Rachelem amplectitur contemplationis speculum ascendendo, in necessitatis articulo, Liæ, quamvis lippæ, non refutet amplexus, actionis onera subeundo ; quia, licet illa sit pulchra hæc tamen est utilis propter gratiam filiorum, sibi B et aliis commodum afferens et profectum. Licet enim Mariæ sedentis secus pedes Domini otium, Marthæ ministerio præferatur, eo quod sit status ille securior, utpote a sæcularium strepitu segregatus : activa tamen potest utilior judicari, eo quod sibi proficiens et alliis, tribulationes sustinet, et pressuras, per quas virtutes suscipiunt incrementum ; quoniam, sicut ait apostolus : *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit* (*Rom.* v). Et plerumque contingit, quod, sicut virtus in infirmitate perficitur, et auditui præbet vexatio intellectum, sic eadem ex tranquillitate tepescit. Nam Abel esse desinit, quem Cain non exercet ; et David, quem bella non vicerant, otium superavit. Cum igitur, exigente necessitate, te a contemplationis otio, quo elegeras, C ad tempus duxerimus evocandum, ut, in ministerium missus, pro nobis, imo pro Christo, legatione fungaris, quatenus obsecres eos reconciliari Domino, quorum mentes angelus tenebrarum excæcans a cogitatione veri luminis reddidit alienos, non debes recusare laborem, licet gens, ad quam missus es, dura et incorrigibilis videatur, quia potens est Dominus ex lapidibus Abrahæ filios suscitare. Licet autem adhuc in gentem illam secundum tuam non profeceris voluntatem, non tamen minorem potes exspectare mercedem, quia Deus non profectum remunerat, sed laborem, juxta quod Scriptura testatur : *Reddet Deus* mercedem laborum sanctorum suorum, labori non profectui præmium repromittens. Unde, Apostolus non se profecisse plus omni- D bus gloriatur, sed plus omnibus laborasse. Quia igitur firmiter speramus in Domino, cujus est incrementum præbere, quod labori tuo dabit profectum, devotionem tuam monemus, et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus opportune, importune, instans, arguens et obsecrans, incrependo in omni patientia et doctrina, opus evan- A gelistæ, ac ministerium tibi commissum studeas adimplere, firmiter sperans in Domino Jesu Christo, quod ipse, qui affectum tibi præstitit laborandi, ne tuus labor inutilis habeatur, effectum tribuet, et profectum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, vii Kalendas Februarii.]

CCXI.

ABBATI CLUNIACENSI (619).

*Concedit ei facultatem, ut in abbatiis ad Cluniacense monasterium pertinentibus possit corrigere corrigenda, secundum Deum, et B. Benedicti Regulam.*

(Apud S. Petrum, iv Kal. Februarii.)

Solet annuere sedes apostolica, etc., *usque* inclinati, ad exemplar felicis recordationis, Cœl. papæ, predecessoris nostri, ut in abbatiis ad Cluniacense monasterium pertinentibus liceat tibi quæ secundum Deum, et beati Benedicti Regulam et statuta ordinis videris corrigenda, corrigere, et ibidem statuere statuenda, liberam tibi, contradictione et appellatione cessentibus, auctoritate præsentium concedimus facultatem ; sententiam quoque quam in contumaces et rebelles duxeris canonice promulgandam, ratam habentes, et firmam, ipsam faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Nulli ergo... hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, iv Kal. Februarii, anno septimo.

CCXII (620).

REGI FRANCORUM.

*Super exstirpatione hæreticorum*

(Apud S. Petrum, vii Id. Februarii.)

[Ne populus Israel in Hierusalem ascenderet Dominum oraturus, Jeroboam, filius Nabath, in Bethel vitulum aureum statuit adorandum, fanum et altare construens in excelsis, compellendo prædictum populum ad peccandum. Cum autem solemnitatem, prout in corde finxerat, fecisset filiis Israel, et ascendisset super altare, ut adoleret incensum in sermone Domini, vir Dei accessit ad eum, ut ipsum ab hujusmodi scelere revocaret; sed, quia idem, per prophetam commonitus, corrigere noluit quod commisit, suscitavit postmodum Dominus spiritum Josiæ, regis Juda, qui altare, quod Jeroboam fecerat in Bethel, omnino destruxit, et locum quem plantaverat ex toto succidit. Jeroboam siquidem imitanter vestigia, quidam filii Belial, cum sint lupi rapaces regnum tuum in vestimentis ovium intraverunt, qui, ut populus renatus fonte baptismatis exuat quem in ipso baptismate induit Jesum Christum, et in Hierusalem de cætero non ascendat, vitulum in Bethel, in eos videlicet quos inhabitaverat Dominus constituunt, adorantes perverso dogmate, quasi

(618) Epistolam hanc edidit Agel. Manrique, *Annal. Cisterc.* ad an. 1205, cap. 1, § 3, tom. III, pag. 443. Sed apud ipsum mendis aliquibus scatet.

(619) Vide epistolam libri sexti 174, not.

(620) Epistolam hanc laudat Bzovius, *Annal.* t. XIII, § 10.

Vide etiam Raynaldum, ad annum 1205, § 57.

Integram edidit Angel, Mauriqu,e *Annal. Cisterc.* ad annum 1205, cap. 8, § 5, tom. III, pag. 445, sex mendis aliquibus non immunem.

altari constructo per superbiam in excelsis, super quo immolant oves Christi, quas extrahunt ab ovili. Nos igitur, affectu paterno compatientes eisdem et ad lucem ipsos volentes a tenebris, prout ad nostrum officium pertinet revocare, dilectos filios.... Cisterc. (621) abbatem, P. et R. monachos Fontis-frigidi, apostolicæ sedis legatos, ad illos in sermone Domini duximus destinandos, ut, instantes opportune, importune, arguerent, obsecrarent, et increparent eosdem in omni patientia et doctrina. Verum sicut dicti legati per suas nobis litteras intimarunt, iidem sanam doctrinam nequadam recipiunt, sed, ad sua desideria coacervantes sibi magistros auribus prurientes, a veritate auditum avertunt, in ovile Christi tanto licentius debacchantes, quanto sibi amputari dexteram auriculam non formidant, eo quod gladium, quem Petrus per seipsum exercet, non metunt, qui sunt extra ovile Domini constituti. Quia igitur hi qui laniant vestem inconsutilem Jesu Christi, deteriores sunt Pilati militibus, qui tunicam ipsam scindere minime attentarunt, obturantes, quasi aspides, aures suas, ne voces sapienter audiant incantantum, expedit, ut sæcularis gladius potestatis, qui ad malefactorum vindictam a regibus et principibus bajulatur, ad vindicandam evaginetur injuriam Salvatoris, et qui Domini est accingat gladium super femur, ut cum Josia evertere properet altare a Jeroboam inique constructum, et excidere lucum contra prohibitionem Domini complantatum. Ut igitur gladium, quem Dominus tibi tradidit, a quo est omnis potestas, non videaris sine causa portare; sed patienti capiti compati te demonstres, oportet ut, apprehensis armis et scuto, causam Dei alleges gladiis apud eos, qui, habentes caudas quasi vulpeculæ colligatas, messes in regno Francorum comburere incœperunt, dum pugnant quasi filii contra matrem. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur in Domini, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus, si fieri poterit, per teipsum, vel per charissimum in Christo filium nostrum, Ludovicum, natum tuum, aut etiam alium virum idoneum, contra prælatas belluas potenter assurgas, quatenus filiam regis assistentem ad dexteram sponsi varietate circumamictam, ut Catholicus filius, sinceritatis brachiis amplexeris, per exhibitionem operis manisfestans, tam comites quam barones, ut illorum bona confiscent, et proscribant personas, potestate tibi cœlitus tradita compellendo. Quoniam autem facinus quos coinquinat, æqua, cum error, cui non resistitur, approbetur, ut par pœna facientibus et consentientibus infligatur, si qui comitum vel baronum vel etiam civium, hujusmodi sani dogmatis perversores de terra sua noluerint expellere, aut eos receptare præsumpserint vel fovere, confiscare bona ipsorum, et totam terram domanio regio applicare, nullatenus verearis. Ut autem defectus gladii spiritualis per materialem accipiat supplementum, memoratis legatis tua regalis sublimitas auxilium potenter exhibeat et favorem, ut, præter hoc, quod ex tam commendabili opere apud homines consequeris gloriam et honorem, eam obtinere peccatorum veniam merearis, quam euntibus in terræ sanctæ subsidium duximus indulgendam.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Februarii, anno septimo.]

CCXIII.

..... TORNACENSI EPISCOPO (622).

*Hortatur, et facultates tribuit, ut clericorum excessus compescat*

(Apud S. Petrum, VII Id. Februarii.)

Diligens debet esse cura pastoris, ut in grege sibi commisso morbida non sit ovis, per quam contagium immineat toti gregi, quia cum sanguis sanguinem tangat, trahatque cortina cortinam, sæpe prodit malum ex malo, et virtus incrementum recipit a virtute. Accepimus autem, quod in diœcesi tua multi clerici multipliciter sunt infames, quia quidam usuras vel lucrum turpe sectantur, quidem adulterari non timent, quidam in domibus suis publice focarias secum habent, et alia multa commitunt, quæ honestat sunt contraria clericali. Ne igitur mercenarius judiceris ab illo, cujus gregis sollicitudinem accepisti, si per negligentiam tuam maculosus appareat, quem a macula mundare teneris, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus ad hujusmodi corrigendos excessus te talem exhibeas, quod in tuo comproberis officio circumspectus. Ut autem mandatum apostolicum plenius exsequeris, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut eos, qui se tibi super hoc temere duxerint opponendos, per censuram ecclesiasticam valeas coercere. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc.

Datum, etc., *ut in alia.*

CCXIV.

EIDEM (623).

*Facultas dedicationes ecclesiis impendendi, tam diebus Dominicis quam privatis.*

(Apud S. Petrum, VII Id Februarii.)

Tua fraternitas requiri fecit a nobis, utrum tibi dedicationes ecclesiarum tam diebus Dominicis, quam privatis, celebrare liceret ? Super quo tibi breviter respondemur, quod diœcesi tua tam diebus Dominicis, quam privatis, ecclesiis dedicationes impendere tibi licet.

Datum, etc., *ut in alia.*

CCXV.

N...-..... (*Deest inscriptio.*)

*Committit causam, quæ inter Fratres Hospitalis Hierosolymitani, et abbatissam Sanctæ Mariæ Andegavensis, super domo eleemosynaria vertebatur*

(Apud S. Petrum, VI Id, Februarii.).

Significaverunt nobis dilecti filii, Fratres Hospita-

(621) Vide epistolam libri quinti 16, not.

(622) Gosvimus, archidiaconus Tornacensis, Stephano successit anno 1203, et diem clausit extremum anno 1218. *Gall. Christ.* tom. III' col. 216.

(623) Vide epistolam superiorem, not.

lis Hierosolymitani, quod cum dilecta in Christo filia..... abbatissa Sanctæ Mariæ Andegavensis eos domo elemosynaria, quam per donationem bonæ memoriæ, R. regis Anglorum, fuerunt adepti, et aliquandiu pacifice possederunt post appellationem ad nos interpositam, spoliari fecisset per potentiam laicalem, et illam detineret illicite occupatam, dilectis filiis..... cancellario..... archidiacono, et præposito de Armeliaco, Carnotensibus, scripsimus in hac forma, ut, si res taliter se haberet, domum ipsam cum fructibus perceptis ex ea, amoto exinde quolibet illicito detentore, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, nominatis fratribus, mediante justitia, restitui facerent, in statum pristinum reducentes quidquid post appellationem ad nos legitime interpositam invenirent temere attentatum. Quia vero processum judicum prædictorum, cum post appellationem ad nos legitime interpositam, lite non contestata processerint, duximus irritandum, causam ipsam de communi assensu partium vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes, quatenus, partibus convocatis, et rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, causam eamdem, appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, etc. Testes, etc Nullis litteris veritate et justitiæ, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Id. Februarii.

## CCXVI.

..... ABRINCENSI EPISCOPO (624), ET. ... DE MONTEMORELLO (625), ET DE LUCERNA (626) ABBATIBUS, ABRINCENSIS DIOECESEOS.

*Causam, quæ inter priorem et canonicos sanctæ Barbaræ ab una, et W. Camerarium de Tamkarvill. Rothomagensis diœceseos ab altera parte, super Mainerio de Monvill. vertebatur examinandam ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, IV Id. Februarii.)

Ex insinuatione dilecterum filiorum..... prioris (627) et canonicorum Sanctæ Barbaræ, nobis innotuisse noscatis, quod, cum inter ipsos ex una parte, et W. Camerarium de Tankarvill. Rothomagensis diœceseos, ex altera, super Mainerio de Monvill. coram...judice ordinario, non ex delegatione nostra, quæstio verteretur, idem camerarius ad nostram audientiam appellaverit ab eodem, suæ appellationi terminum aliquem non præfigens, idem ordinarius, qui causam ejusdem camerrii fovere videbatur latenter, eo quod quidam clericus, commensalis suus, jam dicti camerarii in eadem causa fuerat advocatus, deceptorie, et contra consuetudinem, hunc terminum appellationi præfixit, ut ad festum purificationis beatæ Mariæ utraque pars esset ab appellationis prosecutione reversa, licet nobis non potuerit legem imponere, ut eum teneremur infra dictum terminum expedire, cum, et secundum legitimas sanctiones, lis quæ in consistorium principis speratur inferri, absque damno moræ intacta permaneat, donec ipse faciat introduci, et a proceribus dirimi juxta morem. Interim autem, nuntius camerarii supradicti, præveniens nuntium eorumdem, nec ipso usque ad legitimum terminum exspectato, impetravit litteras, et recessit. Quia vero fraus et dolus alicui patrocinari non debent, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, causam super his, appellatione remota, mediante juramento, terminetis, facientes quod decreveritis firmiter observari. Testes, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes... tu, frater episcope, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Februarii, anno septimo.

## CCXVII (628).

. . . . . ABBATI MOLISMENSI (629).

*Super litteris confirmationis.*

(Apud S. Petrum, V Id. Februarii.)

[Porrecta nobis ex parte tua petitio continebat quod plures ex monachis tuis, qui *prioratibus* (630) præsunt, a nobis, super ipsis *prioratibus* quoad vixerint possidendis, confirmationis litteras se asserunt impetrasse, *quarum occasione bona ipsorum prioratuum distrahunt et consumunt, asserentes se tibi quoad prioratus illos nulla ratione subesse* (631). Cum igitur a cancellaria nostra non credamus hujusmodi litteras emanasse, *discretioni tuæ* per apostolica scripta mandamus, quatenus illos, qui tales

(634) Ecclesiæ Abrincensi tunc temporis præerat Guillelmus III, *De Tollermen*, cujus electio, primum ab Innocentio cassata anno pontificatus secundo postea confirmata fuerat Obiit anno 1210. Vid. *Gall. Christ.* tom. XI, col. 483.

(625) Tualdus, anno 1200 memoratus, Radulfo, monasterii de Montemorello fundatori et abbati, successit in septem annos, ex Necrologio in quo notatur obitus ejus die 27 Augusti. *Id. ibid.* col. 557.

(626) Ansgotus monasterio de Lucerna per XLIX annos præfuit, ab anno 1157 usque ad annum 1206, quo, Vigilia apostolorum Simonis et Judæ, de bona sua voluntate resignavit. Vid. *Gall. Christ.* ibid. col. 557.

(627) De prioribus S. Barbaræ (in Algia), circa hæc in quibus versamur tempora, pauca hæc reperiuntur apud auctores novæ *Galliæ Christianæ*, ibid col. 859.

IV. Galterus rem habuit cum Lisiardo episcopo Sagiensi, et cum abbate Troarnensi, pro abbatia Conchensi, circa 1195. Obiit 18 Aprilis.

V. Guillelmus II, eremita, notatur annis 1209 et 1210. Obiit 29 Januarii.

(628) Reperitur inter Decretales, lib. II, tit. 30, *De confirmatione utili, vel inutili,* cap. 6. Variæ lectiones dantur.

(626) Gaucherus, *al.* Galcherus, Molismensis abbas, primum circa annum 1188, rexit quinque annis, inde depositus cessit anno 1191 vel 1192; postea factus prior S. Quintini, demum iterum, post Odonem, suffectus, versus annum 1297, præfuit annis 12 et tribus mensibus, et cessit anno 1209. Vid. *Gall. Christ.* tom. IV, col 755. Vide etiam epistolam libri sexti 237 et notam.

(630) In Decret, add. *et aliis administrationibus,* et mox verbum *prioratoribus* omittunt.

(031) Desunt hæc in Decretal., ut mox verba *discretioni tuæ.*

litteras exhibuerint, in quibus *prioratus* (632) tanquam *monachis* confirmantur eisdem, punias tanquam falsitatis auctores. Si vero in eis non sit mentio *prioratus*, *vel monachatus*, illas tanquam tacita veritate subreptas denunties non valere.

Datum Romæ, apud sanctum Petrum, v Idus Februarii.]

CCXVIII (633)

PRIORI (634) AC FRATRIBUS VALLIS-CAULIUM.

*Recipit eos sub protectione beati Petri.*

(Apud S. Petrum, IV Id. Februarii.)

Solet annuere, etc., *usque* impartiri. Ex litteris sane venerabilis fratris nostri, G. (635) electi Remensis accepimus, quod, dum transiret per diœcesim Lingonensem, vos invenit in Valle-Caulium novellam institutionem ordinis assumpsisse, de cujus meritis diligenter inquirens, nil in eo nisi religiosum comperit, et honestum. Invenit siquidem prout eædem litteræ continebant, quod inter vos unus monachorum, quem vos, filii monachi, eligetis, debeat esse prior, cui omnes, monachi videlicet et conversi, quorum societas vicesimum numerum non transcendet, tanquam spirituali patri reverentiam et obedientiam curabitis exhibere; nullus vestrum proprium possidebit; in conventu singulis diebus missa, et horæ canonicæ cantabuntur; privatas quoque missas, qui voluerint celebrabunt; capitulum tenebitis omni die, facturi duodecim lectiones temporibus constitutis; simul laborabitis; et simul in refectorio comedetis, carnibus et sagimine non utentes. Prior vobiscum in eodem refectorio comedet simili cibo et veste contentus. A festo resurrectionis Dominicæ usque ad exaltationem sanctæ Crucis bis comedetis in die, residuum temporis sub jejuniorum abstinentia transcursuri pane, aqua, et uno pulmento contenti sexta feria existente. In die Nativitatis Dominicæ non jejunabitis, nec sexta feria in æstate, ubi festum intervenit duodecim lectionum. Vivetis de redditibus, silentium servaturi; feminæ interiores terminos non intrabunt, nec vos, exteriores, excepto priore, nisi causa ordinis transcendetis. Prior tamen, si occupatus fuerit, vel ægrotans, et urgens necessitas, vel evidens utilitas postularit, poterit unum quem voluerit destinare. Cilicia inductis ad carnem, eos qui ferre non poterunt non cogentes; lineas et cannabinas vestes nullatenus induetis, grossæ lanæ vestes, non tinctas, et pellitias habituri. Cum tunicis, cingulo, et caligis omnes jacebitis, et, præter hæc, vos, filii monachi, cum cuculla nusquam, et nunquam super calcitris quiescentes. Erunt novitii vestri in probatione per annum, et vos, filii monachi; a matutinis usque ad horam laboris, et a vesperis usque ad occasum solis lectioni, orationi et contemplationi vacabitis, exceptis quos prioris discretio pro aliqua certa et necessaria causa duxerit retrahendos. Nos autem, vestris justis postulationibus annuentes, personas vestras, et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum, etc., *usque* suscipimus: specialiter autem ordinem ipsum, provida deliberatione de assensu episcopi diœcesani statutum, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Februarii, anno septimo.

CCXIX (636).

, . . . . . EPISCOPO AQUITANI (637).

*Litem quamdam, inter R. de Georgio, et R. mulierem de S. Germano, dirimit.*

(Apud S. Petrum, II Id. Februarii.)

[Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod *cum* (638) causam, quæ vertitur inter R. *de Georgio*, et R. mulierem *de sancto Germano*, tibi *duxerimus* committendam,] cum fere per biennium studuisses, ut eadem causa concordia finiretur, partibus non acquiescentibus, ascitis viris prudentibus, prædictæ causæ meritis diligentius examinatis,

(632) Decretal. add. *vel administrationes*, et mox legunt *religiosis*; infra *religionis ipsorum* pro *prior* vel *monach.*

(633) Epistolam hanc laudat Raynaldus ad annum 1205, §68. Integram vulgavit Angel. Manrique *Annal. Cisterc.* ad annum 1207, cap. 4, § 3, tom. III, pag. 478; quam quidem ex Archivis Vaticanis sibi missam ait; sed, quo pacto in suo exemplari anno Innocentii pontificatus nono tributa fuerit, cum in Regestis anno septimo data diserte dicatur non facile intelligitur. Eamdem typis mandaverunt auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. IV., *Instrum.* ch. 111, col. 197.

(634) Guidone. *al.* Viardo, fundatore ac primo Priore Vallis-Caulium, qui præerat adhuc an. 1213, vid. *Gall. Christ.* nov. tom. IV, col. 742.

(635) Vid. epistolam libri septimi 116.

(636) Epistola hæc reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 21, *De pignoribus et aliis cautionibus*, cap. 5. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(637) De episcopis Aquinatibus, circa hæc tempora, pauca admodum refert UGHELLUS, *Ital. sacr.* tom. I, col. 443.

« XIV. Gregorius, Florentinus, monachus ordinis Vallis-Umbrosæ, abbas S. Joanni, Guelberto proximus affinis, a Cœlestino III summo pontifice episcopus electus est circa annum Domini 1194. Aquinam ecclesiam magna cum laude prudentiæ administravit; ejus obitus incidit in secundam diem Februarii.

« XV. Gregorius Gregorio successit, cum monachus esset decanusque Montis-Casini, Innocentio III, sedente, anno 1206; et, ut ipse dicit in quodam suo diplomate, dat. Laterani Kal. Aprilis, cum, difficili morbo præpeditus, lecto decumberet, eumdem Casinensem Gregorium non potuit ipse per se ordinare, ut habebat in votis, sed Hebdomadæ sanctæ septimo die, per episcopum cardinalem Ostiensem, ipso die Paschatis, consecrandum curavit. »

(638) In Decretal. deest, ut mox verba *de Georgio.* Loco *R.* legunt A; infra *de S. Germ.* om. et *duximus* habent pro *duxerimus.*

idem negotium de prudentium consilio ad nostram duxisti præsentiam remittendum, ea maxime ratione, quia videtur hoc ad regium judicium specialiter pertinere. [Si quidem probatum est *evidenter* (639), quod, pro facinore a marito prædictæ mulieris commisso, eo fugam petente, tam frater mariti prædictus, videlicet R. quam ipsa mulier; licet minus juste, ab *R. comite Casertan. tunc* regio justitiario, capti fuerint, et de ipsius mandato omnium honorum deliquentis fuit facta distractio, et soluta *est* (640) pecunia mercatori, qui a marito dictæ mulieris vulneratus fuerat, et rebus propriis spoliatus. *Per prædictum autem R. illorum bonorum venditio facta fuit, de mandato tamen justitiarii antedicti*, sed quædam possessiones penes eumdem R. *mulieris sororium, remanserunt* (641), quas idem R. de mandato curiæ retinuit, soluta pro eis pecunia mercatori, quia emptor alius, sicut dicit, propter possessionum minutias non exstabat. Pars, vero mulieris *firmiter allegabat, quod, cum dos omnibus creditoribus præferatur, et omnia bona mariti eidem mulieri propter dotem fuerint obligata, cum mulier in hoc non fuisset culpabilis, dotem suam amittere non debebat, propter quod* æstimationem *ejus* (642) instantius petebat sibi *conferri*, vel in possessiones, quæ mariti fuerant, ex officio delegationis induci], asserens culpam viri sui nequaquam sibi de jure debere nocere. Pars autem viri e contrario respondebat se non debere ipsi super his aliquo modo respondere, quia nihil voluntate vel auctoritate sua distractum fuerat de bonis mariti mulieris ipsius, sed fiscus ea capi fecerat, et mandaverat distrahenda, quod et testium assertione probavit. Sane, cum pars mulieris diceret, de possessionibus viri sui aliqua remansisse, quæ distracta non fuerant, et ex eis sibi satisfieri postularet, ab utroque studiosius inquisisti, quanta fuisset pecunia, quæ soluta fuerat mercatori, et ex confessione tibi consistit utriusque, quod de immobilibus usque ad viginti quatuor uncias auri alienatum exstiterat, sed præscriptus R. dicebat se decem et octo uncias illis viginti quatuor unciis addidisse, et quadraginta duarum unciarum auri complevisse numerum mercatori. Allegabat quoque prædictus R. quod, cum quinque filii essent unius patris, et omnes in bonis paternis succederent, facta æstimatione totius hæreditatis, non proveniebat ad maritum mulieris ipsius de hæreditate paterna, quod ultra viginti quatuor uncias auri valeret. Quia vero ad nos eadem causa remissa non fuit sufficienter instructa, nec nobis constitit, utrum, decem libras tarenorum (643), quas patebat mulier, dedisset in dotem, aut idem R. aliquid possideat de bonis pertinentibus ad fratrem suum, virum mulieris prædictæ, nec potuissemus examinationi causæ insistere, tum quia in præsentia tua renuntiatum fuerat allegationibus et probationibus sicut dicis, tum quia idonei et sufficientes ad nostram præsentiam non venerant responsales, eamdem causam tuo duximus examini remittendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo [*mandantes* (644), quatenus, si tibi constiterit ex his, quæ in præsentia tua fuerint proposita, et probata, quod mulier quantum dicit, viro dedisset in dotem, et prædictum R. de bonis fratris aliqua possidere, cum mulieribus favor multus in recuperandis dotibus debeatur, et cautum etiam sit in jure, quod propter maleficium viri mulier remanere non debet indotata, cum etiam bona viri mulieri pro dote tacite obligata cum suo onere transiverint ad quemlibet possidentem, prædictum R. eidem mulieri ad restitutionem dotis, eatenus, appellatione remota, condemnes, quatenus de bonis prædicti fratris sui noscitur possidere.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Id. Februarii.

## CCXX.

...... ELIENSI (645)..... NORVICENSIS (645), ET ...... DE SANCTO ASAPH (646), EPISCOPIS.

*Ut causam matrimonii, inter filiam principis Insularum, et principem Norwalliæ, vertentem terminent* (647).

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Martii.)

Cum olim dilectus filius, nobilis vir. . . princeps Norwalliæ, a nobis humiliter postulasset, ut de nostra sibi permissione liceret filiam nobilis viri. . . principis Insularum, quam se asseruit subarrasse, ducere in uxorem, non obstante, quod . . . patruo

(639) Deest in Decretal., ut infra verba *R. com. Casert. tunc.*

(640) Decretales om. verbum hoc et infra *Per . . . antedicti.*

(641) Decretal. *remanserant,* legunt pro *mul. s. rem.*; infra verba *firmiter . . . quod* omittunt.

(642) Decretal. legunt *dotis,* et mox *restitui* pro *conferri.*

(643) Est nummi Saracenici genus, quod Siculi utebantur, ut notat Albericus in suo Lexico Juris, Ejusdem meminit Leo Ostiensis, *Chronic. Cassinens.* lib. II, cap. 74. « Et mille tarenis ab abbate donatus Aversam ad socerum redit. » Et idem, lib. III, cap. 57. « Bysantios sexcentos et duo millia tarenos Africanos. » Et idem, lib. IV, cap. 99. « Monasterio innovavit privilegium de relaxatione quinquaginta tarenorum. » Et ipse Innocentius, lib. I, epist. 257, qua confirmatur statutum Beneventanorum, ut judices pro salario nihil accipiant ultra vicesimam litis, nec de subscriptione testamentorum vel aliis contractibus judices ipsi a civibus plusquam duos tarenos, aut notarii nisi unum.

(644) Decretal., *mandamus.*

(645) De istis jam actum est sæpius.

(646) Adamo, episcopo Asaphensi (de quo agit Giraldus Cambrensis in libello, de rebus a se gestis lib. I, cap. 6, apud Wharton, *Angl sacr.* part. II, pag. 471), defuncto Oxoniæ anno 1180, successisse videtur Reinerus quidam, qui vixit usque ad annum 1220. *Godwuin. de præsulib. Angl.*, pag. 635.

(647) Vide epistolam libri sexti 47, et quæ ad eamdem adnotavimus.

ejus eadem mulier infra nubiles annos fuerat desponsata, cum neuter eorum transduxisset eamdem, bonæ memoriæ... Mannen. episcopo, et dilectis filiis... archidiacono, et... priori de Insula Glannav. sub certa forma causam ipsam commisimus (648) terminandam. Partibus itaque in prædictorum judicum præsentia constitutis, sicut ipsi per suas nobis litteras intimarunt, per testes ejus constitit evidenter, quod prædicta puella, octo annis expletis, ab L. principe Norwalliæ, tam suo quam suorum assensu parentum, fuerat subarrhata, sed, eo ex necessitate ipsam transducere differente, ejusdem L. patruus ipsam sine consensu ejus postmodum desponsavit, qui, ea nequaquam carnaliter cognita, viam fuerat universæ carnis ingressus. Judices ergo prædicti, communicato prudentium virorum consilio, prædicto Norwalliæ principi auctoritate apostolica concesserunt, ut puellam desponsaret eamdem, ne discordia inter ipsum et parentes puellæ olim exorta, et tunc sopita, iterum oriretur. Nos igitur, eorumdem sententiam, nisi aliud rationabile quidem obstaret, volentes firmitatem debitam obtinere. dilectis filiis... abbati de Abenton... priori de Henli, et magistro M. canonico de Berlinton. Bangorensis diœceseos, dedimus (649) in mandatis, ut ipsam facerent, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Abbas vero prædictus, et conjudices sui, propter conditionem in litteris nostris expressam, super matrimonio illo, sicut in eorum litteris perspeximus contineri, studiose ac sollicite, receptis testibus, veritatem inquirere curaverunt. Habitis ergo quatuor productionibus testium, et redactis in scriptis depositionibus eorumdem, ea, quæ ad decisionem causæ credebant sufficere, de utriusque partis assensu, nobis transmittere curaverunt, ut nobis rei veritas eluceret, et consuleretur conscientiæ principis supradicti, qui priores judices, et præsertim archidiaconum et priorem dicebat juris ignaros, et litteras nostras per falsam suggestionem obtentas, nec se credebat cum eadem puella posse salvari, quæ patruo ejus tradita in uxorem in uno lecto sæpius fuerat cum eodem. Nos igitur, depositionibus testium diligenter inspectis, probatum invenimus per easdem, quod idem L. puellam ipsam ducturum se juraverat in uxorem, sed nec ipsam transduxerat, nec probatur per testes, quod benedictus fuerit, aut in una terra fuerit cum eadem, utpote quorum terras mare medium dividebat. In actis quoque judicum perspeximus contineri, quod sufficientibus testimoniis probatum fuerat coram ipsis, octo annorum fuisse puellam, quando idem L. eam juraverat se ducturum. Cumque pater puellæ filiam suam in Norwalliam ad statutum terminum ducere distulisset, idem L. sororem nobilis viri.. comitis Castriæ, sine contradictione qualibet, circa finem illius anni duxerat in uxorem, et R. patruus ejus puellam de-

A sponsaverat memoratam, et post annum in facie Ecclesiæ, cum illa contraxerat, et a principio Maii usque ad festum beati Viti martyris, quoties ei placuit, in eodem lecto jacuerat cum eadem, et in Walliam fuerat elapso tempore aliquanto reversus. Cæterum, transacto secundo anno a tempore desponsationis, primo vero a tempore nuptiarum, in Manniam rediens, pacifice cohabitavit uxori, et eam secum per terram et mare deduxit, sed, ea tandem sub parentum cura relicta, in Walliam rediit, ibique fuit viam universæ carnis ingressus. Ex dictis igitur testium collegerunt judices supradicti, quod prædictus R. puellam eamdem a tempore desponsationis habuerat per triennium, et tres menses, sed per biennium, duos menses, et dies quindecim a tempore nuptiarum; fuit autem diversitas

B inter testes, cum quidam, ex eo quod puella erat tunc temporis macilenta, quod non fuisset carnaliter cognita existimarent, licet esset ætate nubilis, et toro matura; quidam autem nescire se dicerent, si carnaliter cognita exstitisset, quidam vero crederent, quod cognita non fuisset, quidam vero ab ipso R. assererent se audisse, quod eam carnaliter non cognovit; licet adjicerent se nescire, utrum postmodum fuerit cum eadem. Verum, prædictus episcopus Manniæ, sicut in scriptis ejus, et suorum conjudicum secundo delegati perspexerant contineri, conjudicibus ejus absentibus, tam ex ipsius puellæ quam parentum, nutricis et famularum ejus didicit juramentis, quod prædictus R. puellam ipsam carnaliter non cognovit. Patruo ergo viam universæ

C carnis ingresso, cum prædictus L. a rege Manniæ juniorem filiam in conjugem postulasset, nec id obtinere potuisset ab eo, utpote cum ipsa fuisset alii copulata, sæpedictam puellam de assensu priorum judicum sibi postmodum copulavit. Constitit igitur ex prædictis quod inter sæpedictum L. et prædictam puellam, dum octo esset annorum, cujus tamen consensus non invenitur expressus, antequam cum ipsa ejusdem L. patruus contraxisset, tantummodo per verba de futuro fuerunt sponsalia celebrata, ita quod nec idem L. transduxerat aut subarrharat eamdem, nec cum ipsa fuerat benedictus, quinimo nec in eamdem fuerant terra simul, utpote quorum terras, sicut superius est expressum, mare medium dividebat: unde præsumi non potest quod

D aliquid attentarint quod non potuerint consummare. Consistit etiam per prædicta quod puella ipsa non non anno sæpedicto R. desponsata fuerat, et in decimo ab ipso transducta, et ultra biennium in uno lecto frequenter fuerat cum eodem. Unde colligitur manifeste quod primæ litteræ per falsam fuerunt suggestionem obtentæ, cum contineatur in illis quod neuter eorum transduxit eamdem. Cumque tandiu simul in uno lecto fuissent, de jure præsumitur quod facti fuerint una caro, cum etiam in duodecimo anno, in quo libero et legitimum habet in hujus-

(648) Vide epistolam libri secundi 233.
(649) Vide epistolam jam supra laudatam libri sexti 47.

modi puella consensum, voluntarie fuerit cum eodem, patet eam in ejus matrimonium legitime consensisse, nec potuisse contrahere postmodum cum nepote. Unde idem L. ducere ipsam de jure non potuit, et, si de facto ipsam sibi post mortem patrui copulavit, ab eo merito separandus. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, causam ipsam secundum præscriptam formam, appellatione postposita, terminitis, facientes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kal. Martii.

### CCXXI.

PRIORI (650) MONASTERII BEATÆ MARIÆ DE CHARITATE, EJUSQUE FRATRIBUS.

*Confirmatio privilegiorum, et enumeratio omnium ad eos spectantium.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Martii.)

Quoties a filiis nostris, quos pro sua religione et honestate,speciali prærogativa diligimus charitatis, aliquid a nobis devotione debita postulatur, quod religioni et honestati non obviat, ad concedendum quod petitur tanto facilius debemus concurrere, quanto magis id ex injuncto nobis officio dignoscitur convenire. Cum enim, licet indigni, auctoritatem geramus apostolicæ sedis, sic omnium ecclesiarum utilitati compellimur providere, sic de ipsarum quiete attentius cogitare, ut earum jura illæsa serventur, et quæ a predecessoribus nostris acta sunt, firma et inconvulsa stabilitate debeant permanere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus gratum impartientes assensum, monasterium beatissimæ Mariæ, semper virginis, de Charitate, cui, largiente Domino, deservitis, ad exemplar felicis memoriæ Urbani, Paschalis, Lucii et Adriani, prædecessorum nostrorum, Romanum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, etc., *usque* vocabulis exprimenda : In Antissiodorensi episcopatu, apud Boniac.ecclesiam Sancti Petri et Sancti Aniani, cum omnibus possessionibus et appenditiis suis;apud domnam Mariam, Sanctæ Mariæ et Sancti Amatoris ; apud Balbiniacum, Sancti Stephani ; apud Septemfontes, Sancti Petri ; apud Conam, Sancti Aniani ecclesiam de novo Vico ; apud Poliac., Sancti Petri , apud Mevam, Sancti Juliani ; apud Beluciac ; Sancti Martini ; apud Nartiac., Sancti Marcelli , apud Varenam, Sancti Martini ; juxta Varenam, Sancti Silvani ; apud domnum Petrum, Sancti Petri ; apud Murliacum, Sancti Martini ; in bosco Britanniæ, Sancti Vincentii; apud Castrum-Novum, Sancti Symphoriani; apud Sulliacum, Sancti Symphoriani juxta Sulliacum ; apud Virgultum, Sancti Germani et Sancti Aniani ; apud Manniacum, Sancti Petri; apud Aonam, Sanctæ Mariæ ; apud Cren., Sancti Stephani ; apud Colongias super Joviam, Sanctæ Mariæ ecclesiam de Curcum ; apud Nannai, Sancti Simeonis ; apud Alniacum, Sancti Saturnini ; apud Festiniacum, Sancti Cyrici ; ecclesiam de Vi Sancti Stephani ; apud Mannas, Sancti Martini ; apud Cellam, Sancti Juliani ; in episcopatu Nivernen ; ecclesiam Sancti Aniani de Albiniaco, cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Sulpitii de Capella super Ligerim , de Partiaco, Sancti Victoris de Nivernis, de Bischis, de Jancuriaco, de Sancto Sulpitio, de Bellomonte, de Roi, de Patingiis, de Monteniaco, de Salviniaco, de Cerciaco, de Colongiis, super castrum Cerciac. In archiepiscopatu Bituricen., ecclesiam de Monastello, cum burgo et cum omnibus pertinentiis suis; de Sancta Montana, de Argento, cujus castellum et cætera in terra monachorum sunt ; de Partiaco, ecclesias de Sancto Celso, cum burgo et omnibus pertinentiis suis ; de campo Faraldi ; de Sancto Florentio ; de Cyolio ; item, de Brolio ; de Valeniaco ; de Bardai ; de Zanconio ; de Ulmeriaco ; de Fonteniaco , castrum Sancti Cirici ; de Blec. de Neruda ; de Pera: de Birriaco ; ecclesias Sanctæ Mariæ et Sancti Martini ; apud Montem Falconis, de Coola, in episcopatu Eduen. in suburbio ecclesiam Sancti Rozi ; ecclesias de Rocta, de Monte Ausberti, cum villa de Brazi; de Viverio, de Sancto Honorio ; de Larneneia ; in episcopatu Aurelaniensi, ecclesias in suburbio Sancti Laurentii, cum omnibus pertinentiis suis, et de Bolio ; in Carnotensi episcopatu, ecclesias in suburbis Sanctæ Mariæ Belli-loci; apud Morvillam Sancti Joannis ; in diœcesi Turonensi, ecclesias sancti Michaelis, Sancti Medardi, de Ewra ; in diœcesi Senonensi, ecclesias Sanctæ Mariæ de Porta Leonis, cum omnibus pertinentiis suis ; de Curtiniaco, Sancti Petri, cum pertinentiis suis ; de Dictiaco ; de Castro Rainardi , Sancti Nicolai ; ecclesias de Monte Boio, cum omnibus pertinentiis suis de Castellione ; de Chavennis ; de Joveniaco, cum omnibus pertinentiis suis; de Sancto Sidronio, cum omnibus pertinentiis suis, de Branchiis ; de Contentione ; de Ladit ; de Castello Beliot, de Venesiaco ; de Cruce, cum omnibus pertinentiis suis ; de Jovis-villa; de Julliaco; de capella Fagi ; in Trecensi episcopatu, ecclesias Sancti Sepulcri, cum omnibus pertinentiis suis ; de Sancto Justo ; de Senzannia, cum omnibus pertinentiis suis, in episcopatu Suessionensi, ecclesias de Bren, cum omnibus pertinentiis suis ; de Villeriis, cum omnibus pertinentiis suis ; in episcopatu Catalaunensi, ecclesiam de Monte Maurn ; in episcopatu Meldensi, ecclesias de Rodolio, cum omnibus pertinentiis suis ; de Firmitate ; Ansculfi ; de Calli ; Chamini ; de Bussei ; de Bellovidere et Sancti Christophori in suburbio ; in episcopatu Parisiensi, ecclesiam Sancti Yonii, cum omnibus partinentiis suis;in episcopatu Belvacensi,

(650) Guillelmus II, primum prior de Sesanna, deinde simul de Charitate, notus est instrumentis ab anno 1198. Successoris ejus, Gaufridi, nomen non ante annum 1209 legitur *Gall. Christ.* tom. XII, pag. 407.

ecclesiam Sancti Christophori, cum omnibus pertinentiis suis; in diœcesi Rothomagensi, ecclesiam de Longavilla, cum pertinentiis suis; in Venetia, ecclesiam Sanctæ Crucis, cum pertinentiis suis; in Hispania, ecclesiam Sancti Petri de Arratis, cum pertinentiis suis; in Anglia, in episcopatu Wintonien., ecclesiam Sancti Salvatoris de Bermundeseia, cum pertinentiis suis; in episcopatu Lincolnien., ecclesias Sancti Andrææ de Norhanton, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Daventreia, cum pertinentiis suis; in episcopatu Ereforden., ecclesiam Sanctæ Milburgæ in Weneloc, cum tota villa et aliis pertinentiis suis; in archiepiscopatu Eboracensi, ecclesiam de Pontefracto, cum pertinentiis suis; alias quoque ecclesias et capellas et decimas de Laurento et de Mena, et cæteras omnes quas canonice possidetis, vobis nihilominus auctoritate apostolica confirmamus. Liceat præterea vobis in ecclesiis vestris presbyteros eligire, qui, si idonei fuerint, ab episcopis, gratis et absque ulla pravitate, curam suscipiant animarum, eisque de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, debitam subjectionem impendant. Præsenti quoque decreto districtius inhibemus ut nulli episcopo liceat in vos et in locum vestrum, qui videlicet de Charitate nominatur, excommunicationis vel interdicti sententiam, nisi de mandato sedis apostolicæ, promulgare. Ad exemplar etiam felicis memoriæ prædecessorum nostrorum, Innocentii et Adriani, Romanorum pontificum, concedimus vobis vestrisque successoribus in perpetuum, ut, parochiis pertinentibus ad jus vestrum, nullus futuris temporibus ordo seu religio, nisi vestra, ponatur. Prohibemus insuper ut, infra parochias ad jus vestri monasterii pertinentes, absque prioris et capituli vestri assensu, nullus ecclesiam vel capellam, seu cœmeterium, salvis privilegiis apostoticæ sedis, ædificare præsumat. Decimas etiam ecclesiarum vestrarum, quæ a laicis obtinentur, si secundum Deum eorum potestati subtrahere vestræ religionis reverentia poterit, ad vestram et pauperum gubernationem vobis liceat possidere. Consecrationes vero altarium seu ecclesiarum vestrarum; ordinationes etiam clericorum, etc., *usque* exhibere. Alioquin, quemcunque malueritis, etc., *usque* impendat. Pro altaribus vero et ecclesiis, sive decimis vestris, nulli episcoporum facultas sit, gravamen indebitum vobis aut molestias irrogare, sed, sicut eorum permissione, quædam ex parte, quædam ex integro canonice habuistis, ita et in posterum habeatis. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et in supradictis capellis diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si quis igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in via Iata diaconi cardinalis, XIV Kalendas Martii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno septimo.

### CCXXII (651).

....... VERCELLENSI EPISCOPO (652).

*Monet, et rogat, ut patriarchatum Hierosolymitanum acceptet.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Februarii.)

[Ut lapsum humani generis, etc. *ut in ea quæ mittitur Siff. tituli Sanctæ Praxedis presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, in Regesto sexti anni* (653), *in eumdem modum usque* elabores. Accedentes enim ad præsentiam nostram dilecti filii ...... prior, et.... canonici Sepulcri Dominici, tam viva voce, quam per litteras quas tulerunt, nobis humiliter intimarunt, quod, cum dilectus filius noster, S. tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, non potuisset inducit, ut electioni de factæ de ipso ad Hierosolymitanam ecclesiam consentiret, convenientes in unum, te in patriarcham unanimiter postularunt, quorum postulationi et charissimus in Christo filius noster, A. illustris rex Hierosolymitanorum, assensum præstitit, et archiepiscopi et episcopi consenserunt, per suas nobis litteras supplicantes, ut te non solum inducere, sed et cogere dignaremur, ut postulationi eorum humiliter consentires. Idem, quoque, Sanctæ Praxedis et dilectus filius noster, P... tituli Sancti Marcelli presbyteri cardinales, apostolicæ sedis legati, per suas nobis litteras intimarunt, quod, cum suffraganei Ecclesiæ Hierosolymitanæ in electione vocem se assererent habere, prior autem et canonici Sepulcri Dominici hoc negarent, factum est taudem, ut, nominatus duabus personis, vices et voces suas in eos devote conferrent, et ex illis quam magis idoneam crederent, eis eligerent patriarcham. Similiter et prælati Provinciæ in eos, si quid juris in electione habebant, concorditer contulerunt. Ipsi ergo, deliberatione præhabita, de duabus nominatis personis, te potius eligentes, nominarunt eidem Ecclesiæ in pastorem. Licet autem valde nobis necessarius sis in partibus Lombardiæ, utpote cui secure in arduis etiam negotiis committimus vices nostras, propter urgentem tamen necessitatem non solum Ecclesiæ Hierosolymitatæ, sed totius Orientalis provinciæ, etc. *usque* proventuros. Taliter igitur pro Deo et propter Deum super hoc mandatum apostolicum exsequaris, quod manum districtioris severitatis nos non oporteat adhibere. Nam, etsi, secundum statuta canonica, nullus invitus crescere compellatur, tamen juxta legitimas sanctiones, aliquid ad publica munera trahuntur inviti. Interest autem, tam apostolicæ sedis quam Ecclesiæ generalis, imo etiam generaliter omnium et singulariter singulorum fidelium crucifixi, ut eidem Ecclesiæ persona præficiatur idonea in pastorem, nec tu tuam ad honorem assu-

(651) Epistola hæc legitur in Gestis Innocentiti, § LXXXVIII.

Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 27

(652) Vide epistolam libri tertii 38, not.

(653) Vide epistolum libri sexti 129, et quæ ibi adnotata sunt.

meris quam ad onus, cum Ecclesia illa hodie plus habeat oneris quam honoris. Nec turberis in aliquo, vel causeris, quod prædictus cardinalis Sanctæ Praxedis factam de se postulationem a canonicis Sepulcri Dominici non admisit, quia forsitan, sicut Sara Tobiæ, sic et ipsa viro fuit alii divino judicio reservata, vel fortassis hoc eum ad hujus oneris recusationem induxit, ne, cum in partibus illis prædictis existeret, videretur promotionem propriam procurasse, ac ex eo præsertim notam ambitionis incurreret, quod, cum ad remotionem cujusdam perversæ personæ, quæ ad eamdem ecclesiam fuerat improbe nominata, opportune ac importune, sicut ad ejus pertinebat officium, institisset, amota illa, factam de se postulationem postmodum acceptaret.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Martii.

## CCXXIII.

P. TITULI SANCTI MARCELLI PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Reprehendit eum, quod una cum S. tituli S. Praxedis presbytero cardinali, reliquerit terram sanctam, et Constantinopolim accesserit. Mandat tamen, ut, cum in urbe illa esset, omnia illic ordinet usque ad adventum alterius legati, non omissa, interea, cura Hierosolymitanarum rerum.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Martii.)

Accepimus ex relatione multorum, et tuus nobis nuntius intimavit, quod tu et dilectus filius, S. tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, a Hierosolymitana provincia Constantinopolim accessistis. Nos igitur, distinguentes utrum pro necessario terræ sanctæ succursu ad exercitum crucesignatorum, super quos legationis accepistis officium, accesseritis, an pro Græcorum ordinandis ecclesiis, ad partes transieritis memoratas; in primo casu vestrum non reprobamus accessum, in secundo vero, ut salva pace vestra loquamur, ipsum temerarium reputamus, non tam nos, quam etiam fratres nostri, cum super his nullam a nobis receperitis potestatem, nisi forte vos articulus insperatæ novitatis excuset, præsertim, cum charissimus in Christo filius noster, B. Constantinopolitanus imperator illustris, per litteras nobis et nuntios supplicaverit, ut ad partes illas mittere dignaremur a latere nostro legatos, quod et nos, de fratrum nostrorum consilio, facere disposuimus tempore opportuno. Ut autem de gratia speciali vestro provideamus honori, ne nimium confundamini, utque Constantinopolitanæ provinciæ per vestram sollicitudinem consulamus, ne diu careat provisore, concedimus nobis, ut interim operemini vice nostra, quæ ad divini nominis gloriam, apostolicæ sedis honorem et salutem tam cleri quam populi videritis expedire attentius provisuri, ne Hierosolymitanam provinciam, ad quam fuistis specialiter deputati, relinquatis quasi penitus desolatam, præsertim, cum in accessu vestro patriarcham haberet, qui pastoralem in ea sollicitudinem exercebat, in vestro vero recessu careat patriarcha, unde nullus remansit in illa, qui super eam pastorale officium exsequatur. Quocirca, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum prædicto legato diligenter efficias, ut, donec illi terræ fuerit alio modo consultum, per alterum vestrum salubriter consulatur eidem nec ad reditum properetis, antequam super hoc mandatum recipiatis apostolicum speciale.

Datum, *ut in alia.*

## CCXXIV (654).

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS PER LOMBARDIAM CONSTITUTIS.

*Declarat, quod excommunicati a sede apostolica, non censeri debent absoluti, si litteræ eis a Pontifice diriguntur cum salutationis alloquio.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Martii).

[Si aliquando forte *contingit* (655), quod eis, qui auctoritate apostolica sunt excommunicationi subjecti, nostræ litteræ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata, cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat hujusmodi litteras impetrari] sicut nuper in Placentin. dicitur contigisse, qui, cum sint propter iniquitatem, quam in Deum et ejus Ecclesiam commiserunt, excommunicationis vinculo innodati, se quasi absolutos per hujusmodi litteras, quas eis pro Templaribus misisse dicimur, gloriantur, quamvis non simus memores talium litterarum; cum, etsi eis jam excommunicationis exhibitæ fuerint, forsan tamen prius fuerant impetratæ Quocirca, universitati vestræ, per apostolica scripta mandamus, quatenus eos sicut excommunicatos arctius evitetis, donec a suo resipiscant errore, in similibus, si quando forte contigerit, simile judicium observantes.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum XI Kalendas Martii.

## CCXXV (656).

..... PLACENTINO (657), ET TERDONENSI (658) EPISCOPIS.

*Facultas absolvendi Placentinos.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Martii.)

Cum petentibus veniam claudi non debeant viscera pietatis, auctoritate vobis præsentiam liberam concedimus facultatem, ut, si Placentini, qui Deum et ejus Ecclesiam graviter offenderunt, ad mandatum Ecclesiæ redeuntes, satisfacere curaverint de commissis, vos eis secundum formam Ecclesiæ absolu-

(654) Fragmentum hujus epistolæ reperitur inter Decretales, lib. V, tit. 39, *De sententia excommunicationis*, cap. 41. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Eadem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 65.

(655) In Decretal. *contigerit.*

(656) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 65.

(657) Lib. V. epist. 75, not.

(658) Ibid. epist. 73, not.

tionis beneficium impendatis, ita, quod propter paucos non rumpatur inter multos nervus ecclesiasticæ disciplinæ.

Datum, *ut in alia*..

CCXXVI (659).

LITTERÆ ANDRÆÆ, GUBERNATORIS UNGARIÆ.

*De translatione archiepiscopi Colocensis ad archiepiscopatum Strigoniensem.*

Reverendo in Christo Patri, Innocentio, Dei gratia, sacrosantæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, A. eadem gratia Dalmat. et Croac. dux, et totius regni Ungariæ gubernator, salutem et filialem in omnibus reverentiam. Cum, expiæ recordationis fratris, nostri, H. quondam Ungariæ regis, dispositione, ob teneram filii ejus regis Ladislai ætatem, pueri curam et regni regimen susceperimus, promptam gerimus voluntatem, quæ bene constituta sunt observare, et quæ per fratrem nostrum laudabiliter noverimus inchoata, quantum in nobis est, feliciter effectui mancipare. Hinc est, quod, cum a benignitate sedis apostolicæ memoratus frater noster petierit, ut archiepiscopus Colocensis in Strigoniensem transferatur archiepiscopatum (660), nos id utrisque ecclesiæ utilitati cedere plenius agnoscentes a pia paternitate vestra petimus attentius, quatenus intuitu Dei et precum nostrarum obtentu, sine dilatione, si nondum concessistis, concedatis, ut archiepiscopus Colocensis ad Strigoniensem metropolim transferatur, et ut, cum post susceptum regni gubernaculum, hanc primam petitionem nostram noverimus exauditam, Romanæ Ecclesiæ tanto simus in omnibus devotiores, quanto per hoc plenius intellexerimus quod speciali quadam affectione nos amplectitur vestra benignitas. Quod autem sub sigillo fratris nostri præsentes litteras vobis transmittimus, novitati nostræ, non falsitati ascribatis.

CCXXVII (661).

..... DE CURIA DEI (662), ET.... DE ELEEMOSYNA (663) ABBATIBUS AURELIANENSIS ET CARNOTENSIS (664) DIOECESEON, ET CANTORI AURELIANENSI.

*Causam, inter W. vicecomitem Benaici [al Cenaici], et Eustachiam uxorem ejus, vertentem, ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Martii).

Accedens ad apostolicam sedem dilectus filius nobilis vir, W. Vicecomes *Benaici* (665), humili nobis conquestione monstravit, quod, cum nobilem mulierem Eustachiam duxisset legitime in uxorem et duas filias suscepisset ex ipsa, tandem ipsa nobilis, suadente humani generis inimico, divertit ab ipso. Cumque a venerabili fratre nostro.. Pictaviensi (666) episcopo, diœcesano suo, non posset super hoc justitiam obtinere, nos, ad petitionem nuntiorum ipsius et mulieris ejusdem, causam, quæ inter ipsos super eorum matrimonio vertebatur, dilectis filiis.... abbati (667) Sancti Leodegarii.... decano Sancti Petri (668), etc... priori (669) Sancti Hilarii de cella, Pictavensibus, duximus committendam, qui, sicut nobis suis litteris intimarunt, cum eis liquido constitisset præfatam E. a viro suo de quo duas susceperat filias, auctoritate propria divertisse, habito prudentium virorum consilio, decreverunt eadem E. ad virum suum debere reverti, reservata sibi accusandi matrimonium post reversionem suam, si vellet, plenaria potestate. Quod, cum facere noluisset, excommunicationis eam vinculo astrinxerunt supponentes terram ejus et familiam ecclesiastico interdicto. Verum, cum sententiam ipsam præcepissemus postmodum, sicut rationabiliter lata erat, usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari, tandem, eadem E. ad suggestionem venerabilis fratris nostri... Andegavensis episcopi (670), et dilectorum filiorum... de Granateria (671), et.., de Bellofonte (672) abbatum causam ipsam venerabili fratri nostro... episcopo (673), et dilectis filiis, G. archidiacono Corisopitensibus, et

(669) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 54 et 56.

(660) Vide epistolam hujusce libri septimi 159.

(661) Fragmenta epistolæ hujus reperiuntur inter Decretales, lib. II, tit. 6, *Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam*, cap. 4. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt ; variæ lectiones dantur.

(662) Quis fuerit, tunc temporis, abbas monasterii de Curia-Dei, pro certo statuere non possumus. Hugonem I, ab anno 1181, usque ad annum 1189, ex instrumentis, memorant auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. VIII, col. 1584; ejus obitum XII Kal. Novembris, sed anno incerto, ex necrologio, assignantes. Mox, Hervæi nomen, in instrumento quodam, verum non expressis notis chronologicis, legi asserunt. Deinde, Hugonem II, sed non ante annum 1209, adducunt.

(665) « VIII. Radulfus II obtinuit, VI Kalend. Martii, anno 1203, confirmationem ab Innocentio III, XL librarum Andegavensium a Ludovico comite Claromontensi eleemosynæ legatum pro Adelicia matre.

« IX. Hamericus, seu Aymericus. anno 1205, Bullam adeptus est ab Innocentio papa. Rursus reperimus H. anno 1209, mense Novemb. Testis fuit donationis factæ Stellæ a Joanne, comite Vindocinensi, anno 1211. Regebat adhuc anno 1222. » *Gall. Christ.* tom. VIII, col. 1398.

(664) Nunc Blesensis.

(665) In Decretal. deest, hoc verbum, præterea legendum *Cenaici*. ex notis *Alteserræ*.

(666) Lib. V, epist. 28

(667) Arnaldus II, S. Leodegarii abbas memoratur in instrumentis ab anno 1187, usque ad annum 1244. Vide *Biblioth. Cluniac.*

(668) Si agitur hic de decano ecclesiæ metropolitanæ Pictavensis S. Petro dictæ, erat is vel Guillelmus I, qui versus annum 1200, in instrumentis memoratur, vel Philippus cujus nomen, ab anno 1211, usque ad annum 1222, quo factus fuit episcopus, in chartis legitur. Vide *Gall. Christ.* tom. II, col. 1216.

(569) Cellæ S. Hilarii prior Seguinus, anno 1204, dicitur, in imperfecta hujusce monasterii priorum serie. *Ibid.* col 1336.

(670) Vide epist. lib. quinti 28, not.

(671) Monasterio de Granateria Joannes I, præerat anno 1201 ; memoratur quoque 1225, et 1246. *Gall Christ.* tom. II, col. 1450.

(672) Nullum Bellifontis abbatem, circa hæc, in quibus versamur, tempora, memoraut auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. II, col. 1385.

(673) Guillelmus, episcopus Corisopitensis circa annum 1203 memoratur. *Hist. Britan.* tom. I,

magistro P. de Buter, canonico Andegavensi, sub A hæc forma obtinuit delegari, ut, si eis constaret, quod eadem mulier, sicut nobis scripserant idem episcopus et abbates, loco sibi præfixo nequiverit ad prædictos judices accedere propter guerras, et quod in confinio Pictaviensis et Andegavensis episcopatuum securum adversæ parti conductum dare voluerit, et præstare sufficientissimam cautionem quod eos servaret indemnes, in irritum revocato quidquid in ejus præjudicium post appellationem ad nos legitimam interpositam invenerunt temere attentatum, non obstante commissione prædicta, partes ante suam convocarent præsentiam, et, rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, causam appellatione remota, fine debito terminarent, facientes quod decernerent per censuram ecclesiasti- B cam firmiter observari. Ipsi vero, sicut in eorum litteris perspeximus contineri; cum partibus apud Voventum, et postmodum apud Lucion. terminum assignassent, idem vicecomes, se per litteras et procuratorem excusans, asseruit, quod ad loca illa, cum inimici ejus ibidem haberent dominum, propter mortis periculum accedere non audebat, cui adversa pars et barones, qui ibidem aderant, responderunt, quod ipsi eidem vicecomiti litteras de conductu cum litteris... vicecomitis Toarcii, Senescalli Pictaviæ, per nuntium destinarant; quibus procurator vicecomitis replicavit, quod propter litteras ad suspectum sibi locum non audebat accedere, sed tutum locum assignari sibi et restitutionem uxoris fieri postulabat, quod si facere nollent judices dominum suum gravari dicebat, propter quod C ad appellationis remedium convolavit, nec voluit postmodum, licet fuerit requisitus coram ipsis judicibus respondere, ipsos asserens manifeste suspectos, et innovavit appellationem emissam. Judices autem, credentes appellationem non esse legitimam et per testes postmodum cognoscentes, quod sententia fuerat post appellationem in dictam mulierem prolata, eam denuntiaverunt penitus non tenere. Tandem vero, apud Pozaugias peremptorio partibus assignato... Turonensis decanus (674), avunculus ejusdem vicecomitis, se obtulit pro ipso venturum, si securus eidem concederetur conductus, per litteras nihilominus contra judices causas suspicionis allegans, videlicet, episcopum ipsum esse consanguineum nobilis viri. G. de Toarcio, comitis D Britanniæ, qui causæ ipsius mulieris se nimium immiscebat, et ipsius comitis subditum potestati, archidiaconum vero, clericum ipsius comitis commensalem et magistrum P. de Bucer, oriundum de terra mulieris ipsius. Judices autem, postmodum alio peremptorio partibus assignato, super consanguinitate testes receperunt mulieris ejusdem, et alio termino apud Malleonium partibus assignato, attestationes publicari fecerunt, vicecomite se per suas litteras excusante. Ad ultimum vero, cum terminus ad recipiendam sententiam fuisset partibus assignatus, nuntiis mulieris, etc... archidiacono Turonensi, fratre ipsius vicecomitis, in ipsorum præsentia constitutis, nuntiis ipsius mulieris sententiam postulantibus et ipso archidiacono pro fratre suo terminum requirente, de prudentium consilio terminum partibus assignarunt, quo deberet secundum juris ordinem in causa procedi, sed nuntii mulieris, contumaciter recedentes, altera die nostram audientiam appellarunt, dicentes, dominæ suæ gravamen inferri, eo quod judices non interfuerant apud Malleoniam, ubi terminum assignarant ad sententiam perferendam, et quia locum extra provinciam assignabant, cum ipsi essent de provincia Turonensi. Judicibus autem appellationi deferentibus, nuntius mulieris ad apostolicam sedem accedens proposuit, quod, cum super causa ipsa judices prælibati eumdem vicecomitem ad præsentiam tuam pluries peremptorio ad loca competentia et intervallis legitimis citavissent, nec idem vicecomes, muliere comparente præfata, venire voluerit vel sufficientem mittere responsalem, ipsi testes mulieris receperunt, vicecomitem ipsum iterato per duo peremptoria edicta citantes, ut coram ipsis dicturus contra testes, vel dicta testium, compareret. Sed, cum ipse nec venerit, nec sufficientem nuntium destinarit, attestationibus publicatis ab ipsis, et partibus citatis ad sententiam audiendam mulier eadem, dicto vicecomite se contumaciter absentante, sibi dari sententiam postulavit, ad quam procedere, licet requisiti sæpius, noluerunt propter quod pars mulieris, sibi sentiens imminere gravamen, ad nostram audientiam appellavit. Nos vero, credentes quod eadem mulier pro matrimonio laboraret, eisdem ad petitionem nuntii duximus injungendum, ut, in eadem causa secundum attestationes receptas legitime procedentes, ipsam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, sine debito terminarent, dilectis filiis... de Granateria... de Insula Calveti (675), etc. de Alba Corona (676) abbatibus, dantes nihilominus in mandatis, ut, si præfati judices in exsecutione mandati nostri negligentes existerent, vel remissi, ipsi, secundum attestationes receptas ab ipsis, in eodem negotio ad diffinitivam sententiam, sublato appella-

pag. 132. Diem clausit, extremum pridie Non. Decemb. 1219 *Gall. Christ.* vet. tom II, pag. 351.

(674) De decanis Turonensibus, pauca hæc reperiuntur in Gallia Christiana vetere, t. I, pag. 789, col 1, *A*. « Theobaldus præsens definitioni Gaufridi comitis Perticensis, annuentibus Thoma filio, et Guiellelmo præposito Carnotensi, pro fundatione Ecclesiæ Collegiatæ castri de Mauritania anno 1202.

« Joannes, de Faye, I anno 1206, ex decano in pontificem assumptus, anno 1208, uti scribitur in Chronico Turonensi. »

(675) Nullus, circa hæc, in quibus versamur, tempora, monasterii Insulæ-Calveti abbas memoratur apud auctores novæ *Galilæ Christianæ*, tom. II, col. 1432.

(676) De abbatibus Albæ Coronæ, apud auctores veteris *Galliæ Christianæ*, nibil, tom. IV, pag. 17, col. 2.

tionis obstaculo, [procedere non tardarent. Cæterum, dictus vicecomes Benaici in nostra præsentia constitutus, gravem coram nobis, contra dictos judices [exposuit *quæstionem* (677), quod, cum *dictus* Corisopitensis episcopus *nubilem virum Guid. de Toarctæ*, comitem Britann, proxima linea consanguinitatis attingat, et archidiaconus ejus sit clericus commensalis; qui eidem vicecomiti est adversarius principalis, *ut* qui uxorem suam et terram publice detinere præsumit, et magister P. *de Buter* (678) de terra uxoris suæ oriundus existat, nimis favens eidem et omnes sub districtu, *et potestate ipsius G. existant*, nec nisi per districtum ipsius ei *patuerit* accessus ad *eos ipsis* (679) nunquam ei *voluerunt* nisi in terra inimicorum suorum locum et terminum assignare, *ubi* sine mortis periculo accedere non audebat; et, licet litteras non *habuerit* de conductu, si tamen ei missæ fuissent, non debebat se credere suis capitalibus inimicis. Insuper, cum eis certam formam duxerimus præfigendam, ipsi post appellationem ad nos legitime interpositam reliquentes formam, quam præfixeramus eisdem, de appellatione tandummodo, prætermisso juris ordine, inquirentes, cum non fuisset ostensum ipsam esse legitimam, nec temere aliquid attentatum, nec de aliis injunctis sibi capitulis inquisissent, sententiam in ipsam mulierem rite latam minus juste irratam nuntiarunt, et, lite non contestata, testes super principali recipere præsumentes et recusantes legitimas exceptiones ipsius, allegationes ejus pro majori parte, et maxime quæ faciebant ad causam, in suis litteris tacuerunt, pro adversa parte multa quæ coram eis allegata non fuerant opponentes. Præterea, adversa pars, quæ per falsi suggestionem ipsis causam obtinuerat delegari, fraudulenter intendens per testes reprobos ipsius vicecomitis justitiam enervare, sub frivolæ appellationis prætextu, furtim ad eosdem et prædictos de Franateria, de insula Calveti, et .. de Alba Corona abbates, super ferenda sententia litteras impetravit, ipso vicecomite, super prosequenda appellatione sua, existente in itinere ad sedem apostolicam veniendi. Unde, cum fraus adversariorum suorum eis patrocinari non debeat, nec ipsi præjudicium generare, cumque constet judices ipsos, in causa, post appellationem ad nos legitime interpositam, præter formam mandati nostri, tanquam manifeste suspectos, temere processisse, idem vicecomes petebat instanter, ut, revocato in irritum quidquid post appellationem ad nos legitime interpositam, per ipsos judices, vel alios, in ejus præjudicium fuerat attentatum, revocatis etiam litteris, quæ ipso veniente ad nos fuerant per mendacium impetratæ, uxorem suam reverti ad ipsum per excommunicationis sententiam, et interdictum terræ compellere dignaremur, detentores ipsius et terræ, eadem districtione cogentes, ipsam et terram restituere cum fructibus perceptis ex ipsa, faceremus sententias, singulis diebus Dominicis et festivis, per Turonensem et Burdegalensem provincias publicari et firmiter observari, usque ad satisfactionem condignam. Cum igitur in matrimonialibus causis ad conjungendum quam disjungendum debeamus existere proniores, ne forte quod Deus conjunxit homo separare præsumat, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo [mandamus, quatenus, cum, *sicut idem asserit vicecomes* (680), propinquiores sitis terræ nobilis jam dictæ quam suæ, ac causa ipsa per vos commodius valeat terminari, cum ad vos securus pateat accessus *utrique, partes ad vestram præsentiam convocetis, et, inquisita super præmissis diligentius veritate*, si vobis constiterii, quod ante litem legitime contestatam, vel post appellationem *rationabiliter* interpositam, testes super consanguinitate contra *matrimonium* (681) recepti fuissent, vos attestationes hujusmedi decernatis irritas et inanes, *appellatione cessante*, compellentes *censura ecclesiastica* prædictam nobilem, ut revertatur ad *virum* (682), quem inconsulte dimisit *mandatum apostolicum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, impleturi*, ita, quod, postquam ipse vir plenariam restitutionem habuerit tam uxoris, quam terræ, causam super matrimonio audiatis, eamque fine canonico terminetis.] Contradictores, etc. Testes, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Romanæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Martii, anno septimo.

### CCXXVIII.

..... POTESTATI ET POPULO ANCONITANO.

*Ut intruso Maguntino resistant.*

Licet nefandæ memoriæ Marculdus, dives et potens astutus et audax, totius obtineret Marchiæ principatum, vos tamen et alii Marchian. jugum ejus importabile cognoscentes, non sine multis laboribus et expensis prudenter et potenter illud de vestris cervicibus excussistis, ad naturale apostolicæ sedis dominium revertentes, quæ de se vere dicere potest. Jugum meum suave est, et onus meum leve. Miramur ergo non modicum et movemur, quod, etsi constantes in nostra fidelitate manseritis, negligentes tamen adversus illorum nequitiam exstitistis,

(677) Verbum hoc Decretales omittunt, ut infra *dictus* et *nob. vir. Guid.* de *T.*; mox *utpote* legunt pro *ut.*

(678) Desunt in Decretal., quæ infra *existant camitis memorati* legunt pro *et pot. ip. G. ex.*; mox *pateat* pro *potuerit*, *et* conjunctionem add. post *eos.*

(679) Decretal. add.: *quibus causa inter ipsum et uxorem suam commissa fuerat*); et mox *voluerint* pro *voluerunt quo* pro *ubi habuit* pro *habuerit* legunt.

(680) Desunt hæc in Decretal. quæ mox *utrinque partibus convocatis* pro *utr. p. a. v. p. c. et ei i. s. p. d. v.* legunt et ex *præmissis causis* pro *rationab.*

(681) Decret. add. *absque culpa contumaciæ*, et mox *appell. cess.* omittunt ut verba *cens, eccl.*

(682) Decretal. add. *suum* et mox om. *mandatum impleturi.*

qui venerunt vestram subvertere libertatem, imo verius exstinguere vitam, ut vos in servitutem redigant viliorum quin potius crudeliorem mortem adducant. Nec vere potestis propter illorum potentiam de vestra vos impotentia excusare, cum revera potentia vestra sufficiat ad eorum impotentiam comprimendam, dummodo cesset inter vos livor invidiæ, quæ sola vos poterit impedire, neque terreri debetis de vanis rumoribus ultramodum, quia sicut frequenter estis experti, quidam, cum viribus nocere non possint, fraudibus superare nituntur, fingentes multa de paucis et magna de parvis, imo nonnunquam quædam de nullis, sed eorum mendacium sicut fumus evanescit. Præterea, cum ad defensionem vestram justitia vos debeat amplius animare, de qua Scriptura sacra testatur: Quod beati suntqui persecutionem propter justitiam patiuntur, noveritis, nos dilecto filio, G. (683) tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, quoddam insinuasse capitulum ex testamento imperatoris Henrici vobis fideliter exponendum, quod vos de justitia poterit reddere certiores. Cumque duæ partes sint in imperio, utraque favorem nostrum desiderans, marchiam nobis dimittere vult quietam, cum neutra pars coronam imperii nisi per nostrum favorem valeat obtinere. Unde, si constantes et fortes in nostra fidelitate manseritis, profecto nos libertati vestræ sufficienter providere curabimus, quemcunque status imperii sortiatur effectum. Alioquin, merito formidare potestatis, ne novissima vestra fiant deteriora prioribus et error novissimus sit pejor priore. Quocirca, devotionem vestram monemus attentius, et per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, prædicto cardinali vice nostra efficaciter intendentes, ad defensionem vestram contra Maguntinum intrusum, vos viriliter accingatis, quia, quantumcunque se jactet, si vos, dum tempus habetis, illum dejicere studueritis, non adjiciet ulterius ut resurgat, nec alius post illum accedet, cum viderit sui intentione frustratum, et sic optata poteritis perfrui libertate, sollicita meditatione pensantes, quod justo judicio sæpe contingit, ut qui nolunt cum possunt, cum velint, non possint. Illius ergo vos minæ non terrant, et promissiones non fallant, quia, sicut fulgura convertuntur in pluvias, ita promissiones ipsius in deceptiones vertuntur; unde consultius est et melius, ut ad præsens per minores labores et pauciores expensas vestrum propositum impleatis, quam postmodum cum multis laboribus et magnis expensis vestrum nequeatis periculum evitare, quia sicut scriptum testatur: Nocuit semper differre paratis.

Datum, etc.

CCXXIX (684.)

*Ordo coronationis Petri regis Aragonum.*

(Romæ, IV [al. III] Id. Novembris.)

[*Anno septimo pontificatus domini Innocentii III papæ, mense Novembris, Petrus rex Aragonum ad apostolicam sedem accessit, ut ab eodem domino papa militare cingulum et regium acciperet diadema. Venit autem per mare cum quinque galeis et applicuit apud insulam inter Portum et Hostiam, adducens secum Arelatensem archiepiscopum* (685), *præpositum Magalonensem* (686), *cum quibus interfuit electu Montis majoris* (687) *et alii quidam clerici nobiles et prudentes. Proceres quoque secum adduxit, Sanctium patruum suum, Ugonem de Baucio. Roselinum de Marsilia, Arnaldum de Fotian, et alios multos nobiles et potentes. Missis autem ad illum equitaturis et somariis pene ducentis, fecit eum apud Sanctum Petrum ad potentiam suam idem dominus papa venire, mittens in occursum ipsius quosdam cardinales, senatorem Urbis et alios multos nobiles et magnates, fecitque illum apud Sanctum Petrum in domo canonicorum honorabiliter hospitari. Tertio vero die, in festo videlicet Sancti Martini, prædictus Dominus papa, cum episcopis, presbyteris et diaconibus cardinalibus, primicerio, et cantoribus, senatore, justitiariis, judicibus, advocatis et scriniariis, multisque nobilibus ac populo copioso, ad monasterium Sancti Pancratii martyris prope Transtiberim est profectus, ibique prædictum regem per manum Petri Portuensis episcopi fecit inungi, quem postmodum ipse manu propria coronavit, largiens ei regalia insignia universa, mantum videlicet et colobium, sceptrum et pomum, coronam et mitram, corporale ab eo recipiens juramentum, cujus tenor est talis:* Ego, Petrus rex Aragonum, profiteor et polliceor quod semper ero fidelis et obediens domino meo papæ Innocentio, ejusque catholici successoribus et Ecclesiæ Romanæ, regnumque meum in ipsius obedientia fideliter conservabo, defendens fidem catholicam et persequens hæreticam pravitatem. Libertatem et immunitatem ecclesiarum custodiam et earum jura defendam. In omni terra meæ potestati subjecta justitiam et pacem servare studebo, sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. *Deinde, prædictus rex, cum multo laudis præconio et favoris applausu, coronatus rediit juxta dominum papam ad basilicam Sancti Petri, super cujus altare sceptrum et diadema deposuit et ne manu ejusdem domini papæ*

(683) Vide epistolam libri tertii 31, not.

(684) Narratio hæc, nec non instrumenta ibi inserta, leguntur in Gestis Innocentii, § CXX. Exhibentur apud Raynaldum, ad annum 1204, § 71. Vide etiam *Hist. Occitan.* tom. III, pag. 126.

(685) De archiepiscopo Arelatensi, vide supra, epistola libri septimi 162, not.

(686) Erat is Guido de Ventadour, filius Ebuli III de Ventadour et Aleidis de Montepessulano, frater autem Ebuli IV, vicecomitis de Ventadour et Ebuli abbatis Figeacensis, qui, ex canonico Magalonensi, factus præpositus, jam ab anno 1190, usque ad annum saltem 1205, in instrumentis memoratur. Vide *Gall. Christ.* tom. VI, col. 825.

(687) Vide epistolam hujusce libri septimi 162, not.

*militarem ensem accepit regnumque suum beato Petro apostolorum principi obtulit, illudque sibi constituit censuale, per privilegii paginam, quam eidem domino papæ tradidit super ipsum altare, cujus tenor est talis*: Cum corde credam, et ore confitear quod Romanus pontifex, qui est beati Petri successor, vicarius sit illius, per quem reges regnant et principes principantur, qui dominatur in regno hominum et cui voluerit, dabit illud; Ego, Petrus Dei gratia, rex Aragonum, comes Barchinoniæ, et dominus Montis-Pessulani, cupiens *principali* (688) post Deum beati Petri et apostolicæ sedis protectione muniri, tibi, reverendissime Pater et domine summe pontifex, Innocentii et per te sacrosanctæ Romanæ *apostolicæ sedi* (689), offero regnum meum, illudque tibi et successoribus tuis in perpetuum, divini amoris intuitu et pro remedio animæ meæ et progenitorum meorum, constituo censuale, ut annuatim de camera regis ducentæ quinquaginta (690) *mussemutinæ* (691) apostolicæ sedi reddantur, et ego ac successores mei specialiter ei fideles et obnoxii teneamur. Hoc autem lege perpetua servandum fore decerno, quia spero firmiter et confido, quod tu et successores tui me ac successores meos et regnum prædictum auctoritate apostolica defendetis, præsertim cum, ex multo devotionis affectu me ad sedem apostolicam accedentem, tuis, quasi beati Petri, manibus in regem duxeritis solemniter coronandum. Ut autem hæc regalis concessio inviolabilem obtineat firmitatem, de consilio procerum curiæ meæ, præsente venerabili patre meo... Arelatense archiepiscopo et Sanctio patruo meo et Hugone de Baucio et Arnaldo de Fotian., baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari.

Actum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quarto IV Id. Novembris, anno regni mei octavo. *His omnibus rite peractis, fecit eum dominus papa per Urbem ad ecclesiam Sancti Pauli deduci, ubi galeas inveniens præparatas intravit, et apostolica benedictione munitus ad propria meruit cum prosperitate redire.*]

## CCXXX (692).

LITTERÆ CALOJOANNIS, REGIS BULGARIÆ AD PAPAM.

*Significat ei legati adventum, a quo deinde recepit coronam, et aliqua dona ei mittit.*

[Calojoannes, rex totius Bulgariæ et Blachiæ, ad a Deo promotum et sanctissimum et in Christo dilectum et honorificentissimum patrem regni mei, tertium Innocentium et sacerrimum papam Romæ et successorem principis apostoli Petri. Legatus apostolicæ sedis, dominus Leo, cardinalis (693), sanctitatis tuæ scriptum meo obtulit imperio; *addicens quoque* (694) de cujus sanitate et incolumitate, omnipotenti Deo et sanctissimæ Matri suæ *glorificavit* (695). Et utinam quod scriptum imperii mei inveniat sanctitatem tuam viventem et degentem cum omni gaudio et hilaritate; et imperium meum, per gratiam omnipotentis Dei et beatissimæ Dei genitricis, et per intercessiones sanctitatis vestræ, sanum est et multum bene omni gaudio et exsultatione (696). « Hoc autem notum sit sanctitati « vestræ, *pater specialis regni mei, domine papa* (697) « quod dominus Leo, legatus apostolicæ sedis, ve- « nit ad imperium meum, sibi afferens coronam « et eam benedicens super caput imperii mei impo- « suit, in manibus meis dedit mihi sceptrum atque « vexillum, et benedixit sanctissimo patriarchæ « regni mei et totius Bulgariæ ex præcepto vestræ « sanctitatis; et valde Deo et beatissimæ Dei gene- « trici, necnon et circumspectioni vestræ sanctitatis « glorificavimus (698), » eo quod secundum petitionem imperii mei sanctitas vestra totum suum velle adimplevit. Et universa Bulgaria atque Blacæia et omnis imperii mei pertinentia, valde glorificavit et vestram sanctitatem magnificavit (699). « Scribo autem vobis et de *Ungaria* (700), quoniam « imperium meum non habet aliquam societatem « regionum, vel aliquam rem cum eo, neque ei no- « cet, imo ipse parvipendet et nocet regio- « nibus imperii mei. Et dominus Leo, cardi- « nalis, vidit, et vestræ sanctitatis annuntiabit « justum vel injustum quod est ab imperio meo, aut « si ego parvipendo Ungarum, vel si ipse meum im- « perium parvipendit. Et scribat ei sanctitas vestra, « quatenus distet a regno meo, quoniam imperium « meum nec eum habet parvipendere nec contra « terras ejus abire. Si vero ipse venerit contra ter- « ras imperii mei, et Deus adjuverit ut vincatur, « non habeat sanctitas vestra imperium meum su- « spectum, sed sim liber. De Latinis quoque, qui » Constantinopolim introierunt, scribo sanctitati « vestræ, ut eis scribatis quatenus distent ab im- « perio meo, et, sicut imperium meum nullum ma- « lum eis facit, neque ipsi nobis parvipendant. Si

(688) Sic et in Gestis, et apud Raynald. In cod. vero Valliceliano, signato lit. B. n. XII, *principaliter*.

(689) Sic, et apud Raynaldum ; in *Gestis Ecclesiæ*.

(690) In Gest. *Massenutinæ* ; apud Raynaldum, nec non in cod. Pod. cit. a Baluzio, in margine *Massemutinæ*. Vide not.

(691) *Al.* Masmodinæ; moneta Saracenica, de qua vide Cangium, *Gloss.* t. IV, col. 577.

(692) Epistola hæc integra legitur in Gestis Innocentii, § LXXX, et ideo hic uncis inclusa exhibetur. Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 23. Quæ apud ipsum leguntur, hic, duplici ad initium cujusque lineæ virgula, ad marginem apposita distinximus.

(693) Vide epistolas, libri quinti 5, not.; libri septimi 1, not.

(694) In Gestis, *addiscentesque*.

(695) *Glorificavimus*.

(696) Hæc apud Raynaldum.

(697) *Patri spirituali regni mei, domino papæ*.

(698) Hactenus Raynaldus.

(699) Rursus Raynaldus.

(700) *Ungaro*, apud Raynaldus. *Hungaro*.

« forte ipsi conati fuerint contra imperium meum, « et parvipenderint eum, et occidetur ex eis, non « habeat sanctitas vestra imperium meum suspe- « ctum, sed sint universa libera. Nisi autem ad « tuam magnam sanctitatem pueros duos; unus vero « nominatur Basilius, alius Bithlehem ; et dentur « ex præcepto ejus, ut addiscant in scholis litteras « Latinas, quoniam hic grammaticos non habemus, « qui possint litteras, quas mittitis, nobis transferre ; « et postquam ipsi addiscerint, remittantur ad im- « perium meum. » (701) Misi autem ad præsens, in *signo* (702) parvæ recordationis, examita duo, episima (703) dupla, unum est rubeum, et aliud album, camelum unum. Cum vero mittam legatos ad sanctitatem vestram, semper vestræ sanctitatis recordabor.

CCXXXI (704).

LITTERÆ BASILII, BULGARORUM PRIMATIS, AD PAPAM.

*Significat ei sea cardinali legato fuisse sacra unctione munitum.*

[Multas inclinationes et multas sanitates, a me, Basilio, humili Bulgarorum et Blachorum primate, erga patrem universorum, et dominum, et patrem meum, magnificentissimum et sanctissimum papam Innocentium. Oramus omnipotentem Deum, et sanctissimam Dei Genitricem, et beatissimos apostolos Petrum et Paulum, ut cum sanitate et sospitate inveniat vos scriptum meæ humilitatis ; et per *vestri dominii* (705) magnificentiam vivo et ego, per Dei gratiam, magnis involutus delictis. Notum sit ergo vestræ magnæ sanctitati, quoniam Leo, cardinalis

A (706), sanus et sospes pervenit, delegatus a vestra sanctitate et apostolica, sede, et usque ad nostram magnam civitatem Trinovæ tetendit *quinto decimo* (707) die mensis *Octobris* (708), et portavit universam plenitudinem patriarchalis dignitatis, et paramenta omnia, quæ mihi a vestra magna sanctitate fuerunt delegata ; tradidit similiter et annulum, et privilegium, et scripta et instructiones. Et præcepto vestræ sanctitatis unxit me chrismate, mihi benedicens, et conservavit me in patriarcham, mense Novembris, septimo die, in festivitate scilicet sancti apostoli Jacobi, fratris Domini, et ego illa die duos unxi metropolitanos, et cæteros episcopos, magno cum gaudio, et duobus de metropolitanis benedixit cardinalis, et tradidit illis palleum atque mitras, et
B reliquis in caput eorum mitras imposuit. Octavo vero die ejusdem mensis, in festivitate videlicet Sancti Michaelis, coronavit, et benedixit imperatori Calojoanni, domino omnium Bulgarorum, atque Blachorum, et super posuit capiti suo regiam coronam, et sceptrum suis manibus imponens. Omnia hæc complevit et perfecit secundum sanctitatis vestræ velle, et benedicens nobis, segregatus est a nobis mensis Novembris die quintodecimo. Interea, sciat vestra magna sanctitas, quod duos pueros ex præcepto domini imperatoris vobis mitto ; unus est presbyteri Constantini filius, alius vero regis ; ut ex præcepto vestræ sanctitatis litteras Latinas addiscant. Et quidquid meditari valetis ad honorem imperatoris, faciatis. Manuteneat enim Deus vestram
C sanctitatem per multa et longæva tempora.]

(701) Hactenus Raynald.

(702) *Signum.*

(703) De examitatis jam egimus in not. ad epistolam hujusce libri septimi 6 ; hic *episima* dicuntur ex Gr. ἐπίσημος, et sunt *tesseris ex auro texis vel purpereis clavata ;* ita, ἐπίσημον ἐσθῆτα, apud Laertium, *in Aristotele* , lib. v, *Segm.* I, interpretantur viri docti. Cang. *Gloss.* tom. III, col. 111.

(704) Epistola hæc integra legitur in Gestis Innocentii, § 81, Ideoque hic uncis inclusa exhibertur. Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 23.

(705) In Gestis *nostri Domini.*

(706) Vide notam ad epistolam supecriorem 230.

(707) *Quinta decima.*

(708) Sic et in cod. Reg. citato apud Baluzium, in Gestis vero, *Septembris.*

# INNOCENTII III

ROMANI PONTIFICIS

# REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM

## LIBER SEPTIMUS.

—

PONNTIFICATUS ANNO VIII, CHRISTI 1205.

—

(1).

DE LUCEDIO ET DE MONTE THABOR (2) ABBATIBUS, ET NOBILIBUS VIRIS, COMITI BERTHOLD (3) ET C. DE FORNIVALL (4).

*Causam, quæ inter regem Armeniæ et comitem Tripalitanum super Antiochiæ principatu vertebatur, disjudicandum ipsis committit.*

(Apud S. petrum, III Non. Martii.)

Etsi semper inter eos odium sit mortale, qui tenentur amare proximos ut se ipsos, et inimicos etiam diligere propter Deum, hoc tamen tempore discordia inter nominis Christiani cultores, constitutos præsertim in partibus transmarinis, non solum ipsis, sed Ecclesiæ generali tanto amplius est damnosa, quanto per eam negotium terræ sanctæ potius impeditur. Usque adeo enim inimici nominis Christiani, qui nunc, peccatis exigentibus, detinent et coinquinant templum Dei, urbes et castra, quæ se de Christianorum manibus extorsisse in gladio gloriantur, viris et viribus minuerunt, quod sufficeret dispositionis nostræ reliquis, etiamsi *conjuralis* (5) manibus, uno animo, et pari desiderio ferrentur in hostes, si possent crucis injuriam aliquatenus vindicare, ac hæreditatem Christi liberare de manibus paganorum. Verum ipsi, hoc minus quam deceat attendentes, quasi neglecta prorsus injuria Cruci- A fixi proprias injurias prosequuntur, et *utililati* (6) communi *voluntates* (7) privatas, in totius Christianitatis dispendium, anteponunt, sicque se odio persequuntur iniquo, et sic ab invicem sunt divisi ut, propter eorum discordias, terræ sanctæ verbum sit evangelicum non modicum formidandum, quo dicitur : *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus concidet supra domum* (*Luc.* XI). Ecce etenim, occasione discordiæ, quæ inter charissimum in Christo filium nostrum *L.* (8) regem Armeniorum illustrem nomine... sororis suæ viduæ et nepotis orphani ex una parte, ac nobilem virum... comitem Tripolitanum, ex altera, super principatu Antiochiæ, vertitur, impeditur quasi penitus terræ sanctæ profectus, cum ipsi, pugnantes ad invicem, B hostes crucis nequeant impugnare, aliisque facientibus sibi cum partibus *portionem* (9), et quæstionem illorum reputantibus causam suam, reliqui laborent incassum, ut inter discordantes concordiam *valeant* (10) reformare. Nos autem, jampridem his malis obviere volentes, causam super hoc dilectis filiis, *S.* (11) tituli S. Praxedis (12), et *P.* (13) tituli Sancti Marcelli (14), presbyteris cardinalibus, apostolicæ sedis legatis, commisimus terminandam. Sed *ipsi* (15), licet nec labores propter hoc vitaverint, nec expensas, imo *uterque per se et ambo pa-*

(1) Epistola hæc legitur, sed non absque mendis aliquibus, nec non notis chronologicis destituta, in Gestis Innocentii. § 119. Eamdem laudat Raynaldus ad annum 1205, § 35. Eamdem exhibet Angel Manrique, *Annat. Cisterc.* tom. III, pag. 449, ad annum 1200, cap. 4, n. 6.

Nos integram exhibemus, ad fidem apographi Conti ; varias etiam lectiones, e codice ms. Vallicellano, signato lit. B, n. XII, ad majorem diligentiam, in margine adnotavimus ; sed eas, quæ apud Angel. Maurique reperiuntur, utpote levioris momente, censulto omisimus.

(2) In monte Thabor Cisterciense Institutum suo, id est hoc in quo versamur, tempore, floruisse, testatur cardinalis Jacobus de Vitriaco, in sua Occidentali Historia (cap. 15), his plane verbis : *De ordinibus etiam Cisterciensium et Præmonstratensium in locis idoneis* (scilicet ejusdem montis) *monasteria constructa.*

(3) Sic apud Maurique. In Gest. *Bercoboc*, apud Raynaldum vero, in margine *Berroboc*.

(4) In Gestis. *Furnivale :* apud Raynaldum vero, *Furinvalt*; et in cod. Vallicell. *Firruallis*, apud Manrique, *Foravalle*.

C (5) In codice Vallicellano, *conjugatis*.

(6) *Voluntati.*

(7) Sic et in Gestis ; sed legendum forte, *utilitates*.

(8) *Leonem.*

(9) Sic et in Gestis ; in codice Vallicellano *præcationem*.

(10) Gest. deest.

(11) *Soffredo.*

(12) Vide epistolam libri quinti 6, not.

(13) *Petro.*

(14) Vide epistolam libri tertii 20, not.

(15) In cod. Vallicellano. add. *legati.*

*riter* (16) diutius laborassent, in nullo tamen apud partes, quia datum non fuerat desuper, profecerunt. Nuper ergo, idem rex per suas nobis litteras (17) intimavit, quod per legatos nostros non potuerat justitiam obtinere, licet eam sæpius postularit et semper paratus fuerit stare juri. Unde, cum ipse mandatis legatorum ipsorum, qui eum pro multo minori negotio excommunicaverant, et interdixerant terram ejus, tandem humiliter paruisset, postulabat ne repelleremus ipsum pulsantem ad apostolicæ sedis januam, et justitiam postulantem, cum simus omnibus in justitia debitores. Nos igitur, attendentes quod apud nos esse non debeat acceptio personarum, et quod inter virum et virum facere justitiam teneamur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus partem convenientes utramque, diligenter commonere curetis, ut, vel inter se super eodem principatu conveniant, vel in arbitros compromittant, qui usque ad tres menses post commonitionem vestram debeant arbitrari. Alioquin, vos, extunc partibus convocatis, audiatis utrinque proposita, et causam ipsam, sublato appellationis obstaculo, si partes consenserint, terminetis. Alioquin, remittatis nobis causam sufficienter instructam, partibus terminum præfigentes, quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent, sententiam recepturæ. Verum, ne judicio simul experiantur et bello, partes ad treugas interim observandas auctoritate apostolica compellatis. Quod si alterutra partium se exhibuerit contumacem, in eam spiritualiter et temporaliter per vos, et omnes Christianos qui in partibus illis existunt, quanto districtius poteritis procedentes, inhibeatis tam charissimo in Christo filio nostro... regi Hierosolymorum illustri, quam Hospitalariis et Templariis, et omnibus communiter Christianis, ne parti contumaci auxilium vel favorem impendant, sed subtrahant potius et parti quæ parata fuerit stare, juri viriliter et potenter assistant. Quod si non omnes... tres vestrum, vel duo saltem, quorum unus sit laicus, et alter clericus, mandatum apostolicum exsequantur. Verumtamen, volumus et mandamus, ut, si quis interim in patriarcham Hierosolymitanum fuerit institutus, his vobiscum exsequendis intersit.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Nonas Martii, pontificatus nostri anno octavo.

II (18).

L. REGI ARMENIORUM ILLUSTRI.

*De eodem argumento ac in epistola superiori.*

(Apud S. Petrum, III Non. Martii. [19].)

[Gratum gerimus et acceptum, quod, auctoritatem sedis apostolicæ recognoscens, ejus judicio humiliter te exponis, et per eam tibi postulas nomine ... sororis tuæ viduæ, ac... nepotis tui orphani, justitiam exhiberi. Nos autem, licet simus singulis in justitia debitores, tanto tamen amplius super hoc tibi favorem apostolicam exhibemus, quanto devotiorem te circa nos et Romanam Ecclesiam jugiter experimur, et opera tua testimonium perhibent veritati, quod in devotione sedis apostolicæ sis fortius radicatus. Qualiter autem super hoc olim dilectis filii, S. tituli Sanctæ Praxedis (20), et P. (21) tituli S. Marcelli, presbyteris cardinalibus, apostolicæ sedis legatis, scripserimus, et qualiter processum fuerit ab iisdem, superfluum esset litteris explicare, cum id plenius ipse noris, et totum rei gestæ processum per eorum nobis litteras intimaris. Quia vero per eos, etsi laboratum, ut dicitur, fuerit multipliciter, non fuit tamen in causa processum, petitioni tuæ satisfacere cupientes, dilectis filiis de Lucedio, et... de Monte Thabor abbatibus, et nobilibus viris, comiti Bertold et G. de *Fornivall* (22), præcipiendo mandamus, ut ipsi, partem convenientes utramque, diligenter commonere procurent ut, vel tu, et pars adversa, super eodem principatu conveniatis, vel compromittatis in arbitros, qui usque ad tres menses post commonitionem eorum debeant arbitrari. Alioquin, ipsi, ex tunc partibus convocatis, audiant utrinque proposita], et causam ipsam, sublato appellationis obstaculo, si tu, et pars adversa consenseritis, studeant terminare; alioquin remittant nobis causam sufficienter instructam, tam tibi quam parti adversæ terminum præfigentes, quo per responsales idoneos nostro vos conspectui præsentetis, sententiam recepturi, et ne judicio experiamini simul et bello, tam te quam partem adversam ad treugam interim observandam auctoritate nostra compellant. Quod si alterutra partium se exhibuerit contumacem, ipsi in eam spiritualiter et temporaliter per se ac omnes Christianos, qui in partibus illis existunt, quanto districtius potuerint procedentes, inhibeant, tam charissimo in Christo filio nostro... regi Hierosolymorum illustri, quam Hospitalariis, et Templariis, et omnibus communiter Christianis, ne parti contumaci auxilium vel favorem impendant, sed subtrahant potius, et parti quæ parata fuerit stare juri, viriliter et potenter assistant. Monemus igitur serenitatem regiam, et exhortamur in Domino, quatenus de die in diem in Ecclesiæ Romanæ dilectione proficias, et sic in ejus devotione stabilias regnum tuum, ut et nos ad profectum et incrementum tuum intendere merito de-

(16) In Gestis, *utræque personæ et ambo*; in codice Vallicellano, *cum utræque personæ et ambo.*

(17) Litteræ istæ non exstant in Regestis Innocentii, sed referuntur in Gestis, § 116. Reperiuntur etiam in codice Vaticano. Easdem exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 36.

(18) Vide Raynaldum ad annum 1205, § 35. Partem ejusdem epistolæ exhibet Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 449, ad annum 1205, cap. 4, n. 10. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(19) Hæc apud Manrique.

(20) Lib. V, epist. 6, not.

(21) Lib. III, epist 20, not.

(22) Apud Manrique *de Foravalle.*

beamus, sciturus quod ecclesia Romanam in tua tibi justitia non deerit.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Non. Martii, pontificatus nostri anno octavo.

III.

... HETEWARDENSI, ET DE HEGEN. ABBATIBUS, ET PRÆPOSITO GUSMARIENSI, PADEBURN. ET MAGUNTIN. DIOECESEON.

*Causam electionis abbatissæ Herrisiensis Ecclesiæ dijudicandum ipsi committit.*

(Apud S. Petrum, VI Non. Martii.

Dilectis in Christo filiis, R... custodi Herisiensis Ecclesiæ, et V... clerico, qui venerat contra eam, petentibus sibi audientiam exhiberi, dilectum filium, M. (23) S. Theodori diaconum cardinalem, dedimus auditorem. In cujus præsentia custos ipsa proposuit, quod, Herrisiensis ecclesiæ abbatissa defuncta, sorores et canonici ejusdem ecclesiæ ad monitionem bonæ memoriæ... Padeburnensis episcopi (24), diœcesani eorum, qui ad sepulturam venerat abbatissæ, pro electione facienda insimul consederunt, vocantes ad se Th. Padeburnensem scholasticum, ut vota examinaret eorum. Verum, cum in unius electione dissenserint, octo sorores de decem et septem, quæ tunc fuere præsentes, et omnes canonici, qui sunt in ipsa ecclesia quatuordecim, ipsam elegere custodem ; advocato, et ministerialibus. ac toto populo favorem suum præbentibus et assensu; septem vero de sororibus nominaverant in abbatissam præpositam ejusdem ecclesiæ, ex adverso. Utraque igitur a parte sua jam dicto episcopo præsentata, pro confirmationis munere obtinendo, episcopus partes commonuit diligenter, ut ad pacem intenderent, et super electione ad invicem concordarent, eis quinque dierum spatium super hoc deliberandi concedens. Sexto autem die, cum concordare non possent, partibus injunxit episcopus, ut post alios quinque dies, exhibituræ super suis electionibus rationes, se Padeburnensi capitulo præsentarent. Ipsa ergo custode atque præpositissa, cum electricibus suis in Padeburnensi capitulo constitutis, ipsa præpositissa et septem electrices ipsius, G... monialem, quæ de quodam nigro monasterio fuit, et in quadam ecclesia in abbatissam confirmata, et etiam benedicta præsentavere tunc primam episcopo, se illam elegisse dicentes. Unde, parte altera nimium stupefacta, cum audiret eas, illis nescientibus, nec etiam requisitis, mutasse quod fecerant, ipsa custos ad proponendam causam suam et etiam defendendam, secundo et tertio ab ipso capitulo concedi sibi petiit advocatum, quem non potuit obtinere. Adversæ vero parti plures fuerunt advocati concessi, et tunc præpositissa confessa est manifeste, quod electioni suæ renuntiarat omnino, et in ipsam G. monialem, cum septem electricibus suis unanimi consenserat voluntate. Præfata vero custos, hæc audiens, et cognoscens quod episcopus et multi de capitulo, cum essent consanguinei monialis ejusdem, ad ejus promotionem vellent judicium declinare, postquam super jure Herrisiensis Ecclesiæ, et sua sibi justitia conservanda, fuit aliquandiu allegatum, ne super electione sua præjudicium pateretur, vocem ad nos appellationis emisit ; sed episcopus, appellationi non deferens, pro jam dicta moniali, consanguinea sua, sententiam promulgavit, et eam fecit per nuntios suos in abbatiæ possessionem induci. Sane, præfatus clericus, procurator partis adversæ, proponebat econtra, quod, cum præfata G. monialis, a majori, quoniam ab undecim, et saniore parte capituli, scilicet præpositissa scholastica et decana, et aliis quibusdam sororibus, cassatis tamen prius a jam dicto episcopo duabus frivolis nominationibus, bono zelo fuisset in Herrisiensem abbatissam electa, et confirmata per ipsum episcopum, præfata R. custos, eam super hoc molestare præsumit, in eadem ecclesia se volens intrudere per potentiam laicalem. Unde, idem procurator pro ipsa moniali petebat, ut confirmationem de ipsa factam faceremus inviolabiliter observari, noceresibi asserens non debere, quod sit monialis, et aliæ, videlicet Herrisienses sorores, canonicalibus indumentis utantur, et quod confirmata et benedicta sit alibi abbatissa, cum de consuetudine illius regionis existat, quod nigræ moniales assumantur ad hujusmodi abbatias, et quandoque contingat, canonica mulier nigrarum monialium teneat abbatiam, asserens hoc etiam a bonæ memoriæ Cœlestino papa, prædecessore nostro, sibi fuisse concessum, ut ad abbatiam aliam posset assumi. Custos autem replicabat econtra, quod eamdem monialis non debebat assumi, nec poterat, ad ipsarum regimen abbatiæ, cum non esset soror illius ecclesiæ, sed de quodam monasterio nigro, et in abbatissam honorabilioris ecclesiæ confirmata et etiam benedicta, a cujus regimine non sine culpa credebatur expulsa, et concessionem, quam a prædecessore nostro se dicit habere, ostendere non valebat ; unde, patebat instanter, ut quod erat factum de ipsa, irritum faceremus haberi, præsertim cum in litteris jam dicti episcopi, quas idem procurator in suæ partis defensionem habebat, contineretur expresse, ipsum episcopum ad confirmationem electionis illius post appellationem ad nos interpositam processisse, ac eadem appellatio legitima videretur, cum consanguinitas, quam in litteris suis idem episcopus cum ipsa momoniali se recognoscebat habere, manifestam indicaret suspicionem in eum, præter hoc, quod, quandocunque a diœcesano suo gravaretur in aliquo, sibi appellare licebat. Nos autem, ab ipso cardinale diligenter auditis his et aliis quæ fuerunt proposita coram ipso, discretioni vestræ per apostolica scripta

(23) Vide epistolam libri tertii 54, not.

(24) « Bernardus II ab Osyde, aliis Dysede, decimus octavus episcopus Padeburnensis, obiit anno 1202. » Bucelin., *German. sacr.* tom. I, part. II. pag. 20.

mandamus, quatenus quidquid super electione prædictæ monialis factum est, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstante, denuntietis irritum et inane, et, super ipsius electione custodis veritate diligentius requisita, si electionem ipsam inveneritis esse canonicam, et personam ejus idoneam, eam auctoritate apostolica confirmetis; contradictores, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Nonas Martii, etc.

IV (25).

....PRIORI (26) ET MONACHIS WINTONIENSIS MONASTERII, TAM PROESENTIBUS QUAM FUTURIS IN PERPETUUM.

*Recipit eos sub protectione, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Apud S. Petrum, V Non. Martii.)

[Cum a nobis petitur, etc., *usque* (27) vestris justis postulationibus clementer annuimus, et Wintoniensem Ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis memoriæ Lucii papæ II, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, etc. (28), *usque* vocabulis exprimenda: Chiltecumbam, et omnem decimam ejus; Estonam, Wordiam (29), *Wensiestonam*, *Avintonam*, *Meones* minores, *Brockenesford*, Extonam, *Entonam*, *Helwarestoke*, *Haveunte*, *Crundelam*, *Hodigaton*, *Wutron*, *Hennentonam*, *Cilbodintonam*, *Michelemareis*, *Nhutsilinges*, *Melebroc*, *Hetonam*, *Stoctonam*, *Enedeford*, Patengam, Aweltonam, *Fifhidam*, Ellendonam, Hinneltonam *Wuturichestonam*, *Westiwudam*, *Bludunam*, *Hammam*, *Husseburnam*, Wittcherche; redditus in urbe *Wintoniæ*, et in suburbio; piscaturam apud Brenford. *Clivam*, Brandesbiriam; omnem decimam dominicorum ejusdem ecclesiæ, ad *opera* (30) Ecclesiæ et domorum eidem ecclesiæ pertinentium; Portland, terras, feuda et A servitia militum ad eadem ecclesiam pertinentia; consuetudines, libertates rationabiles, tam in emendo et vendendo quam in aliis, per chartas regum concessas; *pensionem annuam* (31) viginti librarum de nundinis S. Egidii; pensionem annuam decem marcarum de hospitali Sanctæ Cruciis, ad luminaria Ecclesiæ facienda; ecclesiam de Drokeneford; ecclesiam de *Crundel* (32); ecclesiam de Haveunte; ecclesiam *de Withale* (33); ecclesiam de S. Fide, ecclesiam Sancti Egidii; ecclesiam Sancti Jacobi, et omnes oblationes *Pentecostes* (34); ad anniversarium bonæ memoriæ H. (35) episcopi faciendum, *Capellas de Chittecumba* (36) ecclesiam de Camptona, et ecclesiam de *Albo* (37) monasterio; ad anniversarium regis Henrici II faciendum, terram de Cnoel; ad B anniversarium bonæ memoriæ Godfridi (38) episcopi, terram de Childecnoel; ad libros faciendos, ecclesiam de Elendona, ad religiosos hospites suscipiendos, ecclesiam de Litletona. Obeunte vero ejusdem loci episcopo, nullus ibi, qualibet subreptionis astutia, vel violentia, præponatur; sed liceat vobis episcopum, absque contradictione alicujus, una cum archidiaconis, communi consilio, vel partis consilii sanioris, eligere, secundum Dei timorem et sacrorum canonum instituta. Decernimus ergo, etc., *usque* (39) profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur, etc. (40). Cunctis autem, etc.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconi cardinalis, v Nonis Martii, indictione VIII, Incarnationis C Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno octavo.

V (41).

...CANTUARIENSI (42), ARCHIEPISCOPO, ET... ELIENSI (43), ET... LONDINIENSI (44) EPISCOPIS.

*Ut rex Angliæ monachis Wintoniensibus liberam ad episcopi electionem procedendi facultatem permittat.*

(Apud S. Petrum, VII Id. Martii.)

Si diligenter attenderent, quod Ozias, rex Judæ,

(25) Vide Raynaldum, annum 1205, § 62.

Epistolam hanc integram, sed notis chronologicis destitutam, legere est in *Monastic. Anglic.* tom. I, inter *addenda*: pag. 980, ubi ex *Chron. D. Swythini Widton.*, pag. 8, *eruta dicitur.*

(25) De prioribus. Ecclesiæ Wintoniensis, circa hæc, in quibus versamur, tempora, nil reperitur in monument, ad istam ecclesiam pertinentibus, apud D Wharton., *Angl. sacr.* part. I. Hoc tantummodo legitur in *Annalibus Eccles. Winton.* apud eumdem, *ibid.* pag. 302:

« *Anno* 1187... Joannes prior Wintoniensis ecclesiæ, vir bonæ simplicitatis, migravit ad Dominum; cui successit Robertus filius Henrici. »

(27) Quæ desunt, suppleri possunt ex *Monast. Anglic. loc. cit.*

(28) Idem.

(29) In Monast. Anglic. *Wasingtonam*, *Aujutoniam*, *Mænes*, *Brekford*, *Hentonam*, *Halwarstokis*, *Havents*, *Crondolam*, *Hodingtonam*, *Watonam*, *Hennenton*, *Chilbolton*, *Mitteshultengs*; *Melbrok*, *Estonam*, *Stocton*, *Eneford*, *Asidam*, *Wosnerichston*, *Westwod*, *Dludon*, *Harnie*, *Husseburig*, *Wentana*, *Chise.*

(30) Monast., *operum.*

(31) Monast., *pensiones annuas.*

(32) Monast., *Cromal.*

(33) Monast., *de Winchale.*

(34) Monast. om.

(35) Henricus Blesensis, frater regis Stephani, ex abbate Glastoniensi, Willelmo Gyffard successit in episcopatum Wintoniæ, anno 1129 Sedit annis XLIII. Vide apud Warthon, *Angl. sacr.* part. I. pag. 282, 285, 299. Vide etiam notam ad Innocentii epistolam libri quinti 104.

(36) Monast., *cappellam de Eddecunta.*

(37) Monast., *Abo.*

(38) Godfridus de Lucy, episcopus Wintoniensis, obierat anno 1204, III Id. Septembris. *Annal. Eccles Winton.* Apud Warthon, *loc. cit.*, pag. 305.

(39) Quæ desunt, suppleri possunt ex *Monastic. Anglic.*, *loc. cit.*

(40) Idem.

(41) Raynaldum, ad annum 1205, § 61.

(42) Vide epistolas libri quinti 54 et 104, not.

(43) Vide epistolam libri quinti 54, not.

(44) Vide epistolam libri septimi 182, not.

fuit in facie lepra percussus, pro eo quod indutus *Ephod* incensum adolere præsumpsit, non præsumerent sæculares super rebus ecclesiasticis, quæ ad ipsos non spectant, jurisdictionem aliquam exercere. Verum, charissimus in Christo filius noster, Joannes, rex Anglorum illustris, sicut nostris auribus est relatum, volens sibi minus licite usurpare quod non spectat ad ipsum, non permittit dilectos filios, conventum et archidiaconos ecclesiæ Wintoniensis, super electione pontificis (45) in ipsa ecclesia liberum habere processum. Cum igitur regiam non deceat celsitudinem, ut de pontificis electione disponat, quæ libere debet per illos ad quos pertinet celebrari, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus regem ipsum, ut monachos et archidiaconos memoratos eligendi pontificem habere permittat liberam facultatem, moneatis attentius et efficaciter inducere procuretis. Alioquin, monachos ipsos et archidiaconos, ut infra quadraginta dies post susceptionem litterarum nostrarum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ipsi Ecclesiæ Wintoniensi provideant canonice in pastorem, per censuram ecclesiasticam compellatis, turbatores, si qui fuerint, districtione simili compescentes. Quod si non omnes ...duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Martii.

VI.

.....ELIENSI (46) EPISCOPO, ABBATI S. EDMUNDI (47), ET..... DECANO CICESTRENSI.

*Ut archiepiscopo Eboracensi sententiæ excommunicationis, in ipsum, ob violentam in clericos manuum injectionem, latæ, absolutionem impendant.*

(Apud L. Petrum, IV Kal. Martii.)

Venerabilis frater noster, Eboracensis (48) archiepiscopus, sua nobis fecit insinuatione monstrari, quod cum causam, quæ inter ipsum ex una parte, et decanum et capitulum Eboracenses ex altera, super damnis et injuriis sibi ab eisdem illatis, noscitur agitari, vobis commiserimus (49) fine debito terminandam, quia dicti decanus et capitulum, ut negotii possent impedire processum, eidem archiepiscopo pluries objecerunt, quod in quemdam sacerdotem, et alios clericos manus mandaverat injici violentas, vos in causam ipsam procedere distulistis. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum ab eodem archiepiscopo propter hoc fueritis requisiti, vos, ab eo sufficienti secundum formam Ecclesiæ cautione recepta, vice nostra, eidem absolutionis beneficium impendatis, et, inquisita diligentius veritate, quod super his inveneritis, per vestras nobis litteras intimetis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Kalendas Martii, etc., anno octavo.

VII (50).

.....ROTHOMAGENSI (51) ARCHIEPISCOPO, ET..... ABRINCENSI (52) ..... LEXOVIENSI (53) ..... CONSTANTIENSI (54), ET ..... SAGIENSI (55) EPISCOPIS.

*Rescribitur, quod, super præstatione fidelitatis per eos regi Franciæ facienda, agant quod de jure et consuetudine solitum est.*

(Apud S. Petrum, Non. Martii.)

In litteris quas ad nostram præsentiam destinastis, perspeximus contineri, quod, cum charissimus in Christo filus noster, Philippes rex Francorum illustris, terram Normanniæ jam suæ subjugaverit ditioni, et tam a baronibus, quam omnibus laicis fidelitates acceperit, nunc a vobis fidelitatem, quæ duci Normanniæ fieri consuevit ab episcopis regionis ipsius, cum instantia postulare non cessat, asserens quod, justitia præeunte, per sententiam Coriæ suæ Normanniam acquisivit, ideoque vos ad fidelitatem ei teneri præstandam. Unde qui vobis sit in hoc articulo faciendum, per nostras edoceri litteras postulastis. Quia vero, nec de jure, nec de consuetudine nobis constat, utpote qui causam, modum et ordinem, aliasque circumstantias ignoramus, idcirco, super re dubia vobis non possumus certum dare responsum, nisi, quod vos, qui rei veritatem potestis plenius indagare, illud prudenter agatis, quod secundum Deum de jure, vel consuetudine faciendum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Martii, anno octavo.

VIII (56).

.....ABBATI DE BONGAR (57) ET PRÆPOSITO S. ARBOGASTI ARGENTINENSIS DIOECESEOS, ET CUSTODI S. THOMÆ ARGENTINENSIS.

*Causam super Ecclesia de Westhusen dijudicat.*

(Apud S. Petrum, Id. Martii.)

[Cum Bertoldus miles curiam (58) suam, *sive fun-*

(45) Vide notam ad epistolam superiorem.

(46) De eo jam dictum est sæpius.

(47) Vide epistolam libri quinti 90, not.

(48) Vide epistolas libri quinti 54, 56, 70, 129.

(49) Vide epistolam libri septimi 35. quæ iisdem, *Eliensi episcopo, abbati S. Edmundi, et decano Cicestrensi* (sic enim legendum, non prout ibi, per errerem, edidimus *Cisterciensi*), inscripta dicitur.

(50) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 59.

(51) Vide epistolam libri quinti 31, not.

(52) Vide epistolam libri septimi 226, not.

(53) Vide epistolam libri quinti 70 not.

(54) Constantiensi Ecclesiæ tunc præerat Vivianus, qui inunctus anno 1202 (ex chronographo Blancælandæ), præfuit usque ad annum 1208, quo defunctus est 15 Februar. *Gall. Christ.* tom. XI, col. 877.

(55) Vide epistolam libri quinti 70, not.

(56) Epistola hæc, sed valde mutila et incorrecta, reperitur inter Decretales, lib. II, tit. 27, *De sententia et re judicata*, cap. 18. Eamdem integram vulgavit Schœfflinus, *Alsat. diplom.* t. I, pag. 312, dipl. 372. Sed ibi, *Cantuariensi archiepiscopo, Eliensi et Londoniensi episcopis* inscribitur.

(57) Agitur hic de monasterio de *Pomario*, seu *Pomerio*, vulgo *Baumgardem*, vel *Baumgart*, Gallice *Verger*, seu *S. Bernardi in Pomerio*, hodie collapso. Imperfecta hujus monosterii abbatum series, apud auctores *novæ Galliæ Christianæ*, tom. V, col. 850, nullum, circa hæc in quibus versamur tempora, præter Maximianum, anno 1195, abbatem memorat.

(58) *Curia*, est villa, seu *manerium*, cum manso.

*dum in Westhusen quondam Peregrino* (59) militi pignori obligasset, eodem *Bertoldo* (60) sublato de medio, *Hartongus* (61), nepos ejus, qui successit eidem, *argentinensis diæceseos*, vacante ecclesia ejusdem loci, *in Westusen*, asserens quod jus patronatus cum universitate transisset in eum, *Brunonem* (62), clericum *ejusdem diæceseos, ad preces bonæ memoriæ C.* (63) *Argentinensis episcopi*, ejusdem loci *archidiacono* ad supradictam Ecclesiam præsentavit; qui de consensu *et voluntate* (64) episcopi ipsum instituit in eadem, in possessionem induci eum faciens corporalem. Prædictus vero *Bertoldus* (65), dominus fundi, *asserens quod sibi retinuerat jus patronatus expresse cum fundum obligaverat creditori*, T... sacerdotem, memorato episcopo præsentavit; sed episcopus ipsum *admittere renuit pro suæ arbitrio voluntatis*. Cum autem *præfatus episcopus viam fuisset universæ carnis ingressus*, dictus T. adversum memoratum *Brunonem* (66) super prædicta ecclesia *coram substituto* (67) *electo* quæstionem *deposuit, a cujus examine fuit postmodum ad venerabilem fratrem nostrum..... Remensem archiepiscopum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, tunc episcopum* Prænestinum (68), *legatum sedis apostolicæ, appellatum, qui dilectis filiis..... abbati Novi Castri* (69), *et..... decano S. Thomæ Argentinensis mandavit, ut audirent hinc inde proposita, et receptis testibus, ad eum remitterent causam sufficienter instructam, partibus terminum peremptorium assignantes, quo ejus se conspectui præsentarent, sententiam, recepturæ. Ipsi vero, receptis testibus et redactis in scriptis depositionibus eorumdem, eas sub sigillis suis miserunt ad archiepiscopum memoratum, partibus termino peremptorio assignato, ad quem cum sæpedictus Bruno cum suis attestationibus accessisset, nec per se, nec per responsalem idoneum, dictus T... coram eo comparere curasset* (70), ipse, attestationibus *ejusdem Brunonis, sicut in ipsius litteris perspeximus contineri, diligenter inspectis* (71), ipsum ab impetitione sæpedicti T. . . *sententiando* reddidit absolutum, eidem T... imponens silentium super ecclesia memorata. Postmodum autem, *sæpedictus T. ad ejusdem* archiepiscopi præsentiam *cum attestationibus suis* infra breve tempus accedens, justam causam absentiæ allegavit. Archiepiscopus vero, *prædicto Argentinensi* electo, et *dilectis filiis* (72)..... *Altæ Sylvæ, et.....* (73) *Turceleburnensi* abbatibus, *per suas dedit litteras* in mandatis, ut, si *præfatus* (74) justam absentia causam ostenderet coram eis, prædictam sententiam nullius decernerent esse valoris, et *utriusque partis attestationibus diligenter inspectis* (75), causam *ipsam* fine debito

Abbas Uspergen. in *Lothar. Sax.* « Cujus curiæ mille et centum mansus sunt, uno mallo comprehensi. » Cujus diminutivum *curtis* eadem significatione Trodoard in *Chronic.* ad annum 937. « Quidam presbyter de Bononis curte, sic enim villa vocatur. » Et Adamus Bremen. lib. IV: « Quinquaginta ergo cortes dominicales habuit archiepiscopus, ex quibus Walde maxima unius mensis persolvit servitium, cæterum Ambergon minima XIV dierum. » Cangius vero, (*Glossar.* t. II, col. 1252), interpretatur : « Prædium rusticum, possessio, *curtis, mansus.* »

(59) In Decret. *P.*

(60) In Decret. *P.* Apud Schœfflinum, *Peregrino.*

(61) In Decret., *A.*, quæ mox *Arg. diœc.* et *in Westh.* omittunt.

(62) Decretal. *D.* Mox om. verba *ad preces..... episcopi.*

(63) Conradus II, vel III, ex nobili baronum d'Hunnenberh in Alsatia genere ortus, electus episcopus Argentinensis anno 1190, cum in schismate imperii vero Philippo Suæviæ duci (qui ambo fuerant electi Romanorum reges), multa passus est a civibus, etiam carcerem, in iisque tandem ærumnis vitam finivit anno 1202.

(64) Decretal. om. hanc vocem.

(65) Decretal. *C.*; mox verba *asserens... creditori* omittunt, et *non admisit.* legunt pro *ad. r. p. s. a. v.*

(66) Decretal. om.; mox *D.* legunt pro Brunonem, et rursus verba *coram substituto electo* omittunt.

(67) Henricus, nobilis Suevus, ex illustri comitum de Veringen progenie satus, antequam ad episcopatum Argentinensem sublimaretur, canonicus erat Moguntinensis Ecclesiæ (*Georg. Christianus* in syllabo canonicorum hujusce ecclesiæ, pag. 405). Custos idem Argentinensis Ecclesiæ dicitur in *Histor. Alsatiæ.* Electus fuit anno 1292, quanquam nonnisi anno 1206, vel etiam 1207, ab archiepiscopo Senonensi, jubente papa, consecratus est. Causa scilicet ferendæ consecrationis fuit schisma Moguntinensis Ecclesiæ; ab archiepiscopo enim Moguntino confirmari et consecrationem recipere debebat. Sane, Henricus solum *Argentinensis electus* nuncupatus, testis est anno 1204, pridie Idus Januarii, in charta Philippi, Romanorum regis, plurima confirmantis Adolfo Coloniensi archiepiscopo. Vir bonus ac religiosus, clerique defensor, fato suo functus anno 1222, v Id. Martii, sepulturam accepit in sacello S. Andreæ ad cathedralem, in qua sedit annis 21.

(68) De isto jam dictum est sæpius. Vide epistolam libri quinti 8, not., et præsertim epistolam libri septimi 121.

(69) Petrus I, abbas Novi Castri, seu Neoburgi, reperitur in instrumentis anno 1201. Anno 1205 obtinuit duo præcepta ab imperatore Philippo, et unum ab Innocentio PP. III, datum III Non. Maii, indictione, XI, pontificatus anno XI, hoc est 1208. Occurrit adhuc 1209, 1211 et 1202; ac tandem 1214, die 7 Octobris, post decem et octo regiminis annos a sæculo migravit. *Gall. Christ.* tom. V, col. 886.

(70) Decretal. legunt *deposuerit, Remen. episcopus, apost. sedis leg. judicibus negotium delegavit: ad quem cum attestationes utrinque receptas per partes postmodum remisissent, et præfato D. cum suis attestationibus accedente, dictus T. nec per se, nec per responsalem idoneum comparare curaret.*

(71) Decretal., *inspectis clerici memorati.* Mox *sententialiter* pro *sententiando.*

(72) Decretal., *idem presbyter ad* pro *sæpe. d. T. ad ej.*; mox om. verba cum *attestat. suis*, et *Argentino* pro *præd. Argentin.* legunt.

(73) De abbatiis *Altæ-Sylvæ*, et *Turceleburnenci*, prout hic legitur, vel *Altæ-Sylvæ*, et *Tudebernens* juxta lectionem quam exhibent Decretales, nihil ad manum habemus.

(74) Decretal. om. verba *dilectis fil.*; mox legunt *Altæ sylvæ et Tudebern.* et infra *suis dedit litteris* pro *p. s. d. l.*

(75) Decretal. om. verbum *præfatus* et mox addunt *ille* post *causam.* Decretales verba *utriusque*

terminarent; alioquin, sententiam *quam ipse tulerat*, facerent *firmiter* observari. Verum, *cum dictus electus, aliis negotiis impeditus, interesse non posset, vices suas R..... canonico Argentinensi, commisit, præfatis abbatibus suas committentibus..... majori præposito* (76), *et..... scholastico Argentinensi, qui, in negotio procedentes, testes super prædicto articulo receperunt, et, eorum depositionibus redactis in scriptis, prædictus B... assereus se gravari ab eis* (77), vocem ad nos appellationis emisit. *Cum igitur utraque pars cum attestationibus signatis sigillis judicum prædictorum ad nostram præsentiam accessisset* (78), licet *dictus T.* justam causam absentia minus sufficienter probasset, nec tamen præjudicaret opinio veritati, *volentes in veritate procedere, cum Christus sit veritas, dilectum filium,* R... *S. Mariæ in Dominica*(79) diaconum cardinalem (80), eis concessimus auditorem. Qui, cum *ea, quæ coram ipso proposita fuerant*, nobis *plene ac* fideliter retulisset, *nos, utriusque partis attestationibus ac sententia præfati archiepiscopi diligenter inspectis, quia eumdem* archiepiscopum ex tenore *ipsius* sententiæ invenimus circumventum, tum quia continebatur in illa, quod per attestationes ipsius *B.* (81) fuerat sufficienter probatum, quod præfatus *Hartongus* in posssesione jurispatronatus exstiterat, cum eumdem *Brunonem* ad prædictam ecclesiam præsentavit, cum tamen per attestationes illas nihil aliud *super hoc* fuerit ostensum, nisi quod pro quodam jure, quod de illa ecclesia consuevit exhiberi patronis, prædicti *Peregrinus et Hartongus* (82) annuatim decem solidos acceperunt, *quos tamen Plebanus ejusdem loci semper contradicebat præbere ;* tum quia in eadem sententia dicitur, quod dictus T... *penitus* in probatione defecit, cum per attestationes suas appareat *manifeste* ipsum suam intentionem sufficienter probasse; tum etiam quia causam non recepit sufficienter instructam, cum unius tantum partis attestationes receperit, quæ parum faciebant ad causam ; *his et aliis intellectis* (83), sententiam ipsam duximus irritandam, memorato T... adjudicantes ecclesiam supradictam, cum per attestationes nobis constiterit evidenter, ipsum a vero patrono fuisse ad sæpefatam ecclesiam præsentatum,] adversario super ea perpetuum silentium imponentes. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, auctoritate nostra suffulti, sententiam nostram faciatis inviolabiliter observari ! præfatum T. in corporalem possessionem ejusdem ecclesiæ inducentes, et tuentes inductum. Contradictores. . . , nullis litteris, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Martii.

### IX (84).

REGI ARAGONUM.

*Ut desistatat a quibusdam molestationibus Ecclesiæ Holenensis. Adduntur multa, quibus dignoscitur eum astrictum esse ad servandam fidelitatem Romanæ Ecclesiæ.*

(Apud. S. Petrum, IV Id. Martii.)

Absit a te, filii charissime, ut illa possit id te historia retorqueri, quæ Achab regem denuntiat, vineam Nabot Israelitæ vicinam regali domui sibi postulasse a possessore concedi, ut faceret olerum hortum in ea ; quam cum obtinere non posset, ipsam tamen possessore possedit occiso. Accepimus enim quod Helenensem Ecclesiam, prætextu occasionis illius, quod ad celebrandam electionem episcopi (85) sine te canonici processerunt, graviter molestasti, castra, et possessiones ejus per violentiam occupando, et deprædando terram illius, donec inde redemptionem acciperes, juxta tuæ arbitrium voluntatis. Et, licet super hoc tibi alia vice scripserimus, et rogaverimus diligenter, ac etiam in remissionem injunxerimus peccatorum ut episcopo et capitulo ejusdem ecclesiæ sine cujuslibet difficultatis obstaculo, oblata restituere universa, nec aliquid in ipsa ecclesia deinceps in tuæ salutis dispendium usurpares, imo tam ipsam quam alias in tuo regno positas defensares propensius et foveres; tu, a mandatis nostris tanquam ad parietem faciem regalem avertens, nos exaudire super his

*inspectis*, vocem *ipsam* quæ sequiiur, denique *quam ipse tulerat... firmiter* omittunt.

(76) « XI. Albertus I, anno 1205 præpositus Argentinensis, cujus tempore instituti sunt in Argentinensi Ecclesia septem archidiaconi.

« XII. Arnoldus 1209. » *Gall. Christ.* tom. V. col. 823.

(77) Decretales legunt : *Dicto electo, et præfatis abbatibus committentibus aliis vices suas, ipsi subdelegati testes super prædicto articulo receperunt : a quibus dictus clericus.*

(78) Decretales om. *cum igitur. . . accessisset, autem* legunt pro *dictus T.* et *presbyter* interserunt post *sufficienter.*

(79) Decretal. verba *volentes. . . Dominica* et mox *ea quæ. . . fuerant* omittunt ; infra *omnia* legunt pro *plene ac.* Deest mox verbum *ipsius.*

(80) R. *S. Mariæ in Dominica diaconum cardinalem*, vel, *R. diaconum cardinalem.* Sic diserte legitur in apographo Conti, et in Decretalibus : mendose utrobique. Quis sit *S. Mariæ in Dominica* titulus, juxta ignorantes scire nos fatemur. Legendum forsan *S. Mariæ in Cosmedino.* Verum, tunc temporis, hoc titulo Joannes, comes Anagninus, de quo jam egimus supra, insignitus erat, nec littera initiali R. designari potuit.

(81) Decretal. legunt *clerici*, et mox *A.* pro *Hartongus.* Infra *Brunonem* omittunt et verba *super hoc.*

(82) Decretal. *A. et P.* et omittunt quæ sequuntur charactere cursivo distincta.

(83) Decretal. legunt *unde* pro *h. e. a. i.*

(84) Epistolæ hujus fragmentum exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 63. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(85) Incerta Helenensium episcoporum, circa hæc in quibus versamur tempora, series, Berengarium V anno 1205 exhibet, apud auctores *novæ Galliæ Christianæ*, tom. VI, col. 1050. Sed anno 1206 reperitur Guillelmus *de Ortafano*, ejusdem sedis antistes, qui obiit anno 1209.

aliquatenus noluisti, sollicitus, ut Ecclesiam illam tanquam vineam tuæ habitationi vicinam tibi appropries, et redigas illam in hortum, qui olera tibi continuas videlicet servitutes, quas eidem imponis incessanter, exsolvat, ac in eam insurrexisti ferventior, postquam pro ea mandatum apostolicum intercessit, non attendens, quod eidem ecclesiæ pluribus de causis fidelitate tenearis astrictus, et cui deberes esse devotus, te in omnibus indevotum ostendas. Nunc etiam tot et tantas exactiones exerces in ea, ipsamque affligis in tantum, quod, quasi, lapidato rectore, tibi videris vineam vindicasse. Ne igitur taliter tibi appetas aliena, vel potius ea quibus debes tuum patrocinium specialiter exhibere, serenitatem regiam monemus attente et hortamur, ac per apostolica tibi scripta mandamus in remissionem peccaminum injungentes, quatenus ab ipsius ecclesiæ super his et aliis indebita molestatione desistas, et electiones episcoporum illius, qui pro tempore fuerint, nequaquam impedias, nec ab aliis quantum in te fuerit, impediri permittas; restituas etiam universa quæ illi abstulisse dignosceris, vel auferri fecisse, ut inde verum vineæ possessorem, videlicet Jesum Christum, qui ad ejus culturam diversis horis diversos operarios introduxit odio non videaris habere. Videas itaque, charissime in Christo fili, quod super hoc tuæ saluti expediat et honori; quia, si vineam Nabot taliter occupaveris, in te propheticum illud merito poterit retorqueri: Occidisti insuper et possedisti; si vineam libertatis in hortum redegeris servitutis. [Nos autem, qui tuam nolumus impediri salutem, sed ipsam propensius desideramus in Christo, dilectis filiis, abbati Cisterciensi (86), P... de Castro Novo, et R... monachis Fontis Frigidi, apostolicæ sedis legatis, injungimus, ut te ad hæc vice nostra diligenter moneant et inducant, et, si necesse fuerit, districtione qua viderint expedire, cessante, appellatione compellant.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Martii, pontificatus anno octavo.

*Illis scriptum est super hoc.*

X (87).

G. (88) REMENSI ARCHIEPISCOPO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI.

*Imperat ut in provinciali concilio archidiaconos, et decanos, ad sacros suscipiendos ordines adigat.*

(Apud S. Petrum, III Nonas Martii.)

Cum honori sit onus annexum, exsequi debet officium, qui beneficium est sortitus. Eapropter, venerabilis in Christo frater, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, postquam in provinciali concilio solemniter injunxeris coepiscopis tuis, ut ipsi tam archidiaconos quam decanos ad suspiciendo ordines in quibus tenentur domino deservire compellant, juxta Lateranensis concilii sanctiones, si

A forsan infra sex menses ipsi neglexerint hæc implere, tu extunc, sublato appellationis obstaculo, id exsequi non omittas. Si vero noluerint ordinari, beneficia eorumdem sit tibi licitum aliis conferre personis, prout est in eodem consilio institutum. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Nonas Martii, pontificatus anno octavo.

XI (89).

EIDEM.

*Ne aliquem abbatem regularem fidejubere sinat.*

(Apud S. Petrum, Non. Martii.)

Accepimus, quod, tam in diœcesi quam in provincia Remensi, ad tantam exinanitionem monasteria devenerunt, personis ac prælatis eorum
B pecuniam recipientibus mutuo sub usuris, et expendentibus eam ubi non licet, quod obligatis eorum possessionibus, et distractis servitoribus suis non possint sufficere sicut solent. Ideoque, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus, ne aliquis abbatum, priorum aut monachorum, vel etiam canonicorum regularium tuæ provinciæ, pro aliquo fidejubeat, vel pecuniam mutuo a quoquam accipiat, ultra pretium capitulorum suorum providentia constitutum, nisi propter manifestam domorum utilitatem, auctoritate nostra cures districtius inhibere, et, si quid factum fuerit, ad solutionem denunties non teneri conventus Ut autem prohibitio nostra majorem obtineat firmitatem præsentium tibi auctoritate concedimus, ut
C eos qui præsumpserint contraire, nullius contradictione vel appellatione obstante, per censuram ecclesiasticam a sua præsumptione compescas. Nulli ergo, etc. Hanc paginam nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Non. Martii, anno octavo.

XII (90).

C..... REMENSI ARCHIEPISCOPO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI.

*Facultas corrigendi corrigenda in monasteriis provinciæ Remensis.*

(Apud S. Petrum, VIII Id. Martii.)

Talis debet esse sollicitudo rectoris, ut providentiam internorem in exteriorum occupatione non minuat, et exteriorum curam internorum sollicitudine non relinquat, sic solerter invigilet, ut, foris
D aliis necessariam utilitatem impendens, interius utilem sibi necessitatem observet. Eapropter, venerabilis in Christo frater, ut plenius super his valeas adimplere quod debes, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut in ecclesiis ac monasteriis Remensis provinciæ, quorum quædam et intus et foris grave dispendium patiuntur tam in capitibus quam in membris, auctoritate apostolica corrigas, quæ secundum Deum fuerint corrigenda, et consuetudines juris et utilitatis ecclesiarum tibi eadem aucroritate sit licitum in

(86) Vide epistolam libri quinti 109.
(87) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 59.
(88) Vid. epistolam libri septimi 121.

(89) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 59.
(90) Ibidem.

melius, de prudentium virorum consilio, commutare A si forsan hi ad quos immediate pertinet eorum correctio, super his fuerint negligentes, non obstante alicujus appellationis objectu contra regularis observantiam disciplinæ, sic in hujusmodi Ecclesiæ utilitati deserviens, quod disciplinæ proficias regulari Siquis autem etc. Nulli ergo, etc. Nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Martii.

XII.

G..... REMENSI ARCHIEPISCOPO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI.

*Ut concilii Lateranensis statuta, quoad vacantes ecclesias et præbendas, sequatur.*

(Apud S, Petrum, VIII Id, Martii.)

Lateranensis concilii decrevit auctoritas, ut, cum B ecclesias et præbendas, seu qualibet officia, in aliqua ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferantur; si autem episcopos, ubi ad eum spectaverint, conferre distulerit. per capitulum ordinentur; quod si ad capitulum electio pertinuerit, et infra præscriptum terminum hoc neglexerit adimplere, episcopus hæc cum virorum religiosorum consilio exsequatur: quod si omnes forte neglexerint. metropolitanus, secundum Deum, de ipsis, absque illorum contradictione, disponat. Quia igitur plus solent prodesse, quæ specialiter indulgentur, quam quæ generaliter conceduntur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium duximus indulgendum, ut instituta jam dilecti concilii, tam in diœcesi quam in provincia Remensi, sine C contradictione et appellatione qualibet, exsequaris. Nulli ergo... hanc paginam nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Martii, anno octavo.

XIV.

G.... REMENSI ARCHIEPISCOPO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI.

*Ut alienationes a prædecessoribus ejus illicite factas revocare possit.*

(Apud S. Petrum, VIII Id. Martii.)

Annuere solet sedes apostolica, etc., *usque* impertiri. Eapropter, etc., *usque* annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ea, quæ de pertinentibus ad archiepiscopalem mensam, et alias ad archiepiscopi juridictionem spectantibus, tam in D feudis quam aliis, a bonæ memoriæ W. prædecessore tuo, minus licite alienata repereris, nullius contradictione vel appellatione obstante, legitime valeas revocare. Nulli ergo... hanc paginam nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum VIII Idus Martii, anno octavo.

XV.

G... REMENSI ARCHIEPISCOPO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI.

*Ut concessiones a prædecessoribus illicite factas revocare possit.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Aprilis.)

Sollicitudini pastoris incumbit, ut taliter provideat juri suo, quod ipsum per alios non detineatur injuste, ne ibi sit negligens ubi sedulus esse debet, cum incrementum sedulitas, et negligentia detrimentum importet. Eapropter venerabilis in Christo frater, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut altaria, decimas, redditus, jurisdictiones, et alia, quæ bonæ memoriæ W. prædecessor tuus, suæ et successorum suorum donationi ac potestati subtraxit, ea ecclesiis et monasterii in perpetuum, et quibusdam personis, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, illicite concedendo, tibi liceat, nullius contradictionis vel appellationis obstaculo, ad potestatem et manum tuam canonice revocare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XII Kaleadas Aprilis, anno octavo.

XVI (91).

... PISANO ARCHIEPISCOPO (92).

*Super juramento quodam de usuris non repetendis.*

(Apud S. Petrum, Idib. Martii.)

[Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod, cum *J. Pellar* (93), et G. *filius ejus*, Petro *Soctan* usuras non modicas persolvissent, *præstito* juramento firmarunt, quod nec per se nec per alium prædictas usuras repeterent, vel apud ecclesiasticum judicem, seu etiam sæcularem, super eis deponerent quæstionem. Cumque creditor *ipse*, *in mortis articulo constitutus*, condiderit testamentum, suis præcepit hæredibus, ut omnibus qui *rationabiliter possent probare* (94), se dedisse usuras eidem, ipsas *eisdem* restituere procurarent. Unde, cum prædicti J. et G. usuras repetere non attentent propter hujusmodi juramentum, hæredes prædicti P. eis *negligunt* satisfacere de usuris. *Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta* (95) mandamus, quatenus sub pœna excommunicationis publice in Ecclesia proponi facias vel proponas, ut qui super hoc noverint veritatem procedant ad testimonium proferendum, et, si per dicta testium, vel alia documenta, tibi legitime constiterit de præmissis, hæredes *ejusdem P.* (96) ut usuras, quas a prædictis *J. et G.* (97) pater eorum, accepit, restituant universas, *monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam*, *appellatione remota*, compellas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Martii.

(91) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. II, tit. 24, *De jurejurando*, cap. 20.

(92) Vide epistolam libri tertii 9, not.

(93) Decretales omittunt verba charactere Italico distincta usque ad *condiderit testam.*

(94) Decretal., *probarent*, et mox *eis* legunt pro *eisdem*. Infra add. *et* ante vocem *hæredes* et *negligant* habent pro *negligunt*.

(95) Hæc desunt in Decretal.

(96) Decretal., *illius*.

(97) Desunt in Decretal, quæ mox legunt *ecclesiastica censura* pro *mon. p., p. c. e., app. rem.*

## XVII

EPISCOPO (98), ET DILECTIS FILIIS... CANTORI, ET... ARCHIDIACONO DOLENSIBUS.

*Ut W. præsbytero, cui, præter vulnera inflicta, genitalia amputata fuerant, sacerdotale officium exsequendi licentiam tribuant, et adversas tale facinus perpetrantes sententiam excommunicationis ferant.*

(Apud S. Petrum, v, Kal. Aprilis.)

Accedens ad apostolicam sedem dilectus filius, W... presbyter, gravi nobis conquestione monstravit, quod, cum olim in diebus Dominicæ Passionis per villam Avortii transitum faciens, ad domum Pelochini militis, pro sedanda siti quam ex labore viæ incurrerat, divertisset, homines ipsius militis, qui longe ante pro decimis et quodam debito rixatus fuerat contra eum, W... miles, filii ejus, et quidam alii Andegavensis diœceseos, ut prædicto Pelochino placerent, præsbyterum ipsum temere capientes, graviter vulnerarent, et ligatum per totum diem nimium inhoneste tractantes, tandem, amputatis ei virilibus, dimiserunt rebus omnibus spoliatum. Nos igitur, cum afflicto misericordiam facientes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si rem noveritis ita esse, ac aliud canonicum non obsistat, ei auctoritate nostra sacerdotale officium exsequendi licentiam tribuatis. Dictos vero sacrilegos tandiu, appellatione remota, etc., *usque* absolvendi, eos nihilominus ad restitutionem debitam ablatorum, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Testes... nullis litteris, etc. Quod si omnes... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, xv Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XVIII.

...EPISCOPO URBEVETANO (99).

*Quod in causa matrimonii inter Jacobum, militem de Castro Plebis, et M. mulierem. non obstante decretanti quadem Alexandri PP. cujus sensum hic declarat, procedere possit.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Aprilis.)

Per tuas nobis litteras intimasti, quod, cum causam, quæ inter Jacob militem, de Castro Plebis, et M. mulierem, super matrimonio vertebatur, ad nos per appellationem delatam, tibi commiserimus terminandam, miles ipse, qui matrimonium accusabat quod eamdem contigeret mulierem in quarto et quinto consanguinitatis gradu probavit. Mulier vero per testes sufficienter ostendit, quod matrimonialiter per decem et octo annos, vel ultra, cohabitarat militi memorato, et ad minus tres filios susceperat ex eodem. Unde, secundum decretalem bonæ me-

A moriæ Alexandri papæ, prædecessoris nostri, se dicebat ab eo non debere occasione hujusmodi separari. Licet autem utraque partium instanter sententiam postularet, noluisti tamen annuere postulatis, sed nos duxisti super hoc humiliter consulendos, cum decretalis illa contradicere antiquis canonibus videretur. Nos igitur, eam coram nobis perlegi facientes, ex ejus tenore conjecimus, quod in eo casu intelligitur decretalis, in quo nondum lis est coram judice contestata, cum dicatur ibidem : Quod si aliquis duxit in Ecclesiæ facie mulierem, et longo tempore cohabitavit eidem, non debet ad accusationem admitti, nisi aliæ idoneæ personæ suspicione carentes appareant, quæ velint et valeant legitime matrimonium accusare, sed nec eædem B debent admitti, si vir et mulier per viginti, vel decem et octo annos, insimul sine quæstione manserunt. Ecce hic dicitur, quod ad accusationem non sunt personæ hujusmodi simpliciter admittendæ. Unde, sicut præmisimus, tunc habet locum hujusmodi Decretalis, cum nondum contra matrimonium accusatio est admissa. Tunc enim Ecclesia propter temporis diuturnitatem quodammoda dispensando dissimulat, et dissimulando dispensat. Verum, ubi pars, cui competit, uti neglexerit illius beneficio Decretalis, sed post legitimam litis contestationem partes produxerint testes suos, et depositionibus publicatis fuerit renuntiatum utrinque, nec jam restat nisi sententia proferenda, non videmus quod judex causam propositam in sua præsentia, et discussam secundum veteres canones, non debeat terC minare, maxime, cum utraque pars. vel altera, institerit ut sententia proferatur.

Datum Romæ, XII Kalendas Aprilis.

## XIX (100).

THOMÆ, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Agit de consecratione patriarchœ Constantinopolitani*

(Apud S. Petrum, III Kal. Apriis.)

(101) « Prærogativa dilectionis et gratiæ, quam « apostolica sedes exhibuit Ecclesiæ Bizantinæ, cum « eam in patriarchalem sedem erexit, ecclesiasticæ « plenitudine potestatis, quam non homo, sed Deus « imo verius Deus homo, in beato Petro Ecclesiæ « Romanæ concessit, evidenter attestatur, et quod « Romanus pontifex ejus vicarius sit ostendit, qui D « et primos novissimos et novissimos facit primos. « Sane, cum eadem Ecclesia, quæ tunc *Bizanzena*, « nunc Constantinopolitana vocatur, nec nomen, « nec locum inter sedes apostolicas patriarchales « haberet, apostolica sedes fecit ei nomen grande « juxta nomen magnorum qui sunt in terra, et ip-

(98) Joannes, *de la Mousche,* V, Dolensi Ecclesiæ præfuit ab anno 1199. usque ad annum 1224. *Gall. Christ. vet.*, tom. II, pag. 567.

(99) Matthæus Albericus in episcopatu Urbevetano Ricchardo successit anno 1204. Successoris ejus, Joannis Castelli, Bononiensis, nomen non nisi anno 1211 legitur. UGHELL. *Ital. sacr.*, tom. I, part. sign. * col. 386.

(100) Legitur in Gestis Innocentii, § 93 ; ideoque hic uncis includitur. Fragmentum ejusdem exhibet Raynaldus, ad annum 1205, §16. Quæ apud ipsum leguntur, duplici ad initium cujusque lineæ virgula, in mrrgine apposita, distinximus.

(101) Hæc apud Raynaldum,

« sam, quasi de pulvere suscitatam, usque adeo « sublimavit, ut eam, tam Ecclesiæ Alexandrinæ « quam Antiochenæ et Hierosolymitanæ dignitatis « privilegio anteferret, atque post se præ cœteris « exaltaret, ita, quod, cum multæ filiæ divitias con- « gregaverint, hæc sola per matris gratiam specia- « lem supergressa fuerit universas. Licet autem « eadem Ecclesia interdum ab obedentia sedis apo- « stolicæ declinavit, quia tamen ad eam per Dei gra- « tiam humiliter est reversa, tuis precibus annuen- « tes, eamdem Ecclesiam, cui, Deo auctore Domino, « præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra « protectione suscipimus, et præsentis scripti pa- « gina communimus (102). » Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in B futurum, concessione pontificum, et ecclesiasticarum seu etiam sæcularium personarum, cujuscunque conditionis aut status, poterit adipisci, firma tibi et tuis successoribus illibata permaneant. Libertates quoque et immunitates ejusdem Ecclesiæ ac consuetudines rationabiles et antiquas, quæ apostolicæ sedis non obviant institutis, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Palleum quoque, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, fraternitati tuæ, de apostolicæ sedis libertate, largimur, quo, intra ecclesias tuæ juridictioni subjectas, in solemniis missarum utaris, diebus inferius denotatis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Ypopanti, Dominica in Ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato C sancto, Pascha, feria secunda post Pascha Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus beatæ Mariæ, Natali Joannis Baptistæ, solemnitatibus omnium apostolorum, commemoratione sanctorum omnium, dedicationibus ecclesiarum, episcoporum, consecrationibus, ordinationibus clericorum, principalibus festivitatibus ecclesiarum tuarum, et in anniversario consecrationis tuæ die, et tam imperatoris quam aliorum magnatum et principum sepulturis. Ad indicium etiam gratiæ plenoris, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut archiepiscopis, suffraganeis tuis, usum pallii præsentis indulgentiæ auctoritate concedas ab eis pro te quod canonicum fuerit, pro nobis autem et Ecclesia Romana sponsionem obedientiæ, recepturus. Porro crucem, videlicet vexillum Domini- D cum, per quemcunque locum te transire contigerit, excepta urbe Romana, et loco in quo fuerit Romanus antistes, ante te deferendi, fraternitati tuæ licentiam impertimur, et in processionibus tuis tibi concedimus usum nacci (103), præsenti scripto nihilominus statuentes, ut universi clerici, cujuscun- A que nationis et gentis, in civitate et diœcesi Constantinopolitana ecclesias vel ecclesiastica beneficia obtinentes, tibi et Ecclesiæ Constantinopolitanæ reverentiam debitam et honorem devotum exhibeant salva in omnibus auctoritate sedis apostolicæ reverentia et honore. Nulli ergo, nostræ concessionis et protectionis, etc. Si quis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XX (104).

EIDEM THOMÆ, PATRIARCHÆ CONSTANINOPOLITANO.

*Concedit facultatem absolvendi a censuris ob percussionem clerici, et inungendi imperatorem Constantinopolitanum.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Apriis.)

[Sicut Dominus in Romanam Ecclesiam per beati Petri merita sua dona diffundit, sic ejus privilegium ampliavit, ut, quamtumlibet in alios liberalis, nec detrimentum tamen honoris timeat, nec dispendium potestatis, utpote quæ nihil sibi subtrahit, cum aliquibus etiam maxima elargitur, nec aufert quod confert, nec quod donat, amittit. Ipsa etenim in eos, quos in partem suæ sollicitudinis evocat, sic dispendat onera et honores, ut non minus eam omnium ecclesiarum cura sollicitet, et plenitudo ecclesiasticæ potestatis adornet, quam non patitur Petri privilegium minonari. Cum igitur ad apostolicam sedem personaliter *laboraris* (105), et per impositionem manuum nostrarum diaconatus et presbyteratus susceperis ordines, *et* (106) in episcopum tandem fueris consecratus, specialem tibi gratiam facere volumus, et te personaliter intendimus honorare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis petitionibus annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut subditos tuos qui in clericos et alios viros religiosos manus injeceriut violentas, auctoritate ac vice nostra secundum Ecclesiæ formam absolvas, nisi forsitan ita fuerit enormis excessus, ut merito credas eos ad sedem apostolicam destinandos : falsarium quoque absolutionem tuæ fraternitati committimus, si forsan in sigillo tuo vel subditorum tuorum vitium commiserint falsitatis. Ut autem tanquam sponsus de thalamo matris procedas ad sponsam, circumdatus varietatibus et indulgentiarum nostrarum decoratus amictu, tibi personaliter indulgemus, ut, si qui reges in Constantinopolitano imperio fuerint inungendi, dum tamen a te inunctio postuletur, et assensus imperialis accedat, inungas. Nulli ergo..., nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud S. Petrum, III Kal. Aprilis, anno octavo.

(102) Hactenus Raynaldus.

(103) Sic in apographo Conti. Sic etiam in codice manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, ex quo epistolas, quæ in *Formulario Berardi Napolitani* reperientur, exscribi curavimus : verum utrobique mendose. Legendum *nacti*. *Nactum* enim, vel *nactus* est stragulum quo totus equus insternitur, de quo vide CANGIUM, *Glossar.* tom. V, col. 1134.

(104) Legitur in Gestis, § 98, ideoque hic uncis inciuditur. Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 16.

(105) Sic et in Gestis, in cod. vero Reg. citato a Baluzio in marg. *accesseris.*

(106) Cod. Reg. cit. add. *apud ipsam.*

## XXI (107).

THOMÆ, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Dat facultatem provehendi ad ordines, et idoneos in ministerio præficiendi.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Aprilis.)

[Quia dantur gratiæ ex gratia, quod apud nos fueris gratiosus, effusa super te monstrabit copia gratiarum. Tuis igitur precibus annuentes, fraternitati tuæ specialiter indulgemus, et ut in diebus Dominicis, et præcipuis solemnitatibus, cum necesse fuerit, personas idoneas in subdiaconos valeas promovere, et, cum in ecclesia Constantinopolitana vel nulli aut pauci sint canonice instituti, ad eam, sublato appellationis obstaculo, idoneos viros assumas, nec carni et sanguini aliter quam deceat acquiescas, sed merita ponderes, et litteraturam attendas, quoniam, in omni gente, qui facit justitiam, acceptus est Deo.] Nulli ergo... indulgentiæ nostræ, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XXII (108).

THOMÆ, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Ut de consilio prudentium virorum statuere valeat, prout viderit expedire, de bonis Ecclesiæ suæ, quin recursum super his habeat ad sedem apostolicam.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Aprilis.)

Licet in forma juramenti, quod nobis in susceptione pallii, secundum generalem consuetudinem, præstitisti, hoc specialiter sit expressum, ut possessiones ad mensam tui episcopatus spectantes nec vendas, nec dones, nec pignori obliges, nec de novo infeodes, nec aliquo modo, inconsulto Romano pontifice, alienes; quia tamen novitatem tuam, et ecclesiæ Constantinopolitanæ necessitatem ac totius terræ turbationem allegans, super his nos duxisti humiliter consulendos, ne pro singulis negotiis ad nos recurrere compellaris, ut, in talibus, cum necesse fuerit, de prudentium virorum consilio statuas, quod eidem ecclesiæ ac tibi videris expedire, auctoritate tibi *præsentium* (109) licentiam impertimur. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XXIII (110).

THOMÆ, PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Statuit quid sit agendum in electione patriarcharum Ecclesiæ Constantinopolitanæ.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Aprilis.)

[Auctoritate præsentium inhibemus, ne, obeunte te, nunc Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcha, vel tuorum quolibet successorum, ullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia proponatur, nisi qui fuerit electus secundum canonicas sanctiones.

A Cum autem secundum morem ecclesiasticum fuerit consecratus, ad apostolicam sedem nuntios suos mittat, pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, petiturus. In cujus susceptione, juramentum nobis et successoribus nostris, secundum apostolicæ sedis consuetudinem, quod tu ipse nobis, suscepto pallio, præstitisti, sine contradictione qualibet exhibebit. Ad hæc, tuæ fraternitati concedimus, ut libere a subditis tuis, cum necesse fuerit, ad tuam audientiam appelletur, nisi cum negotium fuerit ab apostolica sede commissum; ita, quod tu appellationibus ad Romanam Ecclesiam interpositis humiliter deferat et devote.] Nulli ergo... nostræ inhibitionis et concessionis, etc.

B Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XXIV.

THOMÆ PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Permittit sacerdotiorum retentionem, et ut possit uti opera clericorum qui secum ad partes illas accessere.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Aprilis.)

Licet Constantinopolitanum imperium per Dei gratiam a Græcis translatum fuerit ad Latinos, quia tamen nondum est adeo solidatum, quin ex parte aliqua fluctuet status ejus; necessitati tuæ, quantum honeste possumus, volumus providere. Ideoque, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut beneficia quæ hactenus habuisti, integre sicut hucusque possideas, et plene percipias fructus qui
C provenerint ex eisdem, donec de statu tam imperii quam Ecclesiæ Constantinopolitanæ redditi fuerimus certiores, et super hoc aliud duxerimus statuendum; cumque peritorum egeas collegio, et consilio clericorum, qui tibi cooperatores providi et prudentes coadjutores existant, præsenti pagina indulgemus, ut clerici, qui tecum ad partes Constantinopolitanas accesserint, sua beneficia non amittant, sed proventus ipsorum eis integre persolvantur, donec status terræ illius nobis plenius innotescat; dum tamen ex hoc propter numerositatem clericorum tecum transire volentium aliqua Ecclesia enormiter non gravetur. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Ka-
D lendas Aprilis, anno octavo.

## XXV (111).

THOMÆ PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Ne, ex eo quod ipse pontifex patriarcham eligit, Ecclesiæ Constantinopolitanæ juribus derogetur.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Aprilis.)

[Licet nulli penitus injuriam faciamus, cum uti-

(107) Legitur, sed continuata serie cum epistola proxime superiori 20, et absque notis chronologicis, in Gestis, § 98; ideoque hic uncis includitur. Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 16.

(108) Legitur, sed continuata serie cum duabus proxime superioribus epistolis 21 et 28, omissisque notis chronologicis, in Gestis, § 98, ideoque hic uncis includitur. Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 16.

(109) Sic et in Gestis, et in cod. mss. Bibliothecæ Vaticanæ supra citato; sed in cod. Vallicellano, etiam supra citato, *præmissa.*

(110) Legitur, sed continuata serie cum tribus proximæ superioribus epistolis 22, 21, 20, omississque notis chronologicis, in, Gestis, § 98; ideoque hic uncis includitur. Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 16.

(111) Legitur, sed continuata serie cum Epistolis

mur jure nostro, nec depereat quidquam aliquibus, A cum collatam nobis ecclesiasticæ potestatis plenitudinem exercemus, Constantinopolitanæ tamen Ecclesiæ providere volumus ad cautelam, et dolosa labia et linguam malignam habentibus, materiam subtrahere murmurandi. Quamvis igitur, ejusdem Ecclesiæ utilitate ac necessitate cogente, utpote quæ, postquam Constantinopolitanum imperium devolutum fuerat ad Latinos, non fuerat ordinata, unde non ad alium, sed ad nos tantum ejus ordinatio pertinebat, te in Constantinopolitanum elegerimus, et eligendo confirmaverimus patriarcham, et munus tandem consecrationis tibi duxerimus impendendum, quia tamen eidem Ecclesiæ auferre nolumus electionis canonicæ libertatem, in qua ipsam potius manutenere proponimus et fovere, nolumus ut ex facto B nostro aliquid et præjudicinm generetur, quominus, cum eam vacare contigerit, canonice ordinetur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XXVI.

GRADENSI PATRIARCHÆ (112), ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Certiorem eum reddit, a se decretum fuisse ne clerici, qui sunt apud patriarcham Constantinopolitanum, sacerdotia amittant.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Aprilis.)

Cum Ecclesia Constinopolitana in novem nunc quodammodo infantiam renascatur, et, tanquam parvula, nec habens ubera officiosa, matris sollicitudine noscatur plurimum indigere, ipsam uberibus consolationis nostræ lactare disponimus, et ex divitiis nostris ejus inopiam relevare. Cum igitur indi- C geat clericis prudentibus et peritis, qui laicorum vitam verbo ædificent et exemplo, ad petitionem venerabilis fratris nostri, patriarchæ Constantinopolitani, concessimus, ut clerici, qui cum eo ab partes Constantinopolitanas accesserint, sua beneficia non amittant, sed proventus eorum ipsis integre persolvantur, donec status terræ illius nobis plenius innotescat, dum tamen ex hoc propter numerositatem clericorum volentium transire cum eo, aliqua Ecclesia enormiter non gravetur. Monemus igitur fraternitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus clericos illos, qui voluerint sequi eum, nec vos contra tenorem indulgentiæ nostræ aliquatenus molestetis, nec permittatis aut faciatis ab aliis molestari, D quin potius, si qui eos molestare præsumpserint, præsumptionem eorum, monitione præmissa, per districtionem ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Aprilis, anno octavo.

## XXVII.

PRIORI (113) ET CAPITULO SANCTI SILVANI DE LEPROSO.

*Recipit sub protectione beati Petri, et enumerantur ad eum spectantia.*

(Apud S. Petrum, VII Kal. Martii.)

Apostolicæ sedis auctoritas nos inducit et compellit etiam officii debitum pastoralis, ab statum universarum ecclesiarum aciem nostræ considerationis extendere, ne in bonis suis sustineant detrimentum, quæ illis debent illibata servari. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus inclinati, beati Silvani, gloriosi confessoris, Ecclesiam, in qua divino estis mancipati obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Calisti papæ, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona, et quæcunque prædia ex bonæ memoriæ Leodegarii (114), Bituricensis archiepiscopi, concessione, vel aliorum fidelium legitimis donationibus ecclesia vestra possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelim, etc., *usque* adipisci, quieta ei et illibata serventur, in quibus hæc propriis vocabulis duximus exprimenda; ecclesias Sancti Petri, et Sanctæ Mariæ de Nolendinis; ecclesias Sancti Laurentii, et Sancti Martini de Vico, super Naum; ecclesiam Sancti Aniani de Langiaco; ecclesiam Sanctæ Columbæ, et ecclesiam Sancti Falerii, cum pertinentiis earum; ecclesiasticam etiam dignitatem, quam Ecclesia vestra in Paludensi Beatæ Mencildis ecclesia dignoscitur obtinere, nec non illud, quod Rad.... dominus Delensis, tam in hominibus suis, in firmis hæredibus, ac rebus eorum, quam in possessionibus, et aliis, ecclesiæ vestræ intuitu contulit pietatis. Sepulturam quoque, etc., *usque* obsistat, salva tamen justitia, etc., *usque* assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli... hanc paginam nostræ protectionis, confirmationis et cocstitutionis, infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Kalendas Martii, anno octavo.

...... SANCTI JULIANI (115), ET DE TURPINIACO (116) ABBATIBUS ET MAGISTRO BALD..... CANONICO BEATI MARTINI TURONENSIS.

*Causam magistri Petri de Vico, super præbenda ipsi in Ecclesia Bituricensi concessa, definiendam ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, VIII Kal. Aprilis.)

Retulit nobis dilectus filius, magister P...subdia-

quas vide, 23, 22, 21, 20, omissisque notis chronologicis, in Gestie, § 98; ideoque hic uncis includitur. Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 16.

(112) Vide epistolas, libri sexti 240, not., et libri septimi 74, 200.

(113) Vide epistolam libri quinti 132.

(114) Leodegarius, archiepiscopus Bituricensis ab anno 1096 usque ad annum 1120.

(115) S. Juliani abbates, Gaufridus I, annis 1173 et 1182; mox, et immediate, Reginaldus annis 1207 et 1209, memorantur in *Gallia Christiana vetere*, t. IV, pag. 546, col. D.

(116) Fundationem monasterii de Turpiniaco non nisi ab anno 1208 repetunt Sammarthani. *Gall. Christ. vet.* tom. IV, pag. 885, col. 5. *A*. Altius repetendam esse evinciturex hac Innocentii epistola.

conus et capellanus noster, quem dilecto filio, magistro P. de Vico, dedimus auditorem, quod, cum venerabilis frater noster.... archiepiscopus (117), et dilecti filii, capitulum Bituricense, quibus, sicut idem magister proposuit coram eo, per nostras dedimus litteras in mandatis, ut, ipsum in fratrem et canonicum admittentes fraterna charitate tractarent, verba in elusionem mandati apostolici tribuentes eidem, se illum polliciti fuerint recepturos, quia tandem nolebant quod promiserant adimplere, accedens ad præsentiam nostram, ad eosdem præceptorias litteras reportavit, dilectis filii... de Domo Dei... de Nigro-Lacu (118), et... de Fonte-Mauriniacensi (119) abbatibus, obtentis monitoribus ad eosdem, et, quoniam quidam ex capitulo, sicut dictorum monitorum transmissæ nobis litteræ continebant, super receptione ipsius magistri malitiose resistere nitebantur (120), ad dilectos filios... abbatem Dolensem (121), et Eug. subdiaconum nostrum, priorem de Leproso, litteras direximus continentes quod si major pars capituli convenisset in eum, vacantem præbendam conferrent eidem, ipsum in canonicum admittentes et fratrem. Pro cujus denique receptione, sicut idem exsecutores per suas nobis litteras intimarunt, ea videlicet ratione, quod idem magister a pueritiæ suæ tempore devotum impenderat in ipsa ecclesia famulatum, et sacros ordines usque ad diaconatum susceperat in eadem. Cumque archiepiscopus et capitulum memorati, post inhibitionem ex parte nostra ab eisdem exsecutoribus factam, præbendam, quæ tunc in Ecclesia Bituricensi vacabat, magistro P. Petit, pro suæ voluntatis arbitrio, contulissent, et idem exsecutores concessionem infirmassent eamdem, dictus magister P. Petit, et R.. procurator præfati magistri P. de Vico, ad nostram præsentiam accedentes, causam ipsam venerabili fratri nostro, Nivernensi episcopo (122), et dilectis filiis... abbati de Pratea (123), et... priori de Fonte-Mauriniacensi, de communi voluntate obtinuere committi, qui, eodem abbate nequaquam præsente, sed suam absentiam per litteras excusante, testibus hinc inde receptis, et dictis publicatis eorum, cum jam ad sententiam præpararent..... cancellarius Bituricensis, nomine capituli memorati, ad appellationis subterfugium convolavit, ad quam prosequendam, cum idem magister, non sine magnis laboribus et expensis, procuratore nemine comparente pro parte capituli, accessisset, humiliter postulabat a nobis, ut, cum Ecclesiæ Bituricensis servitiis, sicut major pars capituli affirmabat, a pueritiæ suæ tempore institisset, sacros ordines usque

A ad diaconatum suscipiens in eadem, et nos, absolute ac sine conditione aliqua, præbendam sibi mandaverimus assignari, ac in præsentia prædictorum judicum ostensum fuerit et probatum, quod pars major capituli convenerat in eumdem, quod confirmare ac ostendere nitebatur per quædam scripta, quæ in ipsius præsentia exhibuit auditoris, præbendam super qua litigatum fuerat, sibi, de solita sedis apostolicæ clementia, concedere dignaremur. Cujus denique petitioni, quia de communi assensu partium causa fuerat judicibus delegata, et ab eis usque ad testium publicationem super ipsa processum, lite pendente, ac absente parte altera, non duximus annuendum. Verum, ne idem magister in veniendo ad præsentiam nostram laborasse videretur incassum,
B per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, secundum tenorem litterarum ad dictum Nivernensem episcopum, et dilectos filios, abbatem Dolensem, et eorum conjudices obtentarum, attestationes ac rationes receptas ab eis, in causa procedere procuretis. Nos autem illos canonicos in receptione ipsius intelligimus consensisse, qui per suas nos litteras rogaverunt, ut ipsum recipi faceremus. Cæterum, quia dictum capitulum appellationem ad nos interpositam prosequi noluit, et idem magister eam prosequi procuravit, ipsum capitulum, juxta Lateranensis instituta concilii, eidem magistro in expensis legitimis, sublato appellationis obstaculo, condemnetis, reducentes in irritum, si quid... in ejusdem magistri præjudicium tenere... attentius provisuri, ut taliter mandatum
C apostolicum exsequi studeatis, quod idem magister pro defectu justitiæ non cogatur propter hoc ulterius ad sedem apostolicam laborare. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Kalend. Aprilis, anno octavo.

### XXIX

NOBILI VIRO, MATTHÆ DE ARGENT.

*Sententiam, in causa quæ inter ipsum et Joannem de Zita, super terra quadam et molendino vertebatur, a G. tituli S. Mariæ in Porticu diacono cardinali, latam, confirmat.*

(Apud S. Petrum, VII Kal. Aprilis.)

Sæpe nobis, ac sæpius replicata querela pro A... nepte tua, cujus tutelam agebas, terram et molendina
D posita in Valle rotunda, territorio Sancti Germani, a Joanne de Zita tibi cum fructibus inde perceptis restitui postulasti, asserens ipsum J. ea quondam legitime vendidisse ac tradidisse magistro Petro de Fundis, cujus hæres remanserat neptis ipsa. Joannes autem

(117) Vide epistolam lib. quinti 52, not.

(118) ..... *De Domo Dei..... De Nigro Lacu.* Sic in apographis Vaticano et Conti diserte legitur; sed veremur ne legendum sit..... *De Domo Dei de Nigro Lacu.* Monasterium enim *de Domo Dei*, unum idemque est ac monasterium *de Nigro Lacu*, alias *Nerlacense*, de quo videsis auctores *novæ Galliæ Christianæ*, tom. II, col. 195, huic monasterio præerat, tunc temporis, Willelmus, notus in instrumentis ab anno 1178, usque ad annum 1215. Vide *Gall. Christ. non.*, *ibid.*

(119) Guido, abbas Fontis Morigniaci, innotescit ab anno 1205, usque ad annum saltem 1208. Vide epistolam libri sexti 66, not.

(120) Vide epistolas, libri quinti 132, et quæ ibi adnotata sunt; 142; libri sexti, 19; 35.

(121) Vide epistolam libri quinti 72, not.

(122) Vide epistolam libri quinti 11, not.

(123) Vide epistolam libri sexti 197, not.

proponebat econtra, illam venditionem in fraudem usurarum factam fuisse, quia, cum aliter pecuniam mutuo ab eodem magistro habere non posset, conventum est aliter inter eos, ut, quandocumque tantam pecuniam restituere vellet emptori, emptor ei revendere teneretur, sicut ex postfacto apparuit. Nam idem magister, pecunia recepta quam dederat, eidem J. revendidit quæ emerat ab eodem, sicut per instrumentum publicum apparebat, quod in præsentia dilecti filii, R. (124) tituli SS. Marcellini et Petri, presbyteri cardinalis, Casinensis abbatis, judicis ordinarii, demonstravit. Sed, quia instrumentum illud suspectum aiebas, et abbas declinare ad partem tuam potius videbatur, idem J. ne gravaretur ab eo, sedem apostolicam appellavit. Tibi ergo et parti alteri in nostra præsentia constitutis, dilecto filio, II. (125) Sancti Eustachii diacono cardinale, auditore concesso, idem J. proposuit se velle testes producere, tam ad fidem instrumenti, quam seriem totius negotii plenissime comprobandam. Tu vero, ad elidendam exceptionem hujusmodi, te testibus uti velle dicebas, et sic ad... archidiaconum Aquinatem, pro recipiendis testibus utriusque partis, litteras impetrasti, a quo testibus utrinque productis, et eorum attestationibus ad audientiam nostram remissis, iterum partibus dilectum filium, O, subdiaconum et capellanum, nostrum dedimus auditorem. Qui, cum instrumenta quæ ab utraque parte receperat, de mandato nostro eidem remitteret cardinali, dictus Joannes instrumenta tua per se vel alium malitiose subtraxit, ea retinere præsumens. Absente igitur interim cappellano jam dicto, procuratori tuo et eidem Joanni dilectus filius, G. (126) sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis est datus auditor, ut causam audiret, et fine debito terminaret, in cujus præsentia procurator tuus sibi restitui postulabat quæ illi Joannes subtraxerat instrumenta. Sed Joannes constanter hoc esse falsum dicebat, et, ad suspicionem tollendam, offerebat intrepide juramentum. Nos autem, hujusmodi altercatione recepta, et cognito, tam ex relatione jam dicti cardinalis Sancti Eustachii, quam capellani ejusdem et aliorum etiam, omnia illa instrumenta ad ipsum pervenisse Joannem, præcipimus quod, nisi infra certum tempus procuratori tuo tua redderet instrumenta, condemnaretur in omnibus, ut convictus. Qui metuens, accepta dilatione, restituit non universa, sed quædam. Verum, licet videretur propter non reddita condemnandus, quia tamen sponte confiteri tenorem videbatur, eorum, interlocutum est ut, illo non obstante, super principali procederetur in causa. Ex tua igitur fuit parte propositum, quod, cum de venditione ac traditione facta jam dicto magistro constaret per publicum instrumentum, et etiam per attestationes tuas, quod procurator ipsius magistri fructus terræ, de qua quæstio agitur, ad opus hæredis ipsius magistri perceperit, et quod ipse Joannes terram illam occupaverit violenter, et perceperit fructus ex ea, molendina jam dicta, et terram, cum fructibus ac pœna inva-

(124) Vide epistolam libri quinti 108.

(125) Vide epistolam libri tertii 41, not.

(126) Gregorius Galgamus de S. Apostolo, tituli S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis, a Clemente PP. III, anno 1188, in prima creatione, renuntiatus est. Ejusdem pontificis jussu, legatione primo functus est in Gallia Cisalpina, qua in legatione, constitutiones aliquot contra hæræticos edidit. Deinde. Cœlestini PP. III jussu, in Hungaria atque (*ex Baronio*) in Germania, et sub Innocentio PP. III, iterum in Gallia Cisalpina, ut Placentinos ad satisfaciendum de injuriis Petro, tituli S. Mariæ in Via lata diacono cardinali, illatis induceret. Mortua paulo post Constantia Augusta, Siciliæ regina, quæ pupilli filii sui, Frederici regis II, tutorem Innocentium PP. III instituerat, quartam in regnum ab eodem pontifice legationem obtinuit, ut totius regni curam, et pueri pupili custodiam susciperet, atque apostolicæ sedis in omnibus vicem gereret.

Ciaconius (*Vid. Oldoin. ad Ciacon.* tom. I, col 1139.) scribit, Gregorium hunc renuntiatum esse ab Innocentio PP. III tituli S. Anastasiæ presbyterum cardinalem, et sub eodem Innocentio supremum diem obiisse. Econtra, Oldoinus, contendit frustra esse Ciaconium. Nam, ait Oldoinus, Græegorius. tituli S. Mariæ in Porticu. anno nostræ salutis 1225, sub Honorio PP. III, Innocentii successore, Honorii litteras, datas Gualterio archiepiscopo Ravennati, firmavit, ut affirmat Ferdinandus Ughellus, qui in tom. II. *Ital. sacr.* litteras illas rescripsit. Sed, pace Oldoini dixerimus, valde ipse hallucinatus est. Literæ enim quas exhibet Ughellus; *Ital. sacr.* tom. II col. 365, Honorii sunt PP. II non III, datæque fuerunt anno 1125, non 1225. Nil obstat igitur quominus Gregorius, de quo hic agitur idem sit ac Gregorius ille, tituli S. Anastasiæ presbyter cardinalis, cujus (*ex ipso Oldoino*) meminere Innocentii PP. III diplomata data anno 1216, et quem, (sed cognomine, Theodulum, non Galganum, ac velut prima vice, nulloque alio antea insignitum titulo.) tituli S. Anastasiæ presbyterum cardinalem, post obitum Rogerii (de quo vide infra, epistolam hujusce libri octavi 31) anno 1212 vel 1213, in Octava Innocentii creatione, renuntiatum fuisse refert Ciaconus, ut agnoscit ipse Oldoinus. (*Ibid.* tom. II, col. 33.) Verum, ac admissa identitate, falsum semper erit Gregorium nostrum sub Innocentio PP. III diem obiisse supremum. Græegorius enim tituli S. Anastasiæ presbyter cardinalis, (sine ipsum cognomine Galganum, et, ex tituli S. Mariæ in Porticu diacono cardinale, tituli S. Anastasiæ presbyterum cardinalem; sive cognomine Theodulum, ac primum tituli S. Anastasiæ presbyterum cardinalem, renuntiatum fuisse dixeris) vitam produxit, ut ex instrumentis compertum est, usque ad annum 1224.

Fatemur tamen aliam inesse difficultatem.

In litteris Honorii PP. II, ab Ughello *loc. cit.* recitatis, tituli S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis dicitur *Gregorius.* Verum, circa annum 1125, ante et post, hoc in tituto insignitus non *Gregorius*, sed *Romanus* reperitur, qui, teste Ciaconio, nec irrefragante Oldoino, a Paschale PP. II, tituli S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis renuntiatus, in schismate Anacleti Innocentio adhæsit, subscripsit Callisti II, Honori II et Innocentii II diplomatibus, datis pro Ecclesia Januensi, Fesulano episcopo, archiepiscopo Pisano, et episcopo Veronensis, Senas, ac Pisas se contulit una cum Innocentio PP. II, sub quo diem obiit supremum post annum nostræ salutis 1134. *Vid. Old ad Ciac.* t. I, col. 923.

Nodum istum solvere non aggredimur; satis superque forsan fuerit illum, Ciaconiique ac Oldoini hallucinationes, lectori diligenti indicavisse

sionis, tibi adjudicari debere. Joannes autem allegavit econtra, se super his debere prorsus absolvi, cum per testes suos sufficienter sit de facta revenditione probatum. Prædictus igitur cardinalis, his et alis quæ coram eo fuere proposita, diligenter auditis, præfatum Joannem in restitutione molendinorum et terræ jam dictæ, cum fructibus ab invasionis tempore de ipsa terra perceptis, per sententiam condemnavit. Nos autem, ipsam sententiam approbantes, eam auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Kalendas Aprilis.

XX.

SPOLETANO (127) EPISCOPO.

*Sententiam adversus ipsum, in causa quæ inter ipsum et syndicum Lateranensis Ecclesiæ super jure episcopali in Ecclesia de Scilian. latam, irritat.*

(Datum V Kal. Aprilis.)

Cum dilectus filius, Ja .. procurator tuus. coram dilecto filio, J. (128) Sanctæ Mariæ in Cosmedin. diacono cardinale, quem sibi et syndico Lateranensis Ecclesiæ dedimus auditorem, jus episcopale in ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Scilian. ex eo ad te assereret pertinere, quod, intra fines tuæ diœceseos constituta, non probatur exempta, et quod latam a prædecessoribus tuis sententiam interdicti commorantes inibi observarunt, ubi etiam quidam prædecessorum tuorum instituerunt abbatem, hospitia et procurationes, sicut in aliis monasteriis diœcesana sibi lege subjectis, recipientes ibidem, et hæc sufficienter idem procurator se per testes idoneos assereret probaturum; pars adversa, præter præscriptionem qua se fortius nitebatur, proponebat econtra, quod, tu, propter quoddam antiquum privilegium, tum propter instrumentum, quod prædecessor tuus Ecclesiæ Lateranensi concesserat jus quod habebat in ecclesia sæpe dicta, tum etiam quia tu ratum habueras quod idem tuus fecerat prædecessor, in nullo tibi tenebatur eadem ecclesia respondere. His igitur idem cardinalis et aliis rationibus, allegationibus et depositionibus testium utriusque partis, ea qua decuit diligentia, intellectis, nobis eadem retulit diligenter. Nos autem, attendentes quod Lateranensis Ecclesia privilegium illud antiquum, per quod eadem ecclesia proponebatur exempta, in publicum non ostendit, et instrumentum a prædecessore tuo factum non esse clericorum subscriptionibus roboratum, et præscriptio sufficienter probata non erat, instrumentum concessionis cassantes, quod tuus fecerat prædecessor procuratori tuo, in episcopali jure super eadem Ecclesia Lateranensi syndicum duximus condemnandum.

Datum V Kal. Aprilis.

XXXI.

........ ABBATI SANCTÆ GENOVOFÆ (129), ET DECANO (130), ET........ CANCELLARIO (131) PARISIENSIBUS.

*Causam inter comitisam Blesensem, et capitulum Ecclesiæ Carnotensis super latronis captura vertentem, ipsis comittit.*

(Apud S. Petrum, Kal. Aprilis.)

Dilecti filii, W. et Simon, clerici, ex parte dilectæ in Christo filiæ, nobilis mulieris, comitissæ Blesensis, ad nostram præsentiam destinati, sibi postularunt audientiam exhiberi, ut audiremus injurias quas ei et suis infert Ecclesia Carnotensis, quibus, et dilecto filio, S. de Bero, Carnotensi canonico, qui pro ipso stabat ecclesia, dilectum filium, R. (132) tituli Sanctæ Anastasiæ presbyterum cardinalem, dedimus auditorem. In cujus præsentia proposuerunt nuntii comitissæ, quod, cum ipsius comitissæ præpositus de Firmitate, de villa Nolio quemdam latronem ceperit, qui furtum commiserat, et justitia fuerit inde facta, latro fuit a comitissæ Balivis per capitulum Carnotense post factam justitiam requisitus, quia capitulum eum in terra sua captum fuisse dicebat, asserentibus Balivis econtra ipsum fuisse captum in terra in qua jus capiendi latrones et alios malefactores habet eadem comitissa, quoniam vir ejusdem, antequam signaculum crucis assumeret, erat in possessione juris illius, ut in loco illo in quo captus ab ipso capitulo dicebatur, hujusmodi jurisdictionem haberet, quod erant probare parati. Verum, cum super hoc de parendo juri sufficientem cautionem offerrent, canonici Carnotenses nihilominus terram ejusdem comitissæ fecerunt per... Dunensem archidiaconum, interdicto supponi, qui, postmodum requisiti, ut, ab eis sufficienti cautione recepta juri parendi, terram absolverent, eam recipere noluerunt, nisi prius solveretur emenda. Consequenter, venerabilis frater noster..... Carnotensis episcopus (133), super hoc requisitus, et per litteras

(127) Vide epistolam libri quinti 5, not.
(128) Vide epistolam libri septimi 27, not.
(129) Vide epistolam libri tertii 44, not.
(130) Vide epistolam libri quinti 36, not.
(131) Vide epistolam lbri quinti 98, not.
(132) Rogerius, tituli S. Anastasiæ presbyter cardinalis; post Romanum, qui eodem titulo insignitus fuerat, ab Innocentio PP. III, anno, vel 1205, menseque Martio juxta Panvinium, vel 1204, menseque Decembri, si Ciaconio fides, renuntiatus, legatione, ejusdem Innocentii jussu, in Sicilia functus est. Vir doctissimus habitus fuit; et Gregorius, abbas de Monte-Sacro (cujus opera mss. asservabantur, teste Ferdinando Ughello, in additionibus ad Ciaconium, in bibliotheca reverendissimi domini de Ruinis, nunc vero industria Complutensium ducis, apud sedem apostolicam olim Catholicis regis oratoris, in Hispaniam delata), in dedicatoria suorum operum ad Thomam, tituli S Sabinæ presbyterum cardinalem, Rogerium, tituli S. Anastasiæ presbyterum cardinalem, *Magistrum* nominat, eumdemque virum scientia clarissimum facit. Cum firmasset Innocentii litteras, missas XI Kal. Maii, anno 1205, ad Albertum, Eugubinum episcopum, et VII Id. Junii 1209, ad Michaelem, abbatem S. Michaelis Verruensis, Pisanæ diœceseos, sub eodem Innocentio, lucis usuram amisit. OLDOIN. *in Ciacon.*, tom. II, col. 19. Vide epistolam hujusce libri octavi 29, not.
(133) Vide epistolam libri 14, not.

metropolitani sui (134) monitus diligenter, ut taliter comitissæ terram absolveret, sicut de jure poterat et debebat, idem a capitulo jam dicto prohibitus, hoc facere recusavit. Dicebat enim capitulum, hoc in privilegio Carnotensis Ecclesiæ contineri, quod nemini liceat excommunicatis vel nominatim interdictis pro canonicis Carnotensibus, absque congrua satisfactione, absolutionis beneficium indulgere. Videntes autem nuntii comitissæ, quod, data cautione, absolvi non poterant, ut deberent, tam super hoc quam aliis causis inter comitissam et capitulum agitatis, metropolitani audientiam appellarunt, tam ipsam comitissam, quam terram et balivos ipsius sub ejus protectione ponentes. Interim... decanus de Castroduni comitissæ præpositum Castroduni convenit, ut res hominis cujusdam quas ceperat, B reddere vel recredere procuraret. Qui cum eas paratus esset recredere, decanus, prius litteris quibusdam inspectis, quas ex parte capituli Carnotensis receperat, noluit ut præpositus ipse res illas recrederet, sed redderet absolute; quod præpositus nolens efficere, ne jus in hoc comitissæ periret, decano inhibuit ne ultra procederet, et ad metropolitani audientiam vocem appellationis emisit, terram comitissæ et balivos ipsius suo protectione ponens ejusdem, et diem appellationi præfigens. Decanus vero, in crastinum castellanum Castriduni, sicut præpositus fecerat, requisivit, qui responso ei dato consimili, appellavit, promittens cum ipso præposito super hoc Ecclesiæ stare mandato. Decanus autem, asserens mandatum a capitulo recepisse, castrum illud in vespere supposuit interdicto. Par- C tibus itaque a metropolitano citatis et in ejus præsentia constitutis, procurator comitissæ jam dictæ pro ipsa proposuit conquerendo, quod capitulum Carnotense ea non citatam, vel requisitam in aliquo, taliter aggravabat, quod terram ejus pro qualibet causa, ea nullatenus requisita, interdicto sæpius supponebat. Conquestus est etiam, quod cum ipsa, vel ejus balivi pro causis citantur capituli coram ordinario judice responsuri, jam coguntur in capitulo respondere, et cum castrum Firmitatis injuste fuerit suppositum interdicto, ab ea nolebant de juri parendo sufficientem quam offerebat recipere cautionem, cum etiam esset probare parata, quod jure suo usa fuisset. Conquerebatur insuper, quod Castrumduni post appellationem fuerat interdictum, D et probationem idoneam offerebat, quod in capiendis rebus jam dictis jure suo usa fuerat comitissa, illo jure videlicet in cujus possessione vir erat ipsius tempore crucis assumptæ. Caterum, cum a metropolitano recepti fuerint super hoc Parisius (*sic*) quidam testes et comitissæ procurator ipsius postularet instanter, ut terram absolveret, sufficienti cautione recepta, procurator capituli dicebat econtra, quod metropolitano vel alii terram absolvere non licebat, jam dicti privilegii tenorem allegans;

A volens super hoc testes producere, sicut produxerat comitissa. Die igitur alio apud Noliacum partibus assignato, ut producerent testes et privilegium exhiberent, metropolitanus, cum partes essent in die præfixa præsentes, privilegio diligenter inspecto, testes hinc inde recepit, quibus ab officiali metropolitani examinatis ipsius, et die iterum partibus assignato, procurator comitissæ cum instantia postulabat attestationes publicari receptas, ex abundanti de juri parendo sufficientem offerens cautionem, ut relaxaretur sententia interdicti; sed procurator capituli econtrario allegabat, quod, jam dicti privilegii ratione, ab ipso terra non poterat, nec debebat absolvi, nisi prius capitulo facta fuisset emenda, interpretando verbum illud, quod in privilegio continetur, videlicet satisfactione congrua pro emenda. Litigato ergo diutius super hujusmodi clausula, interlocutus est metropolitanus jam dictus, se velle hujusmodi expositionem apostolico examini reservare, et super hoc diem pratibus assignavit, voluit tamen cognoscere per se, vel officialem suum, appellationis ratione prædictæ, utrum injuste, an juste castra illa interdicta fuissent. Instante itaque procuratore comitissæ præfatæ, ut, cautione recepta et attestationibus publicatis, relaxaretur sententia interdicti, prædictus Simon cum procuratore capituli, ut alios testes producerent ad probandum justum esse quod fecerant, inducias postulavit, quibus concessis eisdem comitissæ procurator ipsius, in die partibus super hoc assignato instante, sicut sæpius fecerat, attestationes petiit publicari et interdicti relaxari sententiam, cautione recepta. Requisitus autem procurator capituli utrum vellet per probationem ostendere, quod super hoc capitulum fecerat, esse justum, coram officialibus metropolitani jam dicti, constanter asseruit, nec aliquid se velle probare, nec etiam auditurum attestationes partis adversæ, sed ne terram absolverent appellabat, octavas Beati Martini proximo præteritas suæ terminum appellationi præfigens. Officiales, si quidem attendentes non esse appellationi hujusmodi deferendum, cautione recepta usque ad centum marcas de juri parendo, terram absolvere jam dictam. Præfatus igitur Simon, cum procuratoris litteras non habere, dilectis filiis, abbate Sancti Joannis de Valeta et Thoma, archidiacono Drocensi, fidejuribus assignatis, in centum marcarum pœna damnandis, si, quod ipse faceret, capitulum ratum habere non vellet econtra proposuit, asserens quod cum castra prædicta pro Carnotensi capitulo interdicta fuissent, coram metropolitano pro ipso capitulo fuerat allegatum, quod illius clausulæ ratione, quæ superius est expressa, terram interdictam pro ipsis absolvere non poterat, nec debebat, propter quod clausulæ interpretationem ejusdem districtioni apostolicæ reservaret, sed, volens cognoscere utrum juste an injuste latum fuerit interdi-

(134) Carnotensis Ecclesia, tunc temporis, Senonensi sedi metropolitano jure subjecta erat. De archiepiscopo Senonensi jam egimus ad epistolam libri tertii 45, not.

cum, diem partibus assignavit. Verum, cum idem in procinctu esset ad sedem apostolicam veniendi, per procuratorem capituli, magister J. officialis ipsius, quem super negotiis delatis ad ipsum deputaverat auditorem, tanquam suspectus est recusatus, propter manifestas causas, quas ipsi metropolitano non esse credebat ignotas, sed metropolitanus ipsum non removit prorsus a causa, imo ei archidiaconum Eduensem adjunxit, tunc de alio adjungendo non habita mentione, præsentibus partibus, archidiaconoque præsente ac per taciturnitatem præbente consensum. Postmodum vero, idem metropolitanus loco archidiaconi, sicut a parte altera dicebatur, Gaufridum, canonicum Senonensem adjunxit, si archidiaconus interesse non posset. Unde, procurator capituli videns præfatum magistrum, qui fuerat recusatus, et dictum Gaufridum, quem loco archidiaconi nesciebat adjunctum, ut de causa cognoscerent, residentes, asseruit se absente archidiacono respondere vel proponere non teneri, et procedere sine ipso volentibus contradixit, vocem appellationis ad sedem apostolicam interponens. Cumque legitime non constaret illum Gaufridum loco archidiaconi substitutum, per quem etiam magistri J. supressa suspicio non fuisset, nec archidiaconum interesse non posse canonice manifestum existeret, ipsi, videlicet magister J. et dictus Gaufridus, appellatione contempta, relaxarunt sententiam interdicti, cautione recepta, contra tenorem privilegii Ecclesiæ Carnotensis, in præjudicium interpretationis, cujus dies assignata pendebat. Unde, idem Simon quidquid per eos super hoc factum erat, debere dicebat in irritum revocari. Procuratores autem comitissæ jam dictæ petebant sibi quid sit satisfactio congrua, vel qualiter intelligenda sit per interpretationem apostolicam aperiri, cum hujus occasione vocabuli canonici Carnotenses, quando et quomodo volunt, comitissæ terram ejusdem interdicto supponunt, nec velint sententiam relaxari, donec procedat emenda. Insuper etiam, licet ipsa comitissa sit præsens in villa quam ipsi volunt supponere interdicto, non erit tamen vocata per ves nec citata legitime, imo, cum placet eis vocant præpositum, vel aliquem de balivis, illi dicentes: Aut tu facies ita vel nos terram interdicti sententiæ supponemus; et cum ex parte comitissæ proponatur ab eis, hoc, quod ipsi postulant, ad jurisdictionem comitissæ spectare, et se offerunt Ecclesiæ stare mandato, ipsi terram nihilominus interdicunt, ac, si quando super hoc aliquis ex parte comitissæ pro querela capituli a judice ordinario est citatus, non permittunt quod ipse respondeat, nisi in capitulo Carnotensi; unde, procuratores ipsi super gravaminibus istis et aliis eidem comitissæ postulabant justitiam exhiberi. Nos igitur, his et aliis quæ coram ipso cardinale fuere proposita, diligenter auditis, quia nobis non constitit utrum legitima fuerit appellatio, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, partibus convocatis et testibus utrinque receptis, cum nondum sit productioni testium renuntiatum hinc inde, causam ipsam sufficienter examinare curetis, eamque, sublato appellationis obstaculo, fine canonico terminare. Si vero capitulum factum ipsius Simonis ratum habere noluerit, vos fidejussores prædictos ad pœnam nominatam, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, condemnetis et faciatis quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, reducentes in irritum quidquid contra ipsam comitissam, postquam ipsius nuntii iter irripuerunt ad sedem apostolicam veniendi, ex parte capituli perperam fuerit attentatum. Ad intelligendum autem clausulam privilegii memorati, credimus distinguendum, utrum in aliquem interdicti, vel excommunicationis sententia sit prolata pro contumacia tantum, quia videlicet citatus noluit stare juri, vel etiam pro offensa, quia videlicet jussus noluit maleficium emendare. In primo casu, credimus congrue satisfieri, ut hujusmodi sententia relaxetur, si sufficiens standi juri cautio tribuatur. In secundo vero casu, si offensa est manifesta, non credimus congrue satisfieri, ut relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda. Si vero dubia est offensa, sufficere credimus ad relaxandam eamdem, si parendi mandato competens satisdatio præbeatur. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Aprilis.

## XXXII. (135).

. . . ABBATI MONASTERII SANCTI PETRI CABILONENSIS (136), EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*Recipit eos sub protectione, et enumerantur bona ad ipsos spectantia.*

(Apud S. Petrum, VI Kal. Aprilis.)

Religiosam vitam, etc. Eapropter, etc., *usque* communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem, etc. Præterea, quascunque possessiones, etc., *usque* vocabulis exprimenda; locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesias Sancti Andreæ in suburbio et S. Georgii infra muros Cabilonenses sitas, Sancti Martini de Frames, de Verdun, de Seiz, de Vosgeio; Sancti Martini de Brixia, de Longovico, de Petra, de Branges, de Joie; Sancti Desiderii, de Montaral, de Velergaudin; Sancti Vincentii in Brixia, Sancti Germani, Sancti Stepha-

(135) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.

(136) Girardus, abbas S. Petri Cabilonensis reperitur in instrumentis ab anno 1202 usque ad annum 1209 saltem. *Gall. Christ.* tom. IV, col. 963.

ni, Sancti Gervasii de Cropelis, de Cules, de Monte Sancti Martini; monasterii Capasiæ, de Rose, de Moroges, de Gambles, de Marigni Sancti Loci, de Usello, de Bassi, de Marciniaco, et ecclesiam de Nanto, cum omnibus pertinentiis et appendiliis earum; et sepulturam episcoporum, canonicorum, nobilium et aliorum civium totius civitatis Cabilonensis, sicut eam libere ac rationabiliter, hactenus idem monasterium habuit, et nunc ipsam juste et pacifice possidetis; capellam Castri de Branges; capellam de Senciot et capellam de castro Uselli; duas partes oblationum in annualibus festis in capella de Virdun, et jura parochialia quæ habetis ibidem; tricesimam partem decimarum Perreriæ, quæ est Grangia de Firmitate; duas partes mortuariorum in parochia Sancti Juliani, et duas partes oblationum in solemnitate Omnium Sanctorum ibidem; censum et alias consuetudines, quas habetis in Ecclesia de Lencheriis. Sane, novalium vestrorum (137) *q... pro m... aut... S...* colitis, sive de nutrimentis *a... u... nullis*, etc. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, etc., *usque* absque contradictione aliqua retinere. Prohibamus etiam, ut nullus in vos aut monasterium vestrum, aut personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam absque manifesta et rationabili causa promulgare præsumat. Ad hæc, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne ullus infra fines parochiæ vestræ, sine diœcesani episcopi et vestro assensu, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Obeunte vero te, etc., *usque* providerint eligendum. Libertates præterea, etc., *usque* sancimus. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconi cardinalis, VI Kalendas Aprilis, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1205 (138), pontificatis vero domini Innocentii papæ III anno octavo.

### XXXI.

. . . WIGORNIENSI (139) EPISCOPO, ET ABBATI CICESTRENSI, ET DECANO EBORACENSI (140).

*Super ecclesia de Wdehord nepoti episcopi Albanensis assignanda.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Aprilis.)

Gravem nobis dilecti filii... prior et conventus de Tinem (141) transmisere querelam, quod, cum ecclesia de Wdehorn pertineat ad præsentationem

A ipsorum venerabilis frater noster... Dunelmensis (142) episcopus, post reclamationem et appellationem ab eis ad nos interpositam, dilectum filium... nepotem venerabilis fratris nostri, J. (143), Albanensis episcopi, præsumpsit instituere in eadem occasione cujusdam nostri mandati, quod propter tacitam veritatem meruit de certa scientia revocari, quamvis prædictus prior, propter litteras comminatorias a venerabili fratre nostro, Eliensi (144) episcopo auctoritate nostra dilecto filio... abbati Sancti Albani (145), directas, eum præfato Dunelnensi, episcopo, contradicente conventu, per litteras ejusdem abbatis sui coactus præsentaverit et invitus, ita quod illi præsentationi conventus nunquam voluit adhibere consensum; sed potius contra-
B dixit. Unde suppliciter postulabat ut quod taliter actum fuerat dignaremur irrevocabiliter irritare. Verum, dilectus filius Wiscardus, procurator memorati nepotis episcopi Albanensis, coram dilecto filio... Sancti Eustachii diacono cardinale (146), quem ei concessimus auditorem, proposuit quod, cum ipse, prætermisso juris ordine, fuisset jam dicta ecclesia per violentiam spoliatus, antequam restitutionis beneficium obtineret, in præjudicium ejus præfati monachi super hujusmodi petitione non debeant audiri, sed, cum restitutionis gratiam impetrasset, paratus erat eis justitia plenitudinem exhibere. Nos igitur, uni gratiam et altari justitiam exhibere volentes, dicto abbati Sancti Albani, qui prædictam ecclesiam nostri detinet auctoritate
C mandati, per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictam ecclesiam ex parte nostra nepoti sæpedicti Albanensis episcopi recommendatam a nobis assignet, ita, quod ipse proventus ex Ecclesia sibi recommendata percipiat, eamque sine præjudicio prioris et conventus de Tinem. custodiat et gubernet. Postquam autem eamdem ecclesiam obtinuerit recommendatam, vos, partibus convocatis, audiatis, tam super possessorio quam super petitorio, quæ fuerint hinc inde proposita, et, Deum habentes præ oculis, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, quod justum fuerit statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Si qua vero partium... testes, etc., nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes... tu, frater episcope, cum eo-
D rum altero, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IX Kalendas Aprilis.

—

(137) Sic in apographo Vaticano.

(138) Forte 1204.

(139) Vide epistolam libri quinti 23, not.

(140) Vide epistolam libri quinti 54, not.

(141) Agitur hic de monasterio Tinumetensi, in agro Northumbrensi, cella de S. Albano. Plures ad hoc cœnobium spectantes chartæ exhibentur in *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 33 et seqq. sed in lis nihil de Ecclesia de qua hic igitur.

(142) Vide epistolas libri quinti 57 et 135, not.

(143) Vide epistolam libri septimi 3, not.

(144) Vide epistolam libri quinti 54, not.

(145) Vide epistolam libri sexti 204, not.

(146) Vide epistolam libri tertii 41, not.

XXXIV (147).

..... ELIENSI EPISCOPO (148), ET ARCHIDIACONO DE CANTABRUGE, ET PRIORI DE BARNOETA ELIENSIS DIOECESEOS.

*Causam matrimonialem ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, v Id. Aprilis.)

[Accedens ad præsentiam nostram *Juliana* (149) mulier, *lacrymaliter* proposuit *coram nobis*, quod, cum W. vir ejus, Eliensis *diœceseos*, eam sibi *legitime* matrimonio copulasset, *et, per viginti fere annorum spatium eidem cohabitans, prolem suscepisset ex ea*, volens tandem idem vir habitum assumere regularem, postulabat humiliter ab eadem ut tam pio proposito faveret ipsius. Quæ propter multa verbera, et *aliarum molestationum* gravamina, quæ dictus vir inferebat eidem, se ipsam asserens dimissurum, annuit votis ejus. Cumque idem vir ad domum de (149*) *Wardon* (150), ordinis Cisterciensis, *accedens, ibi* religionis habitum assumpsisset, mulier *ipsa se ad domum transferens* (151) monialium, nullo ibi habitu religionis assumpto, vel voto conversionis emisso, permansit *ibidem*; *cui pro labore manuum suarum eædem moniales vitæ necessaria ministrabant*. Processu vero temporis, cum idem vir ad sæculum rediens, religionis habitum reliquisset, et eadem mulier se instanter ab *eo peteret* (152) reassumi], *ipse, illam recipere penitus contradicens, præter verbera, quibus sæpius affecit eamdem, sibi convitia plurima et graves injurias irrogavit*. Quocirca, discretioni vestræ *per apostolica scripta* mandamus, quatenus, si res ita se habet, *et dicta mulier illius ætatis existit ut de lapsu carnis ipsius merito valeat dubitari*, dictum virum, ut eam recipiat eique affectum exhibeat conjugalem, *monitione præmissa per censuram ecclesiasticam*, appellatione remota, cogatis]; nullis litteris, etc. Quod si non omnes, tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Idus Aprilis.

XXXV (153).

..... DOLENSI EPISCOPO (156), ET..... DE SAVIGNEIO (155), ET..... DE ARDENA (156) ABBATIBUS.

*Causam electionis episcopi Bajocensis ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, x Kal. Maii.)

[Auditis, et intellectis meritis causæ de duabus electionibus celebratis in ecclesia Bajocensi (157), *una de Roberto* (158) *archidiacono* (159), et *altera de magistro Roberto*, invenimus utramque contra formam canonicam attentatam. Cum enim, inquisitis voluntatibus singulorum..... Decanus (160) cum paucioribus in *Robertum* (161), et cantor cum pluribus in *W.* archidiaconum convenissent, solo *cantor* magistrum Robertum de *Ablegiis* nominante, ad nostram fuit audientiam appellatum, ne decanus, qui primam in electione vocem habebat, ad electionem procederet sine consensu totius capituli, vel majoris et sanioris partis ipsius, *ut discordiæ janua quæ jam videbatur aperta per appellationis obstaculum clauderetur* (162), Ipse vero

(147) Reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 32, *De conversione conjugatorum*, cap. 17. Quæ Italico charactere distinguuntur, in Decretalibus desunt, seu varias lectiones indigitant.

(148) Vide epistolam libri quinti 54, not.

(149) In Decretal. *J.*

(149*) Wardonensi abbatia, in agro Bedfordensi, fundata anno 1136. Vid. *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 784, col. 2, lin. 10.

(150) Decretal., *Vader.*

(151) Decretal., *in domo* loco *i. s. a. d. t.*

(152) Decretal., *ipso petiit.*

(153) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. I, tit. 6, *De electione et electi potestate*, cap. 29. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(154) Vide epistolam hujusce libri octavi 17, not.

(155) Guillelmus *de Douvres*, in monasterio de Savignejo, XXI annis pedum tenuit, ab anno scilicet 1187, usque ad annum 1207, quo obiit, IV Id. Octobris, ex chronico Gofferni, seu 10 Aprilis, ex Saviniacensi. *Gall. Christ. nov.* tom. XI, col. 547.

(156) Robertus I, monasterii de Ardena abbas secundus, ab anno 1180, usque ad annum 1206, quo ad ordinis apicem assumptus est, in instrumentis innotescit. *Id. ibid.* col. 459.

(157) Vacabat tunc temporis Bajocensis ecclesia per obitum Henrici II, qui, ex decano Saresberiensi, factus episcopus Bajocensis, anno 1164, vitam cum morte commutaverat hoc ipso anno 1205. uti habent chronica S. Stephani Cadomensis.

(158) *Una de Roberto archidiacono, et altera de magistro Roberto.* Sic diserte legitur in apographis Vaticano et Conti; sed veremur ne utrobique mendose. Triplicem electionem, 1 de Guillelmo, canonico de Pezerollis, 2 de Ricardo, postea decano, 3 de Roberto, filio Droconis, canonico Bajocensi, celebratam fuisse dicunt auctores supra laudati novæ Galliæ Christianæ (*ibid.*, col. 336). Duplicem tantummodo fuisse ex nostra Innocentii epistola evincitur. Sed, quem hic initio *Robertum archidiaconum*, mox emdem *W. archidiaconum* vocat, nec de Ricardo decano, velut etiam electo, verbum facit.

Cassata, de qua hic agitur, seu triplice, ut volunt auctores *Galliæ Christianæ*, seu tantummodo duplice, si potiori Innocentii epistolæ auctoritati deferre velimus, electione, Robertum, rursus electum majore suffragiorum numero, a summo pontifice confirmatum fuisse, tradunt sæpefati auctores, et ad Ecclesiam Rothomagensem missum ut ibi ordinaretur, quod quidem v Kal. Martii 1205, id est 1206, successisse affirmant. De cæteris vide *Gall. Christ*, *ibid.*

(159) In Decretal. *unum de Gu. archidiac.*, et mox, *alteram de M. R. subdiacono.*

(160) Notanda quæ de decano Bajocensi referunt auctores supra laudati (*ibid.* col. 399); nemque enim satis concinit hæc Innocentii epistola.

« VII. Richardus II, *de Rohan*, aut *de Rohon*, forte *Botion*, in actis capituli annis 1205 et 1207 capellanus et decanus audit. Querelam habuit cum parocho S. Matris Ecclesiæ, pro decimis ejusdem ecclesiæ, cujus arbitros instituit Innocentius III abbatem Vallis Richerii, et archidiaconum Bajocensem. Electum dicunt episcopum anno 1205 Richardum majori suffragiorum numero cessisse; et decessisse anno 1213. »

(161) Decretal., *ipsum R.*, et mox, *dictum Gu. archidiaconum*, pro *W.* Decretal. add. *quemdam alium, videlicet*, et mox *Algediis* legit pro Albegiis.

(162) Hæc desunt in Decretal., ut verba *electionem* et *statim*, infra.

decanus, non habito consensu majoris partis capituli, sed longe minoris, subito in electionem prorupit, appellans ne quis contra ipsam *electionem* aliquid attentaret, quamvis assereret, quod electioni factæ *statim* plures alii consenserunt, cum tamen ex postfacto nequiverit convalescere, quod ab initio non valebat, quoniam electio, quæ fuerat irrita ipso jure, subsequentem consensum (162), appellatione pendente, non poterat esse rata. Eis igitur ad propria recedentibus, cantor et alii, qui remanserunt in capitulo post illam electionem nondum cassatam, et appellationem ad nos interpositam, a nominatione W. archidiaconi recedentes, de novo *magistrum Robertum absque Romani pontificis, vel etiam metropolitani proprii conscientia, cum subd. esset, præsumpserunt non solum eligere*], verum etiam, pulsatis campanis, cum processione solemni, cantando hymnum, in Ecclesiam deportare. Nos igitur, his et aliis, quæ coram nobis fuere proposita, diligenter auditis, de communi fratrum nostrorum consilio [electionem utraque duximus irritandam]. Per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus post redditum decani, archidiaconi et magistri Roberti Balbi, aliorumque canonicorum Bajocensis Ecclesiæ, qui ad nostram præsentiam accesserunt, duorum mensium spatium capitulo indicatur, infra quod personam idoneam per electionem canonicam sibi præficiant in pastorem. Alioquin, extunc, ne gregi Dominico diu desit cura pastoris, vos, auctoritate nostra suffulti, omni appellatione cessante, talem eis personam in episcopum concedatis, quæ tanto congruat oneri et honori; contradictores, etc. Quod si non omnes... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, x Kalendas Maii, anno octavo.

### XXXVI (164).

DUCI ANDRÆÆ REGNI HUNGARIÆ GUBERNATORI.

*Respondet litteris ipsius, et Ladislaum regem puerum pupillum et nepotem suum, ipsi commendat* (165).

(VII Kal. Maii.)

Post obitum inclytæ recordationis Henrici, regis Hungariæ, fratris tui, litteras tuæ devotionis primitias gratanter et benigne recepimus, quæ, cum essent ejusdem regis insignitæ sigillo, novitati tuæ non falsitati petebas a nobis ascribi, in quibus continebatur expresse, ut tuis verbis utamur, quod, cum, ex regis ipsius dispositione, ob teneram filii ejus regis Ladislai ætatem, pueri curam et regimen regni susceperis, promptam geris voluntatem, quæ bene constituta sunt observare, et quæ per ipsum regem laudabiliter noveris inchoata, quantum in te est, feliciter effectui mancipare. Nos igitur, intentionis tuæ sinceritatem in Domino collaudantes, [regem ipsum puerum, cui fidelitatem fecisse dignosceris, promissione facta super administratione regni ac tutela suscepta de ipso, tuæ provisionis industria attentius commendamus, ut nomini tuo præconia veræ laudis accrescant, cum idem rex benignum patrem in patruo, et protectorem propitium invenerit in patrono, et ab altissimo Rege, cui puero reges venientes de Saba plena devotionis munera obtulerunt, salus tibi proveniat et remunerationis æternæ corona. Nec contra ipsum regem, nepotem tuum, pravas aliquorum suggestiones admittas, cui, tanquam filio, pro patre teneris adesse, quem, cum sit parvus et puer, tanto debes chariorem habere, ac pro eo regni negotia diligentius procurare, quanto propensius impensa sibi beneficia recognoscet, cum, auctore Deo, adultam pervenerit ad ætatem, qua se patrem non perdidisse cognoverit, sed mutasse.

Datum VII Kalendas Maii.

### XXXVII (166).

EIDEM.

*Ut pecuniam quam defunctus rex quibusdam reliquerat, erogandam curet.*

(VII Kal. Maii.)

Post obitum, etc., *usque* mancipare. Accepimus autem, charissima in Christo filia..... regina Hungariæ, referente, quod, cum, prædictus rex frater tuus, in ultimis laboraret, coram venerabili fratre nostro, archiepiscopo Colocensi et quibusdam aliis principibus regni, de pecunia, quam in monasterio de Pelle, habebat, ita disposuit, quod duas partes ejusdem fratres domorum Templi et Hospitalis haberent in subsidium terræ sanctæ, et tertia ejus filio conferretur. Cum ergo te deceat voluntatem illius ultimam adimplere, nobilitatem tuam monemus attentius et hortamur, per apostolica scripta mandantes quatenus juxta dispositionem regis ipsius pecuniam illam facias erogari.

Datum VII Kalendas Maii.

### XXXVIII (167).

EIDEM.

*Ut redditus quos regi, reginæque matri ipsius promiserat, persolvat.*

(VII Kal. Maii).

Post obitum, etc., *usque* mancipare. Cum autem eidem regi et charissimæ in Christo filiæ... reginæ, matri ejus, post fratris tui decessum, quosdam redditus, sicut accepimus, promiseris te daturum, monemus nobilitatem tuam et exhortamur attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus illos ei facias cum integritate persolvi, ut circa eos, et te patrem exhibeas et patronum, tibique propter hoc et præmium salutis æternæ proveniat, et favor humanæ laudis accrescat, tum te pium et benignum habuerit, ubi pius et benignus teneris adesse.

Datum XII Kalendas Maii.

(163) Decretal. add. *maxime*, et infra *præfatum subdiaconum eligere præsumpserunt* legunt pro *m. R. a. R. p., v. e. m. p. c. c. s. e., p. n. s. e.*

(164) Majorem epistolæ hujus partem exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 54.

(165) Vide epistolam libri septimi 226.

(166) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55.

(167) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55.

XXXIX (168).

EIDEM, ET UNIVERSIS PRINCIPIBUS IN REGNO CONSTITUTIS EODEM.

*Ita pueri regis curam eos gerere monet, ut regias possessiones nulla ratione abalienare audeant.*

(VII Kal. Maii)

Post obitum inclytæ recordationis Henrici, regis Hungariæ, fratris tui, fili dux, litteras tuæ devotionis, etc., *usque* mancipare. Ut igitur eidem regi regni jura integra conserventur, nos, qui apostolatus officio tenemur tueri pupillum, cum illius, quamvis indigni, vices geramus in terris, cui dicitur per Prophetam: Pupillo tu eris adjutor, obsecramus in Christo Jesu qui venturus est judicare vivos et mortuos, et auctoritate præsentium sub obtestatione divini judicii districtius inhibemus, ne, dum idem rex fuerit in ætate minori, alienentur regalia in detrimentum ipsius, sed ad ea fideliter conservanda diligens studium impendatis et operam efficacem.

Datum, VII Kalendas Maii.

XL. (169).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, CÆTERISQUE PRÆLATIS, ATQUE PRINCIPIBUS, CLERO, ET UNIVERSO POPULO REGNI HUNGARIÆ.

*Fidem regi servare omnino jubet.*

(Apud S. Petrum, VIII Kal. Maii.)

Post obitum inclytæ recordationis Henrici, regis Hungariæ dilecti filii nobilis viri, ducis Andrææ, fratris ipsius, litteris suæ devotionis, etc., *usque* mancipare. Ut igitur erga regem ipsum, qui post patris decessum vobis dominus remansit et hæres, fidelitatis constantiam observeris, auctoritate vobis præsentium districtius inhibemus, ne cui contra coronam ipsius consilium vel auxilium impendatis, sed resistatis omnino, regis defendentes honorem, si quis forsitan contra eum agere tentaret.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Kalendas Maii.

XLI (170).

.....COLOCENSI ARCHIEPISCOPO, ET..... EPISCOPO WARADIENSI.

*Ladislai regis ac reginæ familiæ molestiam exhibentes compescendi provinciam injungit.*

(Datum V Kal. Maii.)

Cum sit regi tanquam præcellenti, juxta verbum Apostoli, deferendum, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eos, qui charissimi in Christo filii nostri, Ladislai regis, et... reginæ matris ipsius familiam, sive clericos eorumdem indebite molestare præsumpserint, tam in possessionibus quam redditibus, regio non deferentes honori, cum familiam et clericos ipsos sub nostra et apostolicæ sedis protectione velimus consistere, a præsumptione sua per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis.

Datum V Kalendas Maii.

XLI (171)

SUFFRAGANEIS ECCLESIÆ COLOCENSIS.

*In fide pueri regis permanere imperat.*

(VII Kal. Maii.)

Ut sitis in fidelitate constantes, et integritatem famæ vestræ conservetis illæsam, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, in omnibus quæ ad tuitionem charissimi in Christi filii nostri Ladislai, regis Hungariæ, ac... reginæ matris ejus et regni pertinent venerabili fratri nostro ... Colocensi archiepiscopo fideliter assistatis, ut inde retributionem a Domino, et grates a nobis obtinere possitis.

Datum VII Kalendas Maii.

XLIII (172).

M. ABBATISSÆ, ET SORORIBUS DE GANDERSHEIM (173).

*Privilegia ipsis ab Agapito PP. II, et Joanne PP. XIII concessa, renovat et confirmat; inseruntur pontificum diplomata.*

(Apud S. Petrum, VI Non. Maii.)

Cum Christus sit veritas, nos, qui, licet indigni, locum ejus tenemus in terris, veritati debemus testimonium perhibere, cum et ipse de se dixisse legatur: *Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (*Joan.* XVIII) Ex parte siquidem vestra fuit olim a nobis humiliter postulatum, ut personis aliquibus scriberemus, qui privilegia ecclesiæ vestræ concessa inspicerent diligenter. quæ, tum quia sunt vetustate consumpta, tum quia monasterii vestri continent libertatem, propter viarum discrimina timebatis ad nostram præsentiam destinare. Nos autem, postulationi vestræ benignum impertientes assensum, quatuor episcopis, totidemque abbatibus duximus injungendum, ut, ad vestram ecclesiam accedentes, studiose inspicerent vestræ privilegia libertatis, et eorum rescripta fideliter ad nostram præsentiam destinarent, sigillorum suorum munimine roborata. Qui, nostro, sicut ex litteris ipsorum accepimus mandato parentes, privilegia bonæ memoriæ Agapiti et Joannis, prædecessorum nostrorum, sibi

(168) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55.
(169) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55.
(170) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55.
(171) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55.
(172) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.
(173) « Regium omnino virginum Benedictinarum cœnobium, in ducatu Brunsvicensi situm, quod sub A. C. 842 Leutolphus, magnus dux Saxonum, condidit, S. Altfridus, Hildesheimensium episcopus, dotavit, et exin maximi Cæsares opibus et favoribus mire extulerunt. Submisere se in hoc cœnobio Augusti sanguinis plurimæ principes, et abjectæ esse in domo Dei elegerunt, tanta contentione admitti cupientes, ut, plurimus sæculis, nemini nisi maximis principibus accessus pateret; Otho imperator II binas filias, Sophiam et Adelhaidem, ibidem consecraret, ipsius fundatoris filiæ memorabili exemplo, tres ibidem se includerent Brunsvicenses; denique aliæque Saxoniæ principes adeo portas sancti cœnobii illius exambirent, ut amplissimos, præ illius vitæ professione, principatus contemnerent; in quo egregia cum primævo fervore viguit disciplina, donec, superiore sæculo, in præceps omnia ruerent, sacrumque et profanum miscerentur, hoc denique alterum devoraret. » BUCELIN, *German. sacr.*, part. II, pag. 17.

præsentata subtiliter inspexerint, et, tenorem eorum fideliter conscribentes suis consignavere sigillis nostro conspectui præsentandum. Venerabilis etiam frater noster, G. (174) ... nunc Remensis archiepiscopus, tunc vero episcopus Prænestinus, in partibus illis officium legationis exercens, tibi, filia abbatissa, cum tunc temporis esses electa, munere benedictionis impenso, tenorem privilegiorum ipsorum in scripto redegit, ipsumque proprio sigillo munitum nostro decrevit conspectui præsentari. Nos igitur, tam eidem legato, quam inquisitoribus ipsis, cum rescripta illorum in omnibus concordarent, fidem debitam adhibentes, et attendentes nihilominus, quod monasterium ipsum in libro censuali Cameræ nostræ inter cætera monasteria libera et exempta dignoscitur adnotatum, et quod etiam nobis et successoribus nostris in duabus stolis albis, quæ auro sint, ad pondus bisantiorum triginta, contextæ, annis singulis teneatur, privilegium prædicti Joannis, ne possit super hoc veritas deperire, præsenti pagina duximus inferendum. *Joannes* (175) *episcopus, servus servorum Dei, meritis et sanguinis claritate rutilanti dilectissimæ nobis in Christo filiæ Gerbergæ, venerabili abbatissæ monasterii beatorum confessorum Innocentii et Anastasii, quod Ganderseim nuncupatur, atque posteris suis in perpetuum. salutem, benedictionem apostolicam. Si piis votis ac petitionibus assensum præbemus, omnipotenti Deo nos placere credimus. Quapropter, universis sanctæ catholicæ Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris notum esse volumus, quod in synodo, quæ apud corpus beati Petri apostolorum principis acta est in mense Decembris, et indictio* XI (176), *amabiles Deo ac spirituales filii nostri, Otto major et minor, serenissimi imperatores Augusti, apostolicam paternitatem nostram humiliter supplicare dignati sunt, coram archiepiscopis et episcopis, videlicet Italicis et Ultramontanis numero triginta et sex, quatenus præfatum monasterium Ganderseim, quod constat esse sub tuæ filiationis regimine, situm in regno citerioris Saxoniæ, ad honorem prædictorem confessorum Christi Innocentii et Anastasii, auctoritatis nostræ præsidio muniremus, et sub tuitione jureque S. sedis apostolicæ perpetim susciperemus. Quorum piis congaudentes petitionibus, alacri mente id fieri decrevimus, præcipientes ex ea, qua, vice clavigeri cœlestis regni, fulcimur auctoritate, ut prænominatum ven. cœnobium nemo unquam sæcularium possideat, neque ex decimis et possessionibus ejusdem quidquam sibi aliquis usurpet, non rex, non marchio, non comes,*

(174) Vide epistolam libri septimi 116, not.

(175) Joannes XIII, Romanus, Joannis episcopi filius ex legitimo matrimonio creatus, episcopus Narniensis, imperatore Othone magno, pontifex creatus VI Nonas Octobris, anno 965, sedit annos sex, menses undecim, dies quinque. Obiit Romæ VIII Id. Septembris 972); sepultus in basilica S. Pauli apostoli, extra urbem via Ostiensi. GIACON. tom. I. col. 725.

(176) Locus potatu dignissimus, et omnino conferendus cum his quæ in Annalibus Italiæ celeberrimi Muratorii leguntur, tom. V, part. II, ad annum 907, pag. 233. « Non ha conoscinto il cardinal Baronio, e ne pur altri, fuorche il Sigonio, un concilio di assaissimi (*numero* 36 *congregatos fuisse ait ipse pontifex*) Vescovi Italiani ed Oltramontani, celebrato sul principio di quest anno (967), *sed hic difficultas inest quam mox indicabimus*), in Roma da papa Giovanni XIII. D'esso ci ha conservata memoria un diploma di Ottone' il grande, con cui vengono confermati tutti suoi benie privilegi all'insigne monastero di Subiaco. (Vide *Antiquit. Italic. med. ævi*, tom. V, col. 465.) Dice ivi l'imperadore che Giorgio, abbate di Subiaco, *venit in gremium Basilica B. Petri apostolorum principis, ubi cum domno Joanne XIII, papa, sanctæ Synodo pro utilitate ejusdem ecclesiæ et venerabilium locorum intereram us. circumsedentibus cum Ravennate archiepiscopo plurimis episcopis ex Romano territorio, atque Italia et ultramontano regno, nec non præsente Capuano principe, qui et Marchio Camerini et Spoletini ducatus*..... Del suddetto concilio Romano si ha anche da intendere il Dandolo, (Vide *And. Dand. Chron.* Lib. VIII, cap. 14, part. XVII, *Rer. Italic. script.* tom. XII, col. 509) allorche scrive, che Pietro Candiano VI. doge di Venezia nell'anno nono del suo ducato cioe nel presente, mando per suoi ambasciatori Giovanni Contareno, e Giovanni Venerio, diacono, *Joanni papæ et Ottoni imperatori Romæ existentibus in Synodo ibi congregata*..... »

Hactenus clarissimus Italiæ annaslista; cui quidem, quoad celebrationem synodi Romanæ, bellissime et apprime concinit Joannes ipse PP. XIII in hoc, quod hic exhibetur, indubitatæ fidei pontificio diplomate. Verum, dubitamus an æque conciliari possint ejusdem diplomatis notæ chronologicæ cum notis chronoligicis diplomatis Ottonis, quod exhibet idem auctor *loc. cit.*

Synodum illam Romanam, de qua tam altum silentium præferunt scriptores ecclesiastici. (Vide BARONIUM, t. X, *ad annos* 966, 967, 968, pag. 778 *usque* 779; PAGI *Critica Histor. chron.*, tom. IV, pag. 14 usque 21; HARDUINUM *Act. concil.*, tom. VI, part. I, col. 643 *usque ad* (682) actam esse *in mense Decembri, indictione undecima* (XI), diserte affirmat ipse pontifex initio diplomatis, eamdemque notam chronologicam in fine repetit. Ac, ne erratum ab amanuensi fuisse putemus, in subscriptione scriniarii S. R. Ecclesiæ, reperitur eadem (mensis *Decembris*), et indictionis (XI, *undecimæ*) nota; in altera vero subscriptione bibliothecarii S. sedis apostolicæ, non tantummodo tertia vice replicatur eadem nota, sed et additur altera, *anno imperii majoris* (*Ottonis*) *sexto, minoris vero primo*, qui quidem annus apprime cum indictione undecima, nec non cum anno 967, juxta Chronologistarum, (Vide *l'Art de vérifier les dates, nouv. édit.* tom. I, pag. 20) ipsiusque Italiæ annalistæ computum, coincidit. Verum, diplomata Ottonis, quod exhibetur in *Antiq. Italic., loc. cit.* has diserte chronologicas notas præfert: *Data* III *Idus Januarius, anno Dominicæ Incarnationis* 967, *imperii vero domini Ottonis piissimi Cæsaris* V, *indictione* X, *Actum Romæ in Dei nomine feliciter Amen.*

Ad solvendam hujusmodi difficultatem nos accingere, ex instituti nostri ratione non est. Imo, fortasse longius in hisce notandis immorati sumus. Sed res alicujus momenti visa fuit, nec indigna quæ studiosiorem aliquantulum detineret lectorem; cum, præsertim, ageretur et de synodo, cujus, non solummodo acta aut periere prorsus, aut adhuc latent omnino anecdota, sed et ipsa celebratio fere omnibus historicis incognita fuit, et de pontificio ac imperatorio diplomatibus, quorum pontificium, indubitatæ omnino fidei, nunc primum prodit in lucem, imperatorium vero, erroris in notis chronologicis ex altero manifeste arguitur.

*non episcopus, nec quilibet princeps quacunque potestate præditus, nisi forte tuendi ac defendendi causa, et hoc non nisi tua, et ejus, quæ pro tempore regularis fuerit abbatissa, sobria fiat permissione. Esto igitur ad laudem omnipotentis regis abbatissa ejusdem monasterii, et subditas tibi sorores ad cælestis patriæ gaudia expetenda instigare prudenti magisterio non cesses. Sit semper eisdem sororibus facultas, sive licentia, ex ipsa sua congregatione, post obitum abbatissæ, aliam sibi matrem, secundum regulam suam, substituere, et quam digniorem viderint, pari animo et consensu, habeant potestatem eligere. Confirmamus vero et corroboramus ipsi sancto monasterio omnes res et possessiones mobiles et immobiles, quas nunc habet, et in antea, Deo opitulante, habere debet, quolibet jure acquisitionis, ita ut, amodo et usque in finem sæculi, licenter eas teneat et possideat, omnium hominum contradictione remota. Si quis autem contra hujus nostri apostolici privilegii tutelam agere tentaverit, et ex his quæ a nobis decreta sunt, aliqua pervertere molitus fuerit, hunc cum auxilio sanctæ et individuæ Trinitatis, et interventu beatæ Mariæ semper virginis, omniumque sanctorum, ex auctoritate beatissimi Petri apostolorum principis, cum assensu comprovincialium pontificum et omnium hujus nostræ sanctæ sedis suffraganeorum episcopornm, excommunicamus, et, a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, omniumque Christianorum societate separantes, perpetualiter anathematizamus. Scriptum per manum Stephani, scriniarii sanctæ Romanæ Ecsiæ, in mense et indictione supra dicta* XI, † *Bene valete.*

*Datum, Kalendis Januarii, per manus Guidonis, episcopi Sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ, et bibliothecarii sanctæ sedis apostolicæ* (176), *anno, Deo propitio, pontificatus domini Joannis summi pontificis, et universalis tertii decimi papæ, in sacratissima sede beati Petri apostoli, tertio, imperatoribus serenissimis dominis Ottone majore et minore, anno imperii majoris sexto, minoris vero primo, in mense et indi-*

A *ctione* XI. Quia vero privilegium memorati prædecessoris nostri Agapiti papæ (177), plenius videtur exprimere ipsius monasterii libertatem, nos ad veritatis notitiam pleniorem, capitulum illud, quod ad libertatem pertinere dignoscitur, de verbo ad verbum huic paginæ duximus subscribendum *Quia*, inquit, *postulavit a nobis Ademarus, venerabilis abbas* (178), *ut per ejus interventum, atque deprecationem, nostrum monasterium Ganderseim, situm juxta fluvium Echernan, apostolica auctoritate vobis confirmaremus, ut sub jurisdictione Sanctæ Mariæ, cui, Deo auctore, deservimus, Ecclesiæ constitutum, nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur; pro qua re, piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur, effectui mancipamus, et ideo omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem, in præfato monasterio ditionem quamlibet habere, auctoritate nostra, præter sedem apostolicam prohibemus. Auctoritate namque beatissimorum apostolorum Petri et Pauli jubemus, ut nullus rex habeat licentiam nostrum monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto juxta id, quod subjectum apostolicæ sedi firmitate privilegii consistit inconcusse ditatum permaneat, locis ac rebus tam his, quas moderno tempore habet vel possidet, quam quas futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augere ex donis, oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur.* Prohibemus igitur ne quis vos aut monasterium vestrum contra tenorem privilegiorum suornm audeat indebite molestare. C Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, etc., *usque* incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Non. Maii.

—

(176*) « VIII Tidonis (pro *Guidonis*)..... episcopi Portuensis et Sylvæ-Candidæ, et S. R. E. bibliothecarii, meminere Ferdinandus Ughellus in *Italia sacra*, et Marius Vipera in chronologia archiepiscoporum Benevantanorum. »

Sic habet Ciaconius, tom. I. col, 730. Ughellus equidem alterum Joannis PP. XIII diploma refert, in Ecclesiæ Beneventanæ, Landulfique antistitis favorem elargitum, cui subscripsit Guido noster; et hoc diploma legere est apud ipsum, in chronologicæ serie Beneventanorum præsulum, *Ital. sacr.* tom. VIII, col. 92, ubi illud *accuratissime cum suo exemplari collatum subnectere judicavit.* Et in fine diplomatis diserte legitur: *Datum* VII *Kal. Junii, per manum* Guidonis (non vero *Tidonis*), *episcopi Sanctæ Sylvæ Candidæ Ecclesiæ, et biblioth. S. sedis apostolicæ*, etc; idemque Ughellus in chronologica episcoporum Sylvæ Candidæ serie (*ibid.* tom. I, col. 108), Widonem, non Tidonem, versus annum 963, ex Luithprando Ticinensi, lib. VI, cap. 6, memorat. Vide *Luithpr. Ticin.*, lib. VI, cap. 6, tom. II, *Rer. Italic. script.* part. I, pag. 472. col. 2 lit. *D.* ubi *Wido*, non *Tido*, episcopus Sylvæ Candidæ dicitur.

(177) « Agapetus II (hic enim agitur de Agapeto II, non I) junior, Romanus, imperatore Othone magno Saxone Augusto, sedit annos novem, menses sex, dies decem, creatus XV Kal. Junii anni 946... Bonis operibus plenus et de omnibus bene meritus, honorifice Romæ obiit, VI Kal. Januarii, ineunte anno Domini 956. Corpus ejus sepultum est in basilica Lateranensi. » CIAC. tom. I, col. 711.

(178) Ademarus, seu Hademarus, Germanus, Ful- D densis abbas, ordinis S. Benedicti, et S. R. E. cardinalis, hoc sæculo floruit. Vir pietate ac doctrina clarus, qno nomine principibus charus. Romam ad Agapetum pontificem, a S. Brunone Coloniensi antistite, impetrandi pallii causa missum, rediisse ingenti populi Agripinensis gratulatione, pallio non solum cum amplissimo privilegio impetrato, sed importatis quoque de S. Pantaleonis martyris proprio corpore sacratis reliquiis, auctor est Rogerius in Vita ejusdem sancti. Cardinalium fertur numero ascriptus, in Chronico mss. S. Uldralrici Augustani. Reversus in Germaniam, peste moritur anno Christi 956. In occidentali coro Fuldensis sepulcrum supra S. Bonifacii cryptam accepit. De eo plura Witichindus, monachus Corbiensis, *In gestis Othonis imperatioris;* Sigibertus, *ad annum* 953; Baronius, *Annal.* tom. X.

XLIV.

PIGAVIENSI (179) GOLREIESI (180), ET... DE LAPIDE S. MICHAELIS (181) ABBATIBUS, MERSENBURGENSIS, PADERBURNENSIS, ET HALBERSTADENSIS DIOECESEON.

*Dat eis provinciam inquirendi de subjectione monasterii de Gandersheim Ecclesiæ Hildesemensi.*

(Apud S. Petrum, v Nonas Maii.)

Ex parte dilectarum in Christo filiarum, M. abbatissæ, ac sororum ecclesiæ de Gandersheim, fuit olim postulatum a nobis, ut personis aliquibus scriberemus, quæ privilegia Ecclesiæ ipsi concessa inspicerent diligenter, quæ, tum quia sunt vetustate consumpta, tum quia ipsius monasterii continent libertates, propter viarum discrimina timebant ad nostram præsentiam destinare. Nos autem, postulationi earum benignum impertientes assensum B quatuor episcopis totidemque abbatibus duximus injungendum, ut, ad ipsam ecclesiam accedentes studiose inspicerent ipsius privilegia libertatis, et eorum rescripta fideliter ad nostram præsentiam destinarent, sigillorum suorum munimine roborata. Qui, nostro, sicut ex litteris ipsorum accepimus, mandato parentes, privilegia bonæ memoriæ Agapiti et Joannis, prædecessorum nostrorum, sibi præsentata subtiliter inspexerunt, et, tenorem eorum fideliter conscribentes, suis consignavere sigillis nostro conspectui præsentandum. Venerabilis etiam frater noster, G. (182) nunc Remensis archiepiscopus, tunc vero episcopus Prænestinus, in partibus illis officium legationis exercens, eidem abbatissæ, cum tunc temporis esset electa, munere C benedictionis impenso, tenorem privilegiorum ipsorum in scripto redigit, ipsumque proprio sigillo munitum nostro decrevit conspectui præsentari. Cum autem, tam eidem legato quam inquisitoribus ipsis, cum rescripta illorum concordarent in omnibus, fidem debitam adhibentes et attendentes nihilominus, quod monasterium ipsum in libro censuali Cameræ nostræ inter cætera monasteria libera et exempta dignoscitur adnotatum, non videremus quin deberent eadem privilegia innovari, præsertim A cum eadem abbatissa et sorores suam intentionem fundaverint tam ex tenore privilegiorum ipsorum, quam libri nostri testimonio censualis, quia tamen Cor... majoris Ecclesiæ, et J. S. Crucis, canonici Hildesemenses, in nostra constituti præsentia, proponebant, Hildesemensem Ecclesiam in possessionem subjectionis ipsius monasterii per centum annorum spatium et eo amplius extitisse, privilegia ipsa non duximus innovanda, ne Hildesemensi Ecclesiæ in sua præjudicare justitia videremur, qui, licet procuratores non fuerint, pro Hildesemensi tamen Ecclesia, cui tenentur, devotius supplicabant; ut jus suum conservaretur eidem, et exponebant se ad expensas abbatissæ solvendas, si eorum assertio per Hildesemensem Ecclesiam plene probari non posset. Nos igitnr, ut tam eidem monasterio quam ipsi Ecclesiæ suam justitiam conservemus, qui sumus omnibus debitores in ea, discretioni vestræ per apostolioa scripta præcipiendo mandamus, quatenus, ad locum idoneum pariter accidentes, et auctoritate nostra citantes eos qui fuerint hac de causa citandi, inquiratis super omnibus diligentius veritatem, et usque ad definitivæ sententiæ calculum procedentes, gesta omnia, conscripta fideliter sub testimonio litterarum vestrarum, ad sedem apostolicam destinetis, præfigentes partibus terminum competentem, quo, recepturæ sententiam, nostro se conspectui repræsentent. Hildesemensem autem Ecclesiam, nisi contra monasterium de Gandersheim prædictorum canonicorum assertionem sufficienter probaverit, aut præfatos canonicos, si forte quod ipsi fecerunt, eadem Ecclesia noluerit ratum habere, in expensis legitimis eidem abbatissæ solvendis, juxta contitutionem a nobis super hujusmodi olim emissam, decernimus condemnandos. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Nonas Maii.

XLV.

... ATREBATENSI EPISCOPO (183)... ABBATI SANCTI BER-

(179) Pigavium, seu potius Pregavium, illustris nominis in Saxonia monasterium, cujus meminit in catalogo abbatum imperialium Fridericus imperator III, quibus jus ferendi suffragii in comitiis imperialibus competebat. BUCEL., *Germ. sacr.*, part. II, pag. 69. Vide epistolas libri primi 317, 318.

(180) Vide epistolam libri sexti 187, not.

(181) » Illustre Benedicti ordinis, sacræ familiæ Cisterciensis, in Saxonia, monasterium, sic dictum a Campensibus, qua tamen ex causa, ignoramus. Illius fundatrix fuit Beatrix, abbatissa Quedlimburgensis. Fuit filia, ut vocant, hæc abbatia monasterii Veteris Montis, inducta inde in illud monachorum colonia. Exstant ad loci abbates diversos litteræ Innocentii III et Honorii III, etc. *Abbati de Lapide S. Michaelis, Halberstadiensis diæceseos*, etc., de quibus consulendus angelus Manrique, » BUGELIN; *Germ. sacr.*, part. II, pag. 206.

(182) Vide notas ad epistolam proxime superiorem.

(183) « Radulfus (*de Neuville*), Viennæ iu Gallia natus, Atrebatensis nec non Valentianensis Ecclesiæ archidiaconus, antistes renuntiatus mense Octobri anni 1203, præfuit usque ad annum 1221, quo, die 26 Martii, ante Pascha mortem oppetiisse legitur. Ipsum Romæ consecratum ab Innocentio PP. III, et in cardinalium collegium sub titulo S. Salbinæ cooptatum refert Locrius in Chronico, pag. 370; D cui concinunt Gazeus in *Hist. Eccles. Belgii, Annales Gallo-Flandriæ*, Frizonius, et post eum Franciscus Quercetanus. De ejus cardinalatu nullia apud Ciaconum mentio. »

Hactenus auctores *novæ Galliæ Christianæ*, t. III, col. 329, Oldoinus equidem (*ad Ciacon.* tom. II, col. 39), Radulfum inter cardinales incertæ creationis recenset. Radulfum, inter cardinales si unquam ascitus est, non ante annum 1205 hoc eminenti titulo insignitum fuisse, ex hac Innocentii epistola evincitur. Sed de illius cardinalatu valde dubitasse videtur et ipse Oldoinus; illi enim locum non dat inter cardinales qui electioni Honorii PP. III interfuere. (*Ibid.* col. 43.) Verum, inter cardinales sub eodem Honorio PP. III mortuos, *Rodulfum* quemdam, *Gallum*, S. R. E. *cardinalem*, *anno* 1220 defunctum nominat.

TINI (184) MORINENSIS DIOECESEOS; ET S. DE VALLIBUS, CANONICO LAUDUNENSI.

*Causam electionis episcopi Ambianensis* (185) *examinandam ipsis committit.*

(VI Non. Maii.)

Dilecti filii... præpositus (186), archidiaconus et quidam alii canonici Ambianenses, ad nostram præsentiam accedentes, in auditorio nostro proponere curaverunt, quod, cum eorum ecclesia suo esset destituta pastore, et capitulum ejusdem ecclesiæ tractaturum de substitutione pontificis convenisset, compromiserunt in tres unanimi voluntate, qui, præstito corporaliter juramento, singulorum inquirerent voluntates, et eum, in quem sanior pars capituli conveniret, ab eis eligendum in pontificem nominarent, et omnes tenerentur ipsum recipere, appellatione postposita, in pastorem, quem illi decernerent eligendum, quibus etiam interpretari concesserunt, quæ pars esset potior nominanda. Cum ergo ipsi arbitri voluntates canonicorum omnium quæsivissent, ei ad cujus spectabat officium præceperunt, ut decanum (187) ejusdem ecclesiæ ipsis in patrem eligeret (188) et pastorem. Verum, quia compromissio ipsi fuerat interpositione juramenti firmata, quidam eorum in eumdem consenserunt expresse, sed ipsi... cancellarius... cantor ejusdem ecclesiæ, ac quidam alii, distulerunt adhibere consensum, pro eo quod dictus decanus esset impotens evidenter ad episcopale officium exercendum, cum de ipsius non posset valetudine dubitari. Unde, cum instantia inducias a suis concanonicis postularunt, ut apostolicam sedem consulerent, an, ratione præstiti juramenti, eumdem decanum tam imbecillem et confractum senio recipere tenerentur, vel ab eo possent licite dissentire, religione juramenti præstiti non obstante. Cumque deliberandi et consulendi superiorem inducias non possent ab eis ullatenus obtinere, ne prima facie objici posset eisdem, quod perjurii maculam incurrissent, infamiæ hujusmodi metu, quidam eorum in prædictum decanum consenserunt expresse, quibusdam aliis sustinentibus, qui non fuerant requisiti. Cæterum, cum pars adversa electionem ipsius a venerabili fratre nostro..... Remensi archiepiscopo (189), sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, apostolicæ sedis legato, peteret confirmari, ipsi denuntiarunt eidem, quod dictus decanus impotens esset ad pontificale officium peragendum, et causas impotentiæ assignantes, ipsi

A archiepiscopo humiliter supplicarunt, ut ipsius decani diligenter examinaret personam, parati defectum ejusdem etiam per testes idoneos edocere, Joanne, canonico Sancti Firmini, ne illius confirmaretur electio, ad sedem apostolicam appellante, ac promittente se, ubi deberet, illius impotentiam probaturum, appellationi suæ termino assignato; at, archiepiscopus supra dictus tam ipsis quam decano præfato diem Parisiis assignavit, in quo illius se conspectui præsentarent, et idem ipsius decani personam examinari faceret diligenter. Sed dictus archiepiscopus ad locum præfixum, statuto termino, non accedens, venerabili fratri nostro, Belvacensi episcopo (190), et dilectis filiis, magistris R. de Corthon (191), et R. de Ablegiis, suis dedit litteris

B in mandatis, ut, si memoratum decanum viderent idoneum, auctoritate ipsius eumdem, contradictione et appellatione postposita, confirmarent. Delegatis ergo eisdem in judicio residentibus, et commissione præfati archiepiscopi in publicum recitata, præfatus præpositus, Andræas, presbyter et magister J. Sancti Firmini Ambianensis canonicus, et J. de Scalaphai, exhiberi sibi litteras memoratas cum instantia postularunt, ut deliberare valerent an illi possent electionem confirmare prædictam. Verum, cum iidem eis litterarum copiam denegassent, ipsi, salva exceptione de litteris non ostensis, coram delegatis prædictis proponere curaverunt, quod electio decani non erat aliquatenus confirmanda, eo quod cessio. . . . . quondam Ambianensis episcopi (192), nequaquam tenuerit, utpote citra for-

C mam canonicam et mandatum apostolicum celebrata, cum ipsam illi quibus non fuerat licitum recepissent. Proposuerunt præterea quod dictus decanus impotens erat ad pontificale officium exsequendum, cum manus ita tremulas habeat, quod sine scandalo et periculo explere non valeat officium sacerdotis, et quasdam distributiones, quæ fiunt in Ambianensi ecclesia, longo tempore absens percepit, quas nullus consuevit recipere nisi præsens, vel valetudine prægravatus. Adjecerunt insuper contra eum, quod litteræ, quæ nomine capituli fuerant præsentatæ, per quas confirmatio petebatur, fuerant captata eorum absentia destinatæ, quæ omnia parati erant, ubi deberent, plenius edocere. His igitur rationibus allegatis, tam idem præ-

D positus pro se ac sociis suis, quam prædicti Andræas et magister J. ad sedem apostolicam appellarunt,

(184) Joannes III de Ipra, Laubiensis monachus, abbas S. Bertini electus fuit anno 1187. Migravit e sæculo anno 1230. *Gall. Christ.*, tom. III, col. 500.

(185) Conferenda omnino hæc epistola cum his quæ leguntur apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. X, col. 1180, nec non in Libello cui titulus, *Histoire des évêques d'Amiens. Par M. J. M. O. S.* Paris, 1770, in 12, pag. 120. Vide epistolam libri septimi 122, et quæ ibi adnotata sunt.

(186) De præpositis Ambianensibus, nihil apud auctores supra laudatos.

(187) *Richardum de Gerberoy*, de quo vide epistolam libri tertii 41, not. et libri septimi 122.

(188) Hoc successisse ante mensem Februarium anni in quo versamur, 1205, ex charta quadam S. Joannis, asserunt auctores Galliæ Christianæ..

(189) Vide epistolam libri septimi 116.

(190) Vide epistolam libri quinti 149, not.

(191) Sic in apographo Vaticano.

(192) Episcopus Ambianensis, cui successit decanus Richardus de Gerboredon, erat Theobaldus III *d'Heilly*, de quo jam dictum est ad epist. libri tertii 41, not. Sed notandum illud quod hic dicitur de spontanea ejus cessione, de qua nihil apud auctores jam sæpe citatos; Theobaldum usque ad ultimum vitæ diem infulas retinuisse asserunt.

et, Dominicam qua cantatur *Invocavit me* appellationis suæ terminum præfigentes, delegatis prædictis auctoritate apostolica inhibere curarunt, ne præfatam electionem præsumerent confirmare, contra ipsum decanum, ne ipsam electionem reciperet, nihilominus provocantes. De ipsius debilitate coram nobis etiam replicarunt, quod, cum idem decanus coram bonæ memoriæ W. (193) Remensi archiepiscopo, fuisset a capitulo accusatus, quod horis canonicis minime interesset, se sufficienter propter debilitatem et senium excusavit. Addiderunt etiam quod jam sunt quatuor anni elapsi, ex quo idem decanus in majori ecclesia missarum solemnia nec privatim nec publice celebravit, et idem multoties talem sustinuit in celebratione missarum defectum, quod in ipsa consecratione Eucharistiæ oportuit eum discedere ab altari, et debilitatus est nimium nihilominus ejus visus. Unde petebant electionem ipsius, utpote de persona inutili celebratam, omnino cessari, cum officium exsequi nequeat sacerdotis. Dilectus vero filius.... abbas Sancti Judoci (194), procurator ipsius decani, proposuit ex adverso quod, cum, sede Ambianensi vacante, die statuto electioni, capitulum ejusdem ecclesiæ pariter convenisset, in tres personas communi compromiserunt assensu, sicut superius est expressum, qui, recepto a singulis juramento, quod bona fide de substituendo pastore suas exprimerent voluntates, illam personam de gremio Ecclesiæ, in qua pars sanior consentiret, eisdem in pastorem faceret nominari, et ipsi, secundum quod pars adversa proposuit, possent quæ pars esset potior indicare, cum eadem fere in omnibus super forma conveniens compromissi, quam etiam nobis exhibuit sigillo capituli, de communi voluntate omnium, sicut dicitur, communitam. At ipsi arbitri, examinatis voluntatibus singulorum et deliberatione habita diligenti, memoratum decanum nuntiare capitulo in episcopum eligendum; cujus electio, licet quidam ab initio dubitarint, fuit postmodum ab omnibus approbata, et ipsam capitulum per suos nuntios præsentavit memorato archiepiscopo confirmandam. Verum archiepiscopus ipse, pro eo quod illi tunc eidem litteras tantum de credentia præsentarunt, in quibus non continebatur series rei gestæ, ipsam electionem distulit confirmare. Cumque postmodum idem et alii solemnes nuntii, cum patentibus litteris ejusdem capituli processum totius negotii continentibus, se die statuto Remis ejusdem conspectui præsentassent, et confirmationem electionis ex parte capituli postulassent instanter, præfatus præpositus, M. cancellarius, Bodinus, J. de Cruce, et Walterus de Bolencort, qui consenserant electioni præfatæ, et, ab eodem archiepiscopo requisiti, se consensisse, ac etiam tunc consentire publice sunt confessi, denuntiarunt eidem quod, licet persona

A ipsius electi conversatione posset et scientia merito commendari, erat tamen in senio et infirmitate gravata, quod omnino non erat ad episcopatus regimen assumenda, cum sacerdotale officium exsequi non valeret. Licet autem de prudentia et honestate ipsius præfatus archiepiscopus nullatenus dubitaret, et de modo electionis ipsius, tam per vivas voces arbitrorum duorum et aliorum, quibus erat fides merito adhibenda, quam etiam per tertii arbitri et capituli litteras, constaret eidem quia tamen quod idem esset impotens ad exsequendum pontificale officium, fuerat propositum coram eo, ne quid de contingentibus omittere videretur, vel in tanto negotio minus quam deceret procedere circumspecte, Sabbato proximo post Epiphaniam proximo præteritam (195)
B eidem Parisius terminum assignavit, ut et ipsius frueretur alloquio et personam ejus inspiceret diligenter. Verum, quia idem archiepiscopus, quibusdam aliis urgentibus negotiis occupatus, ibidem, prædicto termino, non potuit interesse, nec tunc memoratum negotium expedire, vices suas duxit præfatis judicibus demandare, firmiter eisdem injungens ut electionem præfati decani, nisi tantam ipsius cernerent impotentiam quod repelli de jure deberet, omni contradictione et appellatione postposita, cum contradictio et appellatio fuisset in forma compromissionis exclusa, freti auctoritate ipsius, quantocius confirmarent; contradictores, si qui post confirmationem existerent, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, com-
C pescentes, et, si omnes interesse non possent, memoratus episcopus cum eorum altero ea nihilominus exsequi procuraret. Cum ergo præfatus episcopus, sicut in ipsius et magistrorum dictorum litteris perspeximus contineri, tam propriis quam ipsius archiepiscopi negotiis impeditus, die præfixo, pro mandato archiepiscopi exsequendo Parisius accedere minime potuisset, ibidem cum conjudicibus die sequenti advenit, coram quibus memorato electo, et capituli nuntiis confirmationem petentibus constitutis, prænominati præpositus et archidiaconus, cum quibusdam concanonicis suis, qui electioni præfatæ non contradicebant expresse, denuntiando dixerunt, quod ipsius decani non debebat electio confirmari, tum quia resignatio..... quondam Ambianensis episcopi, non tenebat, tum quia impotens erat persona electi, tum
D etiam qua non poterat ipsis hujusmodi rei confirmatio delegari, exhiberi sibi commissionis litteras cum instantia postulantes, et nitentes ne prædicta confirmaretur electio modis quibuslibet impedire, sæpe dicto præposito, cum duobus aliis, qui non erant de ipsius Ecclesiæ gremio, ne delegati præfati ultra procederent, ad nostram audientiam provocante. At nuntii capituli proposuerunt econtrario coram eis, quod præpositus et archidiaconus memorati cum

(193) Vide epistolam libri tertii 14, not.

(194) Florentius, qui ab anno, saltem 1203, usque ad annum 1210 occurrit in instrumentis. *Gall. Christ.*, *Coid.*, col. 1293.

(195) Notandus terminus iste qui partibus dicitur assignatus. Ambianensem enim sedem jam a mense Aprili anni 1204 vacavisse asserunt auctores memorati.

sociis suis interfuerunt et consenserunt resignationi prædicta, et compromissionem de substituendo pastore una cum aliis juramento corporaliter præstito, approbarunt. Postmodum etiam, licet a principio de ipsius electi contradicendo impotentia objecissent, et super hoc fuisset aliquantulum disputatum, approbarunt tamen eamdem, et, consentientes in eum, pro confirmatione ipsius una cum aliis ad memoratum archiepiscopum nuntios destinarunt.

Unde iidem non erant aliquatenus audiendi; utpote qui, turpitudinem propriam allegantes, et, ad id cui renuntiaverant recurrentes, viderentur sacramentis et confessionibus propriis obviare. Proposuerunt etiam nuntii supradicti, quod eis instrumenti exhibitio fieri non debebat, eo quod cognitio causæ ipsis non erat, sed tantum exsecutio demandata. Nec eorum intererat etiam ex justa et rationabili causa, si forsitan interesset ad vocem illorum. quibus exceptio jurisjurandi, de qua per probationes oblatas statim constare poterat, obviabat, vel etiam aliorum qui non erant de ipsius Ecclesiæ gremio, de illius impotentia perscrutari, sed tantum metropolitano eisdem officio delegato. Cum ergo ipsi, habito super his omnibus prudentum virorum consilio, parati essent eisdem instrumenti copiam exhibere, ac præciperent ipsis, ut, sequenti die, coram eis, hora statuta, parerent, audituri et facturi quod ordo posceret rationis; præpositus et archidiaconus supra dicti, cum sociis suis, ad sedem apostolicam appellantes, ab eorum præsentia contumaciter recesserunt. Verum, delegati prædicti, in crastinum convenientes, hora præfixa, venerabilem fratrem nostrum... Dublinensem archiepiscopum (195*), et dilectos filios... cantorem... cancellarium (196), et quamplures alios magistros Parisienses, ad suam præsentiam vocaverunt, cum quibus communicato consilio, cum fide oculata constitisset eisdem memoratum decanum sufficientem ad officium sacerdotis, et idem, eadem die, ipsis et multis aliis præsentibus, divinum officium celebrasset, quod in eorumdem judicum litteris perspeximus contineri, testes idoneos, quos adduxerat secum Parisius, receperunt, qui dixerunt eumdem una die hiemis post Natalem Domini, et ante festum Epiphaniæ, per septem leucas vel amplius, totidem die sequenti, ac decem vel amplius tertio, commode perrexisse. Cum igitur eisdem de inquisitione ipsis injuncta, et aliis quæ nuntii præfati capituli proponebant, plenius constitisset, contradictioni et appellationi eorum, cum fuissent inhibitæ, duxerunt nullatenus deferendum, præfatam electionem communi assensu, cum mora trahere ad se periculum videretur, auctoritate præfati archiepiscopi confirmantes et decernentes contradictores pariter et rebelles, si qui cætero apparerent, excommunicationis sententiæ subjacere Litteras quoque capituli Ambianensis prædictus nobis exhibuit procurator, in quibus perspeximus contineri, quod, licet idem decanus, anno præterito, gravi ægritudine laborasset, sanitati tamen modo pristinæ restitutus, debitum potest plene officium exercere. Exhibuit insuper multorum abbatum sigillis litteras communitas, qui nobis humiliter supplicabant, ut confirmationem de ipso per prædictos judices celebratam, ratam et firmam dignaremur habere, cum in ipso nec corporis vigor deficiat, nec fervor devotionis et fidei elanguescat. Nos igitur, his et aliis diligenter auditis, quæ partes coram nobis proponere voluerunt, de communi fratrum nostrorum consilio, ita duximus providendum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus, qnia debilitas corporis, quæ sola contra dictum electum opponitur, cum in cæteris sufficiens reputetur, per ipsam inspectionem oculata fide potest melius deprehendi, vos, quibus in hac parte vices nostras committimus, cum de vestræ discretionis prudentia plurimum confidamus, adhuc iterum ad majorem cautelam faciatis vobis eumdem electum personaliter præsentari, et, Deum habentes præ oculis, inspiciatis diligenter in eo circumstantias universas, et, nisi cum videritis tanta debilitate gravatum, ut episcopale officium non valeat exercere, vos, omni appellatione cessante, metropolitano suo firmiter injungatis, ut eum non differat consecrare; contradictores etc. Quod si tanta debilitate laborat, ut ad pontificale officium exsequendum impotens habeatur, faciatis illum auctoritate nostra cessare, præcipientes Ambianensi capitulo, ut, infra quindecim dies, cum vestro consilio personam idoneam sibi concorditer eligant in pastorem; et, si forsitan infra præscriptum tempus concordare nequiverint, vel in personam minus idoneam concordarint, vos, extunc, appellatione remota, personam idoneam, quæ tanto congruat oneri et honori, eis in episcopum assignetis; contradictores, etc. Quod si non omnes tu, frater episcope, cum eorum altero, ea nihilominus exsequaris.

Datum VI Non. Maii.

## XLVI.

... COLOCENSI ARCHIEPISCOPO.

*De episcopatu quodam, qui hic dicitur in terra filiorum Beloknese* (197), *ad devotionem apostolicæ sedis reducendo.*

(V Non. Maii.)

Ex parte tua nostris fuit auribus intimatum, quod quidam episcopatus in terra filiorum Beloknese consistit, quem, cum nulli subsit metropoli, ad devotionem apostolicæ sedis intendis reducere, ac jurisdictioni Ecclesiæ subdere Colocensis, dummodo tibi super hoc nostrum præberemus assensum. Nos autem, desiderio tuo, quantum cum Deo possumus, annuentes, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, si præmissis veritas suffragatur, episcopatum ipsum tibi sit licitum ad devotionem Eccle-

(195) Vide epistolam libri quinti 160.
(196) Vide epistolam libri quinti 98, not.

(197) Sic legitur in apographo Conti.

siæ Romanæ reducere, ac ipsum Colocensis Ecclesiæ subdere ditioni. Provideas autem attentius, ne episcopatus ille sit Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjectus, quia, cum ipsa Constantinopolitana Ecclesia nuper ad apostolicæ sedis redierit unitatem, eam nolumus suo jure privari.

Datum, v Nonas Maii.

XLVII.

... PRIORI ET CANONICIS SANCTI PETRI (198) TURGARCAN (199).

*Ecclesias de Ttihebi* [al. *Tytheby*]. *et de Wertorp* [al. *de Duthorpe*], *ipsis adjudicat.*

(II Kal. Maii.)

Olim, in præsentia venerabilis fratris nostri, J. (200) Albanensis episcopi, qui Roberto, ecclesiæ vestræ et magistro Columbo, venerabilis fratris nostri,... archiepiscopi Eboracensis (201), procuratoribus, fuerat concessus auditor, super querela quam habebant ad invicem, taliter idem vester proposuit procurator, quod, cum M. et R. (202) de Vilers, milites, vobis jus, quod habebant in ecclesiis de *Tithebi* (203), et *de Wectorp* (204), intuitu contulerint, pietatis, bonæ memoriæ T. (205) tunc Eboracensis archiepiscopi, accedente consensu, et postmodum bonæ memoriæ *R.* (206) qui archiepiscopo successit eidem (207), tam ipsorum militum, quam prædecessoris sui chartis inspectis, ipsas ecclesias cum pertinentiis suis vobis concesserit, et in perpetuam eleemosynam confirmarit, felicis recordationis Alexander papa, prædecessor noster, vobis indulsit, ut in vestris ecclesiis, cum vacarent, tres vel quatuor possetis de concanonicis vestris statuere, quorum unum diœcesano præsentaretis episcopo, ut ab eo curam susciperet animarum, et de spiritualibus ei, vobis autem de temporalibus responderet, et, licet præfatus archiepiscopus, sui prædecessoris inhærens vestigiis, jam vobis concesserit et etiam confirmarit, quod ab ipso confirmatum viderat et concessum, vos tamen, timentes, ne quid in vestrum præjudicium attentaret, a gravaminibus ejus sedem apostolicam appellastis, ipsas ecclesias et omnia quæ habebatis protectioni apostolicæ committentes; et quamvis appellationem hujusmodi sæpius curaveritis innovare, ipse tamen appellationi non deferens, vos a divinorum celebratione suspendit, et postmodum in Cœna Domini excommunicatos fecit per suos clericos nuntiari; deinde statuit vobis diem, ut vestra ei studeretis ostendere instrumenta, in quo, cum vestros concanonicos præsentassetis eidem, ut unus ab eo curam animarum susciperet, secundum indulgentiæ prædictæ tenorem, vestris ei tam confirmationibus quam indulgentiis præsentatis, ipse, vobis cæteris restitutis, indulgentiam jam dictam retinuit, eam asserens esse falsam, propter quod ad nostram audientiam appellastis. Archiepiscopus autem, nihilominus ecclesiarum ipsarum bona fecit diripi violenter, et, exactionibus gravibus vobis impositis, capallanos vestros, qui ei super hoc satisfacere noluerunt, pro sua voluntate suspendit et ecclesias interdixit. Verum, cum bonæ memoriæ G. prior vester, ab eodem archiepiscopo requisitus, an concanonici vestri auctoritate ipsius, vel vestra, essent in ecclesiis memoratis, humiliter respondisset quod auctoritate indulgentiæ apostolicæ sedis per vos ibi fuerant instituti, idem archiepiscopus præcepit eidem, ut in vos excommunicationis sententiam promulgaret; et, cum ei fuisset a priore responsum quod mallet vos absolvere quam ligare, ac facilius resignaret in ejusdem manibus prioratum, quam vos propter hoc excommunicationis vinculo innodaret, archiepiscopus, licet tunc non receperit prioratum ab eo, post paululum ipsum resignare nolentem a prioratu suspendit, mandans vobis, ne ipsum haberetis de cætero pro priore; sed vos de appellatione confisi, sententiis sic prolatis nullatenus detulistis. Magister autem C. ejusdem archiepiscopi procurator, ex adverso respondit, quod vinculo eratis excommunicationis astricti, tum quia in clericos ejusdem, qui in prædictis ecclesiis morabantur, manus injeceratis temere violentas, tum quia præter assensum diœcesani episcopi ecclesias occupaveratis easdem, et in tales, juxta consuetudinem Ecclesiæ Anglicanæ, per sedem apostolicam confirmatam, in silvis et sæpius singulis annis excommunicationis sententia promulgatur. Indulgentiam insuper ipsam proposuit de jure suspectam, et, si suspecta non esset, non fuisse per eam generali terræ consuetudini derogatum, de qua in ipsa mentio non fiebat. De consuetudine siquidem Ecclesiæ Anglicanæ procedit, ut, decedentibus personis, custodia ecclesiarum vacantium ad diœcesanum episcopum devolvatur. Idem etiam procurator adjecit quod prædictis ecclesiis archiepiscopum spoliaveritis eumdem. Unde ipsi restitutio competebat. Præterea,

(198) *De Turgarcan.* Sic legitur in apographo Conti; legendum vero, procul dubio, *De Thurgarton.* Agitur enim hic de prioratu *de Thurgarton*, Ordinis S. Augustini, in agro Notinghamensi. Chartam fundationis prioratus hujus habemus (*Monastic. Anglic.*, tom. II. pag. 92, col. 1), quam emisit Radulfus de Ayncourt, notis quidem chronologicis destitutam, sed, prout ex synchronismis evincitur, datam circa annum 1145.

(199) Legend. *Thurgarton.*

(200) Vide epistolam libri septimi 3, not.

(201) Vide epistolam libri quinti 54.

(202) *M. et R.* Matthæus et Ricardus. Sic enim diserte nominantur in charta quæ habetur in *Monastic. Anglic.*, *ibid.*, col. 2.

(203) *Tithebi.* In charta supra laudata, *Tytheby.*

(204) Legendum videtur ex eadem charta, *de Duthorpe.*

(205) Thurstanus, qui Eboracensi Ecclesiæ præfuit ab anno 1114 usque ad annum 1140. Concinit charta Radulfi de Ayncourt supra laudata, not. 197. Goswin., *De præsul. Angl.*, pag. 668.

(206) Rogerus, qui sedit ab anno 1154, usque ad annum. 1181. *Id. ibid.*, pag. 675.

(207) Non immediate quidem; nam, inter Thurstanum et Rogerum, Henricus Murdac, et S. Guillelmus, archiepiscopale pedum tenuere.

etsi prædicta indulgentia vera fuisset, asserabat eam ad illas ecclesias solummodo pertinere, quæ ad vos jure pertinebant utroque. non ad illas in quibus jus habebatis tantummodo patronatus. Qui etiam præscriptionem triginta annorum ad ultimum opponebat, asserens indulgentiam illam ad ecclesias pertinere prædictas, cum earum nulla sufficiat tot personis, et indulgentia ab archiepiscopo ablata non fuerat, sed apud sacristam Suellen. deposita ut suspecta, per communem ad nos nuntium deferenda, quæ fuit vobis postmodum bis oblata; verum autem non erat, quod archiepiscopus aliquid specialiter ab eisdem ecclesiis exegisset, sed, cum a subditis suis, propter expensas quas in exsilio fecerat, sibi peteret subveniri, et ipsi quintam partem redditum suorum unius anni ei duxerint offerendam, tam præsentium quam absentium fuerunt redditus æstimari; per confirmationes vero archiepiscoporum nihil juris ecclesiæ vestræ fuerat acquisitum, sed quod patroni concesserant, jus videlicet patronatus, solummodo confirmatum. Deinde procurator ipse se obtulit probaturum, quod indulgentia illa eidem archiepiscopo a vobis exhibita fuerat, et de vestro

A sequestrata consensu, nuntio reddenda communi, qui eam nostro conspectui præsentaret, et quod postmodum ea vobis non in occulto, sed coram pluribus fuerat bis oblata; item, quod idem archiepiscopus prædictas ecclesias possidebat, cum vos, clericis ejus de ipsis ejectis ac manibus injectis in eos, per violentiam occupaveratis easdem; præterea, quod dictus prior et vos, post promotionem ejusdem archiepiscopi, tres ei clericos præsentaveratis ad ecclesias memoratas, et archiepiscopus illos instituerat in eisdem; similiter, quod vos, post excommunicationem, quam appellatio non præcessit, et post manuum injectionem, divina præsumpsistis officia celebrare, et quod idem prior, postquam in manibus archiepiscopi resignaverat prioratum, administrationem ipsius eo sibi usurpaverat prohibente.
B His igitur coram auditore jam dicto propositis, quia nobis super iis non potuit fieri plena fides, causam ipsam venerabili fratri nostro.... Eliensi episcopo (208), et dilectis filiis.... de Leicestre (209), et de Rupe abbatibus (210) duximus committendam, præcipientes eisdem, ut, partibus convocatis, et indulgentia sic detenta recepta, et detentore

(208) Vide epistolam libri quinti 54.

(209) Agitur hic, ut videtur, de abbate cœnobii de Pratis, juxta burgum Leicestriæ, ordinis S. Augustini, quod fundatum est anno Domini 114 . Vide *Monastic. Anglic.* tom. II, pag. 308, col. 2.

(210) Rupensis abbatia, ordinis Cisterciensis, in agro Eboracensi, fundata fuit anno 1147. Successio abbatum habetur in *Monastic Anglic.* tom. 1, pag. 839, col. 2. Ex ea colligitur, abbatem Rupensem, de quo hic agitur, fuisse Osmundum, qui, ex cellerario de fontibus, factus abbas versus annum 1184, C præfuit 39 annis. « Cujus (Osmundi) tempore (sic dicitur in fragmento de *successione abbatum Rupensium*, supra laudato), rex Ricardus, dictæ domui (de Rupe) mille et trecentas marcas de Judaismo, (in quo, paucis ante annis, sedente abbate Hugone de Wladdeworth, Osmundi prædecesssore, in magnis debitis obligata fuerat), remisit. Cujus (Ricardi regis) autem anno septimo vel octavo, factus est procurator dictus abbas Osmundus Stephani cardinalis, de omnibus proventibus suis in Anglia, ita, quod tam ipse, quam Reginaldus qui quindecim annis abbatizavit, et Richardus qui sexdecim, et etiam Walterus qui quatuordecim annis usque ad undecimum annum suum, receperunt de bonis dicti cardinalis, ad diversos terminos annuatim, ad summam 400 marcarum, de qua pecunia sibi competenter providerunt, tam in nutriciis quam in omnibus terris, tenementis, redditibus multiplicandis, et ex dictis bonis illius cardinalis, per quinquaginta tres annos, D in tantum ditati sunt, quod quasi sapientes, et nullis boni temporalis indigentes comprobantur. »

Hactenus auctor fragmenti hujus, quod ne levioris momenti videri debeat, multum veremur. Male enim inter sese concordant synchronismi. Etenim, si de quinquaginta tribus annis, per quos hic dicitur administrata fuisse ab abbatibus de Rupe Stephani cardinalis bona, anni 11 Waltero, 16 Richardo, 15 Reginaldos tribuantur, per undecim tantummodo annos ab Osmundo bona illa administrari debuerunt. Atqui, undecim ultimi Osmundi regiminis anni, nullatenus numerari queunt a septimo vel octavo Ricardi regis anno, quo tamen anno Stephani cardinalis bona ab Osmundo administrari incepisse vult auctor fragmenti nostri. Ex ipsius enim calculis, Osmundus non ante annum 1184, saltem non ante annum 1180, abbatiæ de Rupe regimen suscepisse potuit. Abbatiale vero pedum tenuit annis 39. Ergo, undecimus ante ultimum regiminis sui annus, quo Stephani cardinalis bona administrare cœpit, cum anno saltem 1207, nisi mavis cum anno etiam 1211, coincidit. Verum, nec annus ipse 1207 colligari posset cum anno *octavo* Ricardi regis, utpote ante anni 1200 initium defuncti, Quin, si, pro *Ricardi* nomine, in fragmento nostro *Joannis regis* nomen legerimus? sane, melius concinet et Historiæ, Stephanum enim Lancton *al.* de Langhtone (hic enim agitur de celeberrimo isto Cantuariensi archiepiscopo nec non S. R. E. cardinali), etsi ad cardinalitium apicem, non ante annum 1212 vel 1213, Ciaconius Panviniusque evectum fuisse contendant, admittatque Oldoinus (vid. Oldoin. *ad Ciacon.* tom. II, col. 27), plurimis ante annis, id est saltem anno 1207, tituli *S.* Chrysogoni presbyterum cardinalem, ab Innocentio PP. III fuisse renuntiatum, certo certius evincitur. Stephanus enim titulo cardinalitio jam insignitus erat eo tempore quo in archiepiscopum Cantuariensem electus fuit, nec ipsius electio nisi anno 1207 assignari potest; verisimileque admodum est, versus hoc temporis, scilicet anno circiter 1207 vel 1208 (qui quidem apprime cum septimo vel octavo *Joannis*, non *Ricardi*, regis anno coincidit), paulo post suam, tum ad cardinalitium apicem, tum ad archiepiscopalem thronum, evectionem, Stephanum bonorum suorum administrationem abbati Rupensi commisisse.

Verum nec sic quidem evanescit omnis difficultas. Computando, ab anno 1407 vel 1208, quinquaginta tres illos annos, per quos Stephani cardinalis bona ab abbatibus de Rupe, cum tanto rerum abbatialium profectu, administrata fuisse dicuntur, usque ad annum 1260 vel 1261 administratione ista ipsos potitos fuisse reperitur. At, quo pacto istud contigisse potuerit, cum Stephanus non ultra annum 1228 vitam produxerit, non facile quivis intelliget. Novum istum nodum solvere non tentabimus. Videant rerum Angliæ ecclesiasticarum periti. Nobis, ex instituti nostri ratione, satis, superque forsam, fuerit, difficultates istas curiosioribus indicavisse lectoribus, ne in edendis Innocentii litteris diligentiæ nostræ nimium defuisse crederetur.

illius ad ejus restitutionem per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, coacto, nisi archiepiscopus exceptiones probaret objectas, vel earum aliquas per quas vestrum deberet propositum impediri, cum secundum rerum naturam, vix possent universa probari, eumdem archiepiscopum in moderatas expensas parti contrariæ condemnarent, sicut justum esset, restitutis ablatis, nihilominus audituri quæ super principali proponerentur hinc inde, et, inspectis attestationibus, quas eis sub bulla nostra misimus interclusas, quod justum esset, appellatione remota, statuerent et facerent auctoritate nostra firmiter observari. Cæterum, judices ipsi, nostro super his recepto mandato, sicut ex litteris ipsorum accepimus, partes ad suam præsentiam convocarunt, et, omnibus judicialibus, sicut decuit, B observatis, ad detenta indulgentia restituta, post publicationem attestationum et disputationum habitam super eis, cum esset allegationibus renuntiatum hinc inde, nisi forte ad interrogationem eorum alterutra partium aliquid duceret allegandum, considerantes quod causa ipsa difficilis haberetur, ad sententiam proferendam procedere noluerunt, sed eam plene instructam de consensu partium remiserunt ad apostolicæ sedis examen. Nuntiis igitur partium in nostra præsentia constitutis, dilectum filium M. (211), Sancti Theodori diaconum cardinalem, dedimus auditorem, quo referente didicimus, quo ex parte vestra contra ipsum archiepiscopum quatuor principaliter proposita fuerant: quod post appellationem ad nos interpositam sæpe dictum priorem suspenderat, et vos denuntiaverat excom- C municationis vinculo subjacere; bladum etiam de ecclesiis jam dictis extraxerat; et ad redemptionem quemdam vestrum coegerat capellanum; et compulerat vos hac de causa subire magnas expensas; verum, ex altera parte fuerat econtra responsum: quod appellatio vestra nullius fuerat firmitatis, cum contra inhibitionem sub anathematis pœna factam in synodo generali, juxta consuetudinem Ecclesiæ Anglicanæ, ne quis vacantes ecclesias absque diœcesani consensu sibi præsumeret usurpare, jam dictas ecclesias vobis usurpaveratis post obitum personarum, per quod constabat, vos excommunicationis sententiam incurrisse, unde non poteratis per appellationem interpositam vos tueri, qui ligati fueratis sententia generali; super eo autem quod D bladum de ecclesiis illis extraxerat, usus fuerat jure suo, cum ecclesiarum vacantium in diœcesi sua sibi custodia competat, secundum antiquam consuetudinem hactenus observatam; nec capellanum vestrum ad redemptionem compulerat, sed receperat ab eo quæ de ipsis ecclesiis eum recepisse credebat; neque vos impulerat ad faciendas expensas, sed vos ipsum et vosmetipsos ad illas potius impulistis. Non igitur, attestationibus et allegatio- A nibus, indulgentiis et concessionibus, nec non privilegiis et confirmationibus diligenter inspectis, cum de multis appellationibus legitime interpositis plene constiterit, supensionis et excommunicationis sententias, in jam dictum priorem et vos ab ipso archiepiscopo promulgatas, decrevimus non tenere, ipsumque archiepiscopum ad restitutionem omnium, quæ ab ecclesiis illis extraxit, et extorsit a capellano jam dicto, et ad recompensationem etiam expensarum quas vos noscimini hac de causa fecisse, per sententiam duximus condemnandum, adjudicantes vobis, cum suis pertinentiis ecclesias memoratas. Nulli ergo..., hanc paginam sententiæ nostræ infringere, etc. Si qui autem, etc.

Datum II Kalendas Maii.

## XLVIII (212).

### W. DOMINO DE GUIRCHIA.

*Recipit sub protectione beati Petri, cum annuo censu unius bisantii.*

(VII Non. Maii.)

Solet annuere sedes apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecte fili, nobilis vir, tuis precibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus protectionis ab apostolica sede perceptæ, unum bisantium gratis oblatum solves nobis nostrisque successoribus annuatim. Nulli ergo, etc.

Datum... III Nonas Maii, anno octavo.

## XLIX (213).

### ALFERADÆ MULIERI.

*Ecclesiam ab ipsa fundatam sub protectione recipit.*

(V Id. Maii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu, ecclesiam, quam in honorem Sanctæ Mariæ in Baroli villa fundasti, cum omnibus, bonis, etc., *usque* communimus. Ad indicium autem hujus protectionis a nobis obtentæ, obolum unum auri persolves nobis nostrisque successoribus annuatim. Nulli ergo, etc.

Datum, V Idus Maii.

## L (214).

### .... REGI CASTELLÆ.

*Ipsum ob Judæos ac Saracenos in honore habitos increpat.*

(III Non. Maii.)

Non minus pro illorum peccato qui faciunt, quam pro eorum qui sustinent detrimento dolemus et graviter conturbamur, quod regia celsitudo illis se gravem exhibet et severam, quibus benigna et propitia deberet adesse, illosque molestat, quos præcipue fovere deberet. Accipimus autem, quod, cum universos clericos regni tui ab omni exactione absolveris et collecta, mutata tandem post tempora voluntate, ipsis, pro velle tuo, collectas et exactio-

(211) Vide epistolam libri tertii 54, not.
(212) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.
(213) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.

(214) Fragmentum epistolæ hujus exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 64. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

nes imponis, et, cum servi Judæorum emptitii sive A vernaculi convertuntur ad fidem, licet pretium quod pro talibus dari debet, in canone sit taxatum, per Judæos ipsos tantum facis de bonis episcopalibus detineri, quantum ipsi eosdem servos valuisse firmaverint juramento. Unde, nuper a venerabili fratre nostro.... Burgensi episcopo, pro quadam Sarracena, Judæi cujusdam ancilla, quam vix asserit decem solidos valuisse, ducentos aureos recipi mandaxisti, et, licet, super eo quod Judæos et Sarracenos tui regni compelli ad solvendas decimas de possessionibus non permittis, litteras tibi apostolicas duxerimus transmittendas, tu tamen, nedum eos noluisti ad decimarum solutionem inducere, verum etiam liberiorem eis decimas non solvendi et emendi ampliores possessiones licentiam tribuisti, ut, Synagoga crescente, decrescat ecclesia, et libere præponatur ancilla. Cumque olim idem episcopus in nostra esset præsentia constitutus, tu, ditiorem ecclesiam, quæ in sua diœcesi habebatur, tibi cum omnibus pertinentibus ad eamdem usurpans, eam cuidam abbatissæ Cisterciensis ordinis concessisti, et episcopum ipsum, quoniam apud abbatem Cisterciensem moverat contra ipsam abbatissam super eadem ecclesia quæstionem, compulisti ad confirmationem concessionis illius, et tam ipsum etiam quam canonicos ejus, ad concessionem ipsius ecclesiæ, et ad faciendam canonicam abatissam, minis et terroribus induxisti. Ecclesiam quoque Sancti Juliani de Mena, quam prædecessores ipsius a te pro mille marabotinis redemerant, occupasti, eam illi restituere contradicens, neque vis Burgensi Ecclesiæ dare decimas de proventibus, qui tibi ex diœcesi Burgensi proveniunt, licet progenitores tui eas consueverint exhibere. Abbatem etiam et clericos de Covaruvias, qui eidem episcopo rebelles et inobedientes existunt, in suo errore defendis, præbens eis auxilium contra illum. (245) Ne igitur, charissime in Christo fili, ecclesiasticam libertatem deprimere, et Synagogam, ac Moskitam extollere videaris, neque in Ecclesiam, sponsam Christi, aut ministros ipsius exerceas quæ tuæ fidei puritatem offuscent, serenitatem regiam monemus in Domino et hortamur, quatenus prædicta omnia et in te corrigas per te ipsum, et in aliis corrigi concessa tibi facias potestate. Alioquin, quantumcunque personam tuam in Domino diligamus, quia ecclesiarum oppressionem, quarum est nobis cura commissa, pati nolumus nec debemus, ut regi Deo potius quam regi homini deferamus, venerabilibus fratribus nostris.... Oscensi, et.... Tirasonensi episcopis, et dilecto filio, decano Tirasonensi, nostris litteris nos noveris injunxisse, ut te ad hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compellant.

Datum, III Nonas Maii.

(245) Hæc apud Raynaldum.

## LI.

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

*Consulenti an dispensare posset super matrimonio in sexto consanguinitatis gradu per ignorantiam contracto, respondet, dissimulari posse.*

(VI Id. Maii.)

Providi pastoris exercere officium comprobaris, cum in his quæ tibi dubia sunt, et parere possent periculum animarum, apostolicæ sedis imploras oraculum, ipsius, sicut asseris, paratus adhærere consiliis et jussionibus obedire. Sane, sicut apostolatui nostro ex litteris tuæ fraternitatis innotuit, quidam parochianus tuus, uxore sua viam universæ carnis ingressa, sibi aliam copulavit, quæ in sexto consanguinitatis gradu, eo tamen penitus ignorante, B priorem contingebat uxorem. Cum autem postmodum ex relatione quorumdam, hoc ad utriusque notitiam pervenisset, licet, suscepta prole, jam insimul triennio permansissent, tuum tunc, et per te nostrum, humiliter consilium postularunt. Nos igitur, fraternitati tuæ duximus respondendum, quod, nisi aliud impedimentum obsistat, dissimulare potes, ut in copula sic per ignorantiam contracta dispensative valeant remanere.

Datum VI Idus Maii.

## LII.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI (216).

*Indulgetur quod visitet provinciam Senonensem et corrigat corrigenda.*

(IV Id. Maii.)

C Quia, sæculo senescentes, in sua segnescit meditatione Maria, et, in sororis auxilium inardescens, Marthæ negotiis occupatur, cogunt nos occupationes assiduæ, quibus in hoc mundi vespere plus solito angimur, et fortius quam hactenus aggravamur, illis committere vices nostras, qui, cum sunt in partem nostræ sollicitudinis evocati, talentum sibi creditum non ligant in sudario, sed erogant potius ad usuras, et in quorum ore non est verbum Domini alligatum, sed eructare norunt potius verbum bonum, et de thesauro cordis sui tam vetera quam nova proferre. De scientia igitur et discretione tua tanto amplius confidentes, quanto familiarius et frequentius in multis sumus et magnis experti, toti Senonensi provinciæ in te duximus consulendum, D præsenti tibi pagina indulgentes, quatenus, auctoritate non tam tua quam nostra, ipsi provinciæ officium visitationis impendas, corrigens quæ corrigendas cognoveris, et statuens quæ videris statuenda; cumque nemo cogatur suis stipendiis militare, nec os sit bovi trituranti claudendum, procurationes accipias moderatas; et beneficia, quæ tanto tempore in ecclesiis ejusdem provinciæ vacare contigerit, quod ad nos secundum Lateranensis statuta concilii earum donatio devolvatur, quæ jam tandiu vacavere, idoneis personis assignes, exami-

(216) Vide epistolam libri tertii 45, not.

naturus causas quæ ad tuam audientiam deferentur, et fine canonico decisurus. Si quando vero a te fuerit appellatum, competentem terminum statuas appellanti, ad quem nisi appellationem interpositam fuerit prosecutus, extunc in ipso negotio, non obstante hujusmodi appellatione, procedas, eos autem, qui propter sacrilegam manuum injectionem in canonem inciderint sententiæ promulgatæ, aut etiam inciderunt, secundum Ecclesiæ formam. auctoritate nostra fretus, absolvas, nisi forsan eorum excessus tam gravis vel enormis existeret, ut eos merito crederes ad sedem apostolicam destinandos. Nos autem, sententiam, quam rationabiliter tuleris in rebelles, ratam haberi volumus, et præcipimus inviolabiliter observari.

Datum, IV Idus Maiis.

LIII (217).

. . . . . . TERDONENSI EPISCOPO (218), ET BONO JOANNI, SUBDIACONO NOSTRO, CANONICO VERCELLENSI.

*Dat eis provinciam inquirendi de episcopatu Alexandrino.*

(IV Id. Martii.)

[In litteris bonæ memoriæ Alexandri papæ, prædecessoris nostri, perspeximus contineri, quod ipse precibus consulum, cleri et populi Alexandrinorum volens favorem benevolum impertiri, ad instantiam et petitionem bonæ memoriæ Galdini (219), archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, et consulum Mediolanensium, rectorum etiam Lombardiæ ac Marchiæ, deliberatione præhabita diligenti, Alexandrinam Ecclesiam, et ipsam pariter civitatem, in honorem beati Petri constructam, pontificalis dignitatis titulo insignivit, bonæ memoriæ Arduinum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, eisdem concedens in episcopum et pastorem, diœcesi sibi nihilominus assignata Eodem vero electo nondum in episcopum consecrato, viam universæ carnis ingresso, substitutus est alius, qui consecrationis munus similiter non percepit. Ad consilium autem bonæ memoriæ Algisii (220), successoris archiepiscopi memorati, ut scandalum sedaretur, et sopiretur odium, quod multi adversus prædictam conceperant civitatem, idem noster statuit prædecessor, ut Alexandrina et Aquensis Ecclesiæ unirentur, ita, quod Alexandrina prima sedes existeret, et Aquensis secunda eidem archiepiscopo suis dans litteris in mandatis, in eumdem episcopum (221), et per eum Ecclesiam suam, ad hoc induceret diligenter. Archiepiscopus autem, mandatum apostolicum cupiens exsecutionis mandare, cum ipse personaliter Alexandriam nequivisset adire . . . . . Medociensem archipresbyterum, illuc studuit destinare; sed, impediente Alexandrinæ civitatis electo, negotium tunc per eum non potuit consummari. Ne igitur quod pro bono pacis fuerat ordinatum, per malignorum fallaciam defferretur, idem archiepiscopus, vocatis Mediolanum præfato episcopo, et quibusdam clericis civitatis prædictæ, ecclesias prædictas univit statuens, ut Aquensis episcopus in Alexandrina ecclesia episcopalia ministraret, et Alexandrinus episcopus vocaretur, sibi jure Aquensis Ecclesiæ reservato; sed hujusmodi unio non est affectum debitum consecuta. Nuper autem dilecti filii, Anselmus presbyter, et nobilis vir, Rufinus, miles, ad nostram præsentiam accedentes, ex parte tam cleri quam populi civitatis ejusdem, nobis humiliter supplicarunt, ut, cum sint tanquam oves sine pastore passim errantes, eo quod non habent proprium, et alienum penitus non admittunt, ne post greges sodalium diutius evagari cogantur, dignaremur eisdem pastorem proprium providere. Nos igitur, quanquam jura prædictæ civitatis ejusdem ab apostolica sede provida deliberatione concessa, firma velimus et inconcussa servari, attendentes tamen, quod, licet duo electi fuerint in civitate prædicta, neuter tamen eorum extitit in episcopum consecratus, et unio postmodum constituta non fuerit effectui mancipata, et quod a tempore prædicti prædecessoris nostri non habuerint episcopum, vel electum, in tanto negotio cum maturitate, de fratrum nostrorum consilio, duximus procedendum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus, vocatis quos propter hoc videritis evocandos, et diligentius inquisitis quæ circa negotium ipsum videritis inquirenda, si fieri poterit absque gravi scandalo et enormi præjudicio aliorum juxta primum modum sive secundum provideatis eisdem, appellatione remota, personam idoneam in pastorem; alioquin omnia, quæ super his inveneritis,

(217) Epistola hæc integra, sed incorrecta, legitur apud Ughellum. *Ital. sacr.* tom. IV, col. 449, ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(218) Vide epistolam libri quinti 75, not.

(219) S. Galdinus. Mediolanensis, ex Sala familia natus, a pueritia sacrarum litterarum studiis deditus, primum archidiaconus Mediolanensis Ecclesiæ, et Alberti Pirovani, archiepiscopi Mediolanensis. cancellarius, ab Alexandro PP. III, tituli S. Sabinæ in Aventino (ex Ciaconio et Joanne de Deis), aut S. Susannæ ad duas domos (ex Baronio), presbyter cardinalis, in secunda creatione, anno 1164, vel 1165, deinde archiepiscopus Mediolanensis, et in Gallia Cisalpina sedis apostolicæ legatus, renuntiatus est. Decem annos Ecclesiam Mediolanensem summa cum laude administravit; senio confectus, cum de suggestu contra Catharorum hæresim perorasset, animam Deo reddidit anno salutis 1177, vel 1178, seu, ex aliis 1175. *Oldoin ad Ciacon.* tom. I, col. 1087.

(220) Algisius, jam ab anno 1175, si Ughello fides, (*Ibid.* coll. 226) Galdino successit. Ecclesiam sibi creditam egregie administravit, clarusque meritis ad annum pervenit 1185. Dissentiunt tamen inter se auctores de obitus ejus annos.

(221) Aquensem Ecclesiam tunc regebat Ubertus, qui, cum Friderici Ænobarbi imperatoris partes olim secutus fuisset, ab Alexandro PP. III excommunicationis tulerat sententiam. Sed, cum deinde inter Fridericum pontificemque iterum gratia rediisset, Ubertus etiam unitati Ecclesiæ fuerat restitutus. Interfuit Lateranensi concilio anno 1179. Memoriatur etiam anno 1189. UGHELL. *ibid.* col. 467.

præsentiam transmittatis, ut, per vestram relationem instructi, prout expedire viderimus, in ipso negotio procedamus.

Datum, v Id. Martii.

*Instrumentum* (222), *quo Alexandrini, Alexandro PP. III, successoribusque ejus, ac Romanæ Ecclesiæ, subjectionem, reverentiam ac fidelitatem promittunt.*

(Anno 1169, mense Januarii.)

(In nomine Domini,anno Dominicæ Incarnationis 1169,et undecimo anno pontificatus domini nostri Alexandri III,summi pontificis et universalis papæ, mense Januarii, tertia indictione, nos, Rufinus Blancus,et Guilielmus de *Bergamasce* (223), consules de civitate Alexandria, notum facimus quod in B præsentia dominorum, Bernardi, Portuensis episcopi,ac Ubaldi, tituli Sanctæ Crucis ; Joannis, tituli beati Joanis et Pauli ; Ildebrandi, tituli Basilicæ duodecim apostolorum ; Joannis,tituli Sanctæ Anastasiæ ; Alberti, tituli Sancti Laurentii in Lucina ; Guilielmi, tituli Sancti Petri ad Vincula, *Bosci* (224),tituli Sanctæ Pudentianæ ; Petri, tituli Sancti Laurentii in Damaso ; Joannis,tituli Sancti Marci, Theodini,tituli Sancti Vitalis, presbyterorum cardinalium ; et Jacinthii,Sanctæ Mariæ in Cosmedin ; Cencii, Sancti Adriani ; Manfredi, Sancti Georgii ; *Hugonis* (225), Sancti Eustachii ; et Petri, Sanctæ Mariæ in Aquiro,diaconorum cardinalium ; et subscriptorum testium, qui ad hoc rogati venerunt, Petri videlicet Sarraceni Senescalci ; Joannis Ancillæ Dei Manescalci ; Petri Butticularii ; Alberti, C et Albertini Hostiariorum,ex parte omnium consulum,et populi prædictæ civitatis ; per fustem offerimus Deo, et beato Petro, et vobis, præfato domino nostro, papæ Alexandro,vestrisque Catholicis successoribus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ in perpetuum,terram scilicet proprii juris nostri, quæ est infra prædictam civitatem, quam populus ipsius civitatis ad construendam ibi ecclesiam emit ; et per eamdem investituram volumus terram ipsam omni tempore Romanæ Ecclesiæ jure *proprietario* (226) pertinere. Præterea, de communi consilio Consulum et totius populi mandato, militum domos et mercatorum,et quorum facultas videbitur sufficiens ad *boves* (227) habendos, de singulis domibus tres denarios ejusdem terræ in festo Beati Martini D exsolvent singulis annis.Cæteri de singulis domibus unum denarium,et infra octavas beati Martini solvent ei, cui Romanus pontifex jusserit. Consules vero,qui per tempora ibi constituentur,fidelitatem vobis, vestrisque successoribus, omni occasione et contradictione remota, jurabunt. Nos quoque, de mandato aliorum consulum,et populi civitatis,vobis fidelitatem fecimus; et; nostras manus,licet indignas,inter vestras sacratissimas manus mittentes; vobis hominium fecimus. Et populus terræ,quando communiter jurabunt consulibus, singulis scilicet trienniis;sicut constitutum est, jurabunt pariter et Romano pontifici. Hoc scriptum, quia interfui, scripsi ego Falco,notarius et scriba sacri Beneventini palatii ; ego Petrus Sarracenus, senescalcus, testis ; ego Guiscardus, testis, ego Petrus, butticularius, testis, ego Albertus, hostiarius, testis ; ego Albertinus, hostiarius, testis.)

A

LIV.

UNIVERSIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, ET ALIIS BURGENSI ECCLESIÆ DIOECESANA LEGE SUBJECTIS.

*Ut ad synodum semel in anno accedere non recusent.*

(III Non. Maii.)

Exposita nobis venerabilis fratris nostri... episcopi vestri, petitio continebat, quod ad synodum ejus semel in anno convenire ad cathredalem Ecclesiam recusatis, quadam præscriptione longi temporis vos tuentes.Cum igitur talis occasio ad hoc non possit nec debeat vos tueri, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus semel in anno ad synodum, quam idem episcopus apud cathedralem ecclesiam duxit celebrandam, sine contradictione qualibet accedatis,salubria ejus monita et mandata recipientes humiliter et devote. Alioquin,sententiam, quam idem episcopus in vos propter hoc rationabiliter promulgaret, ratam faceremus haberi.

Datum, III Nonas Maii.

LV (228).

CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI.

*Transmittit ad Græcos B* (229) *tituli sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis a latere legatum, illumque imperatori commendat.*

(Idib. Maii.)

Divisis aliis vestibus Domini Jesu Christi, tunica inconsutilis uni cessit in sortem,ut ipsius Ecclesia, quam sicut vestimentum induit, una esset,et in ea unus, velut in piscinâ probatica, sanaretur, extra ipsam languentium multitudine remanente. « In circuitu etenim impii ambulant, et in eam intrare nequeunt et sanentur, cum mens divisa impetrare non valeat,et væ ingrediendi terram duabus viis! » Ut ergo ipsius illibata veritas servaretur, unum eidem Dominus, videlicet beatum Petrum, caput constituit et magistrum,ut quasi Noe archam,extra quam animantia derelicta in diluvio submerguntur, in uno cubito (230) consummaret, pro cujus fide, ne in sua passione deficeret, specialiter exoravit, eidem præcipiens,ut fratres suos conversus aliquandiu confirmaret. Verumtamen,Græcorum Ecclesia,

(222) Instrumentum istud vulgavit UGHELLUS, *Ital. sacr.* tom. IV, coll. 442.Varias quasdam lectiones notavimus.
(223) Apud Ughel. *Bergamonte.*
(224) Ugh. *Battii.*
(225) Ugh. *Jacinthi.*
(226) Ugh. *preiario.*
(227) Ugh. *bonos.*
(228) Vide Raynaldum, ad annum 1205, §. 14.
(229) Vide epistolam libri tertii 54, not.
(230) Sic in apogr.

A usque ad hoc tempus ab unitate declinans, post greges sodalium evagando, ipsius magistro se subtraxit, et, ut Ephraim facta, quasi columba seducta invocavit Ægytum, et ad Assyrios properavit, et, quæ debuerat propter tempus esse magistra, rursus indigere videtur, ut doceatur quæ sint elementa exordii sermonum Dei; eo quod peccavit in illum qui omnem edocet veritatem; et, cum idem sit benignitas Patris et Filii, peccatum commissum in eum ex malignitate præsumitur processisse, cui deest quælibet materia excusandi. Fermentum quoque non ejecit a domo, ut peccaret in eum a quo Spiritum sanctum procedere renuit confiteri, non attendens, ut debuit, quod qui Filium inhonorat, injuriatur et Patri qui est unum cum ipso. Ad iracundiam ergo, quasi Ephraim, in amaritudinibus B suis Dominum provocavit, ab illius magisterio discedendo, qui Cephas, id est caput, meruit appellari; recedens a Juda, suo in Samaria solio collocato, propter quod super eam venit sanguis ipsius, iniquitate sua, quasi Amorrhæi populi, consummata. Vocavit enim Dominus suos sanctificatos et fortes, et ingressi sunt portas ejus, per quos male perditis malis, vineam suam aliis agricolis, qui sibi suis temporibus reddent fructum, tradidit excolendam, Græcorum imperio ab inobedientibus et superstitiosis translato ad obedientiæ filios et devotos, qui super altari placabili Domino suorum offerant vitulos labiorum. Translato ergo imperio, necessarium ut ritus sacerdotii transferatur, quatenus Ephraim, reversus ad Judam, in azymis sinceritatis et veri- C tatis, expurgato fermento veteri, epuletur. Ut autem in devotione ac fidei puritate, juxta institutiones sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam Dominus omnium ecclesiarum matrem constituit et magistram, prædicta ecclesia plenius informetur, nos, qui curam genere omnium ecclesiarum tenemur, quibus in beato Petro præcipit Dominus pascere oves suas, ipsam tanquam filiam principalem et specialem visitare volentes, quoniam occupationes assiduæ quibus plus solito prægravamur, nos ad eamdem ecclesiam accedere personaliter non permittunt, etsi audiverimus illuc dilectos filios, S. tituli Sanctæ Praxedis, et P. tituli Sancti Marcelli presbyteros cardinales, apostolicæ sedis legatos, de Hierosolymitanis partibus accessisse, quia tamen super D hoc mandatum non habuerant speciale, dilectum filium, B. Tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum utique providum et discretum, litteratum pariter et honestum, quem inter cæteros fratres nostros sinceritatis brachiis amplexamur, ad partes ipsas a latere nostro duximus destinandum, ut, juxta verbum propheticum, efficacius et validius evellat et destruat, ædificet et plantet, prout quælibet suo viderit officio indigere. Nos autem, sententiam, quam canonice protulerit in rebelles, ratam haberi volumus, et præcipimus inviolabiliter observari. Quocirca imperialem magnificentiam rogamus attentius, monemus et exhortamur in Domino, quatenus, ipsum tanquam personam nostram benigne recipiens et honorans, in cujus persona honorari reputamus nos ipsos, eidem, cui dedimus specialiter in mandatis, ut ad honorem et profectum tuum diligenter et prudenter intendat, tuum præbeas auxilium et favorem, ut per ipsius industriam, te favente, statu illius ecclesiæ reformato, ab eo merearis in solio stabiliri, a cujus dextris in vestitu deaurato regina circumamicta varietate consistit, et nos pro honore ipsi exhibito tuæ celsitudini teneamur ad gratiarum uberes actiones.

Datum Idibus Maii.

## LVI (231).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET UNIVERSIS PRÆLATIS, IN IMPERIO CONSTANTINOPOLITANO CONSTITUTIS.

*Mandat ut legatum sedis apostolicæ benigne recipiant et honorifice pertractent, ejusque statuta observent.*

## LVII.

MARCHIONI MONTIS FERRATI.

*Ut Romanam Ecclesiam diligat et honoret*

## LVIII.

LITTERÆ MARCHIONIS MONTIS-FERRATI

*De suo erga Ecclesiam Romanam amore et obsequio oratorem ad papam mittit, et eum de rebus apud Constantinopolim gestis certiorem facit.*

## LIX.

. . . ABBATI ET CONVENTUI CASÆ-DEI.

*De episcopatu in civitate Montispilosi instituendo.*

(Romæ, xv Kal. Junii.)

Ad providendum civitati Montispilosi (232) pontificem specialem, duo principaliter nos inducunt, numerosa videlicet populi multitudo, quæ, in periculum animarum suarum, quasi grex sine pastore vagatur, et prioratus vestri defectus, qui tam in spiritualibus quam temporalibus irreparabile detrimentum incurrit. Cum igitur in religionis vestræ favorem, quæ tunc temporis in loco illo valde vigebat, fuerit vobis ab apostolica sede concessum, ut episcopalis dignitas cederet ordini monachali, quia tamen, cessante causa, cessare debet effectus, præsertim ubi periculum imminet animarum, de fratrum nostrorum consilio disposuimus, non ut prædecessorum nostrorum statutis derogare velimus, sed ut animarum saluti prudentius consulamus, pontificalem ipsi loco restituere dignitatem. Cum autem propter hoc semel, et iterum, vos ad præsentiam no-

(231) Apographum epistolarum 56, 57, 58, quod ad finem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit. Ideoque argumenta tantummodo hic exhibere possumus. Verum, e schedis nostris, hasce tres epistolas in aupographo archivii Vaticani, f° 17 et 18, descriptas esse, pro comperto habemus. Vide Raynaldum, ad annum 1205, §. 14.

(232) Vide epistolas libri sexti 196, et libri septimi 40.

stram citaverimus, certam vobis formam scribendo secundum quam vobis intendimus providere, licet tandem duos de fratribus vestris ad sedem apostolicam direxeritis, quia tamen asserebant se super hoc non habere mandatum, ad majorem cautelam in ipso negotio non duximus procedendum, sed ad omnem excusationis materiam auferendam, ecce nunc tertio peremptorie vos citamus, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus usque ad festum Sancti Michaelis proximo venturum per procuratores idoneos, qui plenam super hoc habent potestatem, nostro vos conspectui præsentetis. Alioquin, extunc, sicut divinus nobis motus ingesserit, etiam vobis absentibus, favente Domino, procedemus.

Datum Romæ, xv Kalendas Junii.

## LX. (233)

WIGORIENSI EPISCOPO. ET . . . ABBATI CICESTRENSI, ET . . . DECANO EBORACENSI.

*De eodem argumento ac in epistola hujusce libri octavi* 33 (234.)

(xvii Kal. Junii.)

Meminimus vobis sub hac forma litteras apostolicas destinasse, quod videlicet *gravem nobis dilecti filii. . . prior et conventus de Tinemut.. transmisere querelam, quod, cum Ecclesia de Wdehorn pertineat ad præsentationem ipsorum, venerabilis frater noster . . . Dunelmensis episcopus, post reclamationem et appellationem ab eis ad nos interpositam, dilectum filium, nepotem venerabilis fratris nostri*, J. *Albanensis episcopi, præsumpsit instituere in eadem, occasione cujusdam nostri mandati, quod propter tacitam veritatem meruit de certa scientia revocari, quamvis prædictus prior, propter litteras comminatorias a venerabili fratre nostro . . . Eliensi episcopo, auctoritate nostra dilecto filio . . . abbati Sancti Albani, directas, cum præfato Dunelmensi episcopo, contradicente conventu, per litteras ejusdem abbatis sui coactus præsentavit et invitus, ita, quod illi præsentationi conventus nunquam voluit adhibere consensum, sed penitus contradixit. Unde, suppliciter postulabant, ut quod taliter actum fuerat dignaremur irrevocabiliter irritare. Verum, dilectus filius, Wiscardus, procurator memorati nepotis episcopi Albanensis, coram dilecto filio, H. Sancti Eustachii diacono cardinale, quem ei concessimus auditorem, proposuit, quod, cum ipse, prætermisso juris ordine, fuisset jam dicta ecclesia per violentiam spoliatus, antequam restitutionis beneficium obtineret, in præjudicium ejus præfati mona-* A *chi super hujusmodi petitione non debebant audiri; sed, cum restitutionis gratiam impetrasset, paratus eis justitiæ plenitudinem exhibere. Nos igitur, uni gratiam et alteri justitiam exhibere volentes, dicto abbati Sancti Albani, qui prædictam ecclesiam nostri detinet auctoritate mandati, per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictam ecclesiam ex parte nostra nepoti sæpedicti Albanensis episcopi recommendatam a nobis assignet, ita, quod ipse proventus ex ecclesia sibi recommendata percipiat, eamque sine præjudicio prioris et conventus de Tinem. custodiat et gubernet. Postquam autem eamdem ecclesiam obtinuerit recommendatam, vos, partibus convocatis, audiatis, tam super possessorio quam super petitorio, quæ fuerint hinc inde proposita, et Deum habentes* B *præ oculis, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, quod justum fuerit statuatis, facientes, etc. Si qua vero pàrtium . . . nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes . . . tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.* Quia vero nostrum omnibus judicium est commune, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, nisi pars utraque consenserit, ut per vos juxta formam præscriptam memoratum negotium terminetur, vos appellatione remota, usque ad calculum definitivæ sententiæ procedentes, causam sufficienter instructam ad nostrum referatis examen, præfigentes partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent.

Datum, xvii Kalendas Junii.

*Scriptum est* abbati Sancti Albini, *ut* prædictam C ecclesiam, quam nostri detinet auctoritate mandati ex parte nostro nepoti sæpe dicti Albanensis episcopi, vel procuratori ipsius, recommendatam a nobis assignet.

*Scriptum est etiam* . . . Eliensi, et . . . Dunelmensi episcopis, *ut* si abbas eam illi assignare neglexerit, ipsi eam assignent eidem.

## LXI (235).

. . . EPISCOPO (236) . . . DECANO ET MAGISTRO E. CANONICO HILDESEMENSIBUS.

*De præbenda in Ecclesia ut S. Willehaldi Bremen. Danieli clerico assignanda.*

(xiv Kal. Junii.)

[Litteras vestras accepimus, *per quas nobis signi-* D *ficare curastis* (237), quod, cum pro *dilecto filio, Daniele*, clerico vobis scripserimus, ut eum de præbenda *ecclesiæ* (238) Sancti (239) *Willehaldi* Bre-

(233 In apographo Conti, ad cujus fidem epistolam hanc exscribi curavimus, legitur in magine notula ista : cap. *Meminimus*, De appellatione : quibus verbis Annotator, qualiscunque fuerit, Epistolam hanc inter Decretales reperiri innuere voluisse videtur; verum illam, in Decretalium, seu generali Gregoriana, seu peculiari Innocentiana collectione, frustra investigavimus.

(234) Vide hanc epistolam, et quæ ibi annotata sunt.

(235) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. iii, tit. 8, *De concessione præbendæ et Ecclesiæ non vacantis*, cap. 9. Quæ illic leguntur hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(236) Vide epistolam libri quinti 14, not.

(237) Hæc in Decretal. desunt, quæ mox *D.* tantum habent pro *dil. f. D.*

(238) Decretal. legunt *vacante*, et mox *Uniscardi* pro *Willehaldi.*

(239) Sic recte legitur in iii collectione, perperam *S Unicardi* in ea quæ est Raimundi. Ecclesia S. Willehaldi Bremensis, est una de duabus collegiatis Ecclesiis, quas suo sumptu fundavit Adelbertus, Bremensis archiepiscopus, *præposituras* denominatas, quod præpositum pro antistite haberent. *Adamus Bremensis*, lib. iii, cap. 19: « Igitur, magnis

mensis, quam dicebat ad donationem nostram fuisse juxta Lateranensis statuta concilii devolutam, curaretis auctoritate apostolica investire, *si canonici, quibus super hoc scribebamus, hoc exsequi non curarent*, Herberto, *præposito, et quibusdam canonicis ejusdem ecclesiæ, cum ipso Daniele, et magistro B. canonico ipsius ecclesiæ, in vestra propter hoc præsentia constitutis, sic* (240) fuit de facto propositum coram *vobis*, quod *idem Herbertus* (241), præpositus, [quondam eiusdem ecclesiæ simplex *existens* canonicus, de ipsa ecclesia in majoris ecclesiæ canonicum est electus, et postmodum, *unius* anni, *vel anni et dimidii*, spatio evoluto, in ipsa ecclesia Sancti *Willehaldi* (242) in præpositum est assumptus, priorem præbendam nihilominus retinens, quam in ipsa ecclesia tunc habebat,] et super hoc patres consentiebant ad invicem, hæc ita fuisse dicentes. Fuit etiam ab una parte propositum, quod ipse præpositus, præter præbendam illam, aliam præbendam habebat præposituræ connexam, quam idem præpositus, et fautores ipsius, inficiati sunt esse præbendam. Præterea, fuit allegatum de jure, quod, ex quo idem præpositus de minori Ecclesia vocatus fuerat ad majorem, prior præbenda inceperat de jure vacare, juxta canonum instituta. Deinde, fuit ex parte clerici allegatum, primam fuisse ordinationem ejusdem ecclesiæ, ut in ea tredecim essent personæ, præpositus scilicet cum duodecim fratribus, quæ nullatenus servaretur, nisi diceretur illa præbenda vacare. Sed [præpositus allegabat econtra, quod erat *fere* (243) de consuetudine generali, quod unus in eadem ecclesia plures præbendas haberet. *Adjectum est etiam, præbendam illam ratione alia non vacare, quia*, cum archiepiscopus Bremensis præpositum ipsum de præpositura in plena synodo investiret, tam præposituram (244), quam præbendam *illam*, ei de canonicorum confirmavit assensu,] eos qui super hoc inquietarent eumdem vinculo excommunicationis astringens. Unde objiciebatur clerico memorato, quod propter hoc sententiam excommunicationis incurrisset; sed, ipse talem confirmationem intervenisse negabat; quæ si etiam intervenit, asserebat eam non tenere de jure, quoniam nemini res illa rationabiliter poterat confirmari, quæ de jure obtineri non potest. Dicebat etiam, se propter hoc excommunicationis sententia nunquam fuisse ligatum, cum super his experitur auctoritate majoris. [*Verum* (245), cum vobis dubium videretur, utrum, cum aliquis de una præbenda eligatur ad aliam, statim prior vacare incipiat, an per sententiam debeat adjudicari eidem, an propter confirmationem hujusmodi quæ superius est expressa, præbenda illa dici debeat non vacare, nos consulere voluistis, *priusquam velletis super hoc aliquid definire*, Cum igitur, si est ita, præbenda illa, etsi non de facto, de jure tamen vacare noscatur, *discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo* mandamus, quatenus jam dictum præpositum, ut *præbendam* illam sine difficultate resignet, *monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam*, appellatione remota cogatis, quam, cum de facto vacaverit, clerico memorato, *auctoritate nostra suffulti, sublato appellationis obstaculo*, conferre curetis,] eum in corporalem possessionem inducentes ipsius, et defendentes inductum; eos autem, qui se temere duxerint opponendos, per districtionem ecclesiasticam compescatis. Quod si non omnes . . . tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum, XIV Kalendas Junii.

LXII.

B. TITULI SANCTÆ SUSANNÆ PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO (246).

*Indulgetur, quod nisi patriarcha Constantinopolitanus in ecclesia Constantinopolitana idoneos viros assumat, ipse viros litteratos et honestos instituat in dicta ecclesia, prout viderit expedire.*

(XIII Kal. Junii.)

His fiducialius et plenius committimus vices nostras, quorum probitatem et scientiam jugiter experimur. Cum ergo plenæ legationis officium in imperio Constantinopolitano tibi, cujus discretionem in multis sumus experti, duxerimus committendum, ut illud melius et plenius exsequaris, recipiendi cessionem episcoporum, et transferendi eos undecunque sint, qui ad sedes alias in eodem imperio constitutas fuerint postulasti, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem; similiter concedentes, ut eos, qui pro violenta manuum injectione in latæ sententiæ canonem inciderunt, secundum ecclesiæ formam absolvas. Ad hæc, cum venerabili fratri nostro, patriarchæ Constantinopolitano (249), duxerimus indulgendum, ut ad Ecclesiam Constantinopolitanam, patriarchalem videlicet in qua vel nulli, vel pauci erant tunc temporis canonice instituti, idoneos viros assumeret, addito, quod nec carni nec sanguini acquiesceret aliter quam deceret, sed attenderet merita et scientiam ponderet, quoniam, in omni gente, qui facit

animi et sumptuum conatibus pugnans, ut Bremam cæteris coæquaret urbibus, statim, ex bonis quæ ipse acquisivit, duas fecit præposituras, unam S. Willehaldo, ubi corpus ejus requiescit, aut translatum est, alteram S. Stephano, cujus se famulum multoties gloriabatur. » Quod iisdem fere verbis repetiit *Albert. Krantz. Metropol.* lib. IV, cap. 32.

(240) Hæc desunt in Decretal., quæ infra *nobis* legunt pro *vobis*.

(241) Decretal. *H.* pro *id Herb.* mox omittunt voces *existens*, et infra *Uniscardi unius*.

(242) Decretal. *Uniscardi.*

(243) Deest Decret., quæ infra legunt *et* loco *adjectum . . . quia.*

(244) Decret. vocem *illam* hic exhibent et infra omittunt.

(245) Decret. *Unde* omittunt postea quæ infra charactere cursivo distinximus.

(246) Vide epistolam hujusce libri octavi 55; et quæ ibi adnotata sunt.

(247) Vide epistolam hujusce libri octavi 19.

justitiam accceptus est Deo, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, si patriarcha ipse a te commonitus procedere forte neglexerit, vel distulerit, juxta formam indulgentiæ sibi datæ, tu in eadem ecclesia, quæ, sicut ecclesias alias in Constantinopolitano imperio constitutas dignitate præcellit, sic debet inter eas personarum non tam numero (248) efflorere, de quacunque natione viros litteratos et honestos instituas, prout videris expedire, tam in hoc quam in aliis supra scriptis, sublato appellationis obstaculo, processurus. Nulli ergo, etc.

Datum XIII Kal. Junii.

## LXIII (249).

UNIVERSO CLERO, ET POPULO IN CHRISTIANO EXERCITU APUD CONSTATINOPOLIM CONSTITUTO.

*Mandat, ut super terræ sanctæ recuperatione imperatori Constantinopolitano tribuent auxilium et consilium.*

## LXIV (249).

PATRIARCHÆ, ET UNIVERSO CLERO CONSTANTINOPOLITANO.

*Statuit, quod universi Prælati conventualium ecclesiarum apud Constantinopolim positarum, cum Ecclesiam Constantinopolitanam vacare contigerit, in ecclesia S. Sophiæ conveniant ad tractandum de electione.*

## LXV (250).

. . . MAGISTRO ET FRATRIBUS DOMUS HOSPITALIS SANCTI RAINERII.

*Iosorum Hospitale in jus et proprietatem B. Petri recipit.*

(VIII Kal. Junii.)

Solet annuere, ete. Accipimus autem, dilecto filio G. (251). Sancti Adriani diacono cardinale, apostolicæ sedis legato, per suas nolis litteras intimante, quod, cum ei locum, in quo postmodum hospitalem domum de ipsius licentia contruxistis, nomine vestro duxeritis offerendum, ut ipsum in jus et proprietatem B. Petri reciperet, idem cardinalis locum eumdem taliter recepit oblatum, vobis licentiam auctoritate nostra concedens, ut ibi ecclesiam et cœmeterium ad usum fratrum et familiæ vestræ ac pauperum ibi morientium tantum, construere libere valeretis. Nos igitur, quod ab ipso legato super hoc pie ac provide factum est ratum habentes, eamdem domum in jus et proprietatem aposcolicæ sedis recipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus ab apostolica sede libertatis obtentæ bisantium unum gratis a vobis oblatum, nobis et successoribus nostris annis singulis exsolvetis. Nulli ergo, etc. Si quis. etc.

Datum, VIII Kalendas Junii.

A

## LXVI (252).

. . . . . SAVARICO, BATHONIENSI ET GLASTONIENSI EPISCOPO.

*Ordinationem Ecclesiæ Glastoniensis a Judicibus delegatis factam confirmat.* (*Inseritur ordinatio.*)

(XVI Kal. Junii.)

Solet annuere, etc. Eapropter, etc. *usque* assensu, ordinationem Glastoniensis Ecclesiæ, factam a judicibus delegatis a nobis, et possessionum divisionem, tam ex parte tua quam monachorum admissam, sicut in authentico confecto exinde noscitur contineri, et rationabiliter factæ sunt, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

B Ne autem de ordinatione ac divisione prædictis inposterum dubitetur, authenticum ipsum de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum. *Universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, E. Dei gratia, Eliensis episcopus ; S. eadem gratia, abbas S. Edmundi; et G. prior sanctæ Trinitatis Cantuariensis*; *salutem in Domino. Ad omnium volumus notitiam pervenire, quod mandatum Domini Papæ Innocentii III in hæc verba suscepimus!* « *Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, Eliensi episcopo, et dilecti filiis, S. abbati S. Edmundi. et... priori Cantuariensi, salutem et apostolicam bendictionem. Qualiter partibus.*» etc. (*ut epist. lib. quinti* 90, *quam vide, usque, anno* V.) *Hoc igitur mandato suscepto super ordinatione Glastoniensis Ecelesiæ, et possessionum ad eam-*

C *dem ecclesiam pertinentium distributione, inter dominum Bathoniensem et Glastoniensem episcopum, et monachos præfatæ ecclesiæ, facienda, ita, quod. ut quarta pars omnium possessionum et proventuum ipsius Ecclesiæ ad usus episcopi deveniret, partes ut præsentia nostra constitutæ, in subscriptam pacis seu partitionis formam coram nobis in jure consenserunt, quod episcopus habeat insulam de Mere, cum omnibus pertinentiis suis, salva communi piscatione episcopi et conventus in aqua de Ferningemensi, et communi venatu in duodecim hidis Glastoniæ ; et ut episcopus habeat domos juxta capellam Beatæ Mariæ, quæ fuerunt abbatum, cum clausura sua per murum qui extenditur a Lardario usque ad angulum borealem prædictæ capellæ*: *et ut fiat porta ejus versus forum*

D *Glastoniæ ; et ut habeat episcopus apud Glastoniam in molis Glastoniæ, tam ad braciandum quam ad forniandum, et ad ignem et clausturam. Quod et similiter monachi habeant apud Mere, cum illic forte hospitandi causa advenerint ; cætera omnia in insula Glastoniæ, et duodecim hidis suis, et omnia alia maneria sua ad conventum pertinebunt, cum antiquis*

(248) Sic in apogr.

(249) Apographum duarum harumce epistolarum, 63, et 64, quod ad finem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit, ideoque argumenta hic tantummodo exhibere possumus. Verum, e schedis nostris hasce epistolas in autographo Archivii Vaticani, f° 19, insertas esse, pro comperto habemus. Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 11 et 14.

(250) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.

(251) Vide epistolam libri quinti 83. not.

(252) Vide epistolas libri quinti 90, 92, et quæ ibi adnotata sunt.

*libertatibus et liberis consuetudinibus suis. De terris quoque extra insulam, istæ subscriptæ ad partem episcopi devenerunt, videlicet Pukelech, Winescumb, Badebir, Eseber, Boccland. Lim, Blacford, Estbrent, Berges, Pravemer. Ut autem episcopus voluntati monachorum plenius cederet, et pro remissione omnium injuriarum, præcedentium et damnorum, de quibus monachi reservaverunt tunc temporis quæstionem coram nobis discutiendam, salvis tamen querelis quas contra quosdem alios habebant ad instantiam et petitionem eorum, episcopus duo eis Maneria, scilicet Estbrent et Berges, quæ in ejus partem devenerant, pro duobus aliis maneriis, scilicet Kinton et Cristemelford, commutavit. Adjecit etiam, de mera liberalitate sua, ut omnia pacifice consopirentur, et in plenum ab eis suciperetur affectum, et pro salute animæ suæ et prædecessorum, et successorum suorum, et ut anniversarium suum singulis annis devotius celebretur, Manerium de Lim, quod antiquitus ad monachorum coquinam pertinebat, cum ecclesia et omnibus aliis pertinentiis suis. De militibus quoque ita ordinatum est, sicut de possessionibus, videlicet, ut episcopus habeat quartam militum, qui scilicet ad feuda et terras assignatæ sibi quartæ portionis pertinere noscuntur. Prior vero et conventus, milites illos, qui tres partes terrarum et feudorum sibi assignatas contingunt, cum homagiis wardiis, et eschaetis, et releviis, et eorum servitiis, cum donationibus puellarum et viduarum, libere habebunt, salvo in omnibus honore D. Regis, et servitiis ei debitis, quæ per manum episcopi vel seneschalchi sui fieri debent; habebunt etiam liberam dispositionem omnium Servientium suorum et Balivorum, tam in domo Glastoniæ quam in omnibus terris suis. Omnes etiam obventiones altarium Glastoniensis Ecclesiæ ad fabricam ejusdem ecclesiæ pertinebunt. De ecclesiis vero ad Glastoniensem Ecclesiam pertinentibus, ratum utrinque habuerunt videlicet, ut episcopus habeat jus patronatus in omnibus ecclesiis prædictorum Maneriorum, quæ eum, ut diximus, per hanc divisionem contingunt. Episcopus autem, pensiones, quas habere solebant in eisdem ecclesiis, eis benigne concessit. Conventus vero, in omibus aliis ecclesiis suis, ubicunque sitæ fuerint simili modo jus habeat patronatus. De prioratibus quoque ad Glastoniensem Ecclesiam spectantibus, ita est ordinatum, ut prioratus de Hibernia ad ordinationem episcopi, prioratus vero de Basselach et de Damecchia ad ordinationem conventus pertineant. Omnia autem instrumenta, quæ dicti Monachi antea contra episcopum impetraverunt, bona fide se reddituros promiserunt, salvis sibi litteris de ordinatione Ecclesiæ impetratis, et quod, ratione præcedentium querelarum, injuriarum vel damnorum sibi ab eo illatorum, nullam de cætero per se vel per alios movebunt quæstionem. Episcopus etiam fideliter firmiterque promisit, de damnis, querelis et injuriis sibi ab eis illatis, se hoc idem observaturum, et quod litteras, si quas contra eos impetraverit, sine difficultate resignabit, salvis sibi privilegiis et indulgentiis, confirmationibus et statutis apostolicis, super Ecclesias Glastoniensi obtentis. Chartas etiam archidiaconatus et pensionum ecclesiarum, eis a prædecessore suo factas, bona fide restituet, et priori et conventui, sicuti prius abbati et conventui erant collatæ, confirmabit. Prior vero ab episcopo, cum consensu conventus vel majoris et sanioris partis, constituatur, sic et sacrista, sic et camerarius, sic et cellararius; ita quidem, ut nec episcopus sine conventu, nec conventus sine episcopo, aliquam istorum personarum possit constituere. Quæ constitutio, si aliter facta fuerit, irrita sit et inanis, et ea auctoritate, qua prædicti prior, sacrista, camerarius et cellararius constituuntur, si minus idonei ob causam rationabilem inventi fuerint, amoveantur, ut, sicut consensus episcopi et conventus in eorum constitutione requiritur, ita in eorum amotione requiratur. Cæterorum vero omnium officialium et ministrorum monasterii, stipendia de partione monachorum percipientium, liberam prior et conventus habeant constitutionem. Erit autem in eadem Glastoniensi ecclesia unicum et commune marsupium, in quod omnes obventiones et redditus ejusdem ecclesiæ refundantur: quod quidem marsupium quatuor monachi, viri fide digni, a priore et conventu electi, quasi Thesaurarii, in sua habeant custodia, et ex eo, ad omnes usus tam interiores quam exteriores, prædictis tribus et cæteris ministerialibus ab eisdem ministretur; qui omnes de acceptis et traditis, secundum ordinationem prioris et conventus, suis temporibus reddant rationem. Sigillum Ecclesiæ ejusdem sub custodia quatuor clavium habeatur, quarum una penes priorem resideat, duas vero habeant duo monachi ejusdem monasterii fide digni, a conventu electi, quartam semper habeat monachus ejusdem monasterii professus, ad episcopo electus, qui neutri parti debeat esse suspectus, ut sine mora et difficultate ea quæ fuerint consignanda possint signari. Nunquam autem fiat consignatio nisi in capitulo, et in præsentia fratrum. Episcopus in priorem et conventum debitam et canonicum habeat coertionem et jurisdictionem. Hanc possessionum divisionem partibus placitam, et ordinationem a nobis constitutam, salva in omnibus auctoritate et privilegio sedis apostolicæ, auctoritate qua fungimur, confirmamus.*

Decernimus ergo... nostræ confirmationis, Si quis autem, etc.

Datum XVI Kalendas Junii.

## LXVII.

...... EPISCOPO MATISCONIENSI (253), ET.... ABBATI DE BALMA BIZUNTINENSIS DIOECESEOS

*Ut P. Monachum, sancti Benigni Divionensis ministrum, quo administrante Ecclesia ista dilapidata fuerat, ad prælaturam evehi non sinant*

(Apud S. Petrum, X Kal. Junii.)

Cum recidivi languores graviores prioribus esse soleant accuratis, nobis est sollicite præcavendum,

(254) Vide epistolam libri quinti 36, not.

ne morbus, qui semel Christi maculavit Ecclesiam, iterum, postquam curatus est, in ipsius posset refluere corruptelam. Ad nostram siquidem noveritis audientiam pervenisse, quod, cum olim in Ecclesia S. Benigni Diviônensis P. monachus ministraret (254), ecclesia ipsa quæ prius et locupletata divitiis et regularibus redimita fuerat disciplinis, eo dilapidante pariter res et mores, in utroque gravissimam sustinuit læsionem. Nunc autem, ipsius ecclesiæ regimine resignato, damnabiliter ad honorem dimittere (255) prælationis aspirans, detestandæ ambitioni suæ non cessat multipliciter dare operam, per quam possit malis recidivantibus in eadem irrumpere prælaturam. Ideoque, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super his diligentius veritate, si dictum P. memoratam Ecclesiam dilapidasse constiterit, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, super ejusdem ecclesiæ prælatura perpetuum ei silentium imponatis, compescentes per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, tam ipsum quam ejus fautores, si quando forte præsumpserint propter hoc aliquid machinari. Quod si non ambo his exsequendis..... tu, frater Episcope, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, x Kalendas junii, anno octavo.

## LXVIII (256).

ARCHIDIACONO, ET ABBATI SANCTI FAUSTINI MAJORIS, BRIXIENSIBUS.

*Scribit in favorem monialium S. Petri de Ripa Brixien. ne Vitalis Humazolus ipsas super usuris molestare possit.*

(v Kal. Junii.)

Dilectæ in Christo filiæ, moniales ecclesiæ Sancti Petri de Ripa de civitate Brixiensi, tranmissa nobis petitione monstrarunt, quod Vitalis Humazolus, Brixiensis, ab eis instanter usuras exposcit, pro eo quod quidam familiaris earum, quod commendatam ab ipsis habebat quamdam pecuniæ quantitatem, ab eodem usuratio usuras exegit, quod sicut eis ignorantibus factum est, ita nihil ex eis penitus receperunt. Quia igitur frustra legis implorat auxilium qui committit in legem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit præfatum Vitalem usuras aliquando recepisse, nisi restituendi eas competentem præstiterit cautionem, ei super hoc, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, silentium imponatis, ut ab ipsarum monialum inquietatione desistat, eumdem per censuram ecclesiasticam compescentes. Nullis litteris veritati, etc.

Datum v Kalendas Junii.

## LXIX (257).

..... ARCHIEPISCOPO REMENSI (258), SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Ut inducat tam clericos quam laicos, ut accedant ad imperatorem Constantinopolitanum pro subsidio terræ sanctæ, et ad expugnandos Barbaros.*

[Vir unus de Ramatha duas sibi copuleverat uxores, Annam videlicet et Phenennam; sed quæ prius fuit prolis gloria decorata, quoniam superbivit, ubi altera cœpit fecunditate sobolis in Domino exsultare, meruit infirmari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem, quæ sub umbra legis historialiter accidisse leguntur, cum, secundum Apostolum, omnia illis contigerint in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei, tempore gratiæ *revelata* (259), ut, a Moysis facie sublato velamine, per evangelicæ doctrinæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aeris elucescat, *et significatum per* (260) significans appareat evidenter. Mediator etenim Dei et hominum, homo Christus Jesus, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ, duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet populum et Latinum ipsos sibi conjunxit per fidei sacramenta. Sed alter eorum videlicet Græcus, qui *septeno* (261) Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus et earum angelis mentionem facit in Apocalypsi Joannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiæ agitatus, ab *unitate* (262) discessit, non attendens, quod, cum Sponsus præmisisset in Canticis : *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus*, statim subjunxit : *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genetrici suæ : viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt, reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam* (*Cant.* VI)*;* nam multæ filiæ congregaverunt divitias; hæc autem « Græcorum populus, rupto vinculo pacis, ab uni« tate discessit, elanguit etiam circa fidem, re« nuens confiteri, quod Spiritus sanctus, qui est « unitatis æqualitatisque connexio, procedat a Filio, « sicut a Patre procedit. Quia igitur circa proces« sionem Spiritus sancti *profiteri renuit* (264) veri« tatem, merito tenebras mentis incurrit, cum « ipse Spiritus omnem doceat veritatem, sicut Fi-

(254) Conferenda omnino quæ hic dicuntur, cum his quæ referunt auctores Galliæ Christianæ, tom. IV, col. 684.

(255) Sic in apogr. vatic.

(256) Epistola hæc concinit fragmento quod legitur in Decretalibus. lib. v, tit. 19, *De Usuris*, cap. 14.

(257) Epistola hæc integra legitur in Gestis Innocentii, § XCIV; sed nonnisi mendis aliquibus contaminata. Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 10. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lideæ virgula in margine disticta sunt. Varias lectiones quæ in Gestis, nec non in codice ms°. Vallicellano signato lit. B. n° 13, reperiuntur, ad majorem diligentiam, notavimus.

(258) Vide epistolam libri septimi 116.

(259) Sic, et in cod. mss° Vallicellano. In Gestis, *revelari*.

(260) Sic, et in cod. Vallicell. In Gestis desunt.

(261) Sic, et in Gest. In codice Vallicell. *septimo*.

(262) Sic, et in Gestis: et in cod. Vallicell. in cod. Reg citat. a Baluzio in marg. *veritate*.

(263) Hæc apud Raynaldum.

(264) Sic, et in Gestis; in codic. Vallicell. *renuit confiteri*.

« lius in Evangelio protestatur. Spirituali etenim « intellectu privatus, quia peccavit in Spiritum, « fermentum non ejecit a domo, ut epularetur in « azymis sinceritatis et veritatis, sed veteri fer- « mento retento, corpus Christi, quantum in ipso « est, comedit fermentatum (265). » Benedictus autem Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui, suam volens Ecclesiam consolari, ut Ephraim convertatur ad Judam, et ad Jerusalem Samaria revertatur, super eumdem populum, quasi montem caliginosum, signum dignatus est mirabiliter elevare ac ejus portas sanctificati *Domino* (266) sunt ingressi, Græcorum imperium a superbis ad humiles, a superstitiosis ad religiosos, a schismaticis ad catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cum enim Christianus exercitus illuc cum Alexio, *filio* (267) Ysachii, advenisset, et, capta urbe Constantinopoli, idem fuisset Alexius coronatus, dictus exercitus ibidem proposuit hiemare. Sed, quæ novus imperator pro beneficiis sibi ab eodem collatis retribuere studuerit, longum esset præsenti pagina enarrare. Verum, ut multa brevius perstringamus, eorum malitia, quasi Amorrhæorum iniquitate, completa, dextera Domini fecit virtutem, et exaltavit exercitum Christianum, illos digna ultione *percutiens* (268), ac eorum terram, auro et argento gemmisque refertam, frumento, vino et oleo stabilitam et bonorum omnium copiis affluentem, exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, et eorum terra pariter subjugata, charissimum in Christo filium nostrum, B. comitem Flandriæ ac Hainoniæ, ad imperii regimen voluntate communi et unanimi sublimarunt, ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum : *Subjiciam*, inquit, *ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum* (*Isa.* XLV). « Hic (269) igitur, su- « blimatus, nobis humiliter supplicavit, ut apostolicæ « sedis devotos clericos, simul ac laicos, nobiles et « ignobiles, cujuslibet conditionis et sexus, aposto- « licis dignaremur exortationibus invitare, ut ad « ipsius accedant imperium, ab eo, secundum qua- « litates ea merita *personarum* (270), gratas divitias « recepturi. Attendentes igitur, quod mutatio hujus « imperii dexteræ mutatio sit Excelsi, et ab eo factum « sit istud, qui tempora mutat, et transfert regna, « cum per illud terræ sanctæ possit utilius subveniri, « quin potius, cum per illud ista credatur posse re- « cuperari de levi, fraternitatem vestram monemus « et exhortamur in Domino, per apostolica vobis « scripta mandantes, quatenus tam clericos quam « laicos efficaciter inducatis, ut ad capescendas spi- « rituales pariter et temporales divitias ad præfatum « imperatorem accedant, qui, ut ejus verbis uta- « mur, cum sufficiat universis, quos ad eum Chris- « tianæ Religionis zelus adduxerit, singulos vult, « et potest, secundum status suos varietatemque « natalium, et augere divitiis et honoribus am- « pliare (271), » ut, Constantinopolitano imperio roborato, et in devotione apostolicæ sedis ibidem Ecclesia stabilita, idem imperator ad expugnandas barbaras nationes, quæ terram in qua Deus rex noster ante sæcula nostram dignatus est operari salutem peccatis exigentibus, detinent occupatam, manu forti et brachio extento valeat *properare* (272) sperantes in Domino Jesu Christo, quod ipse, qui per eum tam cœpit mirabiliter operari, opus incœptum ad laudem et gloriam sui nominis mirabilius consummabit. Nos *enim* (273), his qui accedentes ad ipsum in terræ sanctæ subsidium laboraverint, illam concedimus indulgentiam peccatorum quam aliis crucesignatis apostolica sedes indulsit.

Datum Romæ, etc... anno octavo.

*In eumdem modum*... Rotbomagensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus.

*In eumdem*.., Bituricensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus.

*In eumdem modum*... Viennensi, et suffraganeis ejus.

*In eumdem modum*... Senonensi, et suffraganeis ejus.

*In eumdem modum*... Burdegalensi et suffraganeis ejus.

*In eumdem modum*... Lugdunensi, et suffraganeis ejus.

*In eumdem modum*.... Turonensi, et suffraganeis ejus.

### LXX (274).

UNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS, ET ALIIS IN FRANCIA

*Mandat, ut de singulis Ordinibus viros moribus et scientia commendatos mittant ad partes Græciæ, pro firmanda inibi fide Christiana.*

(Romæ, VIII Kal. Junii.)

Multifarie multisque modis clementia divina nos excitat, ut de somno mortis evigilemus ad vitam, et de lacu miseriæ in spem æternæ gloriæ respiremus. Exsultamus siquidem, et merito exsultare debet omnis sanctorum Ecclesia, quod visitans visitavit nos Oriens ex alto, ut magna pars orientalis Ecclesiæ, Græcia videlicet pene tota, quæ a longissimis

(265) Huc usque Raynaldus.
(266) Sic, et in cod. Vallicell. In Gestis, *Deo*.
(267) Sic, et in cod. Vallicel. In Gestis deest.
(268) Sic, et in Gest. In cod. Vallicell. *puniens*.
(269) Rursus Raynaldus.
(270) Sic, et in cod. Vallicel. In Gestis deest.
(271) Hactenus Raynaldus.
(272) Sic, et in Gest. In cod. Vallicel. *reparari*
(273) Sic, et in cod. Vallicel. In Gestis, *igitur*.
(274) Epistolæ hujus partem vulgavit Raynaldus, ad annum 1205, § 11. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.
Fragmentum ejusdem exhibet Angel. Manrique. *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 449, ad annum 1205, cap. 4, § 11. Ea hic duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distinximus.

retro temporibus matris suæ sanctæRomanæ Ecclesiæ contempserat imitari vestigia, nostris temporibus facta sit de inobediente obediens, et de contemptrice devota.» (275)Ad majorem accedit affluentiam « gaudiorum, quod vir Christianissimus, charissimus « in Christo filius noster, B. imperator Constanti- « nopolitanus illustris ad ea totis viribus satagit et « intendit, per quæ possit et debeat Christiana re- « ligio propagari, et ut ædificium, jam ex magna « parte constructum, non corruat, ardenti laborat « studio et sollicitudine diligenti. Nuper siquidem, « devotionem suo plantatam in pectore in ramos « bonæ operationis diffundens, nobis humiliter sup- « plicavit, ut viros religiosos et providos, de ordine « Cisterciensi, *Cluniacensi*, *canonicorum Regula-* B « *rium, aliarunque religionum* (276), ad fundandam « fidei catholicæ veritatem perpetuoque firmandam, « ad partes Constantinopolitanas faceremus trans- « mittit, et, ut illuc valeant pervenire, a suis prælatis « in necessariis provideri. Postulavit missalia, bre- « viaria, cæterosque libros in quibus officium eccle- « siasticam secundum instituta Sanctæ Romanæ « Ecclesiæ continetur, saltem pro exemplaribus, ad « partes illas faceremus transmitti.» (277) Volentes igitur imperatorem eumdem tanto benignius in suis petitionibus exaudire, quanto majorem in majoribus frequenter sumus ejus fidei sinceritatem experti, universitatem vestram rogamus attente et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, pium ejus desiderium, quantum in vobis fuerit, promoventes, de singulis ordinibus viros moribus et scientia commendandos, ac in religione ferventes, ad partes illas destinare curetis, per quos novella illa plantatio, in disciplina Domini erudita, fructum reddat suis temporibus opportunum, et quod in eis mirabiliter est incœptum, ad laudem et gloriam Redemptoris mirabilius consummetur. Memoratos quoque libros, quibus non solum abundare, sed superabundare vos novimus, ad partes illas, saltem pro exemplaribus, mittere procuretis, ut et vestra abundantia illorum inopiam suppleat, et Orientalis Ecclesia in divinis laudibus ab occidentali non dissonet, sed, sicut est unus Deus et fides una, ita more ipsum laudet et glorificet Oriens et Occasus.

Datum Romæ, etc., VIII Kalendas Junii, anno octavo.

### LXXI (278).

MAGISTRIS ET SCHOLARIBUS PARISIENSIBUS.

*Ut in Græciam accedant pro studio reformando unde exordium habuit.*

Multifarie, etc., *usque* supplicavit, ut vos inducere ac monere apostolicis litteris dignaremur, quatenus, in Græciam accedentes, ibi studeretis litterarum studium reformare, unde noscitur exordium ha- A buisse. Volentes igitur, etc., *usque* quatenus, diligentius attendentes quanto majores vestri difficultates et gravamina sunt perpessi, ut adolescentiæ suæ primitias imbuerunt litteralibus disciplinis, non tædeat plerosque vestrum ad terram argento et auro gemmisque refertam, frumento, vino et oleo stabilitam, et bonorum omnium copiis affluentem accedere, ut, ad illius honorem et gloriam a quo est omnis scientiæ donum, sibi et aliis ibidem proficiant, præter temporales divitias et honores æternæ gloriæ præmia recepturi.

Datum... anno octavo.

### LXXII.

CAPITULO SUSSSIONENSI.

*Scribitur, quod, cum præsentia Episcopi Suessionensis sit in Græcia necessaria pro recuperatione Terræ sanctæ, absentiam ejus sustineant humiliter et devote.*

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod, cum sit magnus in magnis, magno gloriosus operatur in minimis, et, superbos terræ humilians, eum timentibus gratiam tribuit, et honorem. Quam potenter siquidem, et quam mirabiliter temporibus nostris ecclesiam suam dignatus fuerit sublimare, Græcorum Ecclesiam potentia dexteræ suæ ad ipsius devotionem reducens, per diversa mundi climata satis credimus manifestum, et, totum quod factum est ipsius gloriæ ascribendo, totis et medullatis affectibus ab eo implorare debemus, ut quod gloriose incœpit, gloriosius conservare dignetur. Nos igitur attendentes mutationis istius utilitatem multiplicem C et profectum, ad preces charissimi in Christo filii nostri, B. imperatoris Constantinopolitani illustris, venerabili fratri nostro...... episcopo (279) vestro, cujus vita et mores in bono a bonis multipliciter commendantur, cujus quoque præsentia in partibus illis multum et in multis exstitit fructuosa, et ad recuperationem terræ sanctæ profutura speratur, de benignitate sedis apostolicæ alterius triennii spatium duximus indulgendum, in quo et percipere debeat redditus ad mensam episcopalem spectantes, et suæ devotionis votum ad honorem Christi et gloriam valeat consummare. Universitatem proinde vestram rogamus, monemus et exhortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, licet ipsius præsentia vobis non immerito esse de- D beat gratiosa, utilitatem tamen communem privato commodo præferentes, ipsius absentiam sustineatis humiliter et devote. Redibit autem ad vos, Deo propitio, temporis opportunitate suscepta, et spirituales afferet ex agro hujus mundi mandragoras quæ jam in portis nostris odorem suavissimum emiserunt.

Datum Romæ, etc....., anno octavo.

*In eumdem modum*..... regi Franciæ, *usque* valeat

(275) Hæc apud Angel. Manrique.
(276) Apud Manrique desunt.
(277) Huc usque Angel. Manrique; sequentia vero, apud Raydaldum.
(278) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 11 epistola hæc incognita fuit diligentissimo *Historiæ Universitatis Parisiensis* scriptori. Vid. *Hist Univ. Paris.*, t. III, a pag 1 usque ad pag. 88.
(279) Vide epistolam libri tertii 11, not.

consumare. Serenitatem itaque tuam rogamus, A monemus et exhortamur attente, quatenus, licet ipsius præsentia tibi esse debeat non immerito gratiosa, privato tamen commodo præferens utilitatem communem ejus, absentiam patienter sustineas et devote, episcopales proventus eidem cum integritate faciens assignari. Redibit autem ad te, Deo propitio, temporis opportunitate recepta, et spirituales afferet, etc.

Datum, etc., anno octavo.

LXXIII.

UNIVERSIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, ET ALIIS RELIGIOSIS PERSONIS, AD QUAS LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT.

*Ut P. monacho, ab imperatore Constantinopolitano ad sedem apostolicam misso, in victualibus provideant..*

Cum omnibus teneamini officia charitatis impendere, illis specialiter hoc debitum vos convenit exhibere, quos sicut facit eadem professio in proposito pares, ita debet efficere in affectuum participatione conformes. Ad vestram siquidem duximus notitiam perferendum, quod, cum dilectus filius, P. monachus lator præsentium, a charissimo in Christo filio nostro. B. imperatore Constantinopolitano illustri, ad sedem apostolicam mitteretur, post multa conamina et labores vix octo mensium spatio ad nos potuit pervenire. Cum igitur inopinato labore itineris, et gravium onere expansarum multipliciter asserat se afflictum, devotionem vestram rogamus, monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum per vos transitum fecerit, ei saltem in victualibus taliter providere velitis, quod per vestræ charitate auxilium injunctum sibi valeat mandatum perficere, et vos gratiam pro gratia a Domino merito exspectare possitis.

Datum, etc.

LXXIV.

ARCHIEPISCOPO TUAMESI (280) EPISCOPO MIGDENSI (281), ET..... ABBATI KENANENSI.

*Ut supra quæstione vertente inter canonicos S. Mariæ de Luivid, et H. de Say, militem, statuant quod justum fuerit*

(VI Kal. Junii.)

Dilecti filii, canonici Sanctæ Mariæ de Luivid, gravem proposuerunt in nostro auditorio quæstionem, quod, cum terram Balinet-long-fortan ex donatione quondam Okervail, Regis de Criel, adepti fuissent, et eam, tam ante quam postquam Anglici venerunt in partes illas, longo tempore possedissent in pace, H. de Say, miles, Ardmachan. diœceseos, eumdem terram ex donatione Hugonis de Laci contra justitiam occupavit, et, licet dilectus filius noster J., tituli Sancti Stephani in Celio Monte presbyter cardinalis, sedis apostolicæ tunc legatus (282), eidem H. ne terram illam reciperet vel teneret, sub interminatione anathematis inhibuerit, eam nihilominus detinet, et reddere contradicit, allegans legem ab Anglicis introductam, quod videlicet donatio per quemcunque Hibernicum religiosæ domui factam non valeat, postquam rem quæ donatur alicui Anglico rex Anglorum concedit, etiamsi tempore quo per hibernicum donatio ipsa domui religiosæ confertur, is, qui facit donationem, in plena rei donatæ possessione fuisse noscatur, et eam possederit ab antiquo. Cum igitur talis lex nec naturalis, nec scripti juris contineat æquitatem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super his diligentius veritate, non obstante prædicta lege, appellatione remota, quod justum fuerit statuatis, facientes .. nullis litteris veritati. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum, VI Kalendas Junii.

LXXV (283).

GUIDONI REMENSI ARCHIEPISCOPO (284) SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONIS SUBSTITUENDIS, IN PERPETUUM.

*Confirmatio privilegiorum, ipsius inter quæ præcipuum illud recensetur, ut solus Francorum reges inungere ac coronare possit.*

(Apud S. Petrum. Id. Maii.)

Injuncti nobis a Deo apostolatus officium, et ecclesiasticæ utilitatis consideratio, nos admonent et hortantur, fratres nostros episcopos, quos honestate ac religione pollere cognoscimus ampliori charitate diligere, majoremque illis honorem jugiter et gratiam exhibere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et Remensem Ecclesiam, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, ad exemplar piæ recordationis Alexandri papæ, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc. *usque* communimus; statuentes, ut *quascunque* (285) possesiones, etc, *usque* vocabulis exprimenda: Suessionem, Laudunensem, Cameracensem, Belvacensem, Cathalaunensem, Silvanectensem, Noviomensem, Ambianensem, Atrebatensem, Tornacensem, et Morinensem episcopatus. In propria diœcesi tua; Sancti Remigii, Sancti Nicasii, Sancti Dionysii et Sancti Petri monasteria, intra civitatem Remensem; extra civitatem vero, de *Mesomio* (286) Sancti Theodorici, Sancti Petri et Altovillari, Sancti Basoli, et Sanctæ Mariæ Igniacensis monasteria; et in his omnibus monasteriis jura spiritualia et patronatus, cum omni institutione et ordinatione sua, Insuper autem, de Sparnaco, et de *Azenaio* (287) monasteria; nihilominus etiam, infra episcopatum

(280) Vide epistolam libri sexti 163.

(281) Sic diserte legitur in apographo Conti.

(282) Vide epistolam libri quinti 83, not.

(283) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 59. Integram vulgavit Marlottus, *Histor. Remen Eccles.* tom. II, pag. 461. Eamdem recudi curaverunt, sed initio mutilam, auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. IX, col. 102. Varias lectiones damus.

(284) Vide epistolam libri septimi 116.

(285) Marlot. *qualescunque.*

(286) Marlot. *Mosomo*; Gall. Christ. *Mosomico.*

(287) Marlot. et Gall. Christ. *Avenayo.*

*Suessionensem* (288), jus patronatus in monasterio A *Orbacensi*; *infra episcopatum Tornacensem, jus patronatus in monasterio de Cisun* (289). In Noviomensi et Ambianensi episcopatibus, jurisdictionem in *Burgensibus* (290) Sancti Quintini, et de Sancto Walrieo, hactenus habitam, videlicet ut appellati ad Remensem Curiam veniant; dominium Remensis civitatis, cum omnibus pertinentiis suis; feudum, quod ab ecclesia tua comes Campaniæ habere dignoscitur, pro quo, salva fidelitate regis, tibi tenetur ligium hominium facere, videlicet Vitriacum, Virtutum, Regitestum, Castellionem, Sparnacum, *Rotiacum, Fimas, Branam, et comitatum castelli in Portianis* (291), cum Castellaniis eorum, et alias possessiones, et castra quæ idem comes in propria persona tenet, vel alii tenent ab ipso: feudum quoque de B *Baillum* (292), quod Leodiensis episcopus ab archiepiscopis Rememsibus habere dignoscitur, pro quo etiam manu propria tenetur in manu archiepiscopi Remensis promittere, servitium et justitiam se exhibiturum ei, et fideliter *servaturum* (293) et pro quo etiam idem episcopus tenetur efficere quod octo barones illius feudi hominium eidem archiepiscopo faciant, et, ab archiepiscopo vocatus ad expugnandos malefactores ejus, auxilium et servitium per milites et homines armatos facere debet, sicut in scriptis authenticis noscitur contineri; feudum etiam, quod Regitestentis comes, videlicet comitatum de Osmonte, et feudum, quod comes Grandis-Prati, et feudum, quod Suessionensis comes, a te habere noscuntur; castrum quoque Mosomii, C Attiniacum, *Britimvillam* (294), Septem-Salices, Curmessiacum, Curvillam, *Chaumesiacum* (295), et *Stanam* (296), cum pertinentiis eorum. Insuper etiam apostolica auctoritates statuimus, ut nemini, nisi Remensi archiepiscopo, liceat regem Francorum inungere, *vel* (297) ei primam coronam imponere sicut hactenus *est obtentum*. Appellationibus (298) *autem, quæ a quibuscunque jurisdictionis tuæ ad te vel ad curiam tuam fuerint interpositæ, debita præcipimus devotione* deferri (299), *et quod in eisdem appellationibus hactenus* (300) Ecclesia tua specialius, etiam vacante sede, obtinuit, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus. Hæc siquidem omnia, sicut prædecessores tui ab antiquo, et tu ipse hactenus habuisse noscimini, tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica duximus confirmanda. Palleum quoque, videlicet pontificalis officii plenitudinem, tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate largimur, quo utique intra tuam ecclesiam uti memineris, eis diebus, quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet, in Nativitate Domini, *festivitate protomartyris Stephani, circumcisione Domini* (301), Epiphania, Ypopanti, Dominica in Ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato *sancto* (302), Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus Sanctæ Mariæ, Natali Beati Joannis Baptistæ, solemnitate omnium apostolorum (303), dedicationibus ecclesiarum, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, et anniversario tuæ consecrationis die. Decernimus ergo, etc. *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum J. sanctæ Mariæ in via lata diaconi cardinalis, Idibus Maii, indictione octava, Incarnationis Dominicæ 1205, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno octavo.]

LXXVI. (304).

.....ARELATENSI ARCHIEPISCOPO (305), et..... VALLIS MAGNÆ (306), ET..... SANCTI WILLELMI (307) ABBATIBUS. AGATHENSIS ET LOVENSIS DIOECESEON.

*Ut Agathensem Episcopum* (308) *ab Ecclesia removeant, et alium eligant.*

(VIII KAL. Junii.)

Cum dilecti filii, Cisterciensis abbas (309), et P. et R. monachi Fontisfrigidi (310), apostolicæ sedis legati, ad Agathensem Ecclesiam accessissent, ut in

(288) Marlot. in margine, *ad Suessionensem*, et in textu, *Tornacensem*.

(289) Marlot. *de Cisoin*. Gall. Christ. *de Cisuin*.

(290) Sic et apud Marlot. et in Gall. Christ.

(291) In Gall. Christ. desunt.

(292) Marlot. *Bouillon*. Gall. Christ. *Buillon*.

(293) Gall. Christ. *serviturum*.

(294) Marlot. *Betigni villam*. Gall. Christ. *Betignivilla*.

(295) Gall. Christ. *Chammisiacum*.

(296) Gall. Christ. *Stonne*.

(297) Gall. Christ. etc.

(298) Marlot. *Appellationes*.

(299) Marlot. *deservire*.

(300) Hæc omnia desunt in Gall. Christ.

(301) Gall. Christ. desunt.

(302) Marlot. deest.

(303) Marlot. et Gall. Christ. add. *Commemoratione omnium sanctorum*.

(304) Reperitur inter Decretales, lib. v, tit. 1. *De accusationibus, inquisitionibus et denuntiationibus*, cap. 18.

(305) Vide epistolam libri septimi 142, not.

(306) De abbatibus Vallis-magnæ, circa hæc in quibus versamur tempora, præter ea quæ jam ad Epistolam libri quinti 74, not. adnotavimus, hæc addenda hic videntur, ex Gallia Christiana, tom. VI, col. 722.

« XI. H. Vallis magnæ abbas vocatur a Guillelmo, Magalonensi episcopo, ad reconciliandos discordantes Petrum regem Aragonum, et cives Monspe- D lienses, VI Kal. Novembris 1206. Ita *Hist. Occitan.* t. III, *prob.* col. 204. Nisi forte hæc prima nominis littera male scripta fuerit, lectumque H. pro P. Nam.

« XII. Petrus IV noscitur in instrumentis ab anno 1206, usque ad annum 1211. »

(307) Petrus III Raimundi, S. Guillelmi abbas, legitur in Chartis, ab anno 1201 usque ad annum 1211. *Gall. Christ.* t. VI, col. 592.

(308) Conferenda omnino hæc epistola, cum his quæ apud auctores novæ Galliæ Christianæ dicuntur de Raimundo II, episcopo Agathensi, quem sedisse dicunt ab anno 1192, usque ad annum 1213. *Ibib.* col. 679.

(309) Vide epistolam libri quinti 16, not.

(310) De istis jam dictum est sæpius.

ea Legationis officium exercerent, quia de *venerabili nostro* (311)..... Agathensi episcopo, per frequentem clamorem multa sibi fuerant insinuata sinistra, voluerint descendere, ac videre si clamorem opere complevisset.] Ideoque tam episcopum quam canonicos juramenti vinculo astrinxerunt, ut super statu Ecclesiæ sibi dicerent veritatem, qui depositiones eorum redactas in scriptis, cum idem episcopus appellasset, ad nostram præsentiam destinarunt, præfigentes eidem episcopo terminum competentem, quo nostro se conspectui præsentaret, mandatum apostolicum recepturis. Idem autem episcopus, ad præsentiam nostram accedens, postquam confessiones suas et aliorum depositiones audivit, nisus est se multipliciter excusare, suas nobis excusationes in scriptis assignans. Nos igitur, habito cum fratribus nostris consilio diligenti, præfatum episcopum ab administratione Agathensis Ecclesiæ duximus suspendendum, pro eo quod in quibusdam eum culpabilem deprehendimus et confessione ipsius contra eum prima facie faciebant, reddentes eum nobis de jure suspectum, cum nondum suas excusationes probaverit, quas tamen se probaturum firmiter promittebat.] Quia vero nobis non constitit, sub qua *forma* (312) coram prædictis legatis præstitit juramentum, utrum videlicet ita juraverit, ut super statu Ecclesiæ plenam et meram diceret veritatem, an ita ut ad inquisita veraciter responderet, *discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo* (313) mandamus, quatenus eisdem legatis ex parte nostra *in virtute obedientiæ districte* mandetis, ut sub qua forma juraverit vobis studeant fideliter intimare, et, si, secundum responsionem eorum, sub secunda forma juraverit, aut ipse coram vobis sufficienter probaverit se sub illa forma jurasse, per depositiones testium, quos produxit apud sedem apostolicam constitutus, quas vobis sub Bulla nostra mittimus interclusas, aut etiam aliorum, cum nondum depositiones illæ fuerint publicatæ, nec ipse productioni testium renuntiare curaverit, quoniam secundum eamdem non teneretur ex debito juramenti nisi ad inquisita solummodo respondere, vos excusationes illas, quas vobis sub Bulla nostra mittimus interclusas, diligenter audire curetis; et, si eas probaverit evidenter, cum excusationes hujusmodi confessiones illas non perimant, sed exponant, quæ tales sunt, ut et ad bonum et ad malum valeant retorqueri, et ideo judicari debent ex causa, eum sublato appellationis obstaculo, *peni-*

A *tus* (314) absolvatis, cum, etsi repertus sit culpabilis in quibusdam, ex labore tamen et pudore punitus, quos propter hanc causam incurrit, hujusmodi levis culpa leviter ei debeat indulgeri. Quod si excusationes illas super dilapidatione, naufragio et simonia, sufficienter probare nequiverit, aut sub prima forma juravit, quia secundum eamdem nec veritatem tacere, nec admiscere debuit falsitatem, vos, non obstantibus excusationibus illis, quas de novo proposuit *coram nobis*, cum in confessionibus suis nullam omnino de illis fecerit mentionem, quamvis firmiter asseruerit, quod plures ex illis prædictis legatis exposuit, *quas ipsi scribere non curarunt* (315), cum hæc se probare non posset, tanquam qui solus examinabatur ab illis, eum, *sublato*
B *cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo*, ab administratione Agathensis Ecclesiæ *removeatis omnino*, facientes eidem Ecclesiæ, cum concilio legatorum ipsorum, de persona idonea per electionem canonicam provideri; attentius provisuri, ut, Deum habentes præ oculis nec ad sinistram, nec ad dexteram declinetis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum, VIII Kalendas Junii, anno octavo.

## LXXVII (316).

.....MINDENSI (317), ET..... VERDENSI (318) EPISCOPIS, ET..... ABBATI VERDENSI.

*Ut archiepiscopo Magdeburgensi beneficium absolutionis impendant, et de quibusdam aliis referant, et rescribant.*

(VIII Kal. Junii.)

C Si..... Magdeburgensis archiepiscopus (319), notasset plenius, quod obedientia victimis antefertur, et inobedientia idolatriæ comparatur, dicente Domino per Prophetam: *Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam auferre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere* (*I Reg. XV*), non excessisset in tantum, ut, ex quo apostolica sedes semel ei culpam suam ex mera benignitate remisit, excommunicationis sententiam quam venerabilis frater noster, G. nunc Remensis archiepiscopus (320), sanctæ Ecclesiæ cardinalis, tunc vero episcopus Prænestinus, apostolicæ sedis legatus, in eum præsentem protulerat, sua temeritate contemneret, et, postquam sententia ipsa per
D vos, fratres episcopi, et venerabilem fratrem nostrum.... Hildesemensem episcopum (321), de mandato nostro fuerat publicata, contra claves ec-

(311) Hæc Decret. desunt.

(312) Decretales *ad episcopus cum canonicis.*

(313) Hæc Decretales om., ut infra verba *in virtute districtæ.*

(314) Decretales om., et infra *coram nobis.*

(315) Hæc om. Decretal., ut mox verba *sub. cujuslibet obstaculo;* infra legunt *removere curetis* pro *rem. omn.*

(316) Vide Raynaldum, ad annum 1205, §. 53.

(317) Ecclesiæ Mindensi tunc præerat S. Diethmarus, miraculis illustris. Sub hoc, repertæ argentifodinæ, quarum parte Dietmarus ab Henrico imperatore VI donatus est. Sub hoc, monasterium de Neudorpe, ab avunculo S. Diehmari, Simone, præposito, conditum est. Obiit anno 1206. *Bucelim. Germ. sacr.* part. I, pag. 31.

(318) Erat is, versimiliter, Rodulphus, conditor arcis Rodenburg, qui obiise dicitur anno 1208. *Id. ibid* pag. 23.

(319) Vide epistolam libri quinti 8, not.

(320) Vide epistolam libri septimi 116.

(321) Vide epistolas libri quinti, 8 not.

clesiæ, quarum vires nequaquam ignorare debebat, A divina præsumeret officia celebrare. Licet autem magister G. et Albericus clerici, ab ipso ad nostram præsentiam destinati, eum apud nos sollicite intenderent excusare quia tamen excusatio ejus ex ipsa negotii qualitate in accusatione potius vertebatur, eam non duximus admittendam, sed frivolam reputavimus et inanem. Cæterum, quoniam archiepiscopus ipse, sicut accepimus, ad gratiam apostolicæ sedis redire dederat, quæ consuevit pulsantibus pietatis ostium aperire, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ab ipso juratoria cautione recepta, quod mandatis nostris obediat super his pro quibus eum excommunicatum mandavimus nuntiari, absolutionis ei beneficium impendatis; et, ne delictum ejus remaneat incor- B rectum, et per impunitatem transeat aliis in exemplum, salvis aliis mandatis nostris, injungatis ei sub debito juramenti, ut vobis aperiat veritatem, utrum post sententiam latam in ipsum, et maxime publicatam, divina officia celebrarit. Dilecto autem filio, R. Magdeburgensi canonico, qui non ut archiepiscopum persequitur eumdem, sed ut Deo potius et sedi apostolicæ obsequatur, ad præsentiam nostram accessit et aliis, qui proponere voluerint contra eum, audientiam concedentes, personas et canonicos Magdeburgensis Ecclesiæ, ut super his et aliis quæ proposita fuerint testimonium perhibeant veritati, monitione præmissa, per districtionem ecclesiasticam, appellatione proposita, compellatis, et, quod inveneritis, per vestras nobis litteras curetis fideliter intimare, ut, per vestram C relationem instructi, super hoc, prout procedendum fuerit, procedamus. Præfatum autem R. canonicum, propter hæc ab ipso non permittas archiepiscopo vel ab aliis molestari, sed eum, et alios qui proponere voluerint contra illum, auctoritate apostolica defendatis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum, VIII Kalendas Junii, anno octavo.

## LXXVIII.

...PIGAVIENSI (322), ET... SANCTI ÆGIDII DE BRUNSWIC- (323) ABBATIBUS, HALBERSTADENSIS ET MERSENBURGENSIS DIOECESEON. ET... DECANO MERSENBURGENSI-

*Causam A. clerici, de præbenda in Ecclesia Mersburgensi ipsi olim ab archiepiscopo Remensi, tunc apostolicæ sedis legato, concessa, ipsis committit.*

(VI Kal. Junii.)

Constitutis in præsentia nostra dilecto filio, A. clerico, et C. et R. canonicis Magdeburgensibus, dilectum filium, L. 324) tituli Sanctæ Crucis, presbyterum cardinalem, dedimus auditorem, in cujus præsentia idem, A. proponere procuravit, quod, cum venerabilis frater noster, G. nunc Remensis archiepiscopus (325), tunc episcopus Prænestinus, apostolicæ sedis legatus, de quadam præbendarum tanto tempore in Magdeburgensi Ecclesia vacantium, quod ad nos erat earum devoluta donatio, juxta Lateranensis statuta concilii, investisset eamdem, committens exsecutionem mandati sui venerabili fratri nostro Mersenburgensi episcopo (326), si capitulum Magdeburgense nollet quod mandabat implere, quia idem episcopus per eumdem legatum vinculo fuit postmodum excommunicationis astrictus, non potuit procedere in exsecutione mandati. Cumque ipse, post absolutionem a nobis obtentam præfatum capitulum semel et iterum monuisset, ut mandatum legati, cujus exsecutionem acceperat, adimplerent, et idem clericus, ne super præbendis ipsis, ejusdem legati mandato pendente, aliquid ordinarent, sedem apostolicam appellasset, dictum capitulum, appellationi non deferens, unam ex ipsis cuidam clerico assignat. Unde, prænominatus clericus a nobis humiliter postulabat, ut, quod per legatum ipsum super provisione ipsius pia fuerat deliberatione statutum, dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Cæterum, proposuerunt supradicti canonici ex adverso, nullam eo tempore in Magdeburgensi Ecclesia vacavisse præbendam, quo fuerunt capitulo ipsius legati litteræ præsentatæ, cum præbendam illam, quam ille tunc vacasse proponit, cuidam Magdeburgensi canonico, qui nondum emancipatus fuerat, fecerimus assignari, et alter quidam canonicorum illorum, videlicet R. pro se proposuit, quod, cum dictus A. litteras super conferenda sibi præbenda Magdeburgensis Ecclesiæ a dilecto legato per suggestionem obtinuerit falsitatis, ipse, ante omnem litis ingressum, et ante exhibitionem etiam litterarum ipsarum, contra eumdem A. quem de ambitione notabat in jure, et extra jus, sedem apostolicam appellavit. Cumque dictus cardinalis quæ coram eo proposita fuerant nobis fideliter retulisset, quia nobis de prædictis fieri non potuit plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus A. sufficienter probaverit præbendam, sibi a prædicto legato D concessam, tanto tempore vacavisse, quod ad nos ipsius fuerit donatio devoluta, ipsum auctoritate nostra recipi faciatis in canonicum et in fratrem, et pacifica ejusdem præbendæ possessione gaudere, nisi per mandatum nostrum prius alteri collata fuis-

(322) Vide epistolam hujusce libri octavi 44, not.

(323) S. Ægidii Brunswicensis, ordinis S Benedicti, splendidum olim cœnobium, fundatum anno 1113 a Gertrude Marchionissa, Henrici comitis de Northeim vidua, cum dono acceptum a Brunone, archiepiscopo Coloniensi, corpus S. auctoris eo loco immobile constitisset. Absolvit ædificium Lotharius, Saxoniæ dux, qui filiam præfatæ Gertrudis conjugem habuit, et per Theodoricum, sedis apostolicæ legatum, et Rheinhardum, episcopum Halberstadensem, consecrari impetravit anno 1115, quod etiam deinceps magnifice dotavit, et magnis privilegiis communiuit. BUGELIN. *Germ. Sacr.* part. II. pag. 3

(324) Vide epistolas libri quinti 5, not.; libri septimi 1, not.

(325) Vide epistolam libri septimi 116.

(326) Vide epistolam libri sexti 87, not.

set. Contradictores. reducentes in irritum quidquid, etc. Testes autem... nullis litteris veritati, etc. Quod si omnes... duo vestrum, etc.

Datum, VI Kalendas Junii, anno octavo.

### LXXIX (327).

ARCHIEPISCOPO PISANO (328).

*Ut absolvat judicem Carolitanum a juramento sibi præstito, injungens ipsi ut non differat Ecclesiæ Romanæ jurare* (329).

### LXXX.

J. ARCHIPRESBYTERO PERUSINO.

*Decernit ipsum non teneri, quidquid a legato sedis apostolicæ decretum fuerit in Ecclesia Perusina, contra privilegia per apostolicam sedem concessa.*

(III Non. Junii.)

In nostra proposuisti præsentia constitutus, quod, B cum dilectus filius, magister Rolandus, subdiaconus et capellanus noster, rector Massan. apostolicæ Sedis legatus, accederet ad Ecclesiam Perusinam, auditis confessionibus tuis et fratrum tuorum, super proventibus ipsius Ecclesiæ ac expensis, nullo super his juramento recepto, et ordine judiciario non servato, contra privilegium vobis indultum, pro suæ voluntatis arbitrio sententiam promulgavit, in qua, licet quibus asseris te gravatum proposueris contineri, tamen specialiter super tribus correctionem apostolici moderaminis implorasti. Continebatur quidem in ea sententia, ut in Ecclesia Perusina prior claustralis ordinari deberet, qui fratres instrueret, ac regularibus observantiis informaret. Tibi vero inhibebatur, ut per annum ultra viginti solidos expendere non valeres. Insuper, hæc, C et alia, quæ prædicta sententia continebat, sub pœna excommunicationis injungebantur firmiter observari. Cum autem illud quod idem rector de prioris institutione sancivit, eidem privilegio nostro contrarium videatur, quod continet, ex octo canonicis qui esse debent in ecclesia ipsa, major archipresbyteri, alius ordinarii, sequens camerarii officium exsequatur, nulla ibi habita de prioratus officio mentione, petiisti, ut id auctoritate dignaremur apostolica vacuare. Illud vero, quod dictus legatus infra tempus unius anni expendere ultra viginti solidos tibi non esse licitum definivit, cum in privilegio nostro determinati temporis spatium non signetur, quod expresse licentiam expendendæ prætaxatæ pecuniæ comprehendat, interpretari a nobis D lucidius flagitasti. Excommunicationis quoque sententiam videri tibi proponebas iniquam, sub cujus pœna præfatus rector præcepit ea quæ statuit observari, cum videatur absurdum, ut, quoties quis in eorum observatione deliquerit, toties incideret in pœnam sententiæ promulgatæ. Volentes igitur, ea, quæ per privilegium nostrum deliberatione provida sunt statuta, firmiter observari, quidquid est ab ipso legato decretum, quod sit contra privilegium memoratum, auctoritate apostolica decernimus non servandum; illud, quod ultra viginti solidos sine assensu capituli tibi expendere non liceat, sic volentes intelligi, ut videlicet præter consensum capituli tui, vel majoris aut sanioris patris ipsius, nil tibi simul expendere ultra summam liceat memoratam, licet super expensa hujusmodi vel minori reddere te velimus in capitulo rationem. Pœnam autem, sub qua dictus legatus ea quæ statuit observari præcepit, intelligi volumus non latæ sententiæ, sed ferendæ.

Datum III Nonas Junii.

### LXXXI.

...PATRIARCHÆ AQUILEGENSI (330).

*Mandat, ut per episcopum Palaviensem inquiri faciat contra Plebanum de Gonew. de crimine apostasiæ accusatum.*

(II Non. Junii.)

Quod in his quæ mentem tuam aliqua dubitatione propulsant, apostolicæ sedis imploras consilium, tuam in Domino prudentiam commendamus, quia in hoc ejus esse devotus filius comprobaris, cujus desideras adhærere consiliis et jussionibus obedire. Ad audientiam sane apostolatus nostri, te significante, pervenit, quod, cum plebanus de Gonew. multoties fuerit super crimine apostasiæ pulsatus, eo quod in ecclesia Sanctæ Mariæ, Pataviensis diœceseos, emisso voto, assumpsisset habitum monachalem, ac postmodum, tam veste mutata quam mente, se gereret tanquam clericum sæcularem, bonæ memoriæ P. (331) prædecessor tuus, de prudentum virorum consilio, qui tunc Pataviensi Ecclesiæ præsidabas, rogavit, ut super prædictis ab abbate et Monachis ipsius loci diligenter inquireres veritatem. Procedente vero tempore, cum præfatis abbati et monachis in virtute obedientiæ præcepisses, ut veritatem super hoc tibi plenius revelarent, concorditer responderunt, præfatum plebanum in voto et habitu monachali in eodem loco per quinquennium permansisse. Cumque continuo adjecisses, cur tanto tempore tacuissent, dixerunt, quod plebanus ille multoties ad eos accesserat, et illi Ecclesiæ contulerat multa bona, ut per eos suum non publicaretur peccatum. Præfato igitur Patriarcha, antequam hæc sibi per te intimata fuissent, viam universæ carnis ingresso, postquam fuisti divina vocatione ad sedem Aquilegensem assumptus, solemne capitulum celebrasti, in quo, cum sæpe dictus Plebanus super eodem crimine fuisset a suo archipresbytero accusatus, licet publica laboraret infamia, id tamen penitus denegavit. Tandem, totius processu negotii per te coram toto conventu diligenter exposito,

(327) Apographum epistolæ hujus, quod ad fidem apographi Conti exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus.

Cæterum, repetenda videtur ab epistola quæ legitur, sed mutila, inter Decretales, lib. I, tit. 26, *De præscriptionibus*, cap. 28. Vide etiam Raynaldum, ad annum 1205, § 66.

(328) Vide epistolam libri tertii 9, not.

(329) Vide epistolam libri septimi 109.

(330) Vide epistolam libri septimi 99, not.

(331) Vide epistolam libri tertii 26, not.

allegavit idem Plebanus, accusationem istam sibi nequaquam debere obesse, quia, cum judicis loco sederes, tuum contra se non deberet testimonium acceptari, et sic, de prudentum virorum consilio, donec nos inde consuleres, contra ipsum procedere noluisti. Nolentes igitur judiciarium ordinem prætermitti, vel ipsum Plebanum tergiversationibus suis ecclesiasticam effugere disciplinam, fraternitatem tuam consulimus, per apostolica scripta mandantes, quatenus per venerabilem fratrem nostrum... Pataviensem episcopum (332), hujus rei sollicite facias veritatem inquiri, eidem Plebano denuntians, ut, si voluerit, inquisitioni studeat interesse, et, sic per ipsum inquisita et cognita veritate, statuas quod canonicum fuerit, et quod statueris facias, appellatione remota, firmiter observari. Ne vero, pro eo quod idem Pataviensis episcopus non est tibi metropolitico jure subjectus, mandatum tuum super inquisitione facienda exsequi non curaret auctoritate præsentium id ei poteris delegare.

Datum, II Nonas Junii.

## LXXXII.

...DE HEISTERBACH (333), ET... DE RUMESDORP [*al.* ROMERSDOFFIO] ABBATIBUS (334), ET... DECANO BUNNENSI (335), COLONIENSIS DIOECEOS.

*Mandat ut inquirant si inter duos comites possit pax reformari per matrimonium inter partes, licet in certo affinitatis gradu se attingant.*

(II Non. Junii.)

Ex litteris dilecti filii...Bunnensis præpositi, nobis innotuisse noscatis quod tantum inter quondam nobiles viros H. et E. comites, fratres suos, et T. comitem de Landesberg. odii ac invidiæ fomitem succendit humani generis inimicus, ac adeo pertinaciter alteros in alterum concitavit, quod, præter hominum stragem, quæ hinc inde provenit, plurima secundum varios bellorum eventus bona ecclesiarum diriperent, villas plurimas concremarent, auferrent viduis et orphanis spolia, committerent inter se quidquid adhuc crudelius exerceri potuit inter hostes, et in tantum dictus comes, cum potuerit obtinere viribus contra eos, adversus ipsos est callide machinatus, quod per insidias cepit eosdem, ac ipsos carceralibus vinculis mancipatos adeo afflixit enormiter, et depressit, quod alter eorum, videlicet E. ex eo dicitur mortis dispendium incurrisse, quod quidem majoriis odii fomitem in suos et fratris sui succendit hæredes. Quidam autem adolescens, dicti fratris sui filius, quem ad vindicandas patrui et patris injurias et hominum suggestia stimulat, et motus animi juvenilis, ut dictum comitem hostiliter more patrio persequatur, tota intentione laborat, et, nisi occurratur principiis, gravis fore in medio et difficilis in fine reputatur occursus Verum, quia dictus comes unicam habet filiam, quam adolescens præfatus, nisi eam linea consanguinitatis contingeret, sibi posset matrimonialiter copulare, idem præpositus humiliter postulavit a nobis, quod ex benigna dispensatione concedere dignaremur, quod contrahatur matrimonium inter eos, cum sic credatur finis tantis periculis imponendus. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super his diligentius veritatem, et, si noveritis quod per matrimonium ipsum pax valeat reformari, et tantis malis finis imponi, et consanguinitatis gradus est dispensabilis, statuatis super hoc, auctoritate nostra, pro tanto malo vitando, quod secundum Deum videritis expedire.

Datum, II Non. Junii.

## LXXXIII (336).

..... PATRIARCHÆ AQUILEGENSI (337), ET..... ABBAT. DE NOVO-CASTRO (338).

*Mandat ut moveant ducem Sueviæ, ut nullum tribuat auxilium episcopo Wormaciensi excommunicato.*

(Apud S. Petrum, II Nonas Junii.)

Si filii estis Ecclesiæ, imo quia filii ejus estis, non potest vos non comedere zelus ejus, nec potestis opprobria illi exprobantium et usurpantium jura ejus æquanimiter sustinere. Usque adeo enim estis in timore divini nominis et ecclesiasticæ dignitatis reverentia radicati, ut de vobis nullatenus dubitemus quod si Ecclesiæ causa, præsertim quæ tantum ecclesiastica sit, agatur, persecutio, aut gladius, præsentia, vel futura vos possint ab Ecclesia separare, quominus in die prælii ponatis vos pro domo Domini ascendentibus ex adverso, et contra Damascum vos ipsos in turrim fortitudinis erigatis. Non potestis siquidem, nec debetis illam tempore necessitatis relinquere, quæ vos regeneravit in Christo, et in partem sollicitudinis evocavit, suscitans vos de pulvere, ut cum terræ principibus sedeatis ad faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis exercendas, scientes quod Deo debetis magis quam homini obedire, nec in causa ejus, in qua ipse vobis cooperator et coadjutor existet, timere potestis quid faciat vobis homo. Quod si hostis contra vos persecutionis ollam succenderet, et ad probandam vel comprimendam fortitudinem vestram elementa etiam commoveret, quia non sunt

(332) Erat is, verisimiliter, Poppo, qui, ex præposito Aquilegensi, episcopus Pataviensis factus fuerat anno 1204. Vide HANSIZIUM, *Germ sacr.* tom. I, pag. 350. Concinit Bucelinus, qui Popponem non nisi anno 1206 obiisse dicit. BUCELIN. *Germ. sacr.* part. I, pag. 45. Vide etiam epistolas libri septimi 142 et 143.

(333) Vide epistolam libri sexti 36, not.

(334) Reinerus, abbas Romersdolfii, memoratur in instrumentis, ab anno 1202, usque ad annum 1216. *Gall. Christ.* tom. XIII, col. 655.

(335) Vide epistolam libri sexti 36, not.

(336) Epistolam hanc laudat Bzovius, *Annal.* t. XIII, ad an. 1205, § 17.

Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad eumdem annum 1205, § 52. Quæ ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Integram vulgavit Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 450, ad an. 1205, cap. 5, § 2.

(337) Vide epistolam libri septimi 99, not.

(338) Vide epistolam libri octavi 8, not.

condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam in nobis prædicit Apostolus revelandam, propter justitiam debetis persecutionem amplecti, etsi oporteret pro clavibus Ecclesiæ ac fide catholica martyrium sustinere, utpote quibus mors momentanea initium vitæ fieret sempiternæ. Sane, didicisse vos credimus ex evangelica lectione, quod is qui Ecclesiam suam super se petram fundavit, claves regni cœlorum beato Petro concessit, inquiens ad eumdem : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, el quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Quod autem Luipuldus (339), quondam Wormaciensis episcopus, juste fuerit ligatus a nobis, nullus dubitat qui Petri privilegium non ignorat. Nam, cum ipse, vocatis cæteris in partem sollicitudinis, in solos successores suos transfuderit collatæ sibi a Domino plenitudinem potestatis, per quam episcoporum translatio ad Romanum pontificem tantum spectat, idem Luipuldus, non solum absque licentia nostra, favore nobilis viri, Ph... ducis Sueviæ, imo eo illum, quantum in ipso erat, temere transferente, ad Ecclesiam se transtulit Maguntinam, verum etiam, cum tandem ipsius postulatio justo fuisset judicio reprobata, quia, post appellationem ad nos legitime interpositam, in discordia postulatus, sine licentia nostra transivit, eidem incubare præsumpsit, et, cum juxta canonicas sanctiones utraque meruerit spoliari, non attendens gratiam sibi factam, per quam ipsi concessimus, ut Wormaciensem Ecclesiam retineret, utramque detinuit, et adhuc detinet occupatam. Quia igitur per litteras et delegatos nostros super hoc non semel tantum monitus, sed frequenter, nec mandatis nostris paruit, nec monitis acquievit, manifestum ejus contumaciam attendentes, quoniam deposito corde carneo, lapideum cor assumpserat, et obturaverat aures suas, ne intelligeret ut bene ageret, nec adjiceret, ut, sua præsumptione resurgens, satisfaceret de contemptu. primo excommunicationis sententiam, et tandem depositionis, et censuram merito suæ iniquitatis excepit, quibus qualiter deferat, satis est omnibus manifestum. (340) Cæterum, idem dux, cum debuisset excommunicatum vitasse, ac depositum abjecisse, tanquam de clavibus Ecclesiæ non recte sentiret, ex eo tempore amplius illum fovet, et non solum in errore suo, tanquam primus et præcipuus actor, participavit eidem, sed, in argumentum gratiæ plenioris, in Italiam officium ei suæ legationis indulsit; et, ad impugnandum beati Petri patrimonium, hostem Ecclesiæ destinavit. Ecce qualiter idem dux Romanam honorat Ecclesiam, ecce, qualiter claves Ecclesiæ reveretur, cum, quantum in eo est, Petri privilegio violato, quod nullus principum, nullus etiam imperatorem hacte-nus attentavit, translationem episcoporum sibi præsumpserit usurpare, ac hominem excommunicatum et damnatum a nobis, tanquam non credat testimonio Veritatis, quod in collatione clavium de ipsarum viribus protulit ipse Christus, fovere publice ac honoribus studerit ampliare. Cum enim lepræ judicium, secundum legem divinam, ad solos pertineat sacerdotes, quibus, ut inter lepram et lepram dijudicent, est concessnm, non debuerat leprosum contingere, aut sacerdotale sibi officium vindicare, ne cum Ozia rege lepra perculeretur in fronte, fieretque nota omnibus ejus culpa. Verum, si virum religione conspicuum, litterarum præclarum, præditum honestate, ac damnatum injuste foveret, licet ejus non esset de nostro judicio judicare, aliquibus tamen excusabilis forsan videretur ; sed, cum faveat homini pestilenti, cujus crimen nec peritia litterarum extenuat, nec morum minorat honestas, nec religio palliat, nec pœna excusat injusta, excessus ejus nequit ullatenus excusari.) (341) Præterea, super hoc eum ignorantia non excusat, cum, etsi forsan canonicum jus ignoret, recentia tamen exempla, et ea quæ in ejus oculis modernis temporibus acciderunt, cautum eum reddere potuerint et instructum. Novit enim, et per totam fuit Theutoniam divulgatum, qualiter, quia venerabilis frater noster..... Salzburgensis archiepiscopus (342), ad Salzburgeusem Ecclesiam postulatus, sine licentia nostra transivit, ejus fuerit postulatio reprobata, et ipse, proprium recognoscens et damnans errorem, redierit ad Ecclesiam Brixinensem. Qui, licet, intellecto mandato nostro, nobis humiliter paruerit et devote, non tamen prius translationis gratiam potuit obtinere, cum Salzburgensis Ecclesia eum denuo concorditer postulasset, quam ad præsentiam nostram personaliter laboravit. Nec etiam ignorare potuit dux prædictus, cum in partibus illis fuerit publicatum, quod, cum bonæ memoriæ C. (333), imperialis aulæ cancellarius, occasione indulgentiæ, quam a felicis recordationis C. papa, prædecessore nostro, se impetrasse dicebat, per quam utcunque apud aliquos excusabilis videbatur, ad Herbipolensem Ecclesiam ab Hildesemensi transisset, quia monitus errorem proprium non correxit, non solum excommunicatus fuit, sed, tam Herbipolensi quam Hildecemensi Ecclesia spoliatus, licet tandem, ad mandatum nostrum humiliter et devote reversus, gratiam nostram meruerit obtinere. Nos autem, etsi diu duxerimus exspectandum, ut dux idem errorem suum corrigeret per se ipsum, tandem tamen per te, fili abbas, et dilectum filium.....abbatem de Salem (344), eum super hoc mandavimus commoneri, et, licet abbas de Salem, cum tibi litteræ nostræ non fuerint, sicut accepimus, præsentatæ, ipsum monuerit diligenter, cum tamen

(339) Vide epistolam libri quinti 14, not.
(340) Hæc apud Raynald.
(341) Huc usque Raynald.

(342) Vide epistolam libri tertii 4, not.
(334) Vide epistolam libri quinti 99, not.
(344) Vide epistolam libri quinti 99, not.

non potuit emollire, aut flectere mentem ejus, et ab ejusdem damnati et excommunicati favore et participio revocare. (345) [Licet igitur, ex eo quod ejusdem ducis notorius est excessus, et ipse, jam monitus, noluerit ab hujusmodi præsumptione cessare, possemus gravius procedere contra eum, adhuc tamen experiri volentes si nunc saltem, tanquam vir catholicus, aut etiam Christianus, beato Petro, cœlestis regni clavigero, magisterium universalis Ecclesiæ, a nobis in eo claves regni cœlorum fideliter recognoscat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus, ad eum, dilatione et excusatione cessante, personaliter accedentes, ipsum secreto prius, et tandem publice, in audientia tam ecclesiasticorum quam sæcularium principum, quos contigerit interesse, diligentius et instantius moneatis, ut sæpe dicto excommunicato nullum de cætero tribuat auxilium vel favorem, sed potius, tanquam depositum, illum abjiciat, et velut damnatum evitet, ac idolum zeli, quod in templo Dei, velut abominationem in loco sancto stantem, erexit, de ipso prorsus eliminare procuret. Alioquin, publice nuntietis eidem quod, nisi, usque ad tres menses post commonitionem vestram, monitis vestris acquieverit humiliter et devote, in eum et terram ejus manus nostras curabimus, fortius forsan quam extimet, aggravere,](345*) cum id non possimus ulterius æquanimiter sustinere, imo, cum, pro justitia sedis apostolicæ defendenda, non solum persecutionem pati, sed animam ponere, licet nil tale nos oporteat formidare, parati essemus, si necessitas postularet. Universis quoque principibus regni Theutonici, tam ecclesiasticis quam mundanis, meram et plenam super his veritatem diligenter ac fideliter intimetis, ut cum utriusque partis meritum intellexerint, de tenebris falsitatis ad lucis veritatem accedant. Quod si non ambo... tu, frater patriarcha, etc.

Datum Romæ. apud S. Petrum, II Nonas Junii.

## LXXIV (346).

EISDEM.

*Ut ducem Sueviæ, nisi infra tempus resispiscat, sacris interdicant.*

(Apud S. Petrum, II Non. Junii).

Quid vobis super commonitione nobilis viri, Ph. ducis Sueviæ, ut a favore ac defensione Luipuldi, quondam Wormaciensis episcopi, nunc excommunicati et depositi, omnino desistat, vobis dederimus in mandatis, vos novimus meminisse. Quia igitur pati nec volumus nec debemus ut claves Ecclesiæ impune contemnat, et verbo veritatis, qua Petro dicit: *Quodcunque ligaveris* (*Matth.* XVI), etc. etsi non sermone, saltem opere, in suam et aliorum perniciem, contradicat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus, nisi forsan infra mensem post commonitionem vestram, ab errore hujusmodi vel hæresi resipiscens, eidem Luipuldo suum subtraxerit participium et favorem, vos in ecclesiis vestris totam terram, quam in domanio suo tenet, denuntietis auctoritate nostra suppositam interdicto, ita quod, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, nullum in ea divinum officium celebretur, vel exhibeatur Ecclesiasticum sacramentum. In omnibus quoque locis, ad quæ ipse devenerit, quandiu in eis præsens exstiterit, divina prohibeatis officia celebrari. Id autem singulis diebus Dominicis et festivis, per ecclesias vestras, et vicinas diœceses, ac terram ipsius publicari solemniter faciatis, addentes quod, si nec sic resipuerit, in personam ipsius et terram omnium eidem in hoc errore faventium aggravabimus fortius manus nostras. Taliter autem mandatum apostolicum impleatis, ut zelus domus Dei vos comedere videatur. Quod si non ambo... tu, frater patriercha, etc.

Datum Romæ, apud S. Petrum, II Nonas Junii.

## LXXXV (347).

UNIVERSO POPULO VITERBIENSI, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Ut insurgant adversus quosdam Paturenos, nec eis præstent auxilium, consilium vel favorem.*

[Si adversus *vos* (348) terra consurgeret,] et iniquitates vestras cœli sidera revelarent, et manifestarent vestra scelera toti mundo, ut non solum homines, sed ipsa etiam elementa conjurarent in vestrum excidium et ruinam, et a terræ facie vos delerent, non parcentes sexui vel ætati, ut essetis cunctis gentibus in opprobrium sempiternum, ultio de vobis sumi non posset sufficiens sive digna. Vos enim, nec Deum timetis, nec hominem formidatis, nec discernitis inter profanatum et sanctum, sed ponitis lucem tenebras, et tenebras lucem, et dicitis malum bonum, et bonum malum; vos, famam bonam quæ impinguat ossa, et nomen bonum quod multis divitiis antefertur, procurare contemnitis, et de infamia non curatis, cum sitis attritæ frontis, et impudibundam frontem assumpseritis meretricis. Computruistis namque in peccatis, sicut jumenta in stercore suo, ut fumus, ac fimus putrefactonis vestræ jam fere circum adjacentes regiones infecerit, ac ipsum Dominum, ut credimus, ad nauseam provocaverit (349). «In peccatis quidem excelletis universos. « facti perfidiores Judæis et crudeliores paganis.

(345) Rursus Raynaldus.
(345*) Hactenus Raynald.
(346) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 53.
(347) Epistolæ hujus fragmentum legitur inter decretales, lib. V, tit 7, *De Hæreticis*, cap. 11. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt, variæ lectiones dantur.

Partem ejusdem vulgavit Raynaldus, ad annum 1205, § 66. Quæ apud ipsum exhibentur, hic duplici ad initium cujusque lineæ virgula in margine distinximus.
(348) In Decretal. *nos*.
(349) Hæc apud Raynald.

« Judæi siquidem semel Dominum crucis patibulo « affixerunt, sed vos, in membris suis jugiter crucifigentes eumdem, opprobriis ipsum et contumeliis « laceratis, et, cum illi credant, licet sub cæcitate « peccati, Deum Patrem omnia visibilia et invisibilia condidisse, plerique vestrum a lucifero visibilia credunt esse condita et creata. Pagani furebant in perimendis Christianorum corporibus et « mactandis, sed vos, necare intenditis totum hominem, animas fidelium latenter Christo subripientes, et utrumque hominem pariter perimentes. « Verum, nec isti, nec illi Christum Domini cognoverunt, propter quod habere videntur excusationem aliquam in peccatis, sed vos, tanquam filii « Ephrem intendentes arcum, Christi fuistis charactere insigniti, et adhuc in publico Christiana « vultis professione censeri, corde tamen abeuntes « retrorsum ac recedentes a fide, conversi estis in « arcum perversum, hæreticorum laqueis irretiti, « ac eorum pravis dogmatibus deformati (350). » Unde, vere in vobis verbum propheticum est impletum: *Lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos* (*Trem.* IV). Potati enim estis non vino compunctionis, sed felle draconis, vobis ab hæreticis propinato in aureo calice Babylonis. Jam enim inundaverunt aquæ, operueruntque capita vestra peccata demersa in barathrum vitiorum. Jam absorbuit vos profundum, et urget super vos os suum puteus infernalis. In lacum desperationis siquidem incidistis, cum contemnatis resurgere a profundo. Unde, merito formidamus ne in filios diffidentiæ veniat ira Dei, et jam exacuat sicut fulgur gladium suum, et agat de vobis judicium manus sua, nec in die furoris, existat misericordiæ suæ memor (351) « Nos autem, vestris miseriis compatientes, imminenti ruinæ vestræ occurrere volumus, et viam « patulam exterminii vestri præcludere, si valemus, « pulsantes Deum precibus, et Abrahæ vestigia « imitantes, qui a Domino, volente subvertere Sodomam et Gomorrham, multiplicatis intercessionibus impetravit quod pro decem justis non perderet universos. Experiri siquidem volumus « utrum inter vos aliqui fideles remanserit, qui « ante Baal sua genua non curvaverint, et, Ninivitarum exemplo, sacco et cinere prosternati, iram « Domini mitigent et furorem, ut parcatur multis « pro paucis, nec simul pereant universi. Si quis « igitur Dei est, adjungat se nobis, nam gestare « volumus gladium Phinees, et animadversionem « Mosaicam imitari, ac cum Mathathia punire dæmonibus immolantes, ut auxiliante Domino eliminentur de templo perfidi et indigni, et fermentum « hæreticæ pravitatis de massa conspersionis Dominicæ salubriter expurgetur. Ideoque per apo-

A « stolica vobis scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, cum quidam vestri concives, « filii Belial, in odium Jesu Christi, et contemptum « apostolicæ sedis et nostrum, post inhibitionem a « nobis factam, quosdam credentes Patarenorum in « consules eligere attentarint, ipsum etiam hæresiarcham, videlicet J. Tiniosi, perditionis filium, qui, « exigentibus iniquitatibus suis, de mandato nostro « jamdudum vinculo existit excommunicationis « astrictus, et adhuc in contumacia sua perdurat, « camerarium instituere non timentes, in electos ipsos « et electores, pariter ac eorum complices viriliter « insurgatis, resistentes eis magnanimiter et potenter, ac eosdem acriter expugnantes, et ne valeant « radicari firma radice, primos ipsorum conatus frustrare ac contundere laboretis. Ut autem evulsis radicibus stipes arescat penitus et siccetur (352) », B sub interminatione anathematis districtius inhibemus, ne aliquis eis jurare, tanquam consulibus, vel rectoribus, vel alio modo, præsumat. Illos vero, qui eis aliquo juramento tenentur astricti, vel qui eis jurare post electionem hujusmodi præsumpserunt, cum nulla esse debeat participatio Christi ad Belial, vel lucis ad tenebras, et fidelis apostatæ qui fidem violavit temere Creatoris, tenere fidem nullo modo teneatur, cum hoc cautum in canonibus habeatur, eos a tali juramento duximus absolvendos. Licet autem a nobis et prædecessoribus nostris contra hæreticos multa sint edita et statuta, ne habeatis excusationem aliquam in peccatis, quasi antiquorum obliti fueritis mandatorum, et, (quia plus C timeri solet quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, (353) advocatis et scriniariis firmiter inhibemus, ne *præfatis electis, dum fuerint in sua contumacia et errore, Patarenis vero* (354) credentibus, fautoribus, et defensatoribus eorumdem, *ullo tempore,* in aliquo præstetis auxilium, consilium vel favorem, nec eis in *aliquibus* causis, vel factis, vel *aliis* litigantibus sub eorum examine, vestrum patrocinium præbeatis, et pro ipsis publica instrumenta condere vel aliqua scripta facere nullatenus attentetis. Quod si *forte* contra facere præsumpseritis, ab officio vestro suspensos perpetuo vos decernimus infamiæ subjacere.] Cæterum, ne judices et scriniarii, qui consenserunt præfatis electis in hujusmodi præsumptione temeraria sociari, D de sua nequitia glorientur, cum privilegium mereatur amittere qui permissa sibi abutitur potestate, eos ab officio suo judicamus esse suspensos, decernentes irritum et inane quidquid per ipsos et electos prædictos factum fuerit, vel statutum. Sententias autem excommunicationis et interdicti, ab episcopo et clericis vestris propter excessus hujusmodi latas rationabiliter in rebelles et in memoratos electos,

(350) Hucusque Raynald.
(351) Rursus Raynaldus.
(352) Hactenus Raynaldus.
(353) In Decretal. add. *vobis.*

(354) Decretal., *hæreticis* pro *præfatis...vero*; mox *vel* legunt pro et; verba *ullo tempore,* et infra *aliquibus* omittunt, *aliquibus,* pro aliis *legunt,* et vocem *forte* non habent.

ratas habemus, easque præcipimus usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari. Alioquin, si nec sic superbia vestra comprimi poterit, et stultitia refrenari, hædis ab ovibus et fidelibus ab infidelibus segregatis, malos male perdemus, vineam nostram aliis agricolis collocantes, qui fructum suum temporibus suis reddant, et tandiu manus nostras temporaliter et spiritualiter in vos curabimus durius aggravare, donec per experientiam cognoscatis quid apostolicæ sedis dextera valeat, et quid possit, et a vobis sit hujusmodi eliminata spurcitia et iniquitas exstirpata. Recolere quippe debetis quantum periculum incurreritis pro eo quod nostrum consilium contempsistis.

Datum, etc.

LXXXVI (354*).

CLERICIS SANCTÆ AGATHES

*Reducuntur ad percipiendam quamdam pensionem annuam in ecclesia S. Salvatoris, et condemnatur presbyter ad solutionem ejusdem pensionis.*

(II Non. Junii.)

Querelam, quam *dilectus filius* (355), G. tituli Sancti Vitalis *nunc* presbyter, *tunc Sanctæ Mariæ in Aquiro diaconus* cardinalis, per œconomum Ecclesiæ vestræ, cujus idem cardinalis est gubernator (355*), contra P... *nunc* presbyterum, *tunc vero diaconum*, super Ecclesia *Salvatoris quæ dicitur de Cornutis* (356*), *coram bonæ memoriæ C. Papa, prædecessore nostro*, proposuit, *ipse* (357) nobis in minori officio constitutis audiendam *et examinandam* commisit. Petebat igitur *idem* œconomus, *ut præfatus Petrus removeretur* ab Ecclesia Salvatoris, quam in præjudicium Ecclesiæ vestræ, ac injuriam cardinalis prædicti præsumpserat occupare, cum ipsa Ecclesia *Salvatoris* (357*) pleno jure pertineat ad Ecclesiam Sanctæ Agathes, petens *etiam*, pensionem sedecim denariorum Papiensum, debitam Ecclesiæ Sanctæ Agathes, pro *Ecclesia Salvatoris et terminis* (356*), sibi restitui de novo substractam. Prædictus vero P. *clericus* (358), respondebat quod ipse nullam injuriam irrogaverat cardinali, nec in præjudicium Ecclesiæ *Sanctæ Agathes* (358*) acceperat *Ecclesiam Salvatoris*, cum hæc ad illam nullo jure pertineat nec A aliquam sibi debeat reddere pensionem, sed ipse per electionem populi, quæ de antiqua consuetudine pertinet ad eumdem, a cardinale Sanctæ Susannæ (359), cui eadem Ecclesia Salvatoris, tanquam capella suo titulo, in spiritualibus est subjecta (359*), canonice fuerat institutus.] Cumque ad suam assertionem probandam utraque pars testes multoties produxisset, nos illos recepimus et examinavimus diligenter, quorum depositionibus publicatis, disputationem audivimus super illis; sed, antequam hujusmodi controversia finem accipere potuisset, præfatus, prædecessor noster debitum carnis exsolvit. Demum autem, utraque pars a nobis cum instantia postulavit, ut causam ipsam decidere dignaremur. [Nos igitur, *attestationibus, et allega-* B *tionibus, ac instrumentis* (360) utriusque partis diligenter auditis, *et plenitius intellectis, habito fratrum nostrorum consilio, prædictum presbyterum* ab impetitione œconomi vestri, super electione ac institutione de se facta in Ecclesia Salvatoris, absolvimus, et super his præfato œconomo silentium duximus imponendum, cum *per testes idoneos* (360*) nobis constiterit *evidenter*, quod populus in quasi possessione præsentandi clericum *ad illam Ecclesiam* existebat, quando *prædictum clericum* (361) ad illam elegit, et eadem Ecclesia spectat ad titulum Sanctæ Susannæ in spiritualibus pleno jure, salva quæstione super jure patronatus inter Ecclesiam vestram et populum (361*) Salvatoris. Qnia vero *per testes, omni exceptione majores* (362), fuit liquido comprobatum, quod pensio sedecim denariorum Papiensis monetæ, C *fuit* (362*) clericis Ecclesiæ vestræ, pro Ecclesia Salvatoris *et terminis*, annuatim per multa tempora persoluta, sed de novo substracta, *nos* (363), in eumdem statum percipiendi *pensionem* hujusmodi de Ecclesia Salvatoris *et terminis*, Ecclesiam vestram *decrevimus* reducendam, et ad solutionem pensionis substractæ *condemnavimus* presbyterum antedictum, salva quæstione proprietatis inter Ecclesias memoritas.] Nulli ergo, etc. nostræ definitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, II Nonas Junii.

(354*) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. I, tit. VI, *De electione et eldcti potestate*, cap. 24; ideoque hic uncis inclusa exhibetur; variæ lectiones dantur.

(355) Vide epistolam libri quinti 60, not.

(355*) Cardinalibus, propter dignitatem, præter proprium titulum, licet alias Ecclesias obtinere, gubernationis seu commendæ nomine, quarum dicuntur gubernatores.

(356) *De cornutis.* Sic in Apographo; verum, ex sequentibus, legendum esse patet, *de Terminis*, vel *de Thermis.*

(356*) Vide epistolam libri tertii 54, not.

(357) Cardinales in propriis titulis, et capellis eis subjectis, habent jura episcopalia, vel collationem beneficiorum, et alia.

(357*) Hæc desunt in Decretal., ut mox verba *nunc, tunc... diaconus*, et *nunc.*

(858) Decretal. legunt *ecclesiæ Sancti Salvatoris*, et infra *ipsa*, loco *salv. g. d. d. C., c. b. m. C. p. p. n.*

(358*) Decretal. *C. papa p. n.*, et mox omittunt verba et examin. Loco *idem* legunt *præfatus*, et *præfatum Petrum removeri*, infra.

(359) Decret. om. hoc verbum, et mox *etiam.*

(359*) Sic in Apographo Conti. In Decretalibus D vero. *pro eadem ecclesia de Thermis.*

(360) Decretal. om. et mox *vestræ* legunt pro *S. Agath.*, et *dictam ecclesiam* pro *eccl. salv.*

(360*) Decretal., *rationibus*, loco *att. et all. ac ins.* Mox *dictum P.* legunt pro *et pl. i., h. f. n. c. p. p.*

(961) Decretal. om. ut mox verbum *evidenter* et infra *ad illam eccl.*

(361*) Decretal. legunt *ipsum presbyterum*, pro *præd. cler.*

(362) Decretal. Add. *sæpedictæ Ecclesiæ S.* et mox om. verba *per... maj.*

(362*) Decret. legunt *fuerit* et mox *de Thermis* pro *termin.*

(363) Decretal. *vos*, et mox om. verbum *Pensionem* infra legunt *de Thermis* pro *et terminis* et mox *decernimus* pro *decrev.* et *condemnamus* pro *condemnavimus*

LXXXVII (363*).

G..... MAJORI ARCHIDIACONO, ET MAGISTRO R. POENITENTIARIO S. VICTORIS PARIENSIS, ET MAGISTRO R. DE CORZON, NOVIOMENSI CANONICO, PARISIIS COMMORANTI.

*Mandat ut episcopum Tullensem absolvant, vinculo excommunicationis, et causam inter dictum episcopum et archidiaconum Tullensem terminent.*

(VII Id. Junii.)

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius, P. archidiaconus Tullensis, a nobis humiliter postulavit, ut super Tullensem Ecclesiam, quæ per incuriam et malam administrationem. . Tullensis episcopi (364), in gravem lapsum et exterminium jam devenerat, nostræ provisionis oculos aperire, et, in sterilitatis vindictam, infructuosæ arbori ultricem securim apponere dignaremur, ne terra fructifera per mali cultoris injuriam et neglectum in salsilaginem convertatur. Cum enim venerabilis frater noster... Remensis archiepiscopus (364*), tunc apostolicæ sedis legatus, et dilectus filius... abbas S. Benedicti Metensis (365*) diœceseos, contra præfatum episcopum litteras apostolicas recepissent (365 ), et archidiaconus memoratus vellet inscribere contra ipsum, archiepiscopus ipse, ejusdem archidiaconi et sociorum ejus periculum reformidans, eos sub hac forma ad concordiam inducere procuravit, ut scilicet idem episcopus in eorum præsentia præstaret corporaliter juramentum, quod de cætero libertatem Ecclesiarum, et jus clericorum totius diœceseos conservaret illæsum, nec bona episcopatus alienare præsumaret, vel pignori obligare ; præcipiens etiam prioribus et decanis, quod si dictum episcopum venire contingeret contra proprium juramentum, ipsi debitum obedientiæ consuetum denegarent eidem ; sub pœna quoque excommunicationis eidem studuit inhibere, ne de rebus immobilibus Tullensis Ecclesiæ de cætero quidquam alienare præsumeret, consensu sui capituli non obtento. Procedente vero tempore, cum idem episcopus in ipsius esset archiepiscopi præsentia constitutus, decanus Tullensis (366) in modo denuntiationis crimen ei dilapidationis objecit, proponens, quod, jurisjurandi religioni et excommunicatione contemptis, viginti et duas villas alienare præsumpsit ad mensam episcopi pertinentes, et, cum episcopatus Tullensis in suæ promotionis initio in redditibus mille libras haberet, ad tantam per ipsum fuerit exinanitionem redactus, quod vix ad triginta libras Tullensis monetæ ejus possent redditus pervenire. Cum igitur ad hoc idem episcopus respondisset quod non per suam sed capituli sui culpam illarum rerum fuerat alienatio perpetrata, adjecit quod ei placebat ut de statu episcopatus a bonis viris ejusdem diœceseos fieret inquisitio veritatis, et sic, eum de partis utriusque assensu ad hoc certa dies constituta fuisset, licet tam archiepiscopus quam episcopus memorati, sub multorum testimonio prælatorum ipsum decanum in suo recepissent conductu, frater tamen episcopi et servientes ejus, in ipsum decanum manus injicientes sacrilegas, et pedibus ejus sub ventre roncini ligatis, eum ad episcopum deduxerunt, eumque durissimis vinculis mancipatum non prius absolvere voluerunt, quam idem episcopus propter hoc fuit excommunicatione notatus, et terra ejus supposita interdicto, nisi eum infra certum terminum liberasset. Cumque nec sic proficere potuisset, eo tandem post multa conamina vinculis absoluto, ac die certa partibus assignata, cum jam per cleri et populi famam eidem archiepiscopo constitisset, quod in extremis illa Ecclesia laboraret, sæpedictum episcopum, de nimia dilapidatione suspectum, a temporalium administratione, et de perjurio graviter infamatum, a spiritualium exsecutione suspendit, quam suspensionis sententiam quoniam idem episcopus servare contempsit, ipsum postmodum excommunicationis vinculo innodavit ; et cum hæc a Joffrido archidiacono in præsentia nostra essent proposita, econtra W. et T. procuratores episcopi sæpedicti, in nostro auditorio allegarunt quod sententia ipsius archiepiscopi nulla fuit multiplici ratione. Cum enim in talibus ordo judiciarius consueverit observari, isti modus fuit non tenuisse modum; nam, neque lis contestata fuit, velut juris æquitas suadebat, et, cum idem episcopus usque ad octavas Sancti Michaelis deliberationis obtinuisset inducias, eo penitus ignorante, interim contra eum inquisitio facta fuit, cum secundum juris ordinem judicis officium conquiescere debuisset, donec petiti temporis curricula defluxissent ; ad hoc, cum in omnibus legitima fuerit appellatio interposita ab eodem, nullus videtur ejus fuisse processus, qui appellationis legitimæ remedio enervatur. Præterea, cum objiceretur eidem quod post excommunicationem celebrasset divina, ipsi procuratores inficiabantur omnino, et quod prædictæ villæ alienatæ fuissent, non culpa episcopi sed capituli contigisse firmabant; unde, quidquid per archiepiscopum factum fuerat, a nobis censeri putabant irritum et inane. Nos igitur, his et aliis diligenter auditis, quæ partes coram nobis proponere voluerunt, quia prædictum legatum rite per omnia cognovimus processisse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, prædictam suspensionis sententiam facientes auctoritate nostra firmiter observari, procuratorem idoneum statuatis, qui negotia ejusdem episcopatus interim administret, episcopo tamen in justis et moderatis expensis congrue provisurus, dum hujusmodi causam contigerit ventilari ; et,

(363) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 53.
(364) Vide epistolam libri quinti 13, not.
(364*) Vide epistolam libri septimi 116.
(365) Vide epistolam libri quinti 13, not.
(365*) Ibid.

(366) Fredericus *de Brixei*, decanus Tullensis memoratur anno 1200 ; mox, et immediate Theodericus, anno 1216 ; apud auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. XIII, col. 1062.

quoniam productioni testium a neutra parte renuntiatum fuisse didicimus, non attestationes receptas vobis clausas remittimus, nihilominus injungentes quod præfatum episcopum secundum formam Ecclesiæ ab excommunicationis vinculo absolvatis, et recipiatis testes, quos utraque pars duxerit producendos, quorum attestationibus una cum prioribus publicatis, causam diligenter examinare curetis, et eam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, fine canonico terminare; ita, quod si legitime vobis constiterit, prædicta bona Tullensis Ecclesiæ per culpam ipsius episcopi alienata fuisse, ab eadem ecclesia eum amovere curetis. Alioquin, cum de alienatione jam constet, quamvis idem epicopus culpam refundat in alios, quia tamen super hoc vehementer habitus est suspectus, et graviter B infamatus, purgationem ipsi canonicam indicatis; attentius provisuri, ut, si dictus episcopus post excommunicationis sententiam in se latam divina præsumpsit temere celebrare, quia contemptum adjunxit contemptui ad enervationem ecclesiasticæ disciplinæ, vos eum a pontificali officio deponatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere: nullis litteris præter assensum partium obstantibus, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum, etc. septimo Idus Junii.

LXXXVIII (366*).

ANDREÆ, DOMINO HUNGARIÆ.

C *Excusationem affert, cur ei pro postulato Colocensi archiepiscopo in Strigoniensem archiepiscopum morem non gerat, aliumque eligi jubet.*

(VIII Kal. Julii.)

Novit ille qui scrutator est cordium et cognitor secretorum, quod ad honorem et profectum tuum ardenti desiderio aspiramus, pro certo sperantes quod tu progenitorum tuorum inhærens vestigiis, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, matrem tuam, prompta devotione cupias venerari. Licet ergo per primas litteras, quas nostro apostolatui destinasti, postquam ad regni gubernaculum ascendisti, fraterno sigillo signatas, nos duxeris exorandos pro venerabili fratre nostro J. Colocensi archiepiscopo, ad Strigoniensem metropolim transferendo, postmodum tamen, per alias litteras, tuo charactere insignitas, nobis humiliter supplicasti, ut postulationem D de venerabili fratre nostro, C. Quinquecclesiensi episcopo, ad eamdem metropolim evocato admittere dignaremur; super qua cum fratribus nostris deliberavimus diligenter, et quoniam invenimus eam, post appellationes ad nos legitime interpositas, in multa discordia non solum suffraganeorum, verum etiam canonicorum Strigoniensis Ecclesiæ, contra formam mandati nostri, regulari ordine prætermisso, temere celebratam, illam, exigente justitia non duximus admittendam, dolentes pro te pariter et pro ipso, quod ad postulationem hujusmodi non est eo modo processum, ut eam secundum Deum approbare possemus. Monemus igitur serenitatem tuam et exhortamur attentius, quatenus in hoc non voluntatis nostræ duritiam, sed canonicæ sanctionis censuram attendas, quam sine personarum acceptione servare volumus, ut debemus, cum in manu nostra non debeat esse pondus et pondus, quasi in statera dolosa; sciturus pro certo quod preces, quas nobis secundum Deum duxeris porrigendas, parati sumus efficaciter exaudire. Ne vero Strigoniensis Ecclesia ulterius remaneat desolata, Strigoniensi capitulo per nostras damus litteras in mandatis, ut ad providendum sibi pastorem idoneum, per electionem canonicam, vel postulationem concordem, requisito suffraganeorum assensu, si de antiqua approbata consuetudine fuit requirendus, infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum procedere non postponant. Alioquin, extunc, ne gregi Dominico diu desit cura pastoris, ad providendum eidem Ecclesiæ pastorem idoneum procedemus, secundum officii nostri debitum ex plenitudine apostolicæ potestatis; in quo, quantum cum honestate nostra poterimus, tuo deferemus honori.

Datum, VIII Kalendas Julii.

LXXXIX (367).

PRIORI, ET FRATRIBUS HOSPITALIS SANCTÆ TRINITATIS DE VERNOLIO.

*Recipit eos sub protectione, cum annuo censu unius obuli aurei.*

(III Id. Junii.)

Solet annuere, etc. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, personas et domum vestram, cum omnibus bonis, etc., *usque* suscipimus. Specialiter autem domos, terras, et alia quæ Herveus parvus eidem domui contulit; decem solidos in furno Georgii de Punt. decem solidos annuatim in anniversario Joannis de Saccenuill. feudum Cochet, et terras de Faudo; sicut ea juste et pacifice possidetis, vobis, ac, per vos, eidem Hospitali, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus perceptæ protectionis a nobis, obulum aureum gratis oblatum nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo... nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum..., III Idus Junii, anno octavo.

XC (367*).

S. MAGUNTINENSI ARCHIEPISCOPO (368).

*Super consecratione episcopi Argentinensis.*

(VIII Id Junii.)

[Solet ad se mora trahere plerumque periculum,

(366) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 55. Vide etiam epistolam libri septimi 226.

(367) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 68.

(367) Epistolam hanc vulgavit Schoepflinus. *Alsat. Diplom.* tom. I, pag. 313, *Dipl.* 373, ideoque hic uncis includitur.

(368) Vide epistolam libri quinti 14, not.

A et quæ a principio poterant de facili consummari, longa postmodum dilatione suspensa, graves interdum et difficiles exitus habuerunt. Istud autem dilectus filius, H. Argentinensis electus (368*), non modicum reformidans, non sine multo labore ad præsentiam nostram accessit, nobis reverenter insinuans quod, cum canonice fuerit de unanimi voluntate cleri et populi in episcopum Argentinensem electus , communicato fratrum suorum et prudentum virorum consilio, ad venerabilem fratrem nostrum, G. (369). Remensem archiepiscopum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, tunc episcopum Prænestium, in partibus Teutoniæ legationis officium exercentem, et ad te, pro electionis confirmatione speciales nuntios destinavit, qua liberaliter B a nobis obtenta, postmodum, cum idem electus per.... abbatem de Sturzelb (369), et alios, cum litteris ejusdem legati, humiliter ac reverenter fecerit te rogari, ut ei consecrationis beneficium exhiberes, tu ei per tuas litteras respondisti, quod, deliberatione præhabita, diem ei et locum congruum assignares, ad quem tam tibi quam ei securus pateret accessus, ibique tunc illum in episcopum consecrares. Electus autem, promissione tua diutius exspectata, suos ad te nuntios iterato direxit, qui, licet in itinere fuerunt spoliati, ad te tamen pedites nihilominus pervenerunt, consecrationem ipsius sollicite postulantes. Tu vero , ad instantiam tam electi quam nuntiorum ipsius, diem ei apud Andernacum, in Dominica qua cantatur *Oculi mei,* in anno præterito, assignati, promittens te ibi con- C secrationis ei beneficium impensurum. Cumque idem electus ad locum ipsum die statuto paratus esset accedere, litteras tuæ fraternitatis accepit, in quibus te arduis præpeditum negotiis asserebas, et ideo non posse ad diem assignatam accedere, nec termino præfixo pro consecrationis munere impendendo suæ satisfacere voluntati. Processi vero temporis, idem electus, gravem sibi et Ecclesiæ suæ videns imminere ruinam, ita, quod homines regionis illius in eum, præpositos et abbates, et alios clericos manus injicere non timerent, sumentes ex eo perversitatis audaciam, quod idem electus non esset pastorali præditus dignitate, ad sedem apostolicam nuntium destinavit, postulans, in hac causa sibi et Argentinensi Ecclesiæ, cujus status, tam in spiritualibus quam temporalibus, incurrebat assi- D due detrimentum, per benignitatem sedis apostolicæ provideri ; cui litteras ad te de benignitate paterna concessimus, ut eum in competenti loco et tuto vel in persona propria consecrares, vel faceres per alios consecrari. Tu vero, cum super hoc litteras nostras receperis, et ab ipso electo consecratio sua cum multa precum et devotionis instantia fuerit postulata, per dilectum filium.... abbatem de Bungart (370), quem ad te propter hoc cum nostris litteris destinavit, ut securum ducatum tibi præstaret, et in ejus consecratione tanquam unus consecratorum astaret ; cumque idem electus verbum tuum super hoc devote receperit, ab ipso archiepiscopo per nuntium diligentissime postulavit, ut tam petitioni tuæ quam suæ super hoc præberet assensum ; sed id ab eo non potuit aliquatenus impetrare. Unde, idem electus tibi per clericum tuum, qui tunc aderat secum præsens, et litteras intimavit, quod archiepiscopus ipse ducatum tibi , sicut petieras, præstare non posset, et ipse paratus erat ad locum securum accedere, quem tu ei propter hoc duceres præfigendum, sed a te responsum aliquod non accepit. Idem igitur electus a nobis humiliter postulavit ut, quod a te ad præsens obtinere non poterat, ei misericorditer impendere dignaremur : præsertim, cum de retardatione consecrationis ipsius, Argentinensi Ecclesiæ, clero et populo totius episcopatus, multa provenerint et adhuc proveniant detrimenta. Nos autem, tuæ volentes fraternitati deferre, ad consecrationem ipsius non duximus procedendum, donec de rei serie ac voluntate tua per tuas redderemur litteras certiores. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per litteras meram et simplicem nobis significes veritatem, et tuam etiam voluntatem exponas, ut omnibus intellectis super hoc, prout expedire noverimus, procedamus ; sciturus pro certo quod, si procedendum duxerimus ad consecrationem ipsius, honori tuo et juri sufficienter curabimus providere.

Datum, VIII Idus Junii, anno octavo.

### XCI.

CONSULIBUS ET POPULO MONTIS PESSULANI.

*Ut non impediant constructionem oratorii Sancti Spiritus* (370*), *epistola comminatoria.*

(III Non. Junii.)

Non sine dolore referimus, nec sine pudore narramus quod quidam in reprobum sensum dati, tanquam impii, qui, cum venerint in profundum vitiorum, contemnunt, ædificationem oratorii Fratrum hospitalis Sancti Spiritus, contra nostrum statutum, imo potius contra divinum mandatum, multipliciter impedire nituntur, non attendentes quam sit impium et iniquum nequiter operari contra opera pietatis, quæ, secundum Apostolum, promissionem habet vitæ, quæ nunc est, pariter et futuræ. Quia vero tantæ præsumptionis audacia ecclesiastica debet severitate retundi, nos, ex parte Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, simul ac nostra, excommunicamus et anathematizamus

(368*) Vide epistolam libri octavi 8, not.
(369) Vide epistolam libri septimi 116.
(369*) Forte *Theodoricum* nomine, quem anno 1200 memorant auctores novæ *Galliæ Christianæ*, t. XIII, col. 947.
(370) Vide epistolam libri octavi 8, not.
(370*) Vide epistolam libri sexti 107.

omnes omnino, sive clericos, sive laicos, qui per se ipsos vel alios constructionem ipsius oratorii præsumpserint aliquatenus impedire; auctoritate apostolica statuentes ut, si quisquam in laqueum hujus excommunicationis inciderit, a nemine absolvatur, præterquam in mortis articulo constitutus, donec apostolico se curaverit conspectui præsentare, dignam de tanto facinore pœnitentiam recepturus. Devotionem autem vestram in Domino commendamus, quod, apostolicis exhortationibus informati, prædictis fratribus contra præsumptores hujusmodi potenter hactenus astitistis, impendentes eis auxilium opportunum, ita quod, nisi vestro fuissent favore defensi, oratorium jam incœptum non solum impeditum fuisset, verum etiam omnino destructum. Cupientes igitur vos tanquam filios speciales in bono perseverare proposito, et de virtute semper ascendere in virtutem, charitatem vestram monemus attente, et in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus fratres prædictos contra malignorum molestias defendatis, et ad consummationem oratorii jam incœpti manum eis auxilii porrigentes, non permittatis ut ejus constructio possit ab aliquo impediri, quatenus per hæc et alia bona quæ, Domino inspirante, feceritis, æternæ retributionis præmia uberius consequamini, et apostolicæ sedis gratiam mereamini plenius obtinere.

Datum III Non. Junii, anno octavo.

### XCII (371).

P. REGI ARAGONIÆ.

*Ipsi et successoribus ejus concedit ut per archiepiscopum Tarraconensem apud Cæsaraugustam coronentur.*

(XVI Kal. Julii.)

[« Cum quanta gloria et honore, tripudio et applausu, regium Romæ de manu nostra in monasterio B. Pancratii susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum, P. (371*) Portuensem episcopum, in regem fecimus te inungi, tua sublimitas non ignorat. Ut autem dilectionis affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis evidentius monstraremus, regalia insignia universa, mantum videlicet et colobium, sceptrum et pomum, coronam et mitram, ad opus tuum, non minus pretiosa quam speciosa fecimus præparari, et ea liberaliter tibi donavimus in signum gratiæ specialis. Tu vero tanquam devotus princeps et catholicus rex, super altare beati Petri, apostolorum principis, regnum tuum nobis et per nos apostolicæ sedi, cum multo devotionis affectu per privilegii paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale, firmiter promittendo quod juramentum fidelitatis et obedientiæ, in coronatione tua nobis exhibitum, inviolabiliter observabis, et ad illud exhibendum et conservandum successores tuos obligari volebas. Nos igitur gratiam tibi a nobis exhibitam ad successores tuos derivari volentes, præsentium auctoritate concedimus, ut, cum ipsi decreverint coronari, coronam a sede apostolica requirentes, de speciali mandato per Terraconensem archiepiscopum apud Cæsaraugustam solemniter coronentur, præstita, super prædictis idonea cautione (372). Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

« Datum XVI Kalendas Julii.

### XCIII (372*).

EIDEM.

*Pollicetur quod, si obtineat insulam Majoricarum, instituetur in ea sedes episcopalis.*

### XCIV.

EIDEM.

*Concedit ei facultatem possidendi licite quidquid de terra Hæreticorum poterit acquirere.*

### XCV.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS ET PRÆLATIS PER TERRAM ARRAGONEM CONSTITUTIS.

*Mandat ut regi in expellendis impiis auxilio consilioque præsto sint.*

### XCVI (373).

FRATRIBUS DE CALATRAVA, ET DE VELEZ (374).

*Mandat ut regi Arragoniæ adversus Saracenos opitulentur.*

(III Non. Julii.)

[Proposuit coram nobis charissimus in Christo filius noster, P. Arragoniæ rex illustris, quod, cum charissimus in Christo filius noster. . . . . illustris rex Castellæ, cum Saracenis treguas inierit, vos eisdem de regno ejus guerram facere non audetis; postulans, ut vobis scribere dignaremur, quatenus in ipsius fronteriam veneritis, et ibidem, Saracenos

(371) Epistola hæc incerta est in Gestis Innocentii, § CXXII. Eamdem integram exhibet etiam Raynaldus, ad annum 1206, § 34. Sed utrobique *anno pontificatus Innocentii nono* data dicitur; et, quod valde mirandum est, in Regesto anni noni n° 101 repetita reperitur, prout suo loco videbitur. Raynaldus *loc. cit.* addit : *Ascripta huic Diplomati dies in Gestis Innocentii non reperitur, in Regesto vero ita apposita est : Dat. Ferent.* XV *Kal. Julii* Verum, in Gestis diserte legitur : *Datum Ferentini*, XV *Kal. Julii, anno nono.*

(371*) Vide epistolam libri quinti 69, not.

(372) Post hæc verba additur in Gestis et apud Raynaldum : « Et quoniam jure civili statutum est ut mulieres maritorum honoribus decorentur, præsentium auctoritate concedimus, ut per manus ejusdem archiepiscopi eas liceat coronari. Nulli ergo, » etc. Additio hæc legitur etiam in altero exemplari hujusce epistolæ, quod reperitur in Regesto anni noni, n° 101.

(372*) Epistolarum 93, 94, 95, quas cum cæteris ad fidem apographi Conti exscribi curaveramus, apographum e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque earum tantummodo argumenta hic exhibere possumus. Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 63.

(373) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1285, § 63 Integram vulgavit Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 457, ad an. 1205, cap. 8, § 5.

(374) *De Velez.* « Additionis hujus occasionem, causave lectori relinquo perscrutandam. » ANGEL. MANRIQUE, loc. cit.

eosdem curaretis viriliter expugnare. Monemus A igitur discretionem vestram, et per apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est et videritis expedire, ad expugnandos Saracenos prædictos in ipsius fronteriam veniatis.

Datum III Nonas Julii.]

### XCVIII (375).

. . . . CISTERCIENSI ABBATI (376), P. DE CASTRONOVO, ET MAGISTRO R. APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ut concedant regi Arragonum in feudum Castrum Scuræ, (quod est proprietatis beati Petri,) ab hæreticis recuperatum per eumdem regem, cum annuo censu ad eorum.*

(XVI Kal. Julii.)

Discretioni vestræ per apstolica scripta mandamus, quatenus charissimo in Christo filio nostro, B P. illustri regi Arragonum, Castrum Scuræ, cum illud ab hæreticis recuperaverit, Domino permittente, personaliter concedatis in feudum ; ita tamen, quod fidelitatem ex eo Ecclesiæ Romanæ faciat, et, in recognitionem quod ejusdem castri proprietas ad jus beati Petri pertineat, certum censum statuat solvendum nobis nostrisque successoribus annuatim, et hoc totum patentibus litteris roboret et confirmet

Datum . . . . . . XVI Kalendas Julii, anno octavo.

### XCVIII.

CENADIENSI EPISCOPO ET ABBATI DE STEKEDOR CISTERSCIENSIS ORDINIS.

*Ut recipiant purgationem ab episcopo Quinqueecclesiensi super accusatione incestus.*

(XIII Kal. Junii.)

Venerabilis frater noster, C. Quinqueccclesiensis C episcopus, suam volens innocentiam demonstrare, fecit nobis humiliter supplicare, ut super illa nota nefaria, qua de quodam incestu nefando excogitata malignitas eum invidiose respersit, purgationem ipsius recipere dignaremur. Cum igitur contra eum nullus appareat accusator discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus competentem ei locum assignetis et diem, in quo cum duobus episcopis et tribus abbatibus purgationem canonicam publice recipiatis ab ipso, attentius provisuri, ut mandatum apostolicum exsequamini fideliter ac prudenter.

Datum XIII Kalendas Julii. D

### XCIX.

S. BATHONIENSI ET GLASTIONIENSI EPISCOPO (377).

*Conceditur dilatio transfretandi.*

(XI Kal. Julii.)

Cum assumpseris signum crucis, ut ad terræ sanctæ subsidium transfretares, et arrepto itinere, ad nostram accesseris præsentiam, licentiam obtenturus; nos, ecclesiarum tuarum necessitate diligenter inspecta, cum multo graventur onere debitorum, attendentes quoque, quod non sis idoneus ad pugnandum, nec ad ducendos tecum bellatores propriæ tibi suppetant facultates, de fratrum nostrorum consilio, dilationem tibi duximus concedendam, auctoritate tibi præsentium injungentes, ut, ad tuas revertens ecclesias, eis non tam præesse studeas quam prodesse, studiosus intendens ad liberandas ipsas a debitorum onere quo tenentur, sollicite provisurus, ne ab eisdem ecclesiis te absentes, nisi urgens necessitas et evidens utilitas postularint.

Datum XI Kalendas Julii.

### C (378).

B. MAGISTRO (379), ET FRATRIBUS SANCTI JULIANI DE PERARIO (380), TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS, REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM (381).

*Recipit eos sub protectione beati Petri, sub annuo censu unius marapetini.*

(XVI Kal. Julii.)

In Regesto bonæ memoriæ Lucii papæ, prædecessoris nostri, perspeximus contineri, quod, cum locus vester, in Saracenorum faucibus constitutus, nulli pontifici hactenus fuerit diœcesana lege subjectus, ipse venerabilium fratrum, P. Compostellan. et G. Bracharensis archiepiscoporum, G. Lamecensis, P. Civitatensis, V. Salamantin. J. Visensis, et A. Auriensis episcoporum precibus inclinatus, ut liberius et libentius defensioni Christianitatis et aliis divinis obsequiis instaretis, locum vestrum, in quo divino mancipati estis obsequio, in jus et proprietatem beati Petri et Ecclesiæ Romanæ recepit, et suo privilegio communivit, statuens, ut præter Romanum pontificem nullus locum ipsum interdicto supponere, vel in Fratres inibi commorantes excommunicationis vel suspensionis sententiam ferre præsumat. Nos igitur, ejus vestigiis inhærentes, locum ipsum, qui ad jus et proprietatem apostolicæ sedis pertinere dignoscetur, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privile-

(375) Epistolam hanc laudant Bzovius, in *Annalibus*, tom. XIII, ad an. 1205, n° 10; Raynaldus, ad an. 1205, § 63. Vide etiam Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* t. III, pag. 448, ad an 1205, cap. 3, § 11. Add. si vis, *Hist. Occitan* tom. III, pag. 140.

(376) Vide Epistolem libri quinti 16 not.

(377) Vide epistolam libri quinti 90, not.

(378) Epistolam hanc laudat Angelus Manrique, *Annal. Cisterc.*, tom. III, pag. 457, col. 2. ad annum 1205, cap. 8, § 7.

« Sancti Julianæi privilegio muniti, hoc eodem anno (1205), facti sunt feudatarii Romanæ sedis. Quippe, Innocentius privilegium Lucii, quo ab omni diœcesani jurisdictione eximebantur, ad litteram transcripsit et confirmavit, additis aliis et recensits militiæ possessionibus, quæ jam hoc tempore, neque paucæ, nec exiguæ : subjecta tamen sub finem tali clausula. AD INDICIUM. » *Vide infra.*

Privilegii Lucii PP. III, partem legere est apud eumdem Manrique, *ibid.*, pag. 139, col. 2, ad annum 1133, cap. 5, § 10.

(379) Erat is, verisimiliter, D. Benedictus *Suares* vel *Sugiz*. Vide *Hist. Ord. monastic.*, tom. VI pag. 55.

(380) Hispanice, *del Pereyro*.

(381) De fundatione ordinis S. Juliani de Perario *al.* Alcantaræ, vide Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. II, pag. 279, col. 1, ad annum 1156, cap. 2, § 2 et sqq.

gio communimus, auctoritate apostolica statuentes, A ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus, etc., *usque* conservetur. Præterea, quascunque possessiones, etc, *usque* vocabulis exprimenda : Locum ipsum, in quo domus ipsa sita est cum ecclesia, et omnibus pertinentiis suis, terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus et molendinis ; Radicatam, cum pertinentiis et universis finibus suis : Villar de Torpino, cum omnibus pertinentiis et finibus suis ; Ferrariam, cum omnibus pertinentiis et finibus suis ; Colmenar, cum omnibus pertinentiis et finibus suis ; Almendram sicam, cum piscaria, pascuis, pertinentiis et omnibus finibus suis ; Grangiam in Aldea de Ponte sico, cum vineis, agris, pascuis et universis pertinentiis suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut, B sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, etc. *usque* præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos, etc. Prohibemus insuper, etc., discedentem *usque* retinere. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes clericorum seu monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque malueritis catholico suscipietis episcopo communionem et gratiam sedis apostolicæ habente. Sepulturam præterea ipsius loci, etc., *usque* assumuntur. Præterea, libertates et immunitates a legatis, archiepiscopis et episcopis, regibus et principibus, aliisque personis tam ecclesiasticis quam mundanis, provida vobis deliberatione concessas, ratas habemus et auctoritate apostolica C confirmamus. Obeunte vero, etc. *usque* Dei timorem et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, etc., *usque* profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate (382). Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis, marapetinum unum singulis annis nobis, nostrisque successoribus pervolvetis. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in via Lata diaconi cardinalis, XVI Kalendas Julii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1205, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno octavo (383).

CI (384).

UNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS ET PRÆLATIS, IN HIEROSO- D LYMITANA PROVINCIA CONSTITUTIS.

*Ut legatum sedis apostolicæ missum ad regnum Hierosolymitanum recipiant humiliter ac devote*

CII (385).

... PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Facultas, ut absolutionis beneficium impertiri possit universis transfretantibus, quocunque modo et a quocunque fuerint excommunicati.*

(IV Kal. Januarii.)

Cum apostolicæ sedis gratiam sis in majoribus assecutus, non decet ut tibi denegentur minora, sed inde semper accipias proficiendi materiam, unde tuæ promotionis dignosceris exordium habuisse. Ne igitur ex auctoritatis defectu profectus, quem a te mater tua, sacrosancta videlicet Romana Ecclesia, expetit et exspectat, in ultramarinis partibus valeat impediri auctoritate tibi præsentium personaliter indulgemus, ut universis, quos zelus fidei christianæ ad partes illas adduxerit, vel qui ibi fecerint residentiam, quocunque modo, vel a quocunque fuerint excommunicationis sententia innodati, absolutionis beneficium secundum formam Ecclesiæ valeas impertiri, recepta prius eb eis idonea cautione super his, pro quibus excommunicati tenentur, ut satisfaciant competenter ; ita tamen, quod, cum ad cismarinas partes eos transire contigerit, ad sedem apostolicam accedere teneantur cum tuarum testimonio litterarum, nostrum super hoc recepturi mandatum ; proviso, ne quid per fraudis astutiam in alterius præjudicium a te valeat obtineri, quia sic alios juvari volumus, ut alii non lædantur. Nulli ergo, etc.

Datum IV Kalendas Januari.

CIII (386).

EIDEM.

*Ut clerici cum ipso transfretantes fructus præbendarum ad triennium percipere possint.*

(IV Kal. Januarii.)

Si ad remotas transmitteris regiones, ut per tuæ probitatis solertiam fidelium populus merito et numero augeatur, necesse est ut in his auxilium apostolicæ sedis obtineas, per quæ tuæ propositum honestatis in melius debeat promoveri. Cum igitur te oporteat clericorum honestam et congruam societatem habere, qui et laboris tui participes esse debeant, et mercedis, universis clericis, qui tecum duxerint transmeandum, auctoritate præsentium indulgemus, ut eis fructum præbendarum suarum usque ad triennium percipere liceat, vel quibus voluerint obligare.

Datum IV Kalendas Januarii.

---

(382) Hæc apud Manriq.

(383) « Porro, Honorius PP. III, successor Innocentii, eamdem loco confirmans exemptionem, eamdem subdit clausulam, ut non immerito inde conjectemur, solutum revera feudum per annos aliquot, licet post exsolverit, quod etiam contigisse videmus in multis aliis. » ANGEL. MANRIQUE, *loc. cit.*

(384) Apographum epistolæ hujus, quod a fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit, ideoque ejus tantummodo argumentum hic exibere possumus.— Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 27.

(385) Vide Rayaldum, ad annum 1205, § 27.

(386) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 27.

CIV (387).

CONVENTUI WINTONIENSI ET ABBATIBUS, PRIORIBUS, ET UNIVERSO CLERO WINTONIENSIS DIOECESEOS.

*Electionem præcentoris Lincolniensis in episcopum Wintoniensem* (388) *confirmat.*

(XI Kal. Julii.)

[Cum Wintoniensis Ecclesia pastore vacaret *archidiaconi* (389 cum fautoribus, suis. Saresberiensem decanum, prior *autem*, et complices ejus..... præcentorem Lincolniensem, in episcopum elegerunt.] Cumque propter hoc partes ad nostram præsentiam accessissent, quoniam super serie rei gestæ non modicum discordabant, testes utrinque recipi fecimus, et attestationes jussimus publicari, quibus perspicaciter intellectis, postquam ab utraque parte sufficienter exstitit allegatum, super ferenda sententia cum fratribus nostris deliberavimus diligenter. Invenimus autem, electionem utramque fuisse contra formam canonicam attentatam, et, ut de conjurationibus, appellationibus et excommunicationibus taceamus, primam per inordinatam præsumptionem, secundam vero per violentam impressionem, comperimus esse factam; ideoque, via regia procedentes, utramque duximus, exigente justitia, sententialiter irritandam. Post aliquot vero dies, pars illa, quæ præcentorem Lincolniensem elegerat, ad præsentiam nostram accedens, quoddam sub sigillo capituli protulit instrumentum, in quo continebatur expressum, quod Wintoniensis conventus vices suas priori et quibusdam fratribus, super electione pontificis in C nostra præsentia celebranda, commiserat, eisque plenam et liberam eligendi sibi pontificem contulerat potestatem; unde, suppliciter postulabat a nobis licentiam eligendi. Nos autem, alteri parti exhiberi fecimus instrumentum, quod cum fuisset ab omnibus comprobatum, quæsivimus utrum isti cum illis eligere vellent, an potius sine illis. Qui, habito consilio, responderunt, quod, salvis exceptionibus quas contra illos habebant, ipsi cum eis electionem volebant unanimem celebrare. [Licet igitur in communi omnes de facienda electione tractaverint, quia tamen nequiverunt esse concordes, infecto negotio, ad nos habere recursum; et hi quidem (390) firmiter asserebant; quod il i erant eligendi potestate privati, pro illa maxime causa, quod hominem non legitime natum scienter eligere præ- D sumpserunt; unde, secundum statutum Lateranen- A sis concilii, et eligendi hac vice perdiderant potestatem, et per triennium ecclesiasticis beneficiis carere debeant, *suppliciter postulantes, ut super hoc interloqui dignaremur* (391). Ille vero taliter respondebant, quod, licet is, quem elegerant, fuisset minus legitime natus, per gratiam tamen apostolicæ sedis legitimari promeruit, et hoc asserebant se legitime probaturos. Nos igitur, attendentes, quo isti post primam electionem admiserant illos ad celebrandam secundam, et quod decretum concilii memorati decernit, hujusmodi præsumptores una vice duntaxat eligendi potestate privatos; quoniam electio, quam coram nobis celebrare volebant, non jam secunda, sed tertia occurrebat, ad eligendum illos censuimus admittendos, ] ita, ut B procurator archidiaconorum sine monachorum præjudicio interesset. Cumque rursus in unum locum ad tractandum super electione facienda communiter convenissent, nequiverunt tamen in unum votum concorditer convenire, quamvis in hoc utrique communiter concordarent, quod, nisi celebraretur electio coram nobis, irreparabile detrimentum Wintoniensi Ecclesiæ imminebat. Verum, eo faciente qui fecit utraque unum, ad unanimem tandem concordiam redierunt, præfatum præcentorem sibi pari consensu in episcopum eligentes. Nos autem, et honestati nostræ providere volentes, et ecclesiasticæ libertati, non prius electionem illam decrevimus confirmandam, quam in consistorio nostro publice juravissent, quod nec per aliquam obligationem erant astricti, nec per aliquam coactionem inducti, ut electionem hujusmodi celebrarent. Juramentis igitur sic receptis, et electionem examinavimus et electum. Cumque per litteras venerabilis fratris nostri..... Turonensis archiepiscopi, necnon aliorum multorum, de ipsius ordinatione canonica et procreatione legitima nobis et fratribus nostris plenissime constitisset, et charissimus in Christo filius noster, J. rex Anglorum illustris, cui libenti animo, quantum possumus, cum honestate deferimus, sicut ex patentibus ejus litteris nobis innotuit, suum præstitisset assensum, cæteris regulariter concurrentibus, quia rectis dispositionibus nihil moræ vel difficultatis debet afferri, ne gregi Dominico diu desit cura pastoris, electionem ipsam, de communi fratrum nostrorum consilio, duximus confirmandam. Quocirca, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ei,

(787) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales, lib. I, tit. 6, *De electione et electi potestate*, cap. 25. Quæ illic leguntur hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur. Vide epistolam hujusce Libri octavi v.

(388) Agitur hic de electione Petri de Rupibus (*de Rochys*), archidiaconi Pictaviæ, nec non præcentoris Lincolniensis, de quo vide *Annales Ecclesiæ Wantoniensis*, apud Warthon. *Angl. sacr.* part. I, pag. 305. Electus hoc anno 1205, Romæ consecratus fuit Dominica proxima ante festum S. Michaelis, *sed non nisi collatis ibi liberaliter veniis*, ut habet *Wesmonast.* Prudentia vir magna præditus, et ea apud Henricum regem III auctoritate, ut illis temporibus nemo exstiterit prudentior. Obiit anno 1238 v Id. Junii, auctore Matthæo Parisio. Vide etiam Goswin. *De Præsul. Angl.* pag. 217.

(389) In Decret. *Archidiaconus*, et mox *vero* pro *autem*.

(390 Decretal. hic add. *qui præcentorem elegerant*, et infra legunt *quod illi qui decanum elegerant, erant*, etc.

(571) Hæc desunt in Decretal.

tanquam pastori vestro, debitam obedientiam et reverentiam impendatis, salubribus monitis et mandatis ipsius parentes humiliter et devote.

Datum..... XI Kalendas Julii, anno octavo.

CV (392).

..... VITERBIENSI (393), ET ..... URBEVETANO (394) EPISCOPIS.

*Ut adversus Patarenos permissam sibi auctoritatem exerceant, Viterbium adeant, electosque consules magistratu submoveant.*

(XVI Kal. Julii.)

Cum lupi rapaces, qui venerant in ovium vestimentis, pascua tua, frater Viterbiensis, non solum tibi præripuerint et immaniter occuparint, sed et oves, quæ pascebantur ibidem, furati sunt pene penitus universas, quasdam ex ipsis mactantes ad suæ voracitatis ingluviem insatiabilem saturandam quasdam exponentes escas volatilibus cœli, et quasdam semivivas relinquentes lupinis morsibus laceratas, imminet tibi ex suspecto officio pastorali vigilare vigilias noctis, non solum super reliquiis salvandis, ne pereant vel furentur, sed ut quæras oves perditas diligenter, donec invenias, et inventas ad caulas revoces et humeris tuis portes, rapacitati luporum occurrens in fortitudine animi et virtute; et, si tantam audaciam assumpserunt, quod latratu canum vel baculo terreri nequeant vel fugari, eis personaliter te opponas, animam tuam pro ovibus tuis ponere non formidans, veri Pastoris vestigia imitando, ne, si cedas hostibus, vel fugias, ovibus derelictis, mercenarius quærens lac et lanam reputeris merito, et non pastor, sterili quoque ficulneæ comparandus, cui ultrix securis excidium comminatur. Tu autem, frater Urbevetane, non debes a longe siccis oculis attendere angustias fratris tui, sed compati teneris proximo patienti, et animam pro fratribus ponere, sicut animam suam pro nobis posuit ipse Deus. Exsurgas ergo in adjutorium ejus et ad auxilium ipsis festina, alter alterius onera portantes ut charitatis vinculo colligati, et sit in vobis vera fraternitas, quæ nullo valeat certamine violari. Cum igitur elegerimus vos duos in ministerium istud, ut pugnetis adversus bestias deserti, quæ sicut locustæ terræ superficiem repleverunt, induatis vos armatura Dei, ut secure stetis contra insidias et impetus inimici, præcincti zona justitiæ et scuto fidei præmuniti, salutis galeam assumentes et gladium spiritus quod est verbum Dei. Ideoque, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, Viterbium personaliter accedentes, fideles qui sunt ibi corroboretis in verbo Dei pariter et doctrina, et ad expellendos Patarenos inducatis eos
A diligentius, et fortiter animetis, populo Viterbiensi, sub debito fidelitatis quo nobis tenentur astricti, et excommunicationis pœna, districte præcipientes, quod excommunicatos illos et credentes Patarenorum, qui ab excommunicatis et concredentibus suis post inhibitionem nostram in consules sunt electi, et J. Tiniosi, perditionis filium, electum in Camerarium, a dominio quod sibi temere usurparunt, ejicere studeant omnimodis et laborent, et procedant tam contra eos, quam contra Patarenos credentes, fautores et defensatores ipsorum, juxta mandatum vestrum, ac secundum quod eis per alias nostras litteras est injunctum. Alioquin, noverint nos universis fidelibus nostris, in civitatibus atque castris circumdajacetibus constitutis, de-
B disse firmiter in præceptis, ut, nisi dicti Viterbienses infra quindecim dies hæc curaverint adimplere, eis extunc ad mandatum vestrum faciant vivam guerram. Electos autem ipsos, excommunicatos et depositos publice nuntietis, et tam ipsos diffidetis ex parte nostra quam eorum complices et fautores. Quia vero D. Delicate et J. Marchisan. judices. et M. Macarutii, R. scrinarii, noluerunt intelligere, ut bene agerent, sed præfatis electis se temere sociarunt, nec, postquam eos ab officio suo suspendimus, conversi sunt a via sua mala, sed ad iniquitatem extenderunt amplius manus suas, publice denuntietis eos ab officio suo depositos perpetuo et infames, nisi ad mandatum nostrum infra quindecim dies satisfecerint competenter. Verum, cum nunc expediat sicut triticum vos cribrari, sollicite cavea-
C tis, ne timore aliquo remittatur, vel tepeat fides vestra, quin digne ac laudabiliter exsequamini mandatum vobis injunctum, et, cum timor non sit in charitate, foras a vobis mittat charitas perfecta timorem, illum solum timentes, qui potest corpus et animam mittere in gehennam.

Datum XVI Kalendes Julii.

CVI (395).

NARBONENSI ARCHIEPISCOPO.

*Mandat, ut se apostolico conspectui sistat, iisque se purget quæ objecta essent.*

(VI Kal. Julii.)

Cum super his, quæ contra te nobis denuntiata fuerunt, legati nostri diligenter inquirerent veritatem, tu, sicut accepimus, ad nostram audientiam
D appellasti, ut canonicam eluderes disciplinam. Ipsi vero, malentes appellationi deferre, quam ad sententiam properare, inquisitionem fideliter factam sub suis nobis transmisere sigilis, ut de vultu nostro prodiret judicium æquitatis. Exspectantes igitur exspectavimus, si forte vel per te ipsum accederes, vel saltem idoneum dirigeres responsalem

(392) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 67. Vide etiam epistolam hujusce libri octavi 85.

(393) Vide epistolam libri quinti 93, not.

(394) Vide epistolam libri octavi 18, not.

(395) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 59. Eamdem fere integram vulgavit Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 425 ad annum 1204, cap. 4, § 10. Quæ apud leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Vide etiam epistolam libri septimi 78, et quæ ibi adnotata sunt.

ad appellationem interpositam prosequendam, sed tu neutrum facere curavisti, quoniam, etsi quemdam ad nos nuntium destinaveris, illum tamen non ad prosequendum appellationem emissam, sed tuam excusandum moram, misisti. Unde, si juris noluissemus sequi rigorem, potuissemus utique, secundum inquisitionis fidem, in te canonicam exercere censuram. Verum, ut omnem omnino tibi murmurandi materiam auferamus, de gratuita benignitate concedimus, ut usque ad Septuagesimam proximo venturam nostro te conspectui personaliter repræsentes, defensurus te ipsum et justam sententiam recepturus. Quod si propter infirmitatis incommodum, vel ætatis defectum, aut aliam justam causam, nequiveris in propria venire persona, postquam de justo impedimento feceris nobis fidem, nos ipsum negotium viris discretis examinandum ac definiendum sub certa forma curabimus delegare, coram quibus tuas possis proponere rationes, ne judicium subeas indefensus.] Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus factam tibi gratiam recognoscens, circa gregem tibi commissum diligentius solito studeas vigilare teque commendabilem reddas vita pariter et doctrina, ut, cum verbo profeceris et exemplo, subsequens diligentia præcedentem videatur negligentiam relevare. [Mandatum autem, quod super abbatia Montis Arragonum dimittenda nos tibi fecisse meminimus, districtius iteramus, ne, si utrique præsis Ecclesiæ, neutri prosis.

Datum VI Kalendas Julii, anno octavo.

### CVII (396).

ANDREÆ DUCI, GUBERNATORI REGNI HUNGARIÆ.

*Excusationem affert cur ejus postulatis de Papembergensi episcopatu non annuat.*

Tam multa fuerunt et magna, tam grata etiam et accepta servitio, quæ progenitores et prædecessores tui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ impenderunt, ut tibi, quem credimus eis in devotionis et fidei proposito successisse, inter alios mundi principes gratiam velimus impendere specialem, ad honorem et profectum tuum efficaciter intendendo, ita, quod certis indiciis et evidentibus argumentis agnosces, quam sincero te diligamus affectu. Licet igitur pro venerabili fratre nostro, Papembergensi episcopo, preces tuas nondum potuerimus exaudire, pro eo quod, ante adventum solemnium nuntiorum, quos super negotio imperii destinatos jugiter exspectamus, honori nostro non expedit, nec Ecclesiæ congruit honestati, circa statum ipsius aliquid immutare, cum id ad negotium imperii dignoscamus specialiter pertinere; temporis tamen opportunitate concessa, si se studuerit idoneum exhibere, preces tuas, quantum cum honestate nostra poterimus,

A hilariter admittemus. Latorem vero præsentium, clericum tuum, tibi reddimus commendatum, qui, quantum in eo fuit, negotium sibi commissum prudenter ac diligenter studuit procurare. Monemus igitur nobilitatem tuam, et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris tuæ talem te studeas exhibere, quod ad honorem et profectum tuum magis ac magis intendere debeamus

Datum.

### CVIII (367).

..... PRÆPOSITO ..... DECANO ET CAPITULO ECCLESIÆ HALBERSTADENSIS, PRÆLATIS ET UNIVERSO CLERO, IN HALBERSTADENSI DIOECESI CONSTITUTIS ET OMNIBUS FIDELIBUS HALBERSTADENSIS ECCLESIÆ.

B *Significat eis, quod episcopus Halberstadensis absolutus est a vinculo excommunicationis, et mandat ut ei debitam reverentiam et honorem impendant.*

(VI Kal. Julii.)

Cum venerabilis frater noster ..... episcopus vester (398), affixo suis humeris signo crucis, in obsequio Jesu Christi partes visitaverit transmarinas, licet super excommunicationis sententia, quam venerabilis frater noster, G. archiepiscopus Remensis (399), Romanæ Ecclesiæ cardinalis, tunc episcopus Prænestinus, apostolicæ sedis legatus tulerat in eumdem, se multipliciter excusarit, tandem tamen intellecto, quod nos excommunicationem ratam habuimus, a dilectis filiis, S. tituli Sanctæ Praxedis (400), et P. tituli Sancti Marcelli (400) presbyteris cardinalibus, apostolicæ sedis legatis,
C apud Acon absolutionis beneficium impetravit, præstito corporaliter juramento, quod nostris obediret mandatis. Cum igitur ad nos in suo reditu declinarit, et excusationes suas diligenter audiverimus et benigne, nos eum absolvi fecimus ad cautelam; et, quia nihil proponebatur in nostra præsentia contra eum, ipsum cum gratia nostra remittimus ab excommunicationis vinculo absolutum Quocirca, universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus, exhibentes eidem reverentiam debitam et honorem, sic cum eo perseverare curetis in devotione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris vestræ, quod gratia nostra erga vos ipsum meritio procedat et crescat.

D

### CIX.

....., WIRSEBURGENSI, ET ..... IN HUSDORP PRÆPOSITIS, ET ..... DECANO SANCTÆ MARIÆ IN HERFORDIA MAGUNTIN. DIOECESEOS.

*Ut magistrum Martinum de præbenda, ipsi in Ecclesia Mindensi per sedem apostolicam collata, pacifica faciant possessione gaudere.*

(Idib. Junii.)

Cum dilectus filius, L. procurator venerabilis

(396) Vide Raynaldum, ad annum 1205. § 55.
(397) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 53.
(398) Cardolfo, *cive* Bartholdo, defuncto anno 1202, successerat Conradus, qui resignavit anno 1209, et vitæ reliquum in monasterio Sittichenbacensi exigit. BUCELIN. *Germ. sacr.* tom. I, pag. 21.
(399) Vide epistolam libri septimi 116.
(400) De istis jam dictum est sæpius.

fratris nostri..... episcopi Misnensis (401) ex una parte, et..... præpositus Wrchinensis, Bercer. Utricus et magister Nicolaus, magister Alb. et Alb. procurator quorumdam Misnensium canonicorum ex altera, ad sedem apostolicam accessissent, dilectum filium, L. (402) tituli Sanctæ Crucis, presbyterum cardinalem, eis concessimus auditorem, in cujus præsentia cum partes insimul concertarent, magister Martinus, tanquam Misnensis Ecclesiæ canonicus, se arbitrio, de quo contendebant, opposuit, asserens illud nullius fuisse momenti, pro eo quod a judicibus a sede apostolica delegatis in irritum fuerat revocatum, et quia in ipso approbatur sectio præbendarum, quam reprobat concilium Turonense; tum etiam quia, cum in arbitros illos a se minime fuerit compromissum, ipsi in suum præjudicium, quod Scholastria sibi auferri debeat, statuerunt. Unde, instantius postulabat arbitrium illud nullum penitus judicari. Ad hæc autem pars adversa respondit, quod magister Martinus se opponere non poterat arbitrio memorato, quia, cum non sit Misnensis canonicus, ad ea admitti non debet, ad quæ soli canonici vel alii ipsorum nomine admittuntur. Licet enim videremur sibi Misnen. canonicum contulisse, quia tamen, suggerendo falsum et veritatem tacendo, nos circumvenire præsumpsit, carere debet penitus impetratis; veritatem quidem tacuit, quia, cum esset sacrilegus et duplici excommunicationis sententia innodatus, hoc nobis exprimere non curavit; falsum vero suggessit, quia, cum Scholastriam de qua sustentari poterat competenter, haberet, se nullum habere beneficium ecclesiasticum affirmabat. Cum igitur ex præmissis manifestius ostendatur non esse canonicus, nec canonicorum eum esse procuratorem appareat, non est ullatenus contra arbitrium audiendus. Cumque coram cardinali prædicto super his fuisset diutius disputatum, et ipse quæ hinc inde proposita fuerant nobis fideliter retulisset, nos attendentes, quod ea quæ contra præfatum Martinum proposita fuerant vel frivola erant; vel falsa, ut exclusis ambagibus gratia nostra circa eum plenum sortiatur effectum, præbendam ipsam vacantem ei duximus auctoritate apostolica concedendam, et ipsum de illa manu propria curavimus investire. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, auctoritate nostra suffulti, prædictum magistrum faciatis plena et pacifica ipsius præbendæ possessione gaudere, contradictores, etc. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Idibus Junii.

—

## CX.

. . . . . ARCHIEPISCOPO (403), ET . . . . SANCTI REMIGII (404), ET SANCTI JOANNIS ABBATIBUS SENONENSIBUS (405).

*Ut ab H. diacono Senonensi recipiant resignationem beneficii cujusdam, non obstante quod episcopus diœcesanus beneficium illud post mortem dicti diaconi promiserat.*

(v Id. Junii.)

Ex parte dilecti filii, H. diaconi Senonensis, nostris est auribus intimatum, quod, cum sua beneficia resignarit, eo quod, senectute confractus, ut oportet, in eis deservire non posset, adhuc tamen in Ecclesia de Alemanchis, Trecensis diœceseos, quoddam beneficium sibi retinuit, quod resignasset jamdudum personæ idoneæ conferendum, nisi R. Trecensis canonicus, qui beneficiis multis abundat ipsum post mortem illius sibi per diœcesanum episcopum (406) promitti fecisset, et etiam confirmari. Unde, idem diaconus a nobis humiliter postulavit, ut ad liberam resignationem ipsius beneficium illud mandaremus idoneæ personæ conferri, illo tantum excepto, qui, eo vivente, de ipso beneficio nedum promissionem, sed etiam confirmationem accepit. Nos igitur, ejusdem diaconi petitioni præbentes assensum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si res ita se habet, beneficium memoratum ad liberam resignationem ejusdem curetis personæ idoneæ assignare, illo tamen excluso, qui, sicut superius est expressum, concessionem sive promissionem de beneficio ipso nedum postulare; sed præsumpsit accipere, adhuc possessore vivente, cum in hoc desiderare mortem proximi videatur, in cujus locum et beneficium se credidit successurum. Testes... nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes... tu, frater archiepiscope, cum eorum altero, etc.

Datum v Idus Junii.

## CXI.

. . . . . PRÆPOSITO. . . . . DECANO, ET. . . . . SCHOLASTICO BITURIEN. (407) COLONIENSIS DIOECESEOS.

*Ut E. de Hard. moneant et inducant, ac etiam per censuram ecclesiasticam cogant, ut G. mulierem, uxorem suam, recipiat, non obstante juramento illicito per conjuges facto, quod deinceps alter alterum non requirat.*

(II Kal. Julii.)

Veniens ad apostolicam sedem G... mulier, latrix præsentium, supplici nobis insinuatione monstravit, quod, cum matrimonium cum E. de Hard. Coloniensis diœceseos, in facie Ecclesiæ contraxisset, et diutius cohabitasset eidem, orta est dissensio inter eos, et, sic suadente humani generis inimico, quod deinceps alter non requireret alterum, uterque

(401) De episcopo Misnensibus, nihil præter nomina, absque ulla chronologica nota, exhibet Bucelinus, *Germana sacr.* part. I, pag. 33.

(402) Vide epistolam libri quinti 5, not.

(403) Vide epistolam libri tertii 45, not.

(404) Monasterii quondam S. Remigii Senonensis abbas, tunc temporis, erat Fulco, notus in instrumentis jam ab anno 1201, usque ad annum 1212. *Gall. Christ.* tom. XII, col. 122.

(405) Guillelmus II abbatiam S. Joannis Senonensis, ab anno 1203, usque ad annum 1224, rexisse dignoscitur. *Ibid.* col. 197.

(406) Vide epistolam libri tertii 11, not.

(407) Sic diserte legitur in apographo.

corporaliter præstitit juramentum. Hanc tamen vir ipse causam divortii assignabat, quod quondam ipsius mulieris amitam cognovisset, antequam eam duceret in uxorem : sed, licet hoc assevcrarent quamplurimi, non fuit tamen super hoc Ecclesiæ facta fides. Cum autem postmodum ad secunda vota convolasset uterque, secundo viro viam universæ carnis ingresso, adhuc priore viro superstite, dicta mulier se fecit in arcto loco ad pœnitentiam agendam includi, ubi, sex annis in devotione peractis, audiens a quibusdam discretis et religiosis personis, quod sic salvari non posset, ad apostolicam sedem accessit, humiliter postulans et devote, ut ei dignaremur impendere consilium salutare. Nos igitur, attendentes, quod illicitum fuit hujusmodi juramentum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum virum more attentius et inducere procuretis, eum, si necesse fuerit, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, cogentes, ut, ea quam superduxit exclusa, præfatam recipiat mulierem, audituri postmodum, si quid fuerit quæstionis, et illud, appellatione remota, fine debito decisuri. Si vero contra matrimonium nihil fuerit sufficienter ostensum, et vir sæculo derelicto maluerit ad regularem vitam migrare, vos ei super hoc licentiam tribuatis, ut et illa sic possit in suo sicut desiderat proposito permanere ; nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum II Kalendas Julii.

CXII (408).

..... SENONENSI ARCHIEPISCOPO (409), ET..... ABBATI SANCTI MARIANI (410), ET MAGISTRO R. DE CORZON.

*Ut de accusatione, quam O. dux Burgundiæ, super matrimonio consanguineæ cujusdam suæ cum comite Nivernensi, velut ipsi in quarto consanguinitatis gradu sese contingerent, intendebat, inquirant, et ad sedem apostolicam referant.*

(III Non. Julii.)

Significavit nobis dilectus filius, nobilis vir, O. (411) dux Burgundiæ, quod in Ecclesia Gallicana grave scandalum est subortum, ex eo quod dilectus filius, nobilis vir... Nivernensis comes, cum consanguinea sua, quam in quarto gradu contingit, de facto solummodo, quia de jure non potuit, contraxit copulam conjugalem (412). Volens igitur idem dux animæ suæ providere saluti, prout sibi a viris prudentibus est consultum, et in remissionem peccatorum injunctum, paratus est tam incestuosum connubium accusare, cum ipsa mulier consanguinea sit ipsius, postulans humiliter et devote, ut super hoc ei judices concedere dignaremur. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si accusationem hujusmodi de jure videritis admittendam, audiatis causam, et eam, si partes consenserint, sublato appellationis obstaculo, fine canonico terminetis. Alioquin, gesta omnia conscribentes sub testimonio litterarum vestrarum, ea nobis fideliter transmittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui repræsentent, justitiam recepturæ. Quod si non omnes his exsequendis... tu, frater archiepiscope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris.

Datum..... III Nonas Junii, anno octavo.

CXIII (413).

..... REGINÆ FRANCORUM.

*Litteris et legatione mærentem permulcet.*

(Apud S. Petrum, III Nonas Julii.)

[Novit ille, qui nihil ignorat, quod super articulo matrimonii pro te fecimus quidquid homo facere potuit, sed, peccatis exigentibus, parum profecimus quoniam ad exhibendum tibi maritalem affectum, animus charissimi in Christo filii nostri, Philippi, regis Francorum illustris non potest aliquatenus inclinari, neque nos ejus animo amorem possumus inspirare, cum hoc solus Deus facere possit, in cujus manu cor regis existit. Putat igitur ipse rex et multi etiam opinantur, quod perpetuo sit maleficio impeditus. Unde, non solum propter affinitatem verum etiam propter maleficium a te postulat separari. Licet igitur tibi deesse nolimus, imo, quantum cum Deo possumus, semper velimus adesse, quia tamen dispositionem Dei mutare non possumus, nec expedit, ut in hoc miserabili statu tu, et rex ipse, diutius maneatis, mittimus ad te dilectum filium, magistrum P. capellanum nostrum, virum providum et fidelem, qui tibi solatium nostræ visitationis impendat et animum tuum subtiliter investiget cui secure tuam aperias voluntatem nobis fideliter intimandam, ut, ea cognita, melius tibi providere possimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, III Nonas Julii.]

---

(408) Vide Raynaldum, ad annum 1205 § 59.

(409) Vide epistolam libri tertii 45, not.

(410) Bernoaldus, [*al.* Bernoaldus], ex priore anno 1204 abbas S. Mariani electus, præfuit annos tres cum novem mensibus. *Annal. Præmonstr.* tom. II, pag. 229. Vide etiam *Gall. Christ.* tom. XII, col. 475.

(411) Odo III, qui Burgundiæ ducatum regere jam ab anno 1190 incœpit, verum, dux, non nisi anno 1193, post Hugonis III, patris sui, obitum renuntiatus est, obiit anno 1218, *Art de vérif. les dat.* edit nouv. tom. II, pag. 504.

(412) Comes Nivernensis, tunc temporis, erat Hervæus *de Gien*, qui Mahildem (*Mahaut*), filiam Petri (*de Courtenai*), Nivernensemque comitissam, versus annum 1200 in uxorem duxerat, eamdemque tenuit usque ad annum 1223, quo ipse diem obiit supremum. Vid. *Hist. Altissiod.* tom. II, pag. 126 et seqq. Vide etiam *Art de vérif. les dat.* loc. cit. pag. 565. Quo pacto autem Hervæus de Gien, Mahildem in quarto consanguinitatis gradu contingere dici potuerit, videant rei genealogicæ peritiores.

(413) Epistolam hanc vulgavit Raynaldus, ad annum 1205, § 58. Ideoque hic uncis includitur.

## CXIV.

....ARCHIEPISCOPO ARMACHANO (414), EPISCOPO DUNENSI, ES. . . . . ABBATI DE INES DUNENSIS DIOECESEOS.

*Ut H. de Lasci, si injuste bellum moverit adversus Joannem de Curci, occupata restituat.*

(Kal. Julii.)

Sicut oblatus dilecti filii, J. ne Curci (416), nobis tenor expressit, nuper expertus est in seipso, quod fallax hujus vitæ jucunditas, vix aut nunquam statu permanet in eodem, cui quanto confidentius quis inhæret, tanto facilius labitur cum labente. Cum enim tranquilla securitate gauderet, ac spem non modicam in quibusdam suis familiaribus et domesticis posuisset, eorum consilio, quos fideles esse credebat, nobilis vir, H. de Lasci, terram ipsius B impressus, cum exercitu copioso bellum inivit cum eo, ac, suis deficientibus in congressu, licet ipse cum paucis aliquandiu tantæ multitudini restitisse, tandem tamen retentus ab hostibus, ergastulo fuit carceris mancipatus. Videns igitur sibi mortis periculum imminere, quibusdam religiosis mediantibus inter ipsos, evasit, ita tamen, quod totam Hiberniæ terram abjurans, et omni juri vindicationis renuntians, munitiones, homagia, authentica quælibet super eadem terra, tam a sede apostolica quam ab aliis impetrata, dicto H. de Lasci resignaret, et, affigens suis humeris signum crucis, in Hierosolymitanam proficisceretur peregre regionem, nunquam in Hiberniam reversurus. Aggravata est etiam conditio memorata, cum præfatus H. eum non permitteret terram exire, nisi tu, frater archi- C episcope, et quidam suffraganei tui, qui tecum pariter præsentes in partibus illis erant excommunicationis in eos sententiam proferretis, qui conditiones initas inter eos infringerent, vel eis aliquatenus contrairent. Idem vero H. incontinenti juravit, quod. quam cito ipse J. ei munitiones, castella et scripta authentica reddidisset, ipsum et duos nepotes ipsius, quos captivos tenebat in vinculis, sine dilatione dimitteret absolutos, ac nullum exhæredaret omnino, cui de terra sua feudum concessisset, sed arma etiam et catalla libere ipsum permitteret secum ferre. Ab eodem autem H. tali præstito juramento, ipse J. consequenter juravit se totam terram et omnia quæ possidebat in Hibernia relicturum, juramento prædicto aliud adjiciens ju- D ramentum, quod videlicet, nisi sæpepictus H. quod juraverat fideliter observaret in nullo teneretur eidem, sed pro posse suo damnum ejus, et dispendium procuraret. Cumque idem H. jurisjurandi A religione contempta, et adhuc nepotes ipsius detineat et arma etiam et catalla sibi restituere non curarit, a juramento, quod ab ipso fuerat metu mortis extortum, instanter postulabat absolvi, præsertim cum ei fides servari non debeat, qui eam aliis negligit observare. Cum igitur simus in eo loco, disponente Domino, constituti, ut, secundum verbum propheticum, debeamus dissolvere colligationes impietatis, et fasciculos deprimentes ac dimittere eos qui confracti sunt, liberos et disrumpere omne onus, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si vobis constiterit, quod prædictus H. injuste bellum moverit contra eum, ipsum H. monere attentius et inducere studeatis, ut et terram ipsius, et alia B universa per hujusmodi violentiam occupata, sine dilatione restituat conquerenti, eum a præstito sibi juramento prorsus absolvens. Quod si monitis vestris acquiescere forte noluerit, ipsum ad hoc, si præmissa veritate nituntur, personam excommunicationis et terram ejus interdicti sententiæ supponentes, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellatis. Juramentum autem, quod idem J. ultimo se asserit præstitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat qui præstitit, dum ille, cui præstitum fuerat, servare negligit quod promisit. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Kalendas Julii.

## CXV.

R. QUONDAM TOLOSANO EPISCOPO (416.)

C *Concedit, ut, licet resignaverit administrationem Ecclesiæ Tolosanæ, valeat, sine præjudicio alterius, episcopale officium exercere.*

(III Non. Julii.)

Cum ad consilium nostrum resignaveris administrationem Ecclesiæ Tolosanæ, nos, honori tuo providere volentes, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut in splemnibus festis, vel cum a viris ecclesiasticis fueris invitatus, episcopale officium sine alterius præjudicio valeas exercere, dummodo taliter converseris, quod vita consonet dignitati. Ne vero in approbrium tui ordinis mendicare cogaris, statuimus, ut triginta libras Tolosanæ monetæ de bonis episcopalibus ad sustentationem tuam percipias annuatim, ita, quod, orationi diligenter intentus, exerceas temetipsum ad opera D pietatis, quæ secundum Apostolum promissionem habet vitæ, quæ nunc est, pariter et futura. Nulli ergo... concessionis et constitutionis, etc. Si quis, etc.

Datum III Nonas Julii.

(414) De archiepiscopo Armachano, vide quæ adnotata sunt ad epistolam libri quinti 183.

(415) Multæ donationum chartæ in favorem cœnobii Dunensis a Joanne de Curci, circa annum 1187, emissæ, habentur in *Monastic. Anglican.* tom. II, pag. 1020.

(416) Raimundus *de Rabastenes*, ex archidiacono Agennensi, electus fuerat episcopus Tolosanus versus annum 1202. De ipsius electione, ac postea hoc anno 1205, depositione, vel potius, ut ex hac Innocentii epistola dici debet resignatione, vide *Gall. Christ.* t. XIII, col. 21.

Conferendæ sunt etiam Epistolæ Decretales; lib. I, tit. 6, *De electione et electi potestate*, cap. 26, *abbati Cisterciensi, R. et P. monachis Fontis-frigidi* : et ibid. cap. 29, *episcopo Convennarum, Grandis-Silvæ et Bellæ-perticæ abbatibus* : nec non apud Baluzium, *Miscell.* tom. III, novæ edition. pag. 91, litteræ *Joannis, episcopi Lemovicensis, et colleg.*

### CXVI (417.)

. . . . . . . ABBATI CISTERCIENSI (418), R. ET P. MONACHIS FONTIS-FRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ut Mascaronem a præpositura Tolosana amoveant* (419.)

(II Non. Julii.)

[Per inquisitionem quam de mandato nostro fecistis super statu episcopatus et episcopi Tolosani, perspicaciter intelleximus, quod Mascaro *cellerarius* (420) juratus asseruit se scivisse pro certo *Raymundum*, olim Tolosanum episcopum (421) et amicos ipsius, ante suam electionem habuisse colloquium cum quibusdam canonicis nominatim expressis, eosque sollicitasse precibus, ut ipsum elegerent in episcopum, seque vidisse pariter et audisse, quando prædictus episcopus *existens in domo Sancti Petri de Coquinis* (421*), recognovit in quorumdam canonicorum præsentia, se canonicis illis, qui adversati fuerant suæ primæ electioni, *juramentum in domo Attonis de Montibus præstitisse* (422), credens pro certo quod juramentum illud illicitum fuit, et *factum*, ut idem Raymundus eligeretur ex pacto, et quod ipsemet, post primam ipsius electionem cassatam, domum episcopalem ejus nomine detinebat, recipiens quosdam redditus et proventus, quos, de ipsius conscientia et consensu, in ejusdem negotiis expendebat. Cum igitur talem scienter in episcopum eligendo, sicut ipse suo juramento firmavit, ecclesiasticis beneficiis reddiderit se indignum, grave gerimus et molestum, quod dilecto filio. . . . . præposito Tolosano (423), in episcopum Convenarum (424) electo, idem Mascaron in præpositum *asseritur* (425) substitutus.] Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, eumdem Mascaronem ab officio præposituræ penitus amoventes, faciatis virum idoneum ad officium illud
A assumi. Contradictores, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum . . . . . II Nonas Julii, anno octavo.

### CXVII.

BERTRANDO, AGENNENSI EPISCOPO (426), EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*Recipit illum sub protectione beati Petri, et confirmat privilegia ei a rege Anglorum concessa.*

(Romæ, II Kal. Julii.)

Et ordo rationis expostulat, et ecclesiasticæ utilitatis consideratio nos invitat, fratres et coepiscopos nostros ampliori charitate diligere, et commissas eorum gubernationi ecclesias patrocinio sedis apostolicæ propensius communire, quo, ex suscepti executione officii, tanto vigilantiores possint semper
B existere, quanto pravorum incursibus securiores se viderint permanere. Eapropter, etc. *usque* annuimus, et, prædecessorum nostrorum, felicis recordationis Urbani II, Paschalis, Eugenii, Alexandri et Urbani III, Romanorum pontificum, vestigiis inhærentes, Agenn. beati protemartyris Stephani ecclesiam. cui, Deo auctore, præesse dignosceris, sub beati Petri, etc. *usque* communimus; statuentes, ut canonicæ religionis ordo, qui a prædecessore tuo, bonæ memoriæ Simone, in eadem et in beati Caprasii martyris ecclesiis per Dei gratiam institutus est, et a præfato prædecessore nostro, Urbano II, auctoritate apostolica confirmatus, perpetuis temporibus in eisdem ecclesiis inviolabiliter observetur, nullusque in eis amplius fiat canonicus, aut ordinetur, nisi qui se victurum canonice professus fuerit.
C Priorem etiam, seu cujuslibet ministrum dispensationis, ad communitatem fratrum pertinentis, in eisdem ecclesiis constitui, nisi quem communis consensus episcopi et fratrum canonice viventium, elegerit, auctoritate apostolica prohibemus. Sanci-

(417) Epistola hæc reperitur, sed in aliquibus mutila, inter Decretales, lib. I, tit. 6, *De electione et electi potestate*, cap. 26; ideoque hic uncis inclusa exhibetur. Variæ lectiones dantur.

Eamdem exhibet Angel. Manrique, *Annal, Cisterc.* tom. III, pag. 446, ad annum 1205, cap. 3, § 2, ubi ipsum de electione et depositione episcopi Tolosani, Raymundi, disserentem audire, opere pretium est.

(418) De istis jam dictum est sæpius.

(419) Conferenda omnino hæc epistola, cum his quæ adnotata sunt ad epistolam proxime superiorem 105; sed, præsertim, cum his quæ leguntur apud auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. XIII, col. 77, ubi diserte asserunt, Mascaronem, *Præpositum Tolosanum* adhuc anno 1216 in instrumentis memorari.

(420 Sic in Apographo Vaticano; in Decret. *cancellrrius*, et mox pro *Raymundum* initialis tantum *R.* legitur.

(421) Vide epistolam proxime superiorum 115.

(421) In Decretal. hæc desunt.

(422) Decretal., *jurasse* pro *j. i. d.* A. *de M. p.*; mox pro *factum* legunt *præstitum.*

(423) Erat ei nomen *Sparagus.* Concinunt auctores novæ *Galliæ Christianæ*, qui, *loc. cit.* Sparagum, præpositum electum anno 1201, occurrere adhuc anno 1204, annoque insequenti episcopum Convennensem, demum translatum ad ecclesiam Tarraconensem, diem obiisse supremum 16 Martii 1232, ex necrologio Tolosano, affirmant.

(424) Conferenda cum his quæ de incerto Raimundi Arnaldi, Convennensis episcopi, (cui successor datus fuit Sparagus, præpositus Tolosanus,) obitus anno dicuntur, in *Galliæ Christiana* nova, tom. I, col. 1096.

(425) Decretal., *dicitur.*

(426) Notanda omnino hæc epistola et conferenda cum his quæ de incerto Bertrandi (*de Beceiras.*) episcopi Agennensis I, obitus anno dicuntur ab
D auctoribus novæ *Galliæ Christianæ*, tom. II, col. 912. Bertrandum usque ad annum saltem 1205 vitam produxisse, ex hac Innocentii epistola, chronologicis indubitatæ fidei notis vallata, certo certius evincitur. Proinde, ea quæ de obitus ejus die dicuntur, sive in Burdegalensi necrologio, II *Nonas Augusti obiit Bertrandus, Aginnensis episcopus, canonicus hujus Ecclesiæ*, sive in obituario Silvæ-majoris, IV *Non. Maii*, de anno 1206 intelligenda sunt. Amovendi igitur, et Guillelmus II et Petrus, nec non Joannes, quos in chronologica episcoporum Aginnensium serie, versus an. 1203, 1204 et 1205, collocare quidam voluere; quondoquidem Bertrandum jam ab anno saltem 1187, et usque ad annum 1206, continuato regimine, Aginnensi Ecclesiæ præfuisse, ex monumentis probatur.

mus autem,ut Ecclesiæ et terræ et universa quæ A ad communitatem fratrum utriusque ecclesiæ pertinent, secundum quod episcopus cum ipsis melius statuerit, per canonicos regulares disponantur, et ut in omnibus necessariis regulariter professis subveniatur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Beati Stephani ecclesia in præsentiarum,etc., *usque* firma tibi tuisque successoribus et religiosis fratribus in ipsa ecclesia Deo servientibus, et illibata permaneant. In quibus, etc., *usque* vocabulis : ecclesiam Sancti Coloni, cum capella Sancti Stephani secus castrum Bugd. sita, cum burgo et parte castelli ad Agennensem parochiam pertinente; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Curte; ecclesiam Sancti Saturnini de Monac cum omnibus pertinentiis earum et cum capella infra castrum B Pennesitis; hospitalem domum,cum capella et omnibus ad eam pertinentibus,quæ videlicet a Jordano milite, juxta civitatem Agennensem constructa et eidem ecclesiæ oblata est; ecclesiam Sancti Petri de Condat,cum pertinentiis suis; capellam de Fumet; ecclesiam Sancti Bartholdi de Pertica; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Loires; capellam Sanctæ Mariæ de Biron; ecclesiam Sanctæ Mariæ Castri-Mauronis; ecclesiam de Pujons et ecclesiam de Alba-terra; ecclesiam Sanctæ Victoriæ de Claromonte; cappellam Sanctæ Mariæ in burgo ejusdem castri; ecclesiam Sancti Hilarii de Dombesca,et quidquid juris Simon, et cæteri Agennenses episcopi, in ecclesia Sancti Vincentii de Furgat hactenus habuisse noscuntur. Porro,ad exemplar eorumdem prædecessorum nostrorum,cœmeterium ejusdem ecclesiæ Sancti Stephani C stabilimus et decaniam, cum bonis omnibus quæ Unaldus,qui vicecomes fuerat, ad monasterium properans, pro ipsius sedis restauratione noscitur reliquisse; nec ulli omnino facultas sit decaniam ipsam et bona ad ipsam pertinentia, jure, quod absit! hæreditario vindicare. Mercatum vero, quod ante præfatam ecclesiam Sancti Stephani fieri solet, ut sequenti quoque tempore ibidem fiat,nec aliquorum removeatur æmulatione, sancimus, salvis bonis consuetudinibus ecclesiæ Beati Caprasii; feudum insuper Marconis,cum ecclesiis quæ *Francæ* nominantur; partem videlicet Agennensis diœceseos, sicut in Burdegalensi concilio coram apostolicæ sedis legatis Amato,tunc Olorensi et Hugone, tunc Diniensi episcopis, eidem Ecclesiæ canonice restituta est; ecclesiam Sancti Hilarii de Agen. ecclesiam de Linarolis,per Raymundum,prædecessorem tuum, de laicali manu ereptam; ecclesiam de Orzana, cum tota parochia sua, castelli videlicet de monte Caplis quartas decimarum et redditus qui Guazii vocantur, tam de annona quam de denariis, sicut prædictus Simon, religionis institutor, ad victum canonicorum regularium in omibus terris Agennensis episcopatus acquisivit, et ecclesiam ipsam per sexaginta annos et amplius hactenus canonice dignoscitur possedisse; præterea, comitalia et monetam; ecclesiam etiam de Canu, cum decimis et primitiis et terris suis; decimas nihilominus Sanctæ Fidis et de Serinac, quas studio et sollicitudine tua liberatas de manibus laicorum, ab omni possides exactiones quietas; pagnerias quoque molendinorum de Agen et eminas ac redditus earum, quas illustris memoriæ R. rex Angliæ, dum esset comes Pictaviæ,in eleemosynam tibi pia liberalitate concessit, quæ ad episcopalem mensam perpetuo deputasti, districtus inhibemus, ne cui successorum tuorum a mensa episcopali alienare illa sit licitum, vel in usus alios temere commutare. Prohibemus, insuper, ne interdictos vel excommunicatos, tuos ad officium aut communionem ecclesiasticam recipere quisquam sine congrua satisfactione præsumat, nisi forte periculum mortis immineat, ut, dum præsentiam tuam habere nequiverit, per alium secundum formam Ecclesiæ,satisfactione præmissa, oporteat ligatum absolvi. Ad hæc, libertates et immunitates, a regibus,principibus et ab aliis personis, tam ecclesiasticis quam mundanis,rationabiliter ecclesiæ tuæ indultas et antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas, integras et illibatas manere, præsenti decreto sancimus. Comitalia quoque et monetam, sicut a prædicto R. rege Angliæ, tunc comite Pictavensi, tibi tuisque successoribus pietatis intuitu sunt concessa, auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam quoque episcoporum ecclesiæ tuæ, qui pro tempore fuerint nihilominus duximus confirmandam, nisi alibi in ultima voluntate elegerint sepeliri. Obeunte vero te, etc. *usque* secundum Dei timorem et canonicam institutionem providerint eligendum. Decernimus ergo ut nullus omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam, etc. *usque* profutura,salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apnd Sanctum Petrum, per manum J. Sanctæ Mariæ in via Lata diaconi cardinalis, II Kalendas Julii, indictione octava, Incarnationis Dominicæ anno 205, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno octavo.

## CXVIII

B. TRANENSI (427) ARCHIEPISCOPO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Dispensationem cum Bartholomæo, diacono, ignorante utrum inferiores ordines recepisset, confirmat et* D *mandat ut minores ordines ei conferantur ad cautelam.*

(Nonis Julii.)

Bartholomæus, pauper diaconus lator præsentium, ad præsentiam nostram accedens, nobis humiliter intimavit, quod, cum ordinatus est in diaconum, erat adeo adolescens,quod ignorat,utrum inferiores ordines recepisset; tandem vero,cum ad annos discretionis pervenit,quia eum super hoc conscientia remordebat,tibi suam ignorantiam revelavit, quem usque ad dimidium annum ab officio suspendistis,et

(427) Vide epistolam libri quinti 69, not.

A postmodum dispensasti cum eo, quam dispensationem idem diaconus a nobis humiliter confirmari petebat. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dispensationem hujusmodi, de misericordia quæ superexaltat judicio, firmiter facias observari, minores ordines illi conferens, ad cautelam, quia non dicitur iteratum quod factum esse nescitur.

Datum Nonis Julii.

### CXIX (428).

LITTERÆ LEONIS, REGIS ARMENORUM AD PAPAM.

*Significat papæ, quod pax reformata est inter ipsum ac templarios et quædam alia.*

(« Reverendissimo in Christo Patri et domino « Innocentio, Dei gratia summo pontifici et universali papæ, *L.* (429) per eamdem et *R.* *imperatoris* (430) gratiam, rex *Armeniæ* (431), sanctitati « suæ devotus et obediens, cum salute, grata servitia et pedum oscula. Cum constet vos, celeberrime pater et domine, totius sanctæ Ecclesiæ et « religiouis Christianæ curam et prælationem, dante « Domino, dignissime gerere, constat utique, nos « ad vestri refugium, tanquam ad tutissimum receptaculum, debere recurrere, in quo tota spes nostra fiducia post Deum dependet, et a beatitudine vestra nostris in necessitatibus præsidium « postulare. Proinde, clementissime Pater et domine, ad pedes sanctitatis vestræ, genibus flexis, « et cum omni supplicatione recurrentes, conquerimur et conqueri non cessamus de domino *P.* « (432) tituli Sancti Marcelli presbytero cardinali, « legato vestro, nostris in causis suspecto, imo « aperto adversario. Cum enim ad partes regni nostri, « tum ex injuncta sibi legatione, tum pro reformatione pacis inter nepotem nostrum et comitem « Tripolitanum, contra justitiam et appellationem « nostram ad apostolicam audientiam factam, Antiochenum principatum *usurpantem* (433), ut crederetur, accessisset, dominus Catholicus, venerabilis in Christo pater noster, cum quibusdam « suffraganeis suis et clero, nos, cum baronibus « fidelibus nostris et pluribus nobilibus peregriuis « astantibus, quanta potuimus honorificentia et veneratione, ob vestri reverentiam illum suscepimus. « Sequentibus diebus, de obedientia Armenicæ Ecclesiæ ad sanctam Romanam Ecclesiam, ad quam « jamdiu laboravimus, divina auxiliante gratia, deliberavimus, et ad hoc cum multo labore induximus Ecclesiam *Armenicam* (434), tempore pontificatus vestri, meritorum vestrorum exigentia, « ad quod progenitores nostri multis transactis « temporibus inducere nequiverunt, ut ipse *P.* « cardinalis, et rerum est testis effectus. Dominus « Catholicus, cum solemnitate celebri et obedientiam et reverentiam per manus ipsius legati, secundum litterarum vestrarum formam et « mandatum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vocis « exhibens, palleum a beatitudine vestra destinatum, coram prædictis personis astantibus, cum « omni humilitate et devotione suscepit, promittens. in ordine suo singulis quinque annis per B « nuntios suos, secundum capitularia apostolica, « sanctam Romanam Ecclesiam visitare, tanquam « matrem et magistram omnium ecclesiarum, et « in cismarinis conciliis, seu in propria persona, « seu per nuntios suos interesse; et quod non deberent celebrari concilia ecclesiastica in cismarinis partibus, absente eo, vel nuntio suo, ab utraque parte statutum est. Quibus peractis, de reformatione pacis inter nepotem nostrum et comitem Tripolitanum, tractatur; in quo tractatu « apostolica scripta de commissione (435), ut causam de qua agebatur fine debito terminarent, « quæ dominis *S.* (456) tituli Sanctæ Praxedis, et « *P.* tituli Sancti Marcelli presbyteris cardinalibus, « et legatis delegastis, eidem *P.* cardinali repræsentavimus, confidentes, secundum mandatum C vestrum, causam ipsam per eum fine optato terminari, in quibus dominus *S.* cardinalis, absens, « pro negotio Christianitatis Acon erat, quem in « tota causa æquitatis et justitiæ invenimus amatorem. Repræsentatis apostolicis scriptis, ut dictum est, causam nepotis nostri ei vices vestras « gerenti commisimus, et, ab initio causæ, semper « ad apostolicam appellavimus audientiam et in judicio ipsius causam ipsam commisimus, testibus « domino patriarcha Antiocheno, Hospitalariis, Templariis et aliis viris religiosis (437) *Nigræ-montanæ* (438). » Ipse vero *P.* cardinalis et legatus, in quo nullam et vere nullam habere sperabamus suspicionem, comiti Tripolitano, Templariis, et Antiochenis confœderationem privatam faciens, parti D *Armenus*.

(428) Epistola hæc integra inserta et in Gesti Innocentii, § XCVI, ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

Majorem ejusdem partem retulit Raynaldus, ad annum 1205, § 30. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distincta sunt. Varias etiam lectiones ex Gestis, ex Raynaldo, nec non e codicibus mss., tum Gallicis, tum Romanis, etsi levioris momentii, ne quid diligentiæ nostræ defuisse videretur, notavimus.

(429) In Gest. *L.*; apud Raynaldum vero deest.

(430) Id est *Romanæ Ecclesiæ*, ut patet ex Gestis, § C. In Armenico, haud dubie, erat *Romanæ auctoritatis gratiam*, aut quid simile: pro quo interpres male vertit *Imperii*. In Gestis nec non apud Raynaldum legitur *Romani imperii.*

(431) In Gestis, *Armenorum;* apud Raynald.

(432) Gesta legunt *Petro*, et infra post *Tripolitanum* add. *qui.*

(433) Gesta *usurpaverat*, et mox post *dominus* addunt *Joannes.*

(434) Gesta, *Armeniæ*; et mox *Petrus* legunt pro *P.*

(435) Raynaldus hic putat addi debere *lecta sunt*, sed idutiliter BALUZ., not. in morg. *Gest.* pag. 74, *col.* 2.

(436) Gesta *Soffredo* hic et infra, ut *Petro* pro *P.*

(437) « De Abbatiis Nigromontanis, vide Odor, « Raynaldum, ad 1105, § 38. « *Baluz. not. inmarg. Gest. pag.* 74, *col.* 2. Verum, apud Raynaldum, loco a Baluzio citato, de Abbatiis Nigro-montanis nihil.

(438) Gesta, *Nigro-montanis*. Huc usque Raynald

nostræ fraudulenter detrahebat, et parti adversæ in nostri perniciem et jacturam assistebat, manum consilii et auxilii eis porrigens. Ex mandato itaque ipsius legati, sub cujus *spe* (439) decepti eramus, ad partes *Antiochenas* secundo ac tertio accessimus pro pace reformanda. Comes Tripolitanus, diverticula quærens ad diem statutum in causa nunquam accedebat. Cognita vero et intellecta fraude confœderationis initæ, ipsum *P.* legatum, suspectum, imo apertum adversarium habentes, ad apostolicam *merito* appellavimus audientiam, et causam nepotis nostri judicio vestro commisimus, personam nostram, regnum et gentes nostras, sub protectione Dei et vestra committentes, quod per privilegium a beatitudine vestra delegatum obtinere credebamus. Contigit igitur, nocte quadam ante adventum ipsius *P.* cardinalis, cum omni exercitu nostro vindicantes hæreditatem nepotis nostris, partes *Antiochenas* (440) defectu justitiæ infestantes, sicut domino placuit, infra muros *Antiochenos* in manu forti intravimus; et, si ad fusionem Christiani sanguinis, et incendium ipsius civitatis manus potentiæ notræ extendere voluissemus, urbs Antiochena capta foret; sed, pietate et Dei timore moti, et Christianitati miserando compatientes, dominum patriarcham. Antiochenum ad nos accersitum inter nos et Antiochenos rogavimus, optatæ pacis esse mediatorem. Et, dum de pace tractaretur, ecce, Templarii, quos præcibus et mandatis vestris honorabamus, et quibus in tota guerra deferebamus, salvatis possessionibus et tenimentis illorum, quos amicos, non adversarios, tanquam viros religiosos habere sperabamus, sine *diffiducia* (441) facta contra nos dentes acuerunt, turres munierunt, arma excusserunt, exercitum nostrum intus et extra muros civitatis Antiochenæ sagittaverunt, vexillum (442) *Balzanum* contra nos paraverunt, et, quod gravius est Christianum effuderunt sanguinem, postposito religionis ordine. *Hæc infra* (443) cum comite Tripolitano et *Antiochenis* (444) unanimes, perfido Soldano Alapiæ sunt confœderati; sic suis machinationibus ab acquisita hæreditate sua nepotem nostrum, pupil-

A lum, orphanum, sub protectione Dei et vestra deputatum, alienaverunt, et sic non expectata vulnus ab hoste tulimus; quod moleste ferentes, possessiones et tenimenta, quæ in regno nostro Templarii possidebant, *sustinuimus* (445), et a terra nostra illos eliminavimus. His ita peractis, dominus *P.* cardinalis, Templariis confœderatus, inter nos et Templarios pacem reformare quærens, nos ad restitutionem rerum, Templariis nuper ablatarum, primum viva voce, postea secundo ac tertio scriptis et nuntiis, instanter compellebat. Ad quod respondebamus, dicentes : Parati sumus, amore sedis apostolicæ, Templariis restituere nuper ablata, si in ordine suo promiserint se de cætero, neque infra muros neque extra muros Antiochiæ, justitiæ et *dric-*
B *turæ* (446) nepotis nostri adversari, sed sint, sicut viri religiosi, salvi et securi in domibus et possessionibus suis ; contra quæ Templarii, arrogantiæ stimulo suffulti, opponebant, se muros *Antiochenos* (447) contra justitiam et *dricturam* nepotis nostri semper defendere, ordine *religionis* postposito. Cum vero de concordia inter nos et Templarios nihil proficì posset, dominus *P.* cardinalis, absente domino Catholico, parte nostro *venerabili Antiochiæ* (448) super eadem causa concilium celebravit, et, post appellationem nostram iteratam ad apostolicam audientiam, sententiam excommunicationis in terram nostram promulgavit salvis confessionibus infirmorum, baptisterio et sepelitione mortuorum. Super eadem *sententias suas litteras* (449) ad dominum
C Catholicum Armenorum destinavit, ut ex abrupto per totum Catholicatum sententiose interdictio promulgaretur. *In iis omnibus non interfuit dominus S. cardinalis et legatus* (450). « (451) Convenientibus « itaque domino Catholico, et pluribus suffraganeis « Catholicatus in unum, communicato diu consilio, « mirati sunt de tanta et tam subita exasperatione, « absente Catholico, in Armenicam Ecclesiam facta; « et, reducentes ad memoriam hoc quod statum « fuerat inter dominum *P.* (452) cardinalem, et *J.* « Catholicum Armeniæ, quia de concilio absens fuit « ipse Catholicus, et sine consensu suo data est in

(439) Sic, et in cod. Reg. citat. a Baluzio in marg. In Gestis vero, *specie*. Et mox *Antiochæ* pro *Antiochenas*.

(440) Gesta om. hoc verbum; infra *Antiochenorum* legunt pro *Antiochenas*, et *Antiochæ* pro *Antiochenos*.

(441) Gesta, *diffidentia*.

(442) Legendum esse omnino *Baldanum*, censet Cangius, *Gloss.* tom. I, col. 952.

Sic, et in Cod. Reg. citato a Baluz, in marg. cod d. Pod. et Fux, citati ab eodem, *Baloanum*, in Gestis vero *Baldanum*. — « Baldanum, vexillum. Epistola Livonis (*leg.* Leonis), regis Armeniæ, in Gestis Innocentii PP. III, pag. 127 (in edit. vero nostra, pag. 74.) *Sine diffiducia facta contra nos dentes acuerunt.... exercitum nostrum intra et extra muros Antiochæ sagittaverunt, vexillum Baldanum, contra nos paraverunt*. ms. regium *balsanum* Fuxense *balsanum* præferre me monuit V. Cl. Stephan. Baluzius : unde, *Baldakinum* legendum forte. » Hactenus Cangius.

(443) Sic diserte legitur in Apographo Conti. Quid sibi velint hæc verba, nos non satis intelligere fa-
D temur. In Gestis rectius, *hi*.

(444) Gesta, *Antiocheno*.

(445) Sic, et in cod. Vatic. In cod. Valicell. *sanxivimus*, in Gestis, *saisivimus*.

(446) Gesta, *recturæ*.

(447) Gesta, *Antiochiæ*, et mox *directuram* pro *dricturam* legunt et infra verbum *religionis* omittunt.

(448) Gest. *et venerabili Antiocheno patriarcha*.

(449) Gesta, *litteras suas cum sententia*.

(450) Hæc in Gestis desunt. Rursus hic Raynaldus.

(451) « Quæ sequuntur, addita sunt ex Annalibus Odorici Raynaldi. » Baluz. *in not. ad. marg. Gest.* pag. 75, col. I. Nos, eadem ad fidem Apographi Conti exhibemus.

(452) Rayn. *Petrum*, Hic et infra et mox *J.* omittit.

« *diœcesi sua* (453) a cardinale interdictionis sen« tentia, censuere patres nostri, illam non *teneri* « (454) nec *observari* (455) sententiam, dicentes : « Qui de mamillis matris nostræ primo lac dulce « et suave sugere sperabamus, nunc autem fel « amarum et acetum potamus; sperabamus imbre « salutifero irrigari, non a grandinosis procellis « tempestari; qui vero nimium emungit, ut bene « scitis, elicit sanguinem. Quæ cum ad notitiam do« mini *S.* (456) cardinalis et legati, devenisset, mo« leste tulit; et, habito consilio cum domino *P.* « collegato suo, ad se accedente, quia instantis« sime ad audientiam vestram appellabamus, pro« cellam in auram, consilio domini *S.* cardinalis, « convertere studuerunt. Sicque factum est, ut, ex « mandato dominorum cardinalium, illustris regis « *Hierusalem* (457) et Cypri, omniumque nobilium « perigrinorum, mense Septembris, ad partes Acon, « pro reformatione pacis inter nos et Antiochenos « et Templarios, nuntium nostrorum, nobilem Con« stantium de *Camarderio* (458), dilectum consan« guineum nostrum delegavimus, et, mediante sa« pientia et discretione domini, *S.* cardinalis, juris « et æquitatis amatoris, pax reformata est inter nos « et Templarios, sicut per litteras ipsius intelligere « poteritis. Nos vero, nunqaam a mandatis sanctæ « Romanæ Ecclesiæ recessimus, nec recedemus vita « comite, quanquam dominus *P.* cardinalis ab ea « nos eliminari laboret nos igitur, qui, Dei et ve« stri gratia, tempore pontificatus vestri, nova su« mus planta vestra facti, cupientes ad honorem « Dei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ fructus odori« feros et suaves producere, ad pedes sanctitatis « vestræ recurrimus; flexis genibus rogantes et de« precantes, ut in judicio domini *P.* cardinalis et « legati, quem suspectum, imo apertum adversa« rium habemus, causam nepotis nostri non com« mittatis (459), » et quod nullam super nos, et terram nostram habitantes, cujuscunque conditionis existant, ex injuncta sibi legatione potestatem de cætero habeat, et ut Templariis per apostolica scripta mandando præcipiatis, ne de facto Antiocheno justitiæ et *dricturæ* (460) nepotis nostri sint adversarii, sicuti non sunt Hospitalarii, nec alii viri religiosi, et causam nepotis nostri, de qua sæpius dominationi vestræ scripsimus, non suspectis judicibus, sed talibus personis committatis, qui a recto tramite non declinent, sed aqua lance, auditis utrisque partibus, sine personarum acceptione, justum judicium faciant, quatenus exinde sanctam Romanam Ecclesiam ad ædificationem, non extirpationem novellæ plantæ vestræ, sentiamus provenisse, et, per auxilli vestri gratiam, delectabiles exitus matutino et vespere gaudeat se planta vestra reperisse.]

A B C D

## CXX (461).

LITTERA MISSA PER CATHOLICUM ARMENORUM, AD INNOCENTIUM PAPAM TERTIUM.

*De eodem argumento, et super quibusdam aliis*

[Reverendissimo in Christo Patri et domino INNOCENTIO, Dei gratia summo pontifici et universali papæ, JOANNES, per eamdem humilis Armenorum Catholicus, sanctitati *suæ* (462) devotus et obediens, cum debita obedientia et reverentia, plena salutis gaudia.

Ex [ineffabili providentia Domini nostri, a quo bonum omne procedit, Armenica Ecclesia, primatum et magisterium sanctæ Romanæ Ecclesiæ a Deo sibi concessum recognoscens, filia *ipsius* facta est devotissima, et nos, *ipsius* (463), licet indigni, *minister* (464), accedente *D. P.* tituli Sancti Marcelli presbytero cardinale, legato vestro, ex injuncta sibi legatione ad partes Catholicatus nostri (465), illi, ob vestri reverentiam, cum clero et grege a Deo nobis commisso obviantes, quanta potuimus honorificentia illum suscepimus, et, mutuis communicantes *aspectibus* et colloquiis, per manus ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vobis, secundum litterarum vestrarum tenorem, obedientiam et reverentiam exhibuimus; atque palleum a beatitudine vestra delegatum, solemnitate celebri ac cum omni humilitate suscipientes, promisimus, in ordine nostro, singulis quinque annis, per nuntios nostros sanctam Romanam Eccclesiam, tanquam matrem et magistram omnium Ecclesiarum, visitare, et in conciliis cismarinis interesse, et quod in eisdem ecclesiastica celebrari, nobis absentibus, vel nuntio nostro, consilia non deberent, ab utraque parte statutum est. Institutiones S. Romanæ Ecclesiæ in parte suscepimus, et in parte, propter absentiam suffraganeorum nostrorum longe lateque diffusam, inducientes, et, quia non sine magna personarum deliberatione hoc fieri poterat, convenientibus prælatis nostris, vel majori parte *prælatorum* (466), in uno tempore constituto, ipsorum *consensu*, ne in Ecclesia scandalum oriretur, institutiones vestras, in quibus concordaremur, suscipere proposuimus.]

(453) Sic, et apud Raynald. Baluzius legend. *in diœcesim suam.*

(454) Rayn. *tenere.*

(455) Sic, et apud Raynald. verum ait in not. marginalib. addendum esse, *debere.*

(456) Rayn. omittit hic et infra.

(457) Rayn. omittit.

(458) Rayn. *de Camardresio.*

(459) Hactenus Raynaldus.

(460) In Gest. *directuræ*; in cod. Vallicel. *astrictione.*

(461) Epistolæ hujus pars exhibetur in Gestis Innocentii, § CXVII. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ etiam lectiones dantur.

(462) In Gest. *vestræ*, et infra *ejus* legunt pro *ipsius.*

(463) Gesta omittunt.

(464) Gesta, *ministri ejus*, et mox *domino Petro* legunt.

(465) Gesta hic add. *ubi*, et infra legunt *amplexibus* pro *aspectibus.*

(466) Gesta legunt *ipsorum*, et mox *ab assensu*, pro *consensu.*

Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 32.

*Hæc infra* (467). Ante adventum autem domini P. cardinalis, orta est discordia inter dilectum nostrum L. illustrem regem Armeniæ et Templarios, sicut per litteras ipsas intelligere poteritis Ad cujus pacis reformationem ipsum legetum bona fide vacare credebamus, quem postea percepimus, ex vera quorumdam relatione, Templariis esse confœderatum. Cum autem de dicta pace nihil profici posset, prædictus P. cardinalis, auctoritate sua, nobis absentibus, Antiochiæ concilium celebravit, et excommunicationis sententiam, contra statuta in susceptione pallei ex utraque parte ordinata, per totam diœcesim nostram promulgavit, ac super eadem sententia litteras nobis destinavit, quas cum perlegi studiose faceremus, ipsarum tenorem omni amaritudine conditum intelligentes, ultra quam credi potest, moleste tulimus, tum propter bonam spem et fiduciam quam de patrocinio vestro habebamus, tum propter priora exempla, quæ ad nostri informationem procedere confidebamus. Communicato itaque consilio diu cum fratribus nostris, archiepiscopis, episcopis et aliis viris religiosis astantibus, non modicum mirati sumus de tanta exasperatione, sine assensu nostro in Armenicam Ecclesiam illata, fratribus nostris una voce dicentibus : Qui de mamillis matris nostræ primum lac dulce et suave sugere credebamus, fel et acetum amarum potamus ; confidebamus materna pietate de bono in melius proficiendo in doctrina apostolica informari, et imbre salutifero irrigari, non grandinosis procellis tempestari. Et sic consentaneum esse rationi capitulo nostro venerabili visum est, ipsam sententiam, sine consensu nostro in diœcesi nostra latam, non debere promulgari nec observari, donec ad notitiam vestram per litteras nostras et nuntios devenisset, fraude etiam confœderationis comperta inter ipsum legatum et Templarios. Tandem, mediante sapientia et discretione domini S. tituli Sanctæ Praxedis presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, mense Septembris Acon pax reformata est inter dilectum filium, regem Christianissimum et templarios, sicut per litteras regias intelligere poteritis. In his reverendæ paternitati vestræ cum omni devotione supplicamus ne brachium præsumptuosæ audaciæ Templariis largiamini in novæ plantæ vestræ perniciem. Clerici vestri, divina inspirante gratia, facti sumus et honori vestro et S. Romanæ Ecclesiæ, speciosæ matris nostræ, invigilare et insudare totis viribus tenemur. Eapropter, paternitati vestræ reverendæ consulimus, ut elationem Templariorum in bonum mitigetis et inter illustrem regem Armeniæ, dilectum A in Christo filium vestrum et Templarios, pacem et concordiam et amicitias sempiternas seminare studeatis ; nam nimium timendum est, ne, quod absit ! exortis inter eos discordiis, reliquiæ Christianitatis discrimen aliquod incurrant, et vos navi periclitanti ante submersionem manum consilii et auxilii sic porrigatis, ut ad portum salutis, mediante sollicitudine vertra, pervenire valeat. [Ad omnia igitur mandata vestra promovenda nos fideles et devotos inveneritis exsecutores.]

CXXI (468).

..... ARCHIEPISCOPO SENONENSI (468), ET...... PARISIENSI EPISCOPO (470).

*Ut Judæorum insolentiam compescant.*

(Id. Julii.)

B [Etsi Judæos, quos propria culpa submisit perpetuæ servituti, *Cum Dominum crucifixerint, quem sui prophetæ prædixerant ad redemptionem Israel in carne venturum* (471), pietas Christiana receptet et sustineat cohabitationem illorum, *quos etiam, propter eorum perfidiam, Saraceni, qui fidem Catholicam persequuntur, nec credunt iu crucifixum ah illis, sustinere non possunt, sed potius a suis finibus expulerunt, in nos vehementius exclamante, eo quod sustineantur a nobis, qui ab ipsis crucis patibulo condemnatum Redemptorem nostrum veraciter confitemur*, ingrati tamen nobis existere non deberent, ut *rependerent* Christianis de gratia contumeliam, et de familiaritate contemptum, qui, tanquam in nostram misericorditer familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam, juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio et ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. C Accepimus autem, quod Judæi, *quos gratia principum in suis terris admisit, adeo facti sunt insolentes, ut illos committant excessus in contumeliam fidei Christianæ, quos non tantum dicere, sed etiam nefandum cogitare.* Faciunt *enim* Christianas filiorum suorum nutrices (462), cum in die Resurrectionis Dominicæ illas recipere corpus et sanguinem Jesu Christi contingit, per triduum ; antequam eos lactent, lac effundere in latrinam. Alia insuper contra fidem catholicam detestabilia et inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, cum eos perpetrare patiuntur impune quæ fidei nostræ confusionem inducunt. D *Rogavimus igitur charissimum filium nostrum in Christo, Philippum, regem Francorum illustrem* (473); *mandavimas etiam nobilibus viris... duci Burgundiæ, et... comitissæ Trecensi, ut taliter reprimant Judæorum excessus, ne cervicem perpetuæ servitutis jugo submissam præsumant erigere contra reverentiam*

(467) Sic diserte legitur in apographo Conti. Vide notam ad epistolam proximo superiorem 119.

(468) Epistola hæc reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. v, tit. 6, *De Judæis, Saracenis, et eorum servis*, cap. 3; ideoque hic uncis inclusa exhibetur ; variæ lectiones dantur.

Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 57.

(469) Vide epistolam libri tertii 45, not.

(470) Vide epistolam libri tertii 11, not.

(471) Hæc omittunt Decretal., ut mox verba Italico charactere distincta ; infra pro *rependerent* legunt *reddant*.

(472) Decret. add. *et, quod non tantum dicere, sed etiam nefandum est cogitare, et mox faciunt post effundere interserunt.*

(475) Vide epistolam libri septimi 1[illegible]6.

*fidei Christianæ, inhibentes* (474) districtius, ne de cætero nutrices, vel servientes habeant Christianos (475), ne filii liberæ filiis famulenteur ancillæ, sed, tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos et illos servos effecit; *quia, cum jam incœperint rodere more muris et pungere sicut serpens, verendum est ne ignis receptatus in sinu corrosa consumat. Quocirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, prædictum regem et alios ad hoc ex parte nostra ita diligenter monere ac efficaciter inducere procuretis, quod Judæi perfidi de cætero nullatenus insolescant sed sub timore servili prætendant semper verecundiam culpæ suæ, ac revereantur honorem fidei Christianæ.* Si vero Judæi nutrices et servientes non dimiserint Christianos, vos *auctoritate nostra suffulti*, sub excommunicationis pœna inhibeatis districte omnibus Christianis, ne cum eis commercium aliquod audeant exercere.]

Datum Idibus Julii.

CXXII.

INSTRUMENTUM.

*Quo Guillelmus, Marchio, filius marhionis Pelavicini, spondet se pariturum mandatis papæ.*

(II Kal. Aprilis.)

In nomine Domini. Millesimo ducentesimo quinto XI Kalendas Aprilis, indictione octava, in præsentia inferiorum testium, dominus Guillelmus, marchio, filius marchionis Pelavicini, juravit ad sancta Dei evangelia stare mandatis Ecclesiæ Romanæ et domini papæ, nominatim pro offensione quam fecerat Romanæ Ecclesiæ, domino coran Egidio, Mutinensi episcopo (476), et coram domino Radulfo, Reginensi archidiacono, cui vicem suam Reginensis episcopus (477) commiserat, qui erant delegati a domino papa ad ipsum recipiendum, et ipsi, eum verberando et ecclesiæ intromittendo, statim absolverunt eum, et postea præceperunt ei ex debito juramenti, quod de cætero non impertiret neque exspoliaret nuntium Romanæ Curiæ, nec violentas manus injiceret in aliquem clericum, vel conversum, vel ecclesiasticam personam, nisi se defendendo, vel nisi inveniret aliquem cum propria uxore turpiter commorando. Actum sub porticu domus Ecclesiæ Sancti Jacobi de Casa Dei feciliter. Ibi vero tunc rogati fuere domnus Guidottus, abbas monasterii Sancti Joannis de Parma; domnus Prosper, abbas de Regio; domnus Radulfus, ejus monachus; domnus Albertus, monachus Sancti Joannis; domnus Bernardus, capellanus episcopi de Regio; domnus Andreas de Casa-Dei; Marcellus de Curviaco; Raymundus Caput de Lupi; Gerardus Armanellus, et Joannes Confalonerius, qui ambo sunt de Placentia; Gerardus de Sancto Marco; Hugo Punse Collus, serviens abbatis de Sancto Joanne; Odolinus; Nicolaus; et alii plures, qui ad hoc fuere rogati testes, Ego, Bernardus Laurentiorum, notarius Sacri Palatii, interfui, et hanc chartam rogatus scripsi.

CXXIII.

INSTRUMENTUM.

*Quo idem marchio, ad obtinendam absolutionem, arcem Landusiam episcopo Mulinensi tradit in jus proprietarium, et de eadem investituram accipit.*

(XI Kal. Aprilis,)

In nomine Domini. Millesimo ducentesimo quinto, XI Kalendas Aprilis, indictione octava, in præsentia inferiorum testium, dominus Guillelmus, marchio, filius marchionis Pelavicini, donavit et tradidit quamdam arcem, quæ vocatur Landasia, jure proprietario domino Egidio, Mutinensi episcopo et domino Radulfo, Reginensi archidiacono, cui Reginensis episcopus vices suas super absolutione anathematis impertienda dicto Guillelmo commiserat, nomine Romanæ Ecclesiæ et domini papæ; qui, scilicet Egidius, Mutinensis episcopus et Radulfus, Reginensis archidiaconus, vice et nomine domini papæ, incontinenti investivere dictum Guillelmum de præfata arce per feudum honorifice. Ibidem vero dictus Guillelmus juravit fidelitatem Romæ Ecclesiæ et domino papæ, contra omnes homines, salva tamen fidelitate suorum anteriorum dominorum. Actum sub porticu domus ecclesiæ Sancti Jacobi de Casa-Dei feliciter. Ibi vero testes rogati fuerunt, domnus Guidottus, abbas monasterii Sancti Joannis de Parma; domnus Prosper, abbas de Regio; domnus Radulfus, ejus monachus; domnus Albertus, monachus Sancti Joannis; domnus Bernardus capellanus episcopi de Regio; domnus Andreas de Casa-Dei; Marcellus de Curviaco; Raymundus Caput de Lupi; Gerardus Armenellus, et Joannes Confalonerius, qui ambo sunt de Placentia; Gerardus de Sancto Marco: Hug. Punse Collus, serviens abbatis de Sancto Joanne; Odolinus; Nicalaus; et alii plures, qui ad hoc fuere rogati testes. Ego, Bernardus Laurentiorum, notarius Sacri Palatii, interfui, et hanc chartam rogatus scripsi.

CXXIV.

MUTINENSI (477*), ET REGINENSI EPISCOPIS.

*Quod ipsi in absolvendo Willelmo Pelavicini fecerant, ratum esse jubet* (478),

(XIII Kal. Augusti).

Quam graviter nobilis vir, Willelmus, filius Pela-

(474) Decrtal., *inhibemus ergo*, loco *Rogavimus... inhibentes*, et infra om. quæ cursivo charactere distinximus.

(475) A Philippo Augusto Galliæ finibus pulsi sunt Judæi, quod servos et ancillas, quod domi habebant, a recta religione ad Judaicam superstitionem avocarent. Rigord. in Vit. *Philipp.* Vide etiam *Guil. Briton.* I, *Philipp.*

(476) Vide epistolam lilri terrii XXXII, not.

(477) Petrus, ad Reginensem sedem promotus anno 1187, postremam diem obiit anno 1212. UGHEL. *Ital. sacr.* tom. II, col. 303.

(477*) Vide notas ad epistolam hujusce libri octavi 122.

(478) Vide epistolam proximo superiorem 125.

vicini, non tam Romanam Ecclesiam, quam divinam offenderit majestatem, spoliando dilectum, filium, P. (478*) nunc tituli Sancti Marcelli presbyterum, tunc Sanctæ Mariæ in via Lata diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, ad præsentiam bonæ memoriæ Cœlestini papæ, prædecessoris nostri, de Polonia redeuntem, vestra fraternitas non ignorat, cum non solum per Lombardiam, verum etiam per alias mundi partes sit publice divulgatum. Unde, nos, qui, antequam idem cardinalis ad sedem apostolicam pervenisset, præfato prædecessore nostro defuncto in apostolatus officio fuimus substituti, de tanta offensa valde commoti, ecclesiasticæ districtionis rigorem non solum in auctorem tanti facinoris verum etiam in complices ejus curavimus exercere, ita, quod de universis ablatis tam ipsi quam suis fuit integre satisfactum. Quia vero majorem reputavimus injuriam quam jacturam, non protinus dictum Willelmum duximus absolvendum, sed tandiu eum jussimus tanquam excommunicatum ab omnibus arctius evitari et terram ejus sub ecclesiastico interdicto concludi, donec congrue satisfaceret de injuriis irrogatis, qui, tandem divina inspiratione compunctus, suum humiliter recognovit excessum plenamque satisfactionem promittens, absolutionis gratiam imploravit. Nos igitur, ejus exemplo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, per vos secundum formam Ecclesiæ mandavimus ipsum et terram ejus absolvi. Tu vero, frater Mutinensis episcope, per teipsum, et tu, frater Reginensis, per archidiaconum tuum recepto a præfato nobili juramento, quod nostris per omnia staret mandatis, super offensa prædicta ipsum secundum formam Ecclesiæ absolvistis, injungentes eidem ex debito juramenti, quod de cætero nuntios Ecclesiæ Romanæ nec caperet, nec spoliaret, nec etiam impediret: qui, mandatum reverenter suscipiens, statim donavit et tradidit in manibus vestris, ad opus et utilitatem apostolicæ sedis, jure proprietario, quamdam suam arcem, quæ Landasia nuncupatur, quam vos eidem nomine nostro concessistis in feudum, juramentum fidelitatis recipientes ab ipso, sicut vassallus domino facere consuevit. Licet autem concedendi roccam illam in feudum nullam a nobis receperitis potestatem, quia tamen obsequium præfati nobilis et hæredum suorum, nobis et Ecclesiæ Romanæ potest esse multipliciter fructuosum, nos, quod bona intentione fecistis, ratum habemus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eumdem nobilem moneatis, ut de cætero per seipsum et suos ad honorem et profectum apostolicæ sedis prudenter et potenter intendat.

Datum, XIII Kal. Augusti.

—

(478*) De isto jam actum est sæpius.

(479) Epistolam hanc laudare videtur Raynaldus, ad annum 1205, § 12: sed ejusdem revera partem exhibet ibid. § 28 et 29. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

## CXXV (479).

N . . . . (*Deest inscriptio.*)

*Ut Philippum regem Franciæ ad subveniendum terræ sanctæ inducant.*

Inter occupationes diversas, et utinam non adversas, quas præter solitum, imo plus solito sustinemus, illa vos angit amplius et conturbat, quæ nos ad terræ sanctæ succursum excitat et invitat. Licet enim pro ipsa sit a multis multipliciter laboratum, ad illum tamen necessitatis articulum, peccatis exigentibus, jam devenit, ut, nisi ei quanto citius succurratur, omnis omnino spes pereat non solum de recuperatione partis amissæ, verum etiam defensione retentæ (480). [Inopinata namque captione Constantinopolitanæ urbis audita, tam peregrini qui erant in Hierosolymitana provincia, quam indigenæ qui habitabant in ipsa, ad Constantinopolitanas partes subito transierunt; ita, quod ipsa Hierosolymitana provincia remansit viris et viribus pene penitus destituta, quin etiam opibus et operariis vacuata; quodque periculosius reputatur, cum Hierosolymitanus patriarcha decesserit, nostri recessere legati, et, filio regis defuncto, qui successurus erat in regnum, rex quoque diem clausit extremum, nec est in ea qui spiritualiter vel temporaliter præsit ac prosit. Ad cumulum autem majoris timoris et doloris accedit, quod inter comitem Tripolitanum et regem Armeniæ, qui pro Antiocheno principatu contendunt, tanta viget discordia, tantaque geritur guerra, ut ille pugillus hominum, qui remansit in terra, quasi totus sit divisus ad pugnam. Nam Templarii fovent comitem et Hospitalarii favent regi. Antiochenus populus sequitur viam comitis et patriarcha prosequitur partem regis. Filius autem Saladini, qui est soldanus Aleppiæ, Tripolitanum adjuvare videtur, sed eumdem impugnat dominus Denefin. Saphidinus vero, qui dominatur in Damasco, Babylonia et Ægypto, postquam Constantinopolitanæ urbis captionem audivit, adeo cum omnibus Saracenis indoluit, ut maluissent Hierusalem occupatam esse a Christianis, quam Constantinopolim a Latinis. Statimque inita tregua cum omnibus inimicis, ipsemet personaliter longe lateque discurrit, ut contra Christianos confœderet universos. Rex quoque Blachorum et Bulgarorum, cum Cumanis, Turcis et Græcis, adversus Latinos pugnantes, Domino permittente, vicerunt, majoribus in bello peremptis. Unde, cum multitudo signatorum redire vellet ad propria, dilectus filius, P. tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, de qua valde dolemus, ut ipsam multitudinem ad Constantinopolitani defensionem imperii retineret, a voto crucis absolvit, plenam eis peccatorum remissionem indulgens, qui per annum facerent ibi moram. Quare, cum nullus omnino succursus exspectetur ad præsens in Hierosolymitanam provinciam profecturus, supramo-

(480) Quæ sequuntur, prout indicat Raynaldus, loc. cit. in epistolo proximo sequenti repetuntur.

dum timemus, ne Saraceni ad occupandum residuum terræ sanctæ fortius animentur, ut, ipsa penitus occupata, tollatur Christicolis occasio transfretandi, sicque Constantinopolitanum imperium recuperetur a Græcis, quod utrique vehementer affectant. Cum igitur in tanto necessitatis articulo non sit nobis aliquatenus dormiendum, profecto nec sollicitudinem cordis, nec laborem corporis recusamus, dummodo terræ sanctæ subvenire possimus. Unde, cum a charissimo in Christo filio nostro, Philippo, illustri rege Francorum, præcipuum super hoc subsidium exspectetur, quem ob hoc Deus adeo magnificavit et exaltavit inter universos principes Christianos, ut regi regum in hac summa necessitate principaliter ipse succurrat, *fraternitati vestræ* (481) per apostolica scripta *mandamus* atque præcipimus, quatenus ad ejusdem regis præsentiam accedentes exponatis ei fideliter omnia supra scripta, et inducatis diligenter eumdem, ut ad subsidium terræ sanctæ prudenter ac potenter intendat, requirentes ex parte nostra, ut super hoc nobis impendat consilium et favorem, et quod inveneretis, nobis quanto citius intimetis.

CXXXVI (482).

PETRO, TITULI SANCTI MARCELLI APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, PRESBYTERO CARDINALI.

*Reprehendit legatum, deseruisse terram sanctam*, etc.
(VI Id. Julii.)

[Audito jampridem, quod tu et dilectus filius noster (483), tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, relicta in multæ necessitatis *articulo* (484) Hierosolymitana provincia, Constantinopolim navigio veneratis, mirati sumus non modicum et turbati, *ejusdem* terræ imminens periculum formidantes. Et « (485) ecce, quod verebamur accidit, et quod timuimus jam evenit. Nam, præter id, quod, bonæ memoriæ patriarcha Hierosolymitano tunc temporis viam universæ carnis ingresso, Ecclesia Hierosolymitana vacabat, et ex guerra, quæ tunc inter charissimum in Christo filium nostrum, regem Armeniæ illustrem et Tripolitanum comitem, super principatu Antiocheno vertitur, inter Christianos æmulatio quædam erat, postmodum, ex inclytæ recordationis A. regis Hierosolymitani, et filii ejus, obitu improviso, regnum Hierosolymitanum pene penitus est omni regimine destitutum (486).» Et, quia vos qui ibidem majus debueratis exspectare subsidium, et ad succurrendum eidem terræ, tam exemplo quam verbo alios incitare, pro vestræ voluntatis arbitrio exinde in Græciam navigastis, et non solum peregrini, sed etiam indigenæ terræ, vestris vestigiis inhærentes, Constantinopolim devenerunt, venerabili fratre nostro, archiepiscopo Tyrensi, vos pariter subsecuto; remansit ergo terra illa, recedentibus vobis, viris et viribus destituta, et facta sunt novissima ejus, occasione *vestra* (487), pejora prioribus, cum omnes amici ejus illam vobiscum reliquerint, nec sit qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Unde, facti videntur hostes ejus in capite, si fœdus treugarum voluerint violare, quod etiam a quibusdam dicitur, rege ac filio ejus exspirantibus, exspirasse. Turbamur igitur inter nos ipsos non modicum, et contra vos merito commovemur, quod in hoc consilium devenistis, ut simul relinqueretis *terram illam* quam Dominus sua præsentia consecravit, et in qua nostræ redemptionis mysterium rex noster ante sæcula novissimis temporibus est mirabiliter operatus. Quamvis sane venerabilis frater noster... quondam episcopus Vercellensis, in patriarcham Hierosolymitanum fuerit postulatus, et nos, postulationem approbantes ejusdem, jam ei pallium duxerimus concedendum, propter occupationes tamen multiplices non tam cito forsan poterit transfretare. Debueratis ergo causam vestræ legationis attendere, ac sollicite cogitare, quod non ad capiendum Constantinopolitanum imperium, sed defendendas reliquias terræ sanctæ, ac perdita, si daret Dominus, restauranda, vos duxerimus delegandos, mittentes vos non ad capescendas divitias temporales, sed promerendas æternas, cum nos, et fratres nostri, in expensis vobis providerimus competenter. Audito autem nuper, et per tuas litteras intellecto, quod universos crucesignatos, qui in defensione Constantinopoleos a præcedenti Martio usque ad proximum morarentur, a voto peregrinationis et onere crucis absolveras, contra te non potuimus non moveri, cum nec debueris nec potueris talia ullatenus attentare, quicunque tibi *contra* (488) suggererent, et quocunque modo seducerent mentem tuam. Cum *enim* (489) ad hoc specialiter et principaliter assumpserint signum crucis, et hoc

(481) Apud Raynaldum, *fraternitatem vestram* et mox, *monemus* pro *mandamus* et hic desinit.

(482) Epistola hæc inserta est, sed mutila, in Gestis Innocentii, xcv. Ejusdem fragmenta, tam ex Gestis, quam ex Regesto Vaticano, exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 12 et 13. Integram, numerisque omnibus obsolutam edimus, fidem apographi Conti, nec non apographi alterius, quod ex cod. ms°. Bibliothecæ Vaticanæ, jam citato, in quo continetur Formularium Berardi de Napoli, exscribi curavimus. Quæ in Gestis leguntur, hic uncis inclusa exhibentur; quæ apud Raynaldum, duplici ad initium cujuquo lineæ virgula in margine apposita distinguuntur.
Varias lectiones, etsi levioris momenti, ex Gestis, ex Raynaldo, etiam ex codice mss. Vallicellano sæpius jam laudato, ad majorem diligentiam, ad marginem notavimus.

(483) In Gestis add. *Soffredus*.

(484) Sic, et in Gest. codice Pod. cit. a Buluzio in marg. *periculo*; infra Gesta legunt *eidem* pro *ejusdem*.

(485) Hæc apud. Raynald.

(486) Huc usque Raynald.

(487) Gesta legunt *horum*, et infra *eam* pro *terram illam*.

(488) In codice Vallicellano, *talia*.

(489) Gest. add. *illi*.

præsertim voverint Domino Deo suo, ut in terræ sanctæ subsidium transfretarent, et, a via postmodum errantes, in nimium temporalia commoda usque hodie sint secuti, utrum tibi licuerit immutare taliter, imo pervertere potius votum tam solemne ac pium, tibi relinquimus discernendum. « (490) Ecce « etenim, quod cum mœrore referimus et rubore, « unde videbamur hactenus profecisse, deficimus « et angustiamur unde credebamus potissimum dilatari. Quomodo enim Græcorum Ecclesia, quan- « tumcunque afflictionis et persecutionibus affli- « gatur, ad unitatem ecclesiasticam et devotionem « sedis apostolicæ revertetur, quæ in Latinis non « nisi perditionis exemplum et opera tenebrarum « aspexit, ut jam merito illos abhorreat plus quam « canes? Illi etenim, qui non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere credebantur, gladios, « quos exercere debuerant in paganos, Christiano- « rum sanguine cruentantes, nec religioni nec ætati « nec sexui pepercerunt, incestus, adulteria et for- « nicationes in oculis hominum exercentes, et tam « matronas quam virgines *etiam* (491) Deo dicatas, « exponentes spurcitiis *garsionum* (492). Nec suffe- « cit eisdem imperiales divitias exhaurire ac di- « rumpere spolia principum ac minorum, nisi ad « thesauros Ecclesiarum, et, quod gravius est, ad « ipsarum possessiones extenderent, manus suas, « tabulas argenteas etiam de altaribus rapientes, et « inter se confringentes in frusta, violantes sacra- « ria, cruces et reliquias asportantes (493). » Præterea, cum latere non possit quod inter tot millia hominum est præsumptum, nunquid Saraceni, qui, capta Constantinopolitana urbe, nimio fuerant timore perculsi, ex quo intellexerint quod crucesignati post annum sint ad propria redituri, et jam in eos ultio divina desæviat, quæ iniquitates ipsorum jam incipit flagellare, animos non resument, et pauculas oves, quas velut in deserto luporum morsibus reliquistis, nisi sola eis Dei dextera restiterit, non *vorabunt* (494)? Nos quoque, qua fronte de cætero populos Occidentis ad terræ sanctæ subsidium et præsidium imperii Constantinopolitani poterimus invitare; quibus, etsi non ob propriam culpam, tamen propter factum tuum, aliqui imputabunt forsitan, quod crucesignati, relicto peregrinationis proposito, absoluti, ad propria revertuntur, et, qui prædictum imperium spoliarant, illo immunito relicto, referti spoliis terga vertant? « (495) Non sit ergo in « ore tuo verbum Domini alligatum, nec sis tanquam « canis mutus non valens latrare; sed hæc loquere « publice, ac coram omnibus protestare, ut tanto te « amplius pro Deo et propter Deum objurgantem « inveniant, quanto magis te invenerunt hactenus « negligentem (496).)] (497) Super absolutione autem « populi Venetorum, contra formam ecclesiasticam « perperam acceptatam, non arguimus te ad præ- « sens, cum per alias litteras, super hoc ad te specia- « liter destinatas, te duxerimus arguendum (498). » His quoque, quæ circa negotium patriarchæ Antiocheni et abbatis sancti P. refertis egisse, nunc supersedere decrevimus, ne nimis exaggerare singula videamur. Cæterum, cum ad preces Constantinopolitani imperatoris illustris, dilecto filio, B. tituli Sanctæ Susannæ presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, in Græciam onus legationis duxerimus injungendum, qui jam in Apuliam est profectus, et prædictus cardinalis Sanctæ Præxedis, sicut accepimus, iter arripuerit redeundi, discretioni tuæ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus, omni occasione cessante, in terram sanctam, postpositis cæteris, revertaris, ibique prædicti patriarchæ saltem præstoleris adventum, acturus interim quæ ipsius terræ necessitatibus debeant expedire.

Datum IV Idus Julii.

## CXXVII (499).

### A. ILLUSTRI REGI HUNGARIÆ.

*Ut ea, quæ G. clerico episcopi Portuensis, ablata fuerant, ipsi restituere faciat.*

(VI Kal. Augusti.)

Providendum est regiæ potestati, ut euntes et redeuntes per terram suam, valeant secure transire, ne regnum videatur carere rectore, si subditi ad res alienas extendant manus suas. Accepimus autem, dilecto filio, G. clerico venerabilis fratris nostri, P. (509) Portuensis episcopi, conquerente, quod Georgius, frater Savin. Rodominus et Gojan. ei, de ultramarinis partibus redeunti, quinque baldachinos, duo examinata (501), unum rubeum, et alterum jalinum (502), et aliud examitum auro contextum, duo pallia, quinque carpetas (503), tres ampullas balsami parvas, tres sacculos de ligno

(490) Iterum Raynaldus.

(471) Sic et apud Rayualdum; in Gestis, *et*.

(492) Sic, et in Gestis; Cod. Vallicel. *garzonum*; apud Raynald. *gartionum*.

(493) Hactenus Raynald.

(494) Cod. Vallicel. *devorabunt*.

(495) Rursus Raynaldus.

(496) Huc usque Gesta Innocentii.

(497) Quæ sequuntur, duplici ad initium cujusque lineæ virgula ad marginem apposita distincta, *addita esse ex Regesto, ubi exstare scribit Raynaldus, ad an.* 1205, § 13, ait Baluzius, not. ad marg. *Gest.* n° 95, pag. 59, col. 2.

(498) Hactenus Raynaldus.

(499) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum (1202), §. 55.

(500) Vide epistolam libri quinti 69, not.

(501) De examitis jam dictum est supra.

(502) Pro *hyanlium*, coloris vitræi, ὑάλινος.

(503) Forsan legendum *Carpettas*. Carpettæ, vulgo *Carpetta*, inquit Hoffmannus, *in Lexico*. Sic muliebres tunicæ vocantur hodieque in Venetiis, quas *Chiridotas dalmatarnm* vocat Capitolinus, in Pertinace, *cap*. 8. Καρπατοί Græcis, ut aliis notatum, quod κάρπν manus obvelabant. Vide Octavium Ferrarium, *De re vestiar.* lib. III, cap. 9.

Aliter etiam potest intellini. Academicis enim Cruscanis, *Carpita*, est *un apparato di tavola vile, composto al materie grosse di lana, e di pezze di diversi colori*. *Carpettus* idem, reperitur eadem, ut videtur, notione, apud Rymer. tom. II, pag. 378, col. 1. Illic enim agitur de suppellectili Collectoris

aloes,quinquaginta et tres buccararios (504),quinquaginta et duos cameratos (505), chirothecas, marsupia et margaritas, grammata, pannos saracenicos,et unum scrinium, ubi erant reliquiæ et crux aurea,in qua erat de ligno Domini, duodecim vasa eburnea, duo texta Evangelii de argento, in quibus erant reliquiæ, viginti et quinque annulos, quorum unus magnum hyacinthum habebat, quingentos mazamutinos (506),et alios pannos,et libros per violentiam abstulerunt. Cum igitur iidem malefactores sub tuo dominio morari dicuntur, serenitatem regiam monemus attentius et hortamur,quatenus dictos malefactares,ut ablata cum integritate restituant,et de illatis damnis satisfaciant competenter, tradita tibi potestate compellas. Restituta vero tandiu jubeas apud diœcesanum episcopum custodiri,donec per fidelem nuntium una cum prædicto clerico facias nobis illa deferri.

Datum VI Kalendas Augusti.

*Scriptum est super hoc....* Colocensi archiepiscopo.

*Item...* Spalatensi archiepiscopo.

*Item...* Quinquecclesiensi episcopi.

CXXVIII.

ABBATI ET CONVENTUI, ALBARENSIBUS.

*Electionem Andrææ, præpositi S. Nicolai de Corneto, in abbatem S. Augustini de Monte-Albo, confirmare eis præcipit.*

Querelam ex parte vestra recipimus,continentem, quod monachi Sancti Augustini de Monte-Albo dilectum filium, Andræam, præpositum Sancti Nicolai de Corneto,sine tuo,fili abbas,consilio et consensu, contra tenorem privilegii ab apostolica sede vobis indulti,et consuetudinem hactenus approbatam,in abbatem sibi eligere præsumpserunt; unde,postulabatis a nobis humiliter et devote, ut electionem hujusmodi dignaremur in irritum revocare,neve de cætero posset in eodem monasterio simile attentari, auctoritate apostolica interdici, et eum, qui pro tempore fuerit electus,ad præstandam obedientiam abbati Albarensi canonica censura compelli, asserentes,tam confirmationem electi, quam correctionem monasterii ad Albarensem abbatem ex indulto sedis apostolicæ pertinere. Cum autem monachi Sancti Augustini prædicta negarent, nos examinationem negotii Tuscanensi (507) episcopo duximus committendam, qui, testibus utrinque receptis, allegationibus prudenter auditis, et privilegiis diligenter inspectis,causam ipsam ad nostrum remisit examen sufficienter instructam. Nos igitur, causæ meritis subtili examinatione discussis,intelleximus evidenter, dispositionem monasterii sæpedicti a bonæ memoriæ Innocentio papa II, sub eo tenore Albarensi abbati fuisse commissam, ut, salvo jure apostolicæ sedis, religionem in eodem monasterio conservaret,et ad spiritualium et temporalium intenderet incrementum. Per testes autem comperimus esse manifeste probatum quod a quadraginta annis, de consensu Albarensis abbatis, in eodem monasterio sunt quinque abbates electi, qui ab eodem sunt confirmati, eique regularem obedientiam promiserunt, quamvis nisa sit pars adversa probare, quod post contradictionem et appellationem hæc fuerint usurpata. Privilegia quoque nobis exhibuit, quibus astruere intendebat, electionem abbatis ad monachos Sancti Augustini libere pertinere. Cum igitur præfatum Sancti Augustini cœnobium ad jus et proprietatem B. Petri pertineat, nihilque vobis vindicare possitis in eo, nisi quod est vobis in ipso ab apostolica sede commissum, sententialiter definimus,ut monachi præfati cœnobii regulariter sibi possint abbatem eligere, requisito consilio Albarensis abbatis, qui tamen reprobare non possit idoneum, sed electum canonice debeat confirmare, corrigens in eodem monasterio quæ corrigenda cognoverit,et statuens quæ viderit statuenda,sic tamen,ut abbatem sine speciali mandato Romani pontificis deponere non præsumat. Electus autem et confirmatus ei vice nostra regularem obedientiam repromittat, cum in eo nullam, nisi commissam sibi a Romano pontifice, habeat potestatem. Electionem vero, de prænominato præposito factam, non oportuit irritari, cum

Romani pontificis, iter habentis in Anglia.

(504) *Buccararios*, sic diserte legitur in apographo. Vos incognita tum Cangio, tum Carpeuterio; forsan genus quoddam vestiarii, vel oris integumenti.

(505) Non potius *camelaucos*? Camelaucus, enim, *vel* calamancus, *vel* camelaucum, *vel etiam* calamaucum, Græcis recentioribus καμελαύκιον, capitis integumentum, et pilei genus ex camelorum pilis confectum, unde nomen, ut auctor est Cedrenus, tom. I, pag. 159: Ἐστί δὲ καὶ ἑτέρα κατασκευὴ σπυρίδος ἀντὶ πίλου τῇ κεφαλῇ τιθεμένη. Καλεῖται δὲ παρ' Ἰταλοῖς καμελα, ἐξ οὗ καὶ καμελαύκία. Ubi Jacobus Csar, (*Poster. not. ad Cedren.* pag.41, *ad calc.* t. II.) Καμηλαύκια scribunt moderni, et *pileolos* ex camelorum pilis confectos,summo tantum vertici hærentes, καὶ πρὸς αὐχένα, *ad cervicem* defluentes, ita vocant. »

Suidas vero aliter (tom.II,pag. 236,Καμηλαύκιον). Καμηλαύκιον· Ῥωμαίων ἡ λέξις. Ῥηθείη δ' ἂν καὶ Ἑλληνιστὶ παρὰ τὸ καῦμα ἐλαύνειν.

Καμηλαύκιον. *Vox Latina,potest tamen hoc vocabulum deduci a Græco* καῦμα ἐλαύνειν,*quod* æstum propulsare *significat.*

Camelaucus, idem, est vestimentum papæ. Anastasius, (in *Constantino PP.*) « Apostolicus pontifex cum *camelaucio*, ut solitus est Romæ procedere, a palatio egressus, etc. » Vignolius (*not. ad Libr. Pontific.* tom. II' pag. 8) in codice Vaticano legi *caumelaugo* monet. Qui plura velit,adeat Cangium, *Glossar.* tom. II, col. 73; etsi veri summi diligentiæ aliquid defuisse, prout ex hac nostra notula patet, dici possit.

(506) De mazamutinis, *vel* masmodinis, jam egimus supra.

(507) Num etiam Viterbiensi? Tuscanensem enim episcopatum cum Viterbiensi,temporibus Cœlestini papæ III, unitum fuisse notum ast. Vide UGHELL. *Ital. sacr.* tom. I, part. sign. cod. 306. Tuscanensi vero cum Viterbiensi unitæ Sedi, hoc in quo nunc versamur anno, præerat Raynerius II, de quo jam egimus supra. Vide Epistolam libri quinti 93, not.

ipse, consentientibus monachis, electioni renuntiaverit de se factæ prius quam ad nostram præsentiam accessissent. Nulli ergo nostræ definitioni, etc.

Datum.

CXXIX (508).

CALOJOANNI, REGI BULGARORUM ET BLACHORUM.

*Ut faciat pacem cum Latinis, et liberet imperatorem Constantinopolitanum quem tenet captivum.*

[Ex illa gratia speciali, qua te glorificavimus inter omnes principes Christianos, usque adeo te diligimus, ut ad tuum commodum et honorem efficaciter aspiremus, pro certo sperantes, quod tu, in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris tuæ,proficere debeas incessanter, per cujus B merita gloriosum acquisivisti triumphum adversus eos qui te nitebantur graviter molestare (509). « Cum igitur regium diadema et militare vexil« lum a nobis per legatum apostolicæ sedis acce« peris, ut regnum tuum beati Petri sit speciale, « providere volumus diligenter, ut, ab hostium « undique liberatus incursibus, tranquilla pace « læteris. Noveris ergo, fili charissime, quod in« gens exercitus de occidentalibus partibus est « in Græciam profecturus, præter illum qui nuper « accessit. Unde, tibi, et terræ tuæ debes sum« mopere providere, ut, dum potes, pacem ineas « cum Latinis; ne, si forte ipsi ex una parte, et « Hungari ex altera, te studuerint impugnare, non « facile possis resistere conatibus utrorumque. « Quocirca, serenitati tuæ suggerimus et consu- C « limus recta fide,quatenus, cum Balduinum, Con« stantinopolitanum imperatorem, dicaris tenere « captivum, ita tibi provideas, ut per liberationem « ipsiusveram et firmam pacem facias cum Latinis « ut ab impugnatione tua et terræ tuæ penitus « conquiescant. Nos enim, Henrico, fratri ejusdem « imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui « Latinorum, per apostolica scripta mandamus, ut « ad pacem tuam pro liberatione ipsius impe« ratoris Latinos inclinet, et a tua molestatione « cesset omnino. Inspiret itaque tibi Deus, ut « nostris monitis et consiliis acquiescas, quatenus « regnum tuum, quod beato Petro et Ecclesiæ « Romanæ devotissime dedicasti, ab omni pertur« batione servetur illæsum, ad quod diligens stu- D « dium impendere cupimus et operam efficacem.] « *Scriptum est*..... Trinovitan. archiepiscopo, A « Bulgarorum et Blachorum Primati,ut eum ad hoc « diligenter moneat et inducat. »

CXXX (510)

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS AD SUCCURSUM TERRÆ SANCTÆ VOLENTIBUS CONSTANTINOPOLIM PROFICISCI.

*Ut pontificem de ipsorum proposito certiorem reddant.*

(XVII Kal. Septemb.)

Cum perConstantinopolitani detentionem imperii, quod divino judicio sibi subjugavere Latini, pro certo speretur Hierosolymitana provincia liberanda de manibus paganorum, quicunque pro reverentia Jesu Christi pie suspirat liberationem illius, ad istius quoque detentionem debet efficaciter aspirare. Licet ergo per generales litteras nuper universis Christi fidelibus injunxerimus in remissionem omnium peccatorum, ut, Constantinopolim accedentes, ad terræ sanctæ subsidium laborarent, ne tamen labor eorum inutilis sit et cassus,si venientes non possint passagium invenire, vel exspectando diutius necessarias consumere cogantur expensas, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, certo termino constituto, infra quem vos ad iter congrue præparetis, nuntios ad nos idoneos præmittatis, qui nos de vestro reddant proposito certiores,ut viam vobis conpendiosam pariter et securam faciamus per Apuliam præparari, eantque nuntii vestri cum litteris nostris Brundusium ad navigium conducendum, quatenus, omnibus rite dispositis, cum benedictione nostra possitis sine impedimento transire.

Datum XVII Kal. Septembris.

CXXXI (511).

LITTERÆ HENRICI, FRATRIS IMPERATORIS.

*Significat ei quod Balduinus imperator captus fuit a Bulgaris, ac nuntios mittit.*

(In palatio Blackernæ, anno Domini 1205, Nonis Junii.)

[Sanctissimo Patri ac domino INNOCENTIO, Dei gratia summo pontifici, *H.* (512) frater imperatoris Constantinopolitani, et moderator imperii, cum debita reverentia, humili et *devoto* (513) pedum *osculo* (514). Cum universum Christiani exercitus progressum, et laborum peregrinationis nostræ seriem, paternitati vestræ per multiplices litteras et nuntios frater meus et dominus imperator,usque ad Martium elapsum novissime, satis lucide significaverit,eventus nostros, extunc prioribus multum dissimiles,imo, peccatis nostris exigentibus, nimis

(508) Epistola hæc inserta est in Gestis, § CVII, ubi tamen quædam desunt in fine. Ideoque hic uncis inclusa exhibetur. Eamdem, sed mutilam, exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 21. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distincta sunt.

(509) Hæc apud Raynald.

(510) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 30.

(511) Epistola hæc legitur, sed mutila, in Gestis, § 105. Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1205, § 17 et seqq. Integram, continuata serie expressum, numerisque omnibus absolutam edimus, ad fidem Apographi Conti. Quæ in Gestis reperiuntur, hic uncis inclusa sunt; quæ apud Raynaldum, duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distinximus; varias etiam lectiones,ex Gestis, Raynaldo, et Codd. mss. tum regio, citato a Baluzio, tum Vallicellano, ad majorem diligentiam, notavimus.

(512) In Gestis, *Henricus*.

(513) In Gestis et apud Raynaldum, *devota*.

(514) Ibid. *oscula*.

miserabiles, vobis, tanquam Patri et domino, dignum duxi propalare. Contigit igitur, Græcos, qui, ex innata malitia et perfidia consueta, post omne genus securitatis et cautionis, proditioni se semper pronos exhibent, statim post dimissionem nuntiorum ad vos ultimo directorum, proditionem, quam pridem mente conceperunt, rebellione contra nos facta, detegere manifeste. Quo comperto, frater meus et dominus imperator, opportune paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones et marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Andronopolim videlicet, quæ civitas est Græciæ munitissima, et, montibus tantum interpositis, Blachorum affinis populis, ulciscendi animum intendens, urbem regiam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic divisi: marchio Montisferrati ultra Thessalonicam erat cum multis; ego, ex altera parte Brachii Sancti Georgii eram apud *Andromiticum* (515) cum non paucis; Paganus de Aurelia, et P. de Braccel. versus Nicæam, ex eadem parte *Brachii* (516); *R.* (517) de Tric. apud Philippopolim cum pluribus; et alii alibi per loca et munitiones dispersi. Porro, audito a Joannitio, Blachorum domino, quod Latini in tanta virorum paucitate civitatem prædictam obsedissent, quem etiam Græci in auxilium suum, occulte tamen, ut magis læderent, evocarent, irruit subito Blachus ille Joannitius in nostros cum multitudine Barbarorum *innumera* (518), Blachis videlicet, Commannis et aliis, quibus etiam nimis improvise obviam exeuntibus nostris, et remotius quam oporteret « instantibus, per « inimicorum insidias tandem vallatis undique « (proh dolor!) dominus meus, imperator, comes « Lod. Stephanus de Pertico, et quidam alii baro« nes et milites, quod non sine sanguinearum lacry« marum effusione referre valeo, tanta obruti mul« titudine, non sine damno tamen illorum, ab « inimicis *intercepti* (519) sunt. Nescimus revera, « qui capti fuerint, qui occisi. Accepimus tamen « ab exploratoribus nostris certissimis et fama « veridica, quod dominus meus, imperator, tenea« tur et vivus, qui ab eodem Joannitio, satis, ut « *asserunt* (520), pro tempore honorabiliter pro « curatur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc « expresse nescimus nominare. Sciatis autem, « quod, ab ea die qua Græcorum fines ingressi « fuimus, usque ad diem infelicis illius congressus, « quatacunque nobis et nostris occureret multi« tudo, licet aliquando nostri paucissimi fuissent, « cum triumpho tamen semper et victoria recesse« runt. Inæstimabilem vero jacturam, quam tunc no« bis dolemus et plangimus accidisse, ex inconsulta « nostrorum audacia, et peccatorum nostrorum « meritis credimus contigisse. Illi itaque, qui ela« psa a prælio, manus inimicorum evaserunt, con« silio abbreviato cum his qui ad tentoria servanda « remanserant, absque alio damno ab obsidione « recesserunt. Quibus tendentibus ad urbem re« giam, et tam inopinabiliter desolatis, tantam « Dominus subito dedit consolationem, ut quasi in « momento omnes simul, quotquot dispersi fue« rant, tanquam convocati a Domino, apud civita« tem quamdam, quæ dicitur *Rodestoc* (521), con« venirent. Marchio tamen, *feliciter* (522) et victo« riose in suis marchiis, per *R.* (523) de Tric. in « suis partibus per Dei gratiam incolumis moraba« tur et indemnis. Inspectis igitur nostrorum viribus « urbus et castella extunc munire cœpimus, quæ « contra Græcorum rebellionem tenere posse vide« bantur, et inter agendum Constantinopolim usque « profecti sumus. Licet itaque in personis amissis « infortunium lugubre nobis acciderit, speramus « tamen in Domino, et *audenter* (524) confidimus, « quod inimicorum nostrorum insidias et assultus « diutius, volente Domino sustinere poterimus, et « etiam de longinquo subventionem et auxilium « exspectare. Ecce tamen, quod verebamur, hoc « accidit, et quod fama canebat publica, quoque « per litteras ipsius Blachii, confœderationem ip« sius cum Turcis et cæteris crucis Christi inimicis « continentes, edocti fuimus, quas etiam, a nobis « cum nuntiis ipsius interceptas, apostolatui vestro « in utraque lingua transmisimus (525), » licet gravius exspectato vulnus *incurrimus et ruinam* (526); cujus susceptionem vobis incumbere, tanquam patri, *causæ nostræ* (527) patrono et domino, nemo est qui ambigat, præsertim, cum ob Ecclesiæ tantum unitatem reformandam, et terræ sanctæ subventionem laboremus, quorum unum *eatenus* (528) pendet ex alteri, sicut communis omnium Christianorum in Oriente degentium, et præcipue venerabilium fratrum militiæ Templi et Hospitalis utriusque, qui nobiscum sunt, clamat assertio, ut non solum ipsius liberationem hujus operetur redintegratio, verum etiam omnium paganorum, et crucis Christi inimicorum, confusionem omnimodam apertissime procurare videatur, sicut *econtra* (529) ejus disturbatio, *quam Deus* (530) avertat, non solum recuperandi partem amissam terræ sanctæ spem auferret, imo illam quæ in præsenti Christiano cultui de-

(515) Sic, in Gestis et apud Raynaldum; in codice reg. cit. a Baluzio, in margine, *Mandromiticum*.
(516) In Gestis, et apud Raynaldum deest.
(517) Gest. Rayn. *E.*
(518) Sic, et apud Raynaldum; in Gestis deest.
(519) Cod. Vallicel. *Interempti*.
(520) Sic et apud Raynald. In Gestis *asseritur*.
(521) In Gestis *Rodestock*; apud Raynald. *Rodestec*.
(522) In Gestis, *fideliter*.
(523) In Gestis, *E.* apud Raynald. *E.*
(524) Gest. *audacter*.
(525) Huc usque Raynaldus.
(526) In Gestis, *incurritur et ruina*.
(527) Gest. *omnium et nostro*.
(528) Gest. hactenus.
(529) Cad. Vallicel. *certa etiam*.
(530) Gest. *quod Dominus*.

dita est, procul dubio spem præriperet detinendi. Attendentes igitur, sicut a principio, imperfectum nostrum ad tam ardui propositi celsitudinem minus sufficere, ad vos, tanquam summum et præcipuum, imo unicum spei nostræ refugium et fundamentum, qui solus præ filiis hominum, et principibus et regibus, in quantalibet potestate constitutis, nobis potestis succurrere, supplici et devota intentione et mente confugimus, ad pedes paternitatis vestræ prona humilitate prostrati, et quanta possumus precum instantia cum lacrymis implorantes, quatenus filiis vestris, in tam arcto constitutis, et, præ cunctis viventibus, consilio et auxilio vestro indigentibus, consuetum pietatis impendere non differatis affectum; quod tanto securius a paternitatis vestræ dulcedine postulamus, quanto, præter peregrinationis nostræ votum solemne, pro Ecclesia Romana corpora nostra et vitas impendimus, in quo, præter communem omnium Christianorum qua tenemini sollicitudinem, et nos paternitati vestræ, et vos nobis, tanquam militibus vestris, ei Ecclesiæ Romanæ stipendiariis, districte novimus obligatos. (531).] «Legatos igitur cum auctoritate apostolica « a Latere vestro in Italiam, Franciam et Alamanniam et alias Occidentalium regiones dimitti petimus, qui integram indulgentiæ plenitudinem in « auxilium nostrum et subventionem ad nos propter prædicta venturis deferant, quæ a sede « vestra apostolica indulta est per annum integrum « in servitio crucifixi in terra Syriæ moraturis. « Quoniam autem, quæ paternitati vestræ significare cupimus longum est scriptis inserere, nuntios « nostros et fideles, præcipue venerabilem patrem « nostrum, N. Suessionensem episcopum, qui tam « fideliter, quam constanter pro terræ sanctæ subventione et negotio Romanæ Ecclesiæ laboravit, « et adhuc, tanquam fidelis et prudens talenti sibi « commissi dispensator, sicut vos ipsi cernitis, laborare non desinit, cujus absentia plurimum nobis esset damnosa, nisi cogens rei necessitas et « ipsa negotii arduitas nos ejus præsentia ad tempus carere compellerent, et nobiles viros, M. « (532) de Mailli, et Joannem Bliaut, paternitati « vestræ transmitto, rogans et cupiens, ut eis in « his quæ de facto isto apostolatui vestro suggesserint, fidem indubitatam adhibere velitis et firmam et consilium vestrum et auxilium, sicut Ecclesiæ totique Christianitati necnon et domini et « fratris mei liberationi, qui se vestrum ubique devotum gerebat et dicebat militem, expedire videritis, apponatis. Datum in palatio *Blackernæ*(533), « anno Domini 1205, Nonis Junii.»

CXXXII (534).

HENRICO FRATRI CONSTANTINOPOLITANI IMPERATORIS.

*Ut pacem stabiliat et firmet cum rege Bulgarorum.*

[Nobilitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, ad liberationem fratris tuis diligenter intendens, veram et firmam pacem stabilias cum charissimo filio nostro, Calojoanne, rege Bulgarorum et Blanchorum illustri, ut inter Bulgaros et Latinos fidelis et stabilis amicitia de cætero perseveret. Breviter scribimus, quia opus est magis opere quam sermone. Multum enim utrinque poterit esse amicitia fructuosa. Datum, etc.

CXXXIII (535).

MARCHIONI MONTISFERRATI.

*Ut defendat et tueatur subjugatum Constantinopolitanum imperium, donec papa fuerit melius instructus, an id injuria fuerit factum.*

[Quod, inter curas *diversas* (536) et occupationes mundanas, non solum multiplices sed urgentes, de salute animæ tuæ sollicitus et studiosus existis, prudentiam et devotionem tuam in Domino commendamus. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? *Frater non redimet, redimet homo, non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ, laborabit in æternum, et vivet in finem*(537). Recepimus namque litteras tuas, per dilectum filium, S. (537) tituli Sanctæ Praxedis presbyterum cardinalem, nostro apostolatui præsentatas, quibus nobis intimare curasti, quod, corde contrito et spiritu *sincero* (536), ad apostolicæ commonitionis mandatum, spe indulgentiæ generalis inductus, votum crucis solemniter emisisti, et ad id fideliter prosequendum intendisti semper *animum incorruptum* (540). Quod autem illius adolescentis suscepisti ducatum, qui fatebatur Constantinopolitanum imperium sibi de jure deberi, con-

(531) Huc usque Gesta; cætera apud Raynaldum.
(532) Apud Raydald. deest.
(533) Apud Raynald. deest.
(534) Epistolam hanc exhibet Raynaldus, ad annum 1 05, § 22.
(635) Epistola hæc legitur in Gestis, § XCIII; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.
Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1205. § 7. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distincta sunt; variæ etiam lectiones ex diversis codd. mss. æque ac in epistola hujusce libri octavi 131, ad marginem appositæ.
(536) In Gestis deest.
(537) Locus corruptus: nec suppeditant codices genuinam lectionem.
In Gestis, sic legitur; *Insuper non redimet homo, nec dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. Laborabit in æternum, et vivet in finem.* In codd. reg. et Pod. citatis a Baluzio, *in margine*, pag. 56, col. 1 *Frater non redimet, redimet homo, non dabit*, etc. Et sic in codice mss. Vallicellano.
In codice vero Bibliothecæ Vaticanæ, sæpius jam laudato, in quo reperitur Formularium Berardi de Napoli: *Frater non redimet homo, non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ*, etc.
(538) In Gestis, *Soffredum.*
(539) Sic, et in cod. reg. et Pod. cit. a Baluzio in margin.
(540) In Gestis, *animo incorrupto.*

silium fuit dilecti filii *P.*(541) tituli Sancti Marcelli presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, nec tam humanum consilium quam necessitas importuna, quod, post *Jadertinensis* (543) civitatis excidium, ad acquirenda victualia in Romaniam exercitus declinaret. Verum, tu, et alii crucesignati, facientes de necessitate virtutem, intendistis in ipsa principaliter procurare, ut apostolicæ sedi gratum impenderetis *et devotum* (543) obsequium, et exspectatum nihilominus terræ sanctæ succursum, quod ad plenum consummasse putastis, cum, sine sanguinis effusione regia urbe capta, et occupatore imperii effugato, restitutisque in ipsa simul patre et filio ad fastigium imperatoriæ dignitatis, fecistis ipsos *incoactos* (544) sacrosanctæ apostolicæ sedi, tactis Evangeliis, obedientiam exhibere; imperiali B nobis scripto transmisso, ad majorem fidei firmitatem, ut quod ore promiserant, opere adimplerent. Cumque vos ad navigandum in Syriam totis viribus pararetis, innata Græcorum malitia, juramentis et pactis penitus violatis, *igne* (545), dolo, et toxico iter vestrum, non semel tantum, sed sæpe, nequiter impedivit, et ad occupationem urbis regiæ vos, in ipsorum perniciem renitentes et invitos attraxit. Qua, sola Dei virtute, mirabiliter triumphata, quidquid ex tunc, quocumque modo vel loco, fecistis, voluntarii vel inviti, communicato *cleri vestri* (546) consilio, semper habuistis in votis, ut per vos inobedientiæ filii redirent ad obedientiam matris suæ, tam debitam quam devotam, et Orientalis Ecclesia, tanquam principale membrum, suo capiti uniretur; quod ut plenius et melius posset fieri, apostolicæ sedis consilium, sine quo perit penitus opera C et impensa, suspensi hactenus expectastis, et adhuc continuis desideriis expectatis. Quia vero signum crucis, prout asseris, suscepisti ad delendum tuæ maculas juventutis, et quidquid apostaticæ labis a retroactis temporibus singularitas humana contraxerat *eliminandum* (547), non ut gravius et licentius sub umbra religionis et crucis vexillo peccares (548), ad examinationis nostræ calculum singula referens, in omnibus et per omnia *matris te exponens* (549) consiliis et mandatis, ita ut, si Romaniæ statum et tui moram in ea noverimus apostolicæ sedi et terræ promissionis efficaciter expedire, teque per hoc remissionem accipere peccatorum, non abnuis pericula vel labores; alioquin, D non habito respectu ad possessiones et honorificentias quas obtines affluenter, illud tibi potius injungamus, per quod abundantius *merearis* (550) iram supremi judicis declinare: sane, per ea quæ supe-

A rius sunt scripta, tacitis videris objectionibus respondisse, quæ contra crucesignatos possunt taliter intorqueri. Cum enim vos devoveritis in obsequium crucifixi ad liberandum terram sanctam de manibus paganorum, sub excommunicationis interminatione vobis fuerit inhibitum, ne terras Christianorum invadere vel lædere tentaretis, nisi forsan inter vestrum ipsi nequiter impedirent, aut alia juxta et necessaria causa vobis occurreret, propter quam, interveniente nostri legati consilio, aliud agere valeretis, « (551) vos, nullam in Græcos « jurisdictionem aut potestatem habentes, a puri- « tate voti vestri temere declinasse videmini, dum « non contra Sacracenos, sed contra Christianos « arma movistis, non intendentes ad recuperandum « Hierusalem, sed Constantinopolim occupandum, « terrenas opes cælestibus divitiis præferendo. Il- « ludque longe gravius reputatur (552), quod qui- « dam nec religioni, nec ætati, nec sexui peperce- « runt, sed fornicationes, adulteria et incestus in « oculis *hominum* (553) exercentes, non solum ma- « ritatas et viduas, sed etiam matronas et virgines, « Deoque dicatas, exposuerunt spurcitiis Garsio- « num; nec imperiales suffecit divitias exhaurire, « aut diripere spolia majorum pariter et minorum, « nisi ad ecclesiarum thesauros, et, quod gravius « est, ad ipsarum possessiones extenderitis manus « vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, « violatisque sacrariis, iconas, cruces et reliquias « asportantes, ut Græcorum Ecclesia, quantumcun- « que persecutionibus affligatur, ad obedientiam « apostolicæ sedis redire contemnat, quæ in Latinis « non nisi perditionis exempla et opera tenebrarum « aspexit, ut jam merito illos abhorreat plusquam « canes (554). Tu vero, contra justitiam et potesta- « tem indebitam, vel potius usurpatam, apostolicæ « sedis legati consilium allegasti, tanquam ex eo « vobis licuerit cum præfato adolescente ad resti- « tuendum sibi Constantinopolitanum imperium « proficisci, quamvis et id potueris allegare, quod, « cum vos victualium defectus urgeret, sine qui- « bus non votum poteratis crucis adimplere, licue- « rit vobis, propter causam adeo necessariam, ope- « ras vestras illi locare, qui justam causam prose- « qui videbatur, præsertim, cum per hoc intende- « retis finaliter ad terræ sanctæ succursum et apo- « stolicæ sedis augmentum. Cumque pollicitam « vobis et debitam negaverunt illi mercedem, jura- « mentis et pactis penitus violatis, quin etiam ar- « mis, igne, dolo et toxico vos sæpius attentave- « rint, tanquam in arcto positi *coacti* (555) fuistis,

(541) In Gestis, *Petrum.*
(542) Cod Vallicell. *Jaderanæ.*
(543) In Gest. desunt.
(544) In Gestis *non coactos.*
(545) Cod. Vallicel. *ingenti.*
(546) Gest. *Dei nostri.*
(547) Sic, et in Cod. Reg. cit. a Baluzio; in Gestis *exterminandum.*
(548) In Gest. add. *et.*
(549) In Gestis, *te nostris exponere;* in Cod. Vallicel, *te nostris exponis.*
(550) Cod. Vallicel. *vidaris.*
(551) Hæc apud Raynaldum.
(552) Quæ sequuntur repetita sunt ab epistola hujusce libri octavi 126.
(553) In Gestis. et apud Raynaldum, *omnium.*
(554) In Huc usque epistola 126.
(555) Sic, et in Gestis, in codd. vero reg. et Pod.

« ut contra schismaticos et perjuros, debita vobis « injuste negantes, exerceretis debitam ultionem. « Divinum enim videtur fuisse judicium, quod qui « tandiu misericorditer tolerati, et *etiam* (555) non « solum ab aliis, sed etiam a nobis studiose com- « moniti, noluerunt redire ad Ecclesiæ unitatem, « nec ullum terræ sanctæ subsidium impertiri, per « eos qui ad utrumque pariter intendebant, amit- « terent locum et gentem, quatenus, perditis male « malis, terra bona bonis agricolis locaretur, qui « fructum reddant *tempore opportuno* (556). » Quem- admodum legitur in Dianele propheta : *Est Deus in cœlo, qui revelat mysteria, et mutat tempora, et transfert regna* (*Dan.* II) : *ipse dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud* (*Dan.* IV). Vulgaris vero tenet sententia, quod jura regnorum semper violenta fuerunt. « Quia vero judicia Dei non- « nunquam adeo sunt occulta, ut a Propheta di- « cantur : *Abyssus multa* (*Psal.* XXXV) ; ita ut et « Apostolus exclamare cogatur : *O altitudo divitia-* « *rum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehen-* « *sibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* « *quis enim cognovit sensum Domini, aut quis con-* « *siliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI.) Nos, de tam pro- « fundo judicio nolentes temere judicare, præser- « tim, antequam de veritate negotii plenius instrua- « mur, cum et illi potuerint juste puniri propter « peccatum quod commiserant in Deum, et vos « nihilominus eos injuste punire, propter odium « quod exercebatis in proximos, si tamen proximi « sunt dicendi qui proximare contemnunt, cum et « propter justam illorum pœnam, forsan Deus « justam dederit vobis mercedem, juxta quod di- « xisse legitur in propheta : Quia servisti mihi in « Tyro, dabo tibi Ægyptum ; unde Assur virgam « sui furoris appellat : illud, omissis dubiis, tibi pro « certo duximus respondendum, in uno pariter et « eodem, tam terræ sanctæ quam apostolicæ sedi « necnon animæ tuæ salubriter consulentes, ut sub « timore Domini et spe veniæ terram divino judicio « acquisitam teneas et defendas, et tenendam ac « defendendam acquiras, populos tibi subditos in « justitia regens, sub pace conservans, et religioni « conformans, ita ut ecclesiastica bona restituas « secundum propriam facultatem pœnitens et sa- « tisfaciens de commissis (557), » cum hujusmodi res vix geri potuerit sine *piaculari* (558) reatu quoniam qui tangit picem, coinqninatur ab ea; firmumque geras in voto propositum, ut ad terræ sanctæ succursum, cui te principaliter et spiritualiter devovisti, prudenter et potenter intendas, cum par hanc terram illa de facili recuperanda seperetur. Ad hæc, cum, ad exemplar patrum et fratrum tuorum, qui sacrosanctam Romanam Ecclesiam de corde puro, ei conscientia bona, et fide non ficta, revereri semper ac venerari per omnia studuerunt, tu nobis et apostolicæ sedis fidelis et devotus existas; de plenitudine *enim*(559-69) gratiæ te reddimus omnino securum, scriturum pro certo, quod ea cupimus operari, quoties se nobis obtulerit opportunitas, quæ ad honorem et profectum tuum debeant magnifice redundare. Datum, etc.]

nec non apud Raynaldum, *tracti.*

(555) In Gestis, et apud Raynaldum, *toties.*

(556) Sic, et apud Raynaldum in Gestis, *temporibus opportunis.*

(557) Huc usque Raynaldus.

(558) Cod. Vallicel. *piaculi.*

(559-69) Gest. deest.

## CXXXIV (570).

M... UXORI NOBILIS VIRI, B. MARCHIONIS MONTISFERRATI, QUONDAM CONSTANTINOPOLITANÆ IMPERATRICI.

*Gratulatur quod, Græcorum ritibus abjectis Latinos amplexa esset.*

Devotionis tuæ litteras paterna benignitate recepimus, per quas apostolatui nostro significare curasti, quod licet ab orthodoxis fueris orta parentibus et Latinis, a teneris tamen annis Ysacio, quondam Constantinopolitano imperatori, matrimonialiter copulata, mores et habitum ad Græcorum tibi formasti convictum, in quibus provecta pariter et adulta, ritus Latinorum longa dissuetudine penitus reliquisti. Succedente vero tempore, et urbe Regia in manus tradita Latinorum, post decessum prædicti imperatoris, spectabili viro, B... marchioni Montisferrati, secundum ritus Latinos voluntarie desponsata, in mores tamen tam recenter abhorruisti redire Latinos, Græcæ consuetudinis nimis procaciter æmulatrix. Postmodum vero, præfati marchionis, charissimi viri tui, piis instanter blanditiis delinita, novissime dilectorum filiorum, S... tituli Sanctæ Praxedis presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, et abbatibus Locedien. salubribus monitis, et evidenti ratione frequenter inducta, imo magis divinitus inspirata, cum eodem viro tuo benedictione accepta Latina, susceptoque corpore Christi, Latinis traditionibus consecrato, mente prorsus et corpore, habitu simul et gestu, Latinis te legibus consecrasti. Unde, sacrosanctæ sedis apostolicæ protectioni pariter et custodiæ cum liberis tuis specialiter te committens, nobis humiliter supplicasti, ut, devotionem tuam paterna mansuetudine attendentes, jus tuum et liberorum tuorum loco et tempore faciamus conservari illæsum. Nos ergo, qui genus tuum sincera diligimus in Domino charitate mutationem istam, quam dextera fecit Excelsi gratam habentes, gratiarum ei referimus actiones, qui tibi tam devotum et pium erga personam nostram et Romanam Ecclesiam inspiravit affectum, nobilitati tuæ apostolicis litteris intimantes, quod nos, quantum cum honestate poterimus, ad honorem et profectum tuum efficaciter intendemus, devotionem tuam monentes attentius, et in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus in eo quod bene cœpisti laudabiliter perseveres, ut ad id alios verbo pariter et exemplo diligenter inducas.

Datum, etc.

(570) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 8.

CXXXV (571)

E. TITULI SANCTÆ SUSANNÆ, PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO (572).

*Ut quasdam ordinationes, in Ecclesia Constantinopolitana juxta pactiones factas, confirmat.*

Licet pactiones quæ de rebus ecclesiasticis inter Francos et Venetos factæ fuerunt, non sint de jure servandæ, sicut tamen nos pro servanda concordia inter eos, in electione processimus patriarchæ, sic tu in ordinandis ecclesiis pro eadem causa procedas, ut auctoritate nostra licite fiat, quod eorum temeritate fuit illicite constitutum. Cum enim inter hujusmodi pactiones hoc contineatur expressum ut clerici utriusque partis illas ecclesias debeant ordinare, quæ suæ parti contigerint, et quædam ecclesiastica beneficia, de communi assensu totius B cleri, sint quibusdam clericis transmontanis ad custodiam assignata, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ in parte Francorum assignata, repereris, eisdem clericis, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra concedas si forte venerabilis frater noster... Constantinopolitanus patriarcha, monitus diligenter, ea illis non duxerit concedanda, quia gratiam quam Venetis facimus in majori, non decet nos Francis in minori negare.

Datum, etc.

CXXXVI.

..... PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO (573).

*Ut Henricum, clericum, in canonicum Ecclesiæ S. Sophiæ recipi faciat.*

(VII Id. Septembris.)

C Cum ad illam ecclesiam, divina faciente gratia, sis promotus, quæ, præsertim temporibus istis, litteratis clericis indiget et honestis fraternitatem tuam menemus attentius et hortamur, quatenus dilectum filium, magristrum Henricum, latorem præsentium, qui moribus et scientia commendatur, pro reverentia beati Petri et nostra, ejusque probitatis intuitu, in canonicum et fratrem ecclesiæ Sanctæ Sophiæ recipias, et assignes in ea illi beneficium præbendale.

Datum VII Idus Septembris.

CXXXVII.

FREDERICO, PRÆPOSITO CLARHOLTENSI (574).

*Dispensatio pro defectu natalium, ad suscipiendas dignitates.*

D Ad hoc Deus in apostolica sede constituit plenitudinem ecclesiasticæ dignitatis, ut, diligenter inspectis variis circumstantiis personarum et rerum, temporum et locorum, nunc rigorem exerceat, nunc mansuetudinem anteponat, interdum exsequatur

A justitiam, interdum gratiam largiatur, prout in diversis causis diverso modo viderit dispensandum. Eapropter, dilecte in Domino fili, ad instantissimam supplicationem charissimi in Christo filii nostri illustrissimi regis Othonis in Romanum imperatorem electi, nec non consanguineorum tuorum, qui nobis et Ecclesiæ Romanæ devoti sunt plurimum et fideles, obtentu quoque tuæ religionis et honestatis, cum sis sacerdos, in ordine Præmonstratensi præpositus, et a soluto genitus, sicut asseritur, de soluta, de speciali tibi gratia indulgemus, ut non obstante defectu natalium si nominatus fueris ad ecclesiasticas dignitates, libere valeas postulari. Nulla ergo.... nostræ concessionis, etc.

Datum, etc.

CXXXVIII.

.... MAGUNTINO ARCHIEPISCOPO (575).

*Ut electo Argentinensi (576) consecrationis munus impendat; quod si facere distulerit, committitur archiepiscopo Senonensi (577).*

(VIII Idus Octobris.)

Quantum tibi et ecclesiæ tuæ, in negotio dilecti filii... Argentinensis electi, duxerimus (578) deferendum. præter consuetudinem apostolicæ sedis, quæ suffraganeis quorumlibet archiepiscoporum ad se venientibus consecrationis beneficium, sine præjudicio tamen illorum, impedere consuevit, tua discretio non ignorat. Cum enim præfatus electus ad præsentiam nostram accesserit, et sibi consecrationis munus postularet impendi, quod a te non poterat, ut dicebat, aliquatenus obtinere; licet sæpius postulasset, nos, tuæ volentes fraternitati deferre, ad consecrationem ipsius non duximus procedendum, donec de voluntate tua, et rei serie redderemur per tuas litteras certiores, tibi per nostras litteras promittentes, quod, etsi procederemus ad consecrationem ipsius, honori tamen et juri tuo curaremus sufficientissime providere. Sane, cum tuæ fraternitatis litteras acceperimus, per quas eum consecrandum ad te remitti petebas, cum noluimus in episcopum consecrare, licet idem propter hoc nobis instantissime suplicare, necessitatem omnimodam allegando. Ut igitur eidem electo et Argentinensi ecclesiæ, quæ diu mansit quasi viduata pastore, per tuæ administrationis officium consulatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, infra terminum competentem ad talem locum accedens, qui tibi et ipsi securus existat, et ascitis tibi duobus de suffraganeis tuis, vel aliis episcopis, qui secure valeant interesse, quos auctoritate nostra sub testimonio præsentium litte-

(571) Epist. hanc laudat Raynaldus, ad an. 1205, § 14.

(572) Vide epistolam libri octavi 55.

(573) Vide epistolam libri actavi 19.

(573) Præclaram Clarholti præposituram nobilium virorum, in diœcesi Osnaburgensi consistentem, sub Dynastia Rhedana, erexit anno 1133 illustris Rudoltus de Stenfordt, loci Toparcha. De istius præposituræ statu, vide *Annal. Præmonstrat.* tom. I. col. 513.

(575) Vide epistolam libri quinti 14, not.

(576) Vide epistolam libri octavi 8, not.

(577) Vide epistolam libri tertii 45, not.

(588) Vide epistolam libri octavi 90, et quæ ibi adnotata sunt.

rarum, si commoniti noluerint interesse, compellas, ei munus consecrationis exhibeas, aut per alios episcopos vice tua facias exhiberi, qui, postquam ei munus consecrationis impenderint, per se, vel nuntium tuum, professionem ab ipso, quam tibi exhibere tenetur, et Ecclesiæ Maguntinæ, tuo nomine recipere non omittant. Alioquin, ne, quod absit ex nimia dilatione consecrationis ipsius, Argentinensi Ecclesiæ, et clero et populo totius episcopatus grave dispendium generetur, noveris, nos, venerabili fratri nostro, Senonensi archiepiscopo, per apostolica scripta mandasse, ut eumdem electum, postquam de tuo fuerit certificatus defectu, ascitis sibi duobus de suffraganeis suis, auctoritate nostra suffultus, nullius contradictione vel appellatione obstante, non tardet in episcopum consecrare, et ab ipso nomine tuo professionem recipiat, quam suffraganeus Ecclesiæ Maguntinæ facere consuevit, injungens eidem ut, quam citius accedendi ad præsentiam tuam habuerit facultatem, ad te personaliter venire non tardet, ut tibi debitam professionem, quam coram illo fecerit, recognoscat.

Datum VIII Idus Octobris.

### CXXXIX (579).

PRÆPOSITO ET CAPITULO STRIGONIENSI.

*Archiepiscopum Colocensem ipsis in archiepiscopum perficit* (580).

(Romæ, II Nonas Octobris.)

Bonæ memoriæ *venerabili* (581) archiepiscopo vestro viam universæ carnis ingresso, cum in *venerabilem fratrem nostrum*, Colocensem archiepiscopum, postulandum a nobis contulissetis unanimiter vota vestra, et *regium super hoc obtinuissetis assensum*, Suffraganei Strigoniensis Ecclesiæ. Quinquecclesiensis videlicet, *Watiensis*, *Wesprimiensis et Nitriensis episcopi* (582), postulationi vestræ se opponere curaverunt, asserentes quod, eis contemptis qui habeant jus eligendi vobiscum, postulatio eadem fuerat attentata, licet nuntii vestri proponerent ex adverso, quod super præficiendo vobis pontifice de gratia multoties suffraganeorum fuerat requisitus assensu, sed ipsi vobis consilium et auxilium denegarunt. Nuntiis igitur in nostra præsentia constitutis, et proponentibus adversariis quædam alia contra postulationis vestæ processum *quæ in prioribus litteris nos meminimus plenius expressisse*, quia nobis de præpositis non constabat, ita duximus providendum, ut, si, suffraganeis persistentibus in contradictione sua, vos postulationi vestræ velletis instare, *usque ad Septuagesimam tunc proximo* A *venturam*, per procuratores idoneos, *ad omnia sufficienter instructos*, ad sedem apostolicam veniretis, *ut statueremus, utraque parte præsente, quod justitia suaderet*. Si autem illi a contradictione cessarent, et vos proposito (583) instaretis, mitteretis ad nostram præsentiam personas idoneas *infra terminum supradictum*, quæ super his quæ opportuna forent nos redderent certiores. Quod si, contradicentibus episcopis memoratis, vos contingeret de jure vestro diffidere, *ne laborem et dolorem subiretis incassum*, aliam personam idoneam provideretis vobis canonice in pastorem. Cæterum, *cum inclytæ recordationis H. rex Hungariæ, viam fuisset interim universæ carnis ingressus*, quidam vestrum, a postulatione (584), quam nobis præsentaveratis B communiter, temere recedentes, aliis persistentibus in eadem, *et ad sedem apostolicam appellantibus*, prædictum Quinquecclesiensem episcopum (585) in archiepiscopum postularunt, quorum votis nullus suffraganeorum assensit, excepto duntaxat episcopo Nitriensi. Et licet charissimus in Christo filius noster, A. Hungariæ rex illustris, tunc dux et regni Hungarici, L. nepotis sui regis nomine, cujus tutelam et regni curam ipsi frater ejus commiserat, Gubernator, precum suarum primitias ad nos prædicti Colocensis postulatione transmiserit, postmodum tamen pro Quinquecclesiensi episcopo ad Strigoniensem metropolim transferendo, nobis per litteras suas humiliter supplicavit. *Nos ergo, super postulatione ipsa cum fratribus nostris habito diligenti tractatu, quoniam invenimus eam,* C *post appellationes ad nos legitime interpositas* (586), in multa discordia non solum suffraganeorum, verum etiam canonicorum Strigoniensis Ecclesiæ, contra formam mandati nostri, *regulari ordine prætermisso*, temere celebratam, *illam, exigente justitia*, non duximus admittendam; sed vobis dedimus in mandatis, ut ad providendum vobis pastorem idoneum, per electionem canonicam, vel postulationem concordem, requisito suffraganeorum assensu, si esset de antiqua et approbata consuetudine requirendus, *infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum* procedere curaretis; alioquin, *extunc ne gregi Dominico deesset diutius cura pastoris, nos* ipsi provideremus Ecclesiæ viduatæ, *secundum officii nostri debitum, ex plenitudine apostolicæ potestatis.* D Verum, antequam ad vos litteræ nostræ pervenirent, innitentes mandato priori, suffraganeos, *qui erant in regno præsentes*, præter *prædictum* Quinquecclesiensem, ad concordiam revocastis, ita,

(579) Epistola hæc reperitur, sed admodum mutila, inter Decretales, lib. I, tit, 5. De postulatione prælatorum, cap. 4. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

Eadem laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 56.

(580) De argumento epistolæ hujus, vide epistolæ libri septimi 159, 226, et libri octavi 88.

(581) In Decretalibus, *Guillel.* Mox om. *v. f. n.*, et infra *e. r. s. h. o. a*

(582) Decretal., *et quidam alii*, et infra omittunt quæ Italico charactere distinximus.

(583) Hic Decretal. addunt *vestro*.

(584) Decretal., ad. *vestra*,

(585) De Quinquecclesiensi episcopo sæpius in Regestis. Vide epistolam hujusce libri octavi 98.

(586) Decretal. legunt, *igitur postulationem ipsam, quam invenimus*, et infra voculam, *ac* post *Ecclesiæ* interserunt.

quod Watiensis, Wesprimiensis et Javiensis episcopi pro translatione Colocensis archiepiscopi, salvo jure suo in posterum, cui, propter afflictionem et necessitatem Strigoniensis Ecclesiæ, supersedebant ad præsens, nos humiliter rogaverunt, prædicto Nitriensi scribente, quod, si non placeret nobis postulationem factam de Quinquecclesiensi admittere, pro postulatione alterius, sine præjudicio juris sui, nos suppliciter exorabat. Post hæc *autem* mandato nostro suscepto, hi qui convenerant in *archiepiscopum Colocensem* (587), ab ejus postulatione, *sicut fuit propositum coram nobis*, recedere noluerunt, sed *innovantes* eamdem, quibusdam canonicorum, qui in partem alteram declinarant, reversis ad eos, *eum prædicti regis et suffraganeorum litteris, dilectum filium, A. magistrum Scholarum, M. thesaurarium, A. archidiaconum, et F. et N. canonicos Strigonienses, ad sedem apostolicam destinarunt, super postulatione sua dispensationis gratiam petituros.* Cæteri vero, qui Quinquecclesiensem episcopum postularant, *sicut ex eorum parte fuit propositum coram nobis*, convenientes in unum, cæteros canonicos ad capitulum convocarunt, ad postulationem concordem, vel electionem canonicam, juxta mandatum apostolicum, *infra præfixum sibi terminum* procedere cupientes; sed, illis nolentibus convenire, intelligentes penes se tantum remansisse facultatem liberam eligendi, quia reliqui jus suum prosequi negligebant, prædictum Quinquecclesiensem episcopum, *licet ne id fieret, fuisset ab aliis appellatum,* denuo postularunt. Cum ergo utriusque partis nuntii ad sedem apostolicam pervenissent, ii qui pro Quinquecclesiensi episcopo venerant, proponebant, partem suam juxta mandatum apostolicum processisse, nec obstare discordiam, vel contradictionem eorum, qui, juxta formam mandati nostri procedere contemnentes, illo recepto, nec elegerant quemquam canonice, nec concorditer postulerant, unde concors debebat eorum postulatio reputari, cum cæteri, tanquam jussionis apostolicæ contemptores, eligendi et postulandi se jure privassent, dum nec postulare nec eligere voluerunt, imo nec etiam ad capitulum convenire. Ad hæc autem ex adverso poterat responderi, quod illi qui Colocensem archiepiscopum postularant, formam secuti fuerant per nostras litteras sibi datam; quoniam, innitentes postulationi priori, juxta tenorem priorum litterarum nostrarum concordem fecerant, quæ fuerat prius discors dum suffraganeos ad concordiam revocantur, [nec *nocebat* (588) eorum discordia, qui alium postularant, cum prius in postulatione archiepiscopi supradicti convenissetis pariter universi, et consensum vestrum, adnotatum litteris, et subscriptionibus propriis roboratum, petissetis a nobis per commu-

A nes nuntios confirmari, nosque vestram recepissemus postulationem dijudicandam, si suffraganei forsan in contradictione persisterent, vel, si consentirent aut crederent, approbandam. Si enim, postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, et præsentatur Romano pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, et judicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur.] Poterat quoque addi, quod pars altera mandatum apostolicum non servarat, utpote quæ nec postulationem concordem nec electionem canonicam celebrarat, cum in majori conditione quam prius, non solum canonicorum, sed suffraganeorum etiam, ipso rege adversæ parti favente, prædictum Quinquecclesiensem episcopum postulasset. B Auditis igitur his et aliis quæ fuerunt hinc inde proposita, et habito super his cum fratribus nostris diligenti tractatu [intelleximus (589), quod, etsi neutra esset postulatio approbanda, juxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cætero Strigoniensis ecclesiæ provisio pertineret. Quia vero non plenam de personis ipsius regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus, salva conscientia, *nostra*, eidem Ecclesiæ in alia persona, quæ de regno Hungariæ originem duceret, congrue providere, nec vellemus ei præficere alienum, quamvis *regularius* et honestius videretur, si suffraganeus ad metropolim suam *ascenderet* (590), quam archiepiscopus a metropoli ad metropolim transferretur, partem tamen elegimus potiorem, et eumdem archiepiscopum in quem C omnes quorum consensus in electione vel postulatione pastoris requiritur, licet temporibus diversis convenerant, a vinculo quo tenebatur Colocensi ecclesiæ absolventes, ad metropolim Strigoniensem transferimus; et ei licentiam tribuimus transeundi palleum ei ad nomen et usum ejusdem Ecclesiæ transmissuri.] Monemus igitur discretionem vestram attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus quatenus, eidem archiepiscopo reverentiam et obedientiam debitam impendentes, salubria monita et mandata ipsius recipiatis humiliter, et inviolabiliter observetis, ut et ipse paternum vobis exhibere teneatur affectum, si devotionem apud vos invenerit filialem, et nos devotionem vestram commendare merito debeamus.

D Datum Romæ, II Nonas Octobris.

CXL (591).

CAPITULO COLOCENSI.

*Nullum ipsorum juribus, ex translatione archiepiscopi, damnum inferri declarat.*

(Romæ, II Idus Octobris.)

Licet archiepiscopum vestrum ad Strigoniensem metropolim, exigente necessitate, duxerimus transferendum, nolumus tamen, ut per translationem

(587) Decretal., *Colocensi*, pro *ar. Col.*
(588) Decretal., *obstabat.*
(589) Hic Decretal. add. *itaque.*

(590) Decretal., *accederet.*
(591) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 56.

hujusmodi aliquid ecclesiæ vestræ in jure vel dignitate sua præjudicium generetur. Unde, super hoc vobis præsentes litteras in testimonium decrevimus concedendas.

Datum Romæ, II Idus Octobris.

CXLI (592).

HENRICO ET VITALI COLLISVACONI, CANONICIS BENEVENTANIS.

*Ut quemdam quem sedes apostolica declaravit esse legitimum, ipsi etiam legitimum reputent, et in causa super hæreditate illius vertente procedant juxta tenorem litterarum apostolicarum.*

(Romæ, Idibus Octobris.)

[Ex tenore litterarum vestrarum nobis *innotuisse noscatis* (593), quod, cum G... vidua hæreditatem *Roberti,* quondam mariti sui,*a Landulfo de Granno,* B *et nepotibus suis, cum fructibus inde perceptis, in præsentia vestra qui ex delegatione nostra de causa cognoscebatis eadem,* sibi et.... pupillo filio suo, restitui postularet, pars adversa petitionem ejus nitebatur excludere, pro eo quod *eumdem Robertum,* maritum ipsius viduæ, de adulterio genitum asserebat;] proponens, quod dicti Roberti pater, vivente uxore legitima, quamdam aliam, Maruciam nomine, superduxit, ex qua præfatum Robertum, maritum ipsius viduæ, generavit. Econtra vero, pars viduæ respondebat, quod,cum præfata Marucia,nesciens quod dicti Roberti pater aliam haberet uxorem, cum ipso in Ecclesiæ facie contraxisset, filius, quem suscepit ex ea, legitimus debebat haberi, cum non debeant illegitimi reputari, qui de C adultera conscia non nascuntur. Cumque diutius super hoc in vestro fuisset præsentia litigatum,et nonnullorum prudentum sententia, quorum consilium requisistis, in hoc invicem discordaret, sedem duxistis apostolicam consulendam.Nos igitur, intellectis his et aliis quæ per vestras nobis litteras intimastis, habito cum fratribus nostris diligenti tractatu [intelligentes,quod pater prædicti Roberti in facie Ecclesiæ *sæpedictam Maruciam,* ignaram *penitus* quod ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, duxerat in uxorem, et, dum ipsa conjux ipsius legitima putaretur, dictum *Robertum* susceperat ex eadem, in favorem prolis potius declinamus, memoratum *Robertum quoad hoc* legitimum reputantes].Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus,quatenus et vos eum legiti- D mum reputetis, in cæteris juxta tenorem litterarum nostrarum, ratione prævia processuri.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Octobris.

CXLII (594).

P EPISCOPO WINTONIENSI (595).

*Ut in monasteriis et ecclesiis diœcesana lege sibi subjectis corrigat quæ fuerint corrigenda.*

(Romæ, VI Kal. Novembris.)

Providere rectorem oportet,ut solerter invigilet, ne in iis, quæ administrationi ejus incumbunt, se, quod absit! exhibeat negligentem, quoniam maledictus est homo, qui opus Dei fecerit negligenter. Ut igitur super his, quæ ad sollicitudinem tuam spectant, sollicitius meliaris, quanta necessitate tenearis in diœcesi tua corrigere, quæ limam correctionis exposcunt, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus,quatenus in monasteriis,et aliis ecclesiis diœcesana tibi lege subjectis, auctoritate apostolica corrigas,tam in capite quam in membris, quæ secundum Deum fuerint corrigenda, et consuetudines juri et utilitati contrarias, de prudentum virorum consilio,cures in melius commutare, si forsan his, ad quos immediate pertinet eorum correctio, super his fuerint negligentes, non obstante alicujus appellationis objectu contra Regularis observantiam disciplinæ,sic in hujusmodi ecclesiasticæ utilitati deserviens,ut disciplinæ proficias regulari.

Datum Romæ, VI Kal. Novembris.

CXLIII.

EIDEM.

*Ut illicite alienata revocare possit.*

(Romæ, VI Kal. Novembris).

Annuere solet, etc.,*usque* annuentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ea, quæ de pertinentibus ad episcopalem mensam,vel alias ad episcopi jurisdictionem spectantibus, tam in feudis quam aliis, a prædecessoribus tuis minus licite alienata repereris,nullius contradictione vel appellatione obstanti, legitime valeas revocare. Nulli ergo...

Datum Romæ, VI Kalendas Novembris.

CXLIV.

EIDEM.

*Ut archidiaconos et decanos,* etc., *ad suscipiendos ordines compellere possit.*

(Romæ, VI Kal. Novembris.)

Cum sit onus honori annexum, exsequi debet officium, qui beneficium est sortitus.Quocirca,fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus tam archidiaconos quam decanos,et alios tuæ diœceseos, ad suscipiendos ordines in quibus tenentur Domino deservire, si forsan infra sex menses, a te commoniti, recusaverint ordinari,

(592) Epistola hæc Alteserræ diligentiam fugit,nec reperitur in Innocentalium Decretalium collectione ab ipso edita, *Lutet. Parisior.* 1661, in f°. Verum, inserta tamen est, sed valde mutila, in Gregoriana earumdem Decretalium collectione, quæ jam ab anno 1585 prodierat *Parisiis,* in f°. Vide ibid. col. 1545, lib. IV, tit. 17, *Qui filii sint legitimi,* cap. 14, ubi ad H. et R. (in margine, *al.* H. et P.) *canonicis Beneventanis* directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt ; variæ lectiones dantur.

(593) In collectione Gregoriana, *innotuit,* et mox *R.* pro *Robert.* hic et infra. In eadem collectione omittuntur quæ Italico charactere distinximus.

(594) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 62.

(595) Vide epistolas hujusce libri octavi 4, 5, 104.

juxta Lateranensis concilii sanctiones, appellatione remota, compellas. Alioquin, beneficia eorumdem tibi sit licitum personis aliis, appellatione cessante, conferre, prout est in eodem communiter institutum. Nulli ergo.

Datum Romæ, vi Kalendas Novembris.

### CXLV.

EIDEM.

*Ut eos qui personatus adipiscuntur, ad instituendos vicarios, qui velint et possint personaliter deservire, cogat.*

(Romæ, vi Kal. Novembris.)

Accepimus, quod in diœcesi Wintoniensi sunt quidam, qui, personatus ecclesiarum adepti, ponunt in eis vicarios, qui, cum debeant in personis propriis deservire, servitio ad quod tenentur omnino se subtrahunt, et nihilominus beneficium præsumunt percipere vicariæ, licet quandoque aliud ecclesiasticum beneficium sufficens sint adepti. Hi etiam pro se alios ponunt vicarios, qui a personis primo, et secundo a vicariis, tenues in beneficio ecclesiastico percipiendo dimissi, ecclesiis ipsis non sufficiunt deservire, ubi, propter ordinationem hujusmodi vel potius negotiationem nefariam, bonum eleemosynæ ac hospitalitatis exstinguitur, in grave prælati ac ministrorum dispendium, et scandalum laicorum. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus earumdem ecclesiarum personas, ut vel in eis principales vicarios deservire compellant, vel alios instituant in eisdem, qui velint et possint personaliter deservire, moneas attentius et inducas. Quod si facere forte noluerint tu id, sublato appellationis obstaculo, exsequaris. Contradictores, etc. Nulli, etc.

Datum Romæ, vi Kalendas Novembris.

### CXLVI (596).

EIDEM.

*Ut clericorum excessus corrigat.*

(Romæ, vi Kal. Novembris.)

In corrigendis excessibus subditorum, te debes sollicitum exhibere, ne de manu tua sanguis requiratur eorum, quos negligenter toleraveris in peccato, cum valeas cohibere. Accepimus autem, quod quidam clerici Wintoniensis diœceseos usuras aut lucrum turpe sectantur, quidam sunt adulteri, quidam publice tenent focarias, aut alia committunt contra honestatem ordinis clericalis. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus hujusmodi clericos delinquentes, auctoritate nostra suffultus, sublato appellationis obstaculo, per districtionem ecclesiasticam a sua præsumptione studeas coercere, convictis, aut in jure confessis, pœnam canonicam infligendo, et eis etiam, quorum notorius est excessus, cum probatione non egeant manifesta; provisurus attentius, ne in hujusmodi correctione sis tepidus, quia, ubi tacet qui datus est prædicator, arguenda non arguens, nec corrigens corrigenda, culpam approbasse videtur, quæ crescens datur aliis in exemplum, cum eam pastoris lingua non secat.

Datum Romæ, vi Kalendas Novembris.

### CLVII.

EIDEM.

*Ut filios sacerdotum amoveat.*

(Romæ, ui Kal. Novembris.)

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod multi filii sacerdotum in diœcesi Wintoniensi tenent ecclesias in quibus patres eorum proximo ministrarunt, dignitati ecclesiasticæ derogantes et canonicis institutis. Ut igitur per tuæ discretionis industriam et dignitati ecclesiasticæ consulatur, canonica instituta serventur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus personas hujusmodi, quas in diœcesi tua ecclesiarum regimen immediate patribus noveris successisse, ab ecclesiis illis, auctoritate nostra suffultus, sublato appellationis obstaculo, prorsus amoveas, et studeas eas de aliis personis idoneis ordinare, ad præsentationem eorum ad quos pertinet ordinare; qui si forte favore illorum, quos ibi præsentaverant, vel ex malitia, vel voluntate propria, personas idoneas, sæpe commoniti noluerint præsentare, tu, nostra fretus auctoritate, secundum Deum, in ecclesiarum ipsarum ordinatione procedas. Contradictores, etc.

Datum Romæ, vi Kalendas Novembris.

### CXLVIII.

EIDEM.

*Ut beneficiorum alternationem impediat.*

(Romæ, vi Kal. Novembris.)

Auribus nostris noveris fuisse relatum, quod plures in diœcesi Wintoniensi consistunt, qui, ecclesias adhuc proprias retinentes, cum collegis, vel laicis, in ecclesiis ipsis jus patronatus habentibus, fraudulenter efficiunt, ut filii, vel nepotes, seu nutriti eorum, aut alii quilibet, in ipsis ecclesiis personæ dicantur, et minus libræ piperis, aut ceræ, aut unius bisantii, aut aliam modicam percipiant pensionem, etsi, dolose personatibus alternatis, primi totum emolumentum dolose sibi provident, dum vixerint, reservari, et alios sibi sub talis pensionis obtentu substituunt morituris. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, de prudentum virorum consilio, enormitates hujusmodi, auctoritate nostra suffultus, studeas resecare. Contradictores, etc. Nullis litteris, etc.

Datum Romæ, vi Kalendas Novembris.

### CXLIX.

......LONDONIENSI (597), ET...... WIGORNIENSI (598) EPISCOPIS, ET DECANO CICESTRENSI (599).

*Ut innovata in Ecclesia Wintoniensi ad debitum statum revocent.*

(Romæ, vi Kal. Novemb.

Cum ex officio pastorali nobis incumbat diligentius providere, ne jura ecclesiastica patiantur dis-

(496) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 62.
(497) Vide epistolam libri septimi 182, not.
(598) Vide epistolam libri octavi 33.
(599) Vide epistolam libri octavi 6, not.

pendium, aut in deterius commutentur, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si qua in episcopatu Wintoniensi, post decessum bonæ memoriæ, G. (600) Wintoniensis episcopi, innovata fuerint, vel etiam immutata in episcopalis præjudicium dignitatis, ea nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate nostra suffulti, ad statum debitum reducatis. Contradictores nullius, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ, VI Kalendas Novembris.

CL (601).

...... ARCHIEPISCOPO (602), ET..... DECANO (603), ET..... ARCHIDIACONO (604) BITURICENSIBUS.

*Ut, si archiepiscopus Burdegalensis cedere noluerit regimini pastorali, ipsi eum amoveant eumdem, et injungant capitulo, ut personam aliam idoneam in pastorem eligant.*

(Romæ, II Kal. Novembris.)

Exspectans exspectavit diutius apostolica sedes, si forsitan infructuosa illa ficulnea, videlicet Burdegalensis archiepiscopus (605), produceret grossos suos, qui, tanquam sterilis arbor, foliis et ramis exuberans, in spe fructus suspendit hactenus animum exspectantis. Cum enim olim piæ memoriæ Clemens papa, prædecessor noster, ejus sterilitatem audierit, quod, tanquam ficus fatua, umbram nocivam et ramos inutiles prætenderet super terram, reddens eamdem pene penitus infecundam, quæ in plenam segetem exuberare solebat, eum misericorditer tunc dimisit, illi purgationem indicens, ut ligone correctionis humus foderetur profundius circa illam, et apposito confinio stercorum ad radicem, fructificans redderetur, ad gratiam operationis honestæ de vitiorum abominatione consurgens. Verum cum idem archiepiscopus sibi benignitatem impensam attendere debuisset, ut, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, suo tempore daret fructum qui exspectabatur ab ipso, jam ex fossione profunda et appositione stercorum circa radicem in ramos et folia per amplius lascivivit, fructus non faciens exspectatos, et terram, latius occupatum obumbratione ramorum, magis reddidit infecundam. Computruit enim tanquam jumentum in stercore suo, et tanquam homo, qui, cum esset positus in honore, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis, ita ut in eo illud propheticum sit impletum: *Et erit sicut populus sic sacerdos* (*Isa.* XXIV); cum ille, qui spirituali officio fungebatur, hæc ageret quæ populus agit indoctus, vel potius se operationibus illis involveret, quas omnes, qui timent examinationem extremi judicii, perhorrescunt. Nos autem, cum sæpe audiverimus hæc de ipso, et tanquam ficulnea non faciens fructum, non solum tribus, sed etiam pluribus annis fuerit exspectatus, vobis mandavimus ut sollicite inquirere studeretis, utrum ea, quæ acceperamus de iniquitatibus ejus per relationem quamplurium, vera essent. Vos autem, prout temporis permisit necessitas, inquisitionem fecistis fieri diligentem, nobisque fideliter intimastis quæ invenistis in eo. Cum igitur, ex inquisitione illa, ipsum archiepiscopum invenerimus pontificali officio prorsus inutilem et indignum, utpote qui nulli est odor vitæ in vitam, multis autem fetor mortis in mortem, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, nisi archiepiscopus ipse, ad monitionem vestram, verecundiæ suæ parcens, et consulens honestati ecclesiasticæ, infra duos menses post receptionem præsentium, cedere forte noluerit regimini pastorali, ad quod exercendum tandiu fuit inutilis et indignus, eum, tanquam arborem sterilem, securi ad radicem apposita, succidatis a terra quam inutiliter occuparat, ipsum ab administratione Burdegalensis Ecclesiæ, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictionis vel appellationis obtaculo, removentes omnino, et Burdegalensi capitulo injungentes, ut sibi aliam personam idoneam per electionem canonicam præficiant in pastorem. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, tu, frater archiepiscope, cum eorum altero, ea nihilominus exsequaris.

Datum Romæ, II Kalendas Novembris, anno octavo.

CLI.

EIDEM.

*Indulget ei ut servos suos, et Ecclesiæ suæ clericos, a violenta manuum injectione possit absolvere.*

(Romæ, II Idus Novembris.)

Consideratis circumstantiis temporum et locorum rigor justitiæ debet aliquando mansuetudine temperari, ut divini compunctio lenitate olei mitigetur, et peccator in profundum non veniat et contemnat, præsertim cum sine dispendio ecclesiarum exerceri non potest rigor ecclesiasticæ disciplinæ. Sicut enim ex parte tua fuit propositum coram nobis, servi Ecclesiæ tuæ in clericos manus injiciunt violentas, quos vix posses inducere, ut, etiam cum tuis expensis, ad apostolicam sedem accedant, absolutionis beneficium petituri, ac ecclesiæ tuæ dispendiosum existeret, eorum interim obsequio defraudari. Præterea, clerici de familia tua sæpe invicem sibi manus injiciunt violentas, suadente humani generis inimico, nec potest tibi constare quis occasionem dederit delinquendi. Unde, cum carere ipsorum obsequio tibi grave sit pariter et damnosum, nobis humiliter supplicasti, ut absolvendi servos et clericos tuos liberam dignaremur tibi concedere facultatem. Nos

(600) Vide epistolam libri octavi 4, not.

(601) Epist. hanc laudat Raynaldus, ad an 1205, § 59.

(602) Vide epistolam libri tertii 43, not.

(603) Vide epistolas libri tertii 43, et libri quinti 132, not.

(604) Vide epistolam libri quinti 34.

(605) Vide epistolas libri quinti 96, not., 146, 150...... Sed male concordat hæc Innocentii epistola cum his quæ de isto præsule leguntur apud auctores novæ Galliæ Christianæ, ut jam observavimus ad epistolam libri sexti 216, not., de eodem argumento.

igitur, de discretione tua plenarie confidentes, auctoritate tibi præsentium indulgemus, quatenus, ab ipsis recepta juxta formam Ecclesiæ cautione, eos auctoritate nostra suffultus absolvas, dummodo eorum excessus gravis non appareat et enormis, et injuncto eis quod talibus consuevit injungi, facias eos pro labore itineris compensationem congruam exhibere. Nulli ergo, etc.

Datum Romæ, II Idus Novembris, apud Sanctum Petrum.

CLII.

B. (606) ARCHIDIACONO VIENNENSI, SUBDIACONO NOSTRO.

*Ipsi in Vivariensem episcopum electo potestatem facit alia beneficia ecclesiastica, præter archidiaconatum Viennensem retinendi.*

(Nonis Novembris.)

Apostolicæ sedis benignitas, diligenter in subditos suæ oculos circumspectionis intendens, condigne subsidium provisionis extendere consuevit, ad sublevandam necessitatem illorum qui propriæ utilitatem præferunt proximorum. Cum autem ad regimen Vivariensis Ecclesiæ sis electus, quæ rerum inopia dicitur laborare, ne pro temporalium defectu bonorum oneri cogaris succumbere, ad quod portandum ejusdem ecclesiæ necessitas te invitat, auctoritate tibi præsentium duximus concedendum, ut ecclesiasticos redditus universos, quos habes, præter archidiaconatum Ecclesiæ Viennensis, per triennium libere valeas retinere, et a metropolitano tuo recipere ordines altiores. Nulli ergo, etc.

Datum Nonis Novembris, anno octavo.

CLIII (607).

T. PATRIARCHÆ CONTANTINOPOLITANO (608).

*Mandat, ut electum Patracensem consecrare, eumque pallei honore insignire, non differat.*

(Romæ, XIII Kal. Decembris)

[Inter quatuor animalia, quæ, secundum Apocalypsim Joannis, in medio sedis et in circuitu existere describuntur, licet aquila cæteris *postponatur* (609) ipsa tamen aliis antecellit, quia, cum per hujusmodi sedem Romana Ecclesia designetur, quæ usitato vocabulo sedes apostolica nuncupatur, et per quatuor animalia, videlicet leonem, vitulum, hominem, ac aquilam, intelligantur quatuor patriarchales Ecclesiæ, videlicet, Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina et Constantinopolitana. quæ in medio sedis, tanquam filiæ, continentur in sinu matris, et in circuitu *sedis*, *tanquam famulæ* (610) in obsequio *Dominæ præparantur* (611). Licet Constantinopolitana Ecclesia inter cæteras sit ultima tempore, ipsa tamen inter eas est præcipua dignitate, ut, sicut *Constantinopolis dicta* (612) est nova Roma, sic Constantinopolitana Ecclesia secunda sit a Romana, prælata per matris gratiam cæteris sororibus suis privilegio dignitatis, ut, secundum evangelicam veritatem, *fierent* (613) primi novissimi, et novissimi, primi. Nos *ergo*, qui per gratiam Redemptoris ipsam Constantinopolitanam Ecclesiam *nuper* (614) ad obedientiam apostolicæ sedis, tanquam ad sinum reduximus matris suæ, privilegium dignitatis ipsius intendimus integrum conservare, ne inde nascantur injuriæ, imo jura nascantur; et ideo, licet dilectus filius, *nobilis vir*, *W.* (615) Campaniensis, princeps totius Achaïæ provinciæ, et canonici Sancti Andreæ de Patras, nobis instanter et humiliter postulassent, ut dilectum filium, A. electum Sancti Andreæ de Patras, ad sedem apostolicam accedentem, quem iidem canonici in archiepiscopum ejusdem ecclesiæ unanimiter elegerunt, eis concedere dignaremur, et quod circa personam illius factum fuerat approbantes, *ad eos* (616) cum pleno *ipsum* (617) remitteremus honore, volentes tamen sic eorum petitiones admittere, ut aliis jura sua nequaquam subtrahere videamur, de communi fratrum nostrorum consilio, quod per eosdem canonicos factum est, tanquam minus canonicos procuratum, et ipsi minus canonice fuerint instituti, non duximus approbandum; sed, veritate negotii et statu terræ per juramenta sociorum ipsius electi effecti fuimus certiores, de potestate nobis a Domino in beato Petro concessa, ipsum ejusdem ecclesiæ pastorem constituimus et rectorem, administrationem sibi plenariam *et* (618) tam in spiritualibus quam temporalibus concedentes, et indulgentes insuper ad cautelam, ut a quocunque catholico episcopo se faciat, cum necesse fuerit, in presbyterum ordinari. Licet autem de plenitudine potestatis quam habemus, Domino disponente, super ecclesias universas, ipsum ad eamdem Ecclesiam consecrationis munere ac honore pallei potuissemus remittere insignitum, quia sic te vocavimus in partem sollicitudinis, quod nobis retinuimus plenitudinem potestatis, nec facimus cuiquam injuriam, cum utimur jure nostro, volentes tamen tibi, cui Ecclesia de Patras dignoscitur esse subjecta, in tua maxime novitate, deferre, ipsum ad te duximus remittendum, ut, a te vel alio, de man-

(606) Agitur hic, verisimiliter, de *Bernone*, seu *Brunone*, quem episcopum Vivariensem ab anno 1206 usque ad annum saltem 1214, ex instrumentis memorant auctores veteris Galliæ Christianæ, tom. III, pag. 1182, col. 2.

Vide etiam epistolam libri septimi 209, et quæ ibi adnotata sunt.

(607) Epistola hæc inserta est in Gestis Innocentii, § 103, ideoque hic uncis inclusa exhibetur. Varias lectiones ex Gestis, nec non e codice Vallicellano, sæpius jam laudato, dantur.

(608) Vide supra epistolas libri octavi 19 et sqq.

(609) Sic, et in Gestis; in Cod. Vallicell. *præponatur*.

(610 Sic, et in Gest. in cod. Vallicell. *sed particulariter*.

(611) Sic, et in Gest. in cod. Vallicell. *Domino præparante*.

(612) Sic, et in cod. Vallicell. in Gestis, *Constantinopolitana civitas*.

(613) In Gest. *sint*, et mox *igitur* pro *ergo*.

(614) Gest. deest; in cod. Vallicell. *semper*.

(615) In cod. Vallicell. *noster vir Willelmus*.

(616) In cod. Vallicell. *et eum*.

(617) In Gest. et in cod. Vallicell. deest.

(618) In Gestis et in cod. Vallicell.

dato tuo, in archiepiscopum consecratus, et pallei *decoratus honore* (619), te, post Romanum pontificem, patrem præcipuum recognoscat, dilecto filio, B. (620) tituli Sanctæ Susannæ presbytero cardinali (621), apostolicæ sedis legato, nostris dantes litteris mandatis, ut ea, quæ præmisimus circa personam ipsius, appellatione remota, faciat adimpleri. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum consecrationis munere ac honore pallei non differas insignire, ne propter tuum, quod absit! defectum, ad nos cogatur habere recursum].

Datum Romæ, XIII Kalendas Decembris.

CLIV (622).

... ROFFENSI (623), ET... LONDONIENSI (624) EPISCOPIS, ET..... PRIORI SANCTI ALBANI (625) LONDONIENSIS DIOESESEOS.

*Committit eis causam super ecclesia de Faversham inter abbatem S. Augustini, et archidiaconum, Cantuarienses, vertentem.*

(Romæ, XI Kal. Decembris.)

Bonæ memoriæ, O. de Camera, persona (626) ecclesiæ de *Faversham* (627), viam universæ carnis ingresso, *dilectus filius*.... abbas Sancti Augustini Cantuariensis, ejusdem ecclesiæ, quam ad se asserit pertinere, primo per quosdam monachos, secundo per se ipsum, possessionem ingressus, ad nos pluries vocem appellationis emisit, ne quis eum super possessione ipsius ecclesiæ præsumeret indebite molestare. Cumque aliquandiu prædictam ecclesiam pacifice possedisset, quidam laici, Cantuariensis diœceseos, *in* (628) ipsum abbatem et monachos, *infra eamdem ecclesiam, usque ad effusionem sanguinis*

A *manibus injectis temere violentis, eos* de possessione ipsius (629) per violentiam ejecerunt. Nos igitur, audita prædictorum sævitia laicorum, eisdem abbati et monachis, super tanta ipsis injuria irrogata, paterna volentes sollicitudine providere, venerabili fratri nostro, Eliensi (630) episcopo, et suis conjudicibus, dedimus firmiter in mandatis, ut, si res taliter se haberet, laicos ipsos et eorum complices, tandiu, appellatione remota, publice nuntiarent, et mandarent ab omnibus arctius evitari, donec passis injuriam satisfacerent competenter, et cum suarum testimonio litterarum apostolico se conspectui præsentarent, auctoritate quoque nostra, sub interminatione anathematis, districtius inhiberent, ne quis in civitatibus, oppidis, villis et aliis locis, ad quæ
B ipsos contingeret devenire, ipsis præsentibus, præter baptisma parvulorum et pœnitentias morientium, divina celebrare præsumerent, aut cum eis, sub specie cujuscunque contractus, aliquid permutare. Adjecimus nihilhominus in mandato, ut, amoto ab eadem ecclesia quolibet illicito detentore, non obstante cujuscunque præcepto, sublato appellationis obstaculo, abbatem et monachos antedictos in eum statum reducerent ac servarent, in quo fuerant ante violentiam attentatam. Interim autem, decano loci per inductionem laicorum, qui monachos ejecerant violenter, possessionem ipsius ecclesiæ nanciscente, dilectus filius, archidiaconus Cantuariensis (631), incepit postmodum eamdem ecclesiam possidere et, fructus in propriam utilitatem convertens, adhuc in eadem possessione, sicut dicitur, perseverat. Cum
C igitur, in præsentia judicum prædictorum, procurator memorati abbatis restitutionem dictæ Eccle-

(619) In Gest. et in cod. Vallicell, *honore recepto*.

(620) In Gest. et in cod. Vallicell. *Benedicto*.

(621) Vide epistolam libri octavi 55.

(622) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales, lib. II, tit. 28. *De appellationibus, recensationibus et relationibus*, cap. 51. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(623) Gualeranno, Roffensi episcopo, anno 1184 defuncto, successor datus fuerat Gilbertus *de Glanville*, qui, ex archidiacono Lexoviensi, electus est apud Otteford, anno 1185, 16 Julii, presbyter ordinatus apud Lametham die 21 Septembris, consecratus Cantuariæ a Balvino archiepiscopo die 29 ejusdem mensis. Post quatuor annos Baldwino versus terram sanctam iter ineunte « Roffensis episcopus, ab antiquo vicarius archiepiscopi, tam in territorio Cantiæ, quam in Ecclesiis Maneriorum archiepiscopi, curam pastoralem suscepit. » *Diceto Imag. Hist.* pag. 615.

Anno 1195. justitiarus regis a mense Octobri ad Maium sequentem constitutus est. *Wharthon. Angl. sacr.* part. I, pag. 246, not. (f) *ad Edmundi de Hadenæam. Annal. Roffen. Eccl.*

Inter hunc et monachos suos lites et contentiones exarserunt ingentes. (De quibus videndus Edmundus *de Hadenham* apud Wharton. *loc. cit.*) Certamen longum, quæ mortalia cuncta, mors tandem terminavit, nimirum episcopi, qui decessit vicesimo quarto Junii 1214, juxta *Matthæm Paris.* juxta etiam *Florilegum*, et *Obituarium Cant.* Vide etiam Goswinum. *De Præsulib. Angl.*, pag. 528.

(624) Vide epistolam libri septimi 182, not.

(625) Monasterii S. Albani prior tunc temporis, erat Raimundus; « vir (ut ait Matthæus Paris. *Vit.* 23 *abbat. S. Albani*, (pag. 103) magni consilii, prudentiæ ac religionis, cui Joannes abbas (de quo vide epist. libri sexti 212 not., exteriorum habenas commisit gubernandas... pag. 108) Ejusdem industria et licita acquisitione facta est magna tabula, quæ est ante majus altare Ecclesiæ S. Albani..... Libri nobiles et perutiles scripti sunt, præcipue. *Historia Scholastica* cum allegoriis, liber elegantissimus... pag. 115. Hunc postea, quo non erat major hisce temporibus in ordine S. Benedicti cucullatus, amovit Guillelmus abbas ut solus regnaret, nec aliquod sentiret offendiculum, vel alicujus audiret contradictionem; sciens, quia si majorem edomasset, cæteris magis silerent formidantes; ipsumque ad Cellam de Tinemue, solitum monachis exsilium, invitum, imo confusum, destinavit...
D pag. 116. Et ipsius loco magistrum Walterum Remensem subrogavit. » Quod quidem versus annum 1216 contigisse conjicimus.

(626) Sic vocabant rectores ecclesiarum parochialum in Anglia.

(627) In Decretal. *de Fan.*, et mox om. verba *dil. fil.*

(628) Decretal. om., ut mox *infra... eos*.

(629) Decretal. add. *Ecclesiæ*.

(230) Vide epistolam libri quinti 90.

(631) Num erat iste Henricus de Sanford, quem ex archidiacono Cantuariensi ad episcopatum Roffensem evectum fuisse anno 1227, pro comperto habemus? Vide *Frag. de institutione archidiaconatus Cantuarien.* Ex Bibliotheca Cottoniana *Tiber.* c. 9, apud Warthon, *Angl. sacr.* part. I, pag. 150, ubi nonulla reperiuntur, quæ cum hac Innocentii epistola conferre operæ pretium erit.

siæ cum instantia postularet, remoto ab ipsa archidiacono supradicto, qui eam illicite detinebat, tot fuerunt hinc et inde exceptiones oppositæ, tot dilationes concessæ, tot inventa diverticula fugiendi, quod, longissimo spatio a tempore factæ commissionis elapso, cum causa processum debitum non haberet, abbas et monachi sæpedicti alias a nobis studuerunt litteras impetrare, in quibus nos, eosdem judices increpantes, quod in tantum appellationibus frustratoriis et frivolis exceptionibus detulissent, ut nondum sub eorum examine causa potuerit habere processum, unde abbas et monachi, præter grandes injurias et jacturas graves, nihilominus labores et sumptus fuerant subire coacti, eisdem judicibus districte dedimus in præceptis, ut, omni gratia et timore postpositis, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, partem eis adversam per districtionem ecclesiasticam cogerent litem protinus contestari, et testes, quos utralibet pars, tam super principali quam quolibet incidenti, duceret producendos, infra duos menses post litis contestationem, recipere et examinare curarent, ita, quod, si non possent personaliter interesse, id nihilominus exsequerentur per alios, a quibus non liceret aliquatenus appellare; attestationibus vero receptis, præfigerent partibus terminum competentem, quo sententiam recepturæ nostro se conspectui præsentarent. Accepto igitur posteriori mandato, secundum tenorem ipsius iidem judices negotium maturantes, cum, lite contestata, testes fuissent admissi, demum, attestationibus publicatis, diem partibus statuerunt quo in nostra præsentia comparerent, super hoc sententiam recepturæ; attestationes et acta, et alia etiam, quæ ad causam facere videbantur suis inclusa sigillis, nobis, prout in mandatis habuerant, transmittentes. Dilecto itaque filio... monacho, procuratore abbatis et monachorum Sancti Augustini, statuto termino, ad sedem apostolicam accedente, ac, de mandato nostro, fere per tres menses procuratorem partis alterius exspectante, tandem utroque in nostra pæsentia constituto, monachus proposuit antedictus, quod, cum abbas et monachi, sicut prædictum est, Ecclesiæ de Faversham pacifica possessione gauderent, post appellationem ad nos legitime sæpius interjectam, de ipsa fuerunt violenter ejecti, propter quod postulabat instantius, ut, ab eadem amoto quolibet illicito detentore, cum fructibus tam perceptis quam percipiendis, etiam a dejectionis tempore computandis, possessionem ipsius ecclesiæ sibi restituere dignaremur. Repetebat etiam expensas quadraginta marcarum et amplius, quas, occasione quarumdam exceptionum, quas frustratorie proposuerat archidiaconi procurator, et ad eas probandas, dilationes competentes abbas et monachi facere coacti sunt, cum idem archidiaconus,

A seu procurator ejus, exceptiones illas postea non probarit. Cum enim præfatus. O de Camera alieno nomine dictam ecclesiam possideret, utpote qui pro ea abbati et monachis Sancti Augustini certam reddebat annis singulis pensionem, et, cum per plures testes etiam sit probatum, quod, O. medico, sublato de medio usque ad subtitutionem O. de Camera, abbas Sancti Augustini habuerit custodiam Ecclesiæ ante dictæ, post mortem prædicti O. de Camera continuatur illa possessio, cum incontinenti post ejus obitum a monachis fuerit apprehensa. Præterea, cum, eodem abbate ipsam ecclesiam possidente, et ante dejectionem et postea, ab ipso fuerit appellatum, appellatione pendente nihil debuit innovari, nec obstare dicebat, quod archidiaconus hoc fecisse

B proponitur sui juris gratia conservandi, quia, cum jam esset quæstio ex hoc mota, et ex parte abbatis fuerit denegatum, ipsum hujusmodi jurisdictionem habere, per negationem res dubia facta fuit; unde, judex esse non poterat, cum jam adversarius factus esset, et ideo, cum præsumpserit in propria causa sibi jus dicere, facti sui pati debet merito detrimentum, et rem convenit in statum pristinum revocari. His igitur, et aliis plurimis, ex parte abbatis et monachorum propositis, [procurator archidiaconi *memorati* (632) proposuit ex adverso, quod *nec possessionis, nec dominii ratione, abbas et monachi hanc restitutionem poterant postulare. Cum enim non possederint ecclesiam antedictam, ratione juris custodiæ, quæ*, defuncta persona Ecclesiæ (633), tantum datur,

C imo archidiaconi *Cantuarienses*, qui fuerunt pro tempore, tam de jure communi, quam de generali consuetudine *Cantuariensis provinciæ*, tam in illa ecclesia quam in aliis universis ejusdem diœceseos, hoc jure fuerint semper usi, *sicut fuerat sufficienter probatum, talis restitutio nequaquam monachis competebat, nec, utendo jure suo, eis injuriam facere videbatur* (634). Præterea, *cum* præfatus O. de Camera nomine archidiaconi *possideret*, utpote qui ei procurationem unam, et quinque solidos nomine *ipsius* ecclesiæ annis singulis *persolvebat*, eodem O. sublato de medio, apud archidiaconum possessio anni dignoscitur remansisse, quæ non perditur, nisi archidiaconus se putaret posse repelli, vel nisi veniens non fuisset admissus, sic ergo monachorum possessio, potius detentio clandestina debet dici, quo-

D niam archidiaconus ipsam possessionem non perdidit, et sic eam monachi non potuerunt habere, cum duo in solidum quidquam possidere non possint. Cum igitur archidiaconus potuerit jure suo possessionem intrare, ac tenentes de facto ejicere, fortius potuit, nullo inibi existente, nec ullatenus resistente, sibi jus proprium reservare, cum juris executio nullam habere injuriam dignoscatur. Ad hæc, monachi possessionem archidiaconi non pos-

(632) Hanc vocem Decretal. om., ut infra verba *nec... quæ*.

(633) Decretal. add. *archidiacono;* mox verbum *Cantuarienses* om., et infra *Cantuar. prov.*

(634) Hæc Decretal. om., ut mox vocem *cum*. pro *possideret* legunt *possedit eamdem;* verbum *ipsius* non habent et *exsolvebat* legunt pro *persolvebat.*

sunt aliquatenus avocare, etsi non ipsam habuisse constaret; quia, cum eos de possessione nequaquam ejecerit, nec hoc probatum fuerit, nec in jure confessum, non habent quid objiciant extraneo detentori, præsertim, cum, et ipsi auctoritate propria possessionem intraverunt, et, injuriam alii facientes, monasterio jus aliquid acquirere nequiverunt. Appellatio quoque, quam monachi se interposuisse proponunt, penitus nulla fuit, cum non nisi a gravamine præsenti, præterito, vel futuro, debeat appellari; archidiaconus vero, nec prius eos gravaverat, nec ipsos post appellationem gravavit, cum rem vacuam, quam custodiendi jus habet, imo quam ex officio custodire tenetur, custodiendam suscepisse noscatur. Denique, appellationi monachorum non fuit ullatenus deferendum, quoniam, etsi ad eos eadem ecclesia pertineret, non debuerunt tamen auctoritate propria ipsius possessionem intrare, præsertim, cum sciverint, vel scire potius debuerint, quod custodia ecclesiarum vacantium ad archidiaconum pertinebat, et, si tunc idem archiaconus præsens esset, eam denegasset eisdem, et sibi, prout ad ejus spectabat officium, tenuisset. Cum ergo clandestina fuerit eorum possessio, non potuerunt vere possessores haberi, cum super possessione nequeat injuria fieri clandestino possessori. Cum igitur hæc et alia multa utrinque proposita fuerint coram nobis, visis instrumentis et attestationibus partium, et *allegationibus diligentius, intellectis de communi fratrum nostrorum consilio* (635), abbatem et monachos in eum statum, in quo tempore appellationis, ex verisimilibus et probabilibus causis ad nos legitime interpositæ, fuisse noscuntur, proprietatis *utriuslibe* salvo jure, *decrevimus* reducendos, ac fructus medii temporis censuimus pariter *resignandos* eisdem. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, in eum statum, in quo tempore appellationis fuisse noscuntur, præfatos abbatem et monachos reducatis, ac faciatis eisdem pariter resignari fructus medii temporis universos; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XI Kalendas Decembris.

CLV.

... ROFFENSI (636), ET... LONDONIENSI (637) EPISCOPIS, ET... PRIORI SANCTI ALBANI (638) LONDONIENSIS DIŒCESEOS.

A *De eodem argumento ac in epistola superiori, et ut archidiaconum Cantuariensem ad restaurationem altaris cujusdam cogant.*

(Romæ, VIII Kal. Decembris.)

Cum olim tibi, frater Londoniensis, et venerabili fratri nostro . . . Eliensi episcopo (639), et dilecto filio... abbati Sancti Edmundi (640), causam, quæ inter dilectum filium... abbatem et monachos Sancti Augustini ex una parte, et...archidiaconum Cantuariensem, ex altera, super quodam altari, quod in Ecclesia de Faversham idem archidiaconus fecerat demoliri, et rebus aliis vertebatur, duxerimus committendam, vos, quia, ut ad definitivam procederetis sententiam, de partium non processerat voluntate, causam sufficienter instructam ad sedem apo-B stolicam remisistis, partibus certum terminum præfigentes, quo se nostro conspectui præsentarent. Eorum igitur procuratoribus in nostra præsentia constitutis, et quæ ab ipsis fuere proposita diligentius intellectis, visis etiam attestationibus et aliis documentis quæ nobis destinare curastis, de communi fratrum nostrorum consilio, cum eodem archidiacono, qui, præter mandatum bonæ memoriæ... Cantuariensis archiepiscopi, exempla Veteris Testamenti, ac generalem consuetudinem Ecclesiæ Anglicanæ, in facti sui excusationem prætendit, mitius agere cupientes, licet monachi in illo celebrassent altari, quod fecit archidiaconus demoliri, post latam in eos excommunicationis sententiam, quia tamen ipsam sententiam appellatio noscitur legitima præ-C cessisse, eumdem archidiaconum ad resarcienda damna, quæ in demolitione altaris, confractione calicis et combustione pannorum dicta Ecclesia de Faversham noscitur pertulisse, decrevimus condemnandum. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus archidiaconum sæpedictum ad restaurationem ipsam, si necesse fuerit, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellatis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Kalendas Decembris.

CLVI.

FLORENTINO EPISCOPO (641).

D *Ut canonicos, in causa quæ inter episcopum et capitulum Volterranos vertebatur, testes recipiat.*

(Romæ, V Kal. Decemb.)

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod, cum in causa, quæ inter venerabilem fratrem no-

(635) Decretal. legunt *præmissis igitur diligenter inspectis, prædictos*; mox *parti utrilibet* pro *utriusl.* et *decernimus* pro *decrevimus*; add. *perceptos* post verbum *temporis*, et *assignandos* habent pro *resignandos*.
(636) Vide epistolam proximo superiorem not.
(637) Ibid. not.
(638) Ibid. not.
(639) Vide epistolam libri quinti 91.

(640) Vide epistolam libri quinti 90, not.
(641) Florentinam sedem tunc temporis, si fides Ughello, *Ital. sacr.*, t. III, c. 157, tenebat Joannes. « XXXIII. Joannes, Velliternensis canonicus Regularis, cum Lucæ prioris S. Fridiani munere fungeretur, ad Ecclesiam Florentinam assumptus est post Petri excessum. an. 1205, ac annos 25 in ea dignitate superstes fuit; decessit autem anno 1230... Præsul fuit summæ existimationis, inque explicandis

strum... episcopum (642), ex una parte, et canonicos Volterranos ex altera, vertitur, tibi ab apostolica sede commissa, canonici velint testes producere quosdam ex suis, et hoc eis contradicatur, econtra dubitare videris, utrum canonicos possis in causa recipere testes, eadem. Quia igitur unus solus ex ipsis canonicis institutus est procurator in causa fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus testes, qui sibi ex ipsis canonicis producentur recipere non omittas. processurus in causa, juxta nostrarum continentiam litterarum. A

Datum Romæ, v Kal. Decembris.

CLVII (643).

FERARIENSI EPISCOPO (644), ET ...... ABBATI DE COLUMBA, ET ..... ARCHIDIACONO VERONENSI.

*Ut certam regulam statuant monasterio de Castanasio.* B

(Romæ, VII Kal. Decembris.)

Cum olim dilecto filio, abbati Sancti Proculi, dederimus in mandatis, ut super statu fratrum et sororum de Castanasio. de quibus aliqua nobis fuerant sinistra suggesta, quibusdam vitam eorum commendantibus ex adverso, inquireret diligentius veritatem, et quod inveniret suis nobis litteris intimaret, ipse, mandati nostri diligens exsecutor, cum quibusdam viris discretis ad locum accessit ubi per biduum commoratus, per famam viciniæ, ac fratrum et sororum examinationem, ab eis juramento recepto, de iis quæ negotii qualitas exposcebat, diligentius inquisivit. Reversus quoque Bononiam, a quibusdam, qui a loco illo recesserant, et dicebantur ab aliquibus respexisse retrorsum, sub jurisjurandi religionem studuit elicere veritatem, omniumque depositiones redactas in scriptis, sub sigillo suo C per proprium nuntium ad sedem apostolicam destinavit. Verum dilectus filius, Al. sacerdos, qui fratres et sorores apud Castanasium congregarat, post receptas depositiones testium, et nondum ad nostram præsentiam destinatas, ad abbatem accedens, suggessit eidem qnod quædam ex illis quæ testimonium perhibuerant contra eum, ut infamaret ipsum et locum, confessa fuerat se perjuram, unde confessionem ipsius scribi nobis humiliter postulavit, et, cum hoc non potuisset aliquatenus obtinere, cum plerisque de fratribus et sororibus suis nostro se conspectui præsentavit. [ (645) Nos ergo, inspectis depositionibus ab abbate receptis, ut veritas plenius eluceret, eos examinavimus per nos ipsos, illosque apud sedem apostolicam aliquandiu fecimus exspectare. *Audivimus autem aliquid nobis hactenus inauditum, et non de facili ab aliquo fideli credendum* (646), videlicet quod, postquam fratres et sorores *ad locum illum accedunt, et, excessus* (647) proprios, corde contrito, humiliter confitentes, eos student per pœnitentiæ opera expiare, arripiuntur corporaliter a dæmonibus et vexantur, et voces profanas et blasphemas emittunt, et torpent ad tempus circa opera pietatis, et cultum intermittunt divinum, *sentientes aliquando, sicut aiunt, quamdam formidationem in membris, tanquam mures discurrerent inter carnem et cutim, et intuentes quasdam imagines terribiles et obscuras* (648); quodque deterius reputamus, de hujusmodi flagello non dolent, sed gaudent potius, et, vexatos majoris religionis et meriti reputantes, in hujusmodi vexationibus gloriantur (649) (650),] perverse forsan intelligentes verbum Apostoli, quo asserit de se ipso : *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* ; statimque subjungit : *Libenter gloriabor in infirmatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (*II Cor.* XII. [(651) Novimus ex divinæ *paginæ* (652) lectione, quod adversarius noster diabolus, qui, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret, non solum adversus incipientes assuescere jugo Domini retia sua tendit, sed interdum

negotiis singularis prudentiæ, qui inter cætera præclara facinora, illud etiam tandem effecit, ut clerus etiam ad antiquam priscamque formam vivendi traduceretur. »

Hæc et alia apud Ughellum. Verum, difficultas inest, quam supra attigimus, epistola libri sexti 50, ubi vide quæ adnotavimus.

(642) Ildebrandus *de Pannochieschis*, sive, ut alii volunt, *del Pannochia*, Ugoni, Volaterrano episcopo, D successit anno 1184. Hic, cum ex nobilitate gentis suæ ingentes spiritus gereret, brevi Volaterranum arripuit principatum, declaratusque est a Friderico imperatore sacri imperii princeps anno 1185. In difficillimis temporibus dexteritate mirabili usus est cum a pontificibus æque ac imperatoribus, omnia quæcunque vel animo destinasset facillime videretur impetrare. Ildebrandum magni nominis magnæque existimationis apud omnes fuisse oportet, quando in Etruria, sive quæ ad pacem, sive quæ ad bellum viderentur spectare, ad ejus fere arbitrium componerentur. Ipsum usque ad annum 1209 vixisse, parumque deinceps superstitem fuisse. ex monumentis colligitur. UGHEL. *Ital. sacr.*, tom. I, part. sign. col. 353.

(643) Hujus epistolæ fragmenta vulgavit Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 454, col. 1 et sqq. ad annum 1205, cap. 7, § 1 et sqq. ubi de quo monasterio in illa Innocentii epistola agatur, ignorasse videtur. (*Vide notas seqq.*) Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(644) Vide epistolam libri tertii 39, not.

(645) Hæc apud Manriq.

(646) « Hoc item anno, quod fere revocavit sæculum præsens, inauditum eatenus, si credimus Innocentio, summo pontifici, ipsum turbavit nostrosque (Cistercienses) exercuit, quorum tandem judicio remissum fuit. Videlicet, etc. » *Angel. Manrique, loc. cit.* Vide infra.

(647) Apud Manrique, *cujusdam monasterii, qui vitam austeriorem profitebantur*, etc.

(648) Hæc Manricus omittit.

(649) « Sic idem pontifex de eventu tunc recenti, tamque stupendo, qui non leviter ipsum conturbavisset. Porro, quid de his sentiat, ut non definiat, privatim tamen profert verbis sequentibus : Novimus, etc. » *Angel. Manrique, loc. cit.* Vide infra.

(650) Huc usque Manriq.

(651) Iterum Manrique.

(652) Apud Manrique, *scripturæ*.

etiam manum mittit ad fortia, ut in errorem, si fieri A potest, inducat electos, fiduciam habens quod Jordanis influat in os ejus; *unde* (652) ab ejus insidiis Salomon nos admonet præcavere, cum inquit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara cor tuum ad tentationem* (*Eccli.* II). Novimus *quoque* quod filii Israel, Ægypto egressi, affectaverunt Ægypti divitias in deserto, in quo ab Amalechitis fuerunt gravissime impugnati. Novimus quod Job, vir justus et simplex, ac timens Deum, et recedens a malo, tentationes dæmonis non evasit, et quod Satan non solum apostolos expetiit ad cribrandum, sed post baptismum et jejunium, tentavit etiam Jesum Christum. Verum, aliquem, post veram pœnitentiam, operibus deditum pietatis, corporaliter vexatum fuisse non novimus, nec meminimus nos legisse. B Legimus siquidem multos, prius obsessos a dæmonibus, a Domino liberatos. Novimus contra vexationes hujusmodi certum remedium, exorcismorum videlicet, olei infirmorum et aquæ benedictæ in ecclesia institutum. Quis igitur crederet quod, post amaram contritionem cordis, veram oris confessionem et fructuosam satisfactionem operis, quæ maxime in jejunio et oratione consistit, aliquis a dæmone corporaliter vexaretur? Cum, econtra, Veritas in Evangelio protestetur, quod hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio. Absit hoc a fide catholica! absit ut templum Dei habitaculum sit diaboli, et sacrarium sancti Spiritus sit dæmonis antrum! cum non sit societas lucis ad tenebras, neque conventio Christi ad Belial. Fatemur igitur viros sanctos interdum, ut Job, exterius a C dæmonibus infestari, sed vexari eos interius tanquam arreptitios, diffitemur. Verum est enim testimonium Veritatis, nec de mendacio redargui potest ille qui peccatum non fecit, nec dolus est in ejus ore repertus. Ipse quidem in Evangelio protestatur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus* (*Joan.* XIV). Qualiter ergo dæmon eum inhabitare præsumeret, in quo Pater et Filius eligerent et facerent mansionem? Figmentum igitur, quod dicitur reputamus, nisi forsan hujusmodi homines eo ipso vexentur, quod in hujusmodi vexationibus gloriantur, vel nisi ex eo quod arctissimam vitam ducunt, effecti maniaci pro vexatione dæmoniaca, maniacam reputent passionem (654). *Volentes autem eos ad bonum, quantum in nobis fuerit, revocare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus* (655), quatenus accedentes ad locum, certam ibi regulam statuatis, approbantes ibidem quod approbandum videritis, et corrigentes quod inveneritis corrigendum, et inter alia specialiter statuentes, ne sorores cum fratribus simul habitent, sed seorsum potius commorentur, et ut vexatio talis cesset, singulis diebus oratio fiat ad Dominum specialis. Hoc quoque statui præcipimus inter eos, ut, si quis de cætero a dæmone corporaliter vexatus fuerit, aut dixerit se vexari, de loco illo confestim amotus, alibi ad agendam pœnitentiam collocetur. Quod si nec sic curati fuerint vel correcti, hoc nobis per vestras litteras intimetis, ut hujusmodi collegium dividamus (656).] Moneatis autem ex parte nostra venerabilem fratrem nostrum...... Bonnoniensem episcopum, et, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, ut interim ab eorum molestatione desistat. Quod si non omnes... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Kalendas Decembris.

## CLVIII.

. . . BASILIENSI EPISCOPO (657), ET . . . ABBATI DE SALEM (658).

*Ut ad monasterium Augiense accedentes, personam idoneam in abbatem eligi procurent* (659).

(Non. Decembris.)

Cum a quibuspam prædecessoribus nostris, Augien. monasterium, quod ad Romanum pontificem nullo pertinet mediante... episcopo Constantiensi, olim fuerit ad certum tempus commissum, necesse est amodo, cum jam effluxerit tempus illud, eidem monasterio in persona idonea provideri. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus

(653) Manrique, *Vide*, et infra *et* legit pro *quoque*.

(654) » Hæc Innocentius: quæ, ut non debeant censeri infallibilia, quia privatim dicta, at negari non potest dicta gravissime; et tanti ponderis rem esse putavit, ut dignum statim crediderit de qua D immediate per ipsum inquireretur. Unde, immediate (*imo*, initio, *vide supra*), in eis em litteris ait: Nos igitur, etc. Exspectabatur proditurum judicium in re gravissima de vultu Innocentii, qui, quæ in principio ut doctor tradidisset, deffiniret ut pontifex, atque ultimam sententiam pronuntiaret. Verum, cum res utrinque ventilata atque utrinque discussa, non facilem haberet solutionem, nec videretur urgere deffinitio, placuit judicibus causam delegare. Lecti sunt ex Italia duo viri, pietate præcipui doctrinaque, Ferrariensis episcopus, nimirum, atque abbas Columbæ, atque illis injunctum ab Innocentio. quatenus, etc. » *Angel, Manrique, loc. cit.*

(655) Hæc Manricus omitit.

(656) « Hactenus Innocentius, in illo casu, ad abbatem Columbæ, collegamque, quæ adeo nobis (*ait auctor Annalium Cisterciensium*) non licuit præterire; sed, an ad similes extendenda sint, aliorum linquo judicio discernendum. » *Angel. Manrique, loc. cit.*

(657) Post Hugonem II, anno 1172, Basiliensem episcopum Lupoldum, *vel* Lutoldum, *vel* Lutolfum, immediate, sed nonnisi anno 1207, memorant auctores *veteris Galliæ Christianæ*, t. II, pag. 354, col. 2, lit. C.

Bucelinus vero, *German. sacr.*, part. I, pag. 57, col. 1, tradit, Henrico ab Horneberg, nonnullis ab Homburg, qui in expeditione in terram sanctam A. C. 1189 obierat, immediate successisse Leutoldum, dominum de Rottelen, qui obiit A. C. 1213.

(658) Vide epistolas libri quinti 99, not. et libri septimi 89.

(659) Conferenda omnino hæc Innocentii epistola, cum his quæ in *nova Gallia Christiana*, tom. V, col. 915 et 989, nec non apud Bucelinum, *Germ. sacr.* part. II, pag. 10, col. leguntur, de Diethelmo, episcopo Constantiensi, simul ac abbate monasterii Augiensis. Vide etiam epistolam libri septimi 39.

atque præcipimus, quatenus, sicut charam habetis gratiam divinam et nostram, ad locum ipsum pariter accedentes, ipsius monasterii fratres monere attentius et inducere procuretis, ut gratia sancti Spiritus invocata una vobiscum, talem sibi præficere studeant in abbatem, qui prodesse magis noverit quam præesse, et sub cujus regimine ipsum monasterium, auctore Domino, tam in spiritualibus quam temporalibus, valeat prosperari. Quod si forsan vel nullum, vel minus idoneum, sibi vellent in abbatem præficere, vos, infra mensem, postquam eos duxeritis commonendos, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, de persona idonea studeatis eidem monasterio providere; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Nonis Decembris.

### CLIX.

C. PRESBYTERO CARDINALI (660), ET CLERICIS SANCTI LAURENTII IN LUCINA.

*Confirmatur quædam compositio inter ipsos.*

(Romæ, VII Idus Decembris.)

Petentibus vobis restitutionem obedientiæ super capitulo, scrutinio et baptismo, quam a Capellanis Sanctæ Mariæ de Posterula, Sancti Blasii, et Sancti Cosmæ de Monte Granatorum, asserebatis vobis esse substractam, dilecti filii, G. tituli Sancti Vitalis, presbyter cardinalis (661)... rector Ecclesiæ Sancti Apollinaris, et clerici ejus, ad quorum jurisdictionem prædictas ecclesias non est dubium in temporalibus pertinere, se ad defensionem earum vobis opponere curaverent. Lite igitur contestata, cum attestationes utrinque receptæ ac publicatæ fuissent, ad amicabilem tandem concordiam devenistis, ut videlicet restitutio vobis fiat super scrutinio et baptismo, salva quæstione proprietatis, tam super his quam etiam super capitulo, cum non petitorio, sed possessorio tantum sit judicio litigatum. Nos igitur, compositionem præscriptam, sicut in præsentia nostra provide facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo, etc.

Datum Romæ, VII Idus Decembris.

—

A

### CLX.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI PETRI DE CULTURA CENOMANEN.

*Pensiones omnes factæ vel promissæ per R. quondam abbatem irritantur.*

(Romæ, II Kal. Dec.)

Si, juxta præceptum Apostoli, alter alterius onera portare tenetur, nos, qui omnium et singulorum curam suscepimus, Domino disponente, illorum tenemur onera relevare, qui per pastoris præsumptuosam audaciam enorme noscentur dispendium incurrisse. Cum igitur, sicut ex tenore litterarum vestrarum accepimus, R. (662) quondam abbas monasterii vestri, qui, suis meritis exigentibus, ab administratione amotus existit abbatiæ, B onore pensionum, quos multis, nomine beneficiorum non vacantium, contra Lateranensis concilii statuta concessit, vestrum monasterium enormiter aggravarit, et multis promiserit ecclesias non vacantes, nos, vobis volentes paterna sollicitudine providere, concessiones hujusmodi pensionum, et promissiones beneficiorum non vacantium, a præfato R. contra prædicti statuta concilii, attentatas, decernimus irritas et inanes, districtius inhibentes, ne quis vos occasione concessionum et promissionum hujusmodi præsumat de cætero molestare. Nulli ergo.., nostræ inhibitionis, etc.

Datum Romæ, II Kalendas Decembris.

### CLXI (663)

... SANCTI ALBANI (664) LINCOLNIENSIS, ET... DE C RADINGES (665) SARESBERIENSIS DIŒCESEON ABBATIBUS, ET... DECANO SANCTI PAULI LONDONIENSIS.

*Ut testes audiant super causa electi Cantuariensis* (666).

(III Id. Decembris.)

Cum dilecti filii, Salomon, Gual. Simon, Rog. et W. monachi Cantuariensis Ecclesiæ, ad sedem apostolicam accessissent, et electionem, quæ de persona dilecti filii,... sub prioris ejusdem ecclesiæ (667), ab eis concorditer fuerat celebrata, sicut ex decreto fratrum evidentius apparebat, peterent humiliter confirmari, dilectus filius, magister Petrus de Englosam, ex parte suffraganeorum Ecclesiæ Cantuariensis, eorum se petitioni opposuit adversarium, asserens eos in ipsa electione taliter processisse, quod non solum confirmari non debebat, sed irrita judicari. Cumque monachi eum re-

(660) Vide epistolam libri tertii 31, not.

(661) Vide epistolam libri quinti 60, not.

(662) Nullum, qui littera initiali R. designari potuerit, S. Petri de Cultura, Cenomanensis diœceseos, abbatem exhibet imperfecta monasterii hujus abbatum series, apud auctores *veteris Galliæ Christianæ*, tom. IV, prg. 322, col. 1, lit. C, ubi, inter Andream, qui abbas memoratur anno 1152, et Guidonem, anno 1244, decem abbatum nomina, sed absque ulla chronologica nota, leguntur.

(663) Vide Raynaldum, ad annum 1205, § 61 et 62; etsi epistolam hanc peculariter non laudet.

(664) Vide epistolam libri sexti 214, not.

(665) Agitur hic, verisimiliter, de abbate monasterii Readingensis, olim sanctimonialium, temporibus vero Henrici regis I, anno 1125, monachis D Cluniacensibus traditi. Vide *Monastic. Anglc*, t. I, pag. 417.

Hujus monasterii abbas, tunc temporis, verisimiliter erat Elias, qui benedictus fuerat anno 1200. Vide *Annal. Eccles. Wiyornien. an.* 1200 apud Wharton., *Angl. sacr.*, part. I, pag. 479.

(666) De argumento istius epistolæ consulendus omnino Mathæus Paris., tom. I, pag. 212, ubi aliam Innocentii epistolam, hoc ipso, in quo nunc versamur, anno pontificatus ejus 8, VI Id. Decembris datam, exhibet, quam quidem in Regestis frustra requiras.

Vide etiam Gesta Innocentii, § 131.

(667) Hunc *Reginaldum* vocat Matthæus Paris. *loc. cit.*

pellere conarentur, pro eo quod procurationis mandatum minime ostendebat, responsum est ab eodem quod in provincia Lombardiæ apud civitatem Parmensem, tam litteris de mandato, quam rebus aliis fuerat spoliatus, sed paratus erat præstare idoneam cautionem, quod, quidquid per eum fieret in hac causa, dicta suffraganei ratum haberent et firmum. Licet igitur iidem monachi niterentur ostendere, satisfactionem hujusmodi non esse in hoc articulo admittendam, nos tamen, partium utilitate ac necessitate pensata, cum dubitaretur probabiliter de mandato, eumdem magistrum electioni contradicentem admisimus, prius tamen ab ipso mille marcarum cautione recepta, venerabili fratre nostro... Wintoniensi episcopo, et magistro Joanne (668), Sancti Pauli Londoniensis canonico, de licentia nostra se cum ipso ad pœnam obligantibus pro eodem, ut quod per eum fieret in hac parte, ipsi suffraganei firmiter observarent. Insistentibus igitur monachis antedictis ad obtinendam confirmationem electionis prædictæ, sicut ab universo conventu Cantuariensis Ecclesiæ concorditer fuerat celebrata dictus magister eam multipliciter visus est impugnare, tum quia, post appellationem ad nos legitime interpositam, non tam celebrata fuerat quam præsumpta, tum quia suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ fuerant in hac electione contempti, cum sine ipsis imo nisi cum ipsis, non possit vel debeat talis electio celebrari; commune jus et consuetudinem antiquam allegans, ac quod monachi usque ad festum Beati Andreæ statuerant cum episcopis inducias super electione tractandi, quas, ipsis episcopis inconsultis, non sunt veriti prævenire, petens præterea restitutionem quasi possessionis, qua dicebat suffraganeos sæpedictos in hac parte temere spoliatos. Quamvis igitur ex adverso privilegia prædecessorum nostrorum, et nostrum, aliaque nonnulla documenta fuerint vobis ostensa, multisque, tam de facto quam de jure, rationibus allegatis, desideranter vellemus finem imponere hujusmodi quæstioni, quæ sine magno dispendio partium non potest diutius prorogari, quia tamen de quibusdam utrinque propositis fieri nobis non poterat plena fides, de communi fratrum nostrorum consilio, interlocuti fuimus in hac parte, ut testes, quos utraque pars duxerit producendos, usque ad Kalendas Maii proximo venturas, ad sedem apostolicam destinentur, nisi forte quidam eorum valetudinarii sint aut senes, quob ab hujusmodi onere corporis reddat debilitas excusatos, de quibus ita duximus ordinandum, ut per vos recipiantur in Anglia, et depositiones eorum, vestris inclusæ sigillis, nobis infra dictum terminum transmittantur. Unde, sæpefatis suffraganis per scripta nostra mandavimus, ut universos testes, quos in hac causa duxerint producendos, nisi valetudinarii sint vel senes, cum instrumentis et rationibus, infra dictum terminum excusatione, appellatione ac dilatione postpositis, ad apostolicam sedem transmittant, providentes, ut, si quos forte prælibata debilitas ad nos accedere prohiberet, ipsos, si volunt, coram vobis producant, ut depositiones ipsorum nobis possint in eodem termino præsentari, significaturi nobis per litteras suas, utrum ratum velint habere quod per antedictum magistrum factum est in hac causa, et, si forte ratum id nolint habere, procuratores idoneos infra dictum terminum ad nos destinare procurent, qui, omni tergiversatione postposita, veniant sic instructi, quod nihil deficiat quoad ipsos, quominus ipsum negotium per nos, auctore Domino, finem debitum sortiatur. Alioquin, cum in exsecutione justitiæ non debeat esse personarum acceptio vel delectus, extunc non habentes respectum ad honorem sed ad Deum, sic Cantuariensi Ecclesiæ, anxiliante Deo, quantum de jure poterimus providere curabimus, quod optata deinceps poterit tranquillitate gaudere. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus testes, quos utraque pars coram vobis duxerit producendos diligenter examinare curetis, et depositiones ipsorum. vestris inclusas sigillis, nobis infra prædictum terminum transmittatis. Testes autem, etc.

Datum apud Sanctum Petrum, III Idus Decembris.

CLXII (669).

. . . EPISCOPO FLORENTINO (670).

*Ut reintegret feudum quibusdam nobilibus qui pro Ecclesia steterant temporibus schismatis.*

(Romæ, II Idus Decembris.)

[Per tuas *nobis* litteras proponere procurasti, quod, cum quidam Florentini, nobiles *et potentes, prompti ad servitium et devoti*, tempore schismatis, *bonæ memoriæ Julium*, Florentinum episcopum (671), in domo sua tenuerint, *contra imperatoris suorumque*

(668) Vide epistolam libri octatavi 104, not.

(669) Reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 24, De donationibus, cap. 5. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt. Quæ Italico charactere distinguntur et varias lectiones non indigitant, desunt in Decretal.

(670) Vide epistolam libri octavi 156, et quæ ibi adnotata sunt, not.

(671) Conferenda omnino ista cum his quæ de Florentinorum episcoporum serie leguntur apud Ughellum, *Ital. sacr.*, tom. III, col. 127.

« XXIX. Julius successor Ambrosio an. 1158. De hoc Julio dubitat Borghinus, an idem sit cum illo altero Julio, qui post hunc, qui sequitur, Zenobium sedit: sed, cum horum duorum dignitas inciderit in schisma inter Alexandrum et Victorem pseudopontificem, dicendum est, unum tantum fuisse Julium, qui prius favore imperatoris intrusus fuerit, ac post reconciliationem factam, post Zenobium verum episcopum, ab excommunicationem expiatus sederit. Evenit id 1174, in quo ipso anno Zenobius vita functus est, vixitque deinde Julius usque ad annum 1181, nisi forte velimus hoc ipsum asserere de Zenobio. Cum enim Ludovicus Cavitellus in Annalibus Cremonæ schisma illud connumerasset, narrat etiam dinumeratque episcopos ab Alexandro depositos, in quibus episcopus Florentinus fuit, cujus non prodit nomen, ac proinde causam dedit

*fautorum insultus*, idem episcopus, sedata schismatis tempestate, de mandato *felicis recordationis* Alexandri papæ, *prædecessoris nostri*, quatuor modios terræ in feudum concessit eisdem, et, *eo postmodum viam universæ carnis ingresso, bonæ memoriæ B.* successor ipsius, prout moris est, de *recto* (672) feudo præfatos nobiles investivit. Verum, cum ipsi assignatam *sibi* terram mensurari fecissent, nonnisi duos medios invenerunt, *unde, ab antecessore tuo, ut ipsis feudum integraret* (673), cum instantia *postularunt, qui, licet hoc aliquando promiserit se facturum, effectui tamen minime mancipavit. Ipsi autem, ut tu præfatum feudum ipsis adimpleas, assidue postulant et instanter; et tu, aliquantulum dubitans* (674), eo quod non sunt in possessione ipsius, ne de novo illud videaris conferre, *licet tibi fidelitatem curaverint exhibere, et de quatuor modiis fuerint investiti, antequam eorum petitioni duceres annuendum, sedem duxisti apostolicam consulendam.* Nos igitur, attendentes, quod Ecclesia in actibus suis fraudem *vel dolum* non debet aliquem adhibere, *fraternitati tuæ taliter* respondemus, quod feudum ipsum secure *potes eidem nobilibus* (675) integrare, cum terra illa *nomine* quatuor mediorum ipsis fuerit assignata], et jam dictus episcopus quatuor promiserit se daturum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Idus Decembris.

CLXIII (676).

..... LONDINENSI (677), ET ..... ELIENSI (678) EPISCOPIS, ET .....ABBATI SANCTI EDMUNDI (679), NORWICENSIS DIOECESEOS.

*Ut in causa quæ inter archidiaconum Cantuariensem ex una, et abbatem monachosque S. Augustini Cantuariensis ab altera parte, super possessione custodiæ Ecclesiæ de Midelton. vertebatur, testes audiant.*

(Romæ, II Idus Decembris.)

[In nostra præsentia] constitutus dilectus filius, A magister Walterus, nomine dilecti filii.., archidiaconi Cantuariensis (680), a quo procurator ad hoc fuerat destinatus, possessionem custodiæ Ecclesiæ de Midelton (681), quam dilecti filii. . . . . abbas et monachi Sancti Augustini Cantuariensis, illicite occuparant, cum fructibus perceptis medio tempore, sibi restitui postulavit, præsertim, cum, tam de communi jure, quam de consuetudine generali Anglicanæ Ecclesiæ, custodia vacantium Ecclesiarum Cantuariensis diœceseos ad archidiaconum ipsum pertineat, ac, duabus personis decedentibus in ecclesia memorata, antequam monachi nunc ultimo ipsam custodiam occupassent, archidiaconus Cantuariensis in eadem ecclesia usus fuerit isto jure, sicut per viginti quinque testes, omni exce- B ptione majores, in præsentia delegatorum judicium sufficienter probatum esse dicebat quorum depositiones legi audivimus coram nobis. Adjecit insuper, post obitum ultimæ personæ in eadem ecclesia decedentis, possessionem clavium ipsius ecclesiæ eumdem archidiaconum habuisse, sicut quatuor sacerdotes, unus diaconus, et unus clericus evidentissime testabantur. Unde, cum Ecclesiam de Faversham restitui decrevimus manachis antedictis, pari jure archidiacono debebat restitui ecclesia memorata. Dilectus autem filius O., monachus Sancti Augustini Cantuariensis, proposuit ex adverso, quod, cum dicta Ecclesia de Midelton ad monasterium suum nullo pertineat mediante, et ipsius custodiam hactenus possederit inconcusse, C sicut per sedecim testes, omni pariter exceptione majores, pro parte sua fuerat evidenter probatum utendo jure suo præfato archidiacono injuriam non fecerunt. Per duos quoque monachos fuerat sufficienter ostensum, quod de ipsa et ejus libere disponebat. [Cum igitur hinc plures, inde vero sint testes numero pauciores producti, quos non solum diversa sed adversa penitus in quibusdam

de utroque dubitandi. Non alia ad posteros de Julio episcopo transfusa est memoria, quam quod Alexandro papa III intercessore, monasterio S. Salvii ecclesiam ac parochiam S. Jacobi, consentiente capitulo, attribuit, pluribusque oneribus exemerit, cujus rei gratia adjectum a nobis Historiæ monumentum confectum est, quod Urbanus PP. III, postea ratum firmumque, dato ad Gilbertum abbatem diplomate, esse sanxit. (*Sequuntur diplomata: pergit Ughellus.*) D

« XXX. Zenobius episcopus Florentinus reperitur anno 1164, post cujus excessum sive degradationem, iterum Julius ad sedem evectus est, quam obtinuit usque ad annum 1181, ut supra docuimus... Nil aliud in funestis hisce temporibus occurrit, quæ conglobatæ undique calamitates schismatis obruebant, quam fere nudum Zenobii episcopi nostri nomen.

« XXXI. Bernardus, episcopus Florentinus creatus est anno 1182, ac vixisse creditur usque ad annum 1189.

« XXXII. Petrus Florentinam Ecclesiam rexit 1189 usque ad 1205, in quo ipso anno decessit, nec præter aliquot concessiones aliquid reperitur de eo. (Vide epistolam libri sexti 50 et quæ ibi adnotata sunt)

« XXXIII. Joannes, etc. (de quo vide epistolam hujusce libri octavi 156). »

(672) Decretal. legunt *certo*.

(673) Decretal. legunt *feudum integrari* pro *u. a. a. t. u. i. f. i.*

(674) Decretal. legunt *postulantes super quo dubitas*, pro *postularunt . . . dubitans.*

(675) Decretal., *poteris* pro *pot. e. nob.*

(676) Epistola hæc reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. II, tit. 20. De testibus et attestationibus, cap. 32. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(677) Vide epistolam libri 182, not.

(678) Vide epistolam libri quinti 54.

(679) Vide epistolam libri quinti 90, not.

(680) Vide epistolam hujusce libri octavi 154, not.

(681) Num potius legendum *Miletune*? « Anno (enim) 1046 Egelricus Bigge dedit Ecclesiæ Cantuariensi *Chert*, *Stouting*, *et Miletune*. . » Vide *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 21, col. 2, lin. 45.

Forsan legendum omnino *Middletone*. Versus annum 814, « Lyschild dedit *Middletone* Wlfredo archiepiscopo. et monachis Ecclesiæ Christi Cantuariensi: et postea. scilicet anno 822, Cenulphus, rex

constat testimonia reddidisse, quia etiam ad multitudinem tantum respici non oportet, sed ad testium qualitatem, et ad ipsorum deposita, quibus potius lux veritatis assistit, ex quibus motum sui animi convenit judicem obfirmare, *discretioni vestræ per apostolica scripta* (682) mandamus, quatenus testes utrinque producti ejusdem honestatis et existimationis exstiterint, cum constet, testes monachorum (683) testibus archidiacani numero pauciores, *sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, pro ipso* archidiacono sententiam proferatis. Si vero testes ex parte monachorum producti tantæ præeminentiæ fuerint, quod eorum auctoritas aliorum sit merito multitudini præferenda, *contradictione et appellatione pariter non obstante*, ab impetitione archidiaconi eosdem *abbatem et monachos* absolvatis.

Quod si non omnes . . . duo, etc.

Datum Romæ II Idus Decembris.

CLXIV.

..... EPISCOPO (684), ET ..... DECANO (685) LINCOLNIENSIBUS.

*Ut cum G. filio Petri, justitiaro Angliæ, super voto peregrinationis ad triennum dispensare possint.*

(Romæ, XVII Kal. Januarii.)

Significavit nobis dilectus filius, nobilis vir, G. filius Petri, justitiarius Angliæ (686), quod propter guerram, quæ, peccatis exigentibus, periculosissime vertitur inter charissimos filios nostros, Philippum Francorum, et Joannem Anglorum reges illustres, idem rex Angliæ, ac magnates ipsius non permittunt exire de Anglia, cum in hac tempestate valde sit necessarius toti regno, et præfatus rex Franciæ, et barones ejusdem non patiantur eum per terras suas undecunque transire, sicque votum peregrinationis, quod dudum crucesignatus emisit, nunc, his occasionibus impeditus, adimplere non potest. Accedit ad hæc, quod parvulos habet hæredes, potentissimos inimicos habentes, qui eos modis omnibus, quibus possunt, exhæredare nitentur, ita, quod jam occupaverunt magnam partem hæreditatis ipsorum, et quod remanet adhuc illis, in patris eorum absentia, de facili poterunt obti-

A nere. Præterea, monasterium monialium, ordinis de Sempingham, in filiorum suorum hæreditate construxit (687), quod secundum legem Anglicanæ provinciæ stare non poterit, si filii sui fuerint eadem hæreditate privati. Promittit insuper idem miles construere xenodochium ad recipiendum pauperes transeuntes in loco plurimum opportuno. Unde, misericorditer sibi petiit indulgeri, ut propter has causas de licentia nostra posset executionem voti differe, promittens quod interim sexaginta marcas legalium sterlingorum singulis annis in subsidium terræ sanctæ transmittet. Pro eodem quoque nobili, quem propter expertam ipsius prudentiam et virtutem, prænecessarium esse sciunt in hoc tempestatis articulo toti regno, supplicaverunt instanter præfatus rex Angliæ, ac bonæ

B memoriæ Cantuariensis archiepiscopus (688), et venerabilis frater noster...episcopus Eliensis (689), necessitas tam regis et regni, quam etiam filiorum, per suas nobis litteras exponentes. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si præscripta veritate nituntur, auctoritate nostra præfato nobili concedatis, ut de licentia nostra remaneat per tres annos ad regis obsequium ei præsidium filiorum, nisi nos interim, pensatis rerum et temporum circumstantiis, aliud circa eum duxerimus statuendum; ita, quod ipse fideliter exsequatur, quod de xenodochio ad opus pauperum construendo, et pecunia in subsidium terræ sanctæ mittenda, promisit; ipsam vero pecuniam præcipimus apud Londonias in domo templi

C deponi.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kalendas Januarii.

CLXV.

. . . . . ABBATI VALLIS-UMBROSÆ (690), ET MAGISTRO GUALANDO, SUBDIACONO NOSTRO, CANONICO PISANO (691)

*De translatione Fesulanæ sedis in locum idoneum.*

(Romæ, XVII Kal. Januarii.)

Cum super translatione Fesulanæ sedis ad locum magis commodum facienda sit multoties laboratum, nos, paci et utilitati, tam ecclesiæ Fesulanæ quam

Merciorum, idem nonum confirmavit, ab omni sæculari gravitate liberum, et fiscali tributo. » *Ibid.* pag. 19, col. 2, lin. 55.

(682) In Decretal. desunt.

(683) Decretal. add. *esse*; mox *pro* tantum legunt loco verborum *sublato... ipso*, et infra omittunt quæ Italico charactere distinguntur.

(684) Jam observavimus, episcopum Lincolniensem, tunc temporis, fuisse Guillelmum Blesensem, qui, ex Lincolniensi præbendario et præcentore, episcopus Lincolniensis anno 1201 electus, anno 1203 consecratus, obiit in vigilia Ascensionis anno 1206 Vide Godwiu. *De præsul. Angl.* pag. 288.

(685) Vide epistolam libri quinti 147.

(686) De isto jam egimus supra; vide epist. libri quinti 94, not. Litteras Joannis regis ad papam, quibus supplicat, ne, ante peractum quinquiennium, Galfridus, filius Petri, peregrinetur, datas apud Winton, 24 die Novembris, an. 1204, habes apud Rymer. t. I, pag. 44.

(687) Agitur hic, verisimiliter, de prioratu Shouldhamensi, in agro Norfolciensi, ordinis de Sempingham (*leg.* Sempringham, *al.* S. Gileberti).

D Chartam fundationis, a Galfrido, filio Petri, comite, Essexiæ, absque chronologicis notis, sed vivente adhuc Richardo rege emissam, exhibent auctores *Monastic. Anglic.* tom. II, pag. 820, col. 1, ubi de vita S. Gileberti, et de ejus ordinis institutis fuse disputant.

(688) Hubertus, quem hoc anno die 13 Julii defunctum jam supra diximus.

(689) Vide epistolam libri quinti 54.

(690) Num erat, tunc temporis, abbas Vallis-Umbrosæ, Benignus ille, cujus editæ fuerunt constitutiones, in Capitulo generali, anno 1223, ut legitur apud Lamium, *Delic. Eruditor.* anni 1737, pag. 239?

(691) Ad hunc etiam directam vidimus epistolam libri sexti 109.

Florentinæ civitatis, intendere cupientes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis episcopo (692), et capitulo Fesulanis, potestate, consulibus et consiliaris Florentinis, habeatis cum ipsis diligentum tractatum; et, si locum idoneum in ipsa diœcessi, ad translationem Fesulanæ sedis utiliter faciendam, cum consensu dictorum episcopi et capituli, et pace prædictorum potestatis, consulum et consiliarorum, volueritis invenire, per vestras nobis litteras intimetis, ut, per vestram relationem instructi, in ipso negotio melius procedere valeamus.

Datum Romæ, xvii Kalendas Januarii.

CLXVI (693).

..... ILLUSTRI REGI ANGLIÆ.

*Ne moniales S. Trinitatis de Cadomo in jus ad laicos judices vocari patiatur.*

(Apud Sanctum Petrum, x Kal Januarii.)

Oblata nobis dilectarum in Christo filiarum . . . abbatissæ (694), et conventus Sanctæ Trinitatis de Cadomo, querimonia patefecit, quod, cum maneria de Osted et de Felested (695), a fundatione sui monasterii, in puram eleemosynam fuerint assecutæ, nobilis vir, comes Albericus, Norwicensis diœceseos, ipsas super eisdem maneriis multipliciter inquietat, et, eadem in perpetuam emphyteusim prædecessoribus suis asserens fuisse concessa, sibi vindicare contendit; super qua etiam concessione nullum exhibet instrumentum. Præterea, ipsas super hoc trahit in causam coram judice sæculari, cujus in rebus ecclesiasticis examen subire periculosum asserunt et damnosum. Cum igitur eisdem, propter fragilitatem sexus, in suo jure specialius velimus adesse, serenitatem regiam rogamus, monemus, consulimus et hortamur, quatenus prædictam abbatissam et conventum a præfato comite in sæculari foro non sustineas conveniri, cum res sint ecclesiasticæ, quas ab ipsius fundatione, sicut asserunt, in puram eleemosynam possederunt.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, x Kalendas, Januarii.

CLXVII (696).

HAMELINO (697), ABBATI VINDOCINENSIS MONASTERII, EJUSQUE SUCCESSORIBUS REGULARITER SUBSTITUENDIS, IN PERPETUUM.

*Recipit eum sub protectione beati Petri, cum aunuo censu duodecim solidorum, et enumerantur bona ad eum spectantia.*

(Apud Sanctum Petrum, x Kal. Januarii.)

Quamvis universis Ecclesiis existimamur ex apo- A stolicæ servitutis officio debitores, illarum tamen utilitati attentius providere nos convenit, quas beato Petro, apostolorum principi, non est dubium specialius pertinere. Cum igitur Vindocinense cœnobium, cui, dilecte in Domino fili abbas, auctore Deo, præesse dignosceris, ex oblatione illustris memoriæ Gaufridi, Andegavensis comitis et Agnetis, Pictavensis comitissæ, fundatorum ipsius (698), ad jus et dominium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pertinere noscatur, nos, tuis justis postulationibus annuentes, prædictum Vindocinense monasterium, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Gregorii, Urbani, Calixti et Innocentii, prædecessorum nostrorum, sub beati Petri et nostra speciali cura et principali tutela suscipimus, et apostolicæ sedis B privilegio communimus; statuentes, ut ordo monasticos, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones ... quas idem monasterium, impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illabata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentis suis; ecclesiam Sancti Georgii in Oleronis insula, cum magna parte ejusdem insulæ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Castro Oleronis; C ecclesiam Sancti Nicolai de Oleron; ecclesiam Beatæ Mariæ de Surgeriis; ecclesiam Sancti Sepulcri de Balgentiaco; parochialem ecclesiam Sancti Clementis de Cretone, cum omnibus ecclesiis quæ infra terminos ejusdem parochiæ continetur; ecclesiam de Alderico; ecclesiam de Crisitot; ecclesiam de Treet; ecclesiam de Podio Revelli; ecclesiam Sancti Saturnini, sitam super Ligerim; ecclesiam de Colomberiis; ecclesiam de Mazeio; ecclesiam Sancti Petri de Monte Soleti; ecclesiis de Carcere sancti Nicolai, Sancti Vincentii, et Sanctæ Mariæ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Castell; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cosma; ecclesiam de Majori; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Brocco; ecclesiam Sancti Petri de Vileriis; ecclesiam Sancti Hippolyti D et ecclesiam Sancti Germani de Arrectiac, et ecclesiam Sancti Medardi de Civiliaco; donum Gofridi de Vindocino, et Ricerdis, quondam comitissæ,

(692) Vide epistolas libri septimi 20, not. et 21.

(693) Epist. hanc laudat Raynaldus, ad an. 1205, § 61.

(694) Post Mathildem II, defunctam anno 1194, has S. Trinitatis abbatissas memorant auctores *Novæ Galliæ Christanæ*, tom. XI, col. 433.

« XI. Isabella II, *d'Ivetot*, obiit 7 Junii.

« XII. Adela *de Tibouville*, ex Dynastis *de la Rivière de Tibouville*, fatis fungitur 28 Decembris.

« XIII. Joanna II, cui primo nominis apice designatæ facta donatio mense Septembri 1217, reperitur mense Julio 1223 in Chartulario. »

(695) *Alias* Hocstede, et Felestede; prout legitur in Chartis Henricis regis I, et Edwardi regis II, quas exhibent auctores *Monastic. Anglic.* in *Appendice*, t. II. pag. 958, col. 1 et 2.

(696) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 68. Vide etiam *Novam Galliam Christianam*, tom. VII, col. 1365, lit. E; et col. 1372, lit, A et B.

(697) Hamelius abbas, monasterium S. Trinitatis de Vindocimo rexit ab anno 1202 usque ad 1222 vel 1223. Vide *Gall. Christ.* loc. cit.

(698) Anno 1032. Vide *Gall. Christ.* loc. cit. col. 1364, lit D.

matris ejus; donum magistri Petri, archipresbyteri, in Oleran. insula; quartam partem decimæ de Ebriacopoolin; et donum Juhelli de Meduan apud Bellum-Montem, cum aliis possessionibus, pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Licet autem antecessores nostri ecclesiam Sanctæ Priscæ, in monte Aventino sitam, cum omnibus pertinentiis suis, et cardinali etiam dignitate, prædecessoribus tuis duxerint concedendam, sicut in ipsorum privilegiis perspeximus contineri, quia tamen, post aliqua tempora, per incuriam et neglectum eorum, ipsa ecclesia destructionem et desolationem incurrit, quidam prædecessorum nostrorum eam, diversis temporibus, diversis cardinalibus assignarunt, quos ad titulum ejusdem ecclesiæ promoverunt; nos vero, tuo volentes honori deferre, de consueta sedis apostolicæ benignitate concedimus, ut dignitatem, quam antecessores tui ex concessione ipsius ecclesiæ sunt adepti, tu, et successores tui, nihilominus habeatis; sandalorum usum, tunicæ et dalmaticæ, mitræ et annuli, sicut eis presbyteri cardinales utuntur, vobis in perpetuum auctoritate apostolica confirmantes. Ipsam quoque beatæ Priscæ ecclesiam Vindocinensis monasterii de speciali gratia restituimus, hoc adhibito moderamine, ut, si forte nos, aut successores nostri, presbyteros cardinales ad ejus titulum duxerimus promovendos, pro ea maxime causa, ut super altare beati Pauli apostoli consuetnm agant officium sicut a sanctis patribus provida fuit deliberatione statutum; hi, quibus pro tempore curam et administrationem ipsius ecclesiæ commiseritis, eisdem cardinalibus debitam impendant obedientiam humilem et devotam, qui videlicet cardinales de proventibus ejusdem ecclesiæ percipiant quartam partem. Vos autem, de ipsa ecclesia geratis sollicitudinem diligentem, ne per vestram incuriam in desolationem iterum redigatur, quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Illud præterea, quod in privilegio ejusdem cœnobii perspeximus contineri, videlicet, quod legatus apostolicæ sedis in eodem loco nihil per se disponere vel corrigere audeat, neque occasione legationis rectorem ipsius loci, vel fratres, molestare præsumat, sed, si quid forte corrigendum cognoverit, summo pontifici nuntiare licebit, ita duximus moderandum, ūt et honor debitus exhibeatur legato, et libertas ipsius monasterii non lædabur; videlicet, ut, quoties legatus ad partes illas fuerit destinandus, Vindocinensi cœnobio mandatum perferat speciale, juxta cujus tenorem procedat, in quibus secundum Deum viderit procedendum. Ad concilium autem Vindocinensis abbas, sine mandato Romani pontificis, invitus accedere non cogatur, nec ecclesias eidem subjectas cœnobio, ubilibet constitutas, quisquam interdicere audeat, nisi pro certis et evidentibus culpis, et quas locis abbas ejusdem, commo-

A nitus ab episcopis, contempserit emendare. Ipsum autem Vindocinense cœnobium, et ecclesiam Sancti Salvatoris, juxta muros Andegavis positam, ad idem cœnobium pertinentem, nulli, sine speciali mandato Romani pontificis, interdicto supponere, vel personas inibi Domino famulantes suspensioni vel excommunicationi subjicere liceat, etiamsi contigerit Carnotensem aut Andegavensem patriam pro quibuslibet culpis ecclesiasticam subire censuram. Quod si quisquam contra eum super aliquibus rebus causari voluerit, nullatenus ei respondere cogatur, nisi sub examine Romani pontificis, vel judicis ab eo specialiter delegati, cum, juxta legitimas et canonicas sanctiones, actor sequi debeat forum rei. Ad hoc præsenti decreto statuimus, ut Andegavensis, B Pictavensis et Vindocinensis comites omni tempore sint defensores et adjutores ejusdem cœnobili, ad honorem apostolicæ sedis, nec quisquam eorum aliquam exactionem sive consuetudinem ipsius rebus aut personis imponat nec in eis aliquid sibi, præter solum patrocinium, vindicare præsumat, quod eis ad honorem apostolicæ sedis permissum est exhibere. Prohibemus insuper ne quis, absque consciencia et consensu Romani pontificis, ad quem monasterium prædictum tam in spiritualibus quam in temporalibus pertinet, bona ejus distrahere vel alienare præsumat, præsertim in præjudicium et detrimentum ipsius; quod si damnabili fuerit ausu præsumptum, irritum fore sancimus. Liceat quoque vobis, clericos vel laicos, liberos et absolutos, e C sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque malueritis episcopo, dummodo catholicus fuerit, et gratiam et communionem apostolicæ sedis habuerit, sine diœcesati episcopi contradictione, accipere libere valeatis, etc. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus assumpta fuerint corpora defunctorum. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus inibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem... D providerint eligendum, non tamen sine trium abbatum testimonio, quos religiosiores in vicinis locis habere contigerit; processus tamen electionis per testimoniales capituli litteras Romano pontifici exponatur, et ab eo confirmatio postuletur. Electus autem, a Carnotensi benedicatur episcopo, vel a quocunque maluerit, duntaxat catholico, communionem apostolicæ sedis habente, qui ei munus benedictionis, sine professionis aut cujuslibet alterius rei exactione, liberaliter ac libenter impendat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prædictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere... salva

in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, et in ecclesiis non exemptis diœcesanorum episcoporum canonica ratione. Ad indicium autem hujusmodi a sede apostolica libertatis obtentæ, de moneta patriæ vestræ duodecim solidos, nobis, nostrisque successoribus, annis singulis persolveritis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc. Cunctis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, sanctæ Mariæ in Cosmedin, diaconi cardinalis (699), Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, x Kal. Januarii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1204 (700), pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno octavo.

CLXVIII (701).

....... EPISCOPO VERCELLENSI (702).

*Ut matrimonium inter Opizonem Lancaveclam et Rufunam solvat, pro eo quod dictus O. furiosus erat.*

(Apud Sanctum Petrum, v Kal. Januarii.)

[Dilectus filius, R. *miles Alexandrinus* (703), proposuit *coram nobis*, quod *Opizoni Lancaveclæ Rufinam*, filiam suam (704), matrimonialiter copulavit], ignorans quod Opizo existeret furiosus, unde, humiliter postulavit a nobis, ut tam eidem quam ipsius filiæ consulere dignaremur, [cum (705) eadem mulier cum ipso viro, qui continuo furore *laboraret*, morari non possit, et, propter alienationem furoris, legitimus non potuerit intervenire consensus. *Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta* (706) mandamus, quatenus, *inquisita plenius veritate*, si rem noveris ita esse, præfatas personas cures, *sublato appellationis diffugio*, ab invicem separare].

Datum Romæ, apud S. Petrum, v Kal. Januarii.

CLXIX.

..... PATRIARCHÆ JEROSOLYMITANO (707).

*Dispensatio visitandi Limina SS. Apostolorum etiam per nuntios.*

(Apud Sanctum Petrum, IV Kal. Januarii.)

Ex speciali quam erga te gerimus in Domino charitate, tuis inducimur precibus condescendere, ac saluti tuæ, quantum cum Deo possumus, præcavere. Cum ergo per certa tempora, vel per te vel per nuntium visitare apostolorum Limina tenearis, insinuatione tibi præsentium intimamus, quod nequaquam tibi ad negligentiam imputabimus, si nuntii, quos decreveris destinandos, propter impedimentum evidens ad nos non potuerint statuto tempore pervenire, cum certa fiducia, quam de tua fraternitate A concepimus, nihil sinistri de tuis nos permittat actibus suspicari.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Kalendas Januarii.

CLXX.

EIDEM.

*Ut tempus quadriennii legationis suæ, computetur a die qua Ecclesia ipsi commissa eum receperit.*

(Apud Sanctum Petrum, IV Kal. Januarii).

Quoniam de voluntate illius cujus est dirigere gressus hominum transfretatio tua est, ultra quam desideraveris, retardata, et scire non possumus quando fuerit voluntas in cœlo, ut profecturo tibi ad terram sanctam, ille, cujus te obsequio devovisti, aperiet vias maris, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut illud quadrienni tempus, in quo lega- B tionis officium suscepisti, tunc habeat, Domino faciente, felix initium, cum ecclesia tibi commissa tuæ receperit exspectationis adventum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, IV Kal. Januarii.

CLXXI (708).

EIDEM.

*Ut in quavis provincia pallio uti possit.*

(Apud Sanctum Petrum, IV Kal. Januarii.)

Licet per certas temporum vices infra ecclesiam tuam usus tibi pallii sit concessus, tuæ tamen probitatis obtentu, de speciali quam erga te gerimus charitate, fraternitati tuæ auctoritate præsentium personaliter indulgemus ut, in quacunque provincia fueris, ad divini nominis gloriam et Jerosolymitanæ sedis honorem, pallio licenter utaris, ita ta- C men, ut hoc sine scandalo fiat et præjudicio aliorum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Kalendas Januarii.

CLXXII (709-10).

EIDEM.

*Ut eos qui cum ipso trajicere vellent ab excommunicationis vinculo absolvere possit.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Januarii.)

Præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, si qui excommunicati comitatui tuo se injunxerint, habentes desiderium transfretandi tecum in subsidium terræ sanctæ, absolvendi eos liberam habeas potestatem, nisi tam gravis et enormis fuerit excessus, ut merito credas eos apostolico conspectui præsentandos.

D Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Januarii.

(699) Vide epistolam libri septimi 27, not.

(700) Sic diserte legitur in Apographo Conti; verum mendose. Legendum omnino 1205.

(701) Epistola hæc reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. IV, tit. 1, *De sponsalibus et matrimoniis*, cap. 24. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

(702) Alberto, ex episcopo Vercellensi ad patriarchatum Jerosolimitanum evecto (de quo jam egimus sudra; vide epistolam libri septimi 222), Lotharius Rosarius, Cremonensis, subrogatus est, hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1205. Translatus deinde est Lotharius ad Pisanam Ecclesiam, successitque denique Jerosolymitanæ Ecclesiæ Alberto antecessori suo anno 1215. Obiit anno 1227.

(703) Hæc desunt in Decretal., ut mox *cor. nob.*, et verba *Opiz. L. R.*

(704) Decretal. add. *cuidam*.

(705) Decretal. add. *autem*, et infra *laborat* leguut pro *laboraret*.

(706) Hæc desunt in Decretal. ut sequentia cursivo charactere distincta.

(707) Vide epistolam libri septimi 222.

(708) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 27.

(709 10) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205 § 27.

CLXXIII (711).

EIDEM.

*Pecuniam ipsi destinat.*

(Apud Sanctum Petrum, IV Kal. Januarii.)

In laboribus viæ tuæ, quam in illius fiducia incœpisti, pro cujus obsequio proficisceris, sinceræ te charitatis affectibus comitantes, quadringentos obulos aupeos, de benedictione beati Petri, in expensarum tuarum necessitatibus convertendos, et viginti quatuor marcas argenti, quæ penes eleemosynarium nostrum in deposito sunt inventæ, juxta providentiam tuam assignandas in subsidium terræ sanctæ, fraternitati tuæ per latorem præsentium destinamus.

Datum IV Kalendas Januarii.

CLXXIV (712).

ELECTO COLONIENSI (712).

*Ut quæ prius habuerat beneficia biennio retinere possit.*

(Apud S. Petrum IV Kal Januarii.)

Solet annuere, etc., *usque* impertiri. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod Ecclesia Coloniensis, ad cujus regimen es assumptus, propter bellorum ingruentium tempestates usque adeo gravia damna et rerum jacturam incurrit, quod ad necessitates suas ipsius tibi non sufficiunt facultates. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, ut omnes redditus et ecclesiastica beneficia, quæ, priusquam assumptus esses ad hujus oneris dignitatem, habebas, per biennium in tua manu detineas, et proventus eorum in usus tuos et Coloniensis Ecclesiæ, sine alicujus contradictione, convertas, devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, dummodo facias ipsis ecclesiis, a quibus proventus percipies, congrue deserviri.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum IX Kalendas Januarii.

CLXXV (714).

EIDEM.

*Ut si eum suffraganei sacris episcopalibus initiare negligant, alios ad id episcopos convocare possit.*

(Romæ, x Kal. Januarii.)

Devotioni tuæ præsentium auctoritate concedimus, ut, si Coloniensis Ecclesiæ suffraganei requisiti, vel nequiverint, vel noluerint ad te consecrandum venire, tu ab aliis episcopis quibuscunque, dummodo catholici sint, et gratiam apostolicæ sedis obtineant, te facias iu archiepiscopum consecrari, licentia tibi præsentium auctoritate concessa, ut tibi, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, munus consecrationis impendant. Nulli ergo, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, x Kalendas Januarii.

CLXXVI.

SCABINIS, ET UNIVERSO POPULO COLONIENSI.

*Confirmantur libertates antiquæ.*

(Romæ, x Kal. Januarii).

Solet annuere, etc. *usque* assensu. Libertates et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines ab imperatoribus, principibus, vel allis legitime vobis et civitati vestræ concessas, et bactenus observatas, ratas habemus, et eas auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

Datum x Kalendas Januarii.

CLXXVII (715).

CAPITULO ET CLERO COLONIENSI.

*Confirmatio electi Coloniensis.*

..... Nos igitur, veritate negotii comperta, depositionem illius (*nempe Adolphi*), et electionem istius (*Brunonis scilicet*), gratam habentes, utramque auctoritate apostolica confirmamus in virtute Spiritus sancti; sub anathematis pœna districtius inhibentes, ne quis huic confirmationi contraire præsumat..... Universitati vestræ præcipimus, monentes, quatenus præfatum depositum tanquam excommunicatum omnino vitetis, et prænominato electo, tanquam prælato vestro, debitam obedientiam impendatis. Nos igitur, suffraganeis Coloniensis Ecclesiæ dedimus in mandatis, ut, cum ab eo fuerint requisiti, manus ejus consecrationis imponant; et, ut nihil ei desit ad pontificalis officii plenitudinem, pallium de corpore beati Petri sumptum, ex consueta apostolicæ sedis gratia, destinamus.

CLXXVIII (716).

UNIVERSIS PRÆLATIS PER ANGLIAM.

*Ut Petri denarium, qui cum fide quidem colligebatur in Anglia, sed ministrorum dolo non integer ad Romanum pontificem perveniebat, annis singulis exigendum, sibique sine ulla fraude deferendum curent.*

CLXXIX.

PETRO, WINTONIENSI EPISCOPO (717).

*Ut, inconsulto Romano pontifice, excommunicari non possit.*

(Romæ, IV Kal. Januarii).

Cum per manus nostras ordinatus fueris in presbyterum, et in episcopum consecratus, ut non minus nostro quam tuo, imo tuo verius quasi nostro,

(711) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ab annum 1205, § 27.

(712) Epistolam hanc landat Raynaldus, ad annum 120, § 47.

(713) De Brunone IV, *de Sena*, qui, ex Bonnensi præposito, Adolfo ex archiepiscopali Coloniensium sede dejecto, hoc in quo versamur, anno 1205 suffectus, anno 1208 fato functus est, vide Raynaldum, loc. cit et auctores *Novæ Galliæ Christianæ*, tom. III, col. 685, lit. C.

(714) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 47.

(715) Epistolæ hujus Apographum, quod ad fidem Apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit. Fragmentum, quod hic exhibemus, reperitur apud Raynaldum, ad annum 1205, § 47.

(716) Idem nobis de hac epistola ac de proximo superiori fatendum est. Argumentum exhibemus ex Raynaldo, ad annum 1205, § 62.

(717) Vide epistolam libri octavi 104, not.

deferamus honori, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis in te suspensionis vel excommunicationis sententiam, inconsulto Romano pontifice, audeat promulgare, si quis forte, quod absit! post hujus inhibitionis notitiam, eo inconsulto proferret, statuimus non servandam; sed nec in subditos tuos quisquam præsumat sententiam promulgare contra canonicas sanctiones, præsertim, ubi tu paratus exstiteris plenam de ipsis justitiam exhibere, cum nemo debeat in alienam messem mittere falcem suam. salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Tu vero, diligenter attendas, ne gratiam tibi factam in alterius convertas injuriam, aut privilegium in abusum, quia privilegium meretur amittere, qui concessa tibi abutitur libertate. Nulli ergo inhibitionis et constitutionis, etc.

Datum Romæ, IV Kalendas Januarii.

## CLXXX.

.....ARCHIEPISCOPO (718), ET...., B. CELLERARIO TURONENSIBUS.

*Causam inter J... de Meduan. et E... mulierem nobiles vertentem ipsis committit.*

(Romæ, III Kal. Januarii.)

Ex tenore litterarum, nobilis viri, G. Britaniæ comitis (719), nostris est auribus intimatum quod cum causam, quæ inter nobilem mulierem, E. et nobilem virum, J. de Meduan. super hæreditate sua noscitur agitari, vobis, et bonæ memoriæ G. magistro scholarum beati Martini, commiserimus fide debito terminandam, ipse comes eidem mulieri, cum, tam ipsa quam prædictus J, essent de fore ipsius, mandavit, ut causam ipsam deferret ad ipsum, promittens eidem, quod in curia sua faceret ipsi justitiæ plenitudinem exhiberi, vobis nihilominus intimare procurans, quod in curia sua debebat hujusmodi negotium terminari; at vos, et mulier supradicta, ei nequaquam obtemperare volentes, satagitis in causa procedere, et sibi suam minus rationabiliter jurisdictionem auferre, unde nobis humiliter supplicavit, ut causam ipsam ad eum, ad quem specialiter pertinet, remitteret dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod sic sumus viduis in justitia debitores quod aliis injuriam facere non debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi talis sit causa quæ ad ecclesiasticum judicem pertinere noscatur, eidem supersedere curetis, dummodo per judicem sæcularem suam possit justitiam obtinere; alioquin, non obstante contradictione ipsius, causam ipsam, juxta formam vobis in aliis litteris traditam, ratione prævia, terminetis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kal. Januarii, anno octavo.

## CLXXXI.

RAINERIO, THESAURARIO NIMOCENSI (720).

*Thesaurariam Ecclesiæ Nimocensis ei confirmat.*

(Apud Sanctum Petrum, Idibus Decembris.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Thesauriam Nimocensis Ecclesiæ, tibi a bonæ memoriæ A. Archiepiscopo Nicosiensi (721) collatam, et confirmatam a dilecto filio, S. tituli Sanctæ Praxedis presbytero cardinale, tunc in partibus illis apostolicæ sedis legato, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate apostolica confirmamus, [etc. Nulli ergo, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Decembris.

## CLXXXII.

... CANTORI, ET SIGIBERTO, ET M. DE SANCTO QUINTINO, CANONICIS NOVIOMENSIBUS.

*Causam inter A. clericum Noviomensem, et A. de Maisnilio militem, vertentem ipsis committit.*

(Romæ, III Kal. Januarii.)

Exhibitæ nobis dilectorum filiorum. H. Decani (722), et S. de Montemedardi, et D. de Cardolio, canonicorum Noviomensium, litteræ declararunt,

(718) Vide Epistolam libri quinti LIII, not.

(719) Agitur hic, versimiliter, de Guidone de Thoarcio, de quo videsis Anselm. *Hist. genealog.*, I. III, p. 55.

(720) *Alias* Nimotiensi. Amathunte, Cypri insulæ civitate, diruta, quæ *Lemissus* etiam appellata fuit, Neapolis, vicina urbs, in *Lemissum novam* assurrexit quæ a diversis scriptoribus diversis nominibus expressa est, *Limocium* scilicet, *Limiconium*, *Nemonicium*, *Nimocium Nemosia*, ac demum *Limisso*, vel *Lemissus*, aut *Lemissum*. Hac in urbe anno 1298 concilium provinciæ habuit Gerardus, archiepiscopus Nicosiensis, cujus Acta leguntur tom. XI. *Conc.* Labb. part. II, col. 2417, E. Annis 1425, et 1557, a Saracenis ingentia sustulit damna.

(721) Stephanus Lusitanius (*Hist. gener. regni Cypri*, cap, 19, fol. 85), scribit Alisiam, uxorem Hugonis I, regis Cypri, dum ipse absens erat, adversus Turcas bellum gerens, legatum misisse cum litteris ad Innocentium III, et synodum Lateranensem, quibus enixe petebat, ut, quemadmodum olim, Salamina destructa, sedes ejus archiepiscopalis ad urbem Famagustam translata fuerat, sic quoque ex ea ad urbem Nicosiam transferretur, quod consecuta est. Verum, translationem hanc esse antiquiorem, et in ipsis fortassis regni Cyprii exordiis, sub Guidone, vel ejus fratre ac successore Amalrico, Hugonis patre, obtentam arguere videtur de *archiepiscopo Nicosiensi* mentio, non semel, ut hic, occurrens ante annum 1215, quamvis præfatam translationem in synodo Lateranensi confirmari potuisse fatendum sit.

De archiepiscopo Nicosiensi, de quo hic agitur, nihil in promptu habemus. Archiepiscopo Nicosiensi directam videbimus epistolam libri noni 141, qua Innocentius PP. III, eum in jus vocat, ut cognoscatur an Constantinopolitano patriarchæ subjici debeat, annon. Hic autem probabiliter Latinus fuit, primusque hujus ritus in insula Cypro archipræsul, qui obiit ante annum 1211 elapsum, ut observat Le Quien, *Or. Christ.* tom. III, col. 1201. Durandus enim, ecclesiæ Nicosiensis thesaurarius, in archiepiscopum a capitulo ejusdem ecclesiæ eo anno electus est: sed, quia vir quidam nobilis aliquid contra eum scripserat ad Innocentium PP. III, quod ipse electus falsum protestabatur, papa commisit patriarcham Jerosolymitanum, qui ea de re diligentius inquireret: si vero deprehenderet insontem, illum faceret consecrari, pallioque, quod illi mittebat, eumdem ornaret. Vide epistolam libri decimiquarti 134, datam die 30 Decembris anni 1211, apud Baluz. tom. II, pag 570.

(722) De Noviomensibuis decanis, circa hæc in quibus versamur tempora, sic apud auctores *Novæ Galliæ Christianæ*, tom. IX, col. 1033:

« XV. Hugo *de Couci*, electus, ex Vassorio, anno

quod, cum A. clericus, causam, quam adversus A. de Maisnilio militem moverat, a nobis delegari obtinuisset eisdem, ipsi præfatum militem citaverunt, ad quorum præsentiam militis procurator accedens, diem ad componendum cum clerico, de ipsius clerici voluntate, obtinuit militi memorato concedi, securum interim transitum eidem clerico, ex parte ipsius militis, in eundo et redeundo promittens, Verum, cum inter se componere nullatenus potuissent, quidam familiaris ejusdem militis præfatum clericum, ad dictorum judicum præsentiam accedentem, ausu sacrilego interfecit. Præsumentes autem dicti judices, hujusmodi facinus de ipsius mandato militis attentatum, eo quod ad præfixam sibi ad litigandum diem non comparuerat coram eis, ipsum, et omnes fautores suos, ac communicantes eisdem, per vicinas fecerunt diœceses excommunicatos publice nuntiari. Ipse vero, post trium mensium spatium a sententia in se lata, præsentiam adiens eorumdem, et asserens hujusmodi facinoris se immunem, ac conqnerens etiam, quod in eum, non confessum, nec convictum, excomunieationis fuerit sententia promulgata, ipsam instanter petebat sententiam, tanquam minus licitam, relaxari. Ipsi autem, recepta ab eo tam fidejussoria, quam juratoria cautione, sententiam relaxarunt eamdem, injungentes eidem, quod vel in persona propria, vel per nuntium, cum ipsum corporis detineat valetudo, eorum litteras super hoc nostro conspectui præsentaret. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus et purgationem cum quinta manu suorum parium indicatis, quod videlicet illud facinus nec ipse commisit, nec committi mandavit, nec ad illud committendum præstitit auxilium vel favorem, qua exbibita et recepta, ipsum super hoc liberum dimittatis, cum super eo nullus contra ipsum appareat accusator. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, III Kalendas Januarii, anno actavo

A

### CLXXXIII (724).

PATRIARCHÆ AQUILECENSI (724).

*Ut Ecclesiam Tridentinum, in pastoris absentia, adversus comitem Tyrolensem protegat ac tueatur.*

(III Id. Januarii).

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod Ecclesia Tridentina ex pastoris (725) absentia per comitem Tyrolensem et complices ejus miserabiliter aggravatur. Unde humiliter nobis supplicasti, ut super afflictione ipsius respicere dignaremur. Nos igitur, volentes benignitate paterna ejusdem ecclesiæ indemnitatibus præcavere, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus, ipsam eruens de manibus oppressorum, eamdem tandiu

B custodire procures, donec causa, quæ inter episcopum ejusdem ecclesiæ ac canonicos vertitur, per venerabilem fratrem nostrum... Paduan. episcopum (726), cui eam duximus committendam, fuerit fine debito terminata; ita, quod omnes redditus ipsius Ecclesiæ juxta petitionem ejusdem episcopi, in solutionem converti facias debitorum; contradictotores, etc. Nullis litteris, etc.

Datum Romæ, III Idus Januarii.

### CLXXXIV (727).

EIDEM (728).

*Facultas conjungendi episcopatus Æmonensem et Justinopolitanum.*

(III Id. Januarii.)

C Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod... Æmonensis episcopus (739), ad tuam accedens præsentiam, tibi humiliter et confessus quod episcopatum ipsum per simoniacam obtinuit pravitatem, absolvi postulans ab eodem. Tu vero, injuncta illi pœnitentia competenti, eum ad quemdam locum solitarium transmisisti. Verum, cum dictus episcopatus non habeat ultra septem marcarum redditus,

1183, memoratur adhuc annis 1187, 1192, 1201 et 1204.

« XVI. Joannes *de Buchi* transegit anno 1208 cum Hugone, majore de Thyecourt, ex Tabulario Ursicampi; præerat adhuc anno 1219. »

Hugonem, decanum adhuc fuisse anno 1206, ex hac nostra Innocentii PP. III epistola plane evincitur.

(723) Epist. hanc laudat Raynaldus, ad an. 1206, § 38.

(724) Vide epistolam libri septimi 99, not.

(725) Illi nomen erat *Federicus*, (vel *Fridericus*, ex Bucelino, *German. sacr.* part. I, pag. 48). Hic, e nobili potentique familia Wanga ortus, ad Tridentinam sedem promotus est, anno 1205, ex Ughello, *Ital. sacr.* tom. V. col. 514. Tridentinum populum, scriptis salutaribus legibus, ecclesiastico imperio parere coegit, sibique creditam ecclesiam administravit integritate admirabili. Conditis sumptuosis ædificiis Tridentum exornavit. A Philippo, rege Romanorum, regalia accepit anno 1207. Pro Cæsare Italiæ vicarius fuit, cancellariusque Othonis imperatoris IV. Generose autem adeo pietatem coluit, ut sacra Orientis loca sanctissime peragratus sit; indeque ad patriam revertens, Accaron, hoc est Cæsareæ, morbo tentatus interiit anno 1217, VIII Id. Novembris, ibique apud S. Mariam sepultus

est, ubi olim nationi Germanicæ hospitium patebat.

(726) Gerardum *Pomedellam*; de quo jam egimus: qui quidem ecclesiæ Patavinæ præfuit ab anno 1169, usque ad annum 1214. Vide epistolam libri septimi 178, not.

(727) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 38.

(728) Vide epistolam libri septimi XCIX, not.

D (729) Verisimiliter Oldericus; qui (ex Ughello, *Ital. sacr.* tom, V, col. 222). anno 1194 litem composuit inter Bartholdum, marchionem Histriæ, et episcopum Parentinum.

Post Oldericum, Gerardum, sed non nisi anno 1227, ex instrumentis memorat idem Uhellus, *ibid.*

Mittarellus quidem (*Annal. Camaldul.* Tom. IV, pag. 255, ad an. 1214), Ottonem quemdam, Civiteusem (*al.* Civitatis novæ, *hoc est* Æmoniæ), episcopum agnoscere videtur, qui sententiæ Volcherii Aquilegensis patriarchæ, pro Folcherio, episcopo Parentino, contra Monasterium S. Michaelis de Lemno, *anno Domini* 1214, Indictione II, die Sabbati quarta die mensis Decembris latæ testis subscripsit. Verum, in instrumento ipso, ibid. *Append.* col. 331, Otto, Civitensis *decanus*, non *episcopus*, diserte dicitur.

et quemlibet ejusdem loci episcopum, tanquam rusticum oporteat commorari, in opprobrium præsulum aliorum, nobis humiliter supplicasti, ut, recepta cessione ipsius episcopi, uniendi episcopatum illum Justinopolitano episcopatui, cui vicinus existit, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, ut dictos episcopatus auctoritate apostolica unias (730), sicut videris expedire, liberam tibi concedimus facultatem, ne nomen episcopale vilescat, cum unus sufficiat ad regendum utrumque.

Datum III Idus Januarii.

## CLXXXV.

RIC. DECANO SARISBERIENSI (731).

*Dispensatio super defectu natalium, ad obtinenda beneficia.*

(XIX Kal. Februarii.)

Qui generalem gerit curam de cunctis, propensiori debet deliberatione pensare non solum personam, sed causam eam, qua videlicet, et ex qua dispensare disponit, ne forte sic dispenset ut dissipet, imo, ne dissipet, et sic dispenset, ne propter misericordiam veritatem subærtatem, usque propter justitiam perimat pietatem-sed illud diligenter attendat, quod Psalmita testatur : quia *misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax complexæ sunt se.* (*Psal.* LXXXIV.) Licet igitur quosdam illegitime genitos fortiter persequantur legitimæ sanctiones, qui tamen constitutiones canonicæ cautelam in talibus statuunt observandam, ut illi videlicet de rigore judicii reprobentur, qui partenam incontinentiam imitantur, cum illis autem de benignitatis gratia dispensetur, qui per virtutem propriam reprobant in se vitium alienum, nos, circa personam tuam, et honestatem morum, et fructum operum, et scientiam litterarum, et famam virtutum pariter attendentes, de quibus a multis et magnis, tam ecclesiarum prælatis, quam aliis viris prudentibus et honestis, laudabile tibi testimonium perhibetur, qui pro te nobis instantissime supplicarunt, super defectu natalium tecum misericorditer dispensamus, ut a Patre misericordiarum misericordiam consequamur, auctoritate præsentium statuentes, ut defectus hujusmodi tibi de cætero circa spirituales actus et ecclesiastica officia non obsistat, non solum in beneficiis et dignitatibus jam obtentis, verum etiam in posterum obtinendis, dummodo, posteriorum oblitus, ad anteriora te semper extendas, ut, spiritu ambitionis excluso, dignitatis te dignum et gratiæ reddas gratum. Nulii ergo... nostræ dispenpensationis, etc.

Datum XIX Kalendas Februarii.

## CLXXXVI (732).

ARCHIPRESBYTERO, ET CANONICIS SANCTI PETRI.

*Observantiam statutorum canonicos S. Petri respicientium inculcat.*

(Apud Sanctum Petrum, III Id. Januarii.)

Ea, quæ de mandato sedis apostolicæ statuuntur, firma debent et illibata servari, ne cujusquam audacia violentur. Ut igitur institutio, quam, suggerentibus nobis, ad ampliandum divini nominis cultum in præsentia nostra fecistis, inviolabiliter observetur, cam autoritate apostolica et præsentis scripti patrocinio communimus, districte jubentes, ut ipsam, tam vos quam successores vestri, firmiter observetis. Statutum est siquidem, ut de oblationibus quæ proveniunt ex quarta parte ministeriorum beati Petri, quam nos pietatis intuitu vobis duximus concedendam, singuli canonici, qui ad matutinas surrexerint, accipiant per manus obedientialium, qui ab hoc fuerint instituti, duos denarios singulis noctibus, unde autem ad missam, et ad vesperum unum. Qui vero ad Sextam non venerint; si fuerint præsentes, subtrahatur eis panis in prandio ; et qui ad Nonam non iverint, negetur eis panis in cœna, Tertia quippe post matutinalem missam continue decantetur. Si tamen quispiam, jacens in dormitorio, semel in hebdomada propter necessitatem aliquam ad matutinale officium non surrexerit, prædicta pœna minime teneatur; sciat tamen se reddituram Deo de negligentia rationem. Medicinati etiam per tres dies, et minuti per duos, et balneati per unum, ab hujusmodi pœna censentur immunes. Illi autem, qui non intraverint chorum in matutinis, et Vesperis, Sextaque ac Nona, usque ad *Gloriam* primi psalmi, et usque dum *Kyrie eleison* cantatur ad missam, denarios non percipiant prætaxatos. Intrantes igitur, in officio perseverent, et non exeant ante finem, nisi forsan interim ex necessaria causa cogantur exire, sed quantocius poterunt revertantur, nec sedeant otiosi, sed singuli, prout possunt et sciunt, se diligenter exerceant in cantilena et psalmodia. Quicunque vero, quolibet modo, præterquam in obedientiis de mandato capituli existentes, divinis non interfuerint officiis, sicut superius est expressum, denariis careant prælibatis, ne præsens statutum variis occasionibus eludatur. Quod si prædictæ oblationes sufficientes non fuerint, de oblationibus Sancti Peregrini, vel aliis, quod defuit suppleatur. Ad mensam autem, omnes, vel major pars simul accedant, simul cum modestia discumbentes, simulque surgentes a mensa, intenti lectioni, quæ semper in prandio sine intermissione legatur. (733) Procurantes autem omnes pariter in communi de

(730) Unionem istam, aut omnino non factam fuisse, aut brevi durasse, colligere est ex his quæ de episcopatu Justinopolitano referuntur apud Ughellum, *Ital. sacr.* tom. V. col.354 et seqq. Ardecarium anno 1187, et Absalomen anno 1211, episcopos Justinopolitanos memorat.

(731) Agitur hic de Richardo *Poore*, qui, episcopus Cicestrensis consecratus anno 1215, Sarisberiam migravit anno 1217, et inde postea Dunelmum Godwin. *De præsul. Angl.* pag. 504.

(732) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(733) Locus corruptus : sed sic legitur in codice Vaticano 7024.

proventibus signorum, et valerani, et decem libris, quæ de pensionibus assignentur. Cæterum, si pro negotiis propriis aliquos oportuerit exire, sine archipresbyteri vel prioris licentia non recedant, et, si extra ecclesiam disposuerit aliquis ire pedes, absque socio solus non eat. Extra septa vero canonicæ sine cappa vel toga nullus appareat, nisi forsan equitaverit extra urbem, et tunc nihilominus in habitu procedat honesto. In dormitorio vero, postquam candela fuerit accensa, nullus cum clamore loquatur, ne, si clamaverit, dormientes offendat. Si quis autem præsumpserit... per substractionem beneficii puniatur. Nulli ergo... nostræ confirmationis et jussionis, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Idus Januarii.

CLXXXVII (734).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS AD QUOS LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT.

*Quod irritatur electio decani Saresberiensis ob defectum electionis, non ob defectum personæ.*

(Romæ, II Kal. Januarii.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod dilectus filius, Sarisberiensis decanus (735) a quibusdam suis æmulis infamatur, tanquam nobis sit de falsitate suspectus, cum nos eum potius sicut virum litterarum, providum et honestum, prout ex litteris multorum et magnorum accepimus, boni testimonii reputemus. Ut igitur, os iniqua loquentium obstruatur, veritati testimonium perhibemus, quod electionem factam de ipso, non propter suspicionem aliquam falsitatis, vel alicujus criminis notam, sed propter inordinatum processum, duximus irritandam, nec de falsitate pronuntiavimus contra A eum, imo nec de ipsa in pronuntiatione nostra fecimus mentionem.

Datum Romæ, II Kalendas Januarii.

CLXXXVIII (736).

G. DECANO SUESSIONENSI (737)....CANTORI REMENSI, ET SILVANECTENSI SUCCENTORI.

*Causam obedientiæ inter episcopum Meldensem, et monasterium Resbacense vertentem ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, Idib. Januarii.)

Cum dilecti filii, G. capellanus, et procurator venerabilis fratris nostri Meldensis episcopi (738), et Jac. monachus, et procurator monasterii Resbacensis, ad nostram præsentiam accessissent, et nos ipsis in præsentia nostra benignam audientiam dedissemus, [proposuit *idem G.* (739)] procurator B monasterii, coram nobis, quod, cum ipsum monasterium a prima sui fundatione fuerit exemptum a jurisdictione Meldensis episcopi, et Romanam Ecclesiam nullo respexerit mediante, sicut in privilegio bonæ memoriæ Innocentii papæ (740), prædecessoris nostri, nobis exhibito, continetur, tempore Brietii (741) ejusdem loci abbatis, bonæ memoriæ *S.* Meldensis episcopus (742), ut eidem monasterio suam adimeret libertatem, illud per se ipsum et suos cœpit multipliciter molestare. Cumque monachi ejusdem loci per duos vel tres annos ab eodem episcopo gravamina plurima et molestias pertulissent, quia tunc privilegium casu fortuito perditum præ manibus non habebant, coactus est idem abbas cum eo componere in hunc modum (743) : videlicet, quod tandiu C *eidem* (744) obedientiam exhiberet donec exemptionis privilegium demonstraret, vel ab alio modo suam ostenderet libertatem, nec hujusmodi obedientia ipsi monasterio præjudicium reperto privilegio genera-

(734) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206. § 33.

(735) Vide epistolam hujusce libri octavi 185, not.

(736) Epistolam hanc vulgavit Plessæus. *Hist. Melden. Eccles.* inter instrumenta, tom. II, pag. 94, nº CCXII; sed ibi valde mutila, nec non mendis pluribus deformata exhibetur. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt; verba Italico charactere distincta et quæ varias lectiones non indigitant, desunt apud Plessæum.

De argumento vero ipsius epistolæ, consulendus idem Plessæus, *ibid.* tom. I, lib. 1, § 1.—12. pag. 192, 201.

(737) Ex hac Innocentii epistola patet. Guidonem I *de Chesy*, seu *de Ripelongue*, quem non nisi ab anno 1207, usque ad annum 1228, decanum Suessionensem agnoscunt auctores *Novæ Galliæ Christianæ*, tom. IX, col. 387, jam ante finem anni 1205 decanatum iniisse. Vide epistolas, libri tertii 41, not.; libri septimi 123.

(738) Meldenses infulas, tunc temporis, gerebat Ansellus, qui sedisse ab anno saltem 1197, usque ad annum 1207, dicitur apud auctores *Novæ Galliæ Christianæ*, tom. IX, col. 1618. Vide epistolam libri quinti 130, not.

(739) Plessæus om. *id. G.* et mox post *monasterii* add. *Resdocensis.* Infra pro S. legit Stephanus.

(740) Privilegium illud exhibet Plessæus, *Hist. Meld.* tom. II, pag. 27, instrum. 46. Datum dicitur Pisis, II, Id. ad Januar. indict. XII, anno 1134.

(741) Brictius, *al.* Bricius, ex *Historia miraculorum S. Agili*, monasterio Resbacensi præerat anno 1145. Sedebat adhuc anno 1161, cum Henricus, Campaniæ comes, in compensationem quarumdam reliquiarum quas a Resbacensibus acceperat, (vide Plessæum, *Hist. Meld.* tom. II, pag. 50, instr. 94), auxit eos nonnullis prædiis anno 1164. Sacramento, cum exceptione tamen, se suumque monasterium obligavit Stephano Meldensi episcopo. Comparere dicitur in Acti ad annum usque 1173. Obiit, ex Necrologio, quinto Idus Martii *Gall. Christ.* tom. VIII, col. 1685.

(742) Parisiis ortus Stephanus, frater erat Gualteri D (de Villebeon et capellæ in Bria, quæ capella Gualteri dicebatur). Ludovici VII, et Philippi II regum Cambellani, et patruus Petri Parisiensis, Stephani Noviomensis et Guillelmi Meldensis episcoporum, ac Gualteri junioris cambellani, quibus, ex matre Avelina, Nemorosii nomen gentile fuit. Senonensis primum et Parisiensis canonicus, tum ex cantore Meldensi episcopus creatus, sedit ab anno saltem 1162, ut ex his quæ hic referuntur evincitur. Petro (*de la Chastre*) defuncto, ad Bituricensem metropolim translatus fuit, anno 1171. *Gall. Christ.* tom. VIII, col. 1615.

(743) Conferenda omnino quæ hic dicuntur, cum his quæ a Plessæo referuntur. *Hist. Melden.* lib. III, § VI, tom. I, pag. 197, et tom. II, pag. 53, instr. 6, et 8.

(744) Plessæus *eidem.*

ret. Porro, cum postmodum idem privilegium fuisset repertum, conventus multoties institit Joscelino abbati (745), ut satageret illud privilegium innovari et ad pristinam libertatem ipsum monasterium revocaret, sed idem hæc surdis auribus pertransivit. Renuntiante vero postmodum *ipso Jocelino* (746) regimini abbatiæ (747), cum ejusdem loci conventus dilectum filium, G. communi elegissent consensu (748), *invocata Spiritus sancti gratia*, in abbatem, et eum, pro benedictionis munere obtinendo, supradicto episcopo præsentassent, ipse ab illo, ut promitteret ei subjectionem et obedientiam, postulavit. At electus eidem privilegium apostolicæ sedis exhibuit, per quod utebatur astruere, qnod ei obedientiam promittere non debebat, petens ab ipso, ut ei, juxta tenorem privilegii, benedictionis gratiam largiretur; cui episcopus supradictus respondit, quod de illo privilegio non curabat, et illud etiam inspicere recusavit. Unde, idem electus pro se ac monasterio, clero ac populo Resbacensibus, et omnibus pertinentibus ad monasterium sæpefatum, ad sedem apostolicam appellavit, festum beati Lucæ proximo præteritum suæ terminum appellationi præfigens; *quam appellationem clerus et populus Resbacenses, ac Dudo, presbyter Sancti Joannis, ratam postmodum habuerunt, procuratorem propter hoc ad nostram præsentiam destinantes.* Procurator vero episcopi proposuit ex adverso quod præfatum monasterium, *in Meldensi diœcesi constitutum,* a tempore fundationis suæ usque nunc, Ecclesiæ fuit Meldensi subjectum, *et ejusdem loci abbates Meldensi episcopo debitam exhibuerunt obedientiam et devotam.* Verum, cum diebus istis, post cessionem J. tunc ejusdem loci abbatis, præfatum G. monachi elegissent, et idem se Meldensi episcopo, sicut debuit præsentasset, ab ipso munus benedictionis exposcens, dictus episcopus vigiliam Assumptionis beatæ Mariæ ipsi terminum assignavit; ad quam cum venisset ipse electus, vocatis pluribus abbatibus de episcopatibus convicinis, episcopus illum recipere honorifice procuravit, et celebrata, cum esset dies Dominica, juxta consuetudinem terræ, processione solemniter ante

A missam, episcopus et *electus* (749), cum abbatibus illis, ad majus altare indutis sacris vestibus, accesserunt. Cum autem dictus episcopus, juxta morem terræ, scrutinium, quod in abbatis benedictionibus solet fieri, facere incœpisset, et super quibusdam capitulis interrogasset electum, et idem respondisset ad illa capitula: « Volo », sicut in Ordine continetur, interrogavit eumdem, si ei et Meldensi Ecclesiæ, suisque successoribus, juxta sanctorum Patrum statuta, obediens vellet esse. At electus, vix bene hujusmodi interrogatione completa, surrexit, et, asserens se ab episcopo aggravari. ad sedem apostolicam appellavit, *præfigens appellationi terminum supradictum.* Cæterum, supradictus episcopus humiliter et mansuete respondit quod non *debebat*

B (749*) aliquatenus perturbari, sed diceret in quo gravaret eumdem, cum non esset turbationis locus, vel hora, sed deberet Spiritum sanctum potius invocare; cui respondit electus, quod non poterat non turbari, cum obedientiam postularet ab eo, quam exhibere sibi nullatenus tenebatur. Cumque illi episcopus respondisset, quod ab eo non quæreret, nisi quod antecessores ipsius suis prædecessoribus *impenderent* (750), respondit electus, quod prædecessores suos nolebat in stultitia imitari, sed appellationem interpositam exsequi procuraret, eo quod esset a jurisdictione ipsius prorsus exemptus. Episcopus vero, *de exemptione ipsius se asserens nihil scire*, eidem inhibuit, ne ab alio se faceret benedici, *ad sedem apostolicam appellando*; electus autem, cum suis, perturbato clero et populo, incontinenti recessit, *episcopo* (750*) cum devotione, qua

C decuit, missæ solemnia *celebrante*. Nos igitur, utriusque partis rationibus intellectis, quia per confessionem partis adversæ constitit, eumdem episcopum possessionem obedientiæ habuisse de fratrum nostrorum consilio ipsum restituendum *decrevimus* (751) ad eamdem. Verum, quia privilegium nobis exhibitum plenariam exprimit libertatem, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, memorato episcopo in possessione obedientiæ restituto, nisi, contra libertatem privilegii, infra sex menses, postquam fuerit restitutus, *idem* ali-

(745) « Joscelinus, ex instrumento monasterii S. Dionysii in Francia, sedebat anno 1188, et rursus comparet in Actis usque ad annum 1200. Abdicavit anno 1205, litium pertæsus, quæ recrudescebant in dies monasterium, suum inter et episcopum Meldensem jurisdictionis ergo. »

Et hæc quidem apud auctores *Novæ Galliæ Christianæ*, (l. IX, col 1683), qui ea ultima ex hoc nostra Innocentii PP. III epistola deprompserunt. De ii quæ apud ipsos sequntur, vide infra, not.

(746) Plessæus *episcopo.*

(747) Apud Plessœum legitur; *Renuntiante vero postmodum episcopo J. regimini abbatiæ.* Quæ quidem locum dederunt auctoribus *Novæ Galliæ Christianæ*, (loc. cit.) iis quæ jam supra retulimus hæc addendi

« Per id temporis autem factus est episcopus (Joscelinus,) incertæ sedis, ex bulla Innoncentii PP. III, cujus hæc sunt verba: *Renuntiante vero postmodum episcopo J...* (id est, Joscelino,) *regimini abbatiæ*, etc., nisi eo loci amanuensis episcopum

D pro abbate scripserit imprudens; nam in Necrologio, ubi ejus obitus affligitur XIII Kalendas Novemnulla episcopatus mentio. »

Controversiam dirimit lectio genuina, quam exhibet Apographum nostrum, ad fidem Apographorum Vaticani et Conti diligenter exscriptum.

(748) De incerto hujus abbatis nomine, vide Plessæum, nec non auctores *Novæ Galliæ Christianæ* loc. cit.

(749) Apud Plessærum, *clerus.*

(749*) Plessæus, *debet.*

(750) Apud Plessæum, *impenderunt*; leg *impenderant.*

(750*) Apud Plessæum, *episcopus*; et mox *celebravit* pro *celebrante.*

(751) Plessæus, *decernimus.*

quid rationabile objecerit et probarit, eidem super subjectione ipsius monasterii perpetuum silentium, sublato appellationis obstaculo, imponatis, prohibentes districtius, ne idem monasterium super libertate privilegii audeat ulterius molestare. *Quod si de partium exstiterit voluntate, causam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, præfigentes eisdem terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Testes*, etc. *Nullis litteris obstantibus præter assensum partium*, etc. *Quod si non omnes*, etc. *duo vestrum*, etc.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Idibus Januarii, (751*) anno octavo.

## CLXXXIX (752).

EPISCOPO BRIXIENSI (752).

*Diversis consultationibus ejus respondet.*

(Romæ.)

(753) (Tuæ fraternitatis devotio postulavit *per sedem apostolicam edoceri* utrum is, qui cum sorore legitimæ conjugis fornicatur cum uxore possit postmodum commorari, et exigere debitum ac solvere requisitus, *vel propter hoc debeat matrimonium separari?* Nos igitur, *inquisitioni tuæ breviter* respondemus, quod (754), ut a commistione *ejus* abstineat propter publicam honestatem, et in continentia maneat, donec vir viam fuerit universæ carnis ingressus, *uxor* est diligentius commonenda. Quod si forte, commonitioni parere recusans, talis fuerit, ut de lapsu timeatur ipsius, vir ejus poterit et debebit, *tamen* cum timore Domini, ei debitum solvere conjugale, cum affinitas, post matrimonium inique contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit,) unde jure suo non debet sine culpa privari, quanquam a quodam prædecessorum nostrorum dicatur in consimili casu fuisse distinctum, utrum videlicet adulterium vel incestus manifestum fuerit, vel occultum, aliis asserentibus, inter gradum proximum et remotum esse potius distinguendum.

(755) Consuluisti præterea, utrum, si aliquis citatus legitimis peremptoriis comparere noluerit, judex lite non contestata, contra ipsum debeat sententiam promulgare ut idem affectus tædio, appellaturus, saltem se judicis conspectui repræsentet? Ad quod (*fraternitati*) (756) tuæ taliter duximus respondendum, quod, si contumaciter reus se curaverit absentare, talisque sit causa, quod actor possit in possessione rerum petitarum induci, et in eadem causa custodiæ inducendus; quod, si causa talis existat, quod idem in possessionem nequeat intromitti, ut juri pareat, *is qui se contumaciter absentavit* (757), est per censuram ecclesiasticam compellendus].

(758) Præterea, consuluisti, [cum sæpe contingat, quod ad unam præbendam duo clerici, propter nimiam importunitatem potentium, eligantur *utrum confirmanda si talis electio, vel potius irritanda?* Nos *igitur* attendentes quod, si duo unam præbendam tenerent, illud esset contra concilium Turonense, quod præbendarum inhibet sectionem, et, si unus illorum ipsam obtineret præbendam, sub exspectatione alius contra Lateranensis statuta concilii remaneret, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod talis electio de rigore juris potius est cassanda].

(769) Cæterum, consuluisti per apostolicam sedem edoceri, si debitor, proprio motu, non exactus, vel etiam monitus, aliquid propria liberalitate dederit creditori, qui sine pactione aliqua pecuniam suam mutuavit eidem, utrum ad reddendum quod gratis oblatum accepit, debet idem cogi? Ad quod breviter respondemus, quod usura non debet id, quod debitor ita gratis obtulit, reputari, nec est ipse ad restitutionem illius aliquatenus compellendus.

(760) Consuluit insuper nos fraternitas vestra, utrum vir per procuratorem valeat super adulterio conjugem accusare, cum videantur illud tam leges quam canones inhibere? Ad quod (fraternitati tuæ taliter, respondemus, quod si vir accuset uxorem de crimine adulterii coram judice sæculari, ad pœnam legitimam infligendam, quia tunc inscriptionis vinculum debet arripere, seque ad pœnam astringere talionis, non per procuratorem, sed per se ipsum præsentem oportet præsentialiter accusare. Si vero vir accusare velit uxorem de adulterio coram ecclesiastico judice, ut ab ejus cohabitatione discedat, quia tunc, etsi forsan oporteat ipsum inscribere ut designet in scriptis *crimen* (761), locum et tempus, et alia quæ comprehenduntur in lege civili, ad talionem tamen non debet se aliquatenus obligare, ne forte, cum etiam in probatione deficeret, intentionis suæ *consequeretur* effectum: sustineri potest, si necessitas id postulaverit, ut per procuratorem

(751*) Plessæus add. *pontificatus nostri*.

(752) Diversa epistolæ hujus fragmenta reperiuntur in Decretalibus, diversis in locis. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; quæ Italico charactere distinximus desunt in Decretel. seu varias lectionos indicant.

(752*) Erat ei nomen *Joannes*, qui Ecclesiæ Brixiensi præfuit ab anno 1198, usque ad annum 1212, quo anno, ipsi graviter senescenti Innocentius PP. III missionem indulsit. Vide epistolam libri decimiquinti 140 UGHELL *Ital. sacr.* tom. IV, *col.* 741.

(753) Vide Decretales. lib. IV, tit. 3, *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ vel sponsæ* cap. 10, ubi archipiscopo Strigoniensi directa dicitur.

(754) Deoretal. add. *uxor*, et mox *viri* post *ejus*

(755) Ibid. lib. II. tit. 6, *Ut, lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam*, cap. 3.

(756) Decretal., *consultationi*, et mox add. *lite non contestata* post verbum *reus*.

(757) Decretal. legunt *contumax* pro *i. q. s. c. a.*

(758) Ibid. lib. III, tit. 5, *De præbendis et dignitatibus*, cap. 20.

(759) Quæ sequuntur, od titulum 19 *De usuris*, libri quinti Decretalium, referri debere videntur; verum, in Decretalium collectionibus, tum peculiari Innocentiana, tum generali Gregoriana, frustra requiruntur.

(760) Vide Decretales, lib. I. tit. 38, *De procuratoribus*, cap. 5.

(761) Decretal., *nomen*; infra legunt *consequatur* pro *consequeretur*, et *quanquam* pro *quamvis*.

accuset quoniam hujusmodi accusatio, etsi de crimine fiat, non tamen est criminalis, sed quasi mista inter civilem et criminalem, *quamvis* in præsentia principalium personarum securius procedatur.)

(782) (Postulasti insuper edoceri, utrum ex solis verbis, et ex quibus matrimonium contrahatur, *cum ab aliquibus dubitetur sipirituale contrahi solis verbis?* Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti; nam surdi et moti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, et pueri ante annos legitimos per sola verbi non contrahunt, cum intelligantur minime consentire.)

Datum Romæ, etc.

CXC (763).

CLERO, ET POPULO PER FIRMANAM DIOECESIM CONSTITUTIS.

*Ut ipsorum episcopo electo obedientiam impendant.*

Licet pontificalis auctoritas et imperialis potestas diversæ sint dignitates, et officia regni et sacerdotii sint distincta, quia tamen Romanus pontifex illius agit vices in terris, qui est regnum in terris et Dominus dominantium, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non solum in spiritualibus habet summam, verum etiam in temporalibus magnam ab ipso Domino potestatem. Cum igitur episcopatus Firmanus, tam in spiritualibus quam etiam temporalibus, ad eum nullo pertineat mediante, nos, a dilecto filio... Firmano electo (764), canonica purgatione recepta super his quæ sibi fuerant a quibusdam objecta postquam ab ejus impetitione penitus destiterunt, electionum illius, quam de persona idonea cognovimus canonice celebratam, auctoritate curavimus apostolica confirmare, ipsumque postmodum per vexillum de regalibus investire. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ei super spiritualibus et temporalibus obedientiam et reverentiam impendatis tam debitam quam devotam.

CXCI (765)

...FIRMANO ELECTO (766) EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*Immunitates ac priviligia ipsi successoribusque ejus elargitur*

Etsi universis ecclesiis, ex injunctæ nobis administrationis officio, teneamur favoris nostri gratiam exhibere, illis tamen, quæ ad nos utroque jure pertinere noscuntur, eo potius providere volumus et debemus, quo apostolicæ sedi amplius sunt subje- A ctæ. Licet igitur Firmana Ecclesia in spiritualibus apostolicæ sedis privilegiis sit munita, volentes tamen eidem super temporalibus etiam Ecclesiæ Romanæ præsidium impertiri, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne quis, præter Ecclesiæ Romanæ legatum, in civitate Firmana, vel castellis, videlicet Agello, Capite-Montis, et aliis quæ Firmana Ecclesia juste nunc possidet, aut legitime adipisci poterit in futurum, aut aliis bonis spectantibus ad eamdem, exactiones facere, tenere placitum, vel causas fractare, absque speciali apostolicæ sedis mandato, præsumat, sed omnia bona ejus integra maneant, et quieta consistant, salvo in omnibus jure nostro. Adjicimus etiam, ut omnia quæ de placito, banno, mercato, platea, vel portibus extra B civitatem, per episcopatum, vel cæteris regalibus, in civitate Firmana, vel extra, proveniunt, tibi, tuisque successoribus, sine diminutione vel contraditione qualibet persolvantur, salva apostolicæ sedis auctoritate. Nulli ergo omnino hominum episcopatum Firmanum inquietare liceat, aut rapere, vel invadere bona ejus, aut ipsius homines molestare aliquatenas, vel gravare. Si qui autem contra hoc venire præsumpserit, aut præsens privilegium in aliquo violare, centum libras auri puri per pœna componet, dimidium sacro Lateranensi palatio, reliquum vero tibi, vel successoribus, qui pro tempore fuerint, soluturus.

CXCII (757.)

REGIS DANORUM AD PAPAM.

C *Varias contra Waldemarum, Slevicensem episcopum, ei proponit querelas, et rogat ut provideat ne a Waldemaro Dania turbetur*

(Reverendo in Christo patri et domino, Innocentio, Dei gratia sacro sanctæ Romanæ sedis sumno pontifici... eadem gratia Danorum et Sclavorum rex, dux Juciæ, dominus Nordalbingiæ, filialis devotionis plenitudinem cum affectu. Cum universi quatumcunque per orbem terrarum diffusi Christianæ fidei sectatores, sanctitatis vestræ excellentiam venerari et diligere, non servilis, sed filialis devotionis obsequiis teneantur, illi tamen, si insta paternitatis vestræ meritis voluerint vicissitudine respondere, ad hoc se debent abundantius recognoscere debitores, quos specialis prærogativa D dilectionis, et evidentioris gratiæ manifestis indiciis honoratis. Licet enim ad obediendum et obsequendum sanctitatis vestræ beneplacitis Christianæ professionis generalibus institutis, et gentibus universis communibus teneamur, specialis tamen immensæ benignitatis et benevolentiæ vestræ, nobis impensæ, stimulis urgentioribus excitati, ad perficiendum benevole universa, quæ vestræ discretioni noverimus

(762) Vide Decretales, lib. IV, tit. 1, *De sponsalibus et matrimoniis*, cap. 25.

(763) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 38.

(764) Vide epistolam libri tertii 28, not.

(765) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1205, § 38.

(766) Vide epistolam libri tertii 28. not.

(767) Epistolam hanc integram vulgavit Raynaldus, ad annum 1206, § 19. Ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

A complacere. Nos profecto recognoscimus firmius obligatos, quia non solum antecessorum vestrorum, qui antecessores nostros et regnum eorum sinceræ semper charitatis brachii amplexati sunt, vestigiis incedentes, vos constituistis dilectionis, quam ad ipsos habuerant, successores, verum etiam eam studuistis incrementis spe quoque majoribus adaugere, et ad perficiendum nostrum beneplacitum, et honorem nostrum et regni pariter promovendum, paterna sollicitudine laborare. Susceptis autem pietatis vestræ litteris, in quibus nos super liberatione Waldemari episcopi sincero affectu et benevolo monuistis, cum, ut salva dilectionis vestræ plenitudine loquamur, plerisque quod petebatur difficile et penitus impossibile videretur, eas gratanter recepimus et benigne, nihil grave, quod vobis facile B decreveritis, quantumcunque damnum nobis, vel periculum in persona, vel rebus immineat, arbitrantes, tanta nobis ex præcedentibus meritis vestris dilectionis integritate et constantia demonstrata, quod certissimi sumus, quia circa utilitatem et profectum nostrum tam diligenti sollicitudine vigiletis, quod ad præcavendum in posterum universa damna et incommoda, quæ nobis pene regni nostri universitas minatur, et metuit imminere, tale debeatis adhibere remedium et cautelam, quod nequaquam super iis oporteat dubitare; ideo, ad implendum omne, tametsi arduum videatur, incunctanter, et omni deliberatione postposita, nobis cognoscimus obsequendum, quidquid vestra providentia nobis viderit imperandum.

C Nisi enim, projectis post tergum nostrum omnibus excessibus et delictis, quibus in nos deliquit episcopus prælibatus, ad ea oculos nullatenus retorquentes, in Domino et vobis spem nostram et confidentiam poneremus, nos, sicut alii pene cuncti, non solum difficile, sed impossibile crederemus, quod nobis modo urgenti præcipue benevolentiæ vestræ plenitudine facile judicamus. Sane, licet providentiam vestram, pluribus occupatam, inviti longis sermonibus molestemus, quod tamen ipsum contra nos maxime excitavit, vestræ dilectioni breviter revelandum per nuntium arbitramur, ut odium pro dilectione, et pro bono malum, ipsum nobis reddidisse evidentius declaretur. Cum enim rex Canutus, avunculus noster, fuisset ab inimicis suis innocenter et immerito interemptus, D quædam, de qua adhuc sub judice lis est, utrum eam habuerit concubinam, istum, de quo nobis est mentio, procreavit. Sed, cum de generatione istius tanta esset ambiguitas, quippe, post mortem ejus, cujus filius se affirmat, et de matrimonio illegitimo procreatum, utrum eum filium prælibati vellet asserere, sive non, patris nostri arbitrio linqueretur, ipse tamen, divinæ retributionis intuitu, in saniorem partem dubia exponendo, ipsum in genus regale et suam progeniem dignanter suscepit, et non solum in cognatum et consanguineum, sed quasi in proprium filium adoptavit. Patre autem nostro de medio sublato, cum frater noster, piæ memoriæ rex Canutus, regni gubernacula suscepisset, a patris piis operibus non declinans, se ejusdem dilectionis, quam pater noster ad hunc habuerat, successorem constituit et hæredem, et benevolentiam et dilectionem illi semper exhibuit pleniorem, tantam gratiam, quam a patre nostro susceperat, augmentando, quod, inter cætera, ad tempus ducatum, qui nobis debebatur, ei, nobis in annis teneris constitutis, concessit, eumque abunde innumeris beneficiis et honoribus ampliavit; sed, unde benevolentiam se credidit plenius promereri, inde ipsius indignationem et odium contra se et nos sensit graviter et inexorabiliter excitari. Nam, cum nobis, annis infantiæ jam transcursis, ducatus noster et hæreditas patris nostri redderetur, cujus ipse, ut supradictum, fuerat ad tempus procurator, dilectionis sinceræ vicissitudinem, quam ipsi et nobis reddere tenebatur, in rancorem et odium indeficiens commutavit; quod et postmodum (nam, secundum proprium ipsius in die consecrationis suæ prognosticum, nihil occultum quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur,) indiciis nimis evidentibus patefecit. Omnium enim beneficiorum, quæ a patre nostro et fratre susceperat, ut de nobis ipsis sileamus, immemor vel ingratus, præmissum fratrem nostrum, et nos regno molitus est, quamvis *frustra* (768), adjuvante divina clementia, removere, et, regis et episcopi minus decenter et juste sibi nominibus maritatis, contra nos pugnaturus, aciem instaurare. Si itaque, brevitatis causa, omnibus aliis prætermissis, quæ contra nos relata et gratia perpetravit, hæc ad memoriam revocentur, nisi vestra in omnibus et super omnia benevolentia attendatur, quid de illo boni potest conjici, qui etiam in mortem nostram tam innocenter et immerito non timuit malignari?

Cum igitur, et nos, et nostra, vestræ per omnia committimus ordinationi, procuret vestra providentia, ut, si ipsum, admonitionis vestræ intuitu, dimittamus, ita disponatis, ut taliter ad vos perducatur, quod ab inimicis non possit in itinere deprehendi; quia, quamvis opera nostra id cognoscamus nullatenus meruisse, Philippus tamen, dux Sueviæ, inimicis nostris magis se sociat quam amicis, et, qualiter inter nos et regem Franciæ res se habeat vestræ magnificentiæ non convenit revelari; ideoque, si in manus præmissi nostri adversarii deveniret, si possent, per eum nobis et regno nostro molestias irrogarent; et, cum pervenerit, sicut per litteras vestras et nuntios nostros accepimus, eum in aliquo alio loco ubi opportunum cognoveritis, collocetis; quoniam, cum ad dilectionis sinceritatem beneficia, quæ ei prius a fratre nostro et nobis impensa sunt, nequaquam sufficimus augmentare, timemus quod nullatenus melius modo quam prius possimus ejus

(768) Apud Raynaldum deest.

benevolentiam promereri; ideoque, magis ejus absentiam quam præsentiam affectamus, cui formidamus posse sinceri affectus constantia copulari. Quod si, nec ipsum secure ad vos poteritis perducere, nec, sicut dictum est, ei in alio loco, munera providere, cum benevolentia vestra ipsum, ne nobis noceat, permittatis de cætero retinere, tanto clementius nobiscum facientes, quod, fere omnium nobis attinentium consilio prætermisso, a vestro nequaquam consilio et beneplacito volumus declinare. Cætera nuntiis nostris commitimus enarranda.

## CXCIII (769).

ILLUSTRI REGI DANIÆ.

*Hortatur eum ad clementiam erga Waldemarum, et rogat, ut securo conductu valeat deduci ad Hungararum regem, et deinde promittit se ejus regni quieti consulturum.*

(XIII *Kal.* Februarii.)

[Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod in serenissimo pectore tuo eam virtutum abundantiam cumulavit, ut inveniatur in eo quod universitas hauriat, nec desit ibidem, quod affectio familiaris assumat. Nos igitur, specialis dilectionis tuæ prærogativa gaudentes, tanto securius tibi preces effundimus, quanto ex tuæ celsitudinis litteris, nostro nuper apostolatui destinatis, purioris devotionis, quam ad nos habere dignosceris, argumenta tenemus. Sic autem, fili charissime, convenit, ut per bonorum præteritorum memoriam, quæ, tam a nobis quam prædecessoribus nostris, tibi ac progenitoribus tuis sunt affluenter exhibita, te ipsum excites ad majora, nec illa debellatrix virtutum, ingratitudo videlicet, ullum, quod absit! in te locum inveniat, quæ, cum malorum sit provocatrix, et exterminatrix meritorum, quocumque semel se ingerit, vix sine gravi detrimento recedit. Ex dictarum namque perpendimus serie litterarum, quod, licet Waldemarus, Slevicensis episcopus, pontificalis officii gravitate, ut in se regnum sacerdotio conveniret, contra claræ memoriæ *C.* (770) regem Danorum, fratrem tuum, cui juramento fidelitatis tenebatur astrictus, temere conjuravit, omniumque beneficiorum, quæ tam a te quam tuis progenitoribus copiose susceperat, impudenter oblitus, multa gravia contra honorem regium perpetravit, tu tamen tanquam rex clemens, et princeps catholicus, quique doles, quoties cogeris esse ferus, ob reverentiam summi regis, et salubrem admonitionem apostolicæ sedis, quantumcunque idem episcopus te ac tuum regnum offenderit, quantumcunque etiam id tibi grave, multis etiam impossibile videretur, nobis tamen pro liberatione ipsius exhortantibus et exorantibus incessanter, velociter etiam, omni deliberatione postposita, duxisti humiliter obsequendum nihil difficile reputans quod tibi duximus injungendum, firmam spem et fiduciam obtinens, quod circa utilitatem et profectum tuum tam diligenti sollicitudine vigilemus, quod ad præcavendum in posterum damna et incommoda universa, quæ pene universitas regni tui minatur tibi, ac metuit imminere, tale debeamus providere remedium, quod nequaquam super iis tibi deinceps sit dubitandum.

Nos igitur, plurimum acceptantes devotionis regiæ puritatem, ac cupientes tam saluti tuæ, quam tranquillitati regni tui, diligenti sollicitudine providere, de communi fratrum nostrorum consilio, dilectum filium, magistrum P... clericum nostrum, virum providum et discretum, ac suæ probitatis et honestatis intuitu nobis et fratribus nostris acceptum, ad tuam duximus præsentiam destinandum, celsitudinem regiam monentes, atque etiam exhortantes in Domino, quatenus, juxta preces et exhortationes nostras, memoratum episcopum absolutum et liberum eidem facias assignari, eidem nihilominus providens in securo conductu, ut usque ad dilectum in Christo filium nostrum *A* (771) Hungarorum regem illustrem, ab eodem valeat eidem episcopus sine cujusquam læsione deduci. Nos enim, extunc, auxiliante Deo, curabimus providere, quomodo secure ad nos valeat pervenire. Verum, quia tam longum iter perficere, vel apud nos per longum tempus manere, idem episcopus sine magnis non posset expensis, quas ipsum non credimus habere, de sui episcopatus redditibus tantum ei tribuat ex mandato nostro regia celsitudo quod, ad sedem apostolicam veniens, ac permanens apud ipsam, decenter et honeste se ac suos valeat procurare. Ad hoc, paci ac tranquillitati tuæ paterna volentes sollicitudine præcavere, dicto magistro dedimus in mandatis, ut, convocatis magnatibus regni tui, tam ecclesiasticis quam mundanis, candelis exstinctis, et pulsatis campanis, excommunicationem solemnem auctoritate nostra promulget in eum, vel eos, qui te, vel regnum tuum, *propter auxilium vel favorem episcopi memorati, contra mandatum apostolicum, præsumerent molestare, recipiens ab eodem episcopo corporale coram omnibus juramentum, quod ipse, nec per se, nec per alium, te, vel regnum tuum* (772), vel aliquos de tuo regno, propter hujusmodi causam ausu temerario infestabit quodque fideliter ad apostolicam sedem accedet, ipsius mandatum humiliter recepturus. Super eo vero, quod dilectus filius... et nuntii apud nos multipliciter instbuilerunt, ut in locum prædicti episcopi faceremus dilectum filium... electum, per apostolicæ dispensationis gratiam subrogari, noverit regalis prudentia, quod petitionem hujusmodi non potuimus adimplere, cum sanctorum Patrum canonicæ sanctiones expresse prohibeant, ne quis locum viventis usurpet, antequam idem ab eo

(769) Epistolam hanc integram vulgavit Raynaldus, ad annum 1296; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(770) Apud Raynaldum deest.

(771) Apud Raynaldum deest.

(772) Apud Raynaldum desunt.

canonica fuerit censura remotus. Cum autem idem A episcopus ad præsentiam nostram pervenerit, quia tunc intelligi poterit suæ redditus libertati, nos de iis quæ pertinuerint ad cautelam, nihil, auctore Domino, super hoc negotio dimittemus. In fine autem, tuam celsitudinem monemus, atque etiam rogamus, quatenus dictum magistrum sic decenter recipias et honeste pertractes ut exinde non immerito tua valeat magnificentia commendari.

Datum, XIII Kalendas Februarii.

### CXCIV.

LUNDENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ut visitet provinciam Lundensem et corrigenda corrigat.*

(XV Kal. Februarii.)

Quia saculo senescentes, etc., *sicut in ea, quæ* B *scribitur supra, eodem libro.... archiepiscopo Senonensi* (775).

### CXCV (774).

EIDEM.

*Respondet ipsius consultationi super casu quodam matrimoniali.*

(II Id. Januarii.)

[ Ex parte tua *nostris* est *auribus* intimatum, quod, cum quædam mulier, *diœcesana tua*, velum viduitatis coram duobus abbatibus assumpisset, benedictione solemni cum celebratione missæ, ac litania, sicut debuit, accedente, *postmodum* quidam nobilis, *qui sex mensibus ante proponebatur* (775), mulierem *eamdem*, mediantibus internuntiis, per verba de præsenti, arrha etiam interposita, desponsasse,] audito quod mulier ipsa velum assumpserat, misit C ad eam, ut desponsationem factam carnalis copula sequeretur. Tu vero, postquam fuit ad tuam audientiam res perlata, inhibere curasti, ne ante discussionem negotii se carnaliter commiscerent. Postmodum autem, a muliere ipsa, in tua præsentia constituta, quæsisti, utrum consensisset in illum, et quare ab illo quæreret seperari? [At illa, se in illum consensisse confessa, dixit quod audiverat, eum esse lepra percussum, et ob hoc ejus fuerat abominata complexus.] Cum autem postmodum per testes idoneos tibi fuerit plenior facta fides, quod, ante susceptionem veli, mutuus intervenerat inter ipsos per verba de præsenti consensus, sedem duxisti apostolicam consulendam, utrum veli susceptio impediat matrimonium inter ipsos? [Nos D autem *fraternitati* (776) tuæ taliter respondemus, quod, etsi possit non inconsulte videri, quod, ex quo matrimonium inter personas legitimas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus, in nullo possit casu dissolvi, ut, vivente reliquo, alter ad secunda vota transmigret, etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum conjugium, fieret hæreticus, et nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris, nisi forte secus fieret ex revelatione divinæ, quæ superat omnem legem, sicut a quibusdam sanctis legitur esse factum; nos tamen, nolentes a prædecessorum nostrorum vestigiis *in hoc articulo subito* declinare, qui respondere consulti, *quod*, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, *licet* (777) alteri conjugum, reliquo *etiam* inconsulto, ad religionem transire, ita, quod reliquus extunc legitime poterit alteri copulari; hoc ipsum tibi consulimus observandum in articulo prænotato, quamvis falsa sit causa, *propter* quam ad susceptionem prædicta mulier est inducta, cum sine qualibet tali causa, id ipsum religionis obtentu facere potuisset. Porro, licet prædicta mulier videatur in veli susceptione religionis habitum assumpsisse, si tamen velit in domo propria permanere, quasi propositum castitatis in sæculo servatura, nihilominus consummandum est *conjugium* jam contractum, nisi te voto *constrinxerit* (778) ad observantiam regularem, in quo casu compelli potest, ut, relicto sæculo, religionis propositum exsequatur.]

Datum II Idus Januarii.

### CXCVI.

EIDEM.

*Confirmat quasdam institutiones ab ipso factas.*

(XIV Kal. Februarii.)

Benedictus Deus, a quo bona cuncta procedunt, sui, sicut scientiam, sic et zelum tibi dignatus est impertiri, ut, tanquam vir providus et honestus, ad ea dirigas aciem tuæ mentis, quæ sanctam illustrant Ecclesiam, et eam faciunt inter mundi tenebras radiare. In nostra sane præsentia, quarumdum institutionum tenor, quas ad propagandum decorem ecclesiasticæ honestatis fecisse dignosceris, existitit recitatus, in quibus, juxta diversitatem locorum et morum; multa, sicut speratur, indigenis salubria statuisti. Licet autem ex parte tua nobis fuerit humiliter supplicatum, ut institutiones illas confirmationis apostolicæ dignaremur munimine roborare, ne tamen per confirmationem hujusmodi jus commune statuere videremur, eas non duximus ad cautelam specialiter confirmandas. Verum, quoniam ex instituentis prudentia institutorum præsumimus honestam, volumus et mandamus, ut ea, quæ per te provida sunt deliberatione statuta, facias auctoritate nostra in provincia tua inviolabiliter observari.

Datum, XIV Kalendas Februarii.

---

(773) Vide epistolam hujusce libri VIII 52.

(774) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib III, tit. 52, *De conversione conjugatorum*, cap. 14, ubi archiepiscopo Lugdunensi directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; quæ italico charactere distinguuntur desunt in Decretal., vel lectorem ad varias lectiones, revocant.

(775) Decretal legunt *proponebat se prius*, et infra *ipsam* pro, *eamdem*.

(776) Decretal., *inquisitioni*.

(777) Decretal., *licere* et infra *per* pro *propter*.

(778) Decretal *matrimonium* et mox *astrinxerit* pro *constrinxerit*.

CXCVII.

EIDEM

*Ut in civitate quam ad cultum fidei redegerit, episcopum ordinare possit.*

(Idibus Januarii.)

Cum, de Christiani nominis injuria vindicanda juste ac pie cogitans, ex religioso mentis proposito contra paganos decreveris profisci, auctoritate tibi præsentium indulgemus,ut in civitate,quam,paganorum eliminata spurcitia,Christo juvante, poteris ad cultum fidei christianæ redigere,catholicum valeas episcopum ordinare. Nulli ergo, etc.

Datum Idibus Januarii.

CXCVIII.

EIDEM.

*Ut institutio ab ipso super statu monachorum nigri ordinis facta observetur.*

(xv Kal. Februarii.)

Gratum gerimus et acceptum, ac fraternitatem tuam digna gratiarum prosequimur actione, quod, sicut vir providus et honestus,ad ea diligenti sollicitudine aciem tuæ considerationis extendis, per quæ valeat in domo Domini sacra religio propagari. Ex tuarum sane perpendimus serie litterarum, quod, cum, ex injuncto tibi provisionis officio,ecclesias regni Daciæ visitares, prospiciens statum monachorum nigri ordinis in pluribus vacillare, quod præsertim ex diversarum regionum diversis consuetudinibus contingebat, ordinem ad uniformitatem reducere studuisti. Verum, quoniam sine capite,quantumlibet tenax disciplina resolvitur, et gregis sinceritas dissipatur,ad preces prælatorum ejusdem ordinis, eis deliberatione provida concessisti,ut in certo loco certum sibi rectorem eligerent, qui utilitati totius ordinis et saluti consuleret, cuetiam omnes,tam monachi quam abbates nigri ori dinis,universaliter obedirent.Cum igitur universitas capituli generalis monasteriorum omnium abbatum Lunden.locum ad conveniendum elegerint,et ejusdem abbatem cœnobii sibi præfecerint in rectorem, ad communem petitionem ipsorum,quod ab eis super hoc factum fuerat confirmasti, a nobis humiliter postulans et devote,ut dignaremur idem apostolico munimine et devote,ut dignaremur idem apostolico munimine roborare. Licet autem,tum propter Ecclesiæ honestatem, tum propter supplices preces tuas,quas ex sincera intentione procedere novimus, quod provide factum est, in hac parte velimus firmiter observari, quia tamen in talibus institutis aliqua de novo consueverint emergere,quæ suadere possent aliquid immutandum,volumus et mandamus, ut institutio memorata usque ad quadriennium inviolabiliter observetur, infra quod spatium, nisi appareat aliquid,quod eam suadeat immutandam, extunc auctoritate apostolica secure poterit confirmari.

Datum xv Kalendas Februarii.

CXCIX (779).

........ ABBATI DE BARDESLERA (780), ET..... PRIORI SANCTI SEPULCHRI,ET..... DECANO WIGORNIENSIS DIOECESEOS.

*Ut in causa, (quæ inter R. rectorem ecclesiæ S. Saldati ab una, et Thomam rectorem capellæ S. Joannis de Glovernia ab altera parte, vertebatur) procedatur, nisi acta fuerit effectus familiaris judicis.*

(vi Kal. Februarii.

[Insinuante *dilecto filio* R.rectore ecclesiæ Sancti *Aldati* (781), ad audientiam *apostolatus nostri* pervenit,quod,cum olim causam, quæ super jure *parochiali* inter ipsum, et *Thomam, rectorem capellæ Sanctæ Joannis de Glovernia, Wigorniensi diæceseos* (702), vertebatur, *venerabili fratri nostro..... Wigorniensi* episcopo (783), et conjudicibus ejus, a nobis obtinuerit delegari, postmodum, licet in eadem fuerit quæstione processum, tractu temporis,*antequam ad* (784) definitivæ sententiæ calculum *veniretur*,idem episcopus præfatum R.in suum familiarem admisit, sine quo *reliqui duo judices* (785), secundum quod in nostris litteris mandabatur, in causa procedere non valebant, et alter ipsorum (786) officialis est episcopi supradicti ; propter quod adversæ parti poterat suspectus haberi. Unde, cum *ex causa hujusmodi*,tam episcopus quam officialis prædictus,utpote quos idem R. in judices postularat, et ipse familiaris eorum postmodum est effectus,ab adversa parte possent merito recusari, decisionem ipsius causæ, vestræ petiit discretioni commtti. Quocirca, *discretioni vestræ per apostolica scripta* mandamus, quatenus si ita est, nisi, postquam familiaris ejus effectus est,litigare consenserit coram illo,in causa ipsa secundum priorum continentiam litterarum,ratione prævia,*remoto appellationis obstaculo*, procedere non tardetis. Alioquin, partes ad priorum judicum reducatis examen.] Quod si non omnes duo vestrum, etc.

Datum, vi Kalendas Februarii.

---

(779) Epistola hæc reperitur inter Decretales,lib. I, tit. 29, *De officio et potestate judicis delegati*, cap. 25 ; ubi abbati de Bordellis (vid. not.seq )et priori S. Sepulchri directa dicitur. Quæ Italico charactere distinguuntur varias lectiones indigitant vel desunt in Decretal.

(780) Sic scriptum videtur in apographo Conti. Verum, veremur ne legendum sit *de Bordesleja*. Hic enim agi videtur de abbate monasterii Bordeslejensis, Cistercien. ordin. quod quidem in agro Wigorniensi fundatum est a Mathilde,imperatrice, Henrici regis filia,anno 1138.Vid. *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 803.

(781) Decretal., *Saldati*, et mox *nostrum*, *pro ap. n.*

(782) Decretal. *T. pro Thomam.... diæces.*

(783) Decretal. *Vigori.* Vide epistolam libri v, 23, not.

(784) Decretal. *ante* pro *a. a.*

(785) Decretal., *alii conjudices*, pro *rel. d. jud.*

(786) Decretal. Add. *conjudices.*

CC (787).

..... VERCELLENSI EPISCOPO (788), ..... ABBATI DE TILETO (789), ETC..... PRESBYTERO ALBERTO MANTUANO.

*Qualiter et quomodo procedere debuerint adversus Novariensem, et Yporiensem episcopos. Agitur etiam de cessione episcoporum Astensis et Veronensis.*

(IV Kal. Februarii.)

« (790) [(791) Qualiter et quando] debeat præ-
« latus procedere ad inquirendum et puniendum
« subditorum excessus, ex auctoritatibus Novi et
« Veteris Testamenti colligitur evidenter, ex quibus
« super hoc postea processerunt canonicæ san-
« ctiones. Legitur enim in Evangelio, quod villicus
« ille, qui diffamatus erat apud dominum suum,
« quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo :
« *Quid hæc audio de te? redde rationem villicationis*
« *tuæ, jam enim non poteris villicare* (*Luc.* XVI). Et
« in Genesi, Dominus ait : *Descendam et videbo,*
« *utrum clamorem qui venit ad me opere comple-*
« *verint* (*Gen.* XVIII). Ex quibus auctoritatibus ma-
« nifeste probatur, quod non solum cum subditus,
« verum etiam cum prælatus excedit, si per cla-
« morem et famam ejus excessus ad aures superioris
« pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis,
« sed a providis et honestis, nec semel tantum, sed
« sæpe, quod clamor innuit, et diffamatio mani-
« festat, debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem
« diligentius perscrutari, ut, si rei poposcerit qua-
« litas, canonica districtio culpam feriat delin-
« quentis, non tamen idem sit actor et judex, sed,
« quasi deferente fama, vel denuntiante clamore,
« officii sui debitum exsequatur. Licet autem hoc
« sit diligenter observandum in subditis, diligentius
« tamen observandum est in prælatis, qui quasi
« signum sunt positi ad sagittam, et, quia non pos-
« sunt omnibus complacere, cum ex officio tenean-

A « tur non solum arguere, sed etiam increpare (792), » (793) quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, et insidias patiuntur; et ideo sancti patres provide statuerunt ut accusatio prælatorum non facile admittatur, ne, concussis columnis, corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed et malignæ criminationis janua præcludatur. Verum, ita voluerunt providere prælatis, ne criminarentur injuste, ut tamen caverent ne delinquerent insolenter, contra utrumque morbum invenientes congruam medicinam, ut videlicet accusatio criminalis, quæ ad diminutionem capitis, id est ad degradationem intenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur;
B sed, cum super excessibus suis quisquam fuerit diffamatus, ut in tantum jam clamor ascenderit, quod diutius sine scandalo dissimulari non possit, nec sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum et puniendum ejus excessus, non ex odii fomite, sed ex charitatis procedatur affectu, quatenus, si gravis fuerit excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino, quod est secundum sententiam evangelicam, a villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. Hunc igitur ordinem, [si circa venerabilem fratrem nostrum... Novariensem (794) *episcopum*, (794*) observastis, *intentionem et* discretionem vestram in Domino commendamus. Si vero qualibet occasione prætermisistis eumdem, *ne levi compendio ad grave*
C *dispendium* veniatur, adhuc ipsum ordinem tempore opportuno volumus observari, ne inde nascantur injuriæ, unde jura nascuntur ; *et ideo, devotionem vestram rogamus attentius et monemus, obsecrantes in Christo Jesu, qui venturus est judicare vivos et mortuos* (795), quatenus, ad conscientiæ vestræ ju-

(787) Epistolæ hujus fragmentum reperitur inter Decretales, lib. V, tit. 1, *De accusationibus, inquisitionibus et denuntiationibus*, cap, 17, ubi *episcopo Vercellensi et abbati de Tileto* directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt ; variæ lectiones dantur.

Diversa ejusdem fragmenta exhibet Ughellus, *Ital. sacr.* tom. IV, col. 532 *et* 1497 Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ virgula, ad marginem apposita, distinximus.

(788) Vide epistolam libri octavi 178, not.

(789) Erat is, verisimiliter, Gerardus Sessius, ex Rhegio Lombardiæ, quem, ex canonico primum Parmensi, postea monacho Cisterciensi, tum et abbate S. Mariæ de Tileto, Aquensis diœceseos, Petro episcopo Novariensi (de quo mox), anno 1210 defuncto, ad episcopalem Novariensium sedem ipse evectus est. Vid. UGHEL. *Ital. sacr.* tom. IV, col. 969.

(790) Vide Ughellum, *Ital. sacr.* tom. IV, col. 532.

(791) Hæc apud Ughellum.

(792) Huc usque Ughellus.

(793) Quæ sequuntur, non reperiuntur apud UGHELLUM, loc. cit. in not.

(794) Conferenda hæc omnino cum iis quæ ab Ughello referuntur, *Ital. sacr.* tom. IV, col. 968 et sqq.

« LVI. Petrus, ex Cathedralis canonico, Novariensem emersit ad sedem ; cujus electionis meminit Innocentius PP. III, in epistola ad episcopum Laudensem. itemque in altera ad canonicos Novarienses, quæ compendiario relata conspicitur in cap. *Causa*, de senten. et re judic. »

(Vide, apud Baluzium, epist. libri primi 451 ; in Decretalibus vero, lib. II, tit. 27, *De sententia et re judicata*, cap. 14.)

Pergit Ughellus, *loc. cit.*

D « Cæterum Petrus aliquando, pro ecclesiastica jurisdictione tuenda, a propria exsulavit sede, ut in suis ad capitulum Novariense Innocentius PP. III memorat litteris, scriptis anno 1200, quæ stant in Regesto Vaticano, lib. III, epist. 6. »

(Vide epistolam libri tertii 7.)

Rursus Ughellus, *loc. cit.*

« Aliquot deinde bona fiduciario jure attribuit (Petrus) Jacobo aliisque de Momo, anno 1202. Quatuordecim annos Novariensem administravit Ecclesiam, fatoque cessit anno 1210. »

(794*) Decretal. add. *inquisitionis ordinem*, et mox omittunt verba *ne... dispendium*.

(795) Decretal. pro *et ideo... mortuos* habent tantum, *ideoque mandamus*, et mox omittunt vocem *forte*.

dicium recurrentes, si *forte* contra præscriptum ordinem tanquam homines excessistis, non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut aliorum corrigatis errores, quoniam apud *districtissimum*(796) judicem in qua *emensi* fueritis, remetietur et vobis; ita videlicet, ut inveniatis occasionem aliquam congruentem, per quam, ne vestra vilescat auctoritas, quanto cautius et prudentius potueritis supersedeatis ad præsens, quoniam, ex iis quæ inordinate sunt acta, non potest ordinabiliter agi. Si vero præscriptum ordinem custodistis, *volumus et mandamus, quatenus*, omni gratia et timore postpositis, Deum solum habentes præ oculis, via regia incedentes, sine personarum acceptione, in *hoc* negotio procedatis, *juxta formam quam vobis in aliis litteris duximus exprimendam, nec timeatis aliquem hominem contra Deum, sed Deum potius supra omnem hominem metuatis.* Formam vero juramenti, quam a clericis Novariensibus super inquisitione facienda in hoc negotio recepistis, iu similibus volumus observari ut videlicet jurent clerici, quod super his, quæ sciunt vel *credunt* (796*) in sua ecclesia reformanda, tam in capite quam in membris, exceptis occultis criminibus) meram et plenam dicant inquisitoribus veritatem.] «(797) De Yporiensi autem episcopo(797*), « vobis rescribendo, mandamus, quatenus eum « ad resignationem episcopatus, cum sit insufficiens « et inutilis, efficacius inducatis, et, si cedere « sponte noluerit, quia probati sunt ejus excessus « super dilapidatione et simonia, vos eum, sublato « cujuslibet contradictionis et appellationis obsta- « culo, ab administratione Yporiensis ecclesiæ de- « ponatis: facientes eidem ecclesiæ de persona « idonea salubriter provideri, contradictores, si « qui fuerint, per censuram ecclesiasticam compe- « scentes. (798) Cessionem autem Astensis (799) epi- « scopi, non solum ratam, sed et gratam habemus, « provisionem tamen, quam ei de bonis Fructua- « riensis monasterii, si nobis placeret, facere de- « crevistis, nobis noveritis non placere, tum quia, « sicut accepimus, ex ea idem monasterium grave « nimis incurreret detrimentum, tum quia idem epi- « scopus bona illa destrueret, sicut alia jam destru- « xit, cum sit dilapidator notissimus, et prodigus « dissipator. Sustinemus tamen, pro vitando scan- « dalo propinquorum, qui sunt nobiles et potentes, « ut ei annuas pensiones, non quidem superfluas, « sed solummodo necessarias, in diversis ecclesiis, « sine ipsarum gravamine, assignetis, qualenus, ma- « nens apud aliquod monasterium, cum sit mona- « chus, ad honestæ vitæ sustentationem expendat. « (800) Ad hæc, noverit vestra devotio, quod Vero- « nensis episcopus sæpe nobis pro cedendi licentia « supplicavit (801). Unde, cum ad visitandam Vero- « nensem Ecclesiam accesseritis, si videris expe- « dire, cedendi sibi licentiam auctoritate apostolica « concedatis facientes, eidem ecclesiæ personam « idoneam præfici salubriter in pastorem. Constitu- « tiones vero, quas ad correctionem excessum et « reformationem morum, vos non tam fecisse quam « innovasse cognovimus, approbamus, volentes, ut « eas faciatis a clericis laudabiliter observari, præ- « cipientes ex parte nostra prælatis, ut laicis con- « querentibus plenam faciant justitiam exhibere, non « obstantibus appellationibus frustratoriis, quas in « eorum gravamen clerici frequenter opponunt, ne, « pro defectu justitiæ, clerici trahantur a laicis ad « judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus, « et vos, ne fiat, omnimodis satagatis. Cæterum, « adversus hæreticorum fallacias sollicitudinem ve- « stram volumus vigilare, monentes et obsecrantes « in Domino, quatenus ad exstirpandum de agro

(796) Decretal., *districtum... mensura mensi*, et mox voculam *et* omittunt, ut infra verba Italico charactere distincta.

(796*) Decretal. add. *esse*.

(797) Vide Ughellnm, *Ital. sacr.* tom. IV, col. 1497.

(797*) « Bernardus, monachus S. Benedicti, ad hanc (Yporiæ, *al.* Eporediæ) sedem non bonis artibus pervenit anno 1204, pauloque post, hoc est anno 1205 (id est 1206), auctoritate Innocentii PP. III, episcopatu mulctatus est; de quo hæc scribit Innocentius, epist. 4, lib. VI (*leg.* epist. 200 lib. VIII), sui Regesti, Vercellensi episcopo, abbatique de Tileto, et Alberto presbytero Mantuano, ut eum compellant ad resignationem. De Yporiensi autem, etc... »

(798) Quæ sequuntur, usque ad finem leguntur etiam apud Ughellum, *ibid. col.* 553 et 554.

(799) De isto, hæc apud Ughellum, *Ital. sacr.* t. IV, col. 532.

« Bonifacius, monachus antea S. Benedicti, defuncto Nazario, fit Astensis episcopus. Hic Willelmo marchioni Cevæ vendidit Licinium, et S. Michaelem, anno 1198, et postero investivit Commune Astense de Masio, Rupe, Insula, et de quarta parte terræ, et de Azano. Anno vero 1202, dedit ecclesiam S. Andreæ de Valfeneria canonicis S. Petri de Cuzano. Sed, cum plura alia loca ac jura suæ ecclesiæ in grave ejus præjudicium alienasset, re ad Innocentium delata, ipse volens nolensve episcopatui cessit. Qua de re certior factus Innocentius, Vercellensi episcopo et abbati de Tilieto, ordinis Cisterciensis ita scripsit, ex regesto Vaticano: Qualiter et quando, etc. »

Vide ad initium hujusce epistolæ, not. Pergit Ughellus:

« His acceptis litteris, Gerardus abbas de Tillieto, alter ex Deputatis, congruam portionem ex episcopalibus redditibus monasterio SS. Philippi et Jacobi, ordinis Vallis umbrosæ apud Astam, in quod Bonifacius se receperat, pro illius sustentatione assignavit, librarum sex Astensium in Kalendis Augusti quandiu viveret, persolvendarum. Per quod tempus, nullus illi suffectus fuit; sed in administratorem episcopatus, Rebufus, ejusdem ecclesiæ canonicus, constitutus anno 1206; quo Valla, de Castelletta Astensi, ex præposito S. Secundi Astensis in Savonensem episcopum deligitur. Cujus obitus sub XVIII Kal. Sept. in Necrologio Cathedralis cernitur notatus.

« Guidottus seu Guidettus, defuncto inter monachos Bonifacio, substitutus. De eo primo habemus, quod anno 1210, etc. »

(800) Huc usque Ughellus, tom. IV, col. 1497. Quæ sequuntur, prout jam diximus nota superiori, reperiuntur apud eumdem, *ibid.* col. 553 et 554.

(801) Conferenda hæc omnino cum iis quæ apud Ughellum referuntur (*Ital. sacr.* tom. V, col. 765. De Adelardo, episcopo Veronensi, et S. R. E. cardinali, vide epistolam libri tertii 39, not. Ipsum episcopatui nullatenus cessisse, ex instrumentis, an 1207, 1209 et 1211, emissis, compertum est.

« Dominico lolium hæreticæ pravitatis prudenter et « efficaciter intendatis. »

« Datum, IV Kalendas Februarii. »

CCI (802)

..... WIGORNIENSI EPISCOPO (803).

*Quod, excepto die Nativitatis Dominicæ, sufficit sacerdoti unam missam celebrare.*

(Romæ, VII Kal. Februarii.)

(*Consuluisti nos utrum presbyter duas missas in eadem die valeat celebrare ? Super quo tibi duximus respondendum* (804) quod, excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitas suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare. )

Datum, VII Kalendas Februarii.

CCII (805).

.... DECANO SANCTI THOMÆ CRISPEJACENSIS (806), SILVANECTENSIS DIOECESEOS ET *Gerindo de Crech* (807). SUESSIONENSI, ET M. *Gir.* (al. *Gerardo*) DE SANCTO DIONYSIO NOVIONENSI, CANONICIS.

*Causam, inter episcopum Meldensem et abbatissam Jotrensem vertentem, ipsis committit.*

(Romæ, V Kal. Februarii.)

(Olim inter procuratores venerabilis fratri nostri ....Meldensis episcopi (808), et dilectæ in Christo filiæ... abbatissæ Jotrensis (809), lite in auditorio nostro legitime contestata, tam super obedientia quam dictus episcopus ab eadem abbatissa conquerebatur sibi esse subtractam in consecratione altarium, dedicatione ecclesiarum, velatione virginum, ordinatione clericorum, exhibitione procurationum, et pœnitentiis pro majoribus criminibus imponendis aut aliis quæ in monasterio et villa Jotrensibus Meldensis episcopus consueverat exercere, quam impedimento fori, super quo abbatissa conquerebatur per ipsum episcopus illatas sibi et monasterio suo graves injurias et jacturas, non examinationem hujus negotii, dilectis filiis... Longi-pontis (810), et... Sancti Justi (811) abbatibus, et magistro G. archidiacono Suessionensi, duximus committendam (812) qui, auditis confessionibus, receptis testibus, et allegationibus intellectis, causam ipsam sufficienter instructam, cum quorumdam instrumentorum rescriptis, ad nostram remiserunt examen, præfigentes partibus terminum, competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentarent. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, postquam de meritis causæ fuimus sufficienter instructi, de fratrum nostrorum consilio, restitutionem obedientiæ super præscriptis capitulis, salva quæstione proprietatis, adjudicavimus episcopo faciendam, illis duntaxat exceptis, super quibus in clero et populo Villæ Jotrensis asserebat obedientiam sibi fuisse subtractam, super quibus ab *impetitione* (813) episcopi, quoad judicium possessorium, absolvimus abbatissam, eumdem episcopum nihilominus absolventes super impedimento fori, de quo eum ad restitutionem damnorum impetierat abbatissa. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, prælibatam sententiam, per censuram ecclesiasticam, facientes firmiter observari, postquam idem episcopus fuerit restitutus, audiatis quæ super jure proprietatis proposita fuerint coram vobis, et causam, sufficienter examinatam, ad audientiam nostram fideliter remittatis, per nostræ definitionis sententiam terminandam. Si vero præfatus episcopus, infra mensem post factam sibi restitutionem, nollet coram vobis super petitorio respondere, vos, cum de contumacia punientes, abbatissam in possessionem libertatis super præscriptis capitulis reducatis. *Nullis litteris obstantibus præter assensum partium*, etc. (814) Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, V Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno octavo.)

CCIII (815).

...... TOLETANO ARCHIEPISCOPO, ET. .... EPISCOPO ZAMORENSI.

*Ut Castellæ et Legionensem reges Hierosolymitani hospitalis fratribus quædam oppida possessionesque restituere compellant.*

(V Kal. Februarii.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod, cum, procurante illo qui operibus pacis invidet, inter charissimos in Christo filios nostros. . . . Castellæ, et..... Legionensem reges illustres, belli seditio mota esset, ac multa fuerint hinc inde

(802) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. III, tit. 41, *De celebratione missarum, et sacramento Eucharirstiæ, et divinis officiis*, cap. 3.

(803) Vide epistolam libri quinti 23, not.

(804) In Decretal. *respondemus*, loco *consuluisti ....respond.*

(805) Epistolam hanc vulgavit Plessæus, *Hist. Meld. Eccl.* tom. II. pag. 96 instrum 215 ; ideoque hic uncis inclusa exhibetur : variæ lectiones dantur. De argumento, vide epistolam libri quinti 137.

(806) Petrus, decanus S. Thomæ *de* Crispeno, ab ipso fundationis anno 1182, usque ad annum saltem 1211 in idstrumentis legitur. *Gall Christ.* tom. IX, col. 1482.

(807) Apud Plessæum, *Germundo.*

(808) Vide epistolam libri octavi 188, not.

(809) Vide epistolam libri quinti 130, not.

(810) Galcherus, *de Ochies*, Longi-pontis abbas anno saltem 1201, usque ad annum 1217, notus est. *Gall. Christ*, tom. VIII, col. 475.

(811) Gervasius, natione Anglus, in Francia enutritus, ex priore S. Justi abbas septimus, cui Philippus, Bellovacensis episcopus, commisit regendum et administrandum Hospitale S. Justi, anno 1203, reperitur anno 1206 in chartis Selincurtis. Arbiter fuit anno 1207 inter episcopum Bellovacensem et capitulum. Inde abbas Thenolii, Præmonstrati, et episcopus Sagiensis. Notatur in Necrologio 19 Februarii. *Gall. Christ.* tom. VIII, col. 809. Vide etiam *Annal Præmonsrat.* tom. I, col. 943.

(812) Commissionem hanc exhibet Plesæus, *Hist. Melden., Eccles.*, tom. II, pag. 95, instrum, 213. ex Tabulario Ecclesiæ Meldensis. Ibi dicitur, *Dat. Romæ apud S. Petrum, Nonis Martii, pontificatus anno octavo.*

(813) Apud Plessæum, *impeditione.*

(824) Apud Pless. add. *Testes autem qui fuerint nominati*, etc...

(815) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, §.34.

hostiliter attentata, dilecti filii... prior, et fratres A hospitalis Hierosolymitani in Hispania constituti. confidentes in illo qui posuit fines suos pacem, et nihilominus de regnum ipsorum benignitate sperantes, qui, licet bellum moverent ad invicem, paupertatem suam non credebant esse illorum incursibus exponendam, castra sua et villas, in utriusque regni confinio constituta, non præmunierunt ut hostes, sed tu hospites repararunt. Rex vero Castellæ, præter fiduciam eorumdem, duo castra hospitalis ejusdem, videlicet Fraxin. et Paradinas, et tres villas, scilicet Taurisellam, Taraucam et Portam, sita in confinio regni sui, eis abstulit violenter, non rememorans, dum hæc ageret, quod periculosissimum sibi erat, invadendo jura servorum suorum, effici hostem Christi, dum contra faciem insurgeret inimici. B Licet autem, tu, frater archiepiscope, regem eumdem ad restitutionem eorum de mandato nostro monueris, nondum tamen in hoc acquiescere procuravit, unde prædicti fratres damnum se queruntur gravissimum incurrisse. Nos vero, quia saluti regis ipsius non expedit villas castra ipsa contra Deum taliter detinere, ipsum per litteras nostras monendum duximus et hortandum, ut ea conquerentibus, ut tenetur, restituere non postponat. Quocirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus quatenus, si rex ipse, quod non credimus, adimplere forte neglexerit quod mandamus, vos, quantumcunque nobis molestum existat eum in aliquo aggravare, quia tamen magis Deo deferre quam homini nos oportet, C ipsum ad id, sicut justum fuerit, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellatis; attentius provisuri, ut mandatum apostolicum taliter implere curetis, quod ex defectu vestro prædicti fratres dispendium non incurrant, et nos sollicitudinem vestram possimus non immerito commendare, qui non possemus non ferre moleste, si ad hoc exsequendum exhiberetis vos tepidos vel remissos. Quod si non ambo... alter, etc.

Datum v Kalendas Februarii.

## CCIV (816).

. . . . . . ABBATI (817), ET FRATRIBUS EVESHAMENSIS COENOBII.

*Causam, inter ipsum et episcopum Wigorniensem, super jurisdictione vertentem definit.*

[Ex ore sedentis in throno procedit gladius bis acutus, quoniam ex ore Romani pontificis, *qui præsidet apostolicæ sedi*, rectissima debet exire sententia, quæ contra justitiam nulli parcat, sed reddat quod suum est unicuique. Cum igitur inter vos, et *venerabilem fratrem nostrum*. . . . . . Wigorniensem episcopum (818), super monasterii vestri subjectione ac libertate controversia verteretur,] et nos eam examinandam commisissemus judicibus dele-B gatis, qui causam eamdem sufficienter instructam ad nostram præsentiam remiserunt, certum partibus terminum præfigentes, quo cum instrumentis et attestationibus nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in nostra præsentia per procuratores idoneos constitutis, audientiam præbuimus liberam et benignam. Et quidem, (monasterii vestri proposuit procurator, quod idem monasterium ab ipsa sui fundatione liberum exstitit et exemptum, ad hoc probandum privilegia prædecessorum nostrorum inducens, *duo videlicet* (819) Constantini, *unum Innocentii*, et alterum Alexandri, nec non indulgentias Clementis et Cœlestini, quorum usum continuum a longis retro temporibus per depositiones testium ostendere nitebatur.) In primo siquidem privilegio Constantini C continebatur expressum, quod sanctæ recordationis Egwinus (820), Wigorniensis episcopus, ad apostolicam sedem accedens, visionem quamdam, qua se beata Maria manifestavit eidem, præfato prædecessori nostro reverenter exposuit (821), et tunc temporis Anglorum Kenredus et Offa, cum quibus jam dictus episcopus apostolorum limina visitavit, in loco visionis ostensæ, de bonis suis plurima beneficia in præsentia ejusdem prædecessoris nostri regia liberalitate donarunt, quæ ipse auctoritate apostolica confirmavit (822), quatenus in eodem loco mo-

(816) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales, lib. v, tit. 33, *De privilegiis et excessibus privilegiatorum*, cap. 17. Quæ illic leguntur, hic D uncis inclusa sunt; quæ in Decretalibus non leguntur charactere Italico distinguimus.

(817) Adamo, ex monacho Cluniacensi de Charitate, abbati Eveshamensi, defuncto pridie Idus Novembris anno 1191, successit Rogerus *Norreys*, quondam Ecclesiæ Christi Cantuariensis monachus, qui, a nullo collegio requisitus vel assumptus, per regiam potestatem, ut utrusor, in Eveshamensem promotus est abbatem. Iste abbas monachus crudeliter oppressit, victum et vestitum ab eis pro magna parte subtraxit, redditus eorum et omnes obedientias fere sibi appropriavit, unde, propter suam tyrannidem et exordinationes, a domino Tusculanensi episcopo, tunc domini papæ in Anglia legato, depositus est et exabbas factus anno Domini 1229, *De abbatib. Evesbam.* ex antiquo codice his. in Bibliotb. Deuvesiana, in *Monastic. Anglic.* tom. I, pag. 151, col. 2, lin. 35.

(818) Vide epistolam libri quinti 23, not.

(819) Decretal., *unum.*

(820) De Egwino, tertio Wigerniensis Ecclesiæ antistite (qui ab anno 693 ad annum 717, sedisse dicitur, *Annal. Ecclesiæ Wigorn. apud Wharton. Angl. sacr.* part. I. pag. 370), vide Godwinum, *De Præsul. Angl.* pag. 448.

(821) De hac Egwini visione, a monachis, ut majorem fundatori et loco suo religionem conciliarent, ineptissime conficta, disserentem audias Whartonum in notis ad loc. cit.

(822) Dominationem istam, Kenredi, *Dei gratia regi Merciorum*, et Offæ, *divina permissione* Orientalium Anglorum *gubernatoris*, a Constantino, *Romanæ sedis episcopo, per hoc signnm † sanctæ crucis*, confirmatam, habes in *Nonastic Anglic.* tom. I, pag. 145. col. t. lin. 48.

nachorum congregatio, secundum beati Benedicti Regulam, quæ minus in illis partibus tunc vigebat, ad divini nominis constitueretur honorem; unde, præfatus pontifex Brithwaldo (823), Britanniarum primati, per apostolica scripta mandavit (824) ut, coadunato concilio, constitueret ovile (825), divinitus ostensum, apostolica auctoritate munitum, et regia liberalitate donatum sibi et successoribus suis, memorato Egwino episcopo assistente, curam animarum ejusdem ecclesiæ, præcipue injungendo ut ab omni pervasorum impulsu et tyrannorum incursu, potestate sibi tradita, defensaret; si quid vero sinistræ partis inibi comperitur oriri, ejusdem primatis auribus potius deferretur, quam per alicujus occultam sententiam locus sanctus depravaretur injuste. Ipsum ergo locum, quoniam antedicti reges libertate donarunt, et idem prædecessor noster apostolicæ sedis auctoritate donavit, ut nullus cujuscunque ordinis homo, quod ipse constituerat, depravare ac diminuere attentaret. [In secundo vero privilegio ejusdem Constantini papæ perspeximus contineri, quod ipse præfato primati per apostolica scripta mandavit, ut ecclesias Dei, per Britanniam constitutas, protegeret et foveret, inter quas eam, quæ nuperrime nunc a venerabili viro, Egwino episcopo, apostolica et regia auctoritate fuerat constituta, ditioni ejus præcipue submittebat, ut eam ab omni adversariorum impugnatione liberam in perpetuum reddere, procuraret, constituens, ut idem locus sub monarchia proprii abbatis ab omni tyrannica exactione sit liber, et nullus, cujuscunque ordinis, homo aliquid ibi gravamen inferre præsumat. Abbas autem, secundum auctoritatem canonicam, vel de ipso monasterio, vel de parochia Wictiorum, a fratribus eligatur, qui libere ac canonice, sine aliqua exactione, in eadem ecclesia benedictus, ob reverentiam venerabilis Egwini, qui, episcopali sede dimissa, in eodem monasterio factus est abbas, annulo in celebratione solummodo missarum utatur, primumque locum semper obtineat post præsulem Wictiorum. Ex horum ergo privilegiorum capitulis, monasterii vestri procurator nitebatur ostendere quod ipsum monasterium, a prima sui fundatione, ab omni episcopali jurisdictione fuit prorsus exemptum; tum, quia dicitur apostolica tantum et regia auctoritate constructum, unde, nonnisi ad apostolicam sedem in spiritualibus, et regiam coronam in temporalibus, intelligitur pertinere, cum summus pontifex non consueverit ali-

A quod monasterium ut sua construatur auctoritate mandare, nisi quod in fundo sibi donato fuerit construendum; tum, quia locum ipsum, quem reges donasse, dicuntur regia liberalitate, et ipse donavit, ut, sicut illi donaverunt eum libertate, quantum ad temporalia, sic et iste, quantum ad spiritualia, intelligatur libertate donasse, cum ad illos utique temporalia, et ad istum spiritualia pertinerent; tum etiam, quia curam animarum ejusdem ecclesiæ præcipue injunxit Britanniarum primati, quam et ditioni ejus præcipue dicitur submisisse, ut, si quid ibi oriretur sinistri, per ipsius corrigeretur industriam et cautelam, unde, videtur correctionem ipsius loci ei solummodo commisisse, sicque ad alium minime pertinere; tnm, quia præfatum locum sub

B monarchia proprii abbatis manere decrevit, unde, cum monarchia interpretetur unicus principatus, videtur, quod abbas ipsius loci solus in eodem loco principalem obtinet potestatem. Quod autem verba privilegiorum ipsorum intelligi debeant tali modo, sequentia privilegia manifestius declarare videtur: nam, in privilegium felicis memoriæ Innocentii continetur, ne aliquis episcopus in ipsa abbatia, vel capellis ipsius, synodum, vel capitulum, ordinationes, vel missas publicas, nisi invitatus abbate et fratribus ipsius loci, celebrare pæsumat, et cum abbas in eodem monasterio fuerit electus, absque omni exactione, a quocunque maluerit episcopo in ipsa benedicatur ecclesia, dummodo catholicus fuerit, et gratiam habeat apostolicæ sedis. Idem etiam Innocentius, Constantini vestigiis inhærendo, decrevit

C ut solummodo penes abbatem ipsius loci, totius domus ecclesiæ, aliorumque locorum ad eamdem ecclesiam pertinentium, pastoralis cura consistat, et eorumdem ordinatio in ipsius tantum potestate permaneat, sicut est hactenus observatum. In privilegio vero Alexandri papæ perspicitur contineri, ut chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum qui ad sacros fuerint ordines promovendi, a quocunque maluerint episcopo communionem et gratiam apostolicæ sedis habente fratres ipsius loci suscipiat, statuto, ut Wigornienses episcopi aliquid ab eis injuste non exigant sed iis tantum contenti permaneant, quæ antecessores eorum antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse. In fine vero subjungitur: Ut salva sit

D apostolicæ sedis auctoritas, nec dicitur: Quod diœcesani episcopi canonica sit salva justitia, cum in monasteriis non exemptis, secundum approbatam

(823) Annos fere duos post obitum Theodori, Cantuariensis præsulis, qui e vivis excesserat die 19 Septembris anno 698, vacavit sedes, cui tum præfectus fuit Brihtwaldus, sive Berechwaldus, monachus primum Glastoniensi, deinde abbas Regulbiensis; vir, inquit Beda, scientia Scripturarum imbutus, et ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe imbutus. Archiepiscoporum nullus sedem Cantuariensem tam diu tenuit. Præfuit nempe sex menses ultra annos 38. *Godwinde Præsul. Angl.* pag. 43.

(824) Epistolam hanc exhibent auctores *Monast. Angl. ibid.* pag. 144, col. 2, lin. 22, ex autographo, Saxonico charactere scripto in Bibliotheca Arundeliana.

(825) « Commenta de visione B. Mariæ virginis, circa imaginem suam in ecclesia Eveshamensi collocandam, de confirmatione Constantini PP. et litteris ejusdem argumenti, de synodo Londinensi Brithwaldi (*al.* Bertwaldi) archiepiscopi, et stabilito in eadem imaginum cultu, si falsa esse probare contenderem, tempus inutiliter tererem. » WARTHON. not. ad loc. cit.

Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, diœcesano epi- A scopo canonica justitia conservetur. In indulgentiis autem bonæ memoriæ Clementis et Cœlestini patenter innuitur, quod idem cœnobium ad jurisdictionem beati Petri nullo pertineat mediante, cum hoc in prooemio præmittentes, sic inferant consequenter. Hac itaque ratione inducti, usum chirothecarum et annuli, dalmaticæ, tunicæ, sandaliorum et mitræ tibi duximus concedendum. Per id ergo, quod pastoralis cura totius domus et ecclesiæ penes abbatem solummodo decertur permanere, illud dilucidatur ab Innocentio, quod fuerat a Constantino statutum, ut videlicet idem locus sub monarchia proprii abbatis liber existat; unde, cum pastoralis cura totius domus et ecclesiæ penes abbatem solummodo debeat permanere, patet profecto quod episcopus pa- B storalem ibi curam exercere non debet, cum et abbas illius loci, absque omni exactione, infra suam eclesiam debeat benedici. Unde, nec professio, nec obedientia debet ab illo requiri. Quia vero quædam ad pastoralem sollicitudinem pertinentia, per se ipsum abbas exercere non potest, ut nihil ei desit quod pertineat ad plenitudinem libertatis, conceditur illi ab Alexandro, ut ecclesiastica sacramenta libere percipiat a quocunque maluerit episcopo, communionem et gratiam apostolicæ sedis habente. Per id autem, quod idem locus asseritur ad jurisdictionem beati Petri solummodo pertinere, sicut innuitur in Indulgentiis Clementis et Cœlestini, videtur illud manifestius declaratum, quod Constantinus papa locum ipsum dicitur libertate donasse, tutelam ejusdem Britanniarum primati, tunquam suo C vicario, vel legato, committens [Porro, in privilegio Constantini quiddam contineri perspicitur, per quod idem cœnobium videtur ad jurisdictionem episcopi pertinere, videlicet, quod abbas ejusdem primum locum post *Wictiorum* (826) præsulem semper obtineat; unde, cum locum istum obtinere non possit in generali concilio, neque provinciali, quoniam absonum esset, ut abbas primus post illum super alios episcopos resideret, relinquitur ergo, quod locum istum in episcopali synodo intelligatur habere, quare tenetur ad synodum episcopalem accedere, ac per hoc, ipsius statuta recipere ac servare. In privilegio vero Alexandri papæ quiddam aliud continetur per quod diœcesanus episcopus in eodem cœnobio jurisdictionem suam, etsi non omnibus, in qui- D busdam tamen, retinuisse videtur, cum in illo dicatur, ut Wigornienses episcopi a fratribus ejusdem loci aliquid injuste non exigant, sed iis tantum contenti permaneant, quæ prædecessores eorum antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse; unde constat quod abbates episcopis aliquas de suis rationibus exhibere tenentur. Nos igitur, his et aliis diligenter auditis, et perspicaciter intellectis, cum a neutra parte *per testes* præscriptio sit probata, *de communi fratrum nostrorum consilio* sententialiter definimus, quod Eveshamense cœnobium liberum est in capite tanquam ab episcopali jurisdictione prorsus exemptum, soli Romano pontifici et Ecclesiæ Romanæ subjectum, tutela tamen ipsius Cantuariensi archiepiscopo reservata. In membris autem, *videlicet illis*, quæ non probantur exempta, diœcesano episcopo ipsum decernimus subjacere, propter quod abbas ad synodum ejus debet accedere, primumque locum post Wigorniensem episcopum obtinere. Pro ipsis quoque membris, ut diximus, non exemptis, idem abbas tenetur Wigorniensi episcopo exhibere reverentiam, obsequium et honorem, quibus Wigorniensis episcopus, sibi competenter exhibitis, debet remanere contentus.] Quia vero privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur libertate, volumus et mandamus ut, quanto liberiores estis a servitiis sæcularibus, tanto vos arctius mancipetis divinæ per omnia servituti. Decerminus ergo..... nostræ definitionis, etc.

Datum, xv Kalendas Februarii.

## CCV (827).

.....ELIENSI (828), ET..... ROFFENSI (829) EPISCOPIS;

(III Non. Februarii.)

*Et magistro B. Londoniensi.*

*De eodem argumento ac in epistola* 204.

[Auditis et intellectis *attestationibus, instrumentis et allegationibus, in causa* (830) quæ vertitur inter *venerabilem fratrem nostrum.* .... Wigorniensem episcopum (731), dilectum filium, *Eveshmensem* (832) abbatem (833) super ecclesiis in Valle de *Evesham constitutis*, quas episcopus asserit ad se diœcesana lege spectare, abbas autem eas esse ab ejus jurisdictione prorsus exemptas,) cognovimus evidenter, ecclesias illas per privilegia pontificum Romanorum non esse ab episcopali jurisdictione subtractas, nisi forte vallis de Evesham sit ille locus, quem, a duobus regibus, Kenredo videlicet et Offa, liberalitate donatum, bonæ memoriæ Constantinus papa libertate donavit (834), sicut in ipsius privilegio continetur. (Verum, tanto tempore probantur per testes ab abbatibus *Eveshamensibus* pleno jure possessæ, ut videantur in eis jus episcopale legitime præscripsisse,) nisi forte per tantum

(826) Decretal. *Wigoriensem.*

(827) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales, lib. II, tit 26, *De præscriptionibus*, cap. 15, ubi Eliensi et Roffensi episcopis tantummodo directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; verba Italico charactere distincta desunt in Decretal. vel lectiones varias indicant. Vide notas ad epistolam proximo superiorem 204.

(828) Vide epistolam libri quinti 54.

(829) Vide epistolam libri octavi 154, not.

(830) In Decretal. *meritis causæ.*

(831) Vide epistolam libri quinti 23, not.

(832) Decretal. *de Hevescham*, hic et infra.

(833) Vide epistolam libri octavi 204, not.

(834) Locum ipsum, revera, non peculiari nomine designat Constantinus in privilegio jam cit. (*Vid. not. ad Epistol. prox. super*) cum his tantum verbis utatur pontifex: *In loco ostensæ visianis plurima de suis beneficiis in præsentia nostra regia liberalitate donat...*

temporis Wigorniensis ecclesia interim vacavisset, ut, tempore vacationis subducto, præscriptio minime sit completa. Licet autem utrinque sit in causa conclusum, quia tamen utraque pars necessariam, ut asserit, probationem omisit, nos, attendentes quod utraque ecclesia fungitur vice minoris, æquitate pensata, utramque restituimus contra reliquam ad probandum rationem omissam, ne alterutra propter hujusmodi negligentiam gravi jactura læda tur. [Quocirca, *discretioni vestræ per apostolica scripta* mandamus quatenus, inspectis *prædictorum regum* (835), quæ abbas super *prædicta* libertate asserit se habere, si per illa constiterit, quod vallis de *Evesham* sit ille locus quem præfatus (836) prædecessor noster libertate donavit, absolvatis *Eveshamensem* abbatem ab impetitione *Wigorniensis* episcopi super ecclesiis memoratis, et, adjudicantes illas abbati pleno jure subjectas, episcopo super illis *perpetuum* silentium imponatis. Quod si abbas in hac probatione defecerit, audiatis probationes super tempore, quo *infra* (837) quadraginta annos sedes episcopalis vacavit, et, si per tantum temporis vacasse constiterit (838) ut, illo subducto, non sit quadragenaria completa præscriptio, vos, in illis ecclesiis jus episcopale adjudicetis episcopo, et super illo perpetuum silentium imponatis abbati. Si autem exceptionem hujusmodi episcopus non probaverit, quia tamen interruptionem probavit circa processionem Pentecostalem in villa et ecclesia de Mortona, et receptionem ac procurationem archidiaconi, nec non solutionem denariorum sancti Petri in valle de *Evesham*, circa cognitionem quoque causarum matrimonialium, et capellani suspensionem in prædicta villa de Morton, et interdictum capellarum in præfata villa de *Evesham*, vos super his jus episcopale adjudicetis eidem, si tamen circa suspensionem et interdictum hujusmodi infra quadraginta annos interruptio facta fuit, in cæteris ei silentium imponentes, quas abbas præscripsisse probatur.] Quod si forte noluerint sententiam definitivam a vobis accipere, vos, receptis probationibus prælibatis, eas nobis sub sigillis vestris fideliter destinetis, præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent, Testes... nullis litteris obstantibus præter assensum partium, etc. Si vero non omnes... duo vestrum ea, sublato appellationis obstaculo, exsequantur.

Datum, III Nonas Februarii.

CCVI.

EISDEM.

*De eodem argumento ac in Epistolis* 204 et 205.

(VII Id Februarii.)

Præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus, si in causa venerabilis fratris nostri.... Wigorniensis episcopi, et dilecti filii, Eveshamensis abbatis, quam sub certa forma vobis duximus committendam, falsi contigerit incidere quæstionem super privilegiis duorum regum Kenredi et Offæ, quæ proponitur idem abbas habere, vos, auctoritate nostra suffulti, de ipsa, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, cognoscentes, eam fine debito terminetis; facientes... nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum, VII Idus Februarii.

CCVII (839).

... ROFFENSI EPISCOPO (840).

*Ut perseveret in regimine et cessionem non quærat.*

(Kal. Februarii.)

Usque in senectam et senium in officio pastoralis curæ perductus; in tuo certamine didicisti quam laboriosa militia sit vita hominis super terram, quod licet *Bonum certamen certavi* (*II Tim.* IV), cum Apostolo possis dicere, ut tamen corona tibi justitiæ de reliquo reponatur, cursum te docet perfecti operis consummare. Quantumlibet enim, senectute gravatus, noctes tibi laboriosas enumeres, et, tanquam fatigatus cervus, umbram quietis.. quantumlibet inter viæ *scalores aporians* (841) patriæ dilectione traharis, et, velut emeritus mercenarius, operis tui finem anxius præstoleris, expedit tibi tamen virtutem in infirmitate perficere, ac te fortius in Domino confortare; sciensque quod apud extraneum defixeris manum tuam, cum tibi commissi gregis animas in tuam animam suscepisti, non sic debes portum tibi quietis appetere, ut navigantes hactenus tecum filios, sine remigis adjutorio, patiaris in hoc mari magno et spatioso cum timore naufragii fluctuare, quoniam non sic potes pulchræ Rachelis speciem concupiscere, ut filios quos peperit tibi te deceat abjurare. Sane, si credis illum Domino displicere, cujus fieri dies paucos, et accipi episcopatum ejus ab altero, sermo Davidicus imprecatur, tu, cum plenus dierum sis, officium non debes pontificale refugere, quia forsan ideo in te Dominus cum annorum numero tesseram fecit crescere meritorum, ut, quod ad erudiendum minus fortasse potest ætas imbecillis in verbo, veneranda canities plena meritis suppleat in exemplo. Monemus ergo fraternitatem tuam, et hortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus, diligenter attendens, quod adhuc sit populo Dei necessarius, laborem pastoralis regiminis non recuses, jactansque tuum in Domino cogitatum, nihil contra voluntatem Altissimi statuas de te ipso, qui forte diebus tuis ideo dies addidit, quia nondum substituendum tibi pontificem opportuum prævidit, nec

(835) Decretal., *privilegiis The* (leg. *Ken.*) *et Of. Regum, et infra præmissa*, pro *præd.*

(836) *Cœlestinus* (leg. *Constantinus.*)

(837) Decretal., *intra.*

(838) Wigorniensem sedem nunquam per 40 annos vacavisse constat ex monumentis *Warthon. et Godwin.*

(839) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 33.

(840) Vide epistolam libri octavi 154 not.,

(841) Sic. in cod. Vatic.

A de tua senectute diffidas, quam natura cedente, miraculo petens est ille in generatione multorum fecundam reddere, qui ex utero senectutis et sterilitatis, prolem dignatus est, quam juventus negaverat, suscitare. Cum enim hactenus in Ecclesia tibi commissa salubriter ministraris, si, quod absit! alius, te cedente, minus utilis assumatur, ad ipsam profecto non parum in ipsa quiete, quam appetis, turbareris, cum, ubi bene tuum exercueras ministerium, non absque dolore cerneres inutilis ministri defectum, fieretque ut tantum in arce speculationis tibi deperisse cognosceres, quantum Ecclesiæ per te subtractum esse videres.

Datum, Kalendis Februarii.

CCVIII (842).

.... PRIORI SANCTI VICTORIS PARISIENSIS.... SYMONI SUCCENTORI SILVANECTENSI, ET MAGISTRO S. DE LANGUET, THEOLOGO PARISIUS COMMORANTI (843).

B *Causam inter abbatissam de Footel, et abbatem Sancti Dionysii in Francia vertentem ipsis committit.*

(IV Non. Februarii.)

Dilectæ in Christo filiæ, abbatissa et sorores de Footel (844), nobis graviter sunt conquestæ, quod, cum in possessione prioratus de Argentolio, de quo inter eas et abbatem (845) se monachos Sancti Dionysii, Parisiensis diœceseos, agitatur, inductæ fuerint auctoritate commissionis nostræ causa rei servandæ, monachi eas inde per violentiam ejecerunt, et quoniam a monachis propter hoc legitima cautio data non fuit, licet nos decrevimus eam esse præstandam, veram possessionem prioratus illius sibi concedi petebant, cum fructibus medio tempore jam perceptis. Magister autem Thomas, procurator partis adversæ, dicebat ipsum abbatem eam cautionem super hoc judicibus præstitisse, qua contenti fuerunt. Unde, cum non fuerit ex parte monialium appellatum, postulabat instanter super petitione hujusmodi monialibus ipsis silentium prorsus imponi. Quia igitur nobis non constat de præmissis, mandamus quatenus, partibus.... quod justum fuit.... facientes, etc. Quod si non omnes .... duo vestrum, etc.

Datum, etc., IV Non, Februarii.

CCIX (846).

J. SANCTÆ MARIÆ IN VIA LATA DIACONO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO (847).

*Regem Angliæ ab inferendis decano Sarisberiensi aliisque injuriis revocare jubet.*

(Kal. Februarii.)

Cum charissimo in Christo filio nostro, Joanni, regi Anglorum illustri, apostolicas preces misissemus, ut erga dilectum filium, magistrum R. decanum Saresberiensem (848), et alios, tum clericos, tum laicos, qui occasione negotii Wintoniensis Ecclesiæ ipsius offensam incurrerant, se clementum et propritium exhiberet, et illos etiam liberaret, si qui detinerentur in vinculis hac de causa, illosque libere redire permitteret, qui propter hoc exsilium patiuntur, eis omnibus restitutis, si qua illis hac de causa forsitan sunt ablata, idem rex, de quo vehementius admiramur, preces apostolicas non admisit, sed, litteris nostris receptis respondit, quod ipsum decanum et clericos ejus non læserat. De laicis autem nihil ad nos pertinebat omnino, sed si ille qui exsulabat a regno, ipsius curiæ vellet subire judicium, sibi placebat. Nos autem eumdem per litteras nostras monendum duximus et hortandum, ut eidem decano qui nobis ob suorum exigentiam meritorum charus est admodum et acceptus, ac suis, et laicis etiam, qui occasione negotii C Ecclesiæ Wintoniensis regiam indignationem incurrerant, suam penitus remittat offensam, et misericors illis existat, ut a summo judice, qui in ira sua non obliviscitur misereri, misericordiam consequatur. Quocirca, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si rex ipse, quod non credimus, secus forte duxerit faciendum, tu, quia ex injuncto nobis incumbit officio ne membra Ecclesiæ inclementer tractari sinamus, auctoritate nostra suffultus, nullius contradictione vel appellatione obstante, circa prædictum decanum, et archidiaco-

(842) Conferenda omnino hæc epistola cum iis quæ ab auctoribus novæ Galliæ Christianæ referuntur, diversis in locis, præsertim tom. VII, instrum, col. 83 et sqq. instrum, 108 et 110.

(843) Nonne legendum esset? EGIDIO, PRIORI S. VICTORIS PARISIENSIS; SIMONI, SUCCENTORI SILVANECTENSI; ET MAGISTRO R. DE ORSON (*al.* ROBERTO DE CORCHON); CANONICO NOVIOMENSI. Vide instrumentum quod referunt auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. VII, col. 508.

(844) Abbatiæ B. Mariæ, de Footel, *al.* de Nemore, *seu* de Bolcodominarum, quæ Malænoæ nomen assumpit post acquisitum ejus nominis prædium, abbatissa tunc temporis, versimiliter, erat Gdelin I, seu Edelina, quæ innotescit in chartis, ab anno, saltem, 1207, usque ad annum, saltem, 1218, de pia pro sororibus sollicitudine plurimum laudata. *Gall. Christ.* tom. VII, col. 587.

(845) Henricus I *Troon*, ex monacho San-Dionysiano, et priore Argentolii, reperiter abbas S. Dionysii jam ab anno 1284, mensibus Junio et Julio... Pepigit anno 1205, cum Odone Parisiensi de jure in eecclesiam prioratus de Argentolio, arbitris, Gaufrido Silvanectensi episcopo, Adamo Carolileci abbate, et Radulfo Meldensi decano, a sancta sede nominatis (*Vide notam initio hujus epistolæ*). Obiit anno 1221, *Gall. Christ.* tom. VII, col. 384.

D (846) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 33.

(847) Vide quæ adnotata sunt ad epistolam libri septimi 184, not., quibus adde, si vis, ea quæ de isto A. S. L. habet Matthæus Paris, tom. I, pag. 214, lin. 33:

« Eodem anno (1206), Joannes Ferentinus, apostolicæ sedis legatus, veniens in Angliam, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam congessit; et tandem apud Radingum in crastino S. Lucæ evangelistæ concilium celebravit. Quo facto, sarcinullis cum magna cautela dispositis et prudenter commendatis, festinus viator ad mare perveniens, Angliam a tergo salutavit. »

(848) Vide epistolas libri octavi 185, not. et 187.

num Wintoniensem, et alios, tam clericos quam laicos, statuas quod videris statuendum, regem ipsum a molestatione ipsorum, si necesse fuerit, qua videris expedire districtione compescendo.

Datum Kalendis Februarii.

CCX (849).

.... PRIORI SANCTI VICTORIS PARISIENSIS, SYMONI SUCCENTORI SILVANECTENSI; ET MAGISTRO S. DE LANGUET, THEOLOGO PARISIUS COMMORANTI.

*De eodem argumento ac in epistola* 850.

(Kal. Februarii.)

Significaverunt nobis per litteras suas venerabilis frater noster, G. (850). Silvanectensis episcopus, et dilectus filius, J. abbas sancti Victoris (851) Parisiensis, et F. Aurelianensis decanus (852), quod, cum causa quæ vertitur inter abbatem et monachos Sancti Dionysii ex una parte, ac abbatissam et moniales de Footel ex altera, tam super proprietate quam possessione prioratus de Argentolio, sibi a nobis commissa fuisset, et moniales, super causa proprietatis prius litem ingressæ, testes produxissent in illa, postmodum possessionis judicium suspenso petitorio intentarunt, quod eis de jure licere ipsi, de prudentum consilio, per interlocutoriam sententiam declararunt. Unde, eum in causa possessionis quam moniales petebant, ea videlicet ratione, quod illæ quibus ipsæ successerant, inde fuerant violenter ejectæ, testes fuissent ab utraque parte producti, et eo usque processum, ut publicatio fieri jam deberet, petebant moniales prædictæ depositiones testium in causa possessionis tantummodo publicari; sed contradicebant monachi, allegantes quod, sicut causa proprietatis fuerat prius cœpta, ita debebat accipere prius finem, vel saltem, tam super petitorio quam super possessorio, testes simul publicari debeant. Ipsi vero, auditis hinc inde propositis, cum super hoc vellent interloqui, habito consilio sapientium, monachi adjecerunt quod super causa proprietatis productioni testium renuntiaverant moniales quod, cum pars adversa negaret, et inter partes quasi dubium verteretur, interlocuti fuerunt, quod attestationes in possessorio publicarent, et super renuntiatione monialium probationes monachorum audirent; sed ab hac interlocutoria monachi ad nostram audientium appellarunt. Ipsi autem diem alteram partibus præfigentes ut deliberarent an deberent hujusmodi appellationi deferre, convocatis prudentibus, de ipsorum consilio sententiam suam minime reprobantes, parti monachorum audientiam indulserunt, si forte rationem aliquam allegarent ad retractandam prædictam sententiam efficacem, qui tandem post allegationes suas appellationi prius factæ fortiter insistebant. Quia vero vix poterant assessores Parisius invenire, quin dicerentur esse suspecti, quamvis pars monialium tandem diceret quod, quemcunque tres insimul evocarent, illum non haberent ullo modo suspectum, ipsi tamen, considerantes arduitatem negotii, hæc nobis intimanda duxerunt, partibus injungentes ut in festo sancti Lucæ evangelistæ, proximo tunc futuro, nostro se conspectui cum hujusmodi litteris præsentarent. Cum autem litteris ipsis, hanc seriem continentibus, præfati abbas Sancti Victoris, et decanus Aurelianensis sua pariter appendissent sigilla, jam dictus Silvanectensis episcopus suum distulit sigillum apponere, pro eo quod monachi Sancti Dionysii querebantur quædam omissa fuisse quæ fuerant apponenda. Unde, partibus revocatis, diem in crastino Sancti Remigii præfixerunt, monachis firmiter asserentibus quod moniales in causa proprietatis tres testium productiones habuerant, et in easdem fuerat jam conclusum, ita, quod in producendis testibus super causa proprietatis eas non erant ulterius audituri, ac super his probationes legitimas offerebant; sed hæc omnia pars adversa negabat. Verum, cum propter hoc tam abbatissa pro parte sua, quam magister Thomas pro parte abbatis et monachorum, circa octavas beati Martini, quæ fuerant pro termino partibus assignatæ nostro se conspectui præsentandi, ad nostram præsentiam accessissent, et nos eis in consistorio nostro plenam audiendam dedissemus, idem magister adjecit quod sæpe fuit ex parte abbatis et monachorum a delegatis judicibus postulatum, ut in causa possessionis quartam eis productionem concederent cum solemnitate legali, quam eum eis penitus denegarent contra legitimas sanctiones, ipsi, sentientes se injuste gravari, post interlocutoriam de publicandis testibus in possessorio promulgatam, protinus ad nostram audientiam appellarunt, quod ex testimonio quarumdam specialium litterarum prædicti Silvanectensis episcopi nitebatur ostendere, inter multa scribentis, quod in additione illa, quæ in revocatione partium primis litteris facta fuit, petebant monachi clausulam illam apponi, scilicet, quod adhuc restabat eis super possessorio judicio quarta productio, solemnitate juris adhibita, et super hoc probationes necessarias offerebant, idemque magister assertionem suam promittebat se legitimis testibus probaturum. Abbatissa vero, relationi trium delegatorum innitens, et quibusdam eorum litteris continentibus, quod diem tertiam post purificationem Beatæ Mariæ ad publicationem testium assignaverant, super possessione a parte productorum utraque, quod ab eodem magistro fuerat superadditum, asserebat penitus esse falsum. Nos igitur, his et aliis diligenter audis quæ fuerunt hinc inde proposita, de communi fratrum nostrorum consilio, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, Parisius convenientes in unum, si per legitimas vobis probationes constiterit abbatem et

(849) Vide epistolam libri octavi 208, et quæ ibi adnotata sunt.
(850) Vide epistolam libri quinti 145, not.
(851) Vide epistolam libri sexti 168, not.
(852) Vide epistolam libri sexti 9, not.

monachos quartam productionem testium cum juris solemnitate super possessorio petivisse, seque propter hoc infra decem dies post interlocutoriam sententiam appellasse, nisi forte judices quartam productionem negaverint, pro eo quod voluerint effrenatam multitudinem testium refrenare, vos præfatos abbatem et monachos ad quartam productionem testium admittatis, adhibita solemnitate legali, eos, si in probatione defecerint, in expensas legitimas condemnantes. Et, nisi adeo sit in petitorio jam processum, ut plene possit de proprietate liquere, vos causam possessionis, ad quam de juris beneficio abbatissa et moniales habere recursum primitus, terminetis, in causa proprietatis postmodum legitime processuri; alioquin, quæstionem terminetis simul utramque. Illos vero quos in eas vel capellanum illarum manus violentas constiterit injecisse, tandiu denuntietis excommunicationis vinculo subjacere, donec inde satisfaciant competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem veniant apostolicam absolvendi. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, cessante appellatione, cogatis veritati testimonium perhibere. Obtestamur ergo vos, et obsecramus in Christo Jesu, qui venturus est judicare vivos et mortuos, ut, amore carnali et sæculari timore postpositis, via regia procedatis, ita, quod neque ad dexteram, neque ad sinistram aliquatenus declinetis, sed, frivolis exceptionibus et malitiosis occasionibus non obstantibus, omni prorsus appellatione cessante, juste quod justum est judicetis, reddituri propter hoc Deo in districto examine rationem, nullis litteris obstantibus, præter assensum partium, a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes.... duo vestrum, etc.

Datum.... Kalendis Februarii, anno octavo.

## CCXI.

### FIDELIBUS NOSTRIS ET POPULO RADICOFANENSIBUS.

*Facultas eligendi consules.*

Apostolicæ sedis benignitas, quæ usque ad nationes extenditur, tanto copiosius exuberare debet erga domesticos et vassallos, quantum ipsorum cura et sollicitudo sibi familiarius est annexa, et, cum a filiis suis diligi appetat potius quam timeri, eo quod sibi servilis timor non placet, quem charitas foras mittit, licet a suis aliquando offendatur, si converti voluerint, parcere vult potius quam ulcisci, et eligit magis delinquentes corripere in spiritu lenitatis, quam ipsos ferire gladio ultionis, ut, sicut infideles et extraneos ad devotionem suam mansuetudinis suæ clementia evocat et adducit, ita quoque domesticos et fideles in fidelitate sua stabiliat et confirmet. Quamvis igitur nos hac vice non leviter offenderitis, et ad iracundiam nos tanto amplius provocaverit factum vestrum, quanto a vobis, quos tanquam speciales filios et devotos sinceræ dilectio- A nis brachiis amplexamur, minus credebamus offendi, quia tamen, misericordiam implorantes, ad mandatum nostrum humiliter accessistis, juramenta, obsides et fidejussores pro mille libris super facto consulum exhibentes, ut in fidelitate nostra vestra devotio fortius accendatur, vobiscum mitius agere volumus, et preces vestras, quantum cum honore nostro possumus, benignius exaudire. Ideoque consulum electionem, quandiu nobis placuerit, vobis duximus concedendam, ita quod ex hoc nobis nullum præjudicium generetur; per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus nunquam consules eligere præsumatis, absque nostra vel castellani nostri conniventia et assensu; sed, cum electionem ipsam celebrandam duxeritis, nostrum B vel castellani nostri requiratis assensum, sed antequam ipsum assensum mereamini obtinere, non præsumant electi consules exercere officium consulatus, juraturi rationes et consuetudines nostras se fideliter conservaturos. Si vero, quod absit! contra mandatum nostrum facere præsumpseritis, perjurii notam et fidejussionis pœnam pariter incurratis.

## CCXII.

### N. DECANO, ET CAPITULO CENOMANENSIBUS.

*Causam inter ipsos et capitulum Sancti Petri de Curia, de interdicto, ab episcopo vel capitulo Cenomanensi lato, observando definit.*

(VI Non. Februarii.)

Cum inter vos ex una parte, et canonicos Sancti C Petri de Curia ex altera, super eo quod dicti canonici Sancti Petri generale interdictum a venerabili fratre nostro.... episcopo vestro (833), vel vobis, in civitate Cenomanensi positum, non servabant, quæstio verteretur, utraque pars, ut eadem causa fine posset debito terminari, suum nuntium ad sedem apostolicam destinavit. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis per procuratores idoneos, audientiam præbuimus liberam et benignam, et quidem ecclesiæ vestræ proposuit procurator quod, cum Cenomanensis ecclesia, suo loco et tempore, pro eccessibus sæcularis potestatis, interdicto velit supponere civitatem, ecclesia beati Petri de Curia, tanquam membrum suo capiti non cohærens, campanis pulsatis, apertis januis, divina officia cele- D brare, aliis cessantibus, non omisit. Cum autem venerabilis frater noster, Oct. Ostiensis episcopus (854), tunc in partibus illis legationis officio fungeretur, iidem, ad ejus præsentiam accedentes, suam ei super hoc querimoniam exponere curaverunt. Qui, partibus convocatis, et rationibus utriusque diligenter auditis et cognitis, cum pars ecclesiæ Sancti Petri privilegio sedis apostolicæ non posset ostendere se munitam, imo ei firmiter constaret quod ex superbia potius ad hoc, quam ex causa rationabili, ducerentur, sententialiter definit, quod, cum in civitate Cenomanensi positum fuerit interdictum, illud

(853) Vide epistolam libri quinti 35, not.

(854) Vide epistolam libri tertii 11, not.

eadem ecclesia observaret, vinculo quoque excommunicationis ac pœnæ ordinis et beneficii eos supponens qui suæ ducerent sententiæ resistendum. Postmodum vero, cum,propter quosdam excessus sæcularis potestatis,tota Cenomanensis civitas supponeretur ecclesiastico interdicto,et ipsis canonicis Sancti Petri denuntiatum fuisset ut a divinorum celebratione cessarent, et observarent sicut aliæ ipsius civitatis Ecclesiæ interdictum,ipsi,majorem temeritatem suæ audaciæ adjungentes,cum majori solemnitate suum sunt officium exsecuti, venire contra ipsius legati sententiam non verentes.Procurator vero ipsorum proposuit ex adverso, quod ipsa ecclesia Sancti Petri ab ipsa sui fundatione libera exstitit et exempta,et de bonis progenitorum charissimi in Christo filii nostri, Joannis, Anglorum regis illustris, fundata fuerat, et dotata, firmiter asseverans, et ex hoc suam credens intentionem fundare,quod decanatum et præbendas ipsius ecclesiæ idem rex et progenitores sui conferebant, diœcesano episcopo inconsulto. Proposuit etiam quod, ex consuetudine tali,hactenus eadem ecclesia gavisa fuerat libertate,et hoc multoties idem vester episcopus recognovit, quod vos parochialem potestis interdicere capellanum, qui extra chorum celebrat ecclesiæ antedictæ, allegans ex consuetudine antedicta,quod in generali etiam interdicto licitum erat eis,pulsatis campanis,alta voce, interdictis tamen et excommunicatis exclusis,divina officia celebrare. Nos igitur,auditis hinc inde propositis, quia ex tali consuetudine si qua foret, dirumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ,ipsam, de fratrum nostrorum consilio, penitus duximus irritandam,cum non consuetudo,sed corruptela potius sit censenda,concedentes tamen eidem ecclesiæ Sancti Petri, quod, cum generale in civitate fuerit interdictum,ex benignitate sedis apostolicæ licitum sit eis,clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce, divina officia celebrare.Nulli ergo...nostræ definitionis et concessionis... si quis autem, etc.

Datum,III Nonas Februarii, anno octavo.

CCXIII.

CANONICIS SANCTI PETRI DE CURIA CENOMANENSIS

*De eodem argumento.*

(Kal. Februarii.)

Cum causa quæ vertebatur inter vos ex una parte, et dilectos filios,capitulum Sancti Juliani ex altera, super eo quod vos generale interdictum a venerabili fratre nostro... Cenomanensi episcopo (855), vel ab ipso capitulo, in civitate positum, minime servabatis, in nostra foret præsentia ventilata, nos, quia procurator vester ex quadam consuetudine allegabat licitum fuisse vobis in generali etiam interdicto, pulsatis campanis, alta voce, interdictis tamen et excommunicatis exclusis, divina officia celebrare, consuetudinem ipsam, cum ex ea, si qua foret, dirumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, de fratrum nostrorum consilio penitus duximus irritandum cum non consuetudo, sed corruptela potius sit censeda, concedentes tamen Ecclesiæ vestræ quod, cum generale in civitate fuerit interdictum, ex benignitate sedis apostolicæ licitum sit vobis, clausis januis, exclusis communicatis et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce, divina officia celebrare. Quocirca, per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus sententiam ipsam firmiter observetis. Alioquin, noveritis, nos venerabili fratri nostro..... archiepiscopo (856), et dilecto filio..... abbati Majoris monasterii Turonensis, in mandatis dedisse ut eamdem sententiam, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam faciant inviolabiliter observari; contradictores, etc.

Datum.... Kalendis Februarii, anno octavo.

CCXIV. (857).

NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS, IN PERPETUUM.

*Confirmat ei privilegia et concessiones antiquas.*

(Romæ, Idibus Februarii.)

Licet omnibus ligandi et solvendi sit concessa potestas, licet unum præceptum ad omnes, idemque pervenerit prædicandi evangelia omni creaturæ,velut quædam tamen inter eas habita est discretio dignitatis,et Dominicarum ovium curam, quæ omnibus imminebat, unus singulariter suscepit habendam,dicente ad eum Domino: *Petre, amas me? pasce oves meas* (*Joan.* XXI); qui etiam inter omnes apostolos principatus nomen obtinuit, et, de fratrum confirmatione,singulare a Domino præceptum accepit, ut in hoc secuturæ posteritati daretur intelligi quoniam,quamvis multos ad regimen Ecclesiæ contingeret ordinari, unus tamen solummodo supremæ dignitatis locum fastigiumque teneret,ut unus omnibus et potestate gubernandi, et judicandi honore, præsideret. Unde, et secundum hanc formam, in Ecclesia distinctio servata est dignitatum; et,sicut in humano corpore, pro varietate officiorum, diversa ordinata sunt membra, ita in structura Ecclesiæ, ad diversa ministeria exhibenda, diversæ personæ in diversis sunt ordinibus constitutæ. Aliis enim ad singularum ecclesiarum, aliis autem ad singularum urbium dispositionem ordinatis ac rerum,constituti sunt in singulis provinciis alii, quorum prima inter fratres sententia habeatur, et ad quorum examen subjectarum personarum quæstiones et negotia referantur. Super omnes autem, Romanus pontifex, tanquam Noe in Arca, primum locum noscitur obtinere, qui, ex collato sibi desuper in apostolorum principe privilegio, de universorum causis judicat et disponit,et per universum orbem Ecclesiæ filio,in Christianæ fidei firmitate non desinit confirmare, talem se curans jugiter exhibere, qui vocem Dominicam videatur audire,qua dicitur: *Et tu aliquando*

(855) Vide epistolam libri quinti 53, not.
(856) Vide epistolam libri quinti 53, not.

(857) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 26.

*conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Hoc nimirum, post beatum Petrum, illi apostoli et viri, qui per successiones temporum ad gerendam curam sedis apostolicæ surrexerunt, indesinenti curaverunt studio adimplere, et per universum orbem, nunc per se, nunc per legatos suos, corrigenda corrigere, et statuenda statuere summopere studuerunt. Quorum quoque vestigia subsecutus, felicis memoriæ Eugenius papa prædecessor noster, de corrigendis his quæ in regno Norwegiæ correctionem videbantur exposcere, et verbo ibi fidei seminando, juxta sui officii debitum, sollicitus exstitit, et quod per se ipsum, universalis Ecclesiæ cura obsistente, non potuit, per legatum suum Nicolaum, tunc scilicet Albanensem episcopum, qui postea in Romanum pontificem est assumptus, exsecutioni mandavit. Qui, ad partes illas accedens, sicut a suo patrefamilias acceperat in mandatis, talentum sibi creditum largitus est ad usuram, et, tanquam fidelis servus et prudens multiplicatum inde fructum studuit reportare. Inter cætera vero quæ ad laudem illic nominis Dei et ministerii sui commendationem implevit, juxta quod prædictus antecessor noster ei præceperat, palleum Joanni, antecessori tuo, tuo indulsit, et, ne de cætero provinciæ Norwegiæ metropolitana cura possit deesse, commissam gubernationi suæ urbem Nidrosiensem, ejusdem provinciæ perpetuam metropolim ordinavit, et ei Asloensem, Amatripiensem, Bargensem, Stavangriensem, insulas Orcades, insulas Fareiæ, Suthraiæ et Islanden. et Grenelandiæ episcopatus, tanquam suæ metropoli, perpetuis temporibus constituit subjacere, et eorum episcopos, sicut metropolitanis suis, tam sibi quam suis successoribus obedire. Ne igitur ad violentiam constitutionis ipsius ulli unquam liceat aspirare, nos, felicis memoriæ, prædicti Eugenii, et Alexandri, atque Clementis, prædecessorum nostrorum, Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, eamdem constitutionem auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut Nidrosiensis civitas supradictarum urbium perpetuis temporibus metropolis habeatur, et earum episcopi, tam tibi quam tuis successoribus, sicut suo metropolitano, obediant, et de manu vestra consecrationis gratiam sortiantur. Successores autem tui ad Romanum pontificem tantum, percepturi donum consecrationis, accedant, et ei solummodo et Romanæ Ecclesiæ subjecti semper existant. Porro, concesso tibi palleo, pontificalis scilicet plenitudine potestatis, infra Ecclesiam tantum, ad sacra missarum solemnia, per universam provinciam tuam, his solummodo diebus uti fraternitas tua debebit, qui inferius leguntur inscripti; Nativitate Domini, Epiphanta, Cœna Domini, Resurrectione, Ascensione, Pentecoste, in solemnitatibus beatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, Natalitio beatorum Petri et Pauli, et Exaltatione sanctæ Crucis, Nativitate beati Joannis Baptistæ, festo, beati Joannis Evangelistæ, commemo-

(858) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 26.]

A ratione omnium sanctorum, in consecrationibus ecclesiarum vel episcoporum, benedictionibus altarium, ordinationibus presbyterorum, in die consecrationis ecclesiæ tuæ, ac festis sanctæ Trinitatis et sancti Olavi, et anniversario tuæ consecrationis die. Studeat ergo tua fraternitas, plenitudine tantæ dignitatis suscepta, ita strenue cuncta peragere, quatenus morum tuorum ornamenta eidem valeant convenire. Sit vita tua subditis exemplum, ut per eam cognoscant quid debeant appetere, quid cogantur vitare. Esto discretione præcipuus, cogitatione mundus, actione purus, discretus in silentio, utilis in verbo; cura tibi sit magis prodesse hominibus, quam præesse. Non in te potestatem ordinis, sed æqualitatem oportet pensare conditionis. Stude ne vita doctrinam destituat, ne rursum vitæ doctrina B contradicat. Memento quod est ars artium regimen animarum. Super omnia studium tibi sit apostolicæ sedis decreta firmiter observare, et tanquam matri et dominæ tuæ, ei humiliter obedire. Ecce, frater in Christo charissime, inter multa alia, hæc sunt pallii hæc sacerdotii, quæ omnia facile, Christo adjuvante, adimplere poteris, si virtutum omnium magistram, charitatem et humilitatem habueris, et quod foris habere ostenderis, intus habebis. Decernimus ergo, etc., *usque in finem.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Comesdin. diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, Idibus Februarii, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1204, pontificatus vero domini Innocentii C papæ III anno octavo.

CCXV (858).

EIDEM.

*Facultas absolvendi excommunicatos pro violenta manuum in clericos injectione.*

(XII Kal. Martii.)

Annuere solet, etc., *usque* inclinati, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut, quia homines de partibus tuis, propter difficultatem et discrimen itineris, pro injectione manuum violenta in clericos, ad nostram præsentiam nequeunt sine multo gravamine accedere absolvendi, licitum tibi sit personaliter, vice nostra, recepto primum ab illis juxta formam Ecclesiæ juramento, et injuriam passis congrue satisfacto, a vinculo eos excommunica- D tionis absolvere, dummodo in injectione illa mutilatio vel mors non fuerit subsecuta, seu violenta manus in episcopum vel abbatem injecta, aut alias non fuerit tam enormis, quod merito debeant ad sedem apostolicam destinari. Nulli ergo, etc.

Datum, XII Kalendas Martii.

CCXVI (859).

EIDEM.

*Ne quis, nisi facta ab eo potestate, in ejus metropoli episcopos consecrare possit.*

(III Id. Februarii.)

Annuere, etc., *usque* annuentes, auctoritate præ-

(859). Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 26.

sentium inhibemus, ne quis eos, qui pro tempore fuerint in ecclesiis tibi lege metropolitana subjectis electi, in episcopos consecrare, absque tuo vel successorum tuorum mandato, præsumat, nisi forsitan A Nidrosiensis Ecclesia pastore vacaret, et tunc, mandatum capituli ejusdem ecclesiæ requiri volumus et assensum.

Datum, III Idus Februarii.

---

# INNOCENTII III

ROMANI PONTIFICIS

# REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM

## LIBER NONUS.

—

PONNTIFICATUS ANNO IX, CHRISTI 1206.

—

### I (1).

CALARRITANO [*al.* TRALATAN, *al.* ARELATEN, *al.* CLARETAN.] EPISCOPO.

*Quod non quærat cessionem, et scribuntur ea propter quæ episcopus cogitur renuntiare et cedere episcopatum.*

(Kal. Martii.)

[Nisi cum pridem] « (2) in officio pastorali ad « divinum servitium accessiti, præparasse te ad « tentationem animum crederemus, ac prævidisse « prudenter, nequaquam in humana fragilitate con- « sistere, varios angustiarum angores, quos te in « ipso sciebas officio perpessurum, posse absque « magno Dei adjutorio sustinere, formidaremus uti- « que ne parvulos tuos postmodum ad petram alli- « dere neglexisses, eosque tantum in te permiseris « invalescere, ut ipsorum suggerentium tibi susce- « pti ministerii cessionem instantiæ vix jam valeas « repugnare. Verum, quoniam, sicut credimus, « cum te scires contra spirituales nequitias pugna- « turum, armaturam Dei, qua posses stare contra » insidias tentatoris, ab Apostolo monitus induisti, « et inexpertus non ignorasti sollicitudinis pasto- « ralis angustias, quas forsan expertus abhorres, « nescimus cur tam instanter susceptum velis re- B « gimen inutiliter derelinquere, quod suscipiendum « utiliter non deberes usquequaque *vitare* (3).

[ (4) Si *enim* in hujusmodi cessione frugem tibi *sanctioris* (5) vitæ promittis, scire te debes non esse sanctificato in utero sanctiorem, et ideo non *oportere* te prædicationis jam susceptæ deserere ministerium, cum ille, cujus *ante* (6) fieri bajulus recusabat, tandem prædicandum *receperit* Dei verbum.

Quod si forsan humilitatis causa de culmine quæris *pontificali* descendere, *ac, contra superni nutus arbitrium, datum tibi per illud niteris deserere præsulatum* (7), eo ipso videris humilitatis *erigere* (8) male verticem, quo te nimis in resignandi proposito C exhibes pertinacem, quia tunc in te veram humilitatem custodies, cum et per eam locum sublimem fugies, et per obedientiam non dimittes.

Intueri te itaque, *venerabilis frater in Christo* (9), volumus, quod hæc sunt illa, propter quæ potest cedendi episcopus *officio pastorali* licentiam postulare) conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, irregularitasque personæ.

(1) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur in Decretalibus, lib. I, tit. 9, *De renuntiatione*, cap. 10, ubi *episcopo Arelatensi* directa dicitur.

Lacunas fere omnes explevit Pitœhus, ex veteribus codd. Vatic.

Nos, integram, numerisque omnibus absolutam exhibemus, ad fidem apographi Conti. Quæ in De- D cretalibus leguntur, hic uncis inclusa sunt; quæ apud Pithœum in additionibus, duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula dixtinximus, varias etiam lectiones, tam ex Decretalibus ipsis, tum ex additionibus apud Pithœum, ad majorem diligentiam, notavimus.

(2) Quæ sequntur desunt in Decretalibus. Leguntur in additionibus, edition. Pithœn. tom. II, pag. 32.

(3) Huc usque Pithœus, in add., qui legit *irritare* pro *vitare*.

(4) Quæ sequuntur, in Decretalibus.

(5) In Decretal. deest, quæ mox *melioris* legit pro *sanct.* et *oportet* pro *oporteret*.

(6) Decretal. om. et mox *susceperit* legunt pro *recep.*

(7) Hæc desunt in Decretal.

(8) Decretal., *eligere.*

(9) Desunt in Decretal., ut quæ sequntur *off. past.* et infra *past. off.* et voculam *etiam.*

Sed, in his omnibus est adhibenda discretio, et observanda cautela.

Propter conscientiam enim criminis, cedendi *pastorali officio* potest licentia postulari, et forsan non cujuslibet, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officio executio, post peractam *etiam* pœnitentiam, impeditur. *Cum enim, quacunque hora peccator conversus fuerit, omnium iniquitatum suarum non recordari se Dominus fateatur, et neminem esse sine peccato sacra Scriptura testetur, apparet quod non per cujuslibet criminis conscientiam quemquam cederet oporteat officio pastorali* (10), cum, si, omnes, quos *redarguit* conscientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci, vel nulli *forsan*, in ipso (11) ministerio remanerent. *In multis enim offendimus omnes, et, si dereximus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, quæ misericorditer illum excusat, qui miserabiliter se accusat* (12).

Debilitas vero *corporis* (13) causa est, *propter quam aliquis potest petere ab onore sollicitudinis pastoralis absolvi* (14), quæ *videlicet* (15) vel ex infirmitate, vel ex senectute procedit, nec tamen omnis, sed illa solummodo, per quam impotens redditur ad exsequendum officium pastorale. Nam, si pro qualibet corporali debilitate susceptæ servitutis officium *potest* deseri, frustra se fateretur Apostolus in suis infirmitatibus gloriari, *senectute gravatus quispiam a cura se non debet omnino pastoralis regiminis excusare*, cum cedere, quam moralis maturitas, quæ in senibus solet esse. ipsum in suo suadeat officio permanare, Pro talibus enim de se dicit Apostolus : Cnm infirmor, tunc fortior sum (*II Cor.* XII) (16) ; » quia nonnunquam infirmitas corporis fortitudinem cordis augmentat.

Pro defectu quoque scientiæ plerumque potest quis pastoralis officii petere cessionem, quia, cum ipsa circa spiritualem administrationem sit potissimum necessaria, et circa curam temporalium opportuna, præsul, qui commissam sibi debet Ecclesiam regere in utrisque, salubriter *ejus regimini abrenuntiat* (17), si scientiam, in qua ipsam regat, ignorat ; *quoniam, cum subjectos docere habeat quid facere debeant, quid carere, nec bene docebit eos quod niescierit ipse fugere, nec illud quod ignoraverit exercere.* « Tu enim, » inquit Dominus, « scientiam repulisti, et ego te repellam, ne sacerdotio mihi fungaris (*Ose.* IV). » Quanquam, etsi desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen sit com-

A potens toleranda, quia, secundum Apostolum : « Scientia inflat, charitas autem ædificat (I *Cor.* VII) ; et ideo imperfectum scientiæ supplere potest perfectio charitatis.

Propter malitiam *quoque* (18) plebis cogitur interdum prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, *et in rebellione sua ita pertinax invenitur*, ut proficere nequat apud ipsam, sed, propter ejus duritiam, quo magis proficere satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur, dicente Domino ad prophetam : « Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia Dominus exasperans est (*Ezech.* V). » Et Apostoli leguntur dixisse Judæis : Ecce convertimur ad gentes, quia verbi Dei vos fecistis indignos (*Act.* XIII). » Non
B tamen pro qualibet culpa pastor debet deserere gregem suum, ne forte mercenario comparetur, qui « videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit (*Joan.* X) ; sed de superioris licentia tunc demum potest non tam timide fugere, quam provide declinare, cum oves convertuntur in lupos, et qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt, cum, etsi tales graviter sint pro crimine puniendi, sint tamen pro tempore utiliter tolerandi, quia sanguinem elicit, qui nimis emungat.

Pro gravi quoque scandalo evitando, cum aliter sedari non potest, licet episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem quam æternam videatur affectare salutem, memor illius quod dicit
C Apostolus : Si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum (I *Cor.* VIII), *ne fratrem meum scandalizem* (19). » Sed, inter scandalum et scandalum est sutiliter distinguendum, *sicut* (*sic*) Dominus ipse distinxit, cui cum dixissent apostoli : « Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizantur ? (*Matth.* XV) » respondit : Sinite, cæci sunt, et duces cæcorum (*ibid.*). » Alibi vero dixit : « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola assinaria in collo ejus, et demergatur in profundum (*Matth.* XVIII). » *Nam etsi necesse sit ut scandala veniant, væ tamen illi per quem scandalum venit !* (20)

Personæ vero irregularitas, ut si forte sit biga-
D mus, *viduæque* (21) maritus, est causa propter quam licentiam petere potest aliquis resignandi *pontificii dignitatem*, Apostolo attestante, qui dicit : « Oportet episcopum esse unius uxoris virum (I *Tim.* III). » Non tamen propter quamlibet irregu-

(10) Hæc desunt in Decret. apud Pithœum.

(11) Decretal., *arguit*, et mox *forsan* om., et *illo* legunt pro *ipso*.

(12) Desunt in Decret. Leguntur vero in add. apud Pith.

(14) Al. *corporalis* et add. *alia*.

(14) Hæc desunt in Decretal.

(15) Desunt in Decretal. ut mox *videlicet* infra legunt *posset* pro *potest* et om. *senectute.... excusare.*

(16) In uno veteri Codd. additur, *et potens*.

(17) Decretal. legunt *ei renuntiat*, et mox om. *quoniam... exercere*.

(18) Decretal. *autem*, et mox om. *et in... inven.*

(19) Hæc Decr. om.

(20) Desunt in Decr.

(21) Decretal., *vel viduæ*, et mox omitt. *pont. dign.*

laritatem personæ debet ei, qui regulariter *ministraverit* (22), cedendi licentia indulgeri, *ut, puta*, si de legitimo matrimonio non sit natus; quia, licet irregularitatem hujusmodi non debuerit subticere, si tamen et culpa latet, et causa, cum eo, qui laudabiliter suum implevit officium, injuncta sibi pœnitentia competenti, potest non minus utiliter quam misericorditer dispensari. « Ego sum, inquit Dominus, zelotes, vindicans peccata patris in filios, usque in tertiam et quartam *progeniem* (23), in his qui oderunt me (*Exod.* xx),) » id est, in illis qui contra me paternum odium imitantur. Unde patet quod illis, qui paterna vitia non sequuntur, propriæ possunt in talibus suffragari virtutes, illo discretionis adhibito moderamine, ut inter nothos et manzeres (24), naturales et spurios distinguatur.]

(25) « Cum autem plerumque vitia se virtutes esse « *menti minus providæ* (26) mentiantur, subtiliter « advertere te oportet utrum resignandi proposi- « tum, quod tam ferventer *gestare videris* (27) in « pectore, dignum sit Dei odio vel amore. Si enim « propter causam aliquam præmissarum cedere « postulare, tam super causa quam super ejus « *effectu* pariter doleremus. Sed ne *sub improvidæ* « (28) pietatis amictu, ad resignandum *detestabilis* « impietas te impellat, considerare te volumus, et « alias esse causas propter quas male quis petit, et « pejus appetit officium hujusmodi resignare. Si « enim ex pusillanimitate fortassis, ut laborem de- « ponat, vel persecutionem effugiat, aut ex vanitate, « quod absit! ut plenius vacet otiis, seu liberius « indulgeat voluptatibus, curam vult aliquis dese- « rere pastoralem, ab ea non meretur absolvi, « quamvis per hujusmodi vanitatem, tanquam qui « mortaliter peccat, ea se reddat indignum; sed « satagere debet ut, vanitate deposita, satisfaciat « de peccato. Aliam vero cedendi causam omnino « credimus detestandam, si quis *videlicet* a pontifi- « cali velit descendere dignitate, ut gloriam captet « humanam, tanquam eligat abjectus esse in domo « Domini, magis quam habitare in tabernaculis pec- « catorum, vel ut mundanum non amittat *honorem*, « quem per hypocrisin acquisivit, sive quod ejus « simulatio revelari jam incipit, sive quod fervor « ipsius ex qualibet causa tepescit, nec vult videri « quod malus fuerit, aut quod fiat, et ideo sub reli- « gionis prætextu suam vult contegere pravitatem, « ut, quasi deserens Martham, amplexetur Mariam, « et, Liæ fastidiens lippitudinem, Rachelis pulchri- « tudinem concupiscat. Quid autem, si propterea « velit cedere quod tempore prosperitatis, arridente

A « fortuna, visus est laudabiliter ministrasse, quo- « niam omnia sibi prospere succedebant; sed, « adversitatis tempore imminente, veretur ne, si « quolibet casu sinistra contingant, *ipsius* negligen- « tiæ imputetur. Plane, si propter hoc petit cedere, « nautæ se *potest* improvido comparare, qui, cum, « mari sub tranquillitate jacente, sine multo labore « navis exercuerit gubernaculum, ipsam, *tempestate* « *surgente*, deserit, et devenire patitur in profun- « dum. Illam quoque cedendi causam penitus dete- « stamur, si forte cedere velit episcopus, ut alter « sibi succedat, vel obtentu pretii, vel affectu car- « nali, vel ut, cum pejor sibi successerit, ipse velut « optimus extollatur. Illud autem quasi nefas re- « spuimus et damnamus, quod episcopus, propter

B « occupationes mundanas, et sollicitudines sæcu- « lares, non valeat sine crimine pontificale officium « exercere, cum multos sanctos Ecclesia veneretur, « qui spiritualia simul et temporalia ministrarunt. « Verumtamen, læva debet esse sub capite, et « dextera in amplexu. Sed, et illud te volumus « advertere diligenter, ne forte, *per* (29) hoc tuæ « dispositionis propositum, effici velis ex illis de « quibus dicitur per Prophetam: « Filii Ephrem, « intendentes arcum et mittentes sagittas, conversi « sunt in die belli (*Psal.* LXXVII); » cum potius pro « domo Israel murum debeas te opponere ascenden- « tibus ex adverso; quia, juxta sententiam Veri- « tatis, non qui incœperit, sed qui perseveraverit, « salvus erit; cavens *attentius* ne maculam in gloria « tua ponas, non solum apud homines, sed etiam

C « apud Deum, quoniam sub hoc pallio te non pote- « ris occultare, nedum apud Deum, qui renes rima- « tur et corda, sed nec etiam apud homines, qui ex « verisimilibus conjecturis talia suspicantur. Illud- « que prudenter attendas, quod, juxta sententiam « Sapientis, sanctus Spiritus disciplinæ effugit fi- « ctum, et auferet se a cogitationibus quæ sine « intellectu consistunt. Si vero, pro tuenda Eccle- « siæ libertate, difficultatis onus incurrere perti- « mescis, non ideo deserere debes præsulatus hono- « rem, considerans diligenter ne forte justo judicis « tenteris ab illo qui malorum est intentator, ut « probetur utrum satisfacere velis in eo in quo « *forsan* deliquisti. Qui vero contemnit, aut negligit « satisfacere pro delicto, thesaurizat sibi iram in die

D « iræ, cum revelabit Deus abscondita tenebrarum. « Ecce quidem admovimus tibi speculum, ut te « ipsum contempleris in ipso, tuamque conscientiam « perscrutatus, agnoscas ex qua causa cedendi « licentiam postules importune. Nos enim (novit

(22) Decretal. legunt *ministravit*, et mox *utpote* pro *ut puta*.

(23) Decret. *generationem*.

(24) Sic vocat eum qui ex scorto natus est, inquit vetus interpres. Vide cardinalem Paliotum, *Lib. de no his et spuriis*.

(25) Quæ sequuntur desunt in Decretalibus; verum reperiuntur apud Pith. in add.

(26) Hæc apud Pith. desunt.

(27) Pith. *gestas*, et mox *affectu* pro *effectu*.

(28) Pith. *providæ*, et mox *detestabilius* pro *detestabilis*. Infra *aut* legit pro *videl.*, *favorem* pro *honorem*, *illius* pro *ipsius*, *poterat* pro *potest tempore necessitatis* pro *tempest. surg.*

(29) Pithœus hanc vaculam om., et mox *suas* add. post *sagittas*; et *attente* legit pro *attentius*, et infra verbum *forsan* non habet.

« Altissimus), ignoramus quare in cedendi proposito perseveres, quoniam nec infirmitas corporis, « nec longævitas temporis, nec defectus scientiæ, « nec malitia plebis, nec irregularitas personæ, te « reddit ineptum, neque conscientiam sævi criminis « te fateris habere (30). »

(31) Verum, si propter alias causas cessionem, affectes, non est in hoc (32) postulanti favendum, cum hujusmodi postulatio videatur non esse discreta; quoniam (ut id tanquam notissimum omittamus, quod otiositas et voluptas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas captivandas), propter laboris angustias, aut persecutionis incursus, non debes deserere sponsam tuam, cui (33) te fide media copulasti, sciens, quod « Beati sunt qui persecutionem patiuntur propter justitiam *Matth* v), » quoniam, cum probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Sed dices, quod « spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat (*Joan.* III), » et ideo non est qui possit vias illius spiritus perscrutari; qui vero Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quoniam « ubi Spiritus Dei, ibi libertas (*II Cor.* III) : » quare, si cedendi licentia tibi ab homine data non fuerit, nihilominus tamen cedes, quia data est tibi cedendi libertas a Deo. Certe, desipis, si sic sapis. Nam, quomodo Spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit? Si enim vera sunt quæ præmisimus, imo, quia indubitanter sunt vera, procul dubio contra Spiritum Dei agit, qui aliquid *horum* (34) contra veritatem attentat, quoniam ipse est spiritus veritatis.

Porro, si dicas, quod forsan est alia latens causa, propter quam cedendi voluntas tibi cœlitus inspiratur; et nos siquidem respondemus : Tu, quomodo scis quod talis inspiratio sit cœlestis? Nonne recolis quid ille gloriosus pontifex dixerit, cum cœpisset viribus corporis repente destitui ? Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua, illius secutus exemplum qui dixerat : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I), » manere autem in carne necessarium est propter vos.

« (35) Quia igitur diversas tibi causas *super* hac « causa distinximus, et, propter quam *earum* (36) « cedere desideres, ignoramus, te ipsum tibi duximus committendum, ut, de propriæ mentis tribunali te judicans, videas, si sic possis resignandi « desiderio satisfacere, ut gregis tibi commissi « curam sine culpa valeas declinare. Si enim cedendo proficere appetis tibi soli, profectui tuo « sine dubio tantum subtrahis, quantum quod, impendere poteras, aliis non impendis, quia tunc « majora tuæ animæ lucra conquireres, cum sine « tua salute salutem plurium procurares. Potioris « est enim meriti, secum Deo quemquam plurimos « lucrifacere, quam salutem propriam quærere sine « illis quorum salus ad ejus curam noscitur pertinere (37). » [(38) Quippe, si, *quantacunque virtutum dote* refulgeas, et in te non habeas charitatem, nihil *comproberis* (39) habere, *sub quo virtutis prætextu deponere quæris onus pastoralis sollicitudinis, quod vix potest absque jactura deseri charitatis?* (40) Nulla quidem major poterit esse charitas, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). Cum autem propter hanc te deceat animam tuam pro subditis tuis ponere, nulla occasione, dummodo proficere ipsis possis, etsi non omnibus, tamen multis, ab eorum regimine te convenit excusare, quoniam, si laboris causam prætendis, exemplum te Apostoli sublevabit (*I Cor.* XV), qui suadet tibi laborem hujusmodi non refugere, dum se asserit pro communi salute plus cæteris laborasse, quia, licet non semper sequatur laborem effectus, nihilominus tamen ipse labor est meritorius apud Deum, juxta quod legitur : Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum (*Sap.* X) (41).

« (42) Sed esto quod multum hactenus laboraveris, et bonum certamen certaveris, cum eodem « Apostolo possis dicere; tamen, ut corona tibi « justitiæ de reliquo reponatur, cursum te decet « perfecti operis consummare. Quantumlibet enim « in angustiarum doloribus, qui comitantur officium « pastorale, noctes tibi laboriosas enumeres, et, « tanquam fatigatus cervus, umbram quietis affectes, quantumlibet, inter viæ *squalores angustians* (43), patriæ dilectione traharis, et, velut « emeritus mercenarius, operis tui finem anxius « præstoleris, expedit tibi tamen virtutem in « infirmitate perficere, et pugnam tuam perseverantia coronare; sciensque quod apud extraneum defixeris manum tuam, cum animas tibi « commissi gregis in tuam animam suscepisti, non « sic debes portum tibi quietis appetere, ut navigantes hactenus tecum filios sine remigis adjutorio patiaris in hoc mari magno et spatioso cum « timore naufragii fluctuare (44). »

[(45) Nec putes quod ideo Martha malam partem

(30) Hactenus apud Pith. in add.
(31) Rursus in Decretalibus.
(32) Decretal. add. *tibi.*
(33) In Decretal. add. *defigendo manum apud extraneum, te,* etc. in uno veteri Vaticano, Cod. cit. a Pith. in marg. *cui defungendo manum tuam ap, extr. te,* etc.
(34) Decretal. om. *horum.*
(35) Hæc in decretalibus desunt, reperiuntur apud Pith. in add.
(36) Apud Pith. *sub,* et infra *causam* legit pro *earum.*
(37) Huc usque, in add. apud Pith.
(38) Rursus in Decretalibus.
(39) Decret. leg. *quantocunque virtutum flore,* et mox, *te comprobaris,* pro *comproberis.*
(40) Hæc desunt in Decretal.
(41) Hactenus in Decretalibus.
(42) Denuo apud Pith. in add.
(43) Pith. legit *calores et angustias.*
(44) Huc usque Pith. in. add.
(45) Rursus in Decretalib.

elegerit, quæ circa plurima satagebat, quia Maria optimam partem elegit, quæ non aufertur ab ea (*Luc.* x), quoniam, licet illa sit magis secura, ista tamen est magis fructifera, et licet illa sit magis suavis, ista tamen est magis utilis, cum in fecunditate sobolis, lippitudo Liæ Rachelis pulchritudini sit prælata (*Genes.* XXIX). Quamvis simul in unum et comtemplativus esse valeas et activus, legislatoris exemplo, qui nunc ascendebat in montem, ut ibi gloriam Domini cum majori cerneret libertate (*Exod.* XXIV), nunc vero descendebat in castra, ut cum utilitate majori necessitatibus populi provideret. Quapropter, facilius indulgetur, ut monachus ad præsulatum ascendat, quam præsul ad monachatum descendat (46).]

« (47) *Monemus ergo* (48) fraternitatem tuam, et « hortamur attentius, per apostolica scripta man- « dantes quatenus, illam vocem Davidicæ impreca- « tionis abhorrens, tibique formidans eam per effe- « ctum operis adaptari, quæ dies impii paucos fieri, « ut episcopatum ejus alter accipiat, imprecatur,» [(49) laborem pastoralis regiminis non recuses, *jactansque tuum in Domino cogitatum, nihil contra voluntatem Altissimi statuas de te ipso, qui cum te suo viderit esse populo necessarium, forsan grave ferret, cum ipsum a te contingeret esse neglectum*, ac (50) fortassis ad pedes suos cum Maria sperneret te recipere, qui sibi apud te diverte nti sprevisses cum Martha sollicita ministrare (51).

« (52) Illud quoque te debet fortius in ministrandi « proposito stabilire, quia, cum hactenus in eccle- « sia tibi commissa laudabiliter ministraris, si, « quod absit! alius, te cedente, minus utilis assu- « meretur ad ipsam, profecto non parum *in ipsa* (53) « quiete, quam appetis, turbareris, cum, ubi bene « tuum exercueras ministerium, non absque dolore « cerneres inutilis ministri defectum, fieretque ut « tantum in contemplationis arce tibi deperisse « cognosceres, quantum ecclesiæ cui præsides, non « sine tua confusione per te subtractum esse vide- « res (54).»

[(55) Quia vero, *tam per te quam per nuntios et* A *litteras tuas, apud nos jam nimis* (56) in postulando cedendi licentiam institisti, ecce tibi duximus relinquendum, ut, distinctis *tibi* (57) causis, propter quas cedere oporteat, *vel non cedere*, si propter aliquam causam utilem et honestam in hujusmodi proposito perseveres, de licentia nostra cedas, *quod tamen grave nobis plurimum esse noveris et molestum.* Alioquin, cedendi licentiam auctoritate apostolica tibi scias esse penitus interdictam, quoniam, etsi pennas habeas, quibus satagas in solitudinem avolare, ita tamen astrictœ sunt nexibus præceptorum ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum.] Quod si tua denique te voluntas impulerit ad volatum, volumus et mandamus ut litteras istas in audientia capituli tui facias recitari.

B Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Martiis, pontificatus nostri anno nono.

II (58).

ARCHIEPISCOPIS TOLETANO ET COMPOSTELLANO.

*Mandat ut controversias, quas Castellanus et Legionensis reges de quibusdam oppidis exercebant componere studeant.*

III (59).

.....BRACARENSI ARCHIEPISCOPO.

*Consultanti respondetur quod vigiliæ apostolorum jejunantur, et alia dubia certificantur.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Martii.)

[Consilium nostrum] «(60) super quibusdam ar- « ticulis requisisti utrum *videlicet* sit in omnibus « apostolorum vigilis jejunandum, cum *plures* as- « serant non esse jejunandum in omnibus, sed ex C « tantum? Utrum etiam jejunandum sit in *Adventu*, « cum inde sentiant diversi diversa, quibusdam di- « centibus, sed paucioribus, jejunandum esse tunc « temporis: pluribus vero, se ad hoc asserentibus « non teneri? Utrum, insuper, si festum illorum, « quorum vigilias jejunamus, secunda feria *celebrari* « contingat, in præcedenti Sabbato, sint vigiliæ « faciendæ?» (61) [(62) *Nos autem tibi super hoc* (63) taliter respondemus, quod *apud nos omnes* apostolorum vigiliæ in observatione jejunii *celebrantur* (64), præter vigilias *sanctorum* Philippi et Jacobi, et beati Joannis Evangelistæ, quoniam *illorum* festivitas,

(46) Huc usque in Decretalibus.

(47) Apud Pith. in add.

(48) Apud Pith. desunt, ut modo conjunctionem *et.*

(49) Denuo in Decretalibus.

(50) Desunt in Decretal., tantummodo *ne*

(51) Hactenus in Decretal.

(52) Pith. in add.

(53) Pith., *ab illa.*

(54) Huc usque Pith. in add.

(55) Quæ sequuntur, in Decretal.

(56) Hæc Decretal. omittit.

(57) Hoc verbum om. Decretal, ut infra quæ Italico charactere distinguntur.

(58) Epistolæ hujus apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. — Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 34.

(59) Diversa hujus epistolæ fragmenta reperiuntur in Decretalibus; scilicet lib. III, tit 41. *De celebratione missarum, et sacramento Eucharistiæ, et divinis officiis*, cap. 4; et eod. lib. III, tit. 46, *De observatione jejuniorum.* cap. 11. Quæ utroque leguntur, hic uncis inclusa sunt Varias lectiones, tum ex Decretalibus, tum ex additis apud Pithœum, ad D majorem diligentia notavimus.

Partem ejusdem epistolæ exhibet Raynaldus, ad annum 1206, § 35.

(60) Hæc habes apud Pithœum in add., qui mox om. *videlicet* et *quidam* legit pro *plures*; post *Adventu* addit *Domini*, et infra *evenire* habet pro *celebrare.*

(61) Hactenus Pith. in addit.

(62) In Decretal. nec non apud Raynald.

(63) In Decretal., *consultationi tuæ*, quæ mox *omnium* legunt pro *ap. n. o.*, et add. *sunt* post *vigiliæ*

(64) Decretal. legunt *celebrandæ*, et mox *apostolorum* pro *sanct.*, *ipsorum* pro *illorum*; *sanctorum quoque vigil.*, pro *et s.v.*; *in præcedenti sunt Sabbato jejunandæ*, pro *j. i. s. p.*, et om. verb. *tibi... consilium.*

intra solemnitatem Paschalem, istius autem, intra Natalem Domini celebratur. Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur, *et sanctorum vigilias*, quorum festivitate oportet secunda feria celebrari, *jejunamus in Sabbato præcedenti*. De festivitate vero beati Bartholomæi apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quosdam, *tibi petenti consilium* respondemus quod in hoc tuæ consuetudinem regionis observes.]

(65) Requisisti utrum in diebus profestis, in quibus ad honorem sancti Spiritus, beatæ Virginis et sanctæ Crucis, missam celebrari contingit, hymnus angelicus, Symbolum ac præfatio propria debeant decantari, « (66) præsertim cum in partibus tuis in « honorem beatæ Mariæ virginis in Sabbatorum « diebus missa solemniter celebretur? »(67) *Ad quod utique* (68) respondemus quod apud nos, in diebus professis, cum celebrantur missarum solemnia in honorem beatæ Virginis, neque hymnus angelicus, neque Symbolum *canitur*, licet in missa propria Præfatio *decantetur*, ut inter commemorationem et solemnitatem differentia ostendatur. Unde *Te Deum laudamus* regularius dimittitur quam dicatur in Laudibus matutinis (69). [(70) Cum autem quæsieris quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadragesimalibus tempore illo, quo tantæ famis inedia ingruebat quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti, *tibi breviter* (71) respondemus quod *in* articulo illos non credimus puniendos, *quos tantum urgens necessitas* (72) excusavit ; preces tamen Domino pro illis et cum illis, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere *pro culpa*, ubi minime reperitur, effundas. Item de illis qui in Sabbato, *juxta terrarum consuetudinem aliarum* (83) propter debilitatem *quam in se sentiunt* carnes sumunt, quod in partibus tui nullatenus fieri consuevit, cum hoc ab aliis moleste feratur et oriatur inde illis occasio detrahendi, *tale damus tibi responsum*, quod super hoc tuæ consuetudinem regionis facias observari, sic tamen quod debilibus et infirmis propter hoc periculum non emergat.

(74) Præterea, *postulasti apostolicum responsum habere* (75), de illis qui in Quadragesima vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, et petunt sibi esum carnium indulgeri, *quorum quidam promittunt propter hoc eleemosynam se facturos quidam, vero,*

A *propter necessitatem infirmitatis urgentis, hoc a te sibi quasi ex debito concedi requirunt*; *super quo tibi duximus respondendum* (76), quod, cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes et debes, ut majus in eis periculum evitetur.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IX Kalendas Martii (77), pontificatus nostri anno nono.

## IV (78).

.....BRACARENSI ARCHIEPISCOPO.

*Quod percussio clericorum, in satisfactione injuriæ illatæ aliis, secundum morem patriæ, inhibita sit.*

(Apud S. Petrum, VII Kal. Martii.)

[Contingit interdum *in partibus tuis, et de consuetudine regionis habetur, sicut tua nobis fraternitas*
B *intimavit* (79), quod clerici, si quem offendant, et satisfacere velint offenso, secundum morem patriæ, quem inter se laici jam observant, corpora sua sponte supponunt triginta, *vel decem*, seu pluribus, aut paucioribus percussionibus fustium, *quas frequenter non coacti suscipiunt, sed volentes, non solum de aliorum clericorum manibus, sed etiam laicorum*; *unde, nos humiliter consulebas, utrum hujusmodi percussores in canonem incidant sententiæ promulgatæ* (80)? Nos autem, fraternitati tuæ super hoc *taliter* (81) respondemus, quod hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen injuriosa videtur, cum ille canon non tam in favorem clerici ordinati, quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus, et ideo, volumus et mandamus, ut id de cætero prohibeas attentari *per provinciam Bracarensem*.
C Si quis autem clericus, post prohibitionem hujusmodi, se sponte subjecerit tali pœnæ, *vel laicus in eum talem pœnam injecerit*, excommunicetur *uterque*, proviso ut clericus injuriam passo sine injuria clericali satifaciat competenter, quatenus inter eos pax valeat rationabiliter reformari.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Kalendas Martii, pontificatus nostri anno nono.

## V (82)

..... NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Consultanti respondetur quod non est verus baptismus nisi per aquam et sacerdotem fiat.*

(Apud S. Petrum, Kal. Martii.)

[Non ut apponeres *tibi scientiam, sicut credimus, sed ut per oraculum verbi nostri tuorum ignorantiam*
D *subditorum melius erudires, apostolicum tibi respon-*

(65) Vide Decret. lib. III, tit. 41, cap. 4.

(66) Hæc desunt in Decret. Verum reperiuntur apud Pith. in add.

(67) Rursus in Decret. loc. cit.

(68) Decret. legunt, *inquisitioni tuæ taliter*, et mox, *cantetur* pro *canitur*, *decantatur* pro *decantetur*.

(69) Hactenus in Decret. lib. III, tit 41, cap. 4.

(70) Vide Decret. lib. III, tit 46, cap. 2.

(71) Decretal. omittunt et mox *tali* addunt post in.

(72) Desunt in Decret., sed leguntur in antiqua compilat.; mox *culpam* legunt loco *pro culpa*, et addunt *culpa* post *ubi*.

(73) Hæc Decret. omittunt, ut mox *quam... sentiunt*, et infra *respondemus* legunt pro *tale...responsum*.

(74) Hæc etiam apud Raynaldum.

(75) Desunt.

(76) *Respondemus*, loco *quorum... respondendum*.

(77) Apud Raynaldum, XI *Kal Martii*.

(78) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. V, tit 39, *De sententia excomunicationis*, cap. 36. Eadem laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 35.

(79) Hæc desunt in Decretal. ut infra verba *vel decem*.

(80) Desunt in Decret. verum leguntur apud Pith. in edd.

(81) Deest in Decr., ut infra quæ charactere cursivo notantur.

(82) Epistola hæc reperitur inter Decretales lib. III.

*sum fieri* (83) postulasti, utrum parvuli sint pro Christianis habendi, quos, in articulo constitutos propter aquæ penuriam, et absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus, et inter scapulas pro baptismo salivæ *conspersione* (84) linivit. *Cum igitur* (85) in baptismo duo semper, videlicet verbum et elementum, necessario requirantur, juxta quod de verbo Veritas ait: *Euntes in mundum universum* (86), baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* XVIII); eademque dicit de elemento: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* III); dubitare non debes, illos verum non habere baptismum, in quibus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Martii, pontificatus nostri anno nono.

## VI

..... NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Quod inhibeat sacerdotibus suis arma ferre et incedere habitu laicali.*

(Apud S. Petrum, Kal. Martii.)

Nec tu nobis absque mentis amaritudine nuntiasti, nec nos sine compassione paterna intelleximus nuntiatum, quod quidam tuæ diœceseos sacerdotes, Evangelium Christi erubescere non verentes, cultu clericalis habitus, tanquam ignominioso, dimisso, sæcularis interdum militiæ arma capiunt, in quibus sanguinem plurimorum effundunt, ac se ad multas vitæ illecebras desolventes, in officiis mundialibus, modestiæ clericalis prorsus obliti, versantur; propter quod a nobis edoceri petisti, quid tibi circa hujusmodi sit agendum et utrum interfectores eorum ad sedem apostolicam mitti debeant absolvendi? Nos igitur super talium dissolutione dolentes, fraternitati tuæ duximus respondendum, quod, cum pastori accurata sollicitudine sit cavendum, ne per incuriam ejus oves oberrent, sacerdotes hujusmodi, regimini tuæ curæ subjectos, et monere te decet, ne ad talia dilabantur, et elapsos, quantum permiserit tibi Dominus, ab erroribus suis sollicite revocare. Quod si se forsan irrevocabiles exhibuerint, quia ferro sunt resecanda vulnera, quæ fomentorum non recipiunt medicinam, tu, habens præ oculis solum Deum, beneficio debes eos ecclesiastico et officio spoliare. Quod autem interfectores talium ratione facinorositatis eorum se valeant excusare, quominus absolvendi ad sedem apostolicam veniant, non videtur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Martii, pontificatus nostri anno nono.

## VII (86*).

..... POTESTATI, ET CONSILIO FLORENTINO.

*Quod evitent hæreticos et persistant in fide.*

(Apud S. Petrum, III Nonas Martii.)

Quidam violenti et impii, vestram jamdudum civi-
A tatem ingressi, qui vulgariter hæretici nuncupantur, ut per errorem pravi dogmatis veritatem impugnent, sacræ Scripturæ sententias, recta dogmata continentes, ad intellectum pravum conantur inflectere violenter, contra quos veraciter potest dici: Hæc est pars hominis impii apud Deum, et violentarum hæreditas, quam ab Omnipotente suscipient; etsi multiplicata fuerint filii ejus, erunt in gladio, et ejus non saturabuntur pane nepotes, quia, cum simplices in errore seducant, sibi partem impietatis acquirunt, et de violentia quam exercent sacram pervertendo Scripturam, hæreditatem sibi non sursum in terra viventium, sed deorsum præparant in inferno, illorumque sequaces, qui, ex eo quod ipsorum errori consentiunt, tanquam in illorum prædicationibus generati,
B multiplicabuntur in gladio, et facti cohæredes illorum, ad inferna descendent, ubi sententia extremi judicii carnes tanquam gladius manducabit. Cumque, juxta prophetam, semen justi pane non egeat, nepotes illorum, qui de filiorum errantium prædicatione nascuntur, panis non satiat, quia, dum in pabulo sacri verbi fatuum quærunt invenire saporem, a veritatis remanent cognitione jejuni, et prædicamenta doctrinæ, quæ ad seductionem reperire laborant, non valent ad refectionem habere. Cum igitur hujusmodi violenti et impii vestras et vestrorum animas pravis fallaciis diutius impugnarint proditorie humilia præponentes, ut eorum, quam docent, nequitia prævaleret, jam per Dei gratiam pro magno parte, sicut accepimus, siluerunt, et eorum pravitas a vobis
C cognoscitur, ac ipsorum stultitia depravatur. Quis itaque sanæ mentis se spurcitiis eorum involvat, quæ, etsi quandoque superficie tenus placeant, conscientiam tamen graviter in actione transfigunt? Quid etiam æstimet illa vera quæ hujusmodi stulti loquuntur, qui sententias sacræ Scripturæ pervertunt, et illa scripta profanant, quæ sancti doctores Ecclesiæ docuerunt? Monemus igitur universitatem vestram in Domino et hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus, in fide catholica et Ecclesiæ unitate constantes hominum impietatem hujusmodi cautius evitetis, ne illorum gladius acutus in fraude perfodiat mentes vestras, sed, sicut viri catholici, matrem vestram recognoscentes Ecclesiam, Jesu Christi doctrinæ, qui ejus verus sponsus existit, devotius insistatis,
D institutionem, quam contra impios prædictos fecistis, laudabiliter observantes, ut vos eorum hæreditas non contigat, cum non fueritis ex eorum prædicatione generati perversa, vestrique nepotes, in fide catholica fideliter eruditi, satientur ex pane qui de cœlo descendit, cujus satietas vitam suscitat in æternum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Nonas Martii, pontificatus nostri anno nono.

tit. 42, *De Baptismo et ejus affectu*, cap. 5, ubi *episcopo Morosiensi* directa dicitur.

(83) In Decretalibus desunt, verum leguntur apud Pith. in add.

(84) In tert. compil. *aspersione.*

(85) Ibid., *respondemus quod cum.*

(86) Add. *prædicate evangelium omni creaturæ, et;* quæ quidem deesse in omnibus antiquis codicibus Vaticanis monet Pithœus in marg.

(86*) Vide Raynaldum, ad annum 1209, § 42.

VIII (87).

CONSULIBUS ET POPULO PRATENSIBUS.

*Ob expulsos e suis finibus hæreticos commendatur.*

(Apud S. Petrum, IV Nonas Martii.)

*In eumdum modum, usque* docuerunt. Gratias igitur referimus Creatori, vestræque discretionis industriam in Domino commendamus, quod hujusmodi violentos et impios a vestris finibus expulistis, inter vos laudabiliter statuentes, ut nullus in terra vestra de cætero habeat consulatum, qui fuerit de fide suspectus. Monemus igitur devotionem vestram in Domino, et hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus in fide catholica, etc., *ut supra usque in finem.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum IV Nonas Martii, pontificatus nostri anno nono.

IX.

..... DECANO DE ETTON, ET..... PRIORI DE AQUA-BELLA (87*), MAURIANENSIS DIOECESEOS.

*Quod procedant in causa Maurianensi.*

(Apud S. Petrum, V Nonas Martii.)

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius, Umbertus, clericus, procurator venerabilis fratris nostri..... Maurianensis episcopi (88), nostris auribus intimavit, quod T. et R. clerici Maurianensis diœceseos, contra dominum suum ad judices, certa ratione suspectos, commissionis litteras impetrarunt, quorum alter est adversarius manifestus, utpote qui partem episcopatus sui ei auferre molitur; super quo pendet adhuc quæstio inter eos, adversus alterum etiam justam causam suspicionis asseruit se legitime probaturum. Ideoque, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus episcopus contra prædictos judices coram arbitris, quos hinc inde duxerint eligendos, justam causam suspicionis legitime comprobari, vos in commisso ipsis negotio, juxta formam eis directam, sublato appellationis obstaculo, mediante justitia, procedatis; alioquin, partes ad eorumdem judicum remittatis examen.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, V Nonas Martii, pontificatus nostri anno nono.

X (88*).

..... MAURIANENSI (89) EPISCOPO.

*Ut gageriam quamdam retinere possit.*

(Apud S. Petrum, Kal. Martii.)

Insinuatione *tibi* (90) præsentium declaramus, quod gageria (91), quam de feudo ecclesiæ tuæ *apud Argentinam a Nantelmo de Miolano* (92) dignosceris recepisse, *Wiffredi fratris ejus accedente consensu* (93), a te potest libere retineri, fructibus non computatis in sortem; ita videlicet, ut, quandiu fructus illos perceperis in sortem minime computandos, idem *Nantelmus* a servitio, in quo tibi et ecclesiæ pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Martii, pontificatus nostri anno nono.

XI (94).

LUNDENSI ARCHIEPISCOPO

*Quod servos, injicientes manus in clericos, mittat absolvendos ad servum servorum, nisi fecerint, ut se subtrahant obsequio dominorum.*

(Apud S. Petrum, Idibus Januarii.)

[Relatum est nobis, quod, cum aliqui servi *tuæ provinciæ* (95), propter injectionem manuum in clericum violentam, in canonem incidunt sententiæ promulgatæ, allegantibus dominis eorumdem, quod carere mancipiis suis nolunt, venire ad sedem apostolicam absolvendi non curant, per occasionem hujusmodi eludentes ecclesiasticam disciplinam. Quocirca, *fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus, quatenus eos venire compellas ad sedem apostolicam absolvendos, cum plus sit Deo, quam homini deferendum, nisi fecerint hoc in fraudem, ut subtrahant se obsequio dominorum, aut *ipsi* propter hoc sine sua culpa *incurrerint* grave damnum (96), et, in utrolibet casu, poteris eos ex indulgentia nostræ *permissionis* (97) absolvere, cum nimis sint ab apostolica sede remoti, sed, in recompensationem laboris, quem in itinere sustinerent, *aliam* eis satisfactionem *injungas*, dummodo non sit tam gravis et enormis excessus, ut, propter vitandum scandalum, et tollendum exemplum, hujusmodi servi ad servum servorum Dei venire debeant absolvendi.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Januarii, pontificatus nostri anno octavo.

XII.

....... ARCHIEPISCOPO TURONENSI (98).

*Ut tradat sepulturæ ecclesiasticæ corpus juvenculæ quæ ex ponte præcipitavitse, non sponte, sed casu, fugiens ut se liberaret a manibus eorum qui inhonesto fine eam persequebantur.*

(Apud S. Petrum, IV Non. Martii.)

Ex parte parentum Nivethæ quondam juvenculæ nostris est auribus intimatum, quod, cum in crepusculo noctis nobilis vir... dominus de insula Brucardi, diœceseos Turonensis, eidem juvenculæ posuisset insidias, volens illam opprimere, quam

(87) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(87*) Vide epistolam libri sexti 186.

(88) Vide *ibidem.*

(88*) Epistola hæc legitur inter Decretales, lib. III, tit. 20, *De feudis*, cap. 1; ubi *episcopo Mariensi* directa dicitur.

(89) Vide epistolam libri sexti 176.

(90) In Decretal. deest.

(91) *Gageria*, pignus, res oppignerata, interdum sequestro data ad plenam securitatem; Gallice, *gage*. GANG. *Glossar.* tom. III, col. 779.

(92) Decretal., *ab M.*

(93) Desunt hæc in Decr.

(94) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. V, tit. 39, *De sententia excommunicationis*, cap. 37; ubi *Lugdunensi archiepiscopo*, al. *Londonensi episcopo*, directa dicitur.

(95) Decret. desunt, ut infra verba *fraternitati... scripta*; vocem *Domini* addunt post *ipsi* et *incurrunt* legunt pro *incurrerint.*

(96) Add. in Decret. *Tunc enim.* Monet Pith. in margine, *enim*, deesse in vestutior. codd.

(97) Decretal. *provisionis* legunt, et mox *alia* pro *aliam* et *injungatur* pro *injungas.*

(98) Vide epistolam libri quinti 53.

sollicitaverat sæpe de stupro, et ipsa garsionibus, qui eam rapere nitebantur, super quemdam pontem occurrerit tandem ipsa, fugiens manus illorum, in amnem de ponte cecidit, et fuit casu submersa. Ipsa vero extracta de amne, subitaverunt capellani ejusdem loci corpus tradere sepulturæ, et tu etiam requisitus dixisti, responsum super hoc apostolicum requirendum. Quocirca, fraternitati tuæ, per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum illa juvencula non sponte præcipitaverit se de ponte, sed fugiens manus illorum qui eam, sicut superius est expressum, rapere nitebantur, casu ceciderit, corpus ejus tradi facias ecclesiasticæ sepulturæ, præsertim, cum ex honesta causa fugisse noscatur, et qui communicabatur viventi, communicandum sit jam defunctæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Nonas Martii, pontificatus nostri anno nono.

XIII (99).

. . . . . ARCHIEPISCOPO, ET O. ARCHIDIACONO, JANEENSIBUS (100).

*Quod dotem faciant assignari viro, cui dos potest credi, cum creditum sit corpus uxoris.*

(Apud S. Petrum, VIII Idus Martii.)

[Per vestras *nobis* (101) litteras, intimastis, quod, cum magistrum *Riccardum*, *Januensem civem*, *ad persolvendum octo libras Januensis monetæ Hugoni pauperi, latori præsentium* (102), auctoritate nostra curaveritis convenire, *quas* idem *Hugo* pro dote uxoris suæ requirebat ab eo, *idem Riccardus* exceptionem opposuit contra ipsum, quod *videlicet* uxorem suam a se repulerat, et *quod* tacita veritate super hoc *nostras* litteras *impetrarat* (103). quia, cum super eadem dote jam alia vice coram vestræ civitatis consulibus quæstio mota esset, ipsi, *juxta consuetudinem terræ* (104), pronuntiaverunt, ut, quoniam idem *Hugo* (105) ad inopiam vergere videbatur dos illa non assignaretur eidem, nisi cautionem idoneam de ipsa non peritura præstaret. Unde, vos, *communicato prudentum concilio, præcepistis, ut idem Hugo uxorem suam reciperet, et juxta terræ consuetudinem, de solvanda* (106) dote caveret, *et, donec id posset facere, dos ipsa reponeretur, si vellet, in secretorio Ecclesiæ Januensis. Quod cum implere non posset, ad instantiam ejus nobis hæc rescribere curavistis* (107). Cum ergo satis possit credi modicum dotis, cui creditum est corpus uxoris, *discretioni vestræ per apostolica scripta* (108) mandamus quatenus dotem assignari faciatis eidem, sub ea quam potest cautione præstare, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustentare, ne, occasione dotis detentæ, uxor a viro dimissa, seu vir, qui dimisit uxorem, adulterii reatum incurrat.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

XIV (109).

EPISCOPO BANBERGENSI

*Datur terminus veniendi ad recipiendam absolutionem.*

XV (111).

*Instrumentum, quo Echembertus, Pabembergensis* [al. *Bombergensis episcopus, promissam domino papæ fidelitatem et obedientiam se servaturum chirographo obtestatur.*

[Ego; Echembertus, Pabembergensis episcopus, per hoc scriptum, sigillo meo munitum, volo fieri manifestum, quod ex illo juramento fidelitatis et obedientiæ, quod in consecratione mea corporaliter præstiti, profiteor me teneri ad obediendum, etiam super negotio Romani imperii, mandatis domini papæ. Unde, sub illo juramento spondeo et promitto, quod super negotio Romani imperii mandatis domini mei papæ Innocentii sine fraude parebo, et cum ab eo vocatus fuero, cessante justo impedimento, ad præsentiam ejus accedam. Mandavi præterea Leupoldo, clerico meo, et mandatum non revocavi, ut præscripta juret in animam meam].

XVI (113).

.......TURONENSI ARCHIEPISCOPO (113)........ MAGISTRO, ET FRATRIBUS HOSPITALIS SANCTI SPIRITUS IN SAXIA.

*Adjungitur hospitali eorum fundum de Fonte Moron.*

(Apud S. Petrum, VIII Idus Martii.)

Solet annuere, etc., usque impertiri. Ad suppli-

(99) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. IV, tit. 20, *De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda*, cap. 7.

(190) Vide epistolam libri quinti 123, not.

(101) In Decretal. deest verbum.

(102) Decretal. legunt *R. super quadam summa pecuniæ pro H. paupere*, et mox *quam* pro *quas*, *H.* pro *Hugo dictus R.* pro *Riccardus*; infra voces *videlicet, quod, nostras*, omittunt.

(103) Pith. leg. *impetravit.*

(104) Hæc desunt.

(105) Decretal., *H.*

(106) Decretal. legunt *ei, ut de solvenda*, et post *dote careret* add. *et uxorem suam reciperet præcepistis.*

(197) In Deeretalibus desunt ; verum leguntur apud Pith. in add

(108) Decretal. add. *ei*, et omitt. verba *discret... scripta.*

(109) Epistolæ hujus apographum, quod ad fidem apographi Conti exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 13.

« Sicut ferocientis Adolphi elatos animos compressit pontifex, ita Echemberto, Bambergensi episcopo, qui, cum ob defectionem ab Innocentio ecclesiasticis censuris jam ante irretitus ac munere interdictus fuisset, demum ad frugem reversus, clericum suum Romam ad apostolicæ sedis implorandam misericordiam miserat, absolutionis beneficium largitur (*epist.* 14), atque ad fidem servandam animos addidit.

(110) Eckenbertus, sive Erimbertus, Stephani Hungarorum regis frater, filius Bertholdi Moraviæ ducis, Ecclesiæ Bambergensi (post Conradum, electum anno 1302, et, sequenti statim ab electione die defunctum), præfuit laudabiliter 32 annis. Bellum gessit contra Bernardum Carinthiæ ducem, cujus ditiones vastans captus est, certis autem pacis conditionibus dimissus. Obiit anno 1235. BUCELIN. *Germam. sac.* part. I, pag. 24.

(111) Epistolæ hæc, seu potuius instrumenti forma, legitur apud Raynaldum, ad annum 1206, § 13.

(112) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(113) Vide epistolam libri quinti 53, not.

cationem quidem dilecti filii, nobilis viri, Rogerii Palestensis, fundum Fonte Moron. quem de bonis propriis acquisivit, nobis ab ipso gratis oblatum, in jus et proprietatem apostolicæ sedis recipimus, et domum constructam ibidem vestro adjunximus hospitali, auctoritate apostolica statuentes, ut locus ipse de cætero ad domum vestram, quæ de bonis est beati Petri constructa, nullo pertineat mediante. Nulli ergo hanc paginam nostræ constitutionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

XVII

...... ABBATI SANCTÆ COLUMBÆ SENONENSIS (114).

*Concedit ei facultatem percipiendi decimas ex laboribus terræ parochiarum suarum.*

(Apud S. Petrum, VI Idus Martii.)

Ex parte tua fuit postulatum a nobis, ut, cum tibi de parochiarum tuam laboribus, sicut asseris, sit indultum decimas cum integritate percipere, tibi vellemus misericorditer indulgere, ut de terris quæ infra parochias tuas rediguntur noviter ad culturam, de indulgentia nostra exigendi decimas facultatem haberes. Cum igitur, si majus est tibi concessum, videlicet, quod decimas de laboribus terræ parochiarum tuarum percipias, de novalibus eas exigere satis potes, quia, ubi majus tibi conceditur, minus etiam in hoc casu concessum esse videtur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

XVIII (115).

..... POTESTATI, ET CONSILIO FAVENTINO (116).

*Quod excludant pauperes de Lugduno et Patarenos de patria et civitate eorum.*

(Apud S. Petrum, VI Idus Martii.)

Jam derident Ecclesiam tempore juniores, quorum patres non dignabatur ponere cum canibus gregis sui, eamque subsannant magistrorum discipuli, qui pervertere studuerunt sententias sacræ Scripturæ, novosque invenire sermones quibus erroris fallacias immiscerent, ut, cum in Ecclesia meritis patres aliorum esse non poterant, saltem erroris novitas videri faceret illos patres, qui, exeuntes a nobis, quia ex nobis non erant, post se dimisere sequaces, qui, tempore juniores, in pravitatis novitate lætantur, quæ aliquandiu sepulta fuerat et abjecta, canibusque gregis Dominici latratum non dantibus, latrant ipsi, non ut insidias lupi repellant, sed potius ut gregem errare faciant, et dispergant, confingentes mendacia, quibus simplicium corda subvertunt, et venenum erroris propinantes indoctis, in subversionem eorum mollierunt sermones suos super oleum, et ipi sunt jacula, cum blanda quæ suggerunt, animæ mortem importent.. Accepimus quidem quod in civitate vestra superstitio hujusmodo hominum perversorum invaluit hactenus, et quotidie invalescit, qui gregem Dominicum nituntur a via veritatis avertere, et ad invium trahere falsitatis. Ne igitur vestra discretio, quam credimus in fide fundatam, irrideri vel decipi possit ab illis, devotionem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta, in virtute Spiritus sancti, sub obtestatione divini judicii, districte præcipiendo mandantes, quatenus hujusmodi hæreticos qui vocatur pauperes de Lugduno, vel etiam Patareni, vel alios, cujuscunque sectæ, schismaticos, qui vobis fuerint nominati, vel scripti, a civitate vestra penitus excludatis, et sub perpetuo banno consistant, nec recipiantur de cætero, vel etiam tolerentur in civitate, vel toto ejus districtu manere, nisi ad mandatum Ecclesiæ revertantur. Bona vero illorum, non habentium catholicos successores, confiscentur secundum legitimas sanctiones, et etiam publicentur domusque destruantur illorum, vel assignentur Ecclesiæ, quam ipsi persequi non verentur. Alioquin, cum zelemus salutem vestram in Domino, et Ecclesiam vestram derideri nolimus, vel vos per hujusmodi pravos homines in errorem adduci, noveritis, nos dilectis filiis.....Sancti Proculi, et..... Sancti Stephani abbatibus Bonosiensibus mandavisse, ut vos ad hoc, si forte, quod non credimus, fueritis negligentes, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, compellant.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

XIX (117).

..... SANCTI PROCULI ET.... SANCTI SPEPHANI ABBATIBUS BONONIENSIBUS.

*Quod hæreticos pauperes dictos per districtionem ecclesiasticam compescant.*

(Apud S. Peirum VI Idus Martii.)

Jam derident Ecclesiam tempore juniores, etc, *in eumdem modum usque* ad invium trahere falsitatis. Ne igitur dilecti filii.... potestas (118), et consiliarii Faventini, quos credimus in fide fundatos, irrideri vel decipi possint ab illis, ipsos monuimus attentius et hortati sumus, per apostolica eis scripta, in virtute Spiritus sancti, sub obtestatione divini judicii, districte præcipiendo mandantes, quatenus hujusmodi hæreticos, qui vocantur, etc., *usque* non verentur. Cum ergo salutem ipsorum zelemus in Domino, et Ecclesiam Faventin. derideri nolimus, etc., *usque* adduci; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos ad h.c, etc., *usque* negligentes, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota compescatis.

Datum Romæ, apud Sanctum petrum, VI Idus Martii, anno nono.

(114) Helias, ex monacho Silvæ-Majoris, abbas S. Columbæ, præfuit ab anno 1196, usque ab annum 1217, quod obiit, XI Kal. Octobris. *Gall. Christ.*, tom. XII, col. 150.

(215) Vide Rayealdum, ad annum 1206, § 42.

(116) Illis nomen erat Cherardinus Rolandini. (Ex *Tonduccio*, sive ex *Cavina* Vide etiam *Tolosani chronicon.*, cap. 128.)

(117) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(118) Vide ad epist. proximo superiorem, not.

XX (119).

... FLORENTINO EPISCOPO (120).

*Quod inducat et cogat commune Pisanum, ne quædam jura marchionis Massæ quæ tenentur ab Ecclesia, occupet.*

(Apud S. Petrum, II Idus Martii.)

Si, quantum in multis et magnis nos, et prædecessores nostri, civitatem Pisanam curaverimus honorare, civitatis ejusdem commune consideret diligenter, si favorem apostolicæ sedis trutina rationis appendat, in quod et quantis ei possit in posterum propensioris utilitatis fructum, et uberioris honoris profectum afferre, profecto Romanam Ecclesiam tanquam piam matrem, teneretur devotione multiplici venerari, et ab ejus omnino læsione cessare, quoniam et filialis sinceritas in operis claritate cognoscitur, et fidei puritas ex devotionis fructibus comprobatur. Sane, ad audientiam apostolatus nostri pervenit, quod prædictum commune, de quo non modica sumus admiratione commoti, dilecto filio, nobili viro, W. marchioni missæ, Calaritano judici, quasdam rationes et jura in Sardinia, quæ ad Romanam spectant Ecclesiam, ejusdem Ecclesiæ nomine possidenti, machinantur auferre; quæ siquidem jura quidam Pisani, ejusdem machionis amici, pro ipso emerunt a societatis Calaritanæ hominibus, qui cum eo in recuperatione terræ fuerunt, non modica propter hoc quantitate pecuniæ jam soluta. Homines quoque prædictæ societatis ipsam resignare pecuniam, et ut dicti amici ejus eam recipiant, per violentiam coercentes, venditionis instrumentum de ipsis rationibus ab ejusdem societatis hominibus fieri sibi faciunt, non attendentes, quod fides est ab ipsis hominibus præstita ipsius marchionis amicis, et pars pecuniæ persoluta, ut videlicet ipsa venditio firmitatem debeat plenariam obtinere, in quo utique facto, et periculum imminet ipsi communi, quod ad volandam fidem præstitam laborare contendit, et quod sedi apostolicæ infert injuriam, dum ad ejus terram manus temerarias extendere non formidat. Cum igitur tam manifestum Ecclesiæ damnum nolimus, sicut nec debemus, clausis oculis pertransire, fraternitati tuæ districte præcipiendo mandamus, quatenus prædictum commune ut ipsum instrumentum venditionis, tanquam in dispendium apostolicæ sedis confectum, omni occasione postposita, revocare non differat, et quæ præmissa sunt, in statu pristino reformari permittit A aut, si jure confidit, sub examine nostro suam justitam prosequatur, cum negotium hujusmodi ad nostrum spectet examen, moneas attentius et indicas, et si necesse fuerit, per districtionem ecclesiasticam, appellatione remota, compescas, mandatum apostolicum taliter impleturus, quod nos sollicitudinem tuam possimus merito commendare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Idus. Martii, pontificatus nostri anno nono.

XXI (121).

ARCHIEPISCOPO PISANO (122).

*De eodem argumento*

XXII (123).

A. (124) PRÆPOSITO; IN ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM ELECTO.

B *Confirmatur electio, et præficitur in pastorem.*

(Apud S. Petrum, V Kal. Martii.)

Venientibus nuper ad apostolicam sedem dilectis filiis..... Sancti Sebastiani..... Sanctæ Mariæ, et..... de Mildense præpositis, C. et C. majoris ecclesiæ, et magistro G... Sancti Nicolai, et L... Sancti Petri canonicis, et nobili viro, G. castellano Magdeburgensi, et pro te confirmationem et palleum postulantibus, nos ei fratres nostri, diligenter auditis et intellectis, quæ tam verbis quam scriptis proposuerunt sollicite coram nobis, pro certo didicimus, et electionem de te factam canonicam exstisse, sed post electionem tuam quiddam a te inconsulte commissum, propter quod, si voluisemus procedere secundum juris rigorem, et non magis secundum C temperantiam æquitatis, postulationem hujusmodi potuissemus penitus reprobare. Quia vero te per exhibitionem operis speciali hactenus dileximus charitate, sicut tua discretio non ignorat, adhuc devotionem tuam ex benignitate gratuita, quam circa te gerimus, experiri volentes, ne beneficium tibi præstitum amittamus, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus talem te nobis, tanquam membrum suo capiti conformando, in administratione Magdeburgensis Ecclesiæ studeas exhibere, quod, cum propositum nostrum plene cognoscas, gratiæ nostræ plenitudiuem merearis, sciturus pro certo, quod nos ea intendimus operari, quæ ad tuum commodum et honorem debeant redundere, dummodo reverentiam et obedientiam nobis debitam humiliter D et devote satagas exhibere. Nos autem, dilectis filiis capitulo Magdeburgensi nostris damus litteris in

(119) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 35.

(120) Vide epistolam libri octavi 162, et quæ ibi annotata sunt.

(121) Epistolæ hujus apographum, quod ad iidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. — Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 36.

« Quamvis Sardinia ad jus Ecclesiæ Romanæ spectaret, ut sæpe diximus, extorserat Pisanus archiepiscopus sibi Ecclesiæque suæ a Massæ marchione, Calaritano judice, fidei jusjurandum, quod soli apostolicæ sedi præstandum erat; cumque frequenter Innocentius institisset ut prædictum marchionem sacramenti religione liberaret, nec ille morem gereret, hoc ipso anno imperia minacibus litteris exsequi jussit, vel ut saltem intra mensem, vel ipse, vel alius procuratoris nomine ab ispo missus, apostolicæ sedi se sisteret. »

(122) Vide epistolam libri tertii 9, not.

(123) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 26.

(124) Versimiliter, *Alberto*, de quo Bucelinus, *German. sacr.* part. I, pag. 40:

« XIX Albertus, comes de Kirberge. Sub hoc, ecclesia cathedralis incendio periit. Congressus cum Othone excommunicato, victus, consuluit sibi fuga. »

mandatis, ut, memores devotionis antiquæ, quam Magdeburgensis Ecclesia non solum in prosperis, verum etiam in adversis, erga Romanam Ecclesiam, matrem suam, tanquam filia specialis, noscitur habuisse, in ea firma devotione persistant, inducentes te ad eamdem inviolabiliter observandam.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Martii, pontificatus, nostri anno nono.

XXIII.

..... ABBATI SANCTI VICTORIS PARISIENSIS (125).... DECANO SUESSIONENSI (126), ET MAGITRO R. DE CORZON, CANONICO NOVIOMENSI.

*Causam electionis episcopi Trecensis (127) ipsis committit.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Aprillis.)

Venientibus nuper ad apostolicam sedem procuratoribus dilectorum filiorum... decani (128)... cantoris Trecensium, pro electionibus quæ asserebantur factæ de ipsis (129,) audientiam in consistorio nostro duximus concedendam, ubi fuit ex parte decani propositum, quod, cum tractatus in ecclesia Trecensi de substituenda deberet pontifice celebrari et propter hoc canonici sæpius convenissent, post multum tractatum hinc inde habitum inter eos, et examinationes etiam voluntatum, major pars canonicorum et sanior convenit unanimiter in decanum et elegit eumdem, statimque sedem apostolicam appellavit, sicut in decreto eligentium continetur. Ex parte vero cantoris fuit propositum ex adverso, quod ad eligendum episcopum die statuta convenit capitulum, et tunc magister Josbertus appellationem interposuit in hunc modum, ne videlicet fieret electio vel nominatio. nisi canonica foret, ei concors, post quam appellationem omnes in dilectum filium... cancellarium Campaniæ, convenerunt, quo eligi renuente, capitulum denuo, die alia electioni statuta, convenit, et, eadem die canonicis in capitulo congregatis, habita fuit mentio de cantore, multis, nemine contradicente, dicentibus, quod ad episcopatus regimen bonus esset, nullisque tractantibus de decano. Inter hæc itaque, decanus etiam appellavit, ne fieret nominatio, nisi ordine observato, qui debet in talibus observari, cum prima vox nominandi esset ipsius. Deinde, cantor obtulit decano bonos viros quamplures, tam de ipsa ecclesia quam de aliis ut unus eorum in episcopum eligeretur ab ipsis quorum nullum assumere voluit, vel etiam nominare. Sane, dum talia tractarentur, jam dictus magister Jobertus ex insperato surrexit, ipsumque decanum impetuose in episcopum nominavit, quo vix finiente sermonem, surrexit.... cellarius Senonensis, et dixit, quod male faciebat ipse magister, qui personam, do qua tractatum non fuerat, in episcopum nominabat, statimque nominavit in Trecensem episcopum personam idoneam et discretam, de qua tractatum fuerat in capitulo, cantorem videlicet, et nullus nominationi contradixit ipsius. Quo facto, cantor ductus est ad altare cum hymno qui solet in electionibus decantari, et, canonicis, qui eum duxerant ac altare, postmodum ad capitulum cum ipso reversis, decem canonici, præsente decano, innovavere consensum in præfatum cantorem, præsentibus omnibus, et facto non contradicentibus eorumdem et ad sedem apostolicam appellarunt, ne fieret aliquid contra electionem ipsorum, et post hæc a capitulo sunt egressi. Præterea, ex cantoris ejusdem objectum fuit contra decanum, quod ait Simoniacus, illiteratus, excommunicatus, et claudus. Pars vero decani contra personam cantoris noluit quidqam opponere coram nobis, sed hoc sibi petiit reservari, ut, si foret necesse, posset proponere contra eum; in consistorio tamen nostro fuit publice pars ejusdem decani confessa, prædictas appellationes fuisse factas, sicut superius est expressum, et scrutinium fuisse factum cum omnibus, tribus tantum exceptis, qui noluerunt ad scrutinium venire vocati, videlicet Attone et Joanne fratribus, et cantore, sicut decretum jam dictum, pro decano nobis oblatum, evidenter ostendit. Quia igitur nobis non constitit de præmissis, et, secundum Apostolum, manus memini cito debet imponi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, infra quatuor menses post receptionem præsentium, non solum super his in forma judicii verum etiam super aliis quæ vel electos, vel electiones contingunt, inquiratis per vos ipsos de plano diligentissime veritatem, et, si partes consenserint, ad sententiam procedatis, ita, quod, nisi contra prædictum decanum fuerit sufficienter ostensum, quod sit enormiter claudus, vel insufficienter litteratus, aut Simoniaca labe pollutus, electionem confirmetis ipsius, quam constat a pluribus et dignioribus celebratam, dummodo nihil aliud obsistat de canonicis institutis, excommunicationis objectu nequaquam obstante, cum non possint ei excommunicationem objicere, qui communicabant eidem, nisi forte probaverint se postea didicisse, quod ipse tunc erat excommunicationis vinculo innodatus; si vero probatum fuerit contra ipsum aliquid prædictorum, vos, ipsius electione cassata, consequenter audiatis quæ pro cantore, vel contra cantorem, proposita fuerint, et, Deum habentes præ oculis, quod canonicum fuerit statuatis. Quod si utraque fuerit electio de jure cossata, vos ex parte nostra Trecense capitulum moneatis prudenter, et efficaciter inducatis, ut personam idoneam, quæ tanto congruat oneri et honori. per electionem canonicam communiter et concordi-

(125) Vide epistolam libri sexti 168, not.

(126) Vide epistolam libri octavi 188, not.

(127) Vacabat Trecensium sedes per obitum Garneri (*de Traisnel*,) defuncti Constantinopoli 14 Aprlis 1205, Vide epistolam libri tertii 11, not.

(128) M.llo I *de Capella*, decanus Trecensis innotescit in instrumentis ab anno 1205, usque ad annum 1210. *Gall Christ. nov* tom. XII, col. 526.

(129) Conferenda omnino hæc Innocentii epistola cum his quæ referuntur ab auctoribus Galliæ novæ Christianæ, tom. XII, col. 594, de Hervei episcopi Trecensis electione.

ter sibi præficiant in pastorem. Quod si partes consentire noluerint, ut per vos sententia proferatur, vos negotium sufficienter instructum ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent; ita, quod, si forsan, exigente justitia, electio fuerit utraque cassanda, plenam accipiant a capitulo qui venerint potestatem, ut, juxta consilium nostrum personam idoneam Ecclesiæ viduatæ præficiant in pastorem, cum nolimus, ut per contentiones hujusmodi gregi Dominico diutius desit cura pastoris. Quod si non omnes his exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, nihilominus exsequantur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Aprilis, anno nono.

XXIV (130).

ABBATI (131) ET CAPITULO CASTELLIONIS [*ad.* CONCHARUM].

*Licite in causa necessaria etiam per religiosos juratur.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Aprilis.)

[ Etsi Christus præceperit, secundum evangelicam veritatem, *ut* « Sit sermo vester: est, est, et non, non (*Matth.* V), « *id est*, ut affirmatio vel negatio, sicut procedit ex ore, ita procedat ex corde; qui tamen, hominum excrescente malitia, simplici *affirmationi* (132), vel negationi vix creditur, idcirco prudenter adjunxit: Quod amplius est, a malo est; malo quidem non tam culpæ, quam pœna, nec exhibentium, sed exigentium juramentum. Nam incredulitas hujusmodi magis est pœna quam culpa, unde non dixit, malum, sed dixit, a malo. Licet enim juramentum prohibuisse Dominus videatur nusquam tamen per Creatorem, sed per creaturam jurare prohibuit, ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris. Quare, cum in Evangelio præmisisset: « Dico vobis non jurare omnino, » statim subjunxit: « neque per cœlum, quia thronus est Dei; neque per terram, quia scabellum est pedum ipsius; neque per Hierosolymam, quia civitas regis magni; neque per caput tuum, quia non potes unum capillum facere album aut nigrum (*ibid.*), » et quamvis non sit per creaturam jurandum, si tamen juretur per creaturam, servandum est quidem, dummodo sit licitum, quod juratur (133). Jacobus quoque non simpliciter prohibuit juramentum, sed voluntatem jurandi, cum A ait: « Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per quodcunque aliud juramentum. (*Jacob.* V), » quoniam ad *jurandum* non debet quemquam spontanea voluntas inducere, *quia qui facile jurat, facile perjurat*, sed necessitas trahere importuna: et tunc potest sine culpa jurare, dummodo illos tres comites habeat juramentum, de quibus propheta *sic* ait: Et jurabunt, vivit Dominus, in veritate, et judicio, et justitia, *et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt* (134). Alioquin, non dixisset Apostolus: Homines per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum ad confirmationem finis est juramentum; in quo patenter ostendit per quem jurandum, cum ait: « Homines per majorem sui jurant (*Hebr.* VI), » id est per B Deum; et cur sit jurandum, ut videlicet omnis controversiæ finis sit juramentum. Angelus quoque, quem vidit in Apocalypsi Joannes « stantem super mare et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum (*Apoc.* X). » Christus etiam plus legitur dixisse in Evangelio quam: « Est, est, et non, non (*Matth.* V), » cum sæpissime dixerit: « Amen dico vobis (*ibid.*); » quod ipse, secundum Lucam, exponens, cum præmisisset: « Amen dico vobis, quia propheta nemo acceptus est in patria sua; » consequenter adjunxit: « In veritate dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel (*Luc.* IV). » Apostolus quoque jurabat, cum diceret: « Testis est mihi Deus (*Rom.* I); » iterum: « Quotidie morior per gloriam vestram, fratres (*I Cor.* XV); » qua græca exemplaria C manifestissimam esse jurationem ostendunt. Si enim per se malum esset jurare, profecto Dominus non jurasset; cum tamen in Veteri Testamento legatur: « Quia juravit Dominus, et non pœnitebit eum (*Psal.* CIX); » et rursum: « Juravit Dominus (*Psal.* CXXXI) David veritatem (135); » imo et præcepit in *Veteri Testamento reddi Domino juramenta.* Quædam etenim prohibentur, quia per se malum sunt, ut furtum, adulterium, et hujusmodi quæ non sunt aliquatenus facienda. Quædam vero prohibentur ex causa, non quia per se mala sint, sed quia, si fiant frequenter et multum, ex his mala sequuntur; ut vinum per se quidem malum non est, et tamen prohibet Apostolus, dicens: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria (*Ephes.* V); » quoniam ex D frequenti et immoderata vini potatione luxuria generatur; sic et juramentum per se quidem malum non est, cum sit confirmatio veritatis; sed tamen

(130) Epistola hæc reperitur inter Decretales: in antiqua Collectione. lib. II, tit. 15, *De jurejurando*, cap. 13, pag. 311: in collect odibus Gregoriana et Innocentiana, lib. II, titulo 24, *jurejando*, cap. 26. Verba Italico charactere distincta desunt in Decretalibus uel lectionum varietatem indicant.

(131) Erat, is, verisimiliter, Theodardus, qui successisse dicitur Simoni. Simon autem, anno 1200, ejurata abbatia, alio solum vertere coactus fuit, prout ex Innocentii epistolis, libri primi 301, et libri secundi 38, evincitur. Theodardi successor Hebertus, non nisi anno 1211 in instrumentis innotescit. Vid. *Gall. Christ. nov.* tom. XI, col. 639.

(132) Decretal. legunt *assertioni*, et mox addunt. *a* ante *malo*.

(133) Decretal. add. *quia testes Veritate, qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum*, et infra *juramentum* legunt pro *jurandum*.

(134) Decretal. legunt *quod autem Jacoqus subdit: Neque per cœlum, neque per terram, neque per quodcunque aliud juramentum, jurare vetat per quamlibet creaturam, quodcunque sit illud.*

(135) Decretal. add. *et non frustrabitur eum*, et mox *Testamento: Redde Deo juramenta sua*, pro *testamento reddi Domino juramenta.*

prohibetur ex causa, quoniam ex frequenti et incauta juratione perjurium sæpe contingit, sicut in Ecclesiastico legitur : « Vir multum jurans, implebitur iniquitate, et non discedat a domo illius plaga (*Eccli.* XXIII). » Quemadmodum ergo Paulus *propter necessitatem indulget* (136) discipulo suo, *videlicet* Timotheo, ut utatur modico vino propter stomachum et frequentes infirmitates (*I Tim.* V); sic profecto, cum necessitas exigit, pro re vera, licita et honesta potest secure jurari, quia cessante causa cessat effectus. Licet ergo debeatis esse viri perfecti, ut, quantum potestis, juramenti vinculum evitetis, volentes tamen indemnitati monasterii vestri *paterna sollicitudine* providere, ne, propter defectum testium, sui juri sustineat læsionem *ejus auctoritate, qui dicit in Evangelio : Si peccavit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum, et, si non audierit; adhibe tecum duos vel tres testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum*(*Matth*). XVIII. præsenti *vero* (137) pagina indulgemus, quatenus, vos, et monasterii vestri conversi possitis in causis ejusdem deficientibus aliis testibus, pro ipso perhibere testimonium veritati. ] Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XII Kalendas Aprilis, anno nono.

XXV.

...... PRIORI (138) ET CONVENTUI GLASTONIENSIBUS.

*Quod si non esset bene provisum Ecclesiæ eorum, prosequantur jus suum apud Curiam*

(Apud S. Petrum, II Idus Martii.)

Novit ille qui scrutator est cordium et cognitor secretorum, quod, licet bonæ memoriæ C. papa, prædecessor noster, ecclesiam vestram in sedem erexit cathedralem, ipsam Bathoniensi Ecclesiæ uniendo, ut idem esset episcopus utriusque, suamque constitutionem non solum per privilegium, verum etiam per alia multa scripta, curaverit confirmare, quia tamen hæc unio asserebatur a vobis esse confusio, conquerentibus eam in grave præjudicium Glastoniensi Ecclesiæ redundare, cum per ipsam dissolveretur religio, eleemosyna fraudaretur, et hospitalitas deperiret, nos, vestris supplicationibus inclinati, ad relevandum ecclesiæ vestræ statum intendere cœpimus, quantum decuit, diligenter; et, quoniam absonum videbatur, ut subito prædecessoris nostri evacuaremus in hac parte statutum, cum ei quantum cum Deo possumus deferre velimus, sicut et volumus, quod, quantum cum Deo poterunt nostri nobis deferant successores, unione

A manente, sic de cæteris disposuimus, quantumcunque bonæ memoriæ Savarico (139), Bathoniensi episcopo, displiceret, frequenter ob hoc ad sedem apostolicam laboranti, quod status ecclesiæ vestræ videbatur in melius relevatus. Unde, post diversos tractatus et deliberationes multiplices, quod per viros providos et honestos auctoritate mandati nostri super hoc exstitit ordinatum, ad petitionem ejusdem episcopi, postquam aliud a nobis non potuit obtinere, apostolico tandem curavimus munimine roborare. Vos autem, post obitum prædicti Bathoniensis episcopi, ad nostram præsentiam recurrentes, humiliter postulastis, ut, quia tempus advenerat, quo sine scandalo ecclesiæ vestræ ruina poterat in statum pristinum relevari, cum et Bathoniensis Ecclesia et B Wellensis id ipsum pariter postularet; rex quoque, cum regni magnatibus, et quidam episcopi cum multis abbatibus, deposcerent illud idem unione penitus dissoluta, monasterium vestrum in statum reduceremus antiquam, sub abbatis regimine gubernandum. Nos ergo, diligentius attendentes, quod, episcopali sede vacante, non decet super hoc aliquid immutari, cum non sit qui jus episcopi tueatur, præsertim ne plus favisse personæ quam Ecclesiæ videremur, si, quod ea vivente concessimus, post ejus obitum subito mutaremus, petitionem vestram ex toto, absque damno conscientiæ ac periculo famæ, nequivimus exaudire. Ut autem, solito more, quem et vobis utilem, et nobis honorabilem estis experti, gradatim ab imo procedatur ad summum, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut, cum Batho- C niensis Ecclesia de præsule fuerit ordinata, si ostendere volueritis, quod ecclesiæ vestræ nondum sit ad detrimentum vel præjudicium evitandum plene provisum, jus vestrum apud sedem apostolicam prosequendi facultatem liberam habeatis; interim autem, sub cura prioris idem monasterium libere gubernetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Idus Martii, anno nono.

XXVI.

(140) SANCTÆ MARIÆ IN VIA LATA DIACONO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

D *Quod det licentiam priori et conventui Glastoniensibus eligendi abbatem.*

(Apud S. Petrum, VIII Aprilis.)

Discretioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus, cum Bathoniensis ecclesia de præsule fuerit ordinata, si forsan ille qui præsul fuerit voluerit libere consentire, cum tam Bathoniensis quas Wellensis conventus super hoc nobis per suas

(136) Decretal. legunt *indulsit propter necessitatem.*

(137) Decretal. *vobis.*

(138) Glastoniensis monasterii prior, tunc temporis, erat Thomas. Vid. Adam. de Domersh. *De lite inter episcop. Bathon. monach. Glast.* apud Wharton, *Angl. sacr.* part I, pag. 582. Confer etiam epist. Innocentii libri quinti 90 et 92.

(139) Vide epistolam libri quinti 90· not.

(140) Vide epistolam libri septimi 184.

litteras supplicavit, ut ecclesia Glastoniensis ad statum pristinum reducatur, tu dilecto filio..... priori et conventui Glastoniensibus, licentiam regulariter eligendi sibi abbatem (141), auctoritate nostra suffultus, impendas (142). Quod si prædicti prior et monachi contra dominum episcopum duxerint litigandum, utrique patri præfigas terminum competentem, in quo nostro se conspectui repræsentent.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Kalendas Aprilis, anno nono.

XXVII.

..... ARELATENSI ARCHIEPISCOPO (143).

*Ut delinquentibus præfigat competentem terminum, ad prosequendas appellationes, quas solummodo pro persistendo in ipsorum nequitiis in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ interponunt.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Aprilis.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod, cum, parochianos tuos multipliciter delinquentes a suis volens iniquitatibus revocare, ipsos niteris censura ecclesiastica coercere, personas eorum excommunicationis sententiæ, ac civitatem, et burgum, seu villas supponendo ecclesiastico interdicto, prout delicti atrocitas, et quantitas, seu qualitas, exigunt personarum, iidem, in sua volentes nequitia perdurare, in vocem appellationis prorumpunt in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ. Quoniam igitur appellationis remedium in subsidium oppressorum, et non in subterfugium malignantium est inventum, ne per hujusmodi insolentiam ecclesiastica disciplina penitus enervetur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, quatenus taliter appellantibus ad appellationem interpositam prosequendam præfigas terminum competentem, et, si eamdem infra illum non fuerint prosecuti, nisi forte fuerint causa rationiabili præpediti, extunc justitiam ecclesiasticam, appellatione proposita, prout ordo rationis poposcerit, exerceas in eosdem ita tamen, quod rigor mansuetudine temperetur. Manifestissima vero crimina, quæ nulla possunt tergiversatione celari, sublato appellationis prætextu, remanere nolumus incorrecta.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XV Kalendas Aprilis, anno nono.

XXVIII (144).

...... PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANO (145).

APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO

*Quod confirmet pactionem inter regem Cypri, et comitem H. tunc regni Hierosolymitani dominum.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

Cum de superni dispositione consilii, super populos Hierosolymitanæ provinciæ, qui pro peccatis non solum suis, sed forsan aliorum, de manu Domini duplicia receperunt, duplicis officii receperis potestatem, ut, in Dei Evangelium segregatus, cum patriarchalis dignitatis honore legationis officio fungereris, profecto tibi noscitur imminere, ut diligenter ea per sollicitudinis tuæ studium procurentur, quæ ad procurationem status ejusdem provinciæ utilia possunt esse. Insinuante quidem dilecto filio, nobili viro, G. de Monte-Biliardi, regni Hierosolymitani comestabulo, et charissimi in Christo filii nostri.... Cypri regis illustris, tutore ac bajulo regni sui, nostris est auribus intimatum, quod olim inter claræ memoriæ H. regem Cyprensem, et comitem Henricum, tunc Hierosolymitani regni dominum, super matrimonio filiorum, filiarumque suarum invicem contrahendo, et comitatu Joppensi, quædam pactio provide facta fuit, quæ, juramento hinc inde præstito confirmata, in publicum redacta fuit nihilominus instrumentum. Cum igitur, tam idem rex quam etiam dictus bajulus, nostro humiliter apostolatui supplicarit, ut pactionem ipsam velut non solum ei, verum etiam toti provinciæ profuturam, auctoritate præciperemus apostolica observari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita de pactione ipsa diligentius veritate, si eam provide inveneris esse factam, et præsertim ad utilitatem spectare, tam publicam quam privatam, ipsam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam inviolabiliter facias observari; contradictores, monitione præmissa, simili districtione compescens.

Datum Laterani, III Kalendas Aprilis, anno nono.

XXIX.

AURELIANENSI EPISCOPO (146).

*Ut, inspecta veritate, R. subdiacono solum clericatus officium exercere permittat, quia vim vi repellendo laicum percusserat.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Aprilis).

In nostra præsentia constitutus, dilectus filius, R. subdiaconus, supplici nobis insinuatione monstravit, quod, cum quidam laicus, qui de morte cujusdam avunculi sui habetur suspectus, eidem occurreret evaginato cultello, cum non posset, propter impedimentum canonicalis habitus quem gerebat, ejus vitare furorem, ac cerneret sibi mortis periculum imminere, ipsum vim vi repellendo percussit. Quia vero dictus laicus, occasione percussionis hujusmodi, extremum post dies aliquot clausit diem, subdiaconus idem, pœnitentia ductus, Hierosolymam

(141) Vide epistolam libri quinti 90, not.

(142) Vide Adamum de Domersham, *De lite inter episcopos Bathon et monachos Glaston.* apud Wharton, *Angl. sacr.* part. I, pag 583, ubi monachos Glastonienses non nisi anno 1218, ab Honorio PP. III liberam abbatem eligendi facultatem impetravisse dicitur.

(143) Vide epistolam libri septimi 176, not.

(144) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 8.

(145) Vide epistolam libri septimi 222.

(146) Aurelianenses infulas, tunc temporis, adhuc gerebat Hugo I, *de Garlande*, qui, ad episcopatum evectus anno 1198, hoc ipso in quo nunc versamur anno 1206, vitam cum morte commutavit. Ipsius obitus notatur IV Nonas Maii in Necrologio Curiæ-Dei. *Gall. Christ. nov.* tom. VIII, col. 1457.

petiit pro sui expiatione peccati, ad demum, ad apostolicam sedem accedens, nobis humiliter supplicavit, ut eum in officio clericali permittere dignaremur cum aliis clericis ministrare. Nos igitur, de misericordia, quæ superexaltat judicio, ejus precibus inclinati, fraternitati tuæ præsentium significatione mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, et absque scandalo potest fieri, cum simplex duntaxat clericatus officium inter alios clericos exercere permittas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IX Kalendas Aprilis, anno nono.

XXX (147).

...... COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

*Consultanti respondetur quod idem judicium est in canonicis regularibus sicut in monachis in advocationibus.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Martii).

[Ex parte tua fuit propositum *coram* (148) nobis, quod quidam canonici regulares, *ut se forte peritos in jure valeant demonstrare, ac extra claustrum materiam habeant evagandi*, non solum in ecclesiasticis verum etiam in forensibus causis, præsumunt advocati officium exercere; cumque *objiciatur eisdem*, quod, *juxta canonicas sanctiones*, non debent esse forensis, vel ecclesiastici negotii susceptores, vel exsecutores *etiam*, nisi forte id monasterii exposcat utilitas, abbate nihilominus imperante, ipsi ad suam proponunt *insolentiam* (149) excusandam, quod capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de monachis, non de canonicis regularibus loquitur, de monachis, non de canonicis regularibus loquitur manifeste (150).] Unde *: nos consulere voluisti, utrum tales sint ad patrocinium admittendi? Ad quod discretioni* (151) tuæ taliter respondemus, quod idem judicium de canonicis regularibus, credimus observandum, licet de monachis in canone specialiter sit expressum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Martii, anno nono (152).

XXXI.

EIDEM.

*Confirmatur sententia lata in causa vertente inter Templarios et Ecclesiam Compostellanam.*

(Apud S. Petrum, IV Idus.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum etc,, *usque* inclinati, sententiam definitivam a venerabilibus fratribus nostris, M. Zamorensi, et G. Salamantin. episcopis, judicibus a sede apostolica delegatis, in causa votorum beati Jacobi, quæ inter Ecclesiam Compostellanam, ex una parte, ac Templarios, et Hospitalarios, et Fratres militiæ Sancti Jacobi ex parte altera, vertebatur, mediante justitia promulgatam, sicut est justa, nec legitima provocatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo... si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum IV Idus Martii, anno nono.

XXXII (153).

..... ZAMORENSI ET SALAMANTINO EPISCOPIS.

*Quod ad solvendum vota Ecclesiæ Compostellanæ mensura antiqua observetur certo modo.*

(Apud S. Petrum, X Kal. Aprilis.)

[Ex parte *venerabilis fratris nostri* (154) ..... Compostellani archiepiscopi, fuit propositum *coram nobis*, quod, cum ii qui vota beati Jacobi continue persolverunt (155), ad communem mensuram terræ suæ, cum qua videlicet emunt et vendunt, ipsa persolverint hactenus et persolvant, quidam, *qui a* longis retro temporibus ab eorum solutione cessarunt, nunc *per vos apostolicæ sedis auctoritate ad solutionem eorumdem coacti*, quamdam mensuram parvissimam et ignotam, (156) *nec etiam communibus usibus deputatam exhibent, et ad eamdem vota prædicta solvere moliuntur. Unde*, postularunt (157) *a nobis, ut super hoc vos certos reddere, dignaremur utrum ei qui mensuram ignotam exhibent ad* solven-

(147) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. I, tit. 37, *De postulando*, cap 11.

(148) In Decretal. deest, ut mox verba *ut se.... evagandi.* Infra *objicitur eis.* Legunt pro *obj. eisd.*; verba *juxta can. s.* omittunt, ut mox vocem *etiam.*

(149) Decretal., *insolertiam.* Legendum esse *insolentiam* conjecerat Pithœus.

(150) Hactenus in Decretalibus ; quæ sequuntur reperiuntur apud Pithœum in add.

(151) Apud Pith. *consultationi.*

(152) Apud Pithœum desunt notæ chronologicæ.

(153) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. III, tit. 39, *De censibus, exactionibus et procurationibus*, cap. 18.

(154) In Decretal. desunt, ut mox verba *cor. nob.* infra *quid* legunt pro *qui a.*, et verba *per vos... coacti* omittunt.

(155) Vide Vaseum 591 ; Platinam, *in Lucio III* Ranimirus, rex Hispanorum, ob partam de Saracenis victoriam ope D. Jacobi, quem in prælio equo albo subvectum, vexillum manu præferentem apparuisse fertur, ex voto instituit, ut B Jacobo et Ecclesiæ Compostellanæ certus quotannis census persolveretur. qui *vota* dictus, quod ex voto solemni regio institutus esset, de quo Roderic. Tolet. lib. IV cap. 13. *Tunc etiam vota et donaria beato Jacobo persolverunt, et in aliquibus locis, non ex tristitia nec ex necessitate, sed devotione voluntaria adhuc solvunt.* Et ipse Innocent. noster, lib. II, ep. 139, quæ est de privilegiis Ecclesiæ Compostellanæ: *Illum etiam censum, qui* vota *dicitur, quem Hispanorum catholici reges ex singulis boum paribus, a flumine Pisorga usque ad mare Occidentale, et per totam Lusitaniam provinciam, atque etiam in Toleto, et Transserram annualim persolvendum pro salute totius terræ liberaliter statuerunt, eidem Ecclesiæ confirmamus, et omnimodo interdicimus, ut nulli fas unquam sit eum ipsis Ecclesiæ qualibet occasione subtrahere.* Verum, intepescente religione et studio Hispanorum, quidam, cum a longo tempore in solutione hujusmodi census cessassent, quæ est species hujus capituli, iniquam et ignotam mensuram exhibuere, quæ censum solverent ; cum alii, qui hactenus eumdem solverant, ipsum persolvissent ad communem terræ mensuram, qua emere et vendere solebant.

(156) Quæ sequuntur, Italico caractere distincta, desunt in Decretalibus, verum leguntur apud Pithœum in add.

(157) Apud Pithœum, in add. *postulastis.*

dum (158) *vota* præscripta (159),*sint ad communem suæ terræ mensuram, secundum quod illi qui ea persolverunt continue faciunt, compellendi* ? Cum ergo non constet ad quam mensuram antecessores eorum *præscripta* (160) vota persolverint,credimus distinguendum, utrum habitores regionis ipsius. qui ea continue persolverunt, ad unam et eamdem mensuram hujusmodi vota *persolvant* (161),an ad varias et diversos ? *Si enim communiter omnes una et eadem mensura in solutione votorum utuntur* (162),ad eamdem et illi solvere sunt cogendi. *Quod si communis solutio per mensuras et distinguatur varias et diversas, et illi volunt solvere ad minorem,non sunt utique compellendi* (163),ut ad majorem persolvant, quoniam, cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio,benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne, tanquam exactares,nimium videantur lucris temporalibus inhiare.

Datum Romæ,apud Sanctum Petrum,x Kalendas Aprilis anno nono.

### XXXIII (164).

AURIENSI EPISCOPO.

*Consultanti, quod super ultimis voluntatibus canonicorum observetur Lateranense concilium, et in aliis dubiis respondetur.*

(Apud S. Petrum, Id. Martii.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis,quod, cum cononici tui de domibus in Ecclesiæ solo fundatis,et aliis de bonis ipsius Ecclesiæ acquisitis,pro sua velint voluntate disponere ac suis consanguineis in testamento legare, nec tu id velis in patientiæ tolerare, asserens illud esse non solum contra Lateranensis statuta concilii, verum et contra antiquorum sanctiones, affirmant, per consuetudinem antiquis canonibus derogatum,et Lateranense concilium ab aliis episcopis non servari. Unde,qualiter super his procedere debeas, nos consulere voluisti. Nos igitur, fraternitati tuæ breviter respondemus, ut super his Lateranensis statuta concilii facias,appellatione remota, firmiter observari. [ (165) Quæsivisti præterea.per sedem apostolicam edoceri, ut, cum episcopi ad consecrationes episcoporum ab archiepiscopo suo, vel etiam alio, evocentur, et ipsi metropolitano electum offerant consecrandum, dicentes : *Reverende Pater, postulat sancta Mater Ecclesia hunc electum in episcopum consecrari*, et interrogante archiepiscopo, si sciant illum esse dignum, respondeant quod illum sciunt et credunt pariter esse dignum, et te in responsione hujusmodi, ne offenderes hominem,Deum existimes offendisse, *quandoque præter,quandoque* (166),contra conscientiam respondendo,cum electi conversatio aut minus bene tibi cognita,aut penitus sit ignota ; qualiter in hujusmodi interrogationibus, salva conscientia valeas respondere ? Ad quod fraternitati tuæ taliter duximus respondendum,quod, cum nos aliquem in diaconum vel presbyterum promovemus prior diaconorum, qui nobis assistit, dicit : *Postulat sancta Mater Ecclesia catholica, hunc subdiaconum vel diaconum, ad onus diaconatus vel presbyteratus assumi*, et, nobis interrogantibus, si eum cognovit esse dignum,idem respondet : quod, quantum humana fragilitas nosse sinit, et scit et testificatur, illum ad hujusmodi onus officii esse dignum.Unde, in tali responsione aliquem peccare non credimus, dummodo contra conscientiam non loquatur, quia non simpliciter se scire illum asserit esse dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit,cum illum,quem indignum esse non novit, dignum debeat existimare.] (167)Hujusmodi ergo responsione secure poteris uti,nisi forte de indignitate tibi constiterit consecrandi.Si autem illum indignum esse cognoscas, metropolitano secrete, priusquam ad hujusmodi scrutinium veniatur, studeas nuntiare, quamvis, ut duximus, nos interrogationem hujusmodi, non in consecratione pontificis, sed in ordinatione diaconi vel presbyteri, faciamus. Postulasti præterea edoceri quibus verbis pontifex. Romanus utatur in eo loco canonis missæ, in quo sacerdos inferior dicit, una cum papa nostro, et antistite nostro, cum idem pro se tunc videatur orare, ac supra se antistitem non habere, ad quod devotioni tuæ taliter respondemus, quod nos ibi dicimus,*una mecum indigno famulo tuo,* ubi verbis prædictis utuntur alii sacerdotes.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Martii, anno nono.

### XXXIV.

...... PRIORI (168), ET CONVENTUI CANTUARIENSIBUS.

*Quod veniant ad examen audituri, an provisio archiepiscopi eorum, prout protendunt, fuerit mala.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

Non sufficimus verbis exprimere,aut litteris explicare, in quantum nos et fratres nostri, non solum admirationem,verum etiam turbationem simus inducti super iis quæ circa provisionem Cantuariensis Ecclesiæ, matris vestræ, certa relatione didicimus, per vos, tanquam degeneres filios, improvide perpetrata, ut jam ipsa de vobis dicere possit : *Filios enutrivi et exaltavi,ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I), quasi fornicariam diversis amatoribus exponentes. Proh dolor ! Ubi est illa religionis honestas, discretionis prudentia, veritatis sinceritas, et virtutis constantia,quæ claris late titulis de vobis solebant hactenus prædicari ? Mutatus est color optimus, et

(158) Apud Pith. *solvenda.*
(159) Apud Pith. *prædicta.*
(160) In Decretal. *prædicta.*
(161) In Decret., *persolverint.*
(162) In Decret., *in primo enim casu.*
(163) Decretal. habens tantum *in secundo,volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi.*

(164) Partem epistolæ hujus vulgavit Raynaldus, ad annum 1206, § 36. Quæ apud ipsum leguntur, uncis includimus.
(165) Hæc apud Raynaldum.
(166) Apud Raynald. *quinq.*
(167) Hactenus Raynaldus.
(168) Vide epistolam libri octavi 161.

aurum in scoriam est conversum. Quin imo, veremur ne simulationis amictu vestram huc usque palliaveritis pravitatem, quæ nunc est, scisso velamine turpiter denudata. Sane, cum olim dilecti filii, Salomon, Gual. Simon, Rogerius, et W. monachi vestri, ad sedem apostolicam accessissent, et electionem, quam de Persona dilecti filii, R. subprioris Ecclesiæ vestræ, asserebant a vobis concorditer celebratam, sicut ex decreto fratrum evidentius apparebat, peterent humiliter confirmari, dilectus filius, magister Petrus de Anglesham, ex parte suffraganeorum Ecclesiæ Cantuariensis, eorum se petitioni opposuit adversarium, asserens eos in ipsa electione taliter processisse, quod non solum non confirmari debeat, sed irrita judicari. Cumque prædicti monachi eum repellere conarentur, pro eo quod procurationis mandatum minime ostendebat, responsum est ab eodem, quod in provincia Lombardiæ, apud civitatem Parmensem, tam litteris de mandato, quam rebus aliis fuerat spoliatus, sed paratus erat præstare idoneam cautionem, quod quidquid per eum fieret in hac causa, dicti suffraganei ratum haberent. Licet igitur idem monachi niterentur ostendere satisfationem hujusmodi non esse in hoc articulo admittendam, nos tamen, partium utilitate ac necessitate pensata. cum dubitaretur probabiliter de mandato, eumdem magistrum electioni contradicentem admisimus, prius tamem ab ipso mille marcarum cautione recepta, venerabilibus fratribus nostris, P. Wintoniensi episcopo (169), et magistro Joanne, Sancti Pauli Londoniensis canonico, de nostra licentia se cum ipso ad pœnam obligantibus pro eodem, ut quod per eum fieret in hac parte, ipsi suffraganei firmiter observarent. Insistentibus igitur monachis antedictis ad obtinendum confirmationem electionis prædictæ sicut ab universo ecclesiæ vestræ conventu proponebatur concorditer celebrata, dictus magister eam multipliciter nixus est impugnare, tum, quia, post appellationem ad nos legitime interpositam, non tam celebrata fuerat quam præsumpta, tum, quia suffraganei Cantuariensis Ecclesiæ fuerant in hac electione contempti, cum sine ipsis, imo nisi cum ipsis, non possit vel debeat talis electio celebrari, commune jus et consuetudinem antiquam allegans, ac etiam, quod vos usque ad festum beati Andreæ statueratis inducias cum episcopis super electione tractandi, quas ipsis episcopis inconsultis non fuistis veriti prævenire. Petebat præterea restitutionem quasi possessionis, qua dicebat suffraganeos sæpedictos in hac parte temere spoliatos. Quamvis igitur ex adverso privilegia prædecessorum nostrorum, et nostra, aliaque nonnulla documenta fuerint nobis ostensa, multisque, tam de facto quam de jure, rationibus allegatis, desideranter vellemus finem imponere hujusmodi quæstioni, quæ sine magno dispendio partium non poterat diutius prorogari, quia tamen de quibusdam

A utrinque propositis nequiverat nobis fieri plena fides de communi fratrum nostrorum consilio, interlocuti fuimus in hac parte, ut testes quos utraque pars duceret producendos, usque ad Kalendas Maii proximo tunc venturas, ad sedem apostolicam mitterentur, nisi forte quidam eorum essent valetudinarii sive senes, quos ab hujusmodi onere debilitas redderet corporis excusatos, de quibus ita duximus ordinatum ut per dilectos filios..... Sancti Albani Lincolniensi, et... de Radinges Saresberiensis diœceseon abbates, et..... decanum Sancti Pauli Londoniensis, reciperentur in Anglia, et depositiones ipsorum, suis inclusæ sigillis, nobis infra dictum terminum mitterentur. Unde, sæpefatis suffraganeis per scripta nostra mandavimus, ut universos testes, quos in hac causa ducerent producendos, B nisi valetudinarii forent vel senes, cum instrumentis et rationibus, infra dictum terminum, excusatione, appellatione et dilatione postpositis, ad sedem apostolicam destinarent, providentes, ut, si quos forte prælibata debilitas ad nos accedere prohiberet ipsos, si vellent, coram dictis abbatibus et decano producerent, ut depositiones ipsorum nobis possent in eodem termino præsentari, significaturi nobis per litteras suas, utrum ratum vellent habere quod per antedictum magistrum factum fuerat in hac causa; et, si forte ratum id nollent, habere. procuratores idoneos infra dictum terminum ad nos destinare curarent, qui, omni tergiversatione postposita, sic instructi venirent, quod nihil deficeret quoad ipsos, quominus ipsum negotium per nos, C auctore Domino, finem debitum sortiretur; alioquin, cum in exsecutione justitiæ non debeat esse personarum acceptio vel delectus, extunc, non habentes respectum ad hominem, sed ad Deum, sic Ecclesiæ vestræ, quantum possemus de jure providere, auxiliante Domino, curaremus, quod optata deinceps posset tranquilitate gaudere. Cum autem super his dicti monachi ac magister a nobis litteras accepissent, et a sede apostolica recessissent, in Angliam profecturi, dilecti filii, G. E. H. T. R. L. monachi, et Magister H. archidiaconus Richemundiæ, missi ex parte vestra coram nobis ex insperato venerunt, asserentes, quod tam a vobis, quam suffraganeis, renuntiatum fuerat pro bono pacis appellationibus universis, ac deinde libera et spontanea voluntate in D venerabilem fratrem nostrum... Norwicensem episcopum (170), universaliter et concorditer convenistis a sede apostolica postulandum; quod tum ex vestris, tum ex suffraganeorum litteris ostendebant; unde, nobis et fratribus nostris humiliter supplicabant, ut, propter necessitatem urgentem et evidentem utilitatem Cantuariensis Ecclesiæ, postulationem ipsam admittere dignaremur. Porro, dilectus filius, W. monachus, qui cum prædicto subpriore remanserat, postulationem hujusmodi asserebant penitus reprobandam; primo, quia, postquam ele-

(169) Vide epistolam libri octavi 104, not.

(170) Vide epistolam libri quinti 129, not.

ctionis negotium ad nostrum pervenit examen, nihil A omnino, de illo, nostro non exspectato judicio, debuit a quocunque disponi, præsertim, cum jam fuerit a nobis super ipso negotio præscripto modo processum; secundo, quia, juxta canonicas sanctiones, non erat assumendus extraneus, quandiu poterat domesticus ad regimen ipsius Ecclesiæ idoneus inveniri, unde facultas erat sibi et aliis renitendi, si quemquam ingeri cernerent ex adverso; tertio, quia per litteras vestras, quas prædictis subpriori et monachis, apud sedem apostolicam existentibus, direxistis, manifeste notastis, quod ad postulationem hujusmodi faciendam per impressionem fuistis inducti, cum timeretis dispendium rerum et periculum personarum. Licet igitur multa fuissent non minus diligenti quam efficaci studio ex B adverso responsa, nos tamen, in quorum manibus non debet esse pondus et pondus, quasi statera dolosa, sine personarum acceptione via regia procedentes, non declinando ad dexteram vel sinistram, de communi fratrum nostrorum consilio, postulationem hujusmodi non propter indignitatem personæ sed propter iniquitatem processus, censuimus repellendam, dolentes non modicum, sicut ille novit qui nihil ignorat, super tribulationibus et augustiis, quæ multæ nimis hujus occasione discordiæ Cantuariensem Ecclesiam invenerunt. Postulatione vero, sicut dictum est, reprobata, statim dilecti filii, magister Honorius, et T ... monachus, injunctæ sibi procurationis ex parte vestras litteras protulerunt, asserentes vos subpriorem prædictum nequaquam in archiepiscopum elegisse, sed cum audissetis pro certo, quod charissimus in Christo filius C noster, J. rex Anglorum illustris, et venerabiles fratres nostri, Cantuariensis Ecclesiæ suffraganei, nuntios suos ad sedem apostolicam direxissent, ut a nobis ad vos litteras obtinerent pro aliqua certa persona in archiepiscopum assumenda, ex communi deliberatione, hac fuistis usi cautela, ut de tribus quos inter cæteros nominastis, priore videlicet, subpriore, et præcentore, unus in quem plures ex fratribus convenirent, eligeretur, ad sedem apostolicam destinandus, ut, si forsan animum nostrum ad prædictorum regis et suffraganeorum preces admittendas perpenderet inclinatum, ipse se gereret pro electo, datis sibi litteris in modum decreti confectis, quibus in hoc casu solummodo uteretur. D Cumque in subpriorem plures ex fratribus convenissent, ipsum cum decreto, quasi super ejus electione confecto, adhibitis sibi quibusdam fratribus, ad sedem apostolicam direxistis, in virtute obedientiæ, sub intermitatione anathematis, injungentes eisdem, ut nunquam, nisi forsan in casu prædicto, illo præsumerent uti decreto; ipse vero, ambitionis tenebris excæcatus, aliosque secum damnabili pravitate seducens, pro electo se gessit, cum nunquam fuisset electus; quod, tam per litteras vestras, quam per testes omni exceptione majores, ostendere promittebant Monachus vero prædictus affirmans eumdem subpriorem concorditer ac simpliciter, absque omni contradictione, vel conditione, a cunctis electum, ac vos, elevatis propriis manibus coram ligno vivificæ crucis, et corona beati martyris Thomæ, delegatis in capitulo promisisse, quod illum in pastorem eligeretis et patrem, in quem de tribus prænominatis personis major pars et sanior consentiret, nitebatur procurationis mandatum multipliciter infirmare; super quo cum fuisset aliquandiu disputatum, interlocuti sumus, ut, salvis legitimis exceptionibus, universis, quas contra procuratores aut testes, vel etiam dicta testium, pars subprioris vellet opponere, testes producerentur utrinque; sicque testes hinc inde fuere producti, quamvis ex altera parte quinque, ex altera vero unus, et depositiones conscriptæ. Sed, cum nollent his solis testibus esse contenti, quamvis nos eos ad finem negotii multipliciter ingeremus, de communi tandem fratrum nostrorum consilio, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus usque ad Kalendas Octobris proximo venturas, vos filii, Abel, Joannes de Hale, Eadhmunde, Joseph Giliberte camerarie, Rog. de Tumba, Carole, Honori, Andrea de Infirmaria, Ricarde de Bendingeham, cum sex aliis qui fuerint nominati, nostro vos conspectui personaliter præsentetis, ut, veritate per vos plenius indagata, finem huic causæ, auctore Domino, canonicum imponamus, ab universitate capituli plena potestate recepta, ut, si forte subprioris intentio, qui se asserit non pro sua sublimitate, sed pro libertate Cantuariensis Ecclesiæ laborare, nequiverit prævalere, personam idoneam præficiatis vobis canonice in pastorem. Ut autem super his nobis veritas plenius elucescat, venerabili fratri nostro ... Roffensi episcopo (171), et dilecto filio ... abbati Sancti Augustini Cantuariensis, apostolicis damus litteris in mandatis, ut, ad Cantuariensem Ecclesiam personaliter accedentes, inquirant a cæteris sub jurisjurandi religione plenissime veritatem, eamque nobis fideli relatione rescribant. Et, ne propter regis vel suffraganeorum absentiam hujusmodi provisio valeat retardari, scribimus eisdem regi, et suffraganeis, ut et ipsi propter hoc procuratores idoneos ad nostram non differant præsentiam destinare. Alioquin, cum nolimus diutius, sicut nec velle debemus, Cantuariensem Ecclesiam in dispendium rerum et periculum animarum carere pastore, nos ad provisionem ipsius, auctore Domino, procedemus, inobedientes, rebelles et contumaces taliter puniturі, quod, pœna docente, cognoscent quam periculosum exstiterit in hoc negotio malignari.

Datum Laterani, III Kalendas Aprilis, anno nono.

(171) Vide epist. libri octovi 154, not.

XXXV.

SUFFRAGANEIS CANTUARIENSIS ECCLESIÆ.

*Super eodem.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

Qualiter et quantum a nobis in negotio Cantuariensis Ecclesiæ sit processum, ex litteris quas priori et conventui destinamus, fraternitas vestra poterit edoceri. Cum autem, propter idem negotium exsequendum, quosdam ex monachis Cantuariensibus ad nostram præsentiam personaliter evocemus, volentes, quantum cum Deo possumus, vestro juri et honori deferre, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus procuratores idoneos infra terminum illis præfixum ad sedem curetis apostolicam destinare, ne procuratorum defectum, vel vobis, vel Cantuariensi Ecclesiæ, dispendium B generetur. Alioquin, cum nolimus diutius, sicut nec velle debemus, Cantuariensem Ecclesiam, in dispendium rerum, et periculum animarum, carere pastore, nos, ad provisionem ipsius auctore Domino, procedemus.

Datum Laterani, III Kalendas Aprilis, anno nono.

XXXVI.

.... REGI ANGLORUM.

*Super eodem.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

Qualiter et quantum a nobis in negotio Cantuariensis Ecclesiæ sit processum, ex litteris quas priori et conventui destinamus regalis prudentia plene poterit edoceri. Cum autem, propter idem C negotium exsequendum, quosdam ex monachis Cantuariensibus ad nostram præsentiam personaliter evocemus, volentes, quantum cum Deo possumus, tuo juri et honori deferre, præsentibus tibi litteris intimamus ut procuratorem idoneum infra terminum illis præfixum ad sedem apostolicam satagas destinare, ne, propter procuratoris defectum, vel regiæ celsitudini, vel Cantuariensis Ecclesiæ, dispendium generetur.

Datum Laterani, III Kalendas Aprilis, anno nono.

XXXVII.

...... EPISCOPO ROFFENSI (172), ET ...... ABBATI SANCTI AUGUSTINI CANTUARIENSIS.

*Super eodem.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

D Qualiter et quantum a nobis in negotio Cantuariensis Ecclesiæ sit processum, ex litteris, quas.... priori et conventui destinamus, discretio vestra plene poterit edoceri. Cum autem, propter idem negotium exsequandum, quosdam ex monachis Cantuariensibus ad nostram præsentiam personaliter evocemus, ut super his nobis veritas plenius elucescat, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ad Cantuariensem Ecclesiam personaliter accedentes, inquiratis a cæteris sub jurisjurandi religione plenissime veritatem, eamque nobis infra A terminum illis præfixum fideli relatione rescribere procuretis.

Datum Laterani, III Kalendas Aprilis, anno nono.

XXXVIII.

..... SCHOLASTICO HILDESEMENSI, ET ...... CUSTODI, ET SCHOLASTICO MINDENSIBUS.

*Quod cognoscant certo modo de electione abbatissæ Herisiensis* (172).

(Laterani, Kal. Aprilis.)

Dilecta in Christo filia, R. custos Herisiensis Ecclesiæ, olim apostolicam sedem accedens, et asserens se in abbatissam electam, proposuit, quod, Herisiensis Ecclesiæ abbatissa defuncta, sorores et canonici ejusdem ecclesiæ, ad monitionem diœcesani episcopi, qui ad defunctæ venerant sepulturam, pro electione facienda in simul consederunt....scholastico Padeburnensi vocato, ut vota examinaret eorum. Cumque in unius electione dissenserint octo (173) sorores, de decem et septem, quæ præsentes erant tunc temporis, et omnes canonici qui quatuordecim erant ipsam elegere custodem, advocato, ministerialibus, et toto populo favorem suum præbentibus et assensum. Econtra vero..... præpositissam in abbatissam septem de sororibus nominarunt. Utraque igitur a parte sua episcopo præsentata pro consecrationis munere obtinendo, episcopus partes commonuit ut ad pacem intenderent, et essent super electione concordes, eisque spatium quinque dierum super hoc deliberandi concessit; sexto autem die, cum concordare non possent, partibus injunxit episcopus, ut post alios quinque dies exhibituræ super his electionibus rationes se Padeburnensi capitulo præsentarent. Ipsa ergo custode atque præpositissa cum electoribus suis in Padeburnensi capitulo constitutis, præpositissa et septem electrices ejusdem, G. monialem, quæ de quodam nigro monasterio fuit, et in abbatissam cujusdam ecclesiæ confirmata, et etiam benedicta, præsentavere tunc primum episcopo se illam elegisse dicentes. Unde, parte altera nimium stupefacta, cum, nescientibus illis, nec etiam requisitis, mutassent, illa quæ fecerant, ipsa custos ad proponendam causam suam et etiam defendendam, secundo et tertio ab ipso capitulo concedi sibi petiit advocatum, quem non potuit obtinere. Adversæ siquidem parti fuerunt plures advocati concessi, tuncque præpositissa est manifeste confessa quod electioni suæ renuntiarat omnino, et in ipsam G. monialem cum septem electribus unanimi consenserat voluntate. Quo custos audito, et cognito quod episcopus et multi de capitulo, cum essent consanguinei monialis ejusdem, ad promotionem ejus vellent judicium declinare, postquam super jure Herisiensi, ac sua sibi justitia conservanda, fuit aliquandiu allegatum, ne super electione sua præjudicium pateretur, vocem ad nos appellationis emisit; sed, episcopus, appella-

(172) Vide epistolam libri octavi 154, not.

(173) Legend. videtur, *decem*.

tioni non deferens, pro jam dicta moniali, consanguinea sua, sententiam promulgavit; et eam fecit in abbatiæ possesionem induci. Volpertus autem, clericus, qui venerat partis procurator adversæ, proposuit quod, cum prædicta G. monialis a majori, quoniam ab undecim et saniori parte capituli, scilicet præpositissa, scholastica et decana, et aliis quibusdam sororibus, cassatis tamen prius a jam dicto episcopo duabus frivolis nominationibus, bono zelo fuisset in Herisiensem abbatissam electa et confirmata per ipsum episcopum, memorata custos, eam super hoc molestare præsumens, in eadem ecclesia se volebat intrudere per potentiam laicalem. Ideoque procurator ipse pro eadem petiit moniali, ut confirmationem de ipsa factam observari firmiter faceremus, nocere illi asserens non debere, quod nigra fuerit monialis, et aliæ videlicet Herisienses sorores utantur canonicalibus indumentis, et quod confirmata sit et benedicta alibi abbatissa, cum sit de illius consuetudine regionis, quod nigræ moniales assumantur ad hujusmodi abbatias, et quandoque contingat ut canonica mulier nigrarum monialium teneat abbatiam, asserens hoc etiam a bonæ memoriæ C. papa, prædecessore nostro, sibi fuisse concessum, ut ad abbatiam aliam posset assumi. Custos autem replicabat econtra, quod eadem monialis non debebat assumi, nec poterat ad ipsarum regimen abbatiæ, cum non esset soror ecclesiæ, sed de quodam monasterio nigro venisset, et in abbatissam honorabilioris ecclesiæ confirmata esset et benedicta, a cujus regimine non sine culpa credebatur expulsa, et consecrationem, quam a prædecessore nostro se dicebat habere, ostendere non valebat. Unde petebat instanter, ut quod erat factum de ipsa, irritum faceremus haberi, præsertim cum in litteris jam dicti episcopi. quas idem procurator in suæ partis defensionem habeat, contineretur expresse ipsum episcopum ad confirmationem electionis illius, post appellationem ad nos interpositam, processisse, ac eadem appellatio legitima videretur, cum consanguinitas, qua per litteras suas idem episcopus ipsam monialem contingere perhibebat, manifestam indicarit suspicionem in eum, præter hoc quod, quandocunque a diœcesano suo gravaretur in aliquo, sibi appellare licebat. Nos autem, his et aliis diligenter auditis, quæ tam a procuratore jam dicto fuere proposita, quam custode Heterwardensi, et . . . Hegensi abbatibus, et . . . præposito Gusmariensi, mandavimus ut, quidquid factum erat super monialis electione jam dictæ, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstante, denuntiarent irritum et inane, et, super ipsius electione custodis veritate diligentius inquisita, si electionem ipsius invenirent canonicam, et personam idoneam, eam auctoritate apostolica confirmarent; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Verum, cum ipsa custos mandatum hujusmodi judicibus præsentaret, quod de prædicta G. moniali factum fuerat, auctoritate nostra denuntiarunt irritum et inane; et, cum ipsa nollet dimittere abbatiam, ipsi eam excommunicationis sententiæ subjecerunt, et mandarunt eam arctius evitari. Ea vero, cum electricibus suis, post aliquot dies super electione sua per nuntium appellavit; sed ipsi judices, appellationi nullatenus deferentes præsertim, cum ejus electio de nostro expresso mandato fuerit irritata, et appellatio esset in litteris nostris inhibita, citato Herisiensi conventu, de ipsius electione custodis, prout eis injunctum fuerat, inquirere voluerunt. Cumque ipsius electionem invenirent esse canonicam idoneamque personam, habito prudentium virorum consilio, electionem confirmantes ipsius, abbatiam Herisiensem eidem auctoritate nostra per definitivam sententiam adjudicare curarunt. Et, licet diœcesanus episcopus appellarit, et inhibuerit Herisiensi conventui, ne ipsi tanquam abbatissæ præsumeret obedire, ipsi tamen eam cum omni mansuetudine induxerunt in corporalem abbatiæ possessionem ejusdem, a qua per fratrem monialis prædictæ, et fautores ejus, per violentiam est ejecta, et, præter multa mala, quæ sunt ibi acta per illos, ipsam R. coegerunt juramento firmare, ut usque ad festum beati Martini proximo præteritum, Herisiensem Ecclesiam non intraret, nec etiam domo simplici, vel, quod ibi habebat, stipendio uteretur. Tandem vero, cum ipsa R. super his et aliis affligeretur diutius, ad nostram duxit præsentiam recurrendum, eadem G. moniali similiter veniente. Cumque super his prædicta R. proposuerit quæstionem et postulaverit confirmare judicum processum ipsorum; et ut satisfieret ei de damnis et injuriis irrogatis, prædicta G. poposuit ex adverso, quod, cum electa fuerit in Herisiensis Ecclesiæ abbatissam a majori et saniori parte conventus, et ejus electio a diœcesano fuerit confirmata, ipsa custos ad abbatem Conradesburc. et conjudices ejus litteras impetravit. Cumque ipsa G. ad eorum præsentiam citata, veniret, et ostenderet se spoliatam fuisse ipsius occasione custodis, ab ipsis judicibus reportavit sententiam, se illi nullatenus respondere teneri, nisi esset primitus restituta. Ipsa vero custos, ab ipsa sententia vocem, ad nos appellationis emittens, appellationem suam est personaliter prosecuta. Cumque ipsa G. ad hoc tantum procuratorem transmiserit, ut eadem confirmaretur sententia, procurator ipsius, mandati fines excedens, passus est obtinere custodem quod voluit contra ipsam et ad supradictos Judices, quorum unus excommunicationis subjacebat sententiæ, litteras deportavit, prout, in litteris venerabilis fratris nostri. . . Maguntini archiepiscopi, nobis exhibitis continetur, cum quo alter eorum, tertio absente, in omnibus inordinato processit, et, licet ipsa, et capitulum Herisiensis Ecclesiæ, a loco suspecto et aliis gravaminibus appellaverint, ipsi tamen, nihilominus procedentes, eamdem custodem per Albertum, familiarem ipsius, qui, sicut in eisdem litteris memorati archiepiscopi

continetur, excommunicationis erat vinculo innodatus, et B. Plebanum, in corporalem fecerunt possessionem induci. Ad probandum vero, quod jam dictus procurator tale mandatum receperit, ut videlicet appellationem interpositam prosequeretur, testes coram auditore sibi dato produxit, sed contra responsum est, quod, etsi testes illi tale mandatum probaverint, per hoc tamen nullatenus est probatum, quin aliud recepisset, et ideo, cum pro sententia præsumatur, quod omnia fuerint rite acta, præsertim quæ cum tanta maturitate consilii a summo fuit pontifice promulgata, manifeste colligitur, quod super principali negotio mandatum receperit generale, sicut eadem custos ad id plenius comprobandum per unum testem ostendit. Vos igitur, his et aliis diligentius intellectis, quæ fuerunt ab utraque parte proposita, prædictam G. monialem, justitia exigente, ab administratione ipsius abbatiæ sententialiter duximus removendam, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus, ad ipsam ecclesiam personaliter accedentes, abbatiæ administrationem ejusdem alii personæ idoneæ committatis, cui ad opus ejusdem abbatiæ fiat hinc inde resignatio subtractorum. Vos autem, interim cognoscatis de confirmationis sententia, quæ lata est a delegatis judicibus super electione custodis, ut eam, sicut de jure fuerit faciendum, confirmare vel infirmare curetis; ita, quod si pro eo quod unus ex delegatis judicibus, qui eamdem sententiam protulerunt, excommunicationis esset vinculo publicæ innodatus, quando sententia lata fuit sicut per metroplitani litteras perhibetur, aut ex alia justa causa, eamdem sententiam constiterit infirmandam, ipsa cassata, de ipsius electione custodis iterum cognoscatis; et, audientes quæ tam in factum quam in personam proposita fuerint et ostensa eam, si fuerit inventa canonica, confirmetis. Alioquin, ea penitus infirmata, detis sororibus facultatem liberam eligendi, et, quam in abbatissam sibi duxerint regulariter eligendam, ejus electionem, sublato appellationis obstaculo, auctoritate apostolica confirmetis, et prædictæ custodi de bonis Ecclesiæ faciatis in expensis legitimis provideri, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, ut a sua temeritate desistant, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogentes. Testes autem, si qui fuerint nominati, etc. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus, etc. Quod si non omnes, etc. His, etc.

Datum Laterani, IV Kalendas Aprilis, anno nono

XXXIX.

P. EPISCOPO PORTUENSI (174).

*Datur facultas testandi.*

(Apud S. Petrum, II Nonas Aprilis.)

Cum provida deliberatione disponas de rebus tuis condere testamentum, a nobis humiliter postulasti, ut super hoc tibi licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, tuo salubri proposito benignum impertientes assensum, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut de rebus tuis liberam secundum Deum facultatem habeas disponendi.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Non. Aprilis, anno nono.

XL.

..... ARCHIDIACONO... CANCELLARIO (175), ET... DECANO SANCTI GERMANI AUTISSIODORENSIS (176), PARISIENSIBUS.

*Ut ea quæ sententialiter definita fuerant in causa inter Gualterium de Picerel, pro se ipso, et Hugonem de Feverniaco, pro decano de Alveoli, super ecclesia de Beavilla, faciant observari.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Aprilis.)

Cum dilecti filii, magister Gualterius de Picerel, pro se ipso, et magister Hugo de Feverniaco, pro... decano de Alveoli, super ecclesia de Beavilla invicem litigarent, dilectum filium nostrum, G. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem (177), utrique concessimus auditorem, in cujus præsentia idem magister proponendo monstravit, quod, cum olim venerabilis frater noster...Hostiensis episcopus (178), legationis officio fungeretur in partibus Gallicanis, et Guillelmum de Montibus insignisset charactere clericali, dilecto filio... archidiacono Carnotensi, mandavit ut Ecclesiam quam in archidiaconatu suo primo vacare contingeret donationi suæ reservare curaret, inhibens ne alicui conferret eamdem, in qua disposuerat eidem Guillelmo nullum habenti beneficium providere. Processu denique temporis, cum in morte O. quondam decani de Alveoli, ecclesia de Beavilla vacasset, idem archidiaconus contra mandatum ejusdem legati tam ipsam, quam decanatum G. fratri suo concessit, qui aliam Ecclesiam in eadem diœcesi noscebatur habere. Quod cum ad prædicti legati notitiam pervenisset, eos ad suam præsentiam convocavit, et de prudentium consilio archidiaconi facto cassato, antedictam ecclesiam sic vacantem canonice præfato Guillelmo concessit, sicut in ipsius authentico continetur. In quo postmodum tam venerabilis frater noster..... episcopus (179), quam dictus archidiaconus Carnotenses, qui patronus erat Ecclesiæ, præbuerunt assensum, quemadmodum litteræ testantur ipsorum, et sic memoratus Guillelmus ecclesiam ipsam per quatuor fere annos et ultra tenuit, et a decano qui hoc sciebat pariter et videbat nequaquam fuit tractus in causam. Vacante vero quadam præbenda in ecclesia Sancti Mauricii Carnotensis, quæ ipsum magistrum G. contingebat de jure, prænominatus episcopus pia providentia, seu provida pietate, considerans

(174) Vide epistolam libri quinti 69, not.
(175) Vide epistolam libri quinti 98.
(176) Jobertus, *vel* Josbertus, *vel* Jebertus, decanus S. Germani Autissiodorensis, Parisiensis, notus est Instrumentis ab anno 1204, usque ad annum 1207. *Gall. Christ. nov.* tom., VII, col. 256.
(177) Vide epistolam libri octavi 29, not.
(178) Vide epistolam libri tertii 11, not.
(179) Vide epistolam libri tertii 14, not.

quod præbenda ipsa, cui cura nun erat animarum annexa magis sæpe dicto Guillelmo congrueret, quam eadem ecclesia de Beavilla, quæ pastore assiduo indigebat, ecclesiam ipsam vacantem eidem magistro ad præsentationem dicti archidiaconi nullo contradicente concessit, et præbendam illam præfato clerico assignavit. Unde ipse magister humiliter supplicabat eamdem sibi ecclesiam confirmari, utpote quam canonice sine contradictione, ac etiam ad præsentationem veri patroni se dicebat adeptum, et adversario suo imponi perpetuum silentium super ea. Quod utique dicti decani procurator inficiatus, adjecit quod, cum in obitu C. quondam decani de Alveoli, de Franconvilla et de Beavilla ecclesiæ vacavissent... Carnotensis archidiaconus, ad quem illarum donatio pertinebat, G. fratri suo ecclesiam de Beavilla concessit, ac eum de mandato diœcesani episcopi de ipsa corporaliter investivit, sicut in litteris tam episcopi, quam etiam archidiaconi continetur. Post hæc autem, Guillelmus de Montibus litteras supradicti legati eidem archidiacono præsentavit, in quibus continebatur, eumdem legatum sibi retinuisse donationem unius ecclesiæ, quam primo contingeret in archidiaconatu Carnotensi vacare; et per hoc idem Guillelmus petebat ut vel alteram illarum ecclesiarum sibi conferret, vel donationi legati reservaret eamdem; qui respondit quod neutrum implere poterat, eo quod utramque jam aliis assignarat. Ipse vero Guillelmus, iterato ad eumdem legatum accedens, et falso suggerens ecclesiam de Beavilla vacare, obtinuit apud ipsum quod dictam ecclesiam de facto sibi concessit, et mandavit ut institueretur in ea. Quod comperiens idem G. ne quis eum in possessione sua turbaret, sedem apostolicam appellavit, et, personaliter ad apostolicam sedem veniens, causam ipsam obtinuit judicibus delegari, quo postmodum ad propria revertente, præfatus Guillelmus, de justitia sua diffidens juri, si quod per eumdem legatum in jam dicta ecclesia fuerat consecutus, in manu renuntiavit dicti episcopi Carnotensis, et hoc facto, prænominatus archidiaconus magistrum G. de Picerel eidem episcopo præsentavit, ipsumque, in præjudicium præfati G. absentis, de præscripta fecit ecclesia investiri. Quod intelligens idem G. in sui juris defensionem se pariter et ecclesiam ipsam apostolicæ sedis protectioni supposuit, et, a possessione se dejici non permittens, ad nostram audientiam appellavit; adjiciens ut in statu illo, in quo tunc erant, omnia permanerent, et specialiter hac de causa, quia videlicet dictus archidiaconus, de mandato episcopi Carnotensis, jam dictum magistrum in corporalem possessionem ecclesiæ memoratæ volebat inducere, ad metropolitani audientiam appellavit; sed idem archiaconus nihilominus, post appellationem hujusmodi, magistrum ipsum in possessionem ipsius ecclesiæ inducere attentavit. Unde, cum ad querelam ipsius G. venerabili fratri nostro.... Senonensi archiepiscopo (180).... subdecano, et.... cantori Carnotensibus, causam commisisset eamdem, prædictus magister citatus ab eis, et in eorum præsentia constitutus noluit respondere; sed, statim appellationem ad sedem apostolicam interponens, contumaciter recessit ab eis. Illi vero, nihilominus procedentes, testes contra ipsum legitimos receperunt, per quos fuit evidenter ostensum quod, post appellationem ad Senonensem curiam interpositam, idem magister fuit in corporalem ejusdem ecclesiæ possessionem inductus, sicut in eorumdem judicum litteris legebatur; et sic sæpe fatus magister, custode suo ab ecclesia ipsa depulso, ea fuit rationabiliter spoliatus, quæ tandem fuit alterius curæ commissa, qui, non auctoritate dicti magistri, sed nomine memorati decani, celebrabat in ipsa, recipiebatque obventiones ejusdem. Unde, quoniam idem G. taliter se dicebat illam ecclesiam assecutum, petebat scribi judicibus, qui eum a prædicti magistri molestatione indebita tuerentur. Econtra vero dictus magister replicavit in illum, dicens penitus falsum esse quod decanus, ad præsentationem veri patroni, et de mandato episcopi de ipsa fuerit ecclesia investitus, præsertim, cum episcopus in suis litteris fateretur eumdem decanum, nec de cura illius ecclesiæ, nec de ipsa fuisse penitus investitum. Quod autem præfatum Guillelmum, de reditu decani timentem, abrenuntiasse juri suo in manu Carnotensis episcopi pars adversa dicebat, idem magister prorsus esse mendacium astruebat, cum, post reditum ejus, per tres annos et amplius, ipso vidente ac sciente, illam ecclesiam possederit absque lite. Illud vero magister ipse noluit diffiteri, qui, videlicet adversarius, ad Senolnensem curiam appellasset, ipso quidem magistro sedem apostolicam provocante, ac inhibente, ne decanus ipsum super jure suo præsumeret molestare. At ipse, nihilominus ad metropolitanum accedens, memoratum fecit citari magistrum, qui, coram eo statuta die comparens, litem noluit contestari, sed appellatione innovata, recessit. Archiepiscopus vero, nihilominus causam, sicut etiam adversarius fatebatur, post appellationem, judicibus delegavit; unde, dicebat idem magister, quod, tam per allegationes suas, quam etiam per ea quæ proposuerat pars adversa, constabat ipsum fuisse, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, spoliatum. Ad illud autem, quod adversarius proponebat, post appellationem decani ad Senonensem archiepiscopum interpositam, idem magister fuerat in ejusdem ecclesiæ possessionem inductus; dicebat idem magister quod, si decanus appellaverat, ne archidiaconus commissam sibi executionem impleret, hujusmodi appellationi nulla erat, cum ab exsecutore non fuerit appellandum, ubi mandati fines excedere non tentabat. Adjecit insuper quod,

(180) Vide epistolam libri tertii 45, not.

cum idem decanus nullum in ecclesia jus haberet, sui non intererat appellare, sed, si appellare aliquatenus potuisset, quia idem magister appellationem, quam ille ad metropolitanum interposuerat appellationis ad sedem apostolicam interpositæ peremit objectu, medio tempore non debuit spoliari. Econtra, procurator decani respondit quod, etsi dictus legatus donationi suæ reservari mandaverit primo in archidiaconatu Carnotensi ecclesiam vacaturam, circa prædictam tamen ecclesiam facere hoc de jure non potuit, quia talis potestas sibi minime competebat, cum præsentatio clerici ad illam ecclesiam, non tanquam clerico, sed quasi laico, ratione patronatus, non jure archidiaconatus, eidem archidiacono pertineret; unde, cum inhibitionem ipsius in hoc idem archidiaconus custodire minime teneretur, alium quidem ad eamdem ecclesiam de jure potuit præsentare, ac præsentatio ejus debet, ex quo de persona idonea facta est, firma censeri. Sed ad hoc præfatus magister insistendo respondit quoniam, etsi verum existeret, quod tamen est falsum omnino, jus videlicet præsentandi clericum ad ipsam ecclesiam, non archidiaconalis officii sed temporalis dominii ratione, ad memoratum archidiaconum pertinere, nec in hac parte valuisse prohibitionem legati, tanquam qui non poterat id laico prohibere patrono; ex alia tamen causa, præsentationem archidiaconi factam de prædicto decano asseruit esse irritam et inanem, quia, quando præsentavit eumdem, jam erat longe ante suspensus per dilectum filium, P. tituli Sancti Marcelli presbyterum, tum Sanctæ Mariæ in via lata diaconum, cardinalem (181), apostolicæ sedis legatum, et duravit illa suspensio usque post reditum præfati episcopi Hostiensis, ad cujus interventum idem archidiaconus, in nostra præsentia constitutus, meruit a vinculo suspensionis absolvi, sicut per ejusdem episcopi litteras comprobatur. Procurator vero decani subjunxit e contra quod, etsi archidiaconus suspensionis vinculo teneretur, poterat tamen ei, tanquam laico, donatio ipsius ecclesiæ jure competere patronatus, quo nec per prohibitionem, nec per suspensionem legati potuisset aliqua ratione privari, præsertim cum archidiaconale tantum officium sibi fuerit interdictum. Nos igitur, his et aliis quæ coram eodem auditore fuere proposita, nobisque relata fideliter per eumdem, diligentius intellectis, attendentes quod, etsi præfatus archidiaconus memoratum decanum, tanquam laicus, ad illam ecclesiam præsentasset, quia tamen ipse decanus per diœcesanum episcopum admissus non fuit, sed alius, ab eodem archidiacono postmodum præsentatus, a diœcesano fuit episcopo institutus, juxta statutum bonæ memoriæ Alexandri papæ, prædecessoris nostri, non primus, sed secundus jus est in Ecclesia consecutus eadem; et, si memoratus archidiaconus, tanquam clericus, præfatum præsentavit decanum, quoniam in eo, tanquam clericus, faciebat, suberat jurisdictioni legati, unde, postquam idem legatus donationem illius ecclesiæ sibi decreverat reservandam, ad eam, tanquam clericus, non potuit quempiam præsentare, præsentationem factam de prædicto decano ad ecclesiam sæpedictam irritam fuisse decrevimus, et, ea penitus non obstante, concessionem ejusdem ecclesiæ, factam magistro Gualterio, pronuntiavimus canonicam exstitisse, cassantes nihilominus quod per delegatos a supra dicto Senonensi archiepiscopo, post appellationem ad nos legitime interpositam, exstitit attentatum, et adjudicantes eidem magistro præfatam ecclesiam, cum fructibus medio tempore perceptis, plene ac pacifice possidendam, prædicto decano super hoc perpetuum silentium imponendo. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ a nobis sunt sententialiter definita, faciatis per districtionem ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, firmiter observari; contradictores, si quos inveneritis, aut rebelles, cessante appellatione, districtione simili compescentes. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IX Kalendas Aprilis, anno nono.

## XLI (182).

...VERCELLENSI EPISCOPO... ABBATI DE TILIETO, ET PRESBYTERO ALBERTO MANTUANO.

*Qualiter et quando prælatus debeat procedere ad puniendos excessus subditorum.*

## XLII.

...HALBERSTADENSI EPISCOPO (183).

*Consultanti respondetur quod monachus movens campanam qua corruente interfectus est puer, possit in monasterio ad altiores ordines promoveri.*

(Apud S. Petrum, Nonis Aprilis).

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus quod quidam monachus, puer tuæ diœceseos, ad deponendam de campanili campanam subserviens, quia lignum casu corruit, ipso movente, in ecclesia sub campanili quemdam oppressit puerulum et occidit. Unde a nobis humiliter postulabas quid tibi esset super hoc faciendum, petens ut cum ipso misericorditer dispensetur. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si monachus ipse rem necessariam agebat et utilem, et in loco, per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illuc de consuetudine venire, quando lignum movisse dignoscitur, satis poterit, præsertim in monasterio, ad altiores ordines promoveri.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Aprilis, anno nono.

(181) Vide epistolam libri tertii 20, not.

(182) Eadem penitus ac epistola libri octavi 200, ad quam lectorem remandamus.

(183) Vide epistolam libri octavi 108, not.

### XLIII (184).

....EPISCOPO FLORENTINO (185).

*Quod non eximuntur ab obedientia sua subdiaconi Ecclesiæ Romanæ qui assecuti sunt beneficium propter quod debeant sibi obedientiam.*

(Apud S. Petrum, VII Idus Aprilis.)

[Per tuas nobis litteras (186) *intimasti quod, cum aliqui Romanæ Ecclesiæ subdiaconi prælationes in tua diœcesi assequuntur, pro quibus tibi tenentur obedientiam exibere, siquando, exigente justitia, te contigerit exercere in ipsos ecclesiasticam diciplinam, illi, subdiaconatus privilegium allegantes, ea se asserunt non teneri, ac si per hujusmodi subdiaconatus officium ab obedientia, qua tibi tenentur, ratione obtenti benefici sint exempti. Super quo,* postulasti per apostolicæ sedis oraculum edoceri, utrum, *propter* (187) ordinem *subdiaconalis officii* a pontifice Romano perceptum, *hi tales* a debita tibi obedientia subtrahantur? Ad quod *tibi* breviter respondemus quod, etsi decens sit, ut illis *specialiter*, quantum convenit, a te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas apostolica collatione ipsius ordinis honoravit, per eam tamen ab obedentia, quam alias tibi debent, minime absolvuntur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Aprilis, anno nono.

—

A

### XLIV (188).

..... ABBATI (189) ET CONVENTUI PULTARIENSIBUS.

*Innovatur eis privilegium antiquum.*

(Apud S. Petrum, VI Idus Aprilis.)

Cum Christus sit veritas, nos, qui, licet indigni, locum ejus tenemus in terris, veritati debemus testimonium perhibere, cum ipse de se dixisse legatur : *Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (*Joan.* XVIII). Ex litteris siquidem dilectorum filiorum, O. (190) Sancti Sequani, A. (191) Flavinianensis, et H. (192) Castellionis abbatum, et G. Decani Castellionis, accepimus evidenter, quod ipsi in ecclesia vestra privilegium bonæ memoriæ Joannis papæ, prædecessoris nostri, vetustissimi sigilli roboratum

B munimine invenerint, et illud inspicientes subtiliter, et rescribi fideliter facientes, rescriptum ipsius, eorumdem sigilis munitum, ad nostram præsentiam direxerunt, obnixe ac humiliter deprecantes ut illud vestræ dignaremur ecclesiæ, de solita benignitate sedis apostolicæ, innovare. Nos igitur, tam vestris quam eorumdem precibus benevolum præstantes assensum, attendentes, quod monasterium ipsum in libro censuali cameræ nostræ inter cætera monasterii libera et exempta dignoscitur adnotatum, et quod etiam nobis et successoribus nostris in una libra argenti annis singulis teneatur, transcriptum privilegii supra dicti, quod monasterii vestri continet libertatem, ne super hoc possit veritas deperire, ad veritatis notitiam pleniorem, de verbo ad verbum

(184) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. I, tit. 33, *De majoritate et obedientia*, cap. 7.

(185) Vide epistolam libri octavi 156, not.

(186) Quæ sequuntur, italico charactere distincta, in Decretalibus desunt, verum leguntur apud Pith. in add.

(187) In Decretal., *quis per mox subdiaconatus* legit pro *subd. off.*; infra om. verba cursivo charactere distincta.

(188) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(189) « XVIII. Rainaudus II, (Pultariarum abbas) anno 1203, dicitur frater Petri de Raveriis in charta Ungiaci, Reperitur anno 1204, in instrumento Albæ-ripæ; et 1199, 1206 ac 1213, in tabulis Claræ-vallensibus, atque insuper in variis chartis annorum 1216 et 1220. Ejusdem meminit Necrologium 28 Octob. ipsumque esse conjicimns R. abbatem, qui jam ab anno 1197 concessit fratribus Albæ-ripæ *teneturam* (*la tenure*) Viardi filii Varini de Vaure. » *Gall. Christ. nov.* tom. IV, col. 726.

(190) Olivarius abbas S. Sequani reperitur in Instrumentis ab anno saltem 1205, usque ad annum saltem 1226. Sepultus fuerat in ecclesia S. Sequani juxta gradus altaris. S. Andreæ et S. Theobaldi (*ex tab. monast.* pag. 63), cujus tumulus a terra elevatus exstabat adhuc an. 1638. Vid. *Gall. Christ. nov.* tom. IV, col. 698.

(191) *A Flaviniacensis.* Conferenda hic omnino videntur, ea quæ in Gallia Christiana nova, tom. IV, col. 461 et 462, referuntur, de G. *seu* Gilberto, et Herveo, *al.* Arveo, monasterii Flaviniacensis abbatibus.

« XL. G. antea canonicus regularis, tunc autem Virziliacensis *Hostalarius*, a novem tantum monachis electus, contra viginti duos, qui alium elege-

C rant, nihilominus a Cœlestino III confirmatur, et, ab episcopo benedictus, in possessionem inducitur; atque revera se gessit pro abbate usque ad primum saltem pontificatus Innocentii III annum, quo inter ipsum et episcopum Eduensem initam compositionem idem sumus pontifex approbavit, ut liquet ex ipsius Epist. 188, tom. I, pag. 103. Porro, is esse videtur Gilbertus ab Innocentio III postea depositus, quod ejus essent ad damnationem opera manifesta, epit. 90, t II, p. 50, inscripta episc. Autissiodor. et Trecensi, atque abbati S. Benigni.

« XLI. Herveus II, *vel* Arveus, Gilonem de Sinemuro suum procuratorem constituit an. 1214, pro componenda discordia inter ipsum Herveum, et abbatem de Alba-ripa, super *pasturis* de Champabain. Quo etiam anno, mense Febr. pasciscitur cum Odone duce, ex camera comput. Divion. *arcula de donis et donationibus.* Idem memoratur in Charta Pontiniaci an. 1212; et in tabulis Ungiaci, 1193,

D 1221, 1223 et 1228. Fortasse vero is est Herveus, cujus meminit Necrologium Benignianum Kalendis Augusti. Imo is esse videtur A. hoc est Arveus, Ramaldi consanguineus, prior de Sinemuro, et monachus Flaviniacensis, qui, electus a viginti duobus monachis, nihiloque minus a Cœlestino rejectus demum ad Innocentii III judicium recurrit, in quo quidem vicisse comprobatur, tum ex dictis superius, tum ex tempore quo superstes abbatem egit. »

(192) « IX Hugo I (Castellionis abbas) reperitur annis 1203 et 1211 in tabulis Claræ-vallis; 1216 et 1219 in chartis Vallis-caulium; 1218 in charta Quinciaci; 1219 in tabulis abbatiarum de Moris et Albæ-ripæ; et 1222, mense Jan. in charta Castellionis. Moritur XI Kal. Junii. » *Gall. Christ. nov.* tom. IV, col. 773.

huic paginæ duximus subscribendum. (193) « Joannes, episcopus (194), servus servorum Dei, venerabili religiosoque abbati (195), qui divino nutu divinaque providentia in monasterio fuerit constitutus, quod a vobis, Gerardo scilicet, clarissimo filio nostro, comiteque illustri (196), nobilissimaque filia Berta, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et veneratione beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, super amnem præterfluentis Sequanæ, in agro respiente ad villam, quam ex antiquo Pultarias nominant, in pago Laticensi, in finibus Burgundiæ (197) ab imis constructum est, opibusque ditatum, ejusque successoribus in perpetuum, de quo monasterio, cum omnibus jure ad se pertinentibus, pro remedio ac futura retributione animarum vestrarum, hanc sanctam Romanam hæredem fecistis Ecclesiam, illudque per donationis paginam beatissimo Petro, apostolorum principi, contulistis (198). Quando ad ea, quæ pontificum sunt monitis provocanda, catholicorum corda ita ardenti desiderio, divina præveniente clementia, succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri et læto animo sunt concedenda, quanto ea ipsa, quæ cupiunt, si nollent facere, peti debeant. Proinde, juxta vestram petitionem, monasterio, in honore Domini nostri Jesu Christi, et beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, quod in parochia urbis Lingonicæ, in loco et regno prænominato a vobis religiosa devotione fundatum est hujusmodi privilegia præsentis nostræ apostolicæ auctoritatis decreto indulgentes concedimus, confirmamus atque statuimus ut nulli regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædictorum dignitate, vel cuiquam alio, de his quæ eidem monasterio a vobis nobilissimis filiis nostris, jam donata sunt, vel in futuro a vobis, vel quibuslibet aliis, de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ occasionisve specie, minuere vel auferre, et sive suis usibus applicare, vel aliis, quasi piis causis, pro suæ avaritiæ excusatione, liceat quocunque modo concedere, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a vobis quam ab eis qui in eodem loco in officio abbatis, vel conversatione religiosa, succrescunt, seu qui pro animæ suæ remedio ibidem oblationes suas obtulerint, a præsenti tempore illibata et sine inquietudine volumus, et apostolica auctoritate præcipimus possideri, eorum tamen usibus, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, fueritque modis omnibus profutura; ea conditione, ut nullus successorum nostrorum in hac sancta sede, cui, auctore Domino, deservimus, nunquam, vel usquam, quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, ac sub censu concedere, vel retinere per futura tempora patiatur, sed censum tantummodo in testamento traditionis vestræ quo ex eodem monasterium hæredem hanc sanctam fecistis matrem Ecclesiam, singularum videlicet librarum argenti, annis singulis, successores nostri accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem monasterio, abbatibus ac monachis sub Regula Sancti Patris Benedicti ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus ut, obeunte abbate præsenti monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem consensus monachorum, secundum timorem Dei et institutiouem Regulæ Sancti Benedicti, elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex providerit ordinandum, aut suggestione monachorum consenserit ordinatum. Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de sacerdotibus, vel

(193) Epistola hæc seu potius privilegium, non reperitur inter epistolas Joannis PP. VIII, jam vulgatas. (Vide *Epistol, summ. Pontific.* tom. III.) Sed conferenda omnino cum aliis ejusdem pontificis epistolis, ad idem monaterium Pultariense spectantibus, *ibid.* nec non tom. IX *Rer. Gallic, et Francic. script.* pag. 185, et alibi.

(194) « Joannes VIII, Gundi filius, Romanus, S. R. E. diaconus cardinalis, imperatoribus Ludovico II Juniore, Carolo II Calvo, Ludovico III Balbo, et Carolo III Crasso, Augustis, sedit annos x, dies 11; creatus et consecratus XIX Kal. Januarii, anni 872 (*id est, juxta nostrum computandi morem,* 873, *ut ex chronologicis hujusce diplomatis notis mox patebit*). Romani, Adriano PP. II mortuo, quærentes illi successorem, concordibus animis et vocibus in Joannem conveniunt, et, more Romano, ex diacono bono bonum episcopum faciunt. » *Ciacon*, tom. I, col. 659.

(195) « Saro, *al.* Hairo, Pultariensi Monasterio primus abbas præfuisse videtur, uti colligitur ex chronico S. Benigni, *Spicil*, tom. II, pag. 377. Cujus monasterii et ipse rector fuit aliquandiu sub Bertilone chorepiscopo et et abbate. Jacet in Pultariensi cœnobio. » *Gall. Christ. nov.* tom. IV. col. 724.

(196) « Gerardus de Rossilione, provinciæ comes, vixit temporibus Caroli Magni, Ludovici Pii et Caroli Calvi, quorum scilicet beneficiis auctum se gloriatur in suo testamento. (Vide *Spicileg.* tom. II, pag. 487.) Uxorem duxit Bertham, filiam Pipini Aquitaniæ ducis I, neptemque Ludovici Pii. Una cum conjuge, non procul a suo castro Rossilionis, Benecditini ordinis, cœnobium Pultariense in honorem SS. Apost. Petri et Pauli condidit, ante annum 868; et in eodem sepulti sunt ambo conjuges cum filio suo Theoderico in cunis mortuo, ille IV Nonas Martii, ex Necrologio S. Mariæ et S. Lazari Avalensis, illa VI Id Novembris (an. 874), ex fragmento Necrologii Pultariensis; et hic denique 5 Octobris, ex epitaphio, quod integrum superest tabulæ marmoreæ insculptum in basilica Pultariensi. »

Hactenus auctores Galliæ Christianæ novæ tom. IV, col. 724. Verum difficultas inest quam mox indicabimus. Vide not. (201).

(197) Locus est in regno Burgundiæ, dœcesecos Lingonensis, in pago Laticensi (gallice *Laussois*), ad Sequanam, duabus circiter a Molismo leucis, nec longe a Musseio, *sen* Mussiaco, episcoporum Lingonensium castro.

(198) Vide testamentum prædicti Gerardi supra laudatum, not. Veteres ejusdem Gerardi tabulæ, Pultariarum locum et monasterium Nicolao PP. I, et successoribus ejus subjicientis, habentur in *Gallia Christiana* nova tom. IV, *append.* col. 132, ch. 8, ex chronico Vezeliacensi, ubi eas integras legere operæ pretium.

« quemcumque fidelium, per se suppositamve per- « sonam, decimus expetere, et de ordinatione ejus- « dem abbatis, vel clericorum atque presbytero- « rum, vel de largitione chrismatis, aut consecra- « tione basilicæ, aut de quacunque commoditate « spiritualis, aut temporalis obsequii, sive quibus- « cunque causis, ad idem monasterium pertinenti- « bus, audere in auro, vel alia qualibet specie « commodi, vel exenii loco, quidquam accipere, « neque eumdem abbatem, ordinationis suæ causa, « dare præsumere, ne hac occasione ea, quæ a « fidelibus pie loco offeruntur, aut jam oblata sunt, « consumantur, neque episcopus civitatis ipsius « parochiæ, nisi ab abbate ipsius monasterii invi- « tatus, ibidem publicas missas agat, neque statio- « nes in cœnobio eodem indicat, ne servorum Dei « quies quoquo modo populari conventu valeat per- « turbari; neque paratas aut mansionaticos exinde « præsumat erigere. Susceptionem autem fidelium « et religiosorum, ac beneficentiam, quam jubet « Apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate « loci et facultatum, non modo ibidem gratis fieri « delegamus, verum etiam suademus, sed et modus « in numero congregationis adeo conservetur, ut « nec pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitan- « tium destitutionem loci indicere valeat. Hæc « igitur omnia, quæ hujus præcepti decretique nostri « pagina continet, cunctis post vos succedentibus, « qui idem monasterium, a vobis constructum, et « sanctæ Romanæ Ecclesiæ traditum, sub usu- « fructuario retinentis, vel eis, quorum interesse « potuerit, in perpetuum servanda decernimus. Si « quis vero sacerdotum, judicum, atque sæcula- « rium personarum, hanc constitutionis nostræ « paginam agnoscens, contra eam venire tentave- « rit, potestatis, honorisve sui dignitate, percussus « apostolico anathemate, careat, reumque se di- « vino judicio existere de perpetrata iniquitate « cognoscat, ac, nisi vel ea, quæ ab illo sunt male « ablata, restituerit, vel præsumpta correxerit, « vel digna pœnitentia illicitata acta defleverit, a « sacratissimo corpore Dei Domini ac Redemptoris « nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno « examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis au-

A « tem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini « nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ « actionis recipiant, et apud districtum judicem « præmia æternæ pacis inveniant. Scriptum per « manum Georgii, notarii, regionarii et scriniorii « sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Septembris, « indictione duodecima (199) † Bene valete †.

« Datum tertio decimo Kalendas Octobris, per « manum Walperti, humillimi episcopi sanctæ « Portuensis Ecclesiæ (200), anno, Deo propitio, « pontificatus domini nostri Joannis, summi ponti- « ficis et universalis papæ sexti (201), in sacratis- « sima sede beati Petri apostoli, indictione duode- « cima †. »

Volentes igitur monasterium vestrum debita B libertate gaudere, districtius inhibemus, ne quis vos, aut monasterium vestrum, contra tenorem privilegii supra scripti, præsumat indebite molestare. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, VI Idus Aprilis, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1205, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno nono.

### XLV (202).

NOBILI VIRO...... MARCHIONI NAMURCENSI, ET UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS, VOLENTIBUS CUM EODEM AD C SUCCURSUM TERRÆ SANCTÆ CONSTANTINOPOLIM PROFICISCI.

*Quod vadant Constantinopolim.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Aprilis.)

Cum per Constantinopolitani detentionem imperii, qaod divino judicio sibi subjugavere Latini, pro certo speretur Hierosolymitana provincia liberanda de manibus paganorum, quicunque pro reverentia Jesu Christi pie suspirat ad liberationem illius, ad istius quoque detentionem debet efficaciter aspirare. Licet ergo per generales litteras nuper universis Christi fidelibus injunxerimus in remissionem omnium peccatorum, ut, Constantinopolim accedentes,

(190) Indictio duodecima sedente Joanne PP. VIII. coincidit cum anno 879. Vide *l'Art de vérifier les dates*, nouv. édit. tom. I. pag. 18. Vide etiam *Pagi Critica Historico-Chronolog.* tom. III, pag. 723.

(200) Walpertus, episcopus Portuensis, exauctorato Formoso successit anno 877, eodemque anno reperitur subscriptus. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. I, col. 152. Vide etiam *Oldoinum, ad Ciacon.* tom. I, col. 666.

(201) *Sexti.* Ita legi in codice mss. Archivii Vaticani testatur adnotator, in margine apographi Conti, ad cujus apographi fidem hanc epistolam exscribi curavimus. Legendum quidem videtur *octavo* Dies enim tertius decimus Kal. Octobris, indictione duodecima pontificatus Joannis PP. VIII, coincidit cum anno *octavo* pontificatus ejusdem papæ, utpote quem mense Decembri indictione quinta electum et consecratum fuisse, unanimi voce asserunt chronologistæ fere omnes. Vide Baronium, *Annal.* tom. X, D pag. 488, ad an. 872. Pagi, *Critica historico-chronolog.* tom. III, pag. 699. Muratori, *Annal. Ital.* tom. V, part. I, pag. 126.

Notandum vero quod ex chronologicis pontificis huic diplomati subjectis notis oritur difficultas quædam, quam supra not. (166) jam indicavimus. Ex monumentis a Galliæ Christianæ novæ auctoribus citatis, Gerardum de Rossilione, saltem Bertham ipsius conjugem, jam ab anno 874 diem obiisse supremum eruitur. Atqui in nostro privilegio, quod non ante annum 878, vel etiam fortasse 879, datum fuisse, ex repetita *indictionis duodecimæ* nota, certo certius evincitur, pontifex de Gerardo, ac uxore ipsius Bertha, velut inter vivos adhuc versantibus, loquitur imo ad ipsos privilegium dirigere videtur. Quo pacto nodus iste solvi possit, videant rei chronologicæ ac genealogicæ peritiores.

(202) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 8.

ad terræ sanctæ subsidium laborarent, volentes tamen vos ad opus hujusmodi pietatis efficacius incitare, cum quidam vestrum ea potissimum ratione ad proficiscendum Constantinopolim induci posse sperentur, ut, vota, quæ circa peregrinationes quascunque, præterquam de visitanda Hierosolymitana provincia, emiserunt, in istius necessitatis itinere compensentur, universitatem vestram monemus attentius et hortamur, ac in remissionem hujusmodi votorum injungimus quatenus pro terræ sanctæ subsidio non tardetis Constantinopolim proficisci.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Aprilis, anno nono.

XLVI.

..... BRIXINENSI (203) .... FRISINGENSI (204), ET TERGESTINO (205) EPISCOPIS.

*Quod causam inter ecclesias Salseburgensem et Gurcensem videant, et inducant partes ad concordiam.*

(Apud S. Petrum, III Idus Aprilis.)

Cum pro causa, quæ vertitur inter Salseburgensem et Gurcensem Ecclesias, partes essent in nostra præsentia constitutæ propositum fuit ex parte Gurcensis Ecclesiæ, quod libertas eligendi sibi pontificem competit ei, tam de jure communi, quam antiqua consuetudine, nec non apostolico privilegio. Unde fuit postulatum a vocis, ut faceremus eam pacifica ipsius libertatis possessione gaudere, compellendo partem adversam ab ejus super hoc indebita molestatione cessare. Cumque de communi jure constaret quia videlicet ab illis est specialiter eligendus, quibus principaliter est præficiendus antistes, ad probandam antiquam consuetudinem Salseburgensium archiepiscoporum privilegia sunt producta, qui a tempore bonæ memoriæ Geboardi (206) archiepiscopi, usque ad penultimum ejusdem sedis archiepiscopum, Gurcensi Ecclesiæ jus eligendi sibi pastorem per sua privilegia confirmarunt. Felicis quoque memoriæ Lucii papæ secundi privilegium est ostensum, per quod eidem Ecclesiæ Gurcensi conceditur, ut, defuncto ejus antistite, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia, præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum Deum et canonicas sanctiones, providerint eligendum. Contra petitionem autem hujusmodi, exceptionem rei judicatæ Salseburgensis Ecclesiæ procurator objecit, proferens authenticum instrumentum sententiæ (207), quam, ex delegatione bonæ memoriæ Alexandri tertii papæ, Frisingensis episcopus et abbas Sanctæ Crucis super hac causa pro Salseburgensi ecclesia contra Gurcensem protulisse dicuntur. Et ex abundanti quidem, non contestando litem, sed quasi corroborando sententiam, exhibuit privilegium Alexandri papæ secundi, et privilegium Henrici imperatoris, quibus nitebatur ostendere, jus eligendi Gurcensem episcopum ad Salseburgensem archiepiscopum pertinere, quod a prædecessoribus nostris Alexandro et Lucio, ac etiam nobis ipsis per privilegii paginam meruit confirmari (208). Cumque prædicta sententia in rem transierit judicatam, et, tam per legatos quam præsules apostolicæ sedis, fuerit confirmata, jam contra eam nihil poterat attentari, Porro, dictum est ex adverso quod, cum de commissione, quæ asseritur facta prædictis episcopo et abbati, nullo modo constaret, quia nec commissio apparebat, nec per testes, aut alio legitimo modo, facta erat fides de illa, per solum instrumentum, prædictorum episcopi et abbatis sigillis munitum, probari non poterat sententia esse lata, cum illud instrumentum judiciarium non existeret, quia cum constaret prædictos episcopos et abbatem in hac

(203) Eberhardo a Truschen, de quo vide epistolam libri quinti 154, in archiepiscopum Salisburgensem, ex Brixinensi episcopo, anno 1200 electo, successit Conradus, nobilis de Rodnech Tyrolensis, episcopus Brixinensis; hic Coradus episcopus denuo dedicavit et consecravit templum monasterii Wilthinem. anno 1201.

Idem postea, anno 1204, dedicavit et consecravit monasterium Montis S. Georgii in inferiori Œni valle; item, sacellum in oppido Clusa sub castro Sabionensi, quod vulgo *Hospitale* appellatur, fundator illius sacelli, anno 1208.

Anno 1514, Imp. Fridericus secundus Augustæ Rhetorum comitia celebravit, quibus inter alios multos principes interfuerunt Conradus Brixinensis, et Fridericus a Wangen Tridentinen, episcopi, et illustris -ominus Albertus, comes Tyrolensis. Ambo etiam prædicti episcopi adfuerunt comitiis Norubergen. per Fridericum secundum, anno 1216, celebratis. Obiit anno 1217, ut habent Annales Patavien. ac præd. Catalogus. *Wigul. Hund. metropol. Salisburg.* tom I, pag. 446. Vide etiam Bucelinum, *German. sacr. part.* I, pag. 40.

(204) Otto II. Hic otto, canonicus Magdeburgen. eligitur anno Domini 1184; vir nobilis et largus, comes de Diezzen oriundus, sicut ducitur: Accessit mundus et nobilis Otto secundus, qui dispersa congregat, vir nobilis et largus. Hic habuit tres fratres episcopos, quorum primus, Dictpoldus Patavien.; alter, Henricus, præsul Herbipolem; tertius, Magnoaldus Patavien., et ipse quartus, Frisengen. Adepta ergo pontificatus dignitate, strenue rexit suam Ecclesiam, murum se pro domo Dei firmiter posuit, et, ut vir prudens et sapiens, pastor pius, suis ovibus benignus, præfuit ann. XXXV. Sedit ann. XXXV. Obiit anno Domini 1220; sepultus in cathedrali ecclesia ante altare S. Mathiæ. *Wigul. Hund. Metropol. Salisburg.* tom. I, pag. 162.

(205) De Tergestinis, circa hæc in quibus versamur tempora, episcopis, pauca hæc habet Bucelinus, *German. sacr. part.* I, pag. 52:

« VII. Woscalus vixit sub annum salutis 1192.

« VIII. Henricus episcopus Tergestinus A. C. 1208. »

(206) Geboardus, *al.* Gebehardus, anno 1061 factus archiepiscopus Salisburgensis, sedit usque ad annum 1099.

Anno 1070, ab Alexandro PP. II licentiam obtinuit, erigendi episcopatum Gurcensem.

Vide Hansizium, *German. sacr.* tom. II, pag. 115 et sqq. Vide etiam eumdem, *ibid.* pag. 935 et 936.

(207) Sententiam hanc legere est apud Hansizium, *German. sacr.* tom. II, pag. 301.

(208) De hac Innocentii confirmatione, vide Hansizium, *ibid.* pag. 312, ubi data dicitur, *Laterani, III Nonas Februarii, indictione* III, *anno* 1200, *pontificatus Innocentii PP. III anno tertio.* Vide etiam eumdem, *ibid.* pag. 481, § 9.

causa non fuisse judices ordinarios, neque constaret eos fuisse judices delegatos, aut electos a partibus, profecto, eorum testimonio in præjudicium Gurcensis Ecclesiæ non erat aliquo modo credendum, nec obesse debebat Romanorum pontificum confirmatio, qui non cum cognitione, sed cum conditione, hujusmodi videbantur sententiam confirmasse, cum non proficiat necessarium ubi deficit principale. Contra privilegium vero Alexandri secundi confectum, Bulla Alexandri tertii falsata erat inserta, sicut diligenter intuentibus, non solum per collationem Bullarum, verum etiam aliis quibusdam evidentibus indiciis apparebat. Et, licet pro sententia diceretur quod jam non poterat contra ipsam post viginti annos agi de falso, quia querela falsi secundum legitimas sanctiones annum vicesimum non excedit, dictum est tamen econtra, quod quæ ad agendum sunt temporalia, semper sunt ad excipiendum perpetua; et ideo, licet querela falsi post annum vicesimum exspirasset, adhuc tamen exceptio doli mali locum habebat, præsertim cum agi posset ex illa constitutione, quam nos contra falsariarum edidimus pravitatem. Privilegium vero Henrici imperatoris nullum Gurcenci Ecclesiæ poterat impedimentum afferre, quia, secundum canonicas sanctiones, laicis, quantumcunque religiosis aut magnis, nulla est disponendi de rebus Ecclesiæ attributa facultas. Cumque secundum statuta legitima sententia, quæ condemnationem vel absolutionem non continet, nulla sit ipso jure, allegatum est hujusmodi sententiam esse nullam, quæ absolutionem vel condemnationem non continet, sicut ex tenore instrumenti colligitur evidenter. Quæ, si etiam lata fuisset, contra juris ordinem esset lata, quia; cum Salseburgensis archiepiscopus in illo judicio esset reus, auctore non probante, potuit quidem absolvi, sed jus ei adjudicari non debuit, unde, quod contra leges est actum, per leges dissolvi meretur, præsertim, cum plus adjudicatum fuerit prædicto archiepiscopo, quam fuisset probatum. Non, etsi probatum fuisset quod electio memorati episcopi ad ipsum archiepiscopum pertineret, quod tamen pertineret ad ipsum solum probatum non fuit; unde totum jus eligendi adjudicari non debuit ipsi soli. Propositum est præterea quod, etsi jus eligendi Gurcensem episcopum ad Salseburgensem archiepiscopum pertineret, ipse tamen, secundum canonicas sanctiones, eligere non deberet extraneum, quandiu in ipsa Ecclesia idoneum inveniret, essetque facultas canonicis ejusdem Ecclesiæ renitendi, si quemquam ingeri sibi concernent ex adverso. Allegatum est etiam pro parte Gurcensis Ecclesiæ quod, etsi talis fuisset lata sententia contra ipsam, ei tamen modo non deberet obesse, cum frequenter post illam libertate usa fuerit eligendi, et inter Salseburgensem et Gurcensem Ecclesiam super hoc apud Villacum transactio intercesserit de communi et libera voluntate. Pro parte vero Salseburgensi ecclesiæ fuit allegatum econtra, quod prædictus Geboardus, Salseburgensis archiepiscopus, de consensu et conniventia tam apostolicæ sedis quam imperatoriæ celsitudinis, in quadam parte suæ diœceseos Gurcensem episcopatum creavit, constituens ut Gurcensis episcopus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, Salseburgensis archiepiscopi perpetuus foret vicarius; unde, cum electio vicarii sicut et vicedomini ad eum solummodo de jure pertineat, cujus vicarius efficitur aut etiam vicedominus, profecto Gurcensis episcopus ratione patronatus et vicariæ a Salseburgensi est archiepiscopo eligendus. De privilegio vero Alexandri secundi judicandum non erat, tum quia non fuit nobis exhibitum in forma judicii, tum quia per Lucium papam exstitit approbatum, qui se illud inspexisse et approbasse fatetur. Unde, si forsan aliquo casu falsata bulla illi privilegio fuisset apposita, præsumi deberet id post tempus prædicti Lucii fuisse præsumptum. Nec debet obesse, quod Salseburgences archiepiscopi dicuntur Gurcensi Ecclesiæ libertatem eligendi sibi pontificem per sua privilegia confirmasse, tum quia privilegiis illis Gurcensis Ecclesia usa non fuit, tum quia prætextu privilegiorum postea repertorum sententia non debet aliquatenus immutari. Licet autem procurator Gurcensis Ecclesiæ niteretur rationes prædictas multipliciter infirmare, quia tamen utrique parti credimus expedire, ut hujusmodi controversia per concordiam sopiatur, ad inveniendam concordiam inducias duximus concedendas, præsertim, cum ad probandam sententiam prædictam, Salseburgensis archiepiscopi procurator inducias postularet. Quocirca, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus; quatenus, partes ad concordiam inducentes, suggeratis eisdem, ut congruum compositionis modum per se ipsas inveniant et acceptent, vel usque ad festum Sancti Martini proximo venturum nostro se conspectui repræsentent, ita, quod et agendi, et respondendi, et componendi, et transigendi, et recipiendi sententiam plenam habeant potestatem, ut causa ipsa per nos, auctore Domino, finem congruum sortiatur. Verum, ne quid ad instructionem causæ deficiat, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus testes, quos super commissione, transactione ac eligendi usu alterutra pars duxerit producendos, recipiatis et examinetis prudenter, eorumque depositiones, sub sigillis vestris inclusas, nobis transmittere procuretis. Testes autem, qui fuerint nominati... nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint præter assensum partium a sede apostolica impetratæ. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Idus Aprilis, anno nono.

### XLVII.

...EPISCOPO DERTUSENSI.

*Quod restituat ecclesias de Alchezar episcopo Oscensi.*

(Apud S. Petrum, Idibus Aprilis.)

Sub hac forma tibi nostras recolimus litteras destinasse, quod olim piæ recordationis Alexander

papa, prædecessor noster, antecessori tuo per suas dedit litteras in mandatis, sicut in eisdem contineri perspicitur, ut... Oscensi episcopo, Ecclesias de Alchezar, per bonæ memoriæ Eugenium papam, prædecessorum nostrum, adjudicatas eidem, quas idem prædecessor tuus auctoritate regia contra justitiam detinebat, infra duos menses post susceptionem litterarum suarum, qualibet occasione et appellatione cessante, restituere, ac in pace dimittere non tardaret. Ipse vero, mandati apostolici surdus auditor existens, id efficere non curavit, sicut venerabilis fratris nostri, Garsiæ, Oscensis episcopi, in nostra tunc præsentia constituti, conquestio nobis exposita patefecit. Nos igitur, attendentes quod simus omnibus in sua justitia debitores, volentes unicuique sua jura servare, tibi præcipiendo mandavimus, ut memoratas ecclesias cum pertinentiis suis, infra duos menses post susceptionem litterarum nostrarum, præfato episcopo restituere, sublato contradictionis et appellationis obstaculo, procures, vel usque ad festum purificationis beatæ Mariæ proximo tunc venturum ad præsentiam nostram accederes, super his exhibiturus eidem quod ordo posceret rationis, districtius inhibente, ne, cum tunc possessionem haberes earum, dolo dimitteres possidere, ut super his eidem exhibere justitiam cogi ullatenus non deberes; alioquin, cum dolus patrocinari nemini debeat, te nosceres pœna legitima percellendum. Tu vero, mandatum nostrum obaudiens, sicut ex ejusdem episcopi quæstione accepimus iterata, nec ipsas ecclesias eidem restituere, nec per te, aut responsalem idoneum, licet a termino tibi præfixo duo anni et amplius sint elapsi, nostro te curasti conspectui præsentare, asserens, te dictas ecclesias auctoritate regia detinere, cui eas, cum necesse fuerit, resignabis. Quia igitur nec possumus, nec debemus conquerentibus justitiam denegare fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus memoratas ecclesias, cum pertinentiis suis, infra duos menses post susceptionem præsentium, eidem episcopo restituere, sublato contradictionis et appellationis obstaculo, non postponas, vel coram venerabilibus fratribus nostris... archiepiscopo Terraconensi, et... episcopo Tirason. quibus super hoc dirigimus scripta nostra, eidem exhibeas justitiæ complementum. Quod si, legitime citatus ab eis, in ipsorum præsentia præfato episcopo super prædictis ecclesiis non curaveris respondere, ipsis damus nihilominus in præceptis, ut memoratum episcopum in possessionem prædictarum ecclesiarum, amoto ab eis quolibet illicito detentare, auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, inducere non omittant, et ipsum in eadem tueantur inductum; contradictores, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Aprilis, anno nono.

*In eumdem fere modum*... archiepiscopo Terraconensi, et... episcopo Tirason. *super eodem negotio. Eadem data ut supra.*

XLVIII.

... DEEST INSCRIPTIO.

*Super eodem*

(Datum, Idibus Aprilis.)

Etsi Ecclesiam Dei, ob sponsi reverentiam honorare, honori tuo congruat et saluti, sic tamen uni debes assistere, ut in suo jure alium non offendas, nec debes credere illius utilitatibus aliquid deperire, si ea quæ sunt alienata restituantur. Sane, significante venerabili fratre nostro, Oscensi episcopo, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod, cum venerabili fratri nostro... Dertusensi episcopo, dederimus in mandatis ut ecclesias de Alchezar, per bonæ memoriæ Eugenium papam, prædecessorem nostrum, adjudicatas Oscensi Ecclesiæ, ipsi episcopo restitueret, vel ad præsentiam nostram accederet, super his exhibiturus eidem quod ordo posceret rationis, ipse, tuo fretus auxilio et favore, id efficere non curavit. Quocirca, serenitatem tuam rogamus attentius et monemus, in remissionem tibi peccatorum injungentes, quatenus memorato Dertusensi episcopo in præjudicium Oscensis Ecclesiæ non assistas, nec venerabiles fratres nostros... archiepiscopum Terracon. et... episcopum Tirason. quibus idem negotium duximus committendum, impedias, quominus valeant mandatum apostolicum effectui mancipare, sed eis potius, ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram, ad id tuum præbeas auxilium et favorem, ut prædicta Oscensis Ecclesia suo jure ulterius non fraudetur, et nos devotionem regiam possimus in Domino commendare.

Datum Idibus Aprilis, anno nono.

XLIX (209).

... DEEST INSCRIPTIO.

*Quod sententiam inderdicti contra occupatorem Ecclesiæ de Almodevar ab episcopo Oscensi latam faciat firmiter observari.*

(Apud S. Petrum, Idibus Aprilis.)

Ex parte venerabilis fratris nostri... Oscensis episcopi, fuit propositum coram nobis quod, cum charissimus in Christo filius noster, L. Aragoniæ rex illustris, ecclesiam de Almodevar, ad mensam canonicorum Oscensium pertinentem, fratri suo niteretur tradere, et idem episcopus obviare curasset regiæ voluntati, frater ipsius regis in manu forti accessit ad ecclesiam supradictam. Sed, quia idem episcopus eum prævenerat, et intraverat ecclesiam memoratam, idem ex parte regis inhibuit, ne aliquis prædicto episcopo victualia vendere attentaret, ut ecclesiam ipsam desereret, fame ac siti coactus. Præterea, fractis ostiis violenter tam ipsius ecclesiæ quam domorum ejusdem, illos qui cum episcopo erant expulit inhoneste. Episcopus autem, attendens

(209) Vide Raynaldum ad anno 1206, § 34.

quod amplius resistere non valeret, ecclesiam ipsam supposuit interdicto; sed ipse, ut iniquitatem iniquitati apponeret, divina fecit in ea nihilominus celebrari. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsius interdicti, sicut rationabiliter est prolata, usque ad satisfactionem idoneam facias, appellatione postposita, firmiter observari; detentores ipsius ecclesiæ, nisi curaverint resipiscere, et a divinorum celebratione cessarint, sicut justum fuerit, appellatione remota, canonica pœna percellas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Aprilis, anno nono.

L (110)

MAGISTRO, ET FRATRIBUS MILITIÆ TEMPLI IN ITALIA CONSTITUTIS.

*Quod præceptores militiæ Templi pro domibus suis agere et defendere possunt: nec obstat eis religio, vel quod iguota sit eorum origo.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Aprilis.)

[Cum deputati sitis] obsequio Jesu Christi, qui, cum justus sit, justitiam diligit, et æquitatem conspicit vultus ejus, indemnitatibus vestris paterna tenemur sollicitudine præcavere, ne, pro eo quod operibus pietatis intenditis, læsionem in vestra justitia subeatis. [Accepimus *plane* (211), quod quidam, tam sæculares quam ecclesiastici, judices *in Italia* (211), illos quos habetis in vestris domibus præceptores, in causis ad prosequendam suam justitiam non admittunt, tanquam licitum non sit eis super litigiosis negotiis curam gerere, qui pacificis decreverunt studiis inhærere, illud allegantes in repulsionem ipsorum, quod, eorum ipsis generatio non est nota, qui undecunque locorum venerint, gratia divina vocati, dum laudabiliter exsequuntur officium sui ordinis, ex superabundanti requiritur suæ notio nationis. *Eapropter, dilecti in Christo filii vestris postulationibus annuentes, ne quis* (212) in prosecutione causarum præceptores eosdem ab agendo et respondendo, *sub* hujusmodi occasione, repellat, auctoritate præsentium inhibemus.] Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Aprilis, anno nono.

LI.

... *Deest inscriptio.*

*Quod absolvat episcopum Tullensem ab excommunicatione* (212*).

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Maii.)

Cum dilectus filius, Simon, Tullensis archidiaco-
A nus, germanus et procurator... Tullensis episcopi, ad sedem apostolicam accessisset, gravem coram nobis proposuit quæstionem, quod, cum idem episcopus dilectum filium, magistrum W. subdiaconum nostrum, super controversia, quæ inter ipsum et dilectum filium, Decanum Tullensem (213), qui, in modum denuntiationis, super dilapidatione ipsum episcopum impetierat, propter quod in eumdem venerabilis frater noster... Remensis archiepiscopus (214) sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, tunc episcopus Prænestinus, apostolicæ sedis legatus, excommunicationis sententiam, post appellationem ad nos interpositam, promulgarat, emerserat, procuratorem statuerit, et eum duxerit ad sedem apostolicam destinandum, quia quædam negotia emer-
B gentia ipsius iter aliquantulum retardarunt, W. et T. presbyteros, dictus episcopus cum litteris procurationis præmisit: sed, quia de fidelitate ipsorum postmodum dubitavit, mandatum procuratorium per suas studuit litteras revocare. Ipsa vero, licet mandati revocatorias litteras recepissent, in negotio tamen ipso nihilominus processerunt, contra quos merito potest præsumi, quod ipsi cum adversariis collusissent, cum contrariam sententiam reportassent, et negotium ipsum sub certa forma dilectis filiis, J. archidiacono, P. pœnitenti Sancti Victoris Parisiensis, et magistro R. de Corzon, canonico Noviomensi, delegari a nobis obtinuerit pars adversa, coram quibus cum idem episcopus, citatus ab eis, comparere curasset, et nollet ratum habere quod per procuratores falsos exstiterit procuratum,
C ab eis inducias postulavit, deliberaturus an cederet aut insisteret quæstioni; sed, quia dicti judices eas sibi penitus denegarunt, ad sedem apostolicam appellavit, et ab eorum præsentia recessit, appellans. Porro, prædicti judices, appellatione contempta, nihilominus processarunt; et, eumdem episcopum a Tullensi Ecclesia per sententiam removentes, et dantes Tullensi capitulo eligendi sibi pontificem liberam facultatem, in ipsum excommunicationis sententiam promulgarunt. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, accepta sufficienter ab eodem episcopo cautione, ipsum ab excommunicationis vinculo, secundum formam Ecclesiæ, sublato appellationis obstaculo, absolventes, tam ipsi quam parti adversæ, octavas
D Sancti Michaelis proximo venturas terminum peremptorium præfigatis, quo se nostro conspectui per se, vel responsales idoneos, repræsentent, et super quæstione falsi procuratoris, et aliis, si qua forsan

(210) Epistola hæc legitur, sed mutila, inter Decretales, lib II, tit. 1, *De judiciis*, cap. 16.

(211) In Decretal. deest.

(211*) Desunt in Decretal.

(212) Decretal. habent tantum, *ne quis igitur*, et infra omittunt particulam *sub*.

(112) Vide epistolam libri octavi 87.

(213) « XXIII. Fredericus II *de Brixei*, decanus Tullensis, præcedentis (Frederici I), ac Petri episcopi nepos, a patruo suo, mox ad iter Hierosolymitanum profecturo, diœceseos administrationem accepit. Memoratur in litteris Matthæi episcopi an. 1200.

« XXV. Theodericus, una cum Theoderico abbate S. Leonis, arbiter fuit an. 1316 compositionis initæ inter Stephanum S. Maurueti, et Robertus Miræ-Vallis abbates. » *Gall. Christ. nov.* t. XIII, col. 1062.

(214) Vide epistolam libri septimi 116.

apparuerint inquirenda, quod statuendum viderimus, cognita veritate, auctore Domino, statuamus. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Maii, anno nono.

LII.

... PATRIATCHÆ HIEROSOLYMITANO (215), APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, ET CANONICIS DOMINICI SEPULCRI.

*Datur terminus præsentandi se apostolico conspectui super Tyrensi et Patracensi archiepiscopatibus*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Maii.)

Cum olim inter Antiochenam et Hierosolymitanam ecclesias, super Tyrensi et Patracensi archiepiscopatibus, quætio fuerit diutius agitata, et nos bonæ memoriæ... prædecessori tuo (25*), frater patriarcha, et vobis, filii canonici, terminum peremptorium duxerimus (216) præfigendum, infra quem nostro curaretis vos conspectui præsentare per sufficientes et idoneos responsales, inter venerabilem fratrem nostrum... Antiochenum patriarcham (217), et prædecessorem tuum, et vos, filii canonici, talis compositio intercessit, ut, jure salvo ecclesiæ utriusque, pax esset diebus eorum, ita tamen, quod, ipsorum altero viam universæ carnis ingresso, superstes suam posset actionem libere intentare. Quia igitur, eodem prædecessore tuo, frater patriarcha, sublato de medio, patriarcha prædictus vult coram nobis super his experiri de jure, quantumcunque Hierosolymitanam Ecclesiam diligamus, et vobis velimus in instanti necessitate deferre, quia tamen Ecclesiæ Antiochenæ in suo jure deesse non possumus, nec debemus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus, a festo beati Lucæ proxime venturo, usque ad tres annos, quos vobis pro peremptorio assignamus, sufficienter instructi, nostro vos conspectui præsentetis per idoneos responsales, Antiochenæ Ecclesiæ super prædictis archiepiscopatibus responsuri. Alioquin, extunc in ipso negotio, prout viderimus procedendum, auctore Domino procedemus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Maii, anno nono.

LIII.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENO (218).

*Relaxetur offensa quam incurrit non visitando limina apostolorum.*

(Apud S. Petrum, X Kal. Maii.)

Olim ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod, cum beatorum apostolorum Petri et Pauli tenearis singulis quadrienniis per te, vel nuntium proprium, limina visitare, ut id, multiplicibus negotiis occupatus, instante visitationis tempore, omisisti, non ex malitia vel contemptu, sed oblivione potius, quam occupationum multiplicitas introduxit. Unde, cum super hoc a nobis veniam postulasses, nos tibi curavimus intimare, quod offensam, quam ex eo te credideras incurrisse, quia id non contigerat ex contemptu, duxeramus de benignitate sedis apostolicæ relaxare. Verum, dilecti filii, B. et A. nuntii tui, proposuerunt, in nostra præsentia constitutis, quod ad te super hoc nostrum beneplacitum non pervenit; quare, cum instantia postularunt, ut te super hoc dignaremur reddere certiorem. Quocirca, præsentium insinuatione cognoscas, nos offensam, quam incurrisse timebas ex hujusmodi negligentia, de apostolicæ sedis clementia relaxasse. Tu vero, super hoc ita de cætero cautus existat, ne contemptor aut negligens valeas apparere.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, X Kal. Maii, anno nono.

LIV (220).

FERRARIENSI EPISCOPO (220).

*Quod, J. promotum usque ad sacerdotium, qui non fuerat baptizatus, quum sit baptizatus, promoveat ad ordines ut sacerdotiam.*

(Apud S. Petrum, Id Aprilis.

[ Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius J. lator præsentium *lacrymabili nobis insinuatione monstravit* (221) quod, cum *per singulos ordines* usque ad gradum sacerdotii ascendisset, comperit

(215) Vide epistolam libri septimi 222.

(215*) Vide epistolam libri octavi 101.

(216) Vide epistolam libri primi 503, ap. Baluz. tom. I, pag, 290.

(217) Post Aymericum, patriarcham Antiochenum, quem anno 1187 obiisse scribunt Onuphrius Genebrardus et alii, Radulfum II, patriarchalem sedem obtinuisse asserunt scriptores iidem, nec non Assemanus in suo *Catalogo Arabico*, cui assentiuntur Bollandistæ *Hist. Chronol. patriarch. Antioch. Julii* tom. IV, pag. 239, col. 1, n° 659, *A.* Ipsum non ultra annum 1200 sedisse affirmat LE QUIEN, *Orig. Christ.* tom. III, col. 1157. Petrus, patriarcha Antiochenus, sedebat anno 1201, quo, juxta Sanutum (lib. III, part. II, c. 1), Raymundus comes Tripolitanus, principatum Antiochenum adiit; is enim tunc huic patriarchæ sese obstrinxerat jurejurando. Verum, anno 1208, ex eodem Sanuto (*ibid.* c. 3,) *civitas Autiochena ad inductionem patriarchæ principi rebellavit, et expulsi per principem milites Armeni rediere. Comes vero, assumptis armis de castra descendens, communitateme jusque auxiliarios superans, patriarcham non dubitavit carcere includere, ibique affligendo perimere.* Causa hujus odii Raymundi in Petrum patriarcham habetur ex primis libri octavi Innocentii epistolis. Incarceratio nem Petri patriarchæ moleste tulit Innocentius (*Vid. Epistolam libri decimi* 214, *ap. Baluz.* tom. II, pag. 130) Petro vivente, instrusum esse aliquem Græcum, quem deponi curavit pontifex, eruitur ex epistolis libri undecimis, et libri decimisexti 11 *cap. Baluz.* t. II, pag. 142, col. 2, et 755, col. 2. Decessit autem Petrus in carcere ante diem 12 Julii anni 1208 prout patet ex epistola libri undecimi 11 (*ap. eumd. ibid.* pag. 190). Hunc patriarcham nominatum fuisse *Petrum*, indicat ipse pontifex epistola libri decimi quinti 18c (*ap. eumd. Ibid*, pag. 685).

(218) Vide epistolam proximo superiorem 52, not. (217).

(219) Epistola hæc igitur, sed non integra, inter Decretales, lib. III, tit. 43, *De presbytero non baptizato*, cap. 3.

(220) Vide epistolam libri tertii 39, not.

(221) In Decretal., *nobis exposuit*, et mox omittunt verba *pers. o.*, et *pro certo* non habent; *fuerit* legunt pro *fuerat.*

tandem *pro certo*, quod non *fuerat* secundum formam Evangelii baptizatus. Unde, nos eum *per venerabilem fratrem nostrum, N.* (222) *Tusculanum episcopum* (223), rite fecimus baptizari; *et, cum* super ordinibus *coram nobis fuisset aliquandiu* disputatum, quidam in eam declinaverunt sententiam, ut, cum baptismus sit fundamentum sacramentorum, ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud sacramentum, quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest. Porro (224), cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi, et, qui Christum habet per fidem, etiamsi baptismum non habeat, habetutique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Jesus, superædificari posse videntur, sicut salutifera opera, sic et quælibet ecclesiastica sacramenta, cum illud non sit generaliter verum neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod baptismus sit fundamentum illorum, quoniam et sacramentum conjugii et sacramentum etiam Eucharistiæ a non baptizatis recipi potest. Præterea, sacramentum ordinis, non solum pontificalis, sed sacerdotalis, etiam et levitici, ex institutione sua præcessit baptismum, *per quod apparet* (225), quod ante baptismum hujusmodi ordines possunt rite conferri maxime iis qui baptizati creduntur. ] (226) *Quid enim, si forsan is, qui baptizatus esse creditur, et non est, in episcopum saltem de facto fuerit consecratus? Erunt ne reordinandi omnes qui ab eo fuerint ordinati; et, cum de pluribus episcopis nesciatur, an renati fuerint aqua baptismatis, cum hoc nec ipsi reminiscantur, nec alii, dubitatibur igitur an tales sint veraciter in episcopos consecrati? Unde, quot et quanta sequantur, non solum absona, sed absurda, silendum est potius quam dicendum.* Quia vero in concilio apud Compendium legitur *institutum, quod* (227) si quis in presbyterum ordinatus deprehenderit se baptizatum non esse, baptizetur et iterum ordinetur. Nos, circa latorem præsentium, in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, *fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures,

A et permittas eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum; nec male de sacramento sentitur, cum illud non religionis contemptus sed articulus necessitatis excludit. Et certe, de illo qui natus de Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conservatus, tam violenter præsumitur quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsan argumentis contrarium *probetur* (228).

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Aprilis, anno nono.

LV.

... ARCHIDIACONO, ET... POENITENTIALI SANCTI VICTORIS PARISIENSIS ET MAGISTRO R. DE CORZON, CANONICO NOVIOMENSI.

B *Ut ab absolutionem episcopi Tullensis, sub certa forma procedat* (229.)

(Romæ, XVI Kal. Martii [230].)

Cum olim... Tullensis episcopus (231), super quibusdam excessibus delatus fuerit coram nobis, venerabili fratri nostro... Remensi archiepiscopo (232), tunc episcopo Prenestino, in partibus illis apostolicæ sedis legato, et dilecto filio... abbati Sancti Benedicti (233), Metensis diœceseos, sub expressa forma direximus scripta nostra, qui sane legatus etsi composuerit inter partes, quia tamen apud eum fuit renovata querela, illum a temporalium administratione suspendit, et postmodum excommunicationi subjecit, pro eo quod suspensionis sententiam non servavit. Præterea, cum quidam C accusaturi eum ad præsentiam nostram accesserint, alii defensuri, nos, diligenter auditis quæ partes proponere voluerunt, et cognito quod dictus legatus rite processerat contra ipsum, discretioni vestræ mandavimus, ut prædictam suspensionis sententiam faceretis auctoritate nostra firmiter observari, procuratorem idoneum statuentes, qui negotia episcopus Tullensis interim ministraret; episcopo tamen in justis et moderatis expensis congrue provisurus, dum causam hujusmodi contingeret ventilari. Et, quoniam productioni testium a neutra parte renuntiatum exstiterat, nos, attesta-

(222) Nicolaus de Romanis, Romanus Innocentii PP. III a sacrificiis, ab eodem pontifice, anno 1205, in quarta creatione, episcopus cardinalis Tusculanus electus fuit. Angliam sedis apostolicæ legatus adiit, et ad regnum inter et sacerdotium confirmandam pacem operam collocavit suam. Interdicti sententiam, ante sex annos latam, anno salutis 1214 sustulit. Sub Honorio PP. III Angliam iterum petiit, ad promovendum sacrum bellum in Orientem. Legatione quoque functus est in Prussia. Maxima fuit S. Dominico familiaritate conjunctus. Nicolaum, pacis et salutis angelum, et hominibus gratum, præque aliis a se dilectum, Honorius nominare consueverat. E vita excessit sub eodem pontifice anno 1219. *Oldoin ad Ciacon.* tom. II, col. 22.

(223) Decretal. add omittunt, et mox *fuisset dutius* pro *coram... aliquandiu.*

(224) Decretal. add. *omnium*, et infra potest verbum *Porro*, interserunt, *e contra videri posset; nam*

(225) *Per quod forsitan videtur* Pith. vero in marg. *propter quod forsitan videretur.*

D (226) Quæ sequuntur, italico charactere distincta, in Decretalibus, nec non apud Pitthœum desunt.

(227) Decretal., *constitutum*, et mox omittunt verba *frat... script.*

(228) Decretal. *probaretur.*

(229) Conferenda hæc epistola cum epis. IX, 51.

(230) Legendum forsan Maii.

(231) Vide epistolam libri quinti 13, not.

(232) Vide epistolam libri septimi 116.

(233) Agitur hic verisimiliter de abbate monasterii S. Benedicti in Vepria (Gallice, *S.-Benoît en Voivre*); de cujus monasterii abbatibus pauca admodum apud auctores Galliæ Christianæ novæ, tom. XIII, col. 944.

« VI. Gennus, 1182, 1196.

« VII. Bruno, defunctus 4 Decembris.

« VIII. Stephanus, 1246, 1251. »

tiones receptas vobis clausas remisimus, nihilominus injungentes, quod præfatum episcopum, secundum formam Ecclesiæ, ab excommunicationis vinculo absolvere curaretis, ac reciperetis testes, quos utraque pars duceret producendos; vobisque dedimus formam expressam qualiter in antea procedere deberetis, nullis obstantibus litteris præter assensum partium a sede apostolica impetratis. Cupientes autem, non tam personæ quam Ecclesiæ providere, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus eumdem episcopum, juxta prioris commissionis tenorem, ab excommunicationis vinculo absolvatis, et, si nondum usque ad publicationem testium processistis, præfigatis ei terminum conpetentem, infra quem ea, quæ sunt alienata per ipsum de bonis Ecclesiæ, vel distracta, revocet ad proprietatem ipsius, prout est nobis ex parte sua per dilectum filium Simonem, Tullensem archidiaconum, germanum et procuratorem ipsius, firmiter repromissum, et recipi faciatis ab eo coram venerabili fratre nostro... Cabilonensi episcopo (234) et dilecto filio... abbate Maceriensi (235), apud Lingonas, cum duobus episcopis et tribus abbatibus, purgationem canonicam, quod post excommunicationis sententiam latam in eum, in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, divina nullatenus officia celebrarit, sed eo forsitan, quod appellationis obtentu, quam interposuisse se asserit, se tutum esse credebat. Ipsius autem purgatione præscripto modo recepta, ipsum, omni contradictione et appellatione cessantibus, ad spiritualia restituere non tardetis, nobisque, per vestras curetis litteras intimare quod super hoc duxeritis faciendum. Quod si processistis in tantum, ut depositiones sint testium publicatæ, universa redigentes in scriptis, totum processum negotii nobis fideliter transmittatis. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVI Kalendas Martii (236), anno nono.

## LVI (237).

... EPISCOPO MAURIANENSI (238), ET PRÆPOSITO ULCIENSI (239), ET... DECANO HELTONENSI, TAURINENSIS ET MAURIANENSIS DIOECESEON.

*Quod dimittant feudum Javen Monasterio Clusin* (240).

(Laterani, IV Kal. Aprilis)

Ad nostram *noveritis* (241) audientiam pervenisse quod, cum *Clusin.* monasterium depressam esset onere maximo debitorum, *dilecti filii...* abbas et conventus, ejusdem villam, *quæ Javen vulgariter appellatur*, necessitate coacti, *Bonevardo* laico concesserunt in feudum, tali conditione apposita, quod idem laicus octoginta libras persolveret, pro quibus eadem *villa* extiterat obligata, quod *idem* non distulit effectui mancipare. (242) *Verum, quia* prædictum (243) *monasterium est, sicut dicunt, enormiter* in hoc (244) *læsum*, eo quod (245) *de redditibus villæ* prædictæ (246) *conventus diebus singulis unum ferculum, et in festis duodecim lectionum, pisces, vel aliud æquivalens percipere consuevit*, nobis (247) humiliter supplicarunt, ut feudum prædictum faceremus ad utilitatem monasterii revocari, præsertim, cum idem laicus primo anno de ipsius *fructibus* (248) ultra summam receperit prætaxatam, et per multos postmodum annos sumpserit ejus fructus. *Nos igitur, sic volentes gravaminibus prædicti monasterii providere, quod alii non videamur injuriam irrogare* (249), *discretioni vestræ* (258) *per apostolica scripta* (251) mandamus, quatenus, *inquisita plenius veritate* (252), si prædictum monasterium propter hoc inveneritis enorme dispendium incurrisse, *sæpedictum* laicum, ut, pecunia, quam pro exoneratione prædicti feudi, seu etiam pro ulitate

(244) Vide epistolam libri quinti 16, not.

(235) « Guido I de Plamben, idem forte ac Guido, qui sub Artaudo abbate prioris officio fungebatur. Ipse vero esse putatur G. abas Maceriarum, qui reperitur an. 1187 in charta Hugonis Burgundiæ ducis pro Firmitate. Sane, Guido ejusdem Hugonis Hierosolyman proficiscentis donum excipit anno 1190. Occurrit cum Nicolao, abbate Miratorii, in charta donationis factæ Maceriarum cœnobio. Idem anno 1199 privileginm tuitionis obtinuit ab Innocentio III, quo circiter tempore nominatur in charta Molesiæ. Anno 1201, ipse et Matheilia, soror ejus, Guidoni, cognomento *Garos*, suo cognato, dederunt quidquid habebant in villa de Plamben. Præerat adhuc 1205 et 1210, quo anno compositionem habuit cum Bertrando de Saudun. » *Gall. Christ.* tom IV, coll, 1031.

(236) Cum epistola hæc in Regesto post epistolas mense Aprii datas collocata reperiatur, legendum videtur potiut XVI Kal. Maii.

(237) Epistola hæc legitur, sed mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 13, *De rebus ecclesiæ alienandis, vel non*, cap. 11, ubi *episcopo Mauriensi, et præposito Ulcon.* directa dicitur.

(238) Vide epistolam libri sexti 176, not.

(239) *Al.* Utiensi; *al.* in Decretalibus, *Ulcon.*

(240) *Clusin.* Sic in Apographo Conti. In Decretalibus *Tussien*, al. *Secussien.* al. *Cussien.* In antiquioribus editionibus *Cussin.* Legendum ommino, eum Pithœo, *Secussien.* Hic enim agitur de monasterio de Secussia, ordinis S. Benedicti, diœcesos Taurimensis.

(241) Decretal., *noveris*, et mox *Tusien.* pro *Cluzin.* verba *dil. fil.* omittunt, et *quandam* legunt pro *q. Javen. v. up.* Initialem *B.* tantum habent pro *Bonevardo.* Voces *villa* et *idem* omittunt.

(242) Quæ sunt italico charactere distincta, desunt in Decretalib. verum legentur apud Pith. in add.

(243) Apud Pith. *præfatum.*

(244) Desunt.

(245) *in eo quod.*

(246) *Præfatæ.*

(247) In Decretalibus, *unde.*

(248) Ibid., *proventibus.*

(249) Desunt in Decret.

(250) Desunt, verum leguntur apud Pith. in add.

(251) In Decretal. *quocirca.*

(252) Desunt in Decret.; mox *dictum* legunt pro *sæpedictum*, et infra omittunt verba charactere Italico distincta.

ipsius monasterii, noscitur expendisse, ab eisdem abbate ac conventu recepta, cum sibi fructus percepti *hactenus* sufficere debeant pro labore, prædictum feudum eidem monasterio dimittat liberum et quietum, *monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam*, appellatione postposita compellatis. Nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes... tu, ea frater, etc.

Datum Laterani, IV Kal. Aprilis, anno nono.

LVII.

ARCHIEPISCOPO (253), ET ARCHIDIACONO, SENONENSIBUS.

*Ut moneant episcopum, et canonicos Lingonenses, ad assignandam T. canonico Lingonensi præbendam, quam de mandato papæ G. episcopus quondam Lingonensis eidem assignaverat.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Maii.)

Dilectus filius, T. canonicus Lingonensis, in nostra proposuit præsentia constitutus quod, cum de mandato bonæ memoriæ C. papæ, prædecessoris nostri, G. quondam Lingonensis episcopus (254), quamdam præbendam assignarit eidem in Ecclesia Lingonensi, et eadem sibi per prædictum prædecessorem nostrum fuerit confirmata, quia capitulum Lingonense ipsum ad eamdem præbendam recipere contemnebat, dilecti filii... Clarevall. (255) et Longivadi (256) abbates, auctoritate prædicti prædecessoris nostri, cum nollet aliquatenus a contradictione cessare, ipsum supposuerunt ecclesiastico interdicto. Postmodum autem, ad præsentiam nostram accedens, ad dilectos filios. . Melundensem (257), et... Quinciacensem (258) abbates, obtinuit scripta nostra, sed, cum per eos suam non potuisset justitiam obtinere, nos, venerabili fratri nostro... Remensi archiepiscopo (259), sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, tum episcopo Prænestino, apostolicæ sedis legato, sicut asserit, dedimus in mandatis, ut prædictam interdicti sententiam, sicut rationabiliter fuerat promulgata, faceret, appellatione postposita, firmiter observari. Verum, cum idem archiepiscopus negotium prorogaret, et idem, post labores multiplices, fere de promovendo ipso negotio desperasset, deficiens in expensis, ad instantiam archiepiscopi memorati, et auctoritate ipsius, talis inter eumdem T. ex una parte, et venerabilem fratrem nostrum, R. (260) episcopum, et dilectos filios, canonicos Lingonenses ex altera, compositio intercessit, quod, ipso ab eodem capitulo per manum prædicti archiepiscopi recepto in canonicum et in fratrem, et concesso sibi stallo in choro et participatione qualibet divinorum, idem fructus præbendæ alicujus ejusdem Ecclesiæ percipere non deberet, nisi loco septimæ vacaturæ. Licet autem memoratum archiepiscopum sincera diligamus in Domino charitate, ipsiusque velimus honori deferre, quia tam in his, quæ contra canonicas sanctiones acceptata noscuntur, ei deferre nec volumus, nec debemus, quod ab eo illicite factum est in hac parte duximus irritandum, quod licitum factum est approbantes. Cum ergo dictum T. in canonicum recipi et in fratrem, canonicis non obviet institutis, et vacaturam exspectare præbendam Lateranensi concilio non sit dubium obviare, nos, illicito reprobato, quod est licitum approbantes, quia videtur indignum, ut is, qui receptus est in canonicum, præbendæ beneficio defraudetur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus dictos episcopum et canonicos Lingonenses, si verum est quod asseritur, ut eidem præbenda, cum se facultas obtulerit, non differatur assignari, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellentes, faciatis eidem portiones quotidianas, quæ fiunt in ecclesia memorata, sine diminutione qualibet assignari; contradictores, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Maii, anno anno.

LVIII.

ABBATI, ET CONVENTUI DE CUPRO (261) CISTERCIENSIS ORDINIS.

*Confirmantur quædam bona eis data.*

(Apud S. Petrum, II Idus Aprilis.)

Solet annuere, etc., *usque* assensum. Merram de

(253) Vide epistolam libri tertii 45, not.

(254) Vide epistolam libri quinti 141, not.

(255) Claravallensis abbas, de quo hic agitur, erat tunc temporis Guido, qui præfuit ab anno 1193 usque ad annum 1214. *Gall. Christ. nov.*, tom. IV, col. 803.

(256) Arnaudus, Longivadi abbas memoratur in instrumentis ab anno 1195, usque ad annum saltem 1212. *Ibid.*, col. 838.

(257) Quis fuerit Melundensis [*al.* Molosmensis] abbas, ad quem causam de qua hic agitur demandaverat pontifex, pro certo statuere non possumus. Vide *Gall. Christ. nov.*, tom. IV, col. 721.

« X. Willelmus, 1180 et 1181 in chartis S. Michaelis Tornodorensis.

« XI. Golduinus 1204.

« XII. Hugo II, 1208 et 1211, in chartis Tornodorensibus, et adhuc 1220 in instrumento Molismi.»

(258) Idem nobis dicandum est de abbatibus Quinciacensibus. Joannem I, ex instrumentis, ab anno 1196 usque ad 1201 agnoscunt Galliæ Christianæ novæ auctores (*ibid.*, col. 831). Mox, Oliverium ab anno 1202, usque ad annum saltem 1215 memorant.

(259) Vide epistolam libri septimi 116.

(260) Robertus II, de Castellione (*de Chastillon*) cognominatus, et, ut asserit chronicon Lingonense, probabiliter frater Lamberti de Castellione ad Sequanam, militis, avunculus autem Hugonis Tilecastrensis Dynastæ, fuit primum Thesaurarius, et decanus, tum, defuncto Hilduino (de quo vide epistol. libri quinti 141, not.), Lingonensis Ecclesiæ antistes. Pluribus in chartis memoratur anno 1204. Anno autem 1208, cum Milone, Barrosequanensi comite, et magna nobilium armatorum manu, profectus adversus Albigenses, paulo post de vita migravit. *Gall. Christ. nov.*, tom. IV, col. 595.

(261) Cuprum, insigne Scotiæ monasterium, fundavit Marcolmus rex, quem *Virginem* Antiqui cognominarunt. De eo Thomas Demsterus in apparatu: *Cuprum in Angusta, ordinis Cisterciensis, fundavit S. Marcolmus IV rex, cognomento* Virgo, *anno* 1160, *ab eodem rege Deiparæ dicatum.* Ita Demsterus, annum anteponens, quamvis ad 1174 referenda ini-

Kamberadoni, quam in puram eleemosynam, et terram de Abrec, quam ad perpetuam firmam bonæ memoriæ J. Dumkeldensis episcopus vobis de assensu capituli sui concessit, et venerabilis frater noster R. successor ipsius, postmodum confirmavit; ex dono charissimi in Christo filii nostri, W. regis Scotorum illustris, terras de Calethin et Parthesin; ex dono quondam David Rufi, terram de Kincref, et duos tostos in burgo de Folfar; unam prælerea petram ceræ, quam Robertus de Graham de domo sua in civitate Sancti Andreæ, annis singulis, de suorum hæredum præcipiendam assensu; et aliam, quam Gaufridus, filius Martini de Perth, pietatis intuitu, vestro monasterio concesserunt, sicut in ipsorum authenticis dicitur contineri, et eas juste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Idus Aprilis, anno nono.

## LIX.

...LYUBICENSI (262)... RACEBERGENSI (263), ET QUERINENSI (264) EPISCOPIS.

*Quod presbytero, quo inscio sedente puer infirmus obiit, dent pœnitentiam ad cautelam.*

(Apud S. Petrum, VI Nonas Maii).

Accedens ad apostolicam sedem, H. sacerdos, lator præsentium, lacrymabili nobis confessione monstravit, quod, cum, ad numerandam cuidam nepti suæ pecuniam, quam ei solvere tenebatur, domum intrasset ipsius, super quamdam congeriem vestium, juxta sedem communem positam, sub qua quidam infantulus æger ad dormiendum locatus fuerat, patris custodiæ commendatus, dictæ neptis suæ jussione resedit, non præmonitus ab aliquo de infante. Vix autem adhuc eo sedente, confestim mater supervenit infantis, illum sub vestibus esse dicens, unde sacerdos ipse attonitus subito de loco exsiliit, quo sedebat. Puer vero, sive mole pannorum, sive morbi violentia suffocatus, sive dicta sessione oppressus, sine signo tamen oppressionis mortuus est inventus. Verum, quia bonarum mentium esse constat, etiam ubi non sunt culpæ, culpas agnoscere, presbyter idem officium suum exsequi non præsumpsit, donec a sede apostolica misericordiam postularet. Nos igitur, audita confessione ejus et contritione inspecta, licet ex præmissis non cognoverimus eum graviter deliquisse, ad cautelam tamen ei pœnitentiam super his facientes injungi ei duximus concedendum, ut, si ita est, sacerdotale officium, nisi aliud impedimentum occurrat, laudabiliter exsequatur, et in cordis humilitate de cætero plenius vacet operibus pietatis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Nonas Maii, anno nono.

## LX (265).

SALZEBURGENSI ARCHIEPISCOPO (266), ET ABBATI SALZEBURGENSIS DIOECESEOS, ET DECANO GURCENSI.

*Causam de matrimonio Regis Bohemiæ, usque ad calculum definitivæ sententiæ eis committit; mandat ut, cum fuerit sufficienter instructa, ad ejus examen remittant* (267).

(Apud S. Petrum, VI Kal. Maii.)

[Ex parte dilecti filii, nobilis viri... Marchionis Misnensis, et sororis ipsius, nostris est auribus intimatum, quod, cum charissimus filius noster... Bohemiæ rex illustris, ipsam... duxisset legitime in uxorem, ac eam decem et octo annis et amplius velut uxorem legitimam pertractasset, filiis et filiabus ex ea susceptis, tandem, suadente humani generis inimico, illam a suo consortio separavit; et venerabilis filius noster, Pragensis episcopus (268) habito quorumdam prælatorum consilio in quodam monasterio, ad petitionem et mandatum ipsius regis, ipsa volente ad eos accedere, ut suas coram eis proponeret rationes, militibus ejusdem regis prohibentibus bis vel ter ingressum eidem, et ex parte illius appellatione ad sedem apostolicam interposita, sententiam inter eos non est veritus promulgare, ac denique ipse rex quamdam aliam...

tia, ex Rogerio Wedenio, statim tradat. Hector Boetius de eadem abbatia: *Ab eo* (scilicet Marcolmo) *condita est abbatia* (Cupri), *divæ Virgini sacra, et amplissimis dotata redditibus. Inhabitabant eam viri religiosi ordinis Cisterciensis, multa pietate celebris.* Et alibi, monasteria Scotiæ numerans: *Duo præterea alia, religione eruditioneque famosa, Aberbrot, et Cuprum; hoc Cisterciensis ordinis, illud majoris monasterii Turonensis.* Monachi ex Meilrosia transmissi; unde et Cuprum inter filias ejus domus in linea Claævallis commemoratur. Pertinet ad Sant-Andreanam diœcesim, in qua centum florenis taxatam video. Angel. Maurique, *Annal. Cisterc.*, tom. II, pag. 406, ad an. 1164, cap. 10, § 3.

(262) *Lyubicensi.* Sic in Apographo. Verum legendum videtur *Lubecensi.* Hic enim agi videtur de episcopatu Lubecensi. Lubecensi Ecclesiæ tunc præerat Theodorus, quem, ex præposito Segebergensi, episcopum Lubecensem, post Conradum anno 1183 defunctum, memorat Bucelinus. Theodorum nonnisi anno 1211 obiisse notat idem auctor, *German. sacr.* part. I, pag. 53.

(263) *Racebergensi.* Legendum potius videtur *Ratzenburgensi.* Ratzenburgensium episcoporum nominum nudam seriem, absque ulla nota chronologica, exhibet Bucelinus, *ibid.*, pag. 54.

(264) *Querinensi.* Nonne legendum *Sverinensi*? Hic enim agi videtur de Sverinensi antistite. Mechelburgensis sedes versus annum 1170 Sverinum translata fuit. Episcopales infulas tunc gerebat Benno, monachus Cisterciensis, quem confirmavit anno 1177 Alexander PP. III Bennoni successit Brunardus, *al.* Brunwardus, qui præfuit annis 44, si qua Bucelino fides (*German. sacr.*, part. I, pag. 53), obiitque, juxta eumdem, anno 1237.

(265) Epistola hæc integra legitur apud Raynaldum, ad annum 1206, § 24; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(266) Vide epistolam libri quinti 29, not.

(267) A pluribus jam annis tenebat controversia divortii quod anno 1199 fecerat Primislaus, Bohemiæ rex, repudiata Adela *seu* Abda, Othonis divitis, Marchionis Misniæ, filia, in cujus locum Constantiam Ungaram, Bela tertio genitam, duxerat.

(268) Vide epistolam libri quinti 29.

sororem videlicet charissimi in Christo filii nostri... A regis Hungariæ, superduxit. Super hoc autem cum ad nos querimonia devenisset, causam ipsam venerabili fratri nostro, Halberstatensi episcopo (269). et conjudicibus ejus, duximus committendam, qui postmodum eamdem causam instructam ad nostram præsentiam remiserunt. Cum denuo tibi fratri... Salzeburgensi, et bonæ memoriæ Magdeburgensi (270) archiepiscopis, et dilecto filio... præposito Romano, causam commissemus eamdem, ipsi præfatum regem propter idem negotium citaverunt, Sed, quoniam idem rex nuntios eorum, ut asseritur. fecit inhoneste tractari, ipsi non processerunt amplius super causa. Interea vero, præfatus rex correctus a Domino, sicut dicitur, et, magna contra ipsum adversitate surgente, reversus ad ipsum, B dixisse proponitur: Merito hæc patior, quia legitimam uxorem meam sine causa dimisi, et propter hoc filios meos, filiasque confudi; cumque reatum suum taliter recognosceret, convocatis majoribus terræ suæ, nihilominus etiam liberis et ministerialibus fratris ejusdem uxoris suæ, juravit ipse fecitque jurari per suos, quod superinductam expelleret. et legitimam revocaret; quod postmodum non implevit, licet illud per litteras signatas sigillo proprio confirmarit. Quamvis igitur ex apostolicæ servitutis officio simus omnibus in justitia debitores, volentes tamen ita prædictorum marchionis, et sororis ipsius justas petitiones admittere, ut præfatorum regis Bohemiæ, ac sororis regis Hungariæ, justitiam non lædamus, discretionem vestram monemus per apostolica scripta, atque præcipimus, C quatenus, ad diem et locum partibus competenter vocatis coram vobis, quos videritis evocandos in ipso negotio, mediante justitia, usque ad calculum definitivæ sententiæ, sublato appellationis obstaculo, procedatis, et causam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum congruentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, sententiam, auctore Domino, recepturæ. Testes autem, etc. Nullis litteris, etc. Quod si omnes, etc. Tu, frater archiepiscope, etc.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Kalendas Maii, anno nono.

LXI (271).

COMITI NIVERNENSI, ET UXORI EJUS.

*Conceditur eis, ut illi, qui sciebant ipsos esse conjunctos quarto consanguinitatis gradu, et in contractu matrimonii non dixerunt, si accusare voluerint, non audiantur.*

LXII (272).

.....PRIORI (273), ET CONVENTUI DUNELMENSIBUS.

*Potest religiosus zelo sanctioris vitæ ad religionem transire strictiorem, petita prius licentia prælati sui, licet non obtenta, etiamsi primum monasterium sit ita privilegiatum, quod de illo ad aliud etiam arctius transiri non possit (274).*

(Romæ, III Kal. Maii.)

[Licet quibusdam monachis et canonicis, nec non Hospitalariis et Templariis a sede apostolica sit indultum, ne, postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit, ipsis invitis, arctioris etiam religionis obtentu, transire, ut unusquisque, secundum Apostolum, in ea vocatione permaneat in qua dignoscitur esse vocatus (*I Cor.* VII); quia tamen *ubi Spiritus Dei est, ibi libertas* (*II Cor.* III), et qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex posita (275) non est justo; ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis, ex temeritate vel levitate, in jacturam et injuriam sui ordinis, sub prætextu majoris religionis, ad alium ordinem transvolaret, sicut frequenter a multis constat esse præsumptum; non quidem, ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac buritate duxerit postulandam, *quatenns* (276) non ficte, sed vere ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo, postquam a prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata (277), quæ publicæ legi præjudicat, absolutus, potest libere sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante paterna indiscreti contradictione prælati, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, cum etiam Romanus pontifex, qui supremam obtinet in Ecclesia potestatem, archiepiscopis et episcopis cedendi licentiam ex justa causa petentibus, sine difficultate concedat. Quocirca, noverint universi, quibus hujusmodi privilegium est concessum, se ad concedendum transeundi licentiam taliter postulantibus de jure teneri; quia, sicut subditus a prælato cum humilitate ac puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, sic *profecto* (278) prælatus subdito sine diffi- D cultate ac pravitate debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur impedire propositum divinitus

(269) Vide epistolam libri octavi 108, not.

(270) Vide epitolam libri quinti 8, not.

(271) Apograghum epistotæ hujus, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus.

(272) Epistola hæc integra legitur inter Decretales, lib. III, tit. 31, *De regularibus et transeuntibus ad religionem,* cap. 18, ubi *priori et conventui Dimoliensi* ab. ut monet Pithœus in margine, *Dimelinensi,* al. *de Molend.* al. *Dubeolin.* al. *Dunolien.* directa dicitur.

Hoc vero notandum: Epistola hæc eamdem est penitus, verbis tantummodo competenter mutatis, ac epistola libri undecimi 178, archiepiscopis Terraconensi, Bracarensi et Compostellano directa, apud Baluzium, tom. II, pag. 227.

(253) Vide epist. lib. quinti 129 et 135, not.

(274) Ad argumentum epistolæ hujus, notat Pithœus: *Hoc dicit: et est casu notabilis, et quotidie allegatur.*

(275) Pith. in marg. *imposita.*

(276) Decretal., *ut.*

(277) Vide Decretales, causa XIX, quæst. II, can. 11.

(278) Decretal. omitt.

inspiratum. Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem, an laxiorem, ex charitate, an ex temeritate transire, superioris est judicium requirendum, ne forte angelus Satanæ in lucis angelum se transformet; illa semper regula inviolabiliter observata, ut nullus *episcopus* (269) absque licentia Romani pontificis, præsumat occasione quæcunque deserere præsulatum; quoniam, sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur; et in hoc casu recte præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, et labor quieti. Ad quod utique designandum, unigenitus Dei Filius, Jesus Christus non de Rachele secundum carnem natus est sed de Lia, nec legitur eum in domum suam Maria excepisse, sed Martha: unde, quandiu potest episcopus præesse pariter et prodesse, non debet cedendi postulare licentiam, aut etiam obtinere. Cum ergo *dilectus filius* (280), R. monachus vester, ad fratres Cisterciensis ordinis transmigraverit, non ut ordini vestro aliquatenus *derogaret* (281), sed ut apud eos vitam duceret arctionem, *devotioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo* mandamus, quatenus, super eo quod de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta fecisse dignoscitur, eum nullatenus molestetis, quia charitas est fons proprius, cui non communicat alienus.]

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Kalendas Maii, anno nono.

## LXIII (282).

ARCHIEPISCOPO PISANO (283).

*Quod judicem Calaritanum absolvat a juramento.*

(Romæ, II Nonas Maii.)

[Si diligenti] (284) *meditatione* pensasses (285), *qui illa tabernaculi archa significet, in qua cum tabulis virga simul et manna sunt, Domino jubente, recondita, nequaquam nos tibi scripsisse dure vel aspere reputares, cum in pectore Romani pontificis, qui universis ecclesiarum prælatis preesse, Deo auctore, dignoscitur, et virga correctionis, et manna debeat esse dulcedinis, ut altero foveat humiles et devotos,* reliquo vero (285*) *rebelles feriat, et puniat delinquentes. Hinc est, quod illius vulneribus sauciati, quem Samaritanus duxit in stabulum, vinum adhibetur et oleum ut nisi commonitionis et exhortationis oleo delinquentium vulnera foveantur, vinum severitatis ecclesiasticæ subsequatur. Licet igitur, ex his quæ præmisimus, contemptis nostris monitis et mandatis, quibus fraternitatem tuam frequenter nixi sumus inducere, ut dilectum filium nostrum, W. marchionem Massæ, judicem Calaritanum, a juramento fidelitatis absolveres, quod exhiberi tibi et Ecclesiæ Pisanæ fecisti, ut, eo non obstante, nobis et Ecclesiæ Romanæ juraret, non solum asperitate verborum, sed exsecutione forsan potuissemus in te procedere ecclesiasticæ disciplinæ,* [cum judicatus Calaritanus ad jus et proprietatem beati Petri pertineat, sicut tota Sardinia nullo pertinet mediante, *nec ex parte tua quidquam fuerit rationabiliter allegatum, quare tibi licuerit* (286) pro te, vel ecclesia tua, a *prædicto* marchione fidelitatis recipere juramentum.] (286*) *Super eo autem, admiramur plurimum et movemur, quod, cum te reputemus virum providum et discretum, et, juxta debitum pontificalis officii, sanctorum Patrum statuta ignota tibi esse non debeant, et jurisperitorum copiam habere noscaris* (287), [asseruisti, te, usque ad hæc tempora tenuisse *et habere pro certo* (287*) quod licitum sit *cuilibet* clerico, saltem in temporalibus, renuntiare juri suo, et sibi laicum judicem constituere, præsertim, ubi adversarii voluntas accessit, ac *per hoc tacite te innuis minus rationabiliter redargutum, pro eo quod, hujusmodi pacto, tenere* (288) juramentum interpositum respondisti, immemor constitutionis illius, qua cavetur pacto privatorum juri publico minime derogari. Cum ergo hoc jus in Melevitano et Carthaginensi conciliis sit specialiter *promulgatum* (288*), ne clerici clericos, relicto suo pontifice, ad judicia publica pertrahant, alioquin causam perdant, et a communione habeantur extranei, et tam episcopi quam diaconi, seu quilibet clerici, in criminali, seu civili negotio, si direlicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, suum locum amittant; et hoc in criminali actione; in civili vero, perdant quod evicerint, si locum suum obtinere maluerint; manifeste patet, quod, non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, cum non sit hoc beneficium personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice et generaliter sit indultum, cui privatorum pacto derogari non potest; nec juramentum licite

(279) Deest in Decretal.

(280) Desunt in Decretal.

(281) Decretal., *derogaretur*, et mox omittunt *devotioni...præcip.*

(282) Epistola hæc legitur, sed valde mutila, inter Decreteles, lib. II, tit. 11. *De foro competenti*, cap. 12, et tit. 26, *De præscriptionibus*, cap. 17. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ lectiones dantur.

Eamdem laudat Raynaldus. ad annum 1206, §36.

Conferendæ sunt epistolæ hujusce libri doni 20 et 21.

(283) Vide epistolam libri tertii 9, not.

(284) Quæ sequuntur, Italico charactere distincta, in Decretalibus desunt, verum leguntur apud Pithœum, *in add.* lib. II, tit. 26.

(285) Apud Pith. *penses animo.*

(285*) Pithœus, *et reliquo.*

(286) In Decretal. *tibi non licuit*, et mox om. verbum *prædicto.*

(286*) Quæ sequuntur, desunt in Decretalibus; verum leguntur apud Pith. in addit. ad locum mox citandum.

(287) Vide Decret. lib. II, t. 11, *De foro competenti*, cap. 12.

(287*) Hæc in Decretal. desunt, ut mox *cuilibet.*

(288) Decretal. *temere*, loco *per hoc... tenere.*

(288*) Pith. in not. margin. *Verba quæ tribuuntur hoc loco Milevitano Concil. habentur in Concil. Tolet.* III, *c.* XIII. *Reliqua in Concil. Carthag.* III, *c,* IX.

servari potuit, quod contra statuta canonica illicitis pactionibus infirmatur. (289) *Super* alio (290) *vero* articulo taliter respondisti : quod ab eo tempore, quo fuisti assumptus ad præsulatus officium, juramentum fidelitatis pro sede apostolica ab ipsis *judicibus* Sardiniæ (291) *recepisti*, sciens, te (292) archiepiscopum Villanum (293), prædecessorem tuum, virum magnæ auctoritatis et honestatis, qui

(289) Quæ sequuntur, in Decretal. desunt, sed leguntur apud Pith. in add. tit 26, cap. 17.

(290) Apud Pith. *eo.*

(291) Deest ap. Pith.

(292) Pith. add. *per.*

(293) Notanda omnino, quæ hic dicuntur de Villano, archiepiscoo Pisano, et conferenda cum his quæ de eodem præsule retulit Ferdinandus Ugellus, *Ital. sacr.* tom. III, col. 459 et sqq.

« Villanus, Villanius civis, atque archiepiscopus Pisanus, Balduino successit anno 1145.

Huic *archiepiscopo* Eugenius PP. III, *anno* 1146, *Kalendas Junii, ab Incarnatione, indictione octava, dat, Viterbii, per manum Roberti, S. R. E. cardinalis et cancellarii*, omnia indulta, quæ olim Innocentius PP. II Balduino concesserat, iterata liberalitate confirmavit.

« Anno 1153, Metropolitanæ Pisarum Ecclesiæ canonici, ab Anastasio PP. IV, non modo concessas a prædecessoribus prærogativas, verum amplissimam donationem qua Eugenius PP. III. Villani. *Pisani archiepiscopi*, (qui summa apud Eugenium PP. III gratia atque auctoritate floruit), precibus adductus, eosdem auxerat, apostolica auctoritate corroborati fuere. Diploma datum fuit *Laterani, per manum Rolandi, S. R. E. presbyteri cardinalis et cancellarii, sexto Id. Septembris, indict.* I, *Dominicæ Incarnationis anno milesimo contesimo quinquagesimo tertio, pontificatus vero Anastasii PP. IV anno I.*

« Ann 1154, Raynaldus, Antiochiæ princeps, ejuscue uxor Constantia, Bœmundi junioris filia, Reipublicæ Pisanæ, Villano *archiepiscopo*, ejusque principi templo, nonnullas ædes Laodiceæ et Antiochiæ, ob eximia Pisanorum de ipsis optime meritorum studia, concessere. . . . Raynaldi documentum, ex eodem tabulario erutum : *Factum est hoc per manum Gaufridi, cancellarii nostri, anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo quarto, indictione secunda. Hujus rei sunt in testes, Garento de Soana, Galerius de Surda-valle, Gualfridus Constabularius, D. Leonardus, Leo Majopolis dux, Marsaram de Margath. Arnaldus de Cafardum, Robertus de Larda-valle, Ugo de Volera, Ilentasdus de Lenni, Petrus de Juvenale.*

« *Data est charta in palatio Antiocheno, decima die mensis Maii.*

« Iisdem fere verbis Adrianus PP.. IV, Leoni archipresbytero, cæterisque S. Mariæ Pisanæ Ecclesiæ canonicis, omnia jura ac privilegia confirmavit : *Dat. Beneventi, per manum Rolandi, S. R. E. presbyteri cardinalis et cancellarii*, V *Id. Junii, indictione quarta. Incarnationis Dominicæ* 1155, *pontificatus secundo.* Diplomatis originale asservatur in tabulario Pisani capituli, ubi alia duo ejusdem pontificis eidem Leoni aliisque canonicis demandata leguntur, in quibus Villanus *archiepiscopus Pisanus* diserte nominatur.

« Eidem Adrianus PP. IV ea ipsa indulsit, *anno* 1157, XI *Kalendas Junii, indictione quinta : Dat. Laterani, per manum Rolandi, S. R, E. presbyteri cardinalis et cancellarii.*

« Anno 1157, Villanus obtinuit ab Almerico, Ascalonis comite, Balduini secundi Hierosolymitani regis fratre, tum certa in Joppensi urbe jura, tum porrectum late campum, ut in eo Pisani cives domos ecclesiamque excitarent, si Leoni patriarchæ ita visum esset . . . In quo etiam, ex eodem Tabulario, monumento, *archiepiscopus* solummodo nominatur.

« *Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Americus . . . dono, concedo atque confirmo tibi, domino Villano, Pisarum venerabili* archiepiscopo, *unaque consulibus earumdem, communiterque omnibus Pisanis, dimidium hujus juris quod ad me pertinet . . .*

« *Factum est autem hoc anno Incarnationis Deo minicæ* 1157, *indictione quinta. Datum in Ascalone per manum Rodulphi, cancellarii*, IX *Non. Junii.*

« Anno 1161, Lambertus Grassus, ac Collegæ Pisani consules, pro sua pietate, ac decorandæ augendæque ecclesiæ Metropolitanæ, cui L. Mariæ nomen est, ad perducendam molem, majestatemque eidem ecclesiæ, omnes ecclesias ac jura quæ ab imperatoribus, ob insignem in bellis navatam operam, majores acceperant, quibus Pisani Constantinopoli potiebantur. concessere, non modo ut Balduini archiepiscopi piæ recordationis merita decorarent, verum etiam ut Villano *archipræsuli* morem gererent, qui summis ab iis precibus illud ostenderat. Tantæ donationis monumentum, e Tabulario Pisano elicitum, afferimus.

« *Justum est piis petitionibus . . . et quia nos. præmemorati consules, hæc omnia in perpetuum volumus observari, imitantes etiam voluntatem et scriptum domini Balduini piæ recordationis, Pisanæ Ecclesiæ archiepiscopi, et domini Villani, nunc venerabilis ejusdem Ecclesiæ* præsulis . .

« *Acta sunt hæc in veteri capitulo Pisanæ Canonicæ Sanctæ Mariæ, anno Dominicæ Incarnationis* 1161, *quinto decimo Kal. Aprilis, indictione nona.*

« Villanum vero *archiepiscopum*, optimum fuisse pastorem, deque Romana Ecclesia bene meritum constat. Cum enim inter Alexandrum tertium, ac pseudopontificem Victorem schisma ferveret, Villanus imperterrito animo vero pontifici Alexandro adhæsit, atque ob id ab Ænobarbo declaratus perduellis, in insulam Gorgonam voluntario exsilio secessit. Populus autem, clerusque Pisanus, qui Ænobarbo studebat, ad ejusdem votum postulataque, Benincasam de Benincasis, canonicum sanctæ Mariæ Majoris Pisanæ, in vacuam Villani sedem intruserant anno 1167, Victorque pseudopapa in die S. Paschatis inauguravit ; de qua re auctor nostri Chronici :

« *Imperator*, inquit *Fridericus Raynaldum cancellarium, et Coloniensem archiepiscopum. Pisas misit, qui exercitum facere statuit in publico Pisanorum parlamento, in æstate futura, in Siciliam. Apuliam, Calabriam, et contra Romanos, et sic in ipso parlamento juratum est per quemdam domini imperatoris Capellanum, et per consules Pisanorum. Præterea, ibidem prædicti consules jurarunt papam Pascalem pro Catholico tenere. et eidem tanquam catholico obedire, et clericis Pisanis jurare facere promiserunt. Similiter et* archiepiscopum *Villanum, qui nullo modo ei obedire voluit, promiserunt. Postea quidem*, VIII *Kal. Aprilis, Pisani, volentes obedire præceptis prædictorum imperatoris et papæ Paschalis, Benincasam, canonicum Sanctæ Mariæ Majoris Pisani in archiepiscopum eligerunt, cui ipse papa Sabbato sancto sacerdotium dedit, et die Lunæ Paschæ honorifice cum suis cardinalibus in archiepiscopum consecravit.*

« Cæterum, cum deinde populus clerusque Pisanus post Ænobarbi profectionem resipuissent, proprio veroque revocato pastore, Benincasam intrusum deturbarunt de sede. Quibus acceptis. Alexander papa, qui iis temporibus Beneventi versabatur, sequentem epistolam ad Pisanos canonicos scripsit,

longo tempore in curia Romana exstitit *cardinalis*. ipsiusque (294) *plenius* novit consuetudines et statuta, et omnes *antecessores* tuos, qui fuerunt viri

ac susceptis insistere. Villanique ab ipsis revocati partibus hærere hortatus est atque, ob intrusum Benincasam tandem ejectum, summis laudibus exstulit quem quidem pontifex, ludens in illius nomine, *Malincasæ* dicterio aspersit; in sequentibus enim litteris, quibus licet annus ascriptus non sit, dignissimæ tamen quæ posteritati transfundantur visæ sun ac ex sanctiori capituli tabulario decerptæ fuerunt,

« *Litteras devotionis vestræ*..... etc. *Rogamus autem universitatem vestram, atque monemus, quatenus, sicut bene cæpistis, ad expulsionem Malincasæ, et ad revocationem venerabilis fratris archiepiscopi vestri, modis omnibus laboretis..... Præterea, cognito ex litteris vestris, quod præfatus archiepiscopus capellanum.... Dat. Benevent.* XI *Kal. Septembris.*

« Ex aliis multis epistolis, ab Alexandro ad Pisanos canonicos exaratis, colligitur, Pisanam Ecclesiam varias in partes distractam discissamque fuisse; plures tamen Villano *Archiepiscopo*, pontificiarum Alexandri partium studioso, adhæsisse, insigni argumento sunt epistolæ Pisanis canonicis datæ, in quibus B... canonici, aliique presbyteri pervicaciam scelusque percellit, dirisque defigit; cum enim reliqua capituli pars in officio constanti fide perstaret, ad schismatici Victoris partes transvolarant, easque summa audacia tueri augereque moliebantur, ut ab ejus consuetudine sese subducant, gravissimis litteris Alexander imperat.

« Villanus equidem *archiepiscopus*, Metropoleosque canonici majori ex parte magnis animis Alexandro studuere; eos enim facile necessitudo olim cum Alexandro, dum illius Ecclesiæ canonicus esset, contracta, permoverat: ex eoque gradu, ille, Eugenii tertii beneficio, ad cardinalitiam dignitatem, ac demum ad summum pontificatum evolarat atque adeo eam ecclesiam singulari benevolentia prosecutus, cum sese offerebat occasio, clientelam illi suam cononicisque impertiit.

« Verum, in eodem sanctiore Tabulario aliæ Alexandri litteræ, ad eosdem Pisanos canonicos datæ, repriuntur, quæ insignem illum amorem quo eosdem complectabatur illustrant, veluti cum singularem animi voluptatem, qua esset perfusus, admisso in canonicum ab ipsis capellano suo ac notario a se commendato, significavit; atque in eisdem litteris controversiam, quæ ipsos inter, atque abbatem Sancti Savini, de cadavere Tancredi comitis sepulturæ tradendo versabatur, ad Villanum *archiepiscopum* retulit.

« *Devotionis vestræ litteris consueta benignitate et animi alacritate receptis, quod dilectum filium G.... de cætero, causam, quæ inter vos, et abbatem et monachos Sancti Savini, super cadavere comitis Tancredi vertitur, quia eidem monachi factum ipsum longe aliter quam vos proponebant, venerabili fratri nostro* archiepiscopo *vestro, sub certa forma committimus terminandam..... Dat. Verul.* V *Kal. Maii.*

Idem obtinuit ab Alexandro PP. III, *anno* 1169, *septimo Kalendas Februarii, indictione secunda, Dat. Januæ, per manum Hermanni, S. R. E. subdiaconi et notarii.*

Anno 1170, Bœmundus, Ræymundi principis Antiocheni filius, consentiente Urgolssa consorte sua sacro D. Mariæ Templo, Villano *archiepiscopo*, populoque Pisano, campum Laodicæ contulit, ut in eo Pisani ædes conderent, atque etiam Antiochiæ simillimam illi donationem in eosdem liberaliter explicuit, quam Raymundus, ipsius pater, Villano *archiepiscopo*, populoque Pisano, ut supra vidimus, detulerat. Est monumentum:

« *Notum sit omnibus homibus, tam præsentibus* magnæ auctoritatis, sic de antiqua consuetudine *tenuisse* (295) pariter, et fecisse, cum nihil tibi vel ipsi hactenus ab apostolica sede fuisset objec-

*quam futuris, quod ego Bœmundus, Raymundi principis filius, Dei gratia princeps Antiochenus, assensu et voluntate domine Urgolosæ, uxoris meæ, charissimæ, principissæ, dono et concedo, et jure perenni confirmo ecclesiæ Sanctæ Mariæ, et* archiepiscopo Pisanæ civitatis.....

« *Datum est autem privilegium istud per manum Bernardi cancellarii. anno principatus mei* VII, *et ab Incarnat. Domini* 1170.

« Nec parum felix Villanus visus, aut humilem honoris apicem assecutus, vidisse duos summos pontifices, qui e sua Ecclesia, tantis virtutibus perpoliti, emersissent ad summum humanæ dignitatis fastigium. Fuere ii, Eugenius tertius, vicedominus, antequam in Cisterciensi familia sese D. Bernardo monastica discipina excolendum daret; atque Alexander tertius, metropolitanæ ecclesiæ canonicus, quem levissimis rationibus adductus, Chrysostomus Henriquez in Cisterciensi Menologio, auctorque, qui in vitam Gelasii commentarios edidit, monasticam disciplinam sectatum, et in Galliis apud Clarævallem divi Bernardi manibus religiosum habitum suscepisse gratis affixerunt; quod sane, si veritati consentiret, nunquam ab Alano, Autissiodorensi episcopo, ejus ævi auctore, qui D. Bernardi gesta litteris transfudit, silentio fuisset involutum, dum omnium episcoporum ac cardinalium, qui ab ipso exculti fuerant, numerum percenseret, atque adeo, ut ille Eugenium tertium egregiis ornat laudibus, Hugonem. Henricum, Bernardumque cardinales, ab eodem Eugenio ad eam dignitatem evectos, commemorat, Rolandum sane, virum omni laude celebratissimum, qui postea Alexander fuit tertius, nunquam silentio obruisset; quanquam verum sit, Alexandrum D. Bernardo, atque etiam Eugenio, cui in canonicatu collega exstiterat, et ab illo cardinalitia dignitate insignitus, amicitia conjunctissimum vixisse. His cardinalis Baronius, adductis in medium pervetusti manuscripti Bibliothecæ Vaticanæ verbis, pulcherrimam lucem affundit; dum enim honorum gradus, quos Alexander emensus est, recenset, fidem facit Pisanum canonicum fuisse, cum ad sacram purpuram fuit evocatus. Hac enim occasione non præteribo eumdem Gelasii vitæ scriptorem, nulla ratione fretum, commentum esse, Villanum hunc, Pisanum archiepiscopam, a Lucio secundo ad cardinalatum evectum, tituloque S. Stephani in monte Cœlio ornatum; adducit quidem nonnulla Pisana monumenta, sed quæ num exstent, omnes lateant, ac quidem Pisanorum rerum peritissimi ignorant, e qua familia Villanus originem derivarit, quanquam asserant alii, Villani nomen antiquissimæ ac nobilissimæ familiæ impositum fuisse, quæ, dum Respublica staret primos honorum gradus gessisset, et pro gentilitio scuto, duas turres rubeo colore pietas in arca candida, ac superiorem alteram quoque candentem æream præferebat, an ex ea familia genus propagarit non assero. Illud certe constat, nunquam cardinalitios apices attigisse, cum ab anno 1146 ad 1174 archiepiscopatum Pisanum tenuisse reperimus, atque in monumentis innumeris, quæ ad nos transmissa fuere, inscriptus cardinalis, ut mos est in aliis non invenitur; quod sane dignitatis nomen prætermissum nunquam fuisset, si sacra purpura archiepiscopatui conjuncta radiasset. Romani pontifices, qui ad eumdem Villanum scripsere, nunquam in suis Bullis cardinalem appellarunt, quod in Anastasii quarti Bulla, ad Leonem archipresbyterum Pisanosque canonicus data, videre est. Ut major huic veritati splendor consilietur, iisdem quibus Villa-

(294) Pith., *ipse quoque*, et infra *tui* pro *tuos*.

(295) Pith., *te antiquam consuetudinem*.

tum. [(296) *Nos autem, his et aliis, quæ dilectus filius, magister Bondinus* (297) nuntius tuus, proponere voluit, plenius circomspectis, non intelleximus te, vel Ecclesiam *Pisanam* (297*) aliquo jure subnixam, *quo valeas a mandati nostri exsecutione rationabiliter excusari* (298), cum auctoritatem sedis apostolicæ non ostendas, per quam a *prædictis* judicibus tu, et antecessores tui, fidelitatis exigeritis juramenta, nec præscriptione aliqua muniaris, cum, secundum confessionem tuam, *non* Ecclesia Pisana, vel tu *fueritis* in quasi possessione juris exigendi hujusmodi juramentum, quod *pro sede apostolica ab* ipsis judicibus receptum fuisse fateris, per quod constat, Ecclesiam Romanam semper in quasi possessione fuisse, cum pro ea ministerio tuo, et antecessorum tuorum, exactum fuerit et præstitum juramentum, et is B *etiam* (299) possidere dicatur, cujus nomine possidetur. Si vero dicatur, quod nomine tuo, et antecessorum tuorum, et non *nomine* nostro, fuerit juramentum exactum, posset inferri, quod juramentum præstitum de conservando jure et honore apostolicæ sedis fuerit violatum; unde, licite retineri non posset, quod contra juramentum hujusmodi *fuit* scienter obtentum, *nec* etiam, secundum hoc, præscriptio locum posset habere, cum in præscriptione rerum ecclesiasticarum bona fides et justus titulus exigantur. *Quod si etiam* (300) locum potuisset habere præscriptio, non credimus, *te* centenariam præscriptionem, quæ sola currit adversus Romanam Ecclesiam, non posse probare]. (301) Verum, quia tibi, quantum cum Domino possumus, deferre proponimus, et intendimus libenter efficere quæ ad C tuum, et Ecclesiæ tibi commissæ, redundare debeant commodum et honorem, sperantes quod ex his quæ in tuis litteris expressisti, videlicet quod honores apostolicæ sedis usque ad sanguinis effusionem defensare volebas, ac nil alieni juris velle te usurpare credamus, mandatum nostrum hac vice surdis non debeas auribus pertransire, quanquam per subtractionem legationis Sardiniæ, cujus occasione nobis

A injuria illata dignoscitur, ad hoc te cogere valeremus; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus quatenus prædictum judicem, omni excusatione proposita, a vinculo fidelitatis exhibeat. Alioquin, nisi feceris de necessitate virtutem, cum peccatum idololatriæ sit nolle obedire, et crimen ariolandi nolle acquiescere, te ad id quod mandavimus per exemptionem Sardiniæ a tuæ legationis officio compellemus, et forsitan, licet inviti, manus nostras durius in te curabimus aggravere, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Nonas Maii, anno nono.

### LXIV.

..... DECANO ET CAPITULO STENDALIENSIBUS.

*Confirmantur quædam bona.*

(Romæ, II Non. Maii.)

Annuere consuevit sedes apostolica piis votis, etc., *usque* annuentes, de Stendale, de Schinne, de Elvebuie et Rencherslache ecclesias, villam de Garlippe, cum pertinentiis suis, duo talenta in areis, et tria talenta in domo mercatorum ejusdem castri, quinque agrorum jugera extra fossatum, et totidem juxta Rencherslache, areas quasdam pia vobis fidelium liberalitate collatas, molendum de Rokence, villas Rokence, Slantiz et Bereche, cum pertinentiis earumdem; quatuor mansos in Schadewachte; duos in Niewinkele, duos in Bellinke, duos in Elvebuie, duos in Ciple, ac dimidium in Gerbreckteflache, ac tres quadrantes in Reincherslache, sicut ea juste ac pacifice possidetis, vobis et ecclesiæ vestræ per vos auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti, etc. Nulli ergo... si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Nonas Maii, anno nono.

### LXV.

..... EPISCOPO VERCELLENSI (362).

*Quod oblationem per sororem comitis Montisferrati,*

nus vixit temporibus, Gerardum reperimus, presbyterum cardinalem tituli S. Stephani in Cœlio monte ab Eugenio tertio creatum, qui alteri Villano, ejusdem tituli cardinali jam a Lucio secundo electo, et post Eugenium salutatum pontificem breviori tempore superstiti, successit. Nec adversatur in suis Regestis B. Gregorius, cum plures simul tituli S. Stephani in monte Cœlio cardinales fuisse tradit, D cum dignitatis cardinalitiæ munera non ita distincta, suis limitibus circumscripta, titulisve discretis, ut Eugenii temporibus, insignita forent; nec enim, post ea tempora, eumdem titulum in duos simul contulisse invenimus. Hæc delibasse oratione, ac perstrinxisse suffecerit, ad rei veritatem indagandam. In rebus sane antiquis ac difficillimis, quibus monumentorum scriptorumve lux non effulget, temerariam sententiam ferre, dignitates viris tribuere, quibus nunquam fulsere, eorumque genus ex altera, quam quæ ipsis originem dedit, derivare, vel ad nobilitatis, vel scientiæ arcanæ ac reconditæ famam, furere est, vaticinari, seque omnium ludibriis propinare. Decessit autem Villanus, haud vulgare variantis fortunæ exemplum, postquam sibi creditam prudentissime rexisset Ecclesiam, anno 1174, IV Non. Augusti, ut notat vetus Kalendarium sancti Zenonis de Pisis. Ad hunc ipsum Villanum Alexander tertius litteras dedit de conventione conjugatorum, cap. 3.

(296) Decret. ibid.

(297) In Decretal. *igitur*, *quæ*.

(297*) In Decretal., *tuam*, *super hoc*.

(298) Hæc desunt in Decretal., et mox *Calaritanis* legunt pro *præd.*; infra *nec* habent pro *non*, *fueris* pro *fueritis*, *per sedem apostolicam*, loco *pro sede ap. ab*.

(299) Decretal. omittunt, ut infra *nomine fuerit* legunt pro *fuit*, *quia* pro *nec*, et *non* addunt ante *locum posset*.

(300) Decret. *etiamsi* et omittunt vocem *te*.

(301) Reliqua desunt in Decretal. nec non apud Pith. Ibid.

(302) Lotharius Rosarius, Cremonensis, Alberto, ad patriarchatum Hierosolymitanum assumpto, ab Innocentio PP. III subrogatus est anno 1205. Translatus deinde est ad Pisanam Ecclesiam; successitque denique Hierosolymitanæ Ecclesiæ Alberto antecessori suo anno 1215, interfuitque Lateranensi concilio. Obiit an. 1227.

*de castro Montis-Belli, factum monasterio de Rocha, ubi sensum quadraginta librarum instituit Romanæ Ecclesiæ accipiat.*

(Romæ, VII Idus Maii.)

Exposita nobis, dilectæ in Christo filiæ, nobilis mulieris A... comitissæ Montisferrati, significatio patefecit quod, cum dilectus filius, nobilis vir B. marchio Montisferrati, frater ejus, ad partes disponeret accedere transmarinas, pro quatuor millibus librarum Papiensium quas ei reddere tenebatur, castrum sibi contulit Montisbelli, sicut apparere dicitur per publicum instrumentum. Cumque dicta mulier in monasterio Sanctæ Mariæ de Rocha vitam proposuerit ducere regularem, prædictum castrum eidem monasterio vult offerre, hac conditione adjecta, quod monasterium redditus percipiat, ac Romano pontifici fidelitates exhibeant homines dicti loci, pro censu nobis et successoribus nostris quinquaginta libræ Papienses annis singulis offerantur. Si vero dilectus filius, nobilis vir W. marchio, nepos ejus, prædictam sibi vellet persolvere pecuniæ quantitatem, habeat castrum ipsum et monasterium, ad quod prædicta pecunia devolvetur, nobis annuatim censum offerat competentem. Quia igitur, etsi pium videatur dictæ mulieris propositum, a scandalo tamen, quod inde posset facile suboriri, nos convenit abstinere, fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, hoc negotium duximus committendum, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, inquisita super his plenius veritate, si absque gravi scandalo marchionis hæc poterunt consummari, oblationem recipias vice nostra, et circa hujusmodi statuas quæ videris statuenda; alioquin, totius negotii seriem nobis tuis litteris studeas intimare, ut, per tuam relationem instructi, qualiter procedendum fuerit, auctore Domino, procedamus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Maii, anno nono.

LXVI (303).

ABBATI CISTERCIENSI (304), P. DE CASTRO-NOVO (305), FRATRI R. (305*) APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Mandat ne archiepiscopum Narbonensem ob ea crimina de quibus convictus esset, molestia afficiant, cui jam pœnitentiæ agendæ tempus tribuit* (306).

(Romæ, VII Idus Maii.)

Ejus exemplo, qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem, misimus angelos nostros in provinciam Narbonensem, ut urerent spinas et tribulos, quos terra germinat maledicta. Per legatos itaque nostros, in eamdem provinciam destinatos, descendimus ad videndum utrum clamorem qui venit ad nos venerabilis frater noster..... Narbonensis archiepiscopus opere complevisset, qui per viros juratos, inquisitionem plenariam facientes, depositiones eorum suis inclusas sigillis nobis fideliter transmiserunt, per quas idem archiepiscopus de A duobus præcipue, avaritia scilicet et negligentia, culpabilis notabatur, quæ duo inter abusiones duodecim numerantur, cum videlicet est episcopus negligens, et dives avarus, quamvis utraque radix in multos ramos perhibeatur esse diffusa. Idem autem archiepiscopus, ad præsentiam nostram accedens, super objectis se multipliciter excusavit, misericordiam tamen postulans et emendationem promittens, ut expiare possit præterita per futura, recolens illud quod Joannes apostolus ait; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipso seducimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I), quoniam in multis offendimus omnes. Nos igitur, attendentes quod ex labore grandis et gravis itineris, maxime pro senectute ac debilitate corporis, multipliciter sit afflictus, B et abbatia Montis Aragonum, quæ pluris ei quam Narbonensis archiepiscopatus asseritur exstitisse, per nos fuerit spoliatus, disposuimus infundere oleum super vinum, ut in nobis justitiam pariter et misericordiam inveniret, cum in arca Tabernaculi manna contineretur et virga, sic tamen, ne manna dulcedinis possit efficere dissolutum, quem virga correctionis debet reddere castigatum. Ad parabolam igitur evangelicam de ficulnea plantata in vinea recurrentes, de qua, cum dominus cultori vineæ præcepisset ut illam succideret, ne terram inutiliter occuparet, quia veniens post tres annos non invenit fructum in illa, et ille domino respondisset, ut dimitteret illam per annum, usque dum foderet circa ipsam, et mitteret stercora, et siquidem faceret fructum, alioquin, C eam succideret in futurum; adhuc eidem archiepiscopo, circa quem fodimus comminando et increpando, et misimus stercora commonendo et exhortando, amplioris temporis spatium duximus indulgendum ut probemus utrum fructum afferat repromissum; et, si forte fructum non fecerit, securim ad radicem infructuosæ arboris justius apponamus. Eidem ergo districte præcipimus, ut, non pecuniarum sed animarum lucris insistens, illicitis exactionibus et iniquis commerciis non intendat, sed, ad hospitalitatem se diligenter exercens, peregrinis et indigentibus largus sit et benignus, ut satagat visitare provinciam, celebrare concilium, hæreses expugnare, excessus corrigere, ac cætera sperari, quæ requirit officium pastorale, ad quod D utiliter exsequendum eum cum gratia nostra remittimus et favore. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus ad hæc salubriter exercenda ei consilium et auxilium impendatis, ut, vestro adjutus suffragio, laudabile suæ mentis propositum, quod nobis non sine multis lacrymis reseravit, efficacius exsequatur, eumdem archiepiscopum absque conscientia nostra nullatenus molestantes; sed, si quid forsitan, quod non credimus, contra promissionem suam et

(303) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 27.
(304) Vide epistolam libri quinti 16, not.
(305-5*) De his jam dictum est sæpius.

(306) Conferendæ sunt epistolæ, libri sexti 81 et 243; libri septimi 65, 76, 77, 70; libri octavi 106.

jussionem nostra præsumpserit operari, nobis fideliter intimetis, ut de vultu nostro procedat judicium æquitatis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus Maii, anno nono.

LXVII.

..... ABBATI SANCTI RUFI (307), EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*Recipiuntur sub protectione beati Petri.*

(Romæ, II Nonas Maii.)

Regularem vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne cujuslibet temeritatis incursus eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Beati Rufi, in insula, quæ dicitur Esparveria, sitam, in qua divino estis obsequio mancipati, felicis recordationis Alexandri papæ, prædecessoris nostri, vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; inprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in ecclesia vestra institutus esse dignoscitur, perpetuis in ea temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum, concessione pontificum, largitione regnum principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrique successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo ecclesia memorata sita est, cum libertate et quiete ecclesiarum vestrarum, cœmeteriis, prædiis, terris, decimis, et aliis ad eamdem ecclesiam pertinentibus; ecclesiam Sanctæ Mariæ intra urbem Lugdunensem, cum cœmeterio, parochia, decimis vinearum, et capellis suis, videlicet Sancti Marcelli supra murum ipsius urbis, Sancti Andreæ de Cortiaco, et Sancti Marcelli; ecclesiam de Condo ipso, cum sexta decima parte portus Rhodani Lugdunensis; ecclesiam de Busca, cum cœmeterio parochia, capellis suis, decimis de Giren et de Monloel; ecclesiam Ordinatii, cum septem ecclesiis suis, ecclesiam scilicet de Columneo, ecclesiam de Chimillino, ecclesiam de Corbillino, cum capella de Fouergiis, ecclesiam de Romaniaco, ecclesiam Sancti Symphoriani, ecclesiam Sancti Martini de Vienna, cum ecclesiis sibi subjectis, ecclesiam Sancti Nicetii de Monte de Cilizino et de Vernicello, cum appenditis suis; ecclesiam eremitarum de Comba, cum appenditiis suis, ecclesiam Sanctæ Mariæ in insula subtus Viennam, cum ecclesia de Vilosco et de Losa, et omnibus aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Andreæ de Costa, cum ecclesia de Flacceriis, cum appendiciis suis; ecclesias de Peludru, cum appenditiis suis; ecclesiam Sancti Martini de Petran, cum capellis et appendiciis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Ammoniaco, cum ecclesiis Sancti Joannis, Sancti Rustici, Sancti Michaelis et Sancti Dyonisii, cum earum pertinentiis; ecclesiam Sancti Jacobi in civitate Valentia; ecclesiam Sancti Petri Diensis, cum ecclesiis Sancti Petri de Valledrome et de Calanco; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Chaellis cum appendiciis suis; ecclesiam de Tauliniaco, cum capella et pertinentiis suis; ecclesiam de Argentio, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Voluento, cum pertinentiis suis ecclesiam de Medullione, cum ecclessiis sibi subjectis, de Podio de Verz, de Rocha, et Villa-Franca, cum appendiciis suis; ecclesiam de Sairrariis, cum capellis de Isone, et Gaudeisart, et Sancti Sepulcri, cum appendiciis suis; ecclesiam Sancti Andeoli, ubi ut corpus ipsius jacet, cum ecclesiis et pertinentiis suis; ecclesiam videlicet S. Michaelis, ecclesiam Sancti Policarpi, ecclesiam de Chalo, et ecclesiam Sancti Juliani, cum pertinentiis suis; et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Flactiano; et ecclesiam Sancti Nazarii, cum vinea, decimatione et pertinentiis suis: ecclesiam Sancti Joannis Vallis-Longæ; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Albaniaco, cum pertinentiis suis; ecclesias de Buorzita, Sanctæ Mariæ, et Sancti Stephani, et ecclesiam de Barbairaz, cum pertinentiis earum: ecclesiam Sancti Joannis de Castro novo, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Turre, cum ecclesiis Sanctæ Eulaliæ, Sancti Victoris, et Sancti Petri de Ansuis, cum pertinentiis earum; ecclesiam Sancti Petri de Ventiis, cum ecclesia Sanctæ Ceciliæ, et appendiciis suis; ecclesiam Sancti Vereduni, cum tota parochia sua et aliis pertinentiis; et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Aquariis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Mandolio, cum ecclesia de Juano et earum pertinentiis, ecclesiam Sancti Saturnini de Armazanicis, cum capella ipsius castri, et tertia parte decimarum ecclesiæ de Teilliano; ecclesiam Sancti Martini de Cavairaco, cum capellis suis de medio campo de Canois, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Jacobi de Melgorio, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Seta, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Petri de Castro-novo, cum pertinentiis suis; ecclesias Sanctæ Mariæ et Sancti Felicis, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bizanduno, cum ecclesiis suis, Sancti Vicentii, Sanctæ Mariæ-Nova, Sancti Martini de Capellada, de Saras, de Sacoaras et de Babis, Sancti Cornelii, Sancti Silvestri, Sancti Quintini, et ecclesia de Ribellis, cum omnibus earum pertinentiis suis; ecclesias Sanctæ Mariæ de Terracia, cum ecclesiis Sancti Petri, Sancti Michaelis, Sancti Fructuosi, Sancti Juliani, Sanctæ Eulaliæ, cum earum pertinentiis: ecclesiam Sancti Rufi extra muros civitatis Ylerdæ, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Michaelis

(307) Erat is, Falco quem anno 1204, ex instrumentis, memorant Sammarthani, *Gall. Christ. vet.* tom. IV, pag. 803, ad quem etiam scripsisse dicunt Innocentium auno 13, epist. 158.

de Schalada, cum ecclesia Sancti Fructuosi, in A eodem loco sita; ecclesiam Sancti Martini de Ponte, cum ecclesia Sanctæ Mariæ in eadem villa sita; ecclesiam Sancti Cypriani de Villamors; ecclesiam de Scalada; ecclesiam de Villamorii: ecclesiam de Robolar; ecclesiam Sancti Petri de Cavafaia, cum ecclesia Sancti Maurici, Sancti Hilarii de Mollerone, capella de Fossa; ecclesiam de Lotorderia; ecclesiam de Lilio; ecclesiam de Brolio; ecclesiam Sancti Sulpitii et de Taluc, ecclesiam Sanctæ Gennuæ, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Maurici de Cesai, cum pertinentiis suis; ecclesiam de Mornaco, cum ecclesiis suis de Matis, de Batia, Sancti Stephani de Colione, Sancti Petri de Caloveda, cum omnibus earum pertinentiis; ecclesiam Sancti Michaelis B de Janua extra muros civitatis, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Nicolai in Colle Montis, cum pertinentiis suis ecclesiam de Lovadisio, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Stephani in Campania, extra muros civitatis Papiæ, cum ecclesiis suis, Sanctæ Mariæ in Campo, et Sancti Petri in Silva, cum omnibus earum pertinentiis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Pilia, cum capellis suis; ecclesiam Sancti Symphoriani et Sanctæ Redæ, cum earum pertinentiis; ecclesiam Sancti Petri de Cuchis, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Belloloco cum capella et aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Marialdo, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Calonio, cum capella Sancti Jacobi de Albarii, et aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ C Mariæ de Valleclusa, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ bonarum Vallium, cum pertinentiis suis; ecclesias Sancti Andreæ post Rocham, et Sancti Martini de Aviac, cum pertinentiis earum; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Insula, juxta castrum Chiren, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Mauricii de Uzone, cum parochia de Charnas, et aliis pertinentiis suis; ecclesias de Ciulac, et de Nior. cum pertinentiis earum; nihilominis, venditiones Insulæ Espaveriæ, quæ subtus Valentiam sita est, quam bonæ memoriæ Oddo, Valentinus episcopus, vobis et ecclesiæ vestræ, cum assensu et conniventia canonicorum suorum, rationabiliter fecisse dignoscitur, et alias justas acquisitiones vestras, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate aposto- D lica confirmamus. Sane, laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli quoque episcoporum fas sit, sine Romani pontificis, vel legati ejus, audientia, vos, vel ecclesias vestras, interdicto vel excommunicationi subjicere, aut judicio prægravare. Cætera quoque omnia, quæ vobis a prædecessoribus nostris, felicis memoriæ Urbano et Alexandro, Romanis pontificibus, concessa, et privilegiis confirmata sunt, nos etiam concedimus, et præsenti pagina confirmamus. Sepulturam quoque ipsius loci et ecclesiarum vestrarum, quæ cœmeteria noscuntur habere, ad exemplar piæ recordationis Paschalis papæ, prædecessoris nostri, liberam esse decernimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Liceat præterea vobis, clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et absque contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis jaunis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, absque abbatis et sanioris partis vel majoris capituli permissione, liceat de claustro vestro discedere; discedentem autem, sine communium littararum cautione, nullus audeat retinere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, in vestris ecclesiis indebitas et novas exactiones imponere, possessiones vel bona auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et in prædictis ecclesiis diœcesanorum episcoporum servata, secundum præscriptam formam, canonica ratione. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem, eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Comesdin. Diaconi cardinalis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, II Nonas Maii, indictione octava, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo sexto, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno nono.

LXVIII.

HELENÆ DOMINICÆ GALLURENSI

*Mittitur consobrinus papæ ad matrimonium cum ea consummandum* (308).

(Romæ, v Idus Maii.)

Laudes et grates referre debes Altissimo, quod

(308) Vide epistolam libri septimi 103, 104, 105, 106.

illam in oculis nostris gratiam invenisti, ut dilectum filium, T... consobrinum nostrum, tibi concederemus in sponsum, virum utique nobilitate conspicuum, prudentia circumspectum, fortitudine strenuum, et moribus adornatum. Recepto itaque juramento in animam tuam a dilecto filio... Galtellensi (309) electo, super fœdere matrimonii consummando, ipsum in Sardiniam destinamus cum eo numero personarum, quem idem suggessit electus. Venisset autem cum pluribus, si necessitas postulasset, et de ipsius electi consilio processisset, qui statum terræ plene cognoscit. Ei ergo dedimus firmiter in mandatis, ut te sicut personam suam diligat et defendat, et homines tuos juste ac benigne pertractet, ita quod per ejus industriam et virtutem, nostro accedente patrocinio et favore, tam tibi quam terræ tuæ sperata debeant commoda provenire. Quocirca, nobilitatem tuam monemus attentius, et per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus eumdem consobrinum nostrum honorifice ac devote recipias, et cum eo initiatum conjugium solemniter et jucunde consummes, eique sic studeas complacere, quod ab eo sincerissime diligi debeas et officiosissime honorari; nos quoque, qui, licet indigni, locum Christi tenemus in terris, ad honorem et profectum tuum tanto propensiori studio intendamus, quanto arctiori nobis fueris affinitate conjuncta.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Idus Maii, pontificatus nostri anno nono.

## LXIX.

### ... DECANO (309*), ET... SUBDECANO PICTAVENSIBUS, ET ... DECANO ASIANENSI PICTAVENSIS DIOECESEOS.

*Nullas esse declarat litteras quas C. Rufus super prætentionibus suis contra capitulum Xanctonense subreptitie reportaverat.*

(Romæ, XII Idus Maii.)

Ex parte dilectorum filiorum, capituli Ecclesiæ Xanctonensis fuit propositum coram nobis, quod, cum magister C. Rufus ipsos super ejusdem loci canonica intenderet molestare, ipsi, eum ad nostram præsentiam appellantes, eidem terminum præfixerunt, quo se partes nostro conspectui præsentarent. At ipse, præveniens terminum, non exspectato nuntio eorumdem, gravi quidem in via infirmitate detento, pro se ac quibusdam aliis canonicandis ibidem ad venerabilem fratrem nostrum, Xanctonensem episcopum (310); per falsi suggestionem a nobis duo litterarum paria impetravit, asserens in eisdem ipsos certum numerum canonicorum habere, quod dilectus filius, W. subdiaconus, procurator eorum, asseruit esse falsum, nisi quod bonæ memo-

A riæ Lucius papa, prædecessor noster, eisdem indulsit, ne ultra quadraginta recipere aliquos compellatur, per quod tamen pauciores esse minime prohibentur. Suggessit insuper nobis memoratus magister, plures ibidem vacare præbendas, quas invicem canonici partiuntur, quod prædictus inficians procurator, dixit, ipsos ob mortem alicujus nihil recipere plus aut minus, sicuti nec claustrales; adjecit insuper sæpefatus magister, se non nisi modicum ecclesiasticum beneficium obtinere, cum, sicut asserit subdiaconus antedictus, ecclesias duas possideat, de quarum proventibus ejus vicarii sustentantur honeste, ac eidem solvunt annuam pensionem, et in quadam alia centum solidos percipiat annuatim. Quare, procurator jam dictus nobis humiliter supB plicavit, ut ecclesiæ supradictæ, sicut dicitur, de mandato nostro gravatæ, cum propter guerras invalescentes ibidem sint ejus redditus non mediocriter diminuti, parcere dignaremur. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, veritate plenius inquisita, si vobis constiterit quod prædictus magister talem suppresserit veritatem, qua expresa non debuisset hujusmodi litteras impetrare, vos ipsos, cum mendax precator carere debeat impetratis, nullius esse valoris, auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, decertatis, maxime, si ejusdem ecclesiæ non suppetant facultates. Testes autem, etc. Nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VII Idus
C Maii, anno nono.

## LXX (311)

### . . . EPISCOPO HALBERSTADENSI (312).

*Consultanti respondetur quod primum matrimonium, alio secuto, certo modo tenet et validum est.*

(Romæ, VI Idus Maii.)

[Tuæ nobis exhibitæ litteræ continebant, quod quidam *vir nobilis* (313)... filiam suam, circiter duodecim annos habentem, cuidam *viro* nobili desponsavit, qui subarrhavit eamdem, consensu mutuo accedente], (314) *sed, nuptiis aliquantulum prorogatis... pater puellæ viam est universæ carnis ingressus. Eo autem rebus humanis exempto... puellæ avunculus supradictæ, ipsam alteri matrimonio copulavit; et ille qui prius desponsarat eamdem, cum*
D *ipsius matre contraxit. Tuus autem prædecessor, attendens quod cum ea non poterat permanere, cujus filiam legitime desponsarat, inter eos divortii sententiam promulgavit. Postmodum autem, mortuo viro secundo, qui supradictam puellam duxerat in uxorem, ipsa se tertio copulavit, illo vivente qui eam primitus*

(309) Sic leg. in Apographo.
(309*) Vide epistolam libri quinti 146, not.
(310) Vide epistolam libri quinti 96, not.
(311) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. IV, tit. 11. *De desponsatione impuberum*, cap. 14, ubi *episcopo Abbatensi* directa dicitur. Sed legi etiam in antiquis editionibus *Aberstadem* al. *Alberladen.* al. *Albeten.* al. *Abbataden.* nos monet Pithæus, in notis marginalibus. In aliquibus etiam legitur *Alberscadem.* vel *Alberstaten.*
(312) Vide epistolam libri octavi 108, not.
(313) In Decretal. hæc desunt, et mox omittunt *viro.*
(314) Quæ sequuntur, Italico charactere distincta, desunt in Decretalibus; verum leguntur apud Pith. in add.

*desponsarat. Cæterum, tam ipsa quam* (315) *idem te duxerunt humiliter consulendum, utrum licite simul valeant commorari. Tu vero, deliberatione habita, respondisti, quod, sponso primo vivente, alteri non potuit legitime copulari; sed, quia tua ecclesia postulavit,ut super hoc apostolicam sedem consuleres, procedere* ulterius (316) *distulisti, nobis humiliter supplicans, ut super hoc tibi scribere dignaremur.* [Quia vero *per ea quæ superius sunt expressa* (317), nobis non potuit *pro certo* constare cujus ætatis esset puella, cum *primo* viro exstitit desponsata, cum dicatur quod circiter duodecim annos habebat,*utrumve* prudentia tunc in illa suppleret ætatem,*fraternitati tuæ taliter* respondemus, quod, si puella *tunc nubilis erat ætatis,et inter eam et primum virum legitimus intervenit de præsenti consensus, absque dubio inter eos legitimum matrimonium est contractum, etsi carnalis commistio non fuerit subsecuta.Si vero puella* (318) nubilis ætatis non erat,cum sæpefatus vir desponsavit eamdem, et ætatem in ea prudentia non supplebat,procul dubio, inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt, quamvis ab ipso viro eadem puella fuerit subarrhata]. Quocirca, si juxta primum modum matrimonium cum illo contraxit,eo vivente, non potuit rite cum alio fœdus contrahere conjugale.Quod si juxta modum secundum sponsalia solummodo contracta fuerunt,conjugium,quod inter illam et alium exstitit celebratum debet legitimum reputari,dummodo aliud canonicum non obsistat.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Idus Maii, anno nono.

### LXXI.

NOBILI VIRO, R. COMITI FUNDAN.

*Quod conventionem quam faciet cum Terracinensibus gratam habebit.*

(Ferentini, III Kal. Junii.)

Ex parte dilectorum filiorum, virorum nobilium, Jacobi et Deodati Frajapan, fuit propositum coram nobis, quod tu eos contra Terracinenses promittis utiliter adjuvare, ita quod eosdem Terracinenses compelles nostris et ipsorum nobilium parere mandatis, dummodo saltem,quem ipsorum patribus et patruis concessisti,tibi renuntient,et in expensarum compensatione concedant piscariam de Vareis, et duas sassones in flumine Ligole constitutas. Quocirca,præsentium insinuatione cognoscas,quod conventionem,quam super his cum prædictis nobilibus faceris, quatenus illos de jure contingunt; ratam habebimus,quantum ad ipsorum pertinet portionem

Datum Ferentini, III Kalendas Junii, anno nono.

A

### LXXII (319).

. . . VERCELSENSI EPISCOPO (320).

*Quod litteras, impetratas super iis quæ concernunt forum sæculare, decernat irritas.*

(Ferentini, II Kal. Junii.)

[Licet ex suscepto] (321) *servitutis officio simus omnibus in justitia debitores,sic tamen in jure suo nos quibusdam convenit providere,ne aliis injuriam facere videamur, et, quod absit! inde summatur materia scandali, unde provida debet consideratione sedari. Ex insinuatione sane dilectorum filiorum, consulum et Communis Vercellensium,nos noveris accepisse, quod, cum singulis quæstionibus, quæ motæ fuerint contra eos coram consulibus justitiæ, juxta consuetudinem approbatam, velint cuilibet conquerenti justitiæ*

B *plenitudinem exhibere, quidam, ut eorum jurisdictionem exacuent, et fatigent eos laboribus et expensis super rebus quæ judicium ecclesiasticum non contingunt, litteras apostolicas impetrant, et sic, præter jurisdictionem consulum quam enervant, eos cogunt multipliciter laborare. Volentes igitur sic eorum utilitati consulere, ne patiamur aliorum justitiam deperire,fraternitati tuæ per apostolica scripta* [mandamus, quatenus, si quando *tales* (322) litteras super rebus præcipue, quæ forum sæculare requirunt, a sede apostolica contigerit impetrari, *eas*, sublato appellationis obstaculo,decernas,auctoritate nostra, *inutiles* et inanes, dummodo *dicti* consules et commune de se conquerentibus in judicio sæculari exhibeant justitiæ complementum. *Licet* (323) tamen ipis, qui *cum eis* taliter duxerint contendendum, si

C se in aliquo senserint prægravari, ad tuam, sicut hactenus est servatum,vel ad nostram,si maluerint audientiam appellare,hoc præsertim tempore,quo, vacante imperio, ad judicem sæcularem recurrere nequeunt, qui a superioribus in sua justitia opprimuntur. Si vero consules justitiæ,tanquam merito suspecti,fuerint recusati, coram arbitris communiter electis de causa suspicionis agatur, qui,si probata fuerit esse justa, ad te,vel ad nos,pro justitia recurratur, sicut superius est expressum.]

Datum Ferentini, II Kalendas Junii, anno nono.

### LXXIII.

CAPITULO SANCTI AREDII.

*Quod conferant decanatum ipsius Ecclesiæ P. clerico.*

(Ferenttini, VII Id Junii).

D Ex injuncto nobis incumbit apostolatus officio,ut, cum ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem gerere teneamur,eis quæ per ministrorum defectum, tam in spiritualibus quam temporalibus, sustinent detrimentum, de personis faciamus idoneis provi-

(315) Apud Pith. in add. *vir.*

(316) Pithæus omittit.

(317) Desunt, ut mox *pro certo*, et legunt eidem pro *primo*, *utrumne* pro *utrumve* et verba *fraternit. . . . taliter* omittunt.

(318) Desunt in Decretalibus, nec non apud Pithœum.

(319) Epistola hæc legitur inter Decretales, lib. II, tit. 11, *De foro competenti*, cap. 10.

(320) Vide epistolam libri noni 65, not.

(321) Quæ sequuntur, italico charactere distincta, desunt in Decretalib. verum leguntur apud Pith. in add.

(322) In Decretal. *a laicis Vercellensibus;* et mox omittunt *eas*, et *irritas* legunt pro *inutiles;* verbum *dicti* non habent.

(323) Decretal. *Liceat* legunt, et mox *sub eisdem consulibus*, pro *cum eis.*

deri, et illis nihilominus per ecclesias consulatur, qui ascripti militiæ clericali, ecclesiis, a quibus obtinuerint beneficia, sciunt et possunt utiliter deservire, ut sic et ecclesiis, in personis, et personis in ecclesiis, vicissitudine mutua consulamus. Sane, ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod tandiu vacavit in vestra ecclesia decanatus, quod ipsius donatio ad nos est, secundum statutum Lateranensis concilii, devoluta. Nos igitur, volentes eidem ecclesiæ paterna sollicitudine providere, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, si verum est quod asseritur; dilectum filium, magistrum P. clericum venerabilis fratris nostri..,. episcopi Tusculanensis (324), moribus et litterarum scientia commendandum, recipientes in canonicum et in Fratrem, ipsi decanatum prædictum, cum pertinentiis suis et honoris plenitudine, liberaliter assignetis, ut dictus episcopus, qui tanto magis vobis poterit existere fructuosus, quanto in Ecclesia Dei majorem locum noscitur obtinere, ad dilectionem vestram valeat fortius animari; et nos devotionem vestram possimus in Domino commendare. Alioquin, venerabili fratri nostro.... Burdegalensi archiepiscopo (325), per nostras damus litteras in præceptis, ut, sicut eidem injunximus viva voce, vos ad id per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, cognita veritate, compellat.

Datum Ferentini, VII Idus Junii, anno nono.

## LXXIV.

ILLUSTRI REGI HUNGARIÆ.

*Quod, si germanus conjugis suæ fuerit litteraturæ competentis et ætatis, ad preces suas ipsum in archiepiscopum Colocensem confirmabit.*

(Ferentini, VII Id Junii.)

Coram illo fatemur, ante quem non est tutum mentiri, quod personam tuam de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta diligimus, et ad honorem et profectum tuum, quantum cum Deo possumus, efficaciter aspiramus, volentes, te scire pro certo, quod nullam apud nos patieris repulsam, in quo deberemus alium quemcunque principem exaudire. Verum, et illud te nolumus ignorare, quod ex apostolicæ servitutis officio ad faciendum judicium ita sumus astricti, ut, absque cauterio conscientiæ ac periculo famæ non possumus divertere ad dexteram vel sinistram. Cum non possit abscondi lucerna super candelabrum constituta, illud semper habentes præ oculis, quod de nobis Veritas protestatur: *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut foras mittatur, et ab hominibus conculcetur* (*Matth.* v). Licet igitur affectuosas nobis preces porrexeris pro dilecto filio... præposito, germano... conjugis tuæ, in archiepiscopum Colocensem electo, ut eum, quem in archiepiscopali officio tibi et regno tuo utilem ac necessarium fore confidis, munus consecrationis conferre, ac donum pallei transmittere dignaremus, quia tamen Apostolus docet, ut manus cito nemini imponamus videlicet antequam de ipso per examinationem canonicam habeamus certitudinem pleniorem, et nos de ipsius præpositi litteratura et ætate simus incerti, quin etiam probabiliter dubitemus, petitionem regiam in hac parte non statim potuimus exsecutioni mandare cum secundum legem divinam, in eo et litteratura sufficiens, et ætas legitima requiratur. Quia tamen, quantum honeste possumus, tuis concurrere desideriis affectamus, facimus ad præsens quod possumus, venerabili fratri nostro... archiepiscopo (326), et dilecto filio, præposite Salzeburgensibus, dando per nostras litteras in mandatis, ut de litteratura et ætate ipsius diligenter inquirant, et quod inveneritis fideli nobis insinuatione rescribant, quatenus, per eorum relationem certiores effecti, securius procedere valeamus, serenitati tuæ præsentibus litteris intimantes, quod, si litteratura non solum eminens, sed saltem competens in eo fuerit inventa, et ætas non solum perfecta, sed perfectioni saltem propinqua fuerit in ipso reperta, usque adeo voluntati tuæ, imo necessitati magis, satisfacere cupimus, quin potius providere, ut, nisi tantus fuerit in utraque defectus, quod non debeat tolerari, temperato rigore cum ipso curabimus dispensare. Alioquin, non nostræ duritiæ, sed ipsius insufficientiæ, poterit imputari, cum nervos ecclesiasticæ disciplinæ licet aliquando flectere, nunquam tamen rumpere debeamus. Æquanimiter autem pro necessitate Colocensis Ecclesiæ sustinemus, si tam in spiritualibus quam temporalibus interim administret, ita ut hoc in posterum ad consequentiam non trahatur.

Datum Ferentini, VII Id. Junii, anno nono.

## LXXV.

........ STRIGONIENSI ARCHIEPISCOPO, ET..... EPISCOPO AGRIENSI.

*Quod dispensent in matrimonio contracto inter comitem Palatinum et uxorem suam.*

(Ferentini, VII Idus Junii).

Ex parte dilecti filii, nobilis viri... comitis Palatini Hungariæ, nostro est apostolatui nuntiatum, quod, cum olim nobilem mulierem, quæ ipsum secundo genere affinitatis et gradu secundo contingit, in facie Ecclesiæ, nullo contradicente, sibi matrimonialiter copulasset, ignorans, quod hujusmodi affinitatis necessitudo posset matrimonium impedire, post modum, saniori usus consilio, ne prædictam mulierem in animæ suæ dispendium in suo consortio retineret, sedis apostolicæ misericordiam censuit implorandam, ut, ex nostræ dispensationis auctoritate, mulierem retinere valeat memoratam. Quædam præterea nobis fuere suggesta propter quæ dispensationis beneficium solet facilius obtineri: quia scilicet cohabitavere

(324) Vide epistolam libri noni 54, not.
(325) Vide epistolam libri quinti 96, not.
(326) Vide epistolam libri quinti 29, not.

simul multis annorum curriculis jam elapsis; quod etiam in diebus suis uterque processit, et sobolem ex illa copula susceperunt, nec possent sine gravissimo scandalo separari, cum nullus contra idem matrimonium appareat accusator. Quia vero nobis non constitit de præmissis, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si præmissis veritas suffragatur, eisdem, auctoritate nostra, dispensationis gratiam impendentes, mandetis, ut insimul de cætero libere permaneant et licenter.

Datum Ferentini, VII Idus Junii, anno nono.

LXXVI (327).

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS ET PRINCIPIBUS PER HUNGARIAM CONSTITUTIS.

*Quod proli regis Hungariæ faciant sacramentum fidelitatis.*

(Ferentini, VII Idus Junii.)

Cum pater et filius interpretatione juris eadem persona fingantur, satis probabiliter subinfertur, quia, quos pater retinet in visceribus charitatis, eosdem filius et deligere debeat et fovere. Charissimus siquidem in Christo filius noster... illustris rex Hungarorum, quam circumspecta provisione incœperit disponere regnum suum, regnique principes quanta dilectionis exibitione studeat honorare, vos ipsi eo certius nostis, quo frequentius vobis et vestris munificentiæ suæ subsidia benignius impendit per quod est verisimiliter præsumendum, quod soboles, quæ, divina disponente clementia, subcrescet ex ipso, quoad strenuitatem morum et regendi sollicitudinem, paternam debeat providentiam imitari. Ideoque, universitatem vestram monemus, et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus soboli, quæ regi nascetur eidem, quod, auctore Domino, futurum speratur in proximo, juramentum fidelitatis ad mandatum patris ipsius sine difficultate præstetis. Alioquin, noveritis, nos venerabilibus fratribus nostris... Strigoniensi archiepiscopo, etc.... episcopo Waradiensi, in mandatis dedisse, ut vos, cum opus fuerit, ad id, districtione qua convenit, appellatione remota, compellant.

Datum Ferentini, VII Idus Junii, anno nono.

LXXVII.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, AD QUOS LITTERÆ ISTÆ PERVENERINT.

*Quod alios Templarios redeuntes ab invio ad viam absolvant.*

(Ferentini, III Non Junii.)

Dilectis filiis, fratribus militiæ Templi, nobis significantibus, est relatum, quod, licet quidam, excommunicationis vel interdicti sententiis innodati, ab invio cupiant ad viam veritatis redire, atque eorum collegio aggregari, ut in eorum domibus Dei A servitio sedulum impendere servitium elaborent, et contra inimicos crucis Christi suam militiam valeant exercere, ipsos tamen recipere non attentant, et sic, velut jumenta putrida, hujusmodi delinquentes in suo stercore computrescunt. Quocirca, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum ab eisdem fueritis requisiti, ab hujusmodi excommunicatis recepta juxta formam Ecclesiæ cautione, ac injuncto ipsis quod de jure fuerit injungendum, eisdem absolutionis beneficium impendatis, et sic permittatis eisdem, liberos et absolutos, e sæculo fugientes, ad prædictorum fratrum religionis observantiam transmigrare.

Datum Ferentini, III Nonas Junii, anno nono.

LXXVIII.

B ..... EPISCOPO (328), ET CLERO PLACENTIN.

*Quod paratus est papa recipere sacramentum a consulibus Placentin. pro devotione Ecclesiæ.*

(Ferentini, IV Idus Junii.)

Ex litteris vestris accepimus evidenter, quod consules et consiliarii Placentini, reatum proprium cognoscentes, ad mandatum apostolicæ sedis redire cupiunt humiliter et devote, propter quod gaudemus in eo qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, et crystallum suam sicut frustum panis emittit, dum diurnæ contumaciæ malitia congelatos ad refugium matris Ecclesiæ requirendum provocat et inducit. Verum, cum prædicti consules Fulconi. Radin. juramento teneantur astricti, ne ad concordiam veniant sine ipso, nec ipse vult eis dare C licentiam, neque jurare, nisi tali tenore ut nullum fiat sibi mandatum, vel, si factum fuerit observare minime teneatur, nos rogatis instanter, ut juramentum ipsius hoc modo suscipere digneramur, quo et ipsis aperiatur ostium evadendi, et universa civitas propter unum solum hominem in interitum, non labatur. Profitentur etiam ipsi se scire, quod juramendum, præter formam Ecclesiæ præstitum, non est tale, ut propter hoc ipse posset absolutionis beneficium obtinere. Licet autem nostri propositi non existat cuiquam injungere, maxime sub debito juramenti, nisi quod justum sit et honestum, nolumus tamen formam juramenti mutare, quam reges et principes consueverunt Ecclesiæ in hujusmodi articulo exhibere, ne quando forsan ad consequen- D tiam traheretur; et, quia fallere nolumus neque falli, captiosum nolumus recipere juramentum per quod nos, aut alii, circumveniri possemus. Porro, cum juramentum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec per illud aliis ad illicitum obligari, insinuatione vobis præsentium respondemus, quod, absque nota et noxa perjurii possunt prædicti consules, illo etiam contradicente, jurare, cum ipse malitiose nolit in hoc suum eis præstare consensum, et nos eos sine ipso parati sumus recipere secundum formam Ecclesiæ consuetam.

Datum Ferentini, IV Idus Junii, anno nono.

(327) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 26.

(328) Vide epistolam libri quinti 75.

LXXIX.

B. TURITANO ARCHIEPISCOPO.

*Quod inquirat an quinto gradu se contigant H. et filia judicis Arborensis.*

(Ferentini, v Idus Junii.)

Ex litteris dilecti filii, nobilis viri W... marchionis Massæ, judicis Calaritani, nos noveris accepisse, quod, cum quamdam filiam suam dilecto filio, nobili viro Hug. de Basso, judici Arborensi, maritali disposuisset fœdere copulare, vulgaris rumor in partibus illis insonuit, quod dictus Hug. filiam prædicti judicis linea consanguinitatis contingit, propter quod præpominatus W. tanquam vir catholicus et Deum timens, ad apostolicum duxit oraculum recurrendum, ut, qualiter super hoc facto cum secura conscientia procedere debeat, per nostram possit responsionem plenius edoceri; adjiciens etiam, quod, si matrimonium ipsum pervenerit ad effectum, ad magnæ Ecclesiæ Romanæ ac totius Sardiniæ proveniet commodum et profectum præsertim, cum bonum pacis speretur exinde non modicum proventurum. Ideoque, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis ante præsentiam tuam qui propter hoc fuerint evocandi, de præmissis inquiras diligentius veritatem et in quoto gradu consanguinitatis se dictæ personæ contingant, et si tantum bonum ex hac re proventurum credatur, nobis per tuas litteras fideliter intimare procures, ut, per tuam relationem instructi, securius in ipso negotio, prout expedire viderimus, procedamus.

Datum Ferentini, v Idus Junii, anno nono.

LXXX.

J. SANCTÆ MARIÆ IN VIA LATA DIACONO CARDINALI (329), APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Quod inquirat de statu prioratus de* (330) *Bomin.* [al. *de Bodmyn.*]

(Ferentini, III Id. Junii.)

Prior et canonici Regulares ecclesiæ Sancti Petroci de Bomin. nobis humiliter supplicarunt, ut prioratum eorum, qui Ecclesiæ Romanæ censualis existit, de benignitate sedis apostolicæ in abbatiam convertere dignaremur. Quocirca, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, de statu prioratus ipsius inquirens diligentius veritatem, si videris hoc ad honorem Dei sine juris præjudicio alieni posse fieri, ac ipsi Ecclesiæ expedire, prioratum ipsum in abbatiam, appellatione remota, provehere non omittas.

Datum Ferentini, III Idus Junii, anno nono.

—

LXXXI.

ANGELÆ FUNDATRICI ET FRATRIBUS ECCLESIÆ SANCTÆ MARIÆ MONTIS DE GARDIA.

*Recipiuntur sub protectione beati Petri.*

(Ferentini, IV Id. Junii.)

Justis petentium desideriis, etc. *usque* inclinati, ecclesiam ipsam, cum omnibus bonis quæ inpræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, IV Idus Junii, anno nono.

LXXXII (331).

CLERO ET POPULO ALEXANDRINIS.

*De unione Alexandrinæ et Aquensis ecclesiarum.*

(Ferentini, VI Idus Junii.)

[Cum beatus Petrus apostolus ab ipso Jesu Christo acceperit plenitudinem ecclesiasticæ potestatis dubitari non debet, quin apostolicæ sedis antistes. qui beati Petri successor existit, de rebus ecclesiasticis disponendi plenam et liberam habeat facultatem, ipsa sibi Veritate dicente: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Ex hac ergo suprema potestatis prærogativa processit, quod felicis memoriæ (332) « Alexander « papa, prædecessor noster, attendens fervorem « devotionis et fidei, quam ei Alexandrinus populus « tempore gravis et grandis necessitatis exhibuit, « apostolicæ sedis auctoritate decrevit, ut, quoniam Alexandrina civitas longe major est et populosior quam Aquensis, episcopalis sedes de « illa, cujus diœcesis et contigua, transferretur ad « istam. Vos itaque, per honorabiles nuntios, tam « clericos quam laicos, ad nostram præsentiam de« stinatos, suppliciter postulastis, ut, quod idem præ« decessor noster provida deliberatione decreverit, « nos ejus vestigiis inhærentes, faceremus exsecutio« ni mandari. Volentes autem in tanto negotio cum « debita maturitate procedere, prius duximus inqui« rendum, utrum id absque aliquo gravi scandalo « sortiri posset effectum; et, quoniam ex hujusmodi « translatione non solum Aquensis civitas sed etiam « Papiensis quæ ipsius defensionem susceperat, « scandalizari plurimum videbatur, nos, utriusque « partis procuratoribus in præsentia nostra constitutis plenam concessimus audientiam: qui, cum « super hoc coram nobis cœpissent multipliciter « altercari, partes nostras interposuimus ad con-

(329) Vide epistolam libri septimi 184.

(330) Vide epistolam libri sexti 115.

(331) Epistola hæc integra legitur apud Ughellum. *Ital. sacr.* tom. IV. col. 451; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

Eamdem, sed mutilam, retulit Raynaldus, ad annum 1206, § 39. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distincta sunt. Vide epistolam libri octavi 53, et quæ ibi adnotata sunt.

(332) Hæc apud Raynaldum.

« cordiam, statutum prædicti prædecessoris nostri « taliter moderantes, ut Alexandrinam et Aquensem Ecclesias uniamus, præsenti privilegie statuentes, quatenus unus et idem sit pontifex utriusque, unam et eamdem pontificalem sedem obtinens in utraque. Ne autem unio confusionem inducat, ad discernendum specialiter inter eas, ita « duximus salubriter decernendum, ut negotia et « causas quæ ad ecclesiam spectant Aquensem, « episcopus agat cum consilio Aquensium clericorum ; quæ autem ad laicos, cum consilio laicorum, infra civitatem Aquensem, vel ejus diœcesim, in loco, tam ipsi laicis quam eidem episopo idoneo et securo ; quæ vero pertinent ad « Alexandrinam Ecclesiam, cum Alexandrini capituli gerat assensu. Habet autem duplex sigillum, « ab una parte continens imaginem et litteras « Aquensis episcopi, ab altera vero Alexandrini. « Cumque idem episcopus scripserit de Aquensibus « rebus aut personis Aquensibus, scribat se tantum « Aquensem ; porro, cum scripserit de aliis rebus « aliisque personis, si fuerit in Alexandrina diœcesi, scribat se tantum Alexandrinum ; si vero « fuerat in Aquensi diœcesi, scribat se tantum « Aquensem, et e converso, ut, cum ejusdem sint « dignitatis, neutri per alteram derogent. Chrisma « vero uno anno conficiat apud unam Ecclesiam, « et alio apud alteram; similiter faciat de baptismo. « Majores vero solemnitates æque distribuat inter « illas, ut quas uno anno celebraverit apud unam, « altero celebret apud alteram ; proprias autem « solummodo celebret, cujus sunt solummodo speciales. Ordinationes vero clericorum qui pertinent « ad Aquensem Ecclesiam, in Aquensi faciat civitate, vel ejus diœcesi loco tamen idoneo et « securo. Apud utramque ecclesiam, vel ejus « diœcesim, saltem per anni medietatem moretur, nisi forte necessitas, quæ legem non « habet, exigat interdum aliter faciendum.

« Castra vero Aquensis Ecclesiæ quæ tenet « episcopus, per homines fideles et non suspectos Aquensibus faciat custodiri ; et, si forte, « quod absit ! inter Alexandrinos et Aquenses « scandalum oriatur, homines illorum castrorum « non juvent Alexandrinos adversus Aquenses, « nisi esset causa episcopi specialis. Nolumus « enim, ut, propter hanc unionem, altera ecclesiarum vel etiam civitatum, auctoritatem vel potestatem, jurisdictionem aut dominationem habeat « super reliquam, ne quod ad unitatem provisum « est, in contrarium aliquando convertatur. Cum « antem episcopus ex hac luce migraverit, prædictarum ecclesiarum canonici conveniant apud « alteram, de qua inter se poterunt concordare, vel apud alium quemlibet locum : et, « quem omnis concorditer, aut major et sanior « pars unius, aut major et sanior pars alterius « elegerint in episcopum, ejus electio per Mediolanensem archiepiscopum confirmetur, dummodo « nihil obsistat ei de cononicis institutis. Si vero secundum hanc formam convenire nequiverint, aut « eligant electores, qui eis episcopum eligant recipiendum ab omnibus sic electum, aut ad sedem « apostolicam dirigant procuratores idoneos, per « quos recipiant in episcopum, quem Romanus « pontifex eis duxerit concedendum. De primo « autem accessu episcopi consecrati ad alterutram « prædictarum ecclesiarum, aut etiam civitatum, « hoc statuimus observandum, ut, sicut episcopi « sibi successerint, ita vices alternent, quatenus, « cum unus post consecrationem suam primo receptus fuerit apud unam, reliquus postmodum « recipiatur primitus, apud reliquam, invidia penitus « relegata, iia duntaxat, ut in iis, quæ in utraque « ecclesia debet facere alternatim, incipiat ab « Aquensi. Prohibemus ergo, ne quis in utraque « prædictarum ecclesiarum de cætero fiat canonicus « aut persona, ne propter hoc possit aliqua confusio « generari. Privilegia vero, et alia scripta quæ pertinent ad Aquensem Ecclesiam, in secretario « ipsius ecclesiæ reponantur. Licet autem utriusque patris procuratores, in nostra præsentia constituti, præscriptam formam duxerit acceptandam « quia tamen privilegium meretur amittere, qui « concessa sibi abitur potestate, statuimus, ut, « si forsan Aquenses contra statutum istud venire « contempserint, nisi, ad commonitionem Romani « pontificis, suæ correxerint præsumptionis excessum, episcopalis sedes de Aquensi civitate, sicut « præfatus prædecessor noster decrevit, in Alexandrinam transferatur ; si vero Alexandrini contra « idem statutum excesserint, nisi ad commonitionem « Romani pontificis satisfecerint de excessu, præscriptæ unionis vinculum dissolvatur (333). »

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, salva semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona sciens contra hoc privilegium temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem illud servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Ferentini, per manum Joannis. Sanctæ Mariæ in Cosmedin. diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, VI Idus Junii, indi-

(333) Hactenus Raynald.

ctione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno nono.

LXXXIII (334).

CLERO ET POPULO AQUENSIBUS.

*Super eodem.*

(Ferentini, VI Idus Junii.)

Cum beatus Petrus apostolus ab ipso Jesu Christo acceperit plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, dubitari non debet, quin apostolicæ sedis antistes, qui beati Petri successor existit, de rebus ecclesiasticis disponendi plenam habeat et liberam facultatem, ipsa sibi Veritate dicente : *Tu es Petrus, et super hunc petram ædificabo Ecclesinm meam* (*Matth.* XVI), etc. *in eumdem modum ut supra usque in finem.*

Datum Ferentini, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Cosmedin. diaconi cardinalis, sanctæ Bomanæ Ecclesiæ concellarii, VI Idus Junii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1216, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno nono.

LXXXIV (335).

PRIORI S. ARDREÆ, EJUS FRATRIBUS.

*Recipiuntur sub protectione Beati Petri.*

LXXXV.

..... ABBATI (336), ET CAPITULO ECCLESIÆ DE DINANT. LEODIENSIS DIOECESEOS.

*Quod conferant E. clerico beneficium.*

(Ferentini, VIII Id. Junii,)

Etsi, juxta officii nostri debitum, omnibus, qui sunt titulo militiæ clericalis ascripti, paterna nos deceat sollicitudine providere, illorum tamen petitiones facilius volumus ac debemus admittere, qui per vitæ merita apud nos merentur bonorum testimoniis adjuvari. Cum autem dilectus filius, magister David, capellanus noster, partem præbendæ, quam in ecclesia vestra possidebat, in nostris manibus libere resignarit, eam dilecto filio, R. clerico, nepoti ejus, quem mores et litteratura commendant, pietatis intuitu duximus conferendam, universitatem vestram monentes attentius, et exhortantes in Domino, et per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatanus, pro reverentia beati Petri et nostra, dictum R. recipientes in canonicum et in fratrem, beneficium memoratum ei liberaliter conferatis, et, quoniam Turonense concilium sectionem inhibet præbendarum, illud ei, quantocitius se facultas obtulerit, integrare curetis. Alioquin, venerabili fratri nostro..... Leodiensi episcopo (337), nos dedisse noveritis in mandatis, ut vos ad hoc per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellere non postponat.

Datum Ferentini, VIII Idus Jnnii, anno nono.

LXXXVI.

....... EPISCOPO (338), ET....... DECANO (339) ET...... CANCELLARIO LONDONIENSIBUS.

*Quod non sinant molestari E. mulierem.*

(Ferentini, Idibus Junii.)

Ex parte E. mulieris de Bendevillis, fuit propositum coram nobis, quod, cum esset in annis minoribus constituta, citra regularem professionom et susceptionem habitus, Monialium fuit custodiæ mancipata, sed, cum postmodum viro se matrimonialiter copulasset, de quo filios plurimos jam suscepit, quidam, ipsi matrimonio detrahentes, ex hoc famam ipsius satagunt suggillare. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si præmissis veritas suffragatur, nisi aliud rationabiliter contra mulierem ipsam objectum fuerit et probatum ipsam, vel sobolem quam suscepit, non sustineatis propter hoc aliquatenus molestari. Quod si non omnes, etc. tu, frater episcope, etc.

Datum Ferentini, Idibus Junii, anno nono.

LXXXVII.

PRIORI (340), ET CONVENTUI SANCTI PORTIANI CLAROMONTENSIS DIOECESEOS.

*Ut Ecclesiam de Bajec. Durando clerico conferre ulterius non differant.*

(Ferentini, V Idus Junii).

Per nostras vobis litteras recolimus mandavisse, ut ecclesiam de Bajec. quæ dicebatur vacare, Durando, clerico venerabilis fratris nostri, Cleromontensis episcopi (341), pro reverentia beati Petri et nostra, cum suis pertinentis conferretis ; sed, vos, mandatum nostrum, et monitionem ipsius episcopi, et dilecti filii.. Silvanectensis archidiaconi, quos ei doputavimus monitores, surdis auribus pertransistis, sicut ex eorumdem litterarum tenore intelleximus evidenter, propter quod idem clericus, ne de ipsa in elusione mandati apostolici præsumeretis aliquid

(334) Vide Raynaldum, ad annum 1196, § 40.

(335) Epistolæ hujus Apographum, quod ad finem Apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit ; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. — Vide Raynaldum; ad annum 1466, § 33.

(336) S. Mariæ et S. Perpetui Dionantense collegium, videtur fuisse monasterium; memoratur enim in divisione abbatiarum et monasteriorum regni Lotharii, facta an. 870 inter Carolum et Ludovicum Francorum reges. Deinde evasit abbatia sæcularis tempore Richarii episcopi. Leod. sub annum 934. Capitulum constat duodecim canonicis et abbate, ad cujus et papæ nominationem alternatim pertinent canonicatus. *Gall. Christ. nov.* tom. III, col. 948.

(337) Vide epistolam libri sexti 215, not.

(338) Vide epistolam libri septimi 182, not.

(339) Vide epistolam libri sexti 84.

(340) « VII. Stephanus (prior S. Portiani), annis 1190 et 1193. Postea illigitur abbas Trenorchiensis.

VIII. Guiscardus de Roaneis, 1208, 1216, etc. postea eligitur abbas Trenorchiensis. »

Hactenus auctores *Galliæ Christianæ novæ*, tom. II, col. 373. In imperfecta priorum S. Portiani serie, Stephanum jam ab anno 1202 abbatem Trenorchiensem memorant iidem auctores, tom. IV, col. 970.

Vide epistolam libri quinti 136.

(341) Vide epistolam librii quinti 136, not.

ordinare, nostram audientiam appellavit. Nolentes igitur, quod de ipso misericorditer duximus inchoandum, relinquere imperfectum, per iterata vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus memoratam ecclesiam dicto clerico liberaliter, prout ad vos pertinet, conferatis. Alioquin, dilectis filiis... abbati Sancti Genesii (342), et... cantori Claromontensi, et... priori Montisferrandi, Claromontensis diœceseos, dedimus in mandatis, ut, nisi coram eis rationabile aliquid objectum fuerit, et ostensum, propter quod mandatum apostolicum non possit vel non debeat adimpleri, vos ad id per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellere non omittant, reducentes in statum debitum quidquid post appellationem ad nos legitime interpositam illicite invenerint attentatum.

Datum Ferentini, v Idus Junii, anno nono.

## LXXXVIII (343).

...EPISCOPO CLAROMONTENSI (344), ET... ABBATI MAUZIACENSI (345), ET... MAGISTRO SIMONI ARCHIPRESBYTERO DE HERMENCO, CLAROMONTENSIS DIOECESEOS.

*Mandat eis, ut quæ sententialiter ab eo defininita sunt in causa inter priorem Montis-Ferrandi, procuratorem Hospitalariorum, Claromontensis diœceseos, faciant observari.*

(Ferentini, II Idus Junii).

« [In nostra præsentia constitutis *dilectis filiis* (346)... priore ecclesiæ Montisferrandi, et *B.* procuratore Hospitalariorum Claromontensis diœceseos *venerabilem fratrem nostrum, Sabinensem episcopum* (347) *concessimus auditorem, coram quo* (348) idem prior proposuit, quod prædicti Hospitalarii *parochianos suos admittunt ad ecclesiastica sacramenta, et tam excommunicatos quam interdictos, et quosdam alios, videlicet Willelmum de Mazerii, Willelmum* A *Dretturer, Joonnem Bondiner, Durant. de Lavor, et duos pueros, filium scilicet Willelmi de Mazeriis, et filium Joannis de Ventador, infra annos legitimos constitutos, receperunt ad ecclesiasticam sepulturam, propter quod Ecclesia eadem damnum sustinuit plusquam quinque millium solidorum. Quare prior idem humiliter supplicabat, ut ipsis Hospitalariis interdicere, ne de cætero talia in ejus præjudicium attentarent, et ad resarcienda damna, quæ exinde sustinuit, eosdem compellere dignaremur* (349). Econtra, prædictus proposuit procurator, quod tam ex privilegio quam indulgentia speciali, licet Hospitalariis omnes passim, præter excommunicatos et interdictos, ad ecclesiasticam recipere sepulturam (350), qui apud illos elegerint sepeliri, *fideicommissa quoque* (351) ultima voluntate relicta possunt licenter accipere, soluta B tantummodo quarta *parochiali* Ecclesiæ, de cujus *parochia* mortuorum corpora assumuntur, præterquam de equis et armis, quæ indulta sunt ipsis in subsidium terræ sanctæ (352), de quibus quartam deducere non tenentur (353). *Cum igitur hæc et alia, quæ coram ipso episcopo fuere proposita, idem nobis fideliter retulisset, auditis et intellectis attestationibus et allegationibus universis, de consilio fratrum nostrorum* talem duximus sententiam proferendam, quod prædicti Hospitalarii de cætero non recipiant *Parochianos* (354) ecclesiæ supradictæ ad ecclesiasticam sepulturam, nisi apud eos elegerint sepeliri, et tunc *parochialis* ecclesia de oblationibus, lectis et aliis, quæ defunctus pro anima sua in ultima dispositione relinquit, præterquam de C equis et armis, recipiat quartam partem, et Hospitalariis residuum habeant, nisi dolo, vel fraude eorum, defunctus inductus fuerit ad dispositionem hujusmodi faciendam, nihilominus ipsis Hospitalariis injungentes, ut de quarta *parte* quinque millium solidorum priori satisfaciant memorato, cum constet eos a *parochianis prioris* illos solidos recepisse, *nec* sit sufficienter ostensum, quod eorum

(342) Pontius, abbas S. Genesii reperitur in instrumentis ab anno 1194 usque ad annum 1215. *Gall. Christ. nov.* tom. II, col. 317.

(343) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 28, *De sepulturis*, cap. 10, ubi *episcopo Claromontensi et abbati Mauriensi* directa dicitur. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa exhibentur; variæ lectiones dantur.

(344) Vide epistolam libri quinti 136, not.

(345) Eustorgius, abbas Mauziacensis, testis ad est anno 1205, in veteri Charta pro Lehunio. Mox, et immediate, sed non nisi anno 1212, Gerontium de Turre memorant auctores *Galliæ Christianæ novæ*, t. II, col. 353.

(346) In Decretal. desunt, ut mox initialis *B.*

(347) Vide epistolam libri tertii 15, not.

(348) Hæc desunt in Decretal.

(349) In Decretalibus, *quosdam paræcianos suos, quorum duo erant intra annos legitimos, receperunt ad ecclesiasticam sepulturam.*

(350) Olim non fuit libera electio sepulturæ; ibi sepeliendus erat, ubi sacramenta Ecclesiæ, id est salutis pabulum in vivis perceperat (vide *Decret.* part. II, caus. XIII, quæst. VII, *Placuit*), quia parochiani pro servis Ecclesiæ habebantur. Postea integrum fuit eligere sepulturam in aliena ecclesia, vel monasterio, dummodo minus religiosus locus non eligeretur. Sed hodie nihil interest minus religiosus sit locus, necne.

(351) Decretal. *fideique commissa.*

(352) Veteris religionis fuit, ut equi et arma pompam funeris adornarent, ut in funere Pallantis apud D Virgilium, Æneid. XI. v. 89:

*Post bellator equus, positis insignibus, Æthon*
*It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.*
*Hastam alii galeamque ferunt; nam cætera Turnus*
*Victor habet...*

De hujusmodi equis et armis, quæ, ex militari disciplina, erant ornamenta pompæ funerum, ab Hospitalariis quartam demi religio fuit, in subsidium belli sacri, quod confirmaverat eisdem et Hospitalariis S. Spiritus Innocentius. Vid. epistolam libri 5 97.

(353) Quæ sequuntur, hic Italico charactere distincta, in Decretalib. desunt, verum leguntur apud Pith. in add.

(364) Decretal. omittunt et infra *parochianis ejus* legunt pro *par. prior.*; pro *nec, nisi.*

oblati vel *commissi* (355) fuissent. *Eisdem* præterea A duximus injungendum, quod nisi probaverint quod *Wilelmus Gastasalt*, qui fuit interfectus in campis; apud ipsos elegerit sepulturam, universa, quæ ipsius intuitu (356) receperunt, priori restituant memorato; alioquin, quartam partem solummodo restituere teneantur; pro *filio vero Willelmi de Mazeriis, et filio Joannis de Ventador*, quos constat infra annos legitimos decessisse (357), *eisdem injunximus, ut* (358) quæ sepulturæ illorum gratia receperunt, restituant universa. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus quod a nobis est sententialiter definitum, vos, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam faciatis firmiter observari; contradictores censura simili compescentes. Quod si non omnes, B tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Ferentini, II Idus Junii, anno nono.

## LXXXIX.

B. EPISCOPO PAPIENSI (338*), EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS.

*Confirmantur privilegia et statuta ipsius Ecclesiæ.*

(Ferentini, II Idus Junii.)

Et ipsa justitiæ ratio, et apostolicæ sedis deposcit benignitas, ut locis et personis, beato Petro et sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialius adhærentibus, et in ejus devotione et obedientia persistentibus, patrocinii et tuitionis nostræ manum abundantius et propensius extendere debeamus. Hujus itaque rationis C debito provocati, honorem ac dignitatem Papiensis Ecclesiæ, tanquam propriæ et specialis apostolicæ sedis filiæ, volumus conservare. Quocirca, venerabilis in Christo frater, Bernarde episcope, quem sincera in Christo charitate diligimus, tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, ad exemplar prædecessorum nostrorum, felicis memoriæ Callixti, Innocentii, Eugenii et Anastasii, Romanorum pontificum, prædictam Papiensem Ecclesiam, cui, Deo auctore, præesse dignosceris, præsentis scripti privilegio communimus, et omnem ipsius ecclesiæ dignitatem, per eorumdem Romanorum pontificum privilegia vel authentica scripta concessam, nos quoque auctoritatis nostræ favore nihilominus confirmamus, fraternitati siquidem D tuæ, inter sacra missarum solemnia, palleo uti, et tam tibi quam successoribus tuis, in processione Palmarum et feriæ secundæ post Pascha, equum album udone coopertum equitare, nec non et crucem inter ambulandum præferre concedimus. Ob majorem quoque ipsius Papiensis Ecclesiæ dignitatem confirmantes, statuimus, ut in synodalium celebratione conventum, tam tu, quam successores tui, ad sinistrum Romani pontificis latus primum sessionis locum perpetualiter habeatis. In monasteriis autem, aut capellis aliquibus, præter matricem ecclesiam, baptismum generalem fieri penitus prohibemus; in quibus si qua forte præcepta, contra sacros canones elicita, inveniri contigerit, nostris canonicis non præjudicent institutis. Clericos, sanctimoniales, viduas urbis vestræ, sine vestra conscientia, nemo præsumat in judicium trahere, aut vim eorum rebus inferre. Nec cœmeteriorum, quæ, intra vel extra, circa civitatem sunt, curam vobis aut potestatem subtrahere quælibet persona præsumat, nec ullus unquam, cujuscunque sæcularis dignitatis aut potentiæ, homo, quasi sub obtentu hospitalitatis, vel patronatus occasione, in tuo episcopio, aut in domibus sacerdotum, seu clericorum tuorum, sine tua tuorumque successorum voluntate, audeat applicare. Nec in rebus mobilibus aut immobilibus, sive personis cujuscunque conditionis ad vestram ecclesiam pertinentibus, invasionem aut violentiam, vobis invitis, fieri, sine legali ratione, permittimus. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: monasterium Sancti Apollinaris, cum capellis et parochiis suis; monasterium Sancti Petri, quod dicitur Leprosorum, cum capellis et parochiis suis; monasterium Sancti Marini, cum capellis et parochiis suis; monasterium Sancti Gervasii, cum capellis et parochiis suis; monasterium Sancti Pauli et Sancti Jacobi de Vernanola, monasterium Vetus, et monasterium Senatoris, cum capellis et parochiis suis; monasterium Leani, et monasterium Sancti Thomæ, cum capellis et parochiis suis: monasterium Sancti Felicis, cum capellis et parochiis suis. Ipsorum vero monasterium, quæ infra vestræ diœceseos fines sunt, canonica dispositio, et abbatum qui in eis sunt vel abbatissarum discussio, electio et consecratio, vestro semper arbitrio conservetur. Porro, presbyteros prædictorum monasteriorum, prout ecclesiastica necessitas exegerit, absque alicujus temeraria contradictione, ad tuum volumus venire concilium. Confirmamus etiam vobis

(355) Decretal., *conversi*, et mox *eisdemque*. Infra, *G. Paræcianus prioris*, pro *W. G*

(356) Decretal. add. *ejus*, et infra *illis ver olegunt* pro loco *f. v. W. d. M.* et *f. J. de V.*

(357) Impuberes neque testari possunt, neque eligere sepulturam. Electio sepulturæ est pars testamenti. Impuberes non habuere olim arbitrium funeris: imo, sine pompa funeris, de nocte, eos ad faces efferri mos fuit. Vide Servium, ad illum locum Virgilii, Æneid., lib. XI, v. 142:

*De more vetusto*
*Funereas rapuere faces.*

« Est magis moris Romani, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur. »

(358) Hæc om. Decretal.

(358*) Vide epistolam libri septimi 90, not. Vide etiam Ughellum, *Ital. sacr.*, t. I, p. sign.*, col. 32.

ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bethlehem, et hospitale A de Cropellis, hospitale de Sancta Justina, hospitale de Tossicaria, hospitale de Galbera, hospitale Guidonis Fabri, hospitale Tidonis, hospitale de Pontiano; in archiepiscopatu Mediolanensi, monasterium Sancti Donati, ab antecessore tuo fundatum in loco, qui Scoiola dicitur, cum capellis et parochiis suis, monasterium Sanctæ Mariæ de Charitate, cum parochia sua, cum capellis et parochiis suis; in Laudensi episcopatu, plebem de Pustino, cum capellis et parochiis suis; in episcopatu Cremonensi, plebem de Pagationo, cum parochia sua; in episcopatu Placentino, plebem de Fontan. cum capellis et parochis suis, plebem de Rivegozo, cum capellis et parochiis suis; inter episcopatum Astensem, et Aquensem, et Albensem, plebem de Ponte, cum capellis et parochiis suis; B in episcopatu Vercellensi, plebem de Peningo, cum parochia sua; versus Alexandriam, plebem Sancti Siri de Sala, cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, plebem de Plovera, cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, plebem de Bassegnan, cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, plebem de Valentia, cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, plebem de Astillian. cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, plebem Sancti Salvatoris, cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, et plebem de Petra, cum capellis et parochiis suis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prædictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra con- C serventur, vestris et aliorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, etc., *usque* in finem æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Ferentini, per manum Joannis, Sanctæ D Mariæ in Cosmedin. diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, II Idus Junii, indictione octava, Incarnationis Dominicæ 1206. pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno nono.

## XC.

CAPITULO CUMANO.

*Quod recipiant B. subdiaconum papæ in canonicum.*

(Ferentini, XVIII Kal. Julii.)

Jamdudum inobedientes nobis et rebelles effecti, ostendistis vos, sicut non effectus rei, sed defectus operis potius manifestat, mandatorum sedis apostolicæ contemptores, et perversores nihilominus ecclesiasticæ disciplinæ. Cum enim olim vobis pluries direxerimus scripta nostra, ut dilectum filium, B. subdiaconum nostrum, in canonicum vestrum reciperetis et fratrem, præbenda eidem in ecclesia vestra liberaliter assignata, vos, aures vestras more surdæ aspidis obturantes, id efficere penitus contempsistis; et, licet propter hoc exstiteritis diu vinculo excommunicationis astricti, nondum tamen vestra potuit rebellio emolliri, quod quam grave nobis et molestum existat, nisi mansuetudo rigorem, et misericordia motum animi temperasset, aliter monstravissemus. Verum, quia memorato subdiacono competenter in Mediolanensi Ecclesia est provisum, ab impetitione ipsius vos penitus absolventes, venerabili fratri nostro... episcopo vestro (359), nostris damus litteris in mandatis, ut excommunicationis sententiam, qua ligati propter hoc diutius exstitistis, juxta formam Ecclesiæ, auctoritate nostra relaxet; nihilominus universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus de præbenda, quam dicto mandaveramus clerico assignari, non præsumatis aliquid ordinare, donec super hoc nostræ receperitis beneplacitum voluntatis.

Datum Ferentini, XVIII Kal. Julii, anno nono.

## XCI (360).

.....PAMPILONENSI EPISCOPO, ET P. DE CASTRO NOVO, ET FRATRI R. MONACHIS MONTIS-FRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Quod audiant causam in causa matrimoniali, inter regem Arogonum et M. natam G. de Montevessulano.*

(Ferentini, XV Kal. Julii.)

Transmissa nobis charissimus in Christo filius noster, Petrus, Aragonum rex illustris, insinuatione monstravit, quod, cum dilectam in Christo filiam nostram, nobilem mulierem, M. natam quondam G. de Montepessulano, sibi de facto matrimoniali fœdere copulasset, apparuit tandem, quod quamdam carnaliter præcognoverat, eamdem nobilem proxima consanguinitatis linea contingentem, quin etiam eadem M. virum habet superstitem, cum quo ante contraxerat, videlicet nobilem virum..... comitem Convenarum; propter quod idem rex, tanquam vir

(359) Guillelmus de Turre Mendritii, episcopus Cumanus *al.* Comensis, Ardizzoni (de quo vide epistolam libri quinti 154), successit anno 1209. Othonis imperatoris IV aliquando indignationem subiit (vide epistolam libri decimi quinti 31). Per viginti annos strenue ac cum laude prudentiæ Comensem administravit Ecclesiam; excedensque anno 1226, 21 Octobris, apud S. Mariam de Torello sepulcrum accepit. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. V, col. 291.

(360) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 34. Vide etiam apud doctissimum *Historiæ Occitaniæ* scriptorem, tom. III, p. 145, cui tamen incognita fuit hæc Innocentii PP. III epistola.

catholicus et Deum timens, cauteriatam conscientiam A super hoc gerens, ac metuens ex hoc animæ suæ periculum imminere, ad apostolicæ sedis oraculum duxit quantocius recurrendum. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si talis apparuerit acusator, cujus accusatio de jure sit admittenda, vos, partibus convocatis, audiatis causam, et eam, si partes consenserint, sublato appellationis obstaculo, fine canonico terminetis. Alioquin, gesta omnia conscribentes, sub testimonio litterarum vestrarum ea nobis fideliter transmittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justum, auctore Domino, judicium recepturæ. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, xv Kalendas Julii, anno nono.

XCII (361).

AQUENSI CAPITULO.

*Confirmantur universæ ecclesiæ ad ipsos pertinentes.*

(Ferentini, XVI Kal. Julii.)

Solet annuere sedes apostolica, etc. Cum autem, utilitate ac necessitate pensatis, Aquensem et Alexandrinam Ecclesias duxerimus uniendas, ne quod circa unionem hujusmodi utiliter est provisum, alterutri Ecclesiæ imposterum pariat detrimentum, universas ecclesias, quas Aquensis Ecclesia bona fide et justo titulo hactenus inconcusse possedit, vobis, ac per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti... salva reverentia quam Aquensi et Alexandrino debent episcopo, juxta C quod ratio postulat unionis. Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis, etc.

Datum Ferentini, XVI Kalendas Julii, anno nono.

XCIII (362).

LITTERÆ ARCHIPRESBYTERI MEDIOLANENSIS, ET VICECOMITIS.

*Qualiter comissa eis super pace facienda inter Alexandrinam et Aquensem civitates exsecuti sint.*

(Hæc apud Raynald.)

« [Sanctissimo Patri, et domino, Innocentio, Dei « gratia summo pontifici, W. Mediolanensis Eccle« siæ archipresbyter, licet indignus, et Ariprandus « dictus vicecomes, ejus humilis ac devotus subdia« conus, tam devotam quam debitam in omnibus « subjectionem. Placuit beatitudini vestræ, Pater D « sanctissime, nobis, servulis vestris, dare in man« datis, ut, ad civitatem Alexandriæ personaliter « accedentes, clerum et populum ad pacem et con« cordiam cum Aquensibus faciendam, nec non ad « unionem acceptandam, prudenter admonere, et « diligenter inducere studeremus. Verum, quid « super his facerimus, et *quantum* (363) laborave« rimus, partes ipsæ, et scripta nostra, per eas « *majestati* (364) vestræ directa, liquido declara« bunt. Quid autem super fidelitatibus et censu « exigendis facerimus, audiat sanctitas vestra ple« nissime veritatem. Convocavimus siquidem pote« statem, consules, et consiliarios Alexandriæ, et « ostendimus eis, qualiter tenerentur et obligati es« sent ad censum et fidelitates Romanæ Ecclesiæ « præstandas, qualiter insuper in signum hominii « se dederant in manibus felicis memoriæ domini « Alexandri, a quo ipsa civitas denominationem « accepit. Ostendimus etiam eis, et perlegimus in« strumentum publicum, in quo omnia contine« bantur; qui, verbum nostrum non minus alacriter B « quam devote recipientes et acceptantes, cum omni « festinantia præceperunt campanam pulsari, ut « multitudo populi conveniret, qui, scientes cau« sam vocationis suæ, cucurrerunt quasi ad vocem « jucundam, et vix præ gaudio et exsultatione susti« nentes verbum sibi proponi, clamaverunt, quasi « una voce, cum ingenti lætitia et tripudio maximo: « Fiat, fiat voluntas domini nostri; et sic in omni « pace recepimus hominium et fidelitates potesta« tis, consulum et consiliariorum ac universorum « qui ad locum illum convenerant, et inde fecimus « fieri publicum instrumentum. Deinde quosdam « honestos viros, qui monitores civitatis vocantur, « fecimus nuntios nostros, quos jurejurando nobis « astrinximus, ut singulas oras, vicos et plateas « civitatis circuirent, et fideliter ab universis fideli« tates et censum, secundum instrumenti tenorem, « exigerent et reciperent, et quidquid super his fa« cerent, totum per publicam scripturam nobis « ostenderent et consignarent; quæ omnia bene « et solemniter facta sunt (365). » Sunt autem qui juraverunt in summa quinque millia octingenti sexaginta sex, sicut in instrumentis vestræ paternitati transmissis continetur, et summa census librarum viginti quinque Papiensium. Et hæc omnia per Joannem Tornielum, subdiaconum vestrum, canonicum, Novariensem, et quosdam socios suos, nuntios Alexandrinorum, vestræ paternitati destinamus. Ad hæc, noverit vestræ celsitudinis immensa discretio, quod, per ea quæ vidimus et cognovimus manifeste, credimus et nullatenus dubitamus quod vobis et Ecclesiæ erit ad gloriam et utilitatem maximam, si honori et exaltationi intenderitis Alexandrinorum.]

—

(361) Conferendæ sunt epistolæ hujusce libri noni 82 et 83.

(362) Epistola hæc integra legitur apud Ughellum, *Ital. sacr.* tom. IV, col. 444: ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

Eamdem, sed mutilam, exhibet Raynaldus, ad annum 1206, § 41. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ in margine virgula distinximus.

Conferendæ sunt epistolæ hujusce libri noni 82, 83, 92.

(363) Apud Ughel. *quatenus*.

(364) Apud Ughellum. S.

(365) Hactenus Raynaldus.

XCIV (366).

P. POTESTATI ET POPULO ALEXANDRINIS.

*Super eodem*

(Ferentini, XI Kal.)

[Cum dilectus filius, Joannes Torniellus, subdiaconus noster, et N. vicedominus Aquensis, et nobiles viri, R. Scacavel, et P. Fantinus, nuntii vestri, ad sedem apostolicam accessissent censu debito nobis, et instrumento in quo eorum omnia erant scripta, qui nobis fidelitatem præstiterant, præsentatis, pro vestris et civitatis vestræ negotiis promovendis diligenter ac sollicite institerunt, ita, quod nullatenus possunt de negligentia reprehendi, sed eorum diligentia potest merito commendari. Et, licet negotium secundum suam voluntatem non fuerit usquequaque promotum, finem tamen congruum ad honorem et profectum vestrum absque dubio est sortitum, juxta quod ad scandali materiam removendam magis cognovimus expedire. Monemus igitur universitatem vestram, et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in fidelitate ac devotione apostolicæ sedis, sicut laudabiliter incepistis, ita prudenter persevare curetis, quod gratiam apostolicæ sedis mereamini plenius et favorem, et nos ad ea quæ vestrum respiciant commodum et honorem, merito debeamus impendere operam efficacem. In signum autem gratiæ specialis, mittimus vobis sub insigni beati Petri vexillum, ut ipse vos, tanquam filios speciales, contre hostes mentis et corporis custodiat et defendat.

Datum Ferentini, XI Kal. Julii, anno nono.]

XCV (367).

UNIVERSO CLERO ALEXANDRINO.

*Super eodem.*

(Ferentini, XI Kal. Julii.)

[Cum Alexandrinam et Aquensem Ecclesias duxerimus uniendas, ut utrique sit Ecclesiæ unus pastor, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus venerabili fratri nostro...... Alexandrino, et Aquensi episcopo, tanquam patri et episcopo animarum vestrarum, de cætero intendentes, ipsi obedientiam et reverentiam exhibeatis debitam et devotam.

Datum Ferentini, XI Kalendas Julii, anno nono.

XCVI (368).

ADOLPHO QUONDAM COLONIENSI ARCHIEPISCOPO (369).

*Quod desinat mala facere et ad Ecclesiam revertatur.*

(Ferentini, IX Kal. Julii.)

[Quoties te monitis et consiliis, precibus et præceptis, minis et terroribus inducere curaverimus, ne, conversus in arcum perversum, sine causa nobis illuderes, quos ad favendum illustri regi Othoni per A litteras et nuntios induxisti, parcens saluti et famæ tuæ, nondum, si credimus, es oblitus, quamvis, exigentibus culpis tuis, sis in reprobum sensum datus. Sed ecce, justo judicio primus ipse in foveam incidisti, quam alii præparasti, quia, cum velles prædictum regem dejicere, dejectus es ipse prior, propter notum perjurium, proditionem vulgatam, publicam excommunicationem et inobedientiam manifestam. O, si diligenter attendares quod laici de te sentiant, quod clerici de te dicant, quomodo tuam vilificasti personam, fœdasti ordinem, officium deturpasti, factus tibi ipsi contrarius et reprobans temetipsum, procul dubio non minus erubesceres de infamia, quam doleas de jactura! Condolemus utique tibi, si tamen tu doleas, B non quidem ad exercendam vindictam, sed ad pœnitentiam peragendam, quoniam inutiliter vindicare te studes, posses autem utiliter pœnitere. Quid eum tibi possunt prodesse homicidia, sacrilegia, furta, incendia, et alia facinora quæ committis? Putasne per illa valeas apud Dominum, aut etiam apud nos indulgentiam promereri? Facta sunt novissima tua pejora prioribus, dum, accumulando peccata peccatis, pressus pondere vitiorum, ad inferni te profunda demergis. Ne putes quod verba ista de cordis amaritudine proferamus, cum, etsi tuam odiamus offensam, diligamus naturam, memores adhuc illius dilectionis antiquæ, qua te inter fratres et coepiscopos nostros affectuosius amabamus, sed, ex compassionis affectu, novit Dominus, verba ista proferimus, C quoniam gemimus et tristamur, dum audimus te de malo vergere semper in pejus, quia, licet graviter lædas alios, gravius tamen lædis te ipsum, et inde deficis amplius, unde magis proficere te confidis. Memorare novissima tua, si forsan a tanto resipiscas errore, ad illum per humilem pœnitentiam te convertens, a quo te per contumacem inobedientiam avertisti, quoniam hæc sola tibi semita est relicta, per quam venire poteris salutem. Licet enim redire non possis ad gradum a quo merito decidisti, si tamen sub potenti manu Dei te humiliare curaveris, adhuc te poterit ejus dextera sublevare; sin autem, pravis acquiescendo consiliis, et iniquis operibus insistendo, magis ac magis provocaveris ejus iram, procul dubio non effugies manus ejus, quæ te punient graviter in præsenti, et gravius in futuro. D Monemus ergo te, frater, cum lacrymis, et exhortamur in Christo Jesu, qui venturus est judicare vivos et mortuos, quatenus, nostris salubribus monitis acquiescens, per pœnitentiæ medicinam de morte resurgas ad vitam, et ad ubera matris Ecclesiæ revertaris, quæ pio miserationis affectu recipit filios delinquentes, quoniam, etsi sacrosanctam

(366) Epistola hæc integra legitur apud Ughellum, *Ital sacr.* tom. IV, col. 445; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 40.

(367) Epistola hæc integra legitur apud Ughellum, *Ital. sacr.*. tom. IV, col 453; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

Eamdem laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 40.

(368) Epistola hæc integra legitur apud Raynaldum, ad annum 1206, § 11. Ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(369) Vide epistolam libri tertii 54. not.

Romanam Ecclesiam, matrem tuam, in gravem difficultatem induxeris, de qua per te non posset aliquatenus liberari, quia tamen ille est fundator et fundamentum ipsius qui imperat ventis et mari, dum ipse sit nobis adjutor, non timemus quid faciat nobis homo.

Datum Ferentini, VIII Kal. Julii, anno 10.

XCVII.

ALBERTO PRÆPOSITO IN ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM ELECTO (370).

*Quod nuntium apostolicum benigne tractet.*

(Ferentini, IX Kal. Julii.)

Tempestas imperii, quæ te impulit ad id improvide faciendum, quod promotionem tuam merito potuit impedire, necessario nos retardat, ne adhuc ad tui confirmationem negotii procedamus. Licet autem adversum te fuerimus de jure commoti, dilectus tamen filius, magister G. nuntius tuus, vir utique providus et fidelis, commotionem nostram non destitit mitigare, ita, quod, temporis opportunitate reperta, ipsum proposuimus consummare negotium, dummodo te nobis, tanquam membrum capiti, studeas confirmare. Quocirca, devotionem tuam monemus attentius, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eumdem magistrum, quem nos, suæ probitatis intuitu, sincera diligimus in Domino charitate, benigne recipias, et honeste pertractes, cumque, cum necessitas postulaverit, tanto securius ad præsentiam nostram remittas, quanto majorem gratiam in oculis nostris invenit. Ipse quippe tibi plenius intimabit quæ a nobis accepit secretius intimanda.

Datum Ferentini, IX Kalendas Julii, anno nono.

XCVIII.

B. PAPIENSI EPISCOPO (371)

*Committitur dispositioni suæ monasterium Sanctæ Mariæ et Sancti Bartholemæi.*

(Ferentini, XIII Kal. Julii.)

Apostolica sedes, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est et magistra, consuevit æquo liberamine ponderare merita singulorum, ut valeat unicuique, prout exigit ratio, respondere. Nos ergo, qui, licet immeriti, huic sanctæ sedi superna gratia præsidemus, fidem et devotionem, quam prædecessorum tuorum inhærens vestigiis, ergo nos et Romanam Ecclesiam habere dignosceris, attendentes, et intuentes nihilominus deformationem et lapsum quorumdam monasteriorum tam monialium quam etiam monachorum, in Papiensi existentium civitate, quæ ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, tam tibi quam illis, diverso tamen respectu, disposuimus providere, ut videlicet onus
A illorum ad tuum referamus honorem, quoniam in ecclesiasticis rebus et honor oneri, et onus est adnexum honori. Quia vera inter hujusmodi monasteria duo maxime indigent officio provisoris, videlicet Sanctæ Mariæ foris portam Papiensem, quod est monialium, et Sancti Bartholomæi in Strata, quod est monacharum, nos illa, cum capellis, parochiis et pertinentiis suis, de communi fratrum nostrorum consilio, dispositioni tuæ, tam in spiritualibus quam temperalibus, duximus committenda, ut in eis vice nostra corrigas et emendes, instituas et destituas, statuas et decernas, quæ ipsis monasteriis spiritualiter et temporaliter noveris expedire. Ut autem et onus honoris, et honor oneris per te ad tuos transeat successores, præsentium auctoritate concedimus,
B quatenus tui etiam successores in hoc tibi succedant tam onere quam honore, dummodo circa devotionem apostolicæ sedis, et provisionem monasteriorum ipsorum tales se studeant exhibere, ne privilegium mereantur amittere, si concessa sibi abusi fuerint potestate. Nulli ergo... hanc paginam nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, XIII Kalendas Julii, anno nono.

XCIX.

...... SABINENSI EPISCOPO (372).

*Reponitur ad eumdem statum defendendi jura Ecclesiæ quem habuit prædecessor.*

(Ferentini, V Kal. Julii.)

Quoniam propter longam absentiam bonæ memoriæ Conradi, Sabinensis episcopi, pro eo quod
C curam pastoralem gessit in Ecclesia Maguntina, et propter eorum incuriam, quibus episcopatus Sabinensis diversis temporibus fuit cura commissa, ejusdem episcopatus sunt jura neglecta, a nobis humiliter postulasti, ut super hoc tibi dignaremur paterna sollicitudine providere. Nos ergo, tuis precibus annuentes, tam ex providentia pastorali quam ex gratia speciali, de consilio fratrum nostrorum, in eo te statu, quoad defendenda ipsius episcopatui jura reponimus, quem habuit, quando idem Conradus Sabinensis Ecclesiæ præsulatum accepit. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, V Kalendas Julii, anno nono.

C (373).

P. TITULI SANCTI MARCELLI (374), ET B. TITULI
D SANCTÆ SUSANNÆ (375). PRESBYTERIS CARDINALIBUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Quod monent patriarcham Constantinopolitanum, quod non recipiat Venetos in canonicos Sanctæ Sophiæ, sed alios, dummodo boni sint* (376).

(Ferentini, XI Kal. Juli.)

[Ad decorem] (577) *et commodum tam Ecclesiæ*

(370) Vide epistolam hujusce libri noni 62, not.

(371) Vide epistolam libri septimi 90, not.

(372) Vide epistolas libri tertii 15, not.; libri quinti 14, not. Vide etiam Ughellum, *Ital. sacr* tom. I, col. 185.

(373) Epistola hæc reperitur, sed valde mutila, inter Decretales, lib. III, tit. 7, *De institutionibus.* cap. 4 Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa exhibentur; variæ lectiones appositæ sunt.

Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 2.]

(374) De isto jam dictum sæpius.

(375) Idem.

(376) Vide epistolas diversas libri octavi.

(377) Quæ loquuntur, hic Italico charactere distincta, desunt in Decretalibus; verum leguntur aque Pith. *in add.*

*Sanctæ Sophiæ, quam aliarum ecclesiarum, quæ sunt in urbe Constantinopolitana constructæ, noscitur pertinere, ut litterati viri, et morum honestate conspicui de quibuslibet mundi partibus venientes, institui debeant in eisdem.* Verum, sicut nostris auribus est suggestum, *venerabilis frater noster* (377 )..... Constantinopolitanus patriarcha, *eorum immemor, quæ sibi suggessimus viva voce, ac postmodum per scripta mandavimus, si tamen ad ipsum litteræ nostræ pervenerunt*, aliarum nationum clericos spernens, Venetos tantum in ipsis Ecclesiis, *et præcipue in Ecclesia Sanctæ Sophiæ*, satagit collocare, non attendens, quod in omni gente qui facit justitiam, acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei jure convenit hæreditario possideri. Quocirca, *discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo* mandamus, quatenus eumdem *patriarcham monere ac inducere studeatis* (378), ut viros religiosos, honestos et litteratos, undecunque originem duxerint, in prædictis ecclesiis instituere non postponat, et maxime in majori, *proponentes eidem, quod, si monitis vestris acquiescere non curavit* indignum se reddet, ut vos aliarum clericos nationum ad ejus obedientiam compellatis *præsertim, cum ipsi propter hoc ad nostram duxerint audientiam appellandum, neque* (379) dissimulare poteritis quin hoc nostris auribus intimetis, ut ex hoc ipso, an verum sit quod Venetis dicitur promisisse, conjicere valeamus.] Si qui vero clerici per vos, vel alterum vestrum, sunt in prædictis Ecclesiis instituti, appellatione postposita, faciatis eos pacifica possessione gaudere, amotos, sicut justum fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, facientes restitui ad easdem. Quod si non ambo . . .alter vestrum, etc.

CII.

P. ILLUSTRI REGI ARAGONUM.

*Quod possint coronari reges Aragonum per archiepiscopum Tarraconensem.*

Cum quanta gloria, etc. *Eadem penitus ac epistola libri* 92, *quam vide* (pag. 734), *et quæ ibi annotata sunt.*

CII (380).

EIDEM.

*Quod bona hæreticorum, quos exterminabit, sint ad usum suum.*

(Ferentini, v Idus Junii).

Cum secundum evangelicam veritatem, operarius sua mercede sit dignus, ac alibi scriptum sit, quod bovi trituranti os non debet infrenari, multo amplius convenit dignæ remunerationis præmio confoveri, qui, legem zelantes divinam, vulpeculas quæ vineam Domini Sabaoth demoliri conantur, quasi volentes Christianæ fidei observantiam astutis machinationibus abolere, in eorum exterminium efficaciter laborant, præsertim, cum, eisdem prorsus exclusis, eadem vinea fructificare possit uberius per opera pietatis. Hac itaque consideratione prudenter inducti, auctoritate præsentium tibi duximus concedendum , et universa hæreticorum, sibique faventium, bona mobilia, quæ ad tuas manus devenerint dum eos exterminare studueris zelo fidei orthodoxæ, ad tuum usum libere tibi liceat retinere. Bona etiam immobilia, quæ de ipsorum manibus eruere poteris hac de causa, retineas sine præjudicio juris alieni. Nulli ergo . . . nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, v Idus Junii, anno nono.

CIII (381).

P. DE CASTRO-NOVO, ET R. MONACHIS FONTIS-FRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ut assignent castrum de Scura* (382) *regi Aragonum, pro hæreticis exstirpandis.*

(Ferentini, v Id. Junii.)

Charissimus in Christo filius noster, P. Aragonum rex illustris, sua nobis insinuatione monstravit quod castrum de Scurra, quod ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, in tali loco, inter hæreticos videlicet, est positum et firmatum, quod iidem hæritici inde possunt opportunius quam de loco alio coerceri, propter quod idem rex, tanquam zelator legis divinæ, humiliter postulavit a nobis, ut, cum guerram contra præfatos hæreticos movere curaverit, de ipso castro copia fiat sibi ad laudabile propositum peragendum. Nos igitur , piam intentionem ejusdem regis in Domino commendantes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, cum idem rex ad debellandum et exstirpandum prædictos hæreticos de partibus illis fuerit præmunitus, castrum ipsum faciatis ei, si necessitas exigat, assignari ; ita tamen, ut per hoc idem castrum ab apostolicæ sedis dominio minime subducatur. Quod si non ambo his exsequendis interesse potueritis, alter vestrum ea nihilominus exsequatur.

Datum Ferentini, v Idus Junii, pontificatus nostri anno nono

CIV (383).

...... ANTISSIODORENSI EPISCOPO (384).

*Quod decernat super quodam matrimonio O. mulieris.*

(Ferentini, v Nonas Julii.)

[Fraternitatis tuæ litteras recepimus, continentes,

(377*) Hæc in Decretal. desunt, ut infra quæ charactere Italico distinximus.

(378) Decretal., *moneatis* pro *pat. m. a. ind. s.*

(379) Decretal., *alioquin*, pro *prop. eid. q. s. m. v. a. n. c.;* infra *nec* legunt pro *præsertim. . . neque.*

(380) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 34.

(381) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 34. Vide etiam epistolam libri octavi 97.

(382) Notandum, quod Raynaldus, loc. cit. legisse videtur, *de Siuna.*

(383) Epistola hæc legitur, sed mutila, inter Decretales, lib. IV, tit. 15, *De frigidis, et maleficiatis, et impotentia coeundi*, cap. 6. Quæ Italico charactere distinguuntur desunt in Decretalibus, vel lectionum varietatem indicant.

(384) Conferenda hæc Innocentii epistola cum his quæ auctoribus Galliæ Christianæ novæ dicuntur de obitu Hugonis (*de Noyers*) :

« Anno 1206, Trinitarios canonicos fundavit, et religiosis Fontanetensibus plurima erogavit, cum in

quod *Odeardis* (385) mulier cuidam viro matrimonialiter nupsit; cum quo per multos annos morata, non potuit carnaliter ab ipso cognosci. Licet autem per... archipresbyterum tuum super hoc fuisses edoctus, *volens tamen* (386) super hoc habere certitudinem pleniorem, quasdam matronas suæ *parochiæ*, providas et honestas, ad tuam præsentiam evocasti, districte illis injungens, sub periculo animarum, ut mulierem ipsam prudenter inspicerent, et perquirerent diligenter, utrum idonea esset ad viriles amplexus; quæ tandem in fide sua tibi asseruere constanter, quod eadem *mulier* nunquam poterat esse mater aut conjux, tanquam cui naturale deerat instrumentum. Unde, inter ipsam et virum *illum* divortium celebrasti, mulierem ipsam inducens, ut ad aliquam se religionem transferret, perpetuam continentiam servatura; *viro vero* (387) licentiam tribuisti ut uxorem duceret *in nomine Domini*, quia pater fieri cupiebat. Contigit autem postea quod mulier *eadem* invenit qui seras hujusmodi reseravit abjiciens continentiam quam promissit, *et quæ alium virum habuerat, Willelmo* (388) latori præsentium, supernupsit. *Pro quibus nobis humiliter supplicasti, ut cum eis misericorditer ageremus.* Quamvis igitur semiplene nobis expresseris, quomodo dicta mulier se promiserit continentiam servaturam, utrum videlicet simplici verbo, an voto solemni, utrumve ad religionem transierit, ut promisit, an contra *promissionem* (389) in domo remanserit, et qualiter seras illas fecerit reserari, utrum videlicet artificio medici, an concubitu viri seu alio quolibet modo; nos tamen, perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod, præter divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri sententiam divortii; per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam, cum pateat ex postfacto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur, et ideo inter ipsam mulierem et primum virum dicimus matrimonium exstitisse. Quare, inter *ipsam et prædictum Willelmum* (390) matrimonium non esse censemus, eosque præcipimus ab invicem separari; et, si prædicta mulier ad Religionem transivit, *sicut asseritur promisisse* (391, primus vir, qui non cognovit eamdem, cum *illa* remaneat, cum qua postmodum Ecclesiæ auctoritatæ contraxit. Alioquin, *idem vir*, dimissa ea, *quam postea superduxit*, debet

A ad istam redire, cum qua primo contraxit, nisi se voto mulier ipsa constrinxerit ad continentiam observandam, ut intelligatur per hoc cum *prædicto Willelmo* (392) fornicata fuisse, vel, nisi se fornicario modo alii viro miscuerit, ut primus vir, prætextu fornicationis *quam ipsa commisit*, ejus velit consortium declinare. Nam, si tantum simplici verbo promisit se continentiam servaturam, et postea in conspectu Ecclesiæ nupsit memorato *Willelmo* (393), quandiu articulus iste dubitabilis erat, præsumi non debet, quod fornicaretur cum illo; sed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere. Per *hoc* autem quæstionem illam noveris esse solutam, qua quæritur, utrum *illa* quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio

B *sibi* (394) modo violentia inferatur, non solummodo levis, sed forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendem debeat idonea perhiberi. Similiter illa, quæ viro cui nupserat adeo arcta est, ut nunquam ab eo valeat deflorari, si. ab eo (539) per judicium Ecclesiæ separata, nubat alteri *viro*, cui arcta non sit, et per frequentem usum secundi, reddatur etiam apta primo, utrum debeat ad *illum* redire, cum qno prius fœdus inierat conjugale. De talibus autem non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro.] Tu ergo, secundum quod superius est distinctum, facias quod decrevimus, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, firmiter observari.

C Datum Ferentini, v Nonas Julii, anno nono.

## CV.

. . . . . . PRÆPOSITO ET CAPITULO SANCTI PETRI DE RONAIS.

*Quod recipiant Walterum clericum in canonicum.*

(Ferentini, II Idus Junii.)

Cum simus, licet, immeriti, successores illius, cui jussit Dominus pascere oves suas, eis præcipue paterna tenemur sollicitudine in suis necessitatibus subvenire, de quorum litteratura et conversatione laudabili ex mora, quam apud sedem apostolicam fecisse noscuntur, sumus certiores effecti. Inde est, quod universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus pro reverentia beati Petri et nostra dilectum filium, magistrum Walterum, pau-

D perem clericum, qui apud sedem apostolicam diutius

profectione Romana esset, quam variis de Ecclesiæ suæ rebus susceperat, maxime ut insignium pontificiorum usum abbati S. Germani adimeret. Sed, intra diem decimum quod ad urbem accesserat, lethali morbo correptus, decessit apud S. Clementem 29 Septembris 1206, sedis XXIV; in Lateranensi basilica, humatus VIII Id. Decembris, celeberrimo funere quod summus pontifex et cardinalium collegium honestaverunt. » *Gall. Christ. nov.* tom. XII, col. 299.

Vid. epistolam libri tertii 20, ubi hugonem, anno 1205 obiisse, errore typographico, dicitur.

(385) In Decretal. o.

(386) In Decretal., *Tu tamen volens.*

(387) In Decretal., *et viro.*

(388) Decretal. add. *et*, et mox G. legunt pro *et quæ... Willelmo.*

(389) In Decretalibus, add. *suam*, Verum, deesse in antiq. exempl. monet Pithœus, in not. marg.

(390) Decretal. *eam et prædictum* G.

(391) Decretal., *sicut asserit promisisse.* Quæ quidem deesse in omn. cod. Vatic. legi vero in aliis recentior. et in antiq. Compil. monet Pithœus, in not. marg. Mox *ea* Decretales legunt pro *illa*

(392) Decretal., *præfato Gu.*

(393) Decretal., *Gu.* Infra *hæc* legunt pro *hoc*, et *ea* pro *illa*.

(394) Al. *simili*, ut monet Pith. in not. marg.

(395) Decretal. add. *sit*, et mox *et* post *parata*; infra *eum* pro *illum* legunt.

est laudabiliter conversatus, in fratrem vestrum et canonicum liberaliter admittatis, ut,præter ipsius obsequium quod vobis utile reputamus, nostram quoque gratiam, si pro eo fuerimus exauditi ,consequamini pleniorem.

Datum Ferentini, II Idus Junii, anno nono.

CVI. (396)

M ABBATISSÆ MONASTERII SANCTORUM INNOCENTII ET ANASTASII IN GANDERSHEIM (397), EJUSQUE SORORIBUS REGULARITER SUBSTITUENDIS.

*Recipiuntur sub protectione.*

(Ferentini, x Kal. Julii.)

Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis,accensis lampadibus,per opera sanctitatis jugiter se præparant ire obviam sponso, sedes apostolica debet patrocinium impertiri,ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, (quod absit !) sacræ religionis enervet. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus,et prædictum monasterium in Gandersheim, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, et in fundo et proprietate Beati Petri noscitur esse constructum in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad exemplar felicis recordationis Agapiti et Joannis,prædecessorum nostrorum,Romanorum pontificum,cum clericis et ministerialibus omnibus ad idem monasterium pertinentibus,sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes,ut canonicus ordo, qui hactenus est observatus ibidem, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum,oblatione fidelium, seu aliis justis modis, parante Domino, poterit adispici,firma vobis et vobis succedentibus ac illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum,in quo prædictum monasterium situm est, cum civitate,moneta, teloneo et foro, ac omnibus pertinentiis suis infra civitatem ; ecclesiam Sanctæ Mariæ, in qua monialium est conventus; ecclesiam Sancti Bonifacii in Brunesthosuse, ubi sunt moniales inclusæ, et præpositus regularis ; monasterium de Clusa, ubi sunt monachi nigri, et ecclesiam S. Georgii, quæ omnes juxta civitatem Gandersheim sunt in fundo et proprietate beati Petri constructæ; villicationem in Denghte, cum ecclesiis et omnibus pertinentiis suis ; villicationem Hollenstod, cum pertinentiis suis; villicationem Herreshusen,cum omnibus pertinentiis suis ; castrum Vanceleve, cum parochia, villicatione, et omnibus pertinentiis suis ; Ericæ, Dennestede ,cum ecclesiis,villicationibus, et omnibus pertinentiis ; villicationem in Gheneldohursen. cum parochia, ecclesiis, et omnibus pertinentiis suis : castrum Bruchen,cum ecclesiis,et quingentis regalibus mansis, forestis, omnique silvaticata utilitate; castrum Dernebruch, villicationem Vochusen, cum ecclesiis et pertinentiis ; Alnelincherot, cum ecclesiis, et moneta, et omnibus pertinentiis ; Crucht, Calchem, Blithestroph, cum ecclesiis, vineis et omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam in Retineroth ; castrum Dalem, cum ecclesiis et omnibus pernitentiis ; ecclesiam in Kericherbech,et capellam in Schusen,et decimas,quas in Coloniensi,Halberstadensi, et Hildesemensi diœcesibus possidetis. Sane,novalium vestrorum,quæ propriis manibus aut sumptibus colitis,vel de nutrimentis animalium vestrorum,nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli quoque,post factam professionem ibidem,fas sit, absque abbatissæ licentia, de eodem loco discedere nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Ad hæc, novas et indebitas exactiones archiepiscopis, episcopis, decanis,archidiaconibus,aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis omnino fieri prohibemus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes canonicorum et capellanorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et cætera ecclesiastica sacramenta,a quocunque malueritis Catholico antistite, communionem et gratiam apostolicæ sedis habente, absque pravitate aliqua nobis præcipimus exhiberi. Prohibemus autem,omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem, præter apostolicam sedem, in vestro monasterio habere aliquam ditionem. Auctoritate namque beatorum apostolorum Petri et Pauli jubemus, ut nullus rex, marchio, comes, vel alia sæcularis persona,licentiam habeat ipsum monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto, juxta quod subjectum apostolicæ sedi privilegii firmitate consistit, inconcusse ditatum permaneat; et locis ac rebus, tam his quas moderno tempore habet, vel possidet, quasque futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit adaugere ex donis, oblationibus,decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Obeunte vero te,nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum aliqua,quæ tibi successerit,nulla ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia, præponatur, nisi quam sorores communi consensu,vel earum pars consilii sanioris,de ipsius collegio monasterii, si idonea reperiatur ibidem, secundum Dei timorem, providerint eligendam. Libertates quoque et immunitates, a prædecessoribus nostris, Romanis pontificibus,monasterio vestro concessas, nec non et libertates, et exemptiones sæcularium exactionum,a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti, etc. Decernimus ergo, ut nulli om-

(396) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(397) Vide epistolas libri octavi 43 et 44, et quæ ibi adnotata sunt.

nino hominum liceat, prædictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum pro quarum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura salva sedis apostolicæ auctoritate et in ecclesiis non exemptis diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, etc., *usque* subjaceat ultioni : Cunctis autem, eidem loco sua jura, etc., *usque in finem.*

Datum Ferentini, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Comesdin, diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, x Kalendas Julii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Inocentii papæ III anno nono

## CVII (398).

..... DE HELWATHESHUSEN, ET... DE HERWETHESHUSEN (399), ABBATIBUS, ET... DECANO PADERBURNENSI.

*Declaratur quod in præscriptione centum annorum contra Ecclesiam Romanam tempora schismatum deducuntur.*

(Ferentini, xv Kal. Julii.)

[Cum vobis] (400) *aliis litteris* dederimus (401) *in mandatis, ut in causa, quæ inter ecclesiam* Hildesemensem (402) *ex una parte, et ecclesiam de* Gandersheim (403) *et Ecclesiam Romanam ex altera, dignoscitur agitari, testes ad probandam præscriptionem recipere debeatis, insinuatione præsentium vobis duximus declarandum, quod, postquam præscriptio contra monasterium supradictum et libertatem ipsius dicitur inchoata, scissura trium schismatum adversus Romanam ecclesiam intervenit.* Licet igitur tam legali quam canonica sit definitione statutum, ut contra *sacrosanctam* Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio spaciali, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vindicare, tempora tamen intercidentium schismatum, quæ secundum juris ordinem cursum præscriptionis impediunt, nolumus aliquatenus computari, sed, diligenti consideratione adhibita, de temporum supputatione deduci.

Datum Ferentini, xv Kalendas Julii, anno nono.

## CVIII (404).

EISDEM.

*Quod super adjudicatione subjectionis monasterii de Gandersheim Ecclesiæ Hildesemensi procedant certo modo* (405).

(Ferentini, xv Kal. Julii.)

[Cum dilectæ in Christo filiæ, abbatissa et sorores Ecclesiæ de *Gandersheim* (406) sua cuperent privilegia renovari, *nobis humiliter supplicarunt, ut personis aliquibus scriberemus, quæ privilegia ipsius Ecclesiæ quæ* (407) propter viarum discrimina *ad nostram præsentiam tute destinari non poterant, inspicerent diligenter, tenorem ipsorum fideliter conscribentes, sigillis eorum signatum, nostro conspectui præsentandum. Verum, nos, earum postulationibus concurrentes* (408) quatuor episcopis et abbatibus totidem *hoc injunximus exsequendum* (409), qui, (410) *apostolico mandato parentes, privilegia felicis recordationis Agapiti et Joannis* (411), *prædecessorum nostrorum*, sibi præsentata (412) *subtiliter inspexerunt, tenorem eorum sub sigillis suis nobis fideliter transmittentes. Venerabilis quoque frater noster, G. Remensis archiepiscopus, tunc episcopus Prænestinus, in partibus illis officium legationis exercens, tenorem privilegiorum ipsorum, sub sigillo proprio, nostro fecit conspectui præsentari.* Nos autem, tam legato (413) quam inquisitoribus fidem debitam adhibentes, licet non videremus quare non deberent eadem privilegia innovari, quia tamen C. majoris Ecclesiæ, et J. Sanctæ Crucis canonici *Hildesemenses, in nostra præsentia constituti, proponebant*, Hildesemensem Ecclesiam in possessione subjectionis ipsius monasterii per centum annos et amplius exstitisse, privilegia ipsa *tunc* (414) non duximus innovanda. *Verum, ut tam monasterio quam ipsi ecclesiæ suam justitiam servaremus, dilectis filiis. . — Pigavien..Corbejen et..de Lapide sancti Michaelis*

(398) Epistola hæc legitur, sed mutila, inter Decretales, lib. II, tit. 20 *De præscriptionibus*, cap. 14, ubi *Hel. et Gu. abbatibus*, directa dicitur.

(399) *De Helwatheshusen*, et *de Herwetheshusen abbatibus.* Sic legendum visum est in Apographo Conti. In Decretalibus, tantummodo *Hel. et Gu. abbatibus* Pithœus, *De Helevartesnen. et de Hel. Wertesnen. abbatibus*, in vet. cod. legi monet, alibique etiam *Helien. et W. abbatibus.* Quæ sint monasteria ad quorum abbates dirigitur hæc epistola, juxta ignorantes nos scire fatemur, ignoscendum forsan, cum nec de nominibus, nec de scribendi modo, consentiant codices.

(400) Quæ sequuntur, hic Italico charactere distincta, desunt in Decretalibus, verum leguntur apud Pith. in add.

(401) Apud Pith. in add. *dedimus.*

(402) Ap. Pith. *Hildensen.*

(403) Ap. Pith. *Gand.*

(404) Epistola hæc legitur, sed mutila, inter Decretales, lib. II, tit. 30, *De confirmatione utili vel inutili*, cap. 4, ubi *decano Paderburnensi* directa dicitur. Notandum, quod eadem est fere ac epistola libri undecimi 84.

(405) Vide epistolam libri octavi 44.

(406) In Decretal. *Garderen.* apud Pith. in marg. al. *Guidion.* al. *Gardenoven.* al *Gerundus.*

(407) Desunt in Decr. In Decret. add. *distantiam et.*

(408) Hœc desunt in Decr.

(409) Decret. legunt *ut ea inspicerent diligenter, et, tenorem ipsorum fideliter transcribentes, sub sigillis suis nobis remitterent, duximus injungendum.*

(410) Quæ sequuntur, hic Italico charactere distincta, desunt in Decretalib. verum, leguntur apud Pith. in add.

(411) Apud Pith. ad. *Pont.*

(412) *Sua præsentia.*

(413) In Decretalibus add. *qui sub sigillo proprio ea nostro fecit conspectui præsentari*, quæ mox *ipsis* addunt post *inquisit.*, et *proposuerunt* legunt pro *Hildesemensis... propon.*

(414) Deest in Decretal.

*lis abbatibus* (415), dedimus in mandatis, ut ad locum idoneum *pariter* (416) accedentes, citatis qui fuerant evocandi, inquirerent super *omnibus* diligentius veritatem, *et, usque ad definitivam sententiam procedentes, gesta omnia, sub suarum testimonio litterarum conscripta, fideliter ad sedem apostolicam destinarent, præfigentes partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Ipsi vero, mandatum apostolicum exsequi cupientes, partes ad suam præsentiam citaverunt; et, cum vellent in causa procedere occasione cujusdam interlocutoriæ quam tulerunt* (417), pars Hildesemensis Ecclesiæ ad sedem apostolicam appellavit, *propter quod judices ipsi in causa procedere nequiverunt* (418). Nuper autem, *partibus in nostra præsentia constitutis*, prædicta periit abbatissa, quatenus deberemus privilegia suæ ecclesiæ renovare, *præsertim, cum in præsentia delegatorum judicum pars Hildesemensis Ecclesiæ nihil ostendere studuerit, vel probare, quod monasterio vel privilegiis ejus in aliquo derogaret* (419). Ex adverso vero, fuit *sollicite* postulatum, ut causam ipsam discretis viris committere dignaremur, qui testes reciperent, quos contra privilegia monasterii et ad probandam præscriptionem legitimam inducere proponebant. Nos *siquidem, diligentius* (420) attendentes, quod jure civili *provida sit deliberatione* statutum ut, quando periculum testium formidatur, ne veritas occultetur, et probandi copia fortuitis casibus subtrahatur, etiam lite non contestata, testes valetudinarii, et alii de quibus ex aliqua causa timetur, ad testimonium admittantur, ejusdem æquitatis similitudine provocati, prædicta privilegia, quasi jam nimia vetustate consumpta, cum fuerint non in pergameno sed papyro conscripta, duximus innovanda; nolentes, quod ex innovatione hujusmodi novum jus monasterio acquiratur, *sed ut antiquum jus* (421), si quod habet, per *innovatum privilegium* confirmetur. Quia vero *prædictum* monasterium ad jus et proprietatem apostolicæ sedis per privilegia prædecessorum nostrorum pertinere monstratur, ne jus Ecclesiæ Romanæ remaneat indefensum, eamdem abbatissam procuratricem ipsius duximus statuendam, ut, cum adversus Ecclesiæ Romanæ possessiones et jura non nisi centenaria currat præscriptio, ipsa super hoc et aliis vice nostra procuret, quæ coram *vobis* (422) fuerint in judicio procuranda. Nolentes igitur, quod de statu ejusdem monasterii diutius dubitetur, *per quod causa ipsa remaneat ulterius indecisa, discretioni vestræ per apostolica scripta* (423) mandamus *atque præcipimus*, quatenus, locum tutum et commodum *eligentes, infra sex mensium spatium post susceptionem præsentium litterarum, recipiatis* (424) testes, quos ad præscriptionem probandam Hildesemensis Ecclesia, vel ad interruptionem ostendendam *Gandersen* (425) cœnobium duxerit producendos; et, si legitimam præscriptionem probaverit, ut intendit, nisi probata fuerint *præscriptio* (426) ex adverso, subjectionem ipsius monasterii adjudicetis *eidem*, cum constet ipsum in sua diœcesi constitutum, privilegium, quod ipsi monasterio innovari fecimus, *corrumpentes*. Alioquin, eidem super hoc perpetuum silentium *imponentes*, monasterium *ipsum pronuntietis* perpetua libertate gaudere, nostro sibi privilegio resignato.] Testes autem, etc. Quod si non omnes. . . duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, xv Kalendas Julii, anno nono.

CIX (427).

. . . EPISCOPO PLACENTINO (428).

*Quod in causa inter Ravennatenses et Faventinos vertente recipiat certum testium numerum.*

(Ferentini, x Kal. Julii.)

[(429) Cum causam, quæ inter *venerabilem fratrem nostrum* (430) . . . archiepiscopum Ravennatensem (431), ac *dilectos filios*, commune Faventinum, (432) *super villa Luci et sancti* Politi (433), *et Castro* Aureoli, *et eorum districtu, honore et jurisdictione noscitur agitari* (434), *diversis judicibus*

(415) Decretal. *Unde judicibus* pro *verum..... abbatibus.*

(416) Deest in Decretal. et mox *his* legunt pro *omnibus.*

(417) Decretal. *a quibus* tantum pro *et usque..... tulerunt.*

(418) Desunt in Decretal. et mox *iterato* legunt pro *partibus constitutis.*

(419) Hæc om. Decretales, ut mox vocem *sollicite.*

(420) Decretal. *igitur*, et mox *fit* legit loco *provita fit delib.*

(421) Decretal. legunt, *sed antiquum* et mox *innovationem privilegii*, et *præfatum* habent pro *prædict.*

(422) Decretal., *te.*

(423) Decretal. om. ut mox *atq. præc.*

(424) Decretal. *eligens. . . recipias.*

(425) Decretal. omittunt.

(426) Decretal. legunt *interruptio*, et infra *episcopo memorato* pro *eidem*, *corrumpendo* pro *corrump.*, *imponens* pro *imponentes*, *pronunties* pro *ips. pronunt.*

(427) Diversa epistolæ hujus fragmenta leguntur in Decretalibus, lib. II, tit. 7, *De juramento calumniæ*, cap. 6; et tit. 20, *De testibus et attestationibus*, cap. 37.

(428) Vide epistolam libri quinti 75, not.

(429) Vide Decret. lib. II, tit. 20, *de testibus* et *attestationibus*, cap. 37.

(430) In Decretal. desunt.

(431) Vide epistolam libri quinti 6, not.

(432) Quæ sequuntur, hic Italico charactere distincta, in Decretal. desunt; verum, leguntur apud Pith. in add.

(433) Apud Pithœum *Potici*, et mox *Areol.*

(434) « Anno 1203, Albertus archiepiscopus Ravennas agit contra Faventinos causa Luci et villæ S. Politi. » Apud Rubeun, lib. VI, pag. 369.

« Anno 1204, terminatio litis inter Albertum, archiepiscopum Ravennatem, et inter communitatem Faventiæ circa jurisdictionem et dominium Luci, S. Politi, Aureoli et aliorum castrorum quæ possidebant Faventini, et econtra prætendebat archiepiscopus. Exstant duæ epistolæ Innocentii papæ III ad episcopum Placentinum, quibus ei committitur causa; quæ inseruntur in Decretalibus ad cap. *Cum causam, ac testibus* et *attestationibus*; et ad cap. *Licet causam de probationibus*. Juxta Tonduc. pag. 235 Sed lis terminata non fuit.

« Anno 1207, *tempore Innocentii papæ, imperio vacante, die secundo mensis Decembris, indictione* X, *Faventiæ, in ecclesia S. Petri*, Ortaudus, præpositus

fuisset a nobis commissa, quia (435) *per eorum aliquos* fine debito non potuit (436) *terminari* (437),] nos, volentes imponere liti finem, venerabili fratri nostro... Feretran. episcopo, et dilecto filio... abbati de Galiata, per nostras tandem litteras dedimus in præceptis, ut, non obstantibus commissionibus hactenus impetratis, omnique occasione ac exceptione cessantibus, trium mensium spatium partibus assignarent, infra quod universos testes producerent, quos super hac causa ducerent producendos, et, diligenter examinatis eisdem, attestationibusque fideliter redactis in scriptis, si de partium procederet voluntate, causam ipsam, mediante justitia, terminarent; alioquin, attestationes cum instrumentis et aliis rationibus ad nostram præsentiam remittentes, præfigerent partibus terminum competentem, quo B se nostro conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Cum igitur delegati prædicti minime processissent, (438) [nos partibus dedimus in mandatis, ut pro ipsa causa nostro se conspectui præsentarent, quarum procuratoribus cum instrumentis de rato in nostra præsentia constitutis, *cum aliquandin super litis contestatione, receptione quorumdam testium, et multis exceptionibus fuisset in nostra præsentia disputatum, nos tandem* (439) petitionem ipsius archiepiscopi per procuratorem ejus fecimus exhiberi, et ad eam partem alteram respondere, ac, interrogationibus et responsionibus redactis, in scriptis, et lita coram nobis plenissime contestata, juramentum calumniæ fecimus utriusque præstari.] [(440) Quia vero utriusque parti nimis existeret onerosum, ut testes producerent coram nobis, *fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta præcipiendo* mandamus, quatenus, C *infra tres menses post susceptionem præsentium*, recipias, *appellatione remota*, testes, quos utraque pars, tam per principali negotio, quam in personis testium duxerit producendos, ac eos diligenter

A examinare procures, et, de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, auditu, visu, scientia, credulitate, fama et certitudine, cuncta plene *ac studiosa* conscribas, et *ea nobis fideliter sub tuo sigillo transmittas, injungens partibus, ut ad præsentiam nostram veniant sic instructæ, quatenus, attestationibus publicatis, et instrumentis exhibitis, postquam sufficienter fuerit allegatum, justam a nobis sententiam, Deo auctore, reportent.* Testes autem, etc. Quod si forte Faventini, vel alii, eos, quos dictus archiepiscopus ad perhibendum testimonium veritati duxerit producendos, præsumpserint impedire, tu ipsos ab hujusmodi præsumptione cessare, *monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota,* compellas. Volentes autem effrenatam multitudinem testium refrenari, *præcipiendo mandamus quatenus* (441) hinc inde quadragenarium numerum testium excedere non permittas, ita videlicet, ut, si Faventini testium depositiones ratas habere voluerint, quæ a *venerabili fratre nostro*... Ferrariensi episcopo et abbate *Pomposiano*, receptæ fuerunt, testes ipsi computentur in numero prælibato; alioquin, cum attestationes ipsæ sint clausæ, eidem testes iterato, si necessa fuerit, producantur.]

Datum Ferentini, x Kalendas Julii, anno nono.

CX (442).

W. NIVERNENSIS (443) EPISCOPO, ET H. ARCHIDIACONO BITURICENSI.

*Causam W. burgensis cujusdam de Charitate, de hæresi suspectis, ipsis committit* (444)

(Ferentini, Kal. Junii.)

[Litteras vestras recepimus continentes, quod, cum causa, quæ *vertebatur* (445) inter *venerabilem fratrem nostrum*.... (446) Altissiodorensem episcopum, et quosdam burgenses de Charitate (447), quos idem episcopus de hæresi impetebat, vobis (448) et *dilecto filio*. .. (449) abbati *Callo-*

ecclesiæ Faventinæ, Et Martinus Auliverii compromiserunt in domnum Thebaldum sapientem, de lite quæ erat inter eos, Theophilo Faventino notario. Ex chartis Azzuriniis, Sacc. IV.

« Anno 1207, Ægidius archiepiscopus Ravennas, recipit ab Anastasio 700 libras Ravennates expendendas in causa cum Faventinis, circa nimirum Lucum. S. Polititum et Aureolum. Ex Tabut. archiep. Ravennæ, cap. D. 931, 942. » *Monum. Faventin.* apud Mittarellum, *Accession. Vacentin.* col. 463 et sqq.

D

(435) *Duximus committendam.*

(436) *Nec potuisset.*

(437) Hactenus in Decretalibus et apud Pithœum-

(438) Decret. lib. II, tit. 7. *De juramento calumniæ*, cap. 6.

(439) Hæc in Decretal. desunt.

(440) Ibid. tit. 20, *De testibus et attestationibus*, cap. 37. Quæ Italico charactere infra distinguuntur desunt in Decretal.

(441) Decr., *volumus ut hinc inde,* quæ mox om. *ven fr. n.* et infra *Pompon* pro *Pomposiano* legunt.

(442) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. II. tit. 23, *De præsumptionibus*, cap. 14.

(443) Vide epistolam libri quinti 11, not.

(444) De argumento istius epistolæ, vide epistolas, libri secundi 63 et 99, libri quinti 36, libri sexti 66 et 239.

(445) In Decretal. *vertitur*, quæ mox om. *ven. fr, n.* et verba *dil. fil.*

(446) Vide epistolas, libri tertii 20; et libri noni 104.

(447) Robertus, S. Mariani Altissiodorensis monachus, *in Chronologia. edita Trecis, anno* 1608, *a Nicolao Camusato, canonico Trecensi.* f° 95; « Anno 1198.... apud vicum qui dicitur Charitas, quidam viri prædivites, hæresis Populicanæ notabiles cum se absentassent die quo citati fuerant, ut ab hac infamia se purgarent, ab Ecclesia sunt præcisi, et expositi publicæ potestati. »

Idem, f° 101 et 102: « Anno Domini 1206, Hugo, Altissiodorensis episcopus, Romam profectus, ibidem obiit..... hæreticos, quos Bulgares vocant, vehementer studuit insectari; ejusques instantia actum est, ut plerique rebus suis exinanirentur, exterminarentur alii, alii cremarentur. »

(448) Scilicet Nivernensi episcopo; vid. epist. Innocentii supra, not. 444 laudatas. Idem Robertus monachus, pag. ead. « Apud urbem quoque Nivernis abbas S. Martini, et decanus majoris Ecclesiæ, de hoc pestilentissimo errore notati, episcoporum sistuntur concilio Senonis convocato; ibique abbas deponitur, decanus suspenditur, et sic ad apostolicam sedem destinantur. »

(449) *Abbati Callovii* In Decretalibus, *abbati Callonensi;* ubi Pithœus in notis: « V. C. *Colomnensi*

vii (450), a sede apostolica delegata fuisset, utraque pars *tandem, ut negotii prolixitas posset facilius expediri*, vos duos sub certa pœna sibi arbitros statuerunt, delegata vobis potestate nihilominus reservata. *W.* (451) autem, lator præsentium, unus ex illis, *quos præfatus episcopus impetebat*, hæresim suam apud Charitatem fuerat publica voce confessus, et de *quodam* fratre suo similiter recognoverat, quod eodem secum laborabat errore] (452) *Qui cum de fide sua coram venerabili fratre nostro..... Bituricensi archiepiscopo, conveniretur, eique purgatio facienda per eumdem W. qui vere pœnitens et catholicus credebatur, esset indicta* (435) *ipse W. fratrem suum, quem publice asseruerat* esse (454) *hæreticum, præstito juramento*, purgavit (455, *et sic a præfato episcopo duo contraria proponebatur dixisse; unde ab* ipso *et perjurus et hæreticus censebatur. Econtrario vero idem W. preposuit, quod licet de se publice confessus fuisset, nihil tamen fuerat de fratre confessus, unde bene poterat illum purgasse, maxime cum a duobus capellanis de Albiniaco* (456), *qui conscientiam illius noverant* (457), *audivisset, quod tanquam Catholicum poterat illum secure purgare*, quorum (458) *litteras postea vobis ostendit, sed episcopus super eo quod de fratre negaverat protinus eum, per se ipsum et unum presbyterum et alium diaconum, coram vobis convincit;* unde ipsum relapsum *in hæresim* appellabat. *Vos igitur* has *in prædicto W. contrarietates notabiles attendentes, ipsum cum litteris vestris ad nostram præsentiam transmisistis, bonis ejus interim adnotatis, donec de persona ejus et bonis, quod statuendum foret statuere curaremus*; *adjicentes, quod cum idem W. apud vos cum quibusdam instaret, ut purgationem reciperetis ipsius, sicut aliorum quorumdam, vos juramentum ejus*, quia (459) *sibi contrarius videbatur, admittere noluistis*, purgatione tamen pro *eo per* octavam manum (460) *bonorum virorum admissa. Quia vero vulpeculæ, quæ molintur vineam Domini demoliri, sagaci sunt, studio capiendæ, nam vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos.* [ (461) *nos, ex his quæ præscripta sunt, sæpedictum W.* (462) suspectum de hæresi vehementer *habemus*, tum quia quod ante dixerat, postea se dixisse negavit, *sicut convictus est coram vobis* tum quia vel mendacium prius dixit in fratrem, asserendo illum hæreticum, vel perjurium postea commisit in Deum, purgando illum de hæresi, quorum utrumque reddit illum valde suspectum, quanquam verisimilius videatur, quod eo tempore, quo tanquam vere pœnitens ab hæresi revertebatur ad fidem, tam grave mendacium non dixisset, præsertim in fratrem, quem *ubique tanquam legitimum* (463) non asseruisset hæreticum, nisi fuisset accensus zelo fidei orthodoxæ; unde præsumitur, quod cum postea purgavit illum de hæresi, turpiter pejeravit. Quocirca, *discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo* (464) mandamus, quatenus, cum propter solam suspicionem, quamvis *utique* vehementem, nolumus illum tam de gravi crimine condemnari talem et tantam securitatem *recipientes* ab ipso, præter juratoriam cautionem, quod timore pœnæ temporalis debeat coerceri, discretam ei pœnitentiam *injungatis*, ex qua valeat apparere, utrum in tenebris ambulet an in luce; utrumve sit vere pœnitens, ac ficte conversus; et, si eum hoc modo *vere* Catholicum cognoveritis, non sinatis ipsum indebite molestari; alioquin eum tanquam hæreticum condemnetis.]

Datum Ferentini, Kalendis Junii, anno nono.

## CXI.

...., EPISCOPO (465) ET MAGISTRO GUIDONI, ARCHIDIACONO LEMOVICENSIBUS ET..... ABBATI BULIENSI (466) LEMOVICENSIS DIOECESEOS.

*Causam, inter abbatem conventumque Mauziacenses ab una, et Templarios de Torreta ab altera parte, super decimis terrarum de Sancolt vertentem ipsis committit.*

(Ferentini, Kal. Julii.)

Accedentibus ad præsentiam nostram dilectis fi-

---

alius *Colonensi*. al. *Colonicensi*. Columna ordinis Cisterciensis, diœceseos Bituricensis. » *Columnæ* monasterium, diœceseos Bituricensis, nobis ignotum esse fatemur. Certe, nec in peculiari tam veterum quam adhuc existentium, in Bituricensi diœcesi monasteriorum, apud novæ Galliæ Christianæ auctores, tom. II, serie, nec in generali Galliarum abbatiarum apud Sammarthanos, tom. IV, indice, *Columnæ* nomen nusquam reperitur. Legendum igitur omnino, prout hic exhibemus, *Callovii*; quod quidem nomen est monasterii Bituricensis diœceseos, Gallice *Chalivoy*. Monasterii hujus abbas Armandus I, post Bernardum (cujus nomen in chartis legitur ante annum (1168), reperitur in instrumentis ab anno 1220 ad annum 1233. *Gall. Christ.* nov. tom. II, col. 193.

(450) Decret., *Callonensi*. et mox. om. verba *tandem... expud.*

(451) Decretal. G., quæ om. verba *quos præf.... impet.* et *quodam.*

(452) Quæ sequuntur, hic Italico charactere distincta, in Decrelalib. desunt; verum, leguntur apud Pith. *in add.*

(433) Apud Pith. add. *tunc.*

(454) Deest.

(455) Pith., *Catholicum esse firmavit*, et mox *episcopo* legit pro *ipso.*

(456) Pith. in not. marg. *Aubigny*, Gallice.

(457) Apud Pith. add. *se dicat.*

(458) Pith. *qui eorum* mox voculam *se* omittit, et infra *prolapsum* legi pro *unde ip. rel.*, *asserebat* pro *appell.* voculam *has* non habet.

(459) Pith. eo quod.

(460) Pith. *manum* VIII.

(461) Quæ sequuntur, uncis inclusa, in Decretalibus reperiuntur.

(472) In Decretal. *prædictum G.*, et mox *habuimus* pro *habemus.* Sequentia omittunt, *sic con. v e. c. v.*

(463) Decretal. legunt. *tanquam charissimum.*

(464) Decretal. om. ut mox *utique*. Infra *recipiatis* legunt pro *recip.*, *injungentes* pro *injung.*, *verum* pro *vere.*

(465) Vide epistolam libri quinti 78, not.

(466) « Geraldus, abbas Buliensis, anno 1200; cujus meminit Necrologium IX Kal. Novembris.

« VI. Bargudus, *seu* Bargaudus memoratur in Obi-

liis, magistro Zacharia..... abbatis (467) et conventus Mauriacensium ex una parte, et fratre Petro, Templariorum de Torreta, procuratoribus ex altera, dilectum filium, J. subdiaconnm et capellanum nostrum dedimus auditorem, coram quo procurator abbatis et monachorum proposuit, quod, cum decimas terrarum de Sancolt diu possederint in quiete, antequam ad Templariorum potestatem et dominium pervenissent, et etiam postquam Templarii terras acquisiere prædictas, dicimas earumdem per quadraginta annos et amplius pacifice percepissent, nec eis ipsas decimas subtrahere non verentur, in aliis eisdem graves injurias irrogantes, et, licet super his nostras litteras impetrarint, et interdum in arbitros fuerit compromissum, Templariorum impediente malitia, nequiverunt hactenus suam justitiam obtinere. Ex adverso vero, Templariorum proposuit procurator, quod, cum privilegiis Romanorum pontificum sint muniti, ne de terris, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, decimas solvere teneantur, prædicti abbas et monachi ipsos super hoc indebite molestare non cessant, in aliis eis injuriosi plurimum existentes. Cumque causam, quæ inter ipsos et præfatos monachos super decimis ipsis vertitur, venerabilibus fratribus nostris.... Bituricensi archiepiscopo (468) et..... epsicopo Claromotensi (469), duxerimus committendam, dum coram illis quæstio tractaretur, quidam monachi, adhibita sibi multitudine armatorum, terras ipsorum violenter intrantes, de segetibus eorum pro suæ voluntatis arbitrio asportarunt, igne residuum comburentes. His igitur et aliis, quæ coram prædicto capellano fuere proposita, plenius intellectis, quia de ipsis nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus. quatenus, inquisita plenius veritate, si abbas et monachi sufficienter ostenderint, quod a Templariis decimas de terris prædictis per quadraginta annos continue perceperint, sine lite, vos ad præstationem decimarum ipsorum, Templarios, appellatione postposita, compellatis. Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solverint, ipsis renuntiasse tacite præsumuntur. Si vero in probatione defecerint, ab ipsorum impetitione Templarios absolvatis, ipsis super hoc, appellatione postposita, perpetuum silentium imponentes. Super aliis autem audiatis, quæ hinc inde duxerint proponenda; et quod justum fuerit, appellatione postposita, facientes quod statueritis per censuram ec- A clesiasticam firmiter observari. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Ferentini, Kalendis Julii, anno nono.

CXII.

HUGONI SANCTI GENCULFI TULLENSIS, ET W. LIBERDUNENSIS ECCLESIÆ ET LAMBERTO LINCIEN. TULLENSIS DIOECESEOS CANONICIS.

*Causam, inter G. presbyterum ab una, et abbatem Sancti Leonis Tullensis ab altera parte, super exspoliatione beneficii de Nais vertentem, ipsis committit.*

(Ferentini, VII Idus Julii.)

Causam, quæ vertitur inter G. presbyterum ex una parte, et abbatem Sancti Leonis Tullensis (470), et canonicos suos ex altera, super exspoliatione cujusdam beneficii Ecclesiæ de Nais cum pertinentiis B suis, quod a dicti abbatis antecessore idem presbyter se canonice proposuit assecutum, vestro, dilecti filii, Hugo Tullensis, et W. Liberdunensis canonici, commisimus examini terminandam. Verum, cum eumdem presbyterum in possessionem ipsius inducere beneficii curassetis, occasione quarumdam falsarum litterarum, quo nostro nomine ad Median. monasterii (471), et de Senonia (472) abbates, et... priorem Belli-Loci dirigi videbantur, a possessione ipsa idem conquerens est ejectus, juris ordine non serveto. Quia vero litteras illas revocatorias, pro eo quod dicebatur in eis causam ad nos per appellationem delatam ab audientia judicum, qui, ex delegatione nostra, de causa cognoscebant eadem, vobis committimus C terminandam, suspectas habemus, cum potius in litteris nostris negando quam affirmando dicamus, ab audientia judicum, qui non ex delegatione nostra de causa cognoscebant eadem, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus tam de Bulla litterarum ipsarum, quam de litteris ipsis inquiratis diligentius veritatem, et, si inveneritis ita esse, vel aliter de perpetrata vobis constare poterit falsitate, illos, qui talibus litteris usi fuerint, pœna contra falsarios edicta punientes, quidquid in præjudicium memorati presbyteri minus legitime noveritis attentatum, remoto appellationis obstaculo, in irritum revocetis, in ipsa causa juxta priorum litterarum continentiam, mediante justitia, processuri. Testes autem nullis litteriis, etc. Quod si non omnes.... D duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, VII Id. Julii, anno nono.

—

tuario VII Idus Martii; vivebat autem circa annum 1209. » *Gall. Christ.* nov. tom. II, col. 632.

(467) Vide epistolam libri noni 88, not.

(468) Vide epistolam libri tertii 43, not.

(469) Vide epistolam libri quinti 136, not.

(470) « VII. Clemens, abbas S. Leonis Tullensis, Ecclesia de Manili a Matthæo episcopo donatus fuit anno 1204. Notatur in Necrologio IV Aprilis.

« VIII. Hervimus reperitur anno 1214 in Charta Henrici, comitis Barrensis; in Necrologio dicitur octavus abbas. » *Gall. Christ.* nov. I. XIII, col. 1107. Vide epistolam libri sexti 212, not.

(471) Simon, abbas Mediani monasterii, reperitur in instrumentis ab anno 1193, usque ad annum saltem 1206, *Gall. Christ.* nov. tom. XIII, col. 1404.

(472) Henricus I, abbas Senoniæ, rexit annis viginti, ab anno 1204 usque ad annum 1225. *Ibid.* col. 1388.

CXIII (475).

........ GENADIENSI EPISCOPO, ET..... ABBATI DE CIKEDOR. (474).

*Quod episcopum Quinquecclesiensem, delatum falso crimine, protegant et defendant* (473).

(476) [Cum in juventute sua *venerabilis frater noster*, O. (477), Quinquecclesiensis episcopus, adeo se maturum, honestum et providum exibuerit, ut, *propter suavem suæ probitatis odorem*, ab Ecclesia Romana meruerit *ornamento pallii* decorati, non est de levi credendum, quod, postquam ad senilem *pervenerit* ætatem, turpiter abjiceritjugum Domini, fetores *et fœditates* (478) libidinis amplexando; cum labes hujusmodi, quæ nonnunquam in juventute contrahitur, in senectute frequentius expietur. Quis, præterea, de facili crederet, quod vir præditus scientia litterarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se converteret, ut cum propria nepte abominabilem, perpetraret incestum, cum etiam secundum sententias ethnicorum, naturale fœdus inter tales personas nihil permittat sævi criminis suspicari? Licet igitur *illustris memoriæ rex Hemericus* (479) eumdem episcopum nobis *interdum* per nuntios et litteras de tali crimine detulisset, *suppliciter* postulans *et instanter*, ut malum hujusmodi perniciosum *extemplo* (480) de Hungarica Ecclesia tollaremus; quia tamen ejus suggestio, non de charitatis radice, *sed ex odii fomite* procedere videbatur, *cum ipsum tanquam inimicum persequi non cessaret, sicut est in tota provincia manifestum*, noluimus aures nostras quasi malignis delationibus inclinare; sed, ut probaremus *spiritus si essent ex Deo bonæ memoriæ... Geuriensi* (481) episcopo, dedimus in mandatis, ut prudenter et caute a coepiscopis indagaret utrum *prædictum* (482) episcopum crederent tali labe respersum; qui nobis postmodum rescripserunt, quod eum virum honestæ conversationis esse credebant, personam ipsius multipliciter commendantes (483). ]

A [Quia vero pater filium, quem diligit, corripit, nos *eumdem episcopum per nostras litteras corripuimus, injungentes eidem ad majorem cautelam* (484), ut, ab illius familiaritate cessando, *apud Deum et homines* (485) taliter se haberet, quod sinistra de ipso suspicio non posset haberi, sed inimicus homo, rescriptum litterarum *illarum* subripiens, apud *prædictum* regem et regni magnates ipsum nequiter publicavit, ut sic *idem episcopus* deberet amplius infamari, *cum videretur esse nobis incredibilis et suspectus;* unde, nos, tantam æmulorum nequitiam attendentes, licet pusalti fuerimus multoties contra eum, nunquam tamen adversus ipsum potuimus commoveri, scientes quod facile *dominum* (486) sequitur multitudo. Ubi vero idem

B episcopus ad Strigoniensem metropolim exstitit postulatus, quidam, qui super ipsa postulatione adversabantur eidem, ut promotionem ipsius facilius impedirent, illius criminationis carbones reaccendere sunt moliti; unde quidam procurator ipsius, in nostra præsentia constitutus, de consilio *quorumdam* amicorum suorum, qui super hoc bonum *quidem* zelum habebant, sed non secundum scientiam, cœpit *a nobis, in præsentia fratrum nostrorum*, cum instantia postulare, quatenus eidem episcopo purgationem canonicam faceremus indicii ut suam innocentiam demonstraret. Nos autem, postulationem hujusmodi minus providam, *imo nimis improvidam reputantes*, procuratorem ipsum ab ea sæpe voluimus revocare, (487) *tum quia sæpefatus episcopus non videbatur apud bonos et graves de illo*

C *crimine infamatus, cum coepiscopi sui* (488) *super hoc ex mandato apostolico requisiti, laudabile testimonium de ipso nobis curaverint perhibere; tum quia talis infamatio videbatur ab inimicis et æmulis processisse, sicut superius est expressum. Unde cum anteacta ejus vita* commendabilis (489) *appareret, et hujusmodi facinus incredibile videretur, non credebamus ei purgationem aliquam* (490) *indicendam.* Cæterum, quia procurator instabat, compulsi fuimus non juris necessitate, sed importunitate petentis, ut

(473) Diversa epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales; 1° lib. II, tit. 29, *De præsumptionibus*, cap. 13; 2° lib. V, tit. 34, *De purgatione canonica*, cap. 12. Quæ utrobique leguntur, hic uncis inclusa sunt, variæ etiam lectiones appositæ. Eamdem legere est, sed mutilam, in Regesto anni XIII, n° 12, apud Baluzium, tom. II, pag. 415, ubi ex Regesto hujus anni IX repetita dicitur.

(474) In Decretalibus. *Genadiensi* episcopo et abbati *Deciquorum* directa legitur. Pithœus, in notis; « Chionadensis et Cenadiensis meminit taxa vetus beneficiorum. » Pro *Deciquorum* legitur alibi *de Ciquedor*, aut *de Ciquor*. Verum, in Regesto anni VIII, n° 98, *de Stekedor*.

(475) De argumento hujus epistolæ, vide epistolas libri sexti 196, libri septimi 159, 225; libri octavi 88, 98, 139, 140.

(476) Vide decretales, lib. II, tit. 23 *De præsumptionibus*, cap. 15.

(477) In Decretal. desunt, ut mox *p. s. s. p. o.*; infra *pallio* legunt pro *orn. pall. et pervenit* pro *perv.*

(478) Decretal. om.

(479) Decretal., *rex Hungariæ*, et infra om. verba *interdum, suppliciter, et instanter.*

(480) Decretal. legunt *exemplo*, et mox om. *s. e. o. f.*, et verba *cum... manif.*

(481) *Si spiritus esset ex Deo, Auriensi.* Pithæus, in not. marg. alias monet, *Januensi.*

(482) Ommittunt Decretal.

D (483) Huc usque in Decretal. lib. II, tit. 23, cap. 15.

Quæ sequntur, reperiuntur ibid. lib. V. tit. 34, *De purgatione canonica* cap. 12.

(484) *Quinctien.* [*al.* ut monet Pithæus in not. *Quinquecclesiensi*] *episcopo, per litteras nostras ad majorem cautelum injunximus.*

(485) Desunt in Decretal, ut infra Italico charactere distincta.

(486) Decretal., *dictum unius.*

(487) Quæ sequuntur, hic Italico charactare distincta, in Decret. desunt; verum. leguntur apud Pith. in add.

(488) Apud Pith. *episcopi.*

(489) Idem, *laudabilis.*

(490) Apud Pith. add. *amodo.*

per vos ei purgationem canonicam, cum duobus *episcopis et tribus* (492) abbatibus mandaremus indici, quamvis *eidem procuratori* fuerimus potestati, quod ex alia *quoque* causa talis petitio minus provide tunc fiebat, quia *videlicet* Strigoniensis Ecclesiæ suffraganei vix eo tempore purgarent eumdem, quia in facto postulationis contradicebant eidem, et suffraganei Colocensis Ecclesiæ ipsum minime tunc purgarent; quia inter eum et Colocensem archiepiscopum, de Strigoniensi metropoli contentio vertebatur. Unde, cum non sint alii pontifices in Hungaria, merito videbatur quod per episcopos regni sui non posset in illo articulo se purgare. Propterea, non absurde præsumitur a quibusdam, quod id non tam pro ipso, quam contra ipsum, petebatur in fraudem, præsertim, cum ipse non mandaverit hoc petendum. Ex litteris autem unius vestrum accepimus, quod, cum relinquus in expeditione cum rege in Ruteniam processisset, idem episcopus, ad præsentiam ejus accedens, unum de coepiscopis secum adduxit, qui eum purgare volebat; et alius de coepiscopis scripsit illi, quod cum foret ab ea, qua detinebatur, ægritudine liberatus, ad ipsum procederet expurgandum, sed in recipienda purgatione procedere noluit, tum quia collega ejus tunc temporis erat absens, tum quia unus de compurgatoribus erat ægrotus, rescribens nobis, si bene recolimus, quod, licet idem episcopus se posset honeste purgare, purgatione tamen minime indigebat, maxime, cum, cessante causa, cessaret effectus. Inde siquidem fuit, quod nos mandatum purgationis cum duximus iterandum, cum et charissimus in Christo filius noster, A. rex Hungarorum illustris, eum nuper per suas litteras valde nobis reddiderit commendatum, asserens, quod invidiose fuerant contra eum talia excogitata figmenta. Sed, illud certissime protestamur, quod, si pontifices illi, qui, cum verbum super hoc motum fuisset, personam ipsius, velut excusantes eumdem, nobis multipliciter commendarunt, cum ab eodem forent episcopi requisiti, nollent ipsum purgare, nobis se redderent, vel de mendacio, vel de odio valde suspectos, possentque de jure motum indignationis apostolicæ formidare, præsertim, hi, qui se illum promiserant purgaturos; nam de abbatibus nulla est difficultas. Cum ergo nos eumdem episcopum sincera diligamus in Domino charitate, utpote qui eum hactenus in Ecclesia Dei columnam immobilem novimus perstitisse, nec cadere posset absque gravi et grandi ruina, majori forsan Ecclesia, quam personæ, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, quantumcunque deceat, vel expediat, ut idem episcopus adhuc satagat se purgare, quamvis per ipsum non steterit, quominus purgaverit semetipsum, quando purgationem curavit offerre, non ut ratum haberet, quod a nuntio suo fuerat procuratum, sed ne mandatum apostolicum contemnere videretur, si tamen videritis contra eum studia concinnari maligna, non sinatis ipsum iniquis machinationibus conculcari, quia vehementer præsumimus ex verisimilibus conjecturis, quod aliqui contra eum invidia torqueantur, dejectionem ipsius exaltationem propriam æstimantes: significaturi nobis, cum expedire videritis, de singulis circumstantiis veritatem.

Datum Ferentini, Nonis Julii, anno nono.

CXIV.

..... CUMANO EEISCOPO (492).

*Quod possessiones suas illicite alienatas revocet.*

(Ferentini, v Idus Julii.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc. *usque* perducatur effectum. Cum autem, sicut ex parte tua nostro apostolatui est suggestum, quidam prædecessores tui nonnullas possessiones, et redditus commissæ tibi Ecclesiæ in enorme ipsius dispendium alienare præsumpserint, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut ea quæ ab ipsis male alienata sunt, vel distracta, ad jus et proprietatem ipsius Ecclesiæ tibi liceat legitime revocare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis paginam infringere, etc. si quis autem, etc.

Datum Ferentini, v Idus Julii, anno nono.

CXV (493)

ODEONI (494) ABBATI MONASTERII SANCTI VEDASTI ATREBATENSIS, EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Confirmantur bona et statuta dicti monasterii.*

(Ferentini, VI Kal. Julii.)

Sicut irrationabilia prædecessorum statuta successoribus convenit moderamine ecclesiasticæ disciplinæ corrigere, ita nihilominus eos decet bene acta firmare. Ex gestis siquidem recolendæ memoriæ Stephani papæ perpenditur evidenter, quod, cum religiosus et Deo amabilis beatus Vindicianus, Atrebatensium vel Cameracensium episcopus, et Carolomagnus monachus, Pipini frater, beatorum apostolorum Petri et Pauli limina visitarent, ab eodem Romano pontifice postularerunt (495), quatenus

(491) In Decretalibus desunt, quæ sequuntur italico charactere notata.

(492) Ardizzoni II, Cumano, *al.* Comensi episcopo, (de quo vide epistolam libri quinti 144), anno 1204 defuncto. successor datus fuerat Guillelmus de Turre Mendritii, qui per viginti annos strenue ac cum laude prudentiæ Comensem administravit Ecclesiam. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. V, col. 291.

(493) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(494) Odo, ex abbate Marcianensi, hoc ipso anno 1206. juxta auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. III, col. 386, successor datus fuerat Raimundo abbati S. Vedasti; cum istius avaritiam abominatus pontifex, Vedastinique Asceterii miseratus, indignum eo gradu hominem amoveri præcepisset. Occubuit Odo post annos 22 regiminis, vitæ 64, anno Christi 1228, die S. Calixti papæ.

(495) Locus notatu dignissimus. Vindicianum, Cameracensium et Atrebatensium episcopum, temporibus Stephani papæ limina apostolorum visitavisse, et ab eodem pontifice privilegium confirmationis obtinuisse, memorat Innocentius; idque *ex*

monasterium beati confessoris Christi Vedasti apo- A stolico privilegio communiret. Contigerat siquidem, quod rex Francorum Theodoricus, qui, pro remedio animæ suæ et antecessorum suorum regum, eidem monasterio Beati Vedasti multa et magna regali munificentia contulerat, prædictum Vindicianum episcopum, una cum episcopis et abbatibus, ad generale Placitum, compendii, in palatio regio, habitum, convocaret, quatenus quæcunque idem rex beato Vedasto regio contulerat munere, prius suo episcopali, deinde apostolico privilegio satagerent communiri. Ipse vero Vindicianus episcopus, petitioni regiæ libenter annuens postulata concessit, et scripto sub testibus roboravit, ipsum insuper locum, nobiliacum appellatum, sicut ipse in suo privilegio confitetur, hactenus ad se B pertinentum et sibi subjectum, a civitate et episcopio suo sequestravit, juri apostolico mancipandum (496). Hac igitur occasione clementiam apostolicæ memoriæ prædecessoris nostri, Stephani papæ, adiens (497), quoniam justa et rationabilia postulabat, facile impetravit. Unde et nos, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædecessorum nostrorum, felicis memoriæ Paschalis, Innocentii, Eugenii, Alexandri, Cœlestini ac Stephani memorati, Romanorum pontificum, qui primus monasterium vestrum de manu Sancti Vindiciani episcopi in jus beati Petri assumpsit, vestigiis inherentes, nos quoque prædictum monasterium Sancti Vedasti Atrebatensis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus atque jure, auctori- C tate apostolica decernentes, ut episcopi deinceps nullam molestiam abbati, vel fratribus ipsius cœnobii, inferre præsumant, sed potius, perpetua securitate et quiete gaudentes, tam ipsi, quam ea quæ ad idem monasterium pertinet, absque alicujus gravamine seu perturbatione illibata persistant; statuentes etiam, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda: Ecclesiam videlicet et villam Hasprensem, cum altaribus et D ejusdem ecclesiæ appenditiis, videlicet altare de Moncellis, altare de Alchirn, de Mosterellis Curia, altare de Cisennis, duas garbas decimales cum decima de Fossis, altare de Lovennis, altare de Onelios et Donisel, altare de Mulli, altare de Haimoncanoit, altare de Haumala, decimam de Juverre, in Robertumcultura et Wattericultura; Teloneum vero de omni negotiatione in Atrebatensi civitate facta, et obstagia domorum unusquisque, secundum antiquam consuetudinem vobis exsolvat; in Anzinio duo molendina; in Dominicacurte, tria molendina cum vivario; in Mellens, quatuor molendina cum vivario; in Blangi, quatuor molendina cum vivario; in Althiez, quatuor molendina cum vivario; apud Pabulam, unum molendinum cum vivario; in Biarche, duo molendina cum vivario; tria quoque molendina infra muros Atrebatensis civitatis, supra fluxium Crinsionis; ecclesiam Bercloensem, cum altaribus suis, videlicet de Douretin, Billi, Baluin, Provinz, Markelies, Merenies, Serkingehem cum Herberia; ecclesiam de Gorea, cum appendiciis suis; capellam Sancti Mauricii; altaria tria in Morinensi episcopio sita, Lengehem videlicet, et Rombli, et Estrees, cum aliis possessionibus confirmamus; et has villas cum appendiciis suis, Montes in Papula, Amolicum, Murchim, Servin, Mares, Tilloit, Ransart, Burcurt, Moilens, Valles super Summam fluvium, Berni, Puteas aquas, Angicurt, Pons, Campeiolas, Arven, medietatem vineæ in suburbio civitatis Atrebatensis; Cambac, et Ecclesiam de Vulfara in Batua, cum appendiciis suis, mediatatem de Rikeburc, et terram juxta mare sitam, quam Willelmus, Bethuniensis advocatus, concedente comite Flandrensi Theodorico, pro commutatione reliquæ medietatis de Rikeburc vobis dedit, et Curtem, quam apud Sentines juxta mare noviter ædificastis, cum appendiciis suis, vobis auctoritate apostolica nihilominus confirmamus. Præterea, omnes terras monasterii vestri, quandiu propriis sumptibus excolitis, eas liberas a Gavelo, secundum antiquam et rationabilem consuetudinem, esse censemus. Sane, de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Decimas quoque, quas a quadraginta retro annis usque nunc pacifice possedisti, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Duas quoque ecclesias Beati Petri et Beatæ Mariæ, infra castrum

*Gestis Stephani papæ evidenter perpendi* asserit. Vindicianum episcopales infulas gessisse ab anno saltem 669, nec ultra annum 712 vitam produxisse, certo certius ex monumentis historicis colligitur; vide novam *Galliam Christianam*, tom. III, col. 7. Verum, ab anno 669 usque 712, nullum, nomine Stephanum, papam reperire est, quem adiisse poterit Vindiciamus. Vide infra notam.

(496) Instrumentum, de quo hic agitur, notum est, sed de ipsius sinceritate valde dubitatur. Vide quæ adnotata sunt in nova diplomatum ad res Francicas spectantium editione, tom. I, pag. 286, n° 112.

(497) Habemus equidem, et Vindiciani epistolam ad summum pontificem Joannem V, qua ipsum rogat episcopas, ut donationis suæ chartam confirmare dignetur, et ipsius summi pontificis confirmationem obtentu episcopi emissam, duo sane instrumenta sublestæ fidei, quæ legere est etiam loco supra, not., laudato. In utroque instrumento, summus pontifex ad quem scripsit Nindicianus, *Joannes* diserte nominatur. Num igitur in hac nostra Innocentii epistola *Joannis* pro *Stephani* legendum foret? Verum, nec sic evanesceret omnino omnis difficultas; cum in illis, cujuscunque fidei, instrumentis, et Vindicianus velut absens ad pontificem scribere, et pontifex ipsi velut absenti confirmationis privilegium mittere, videantur.

sitas, in eadem libertate qua et monasterium vestrum esse censemus, et capellas duas in Atrebaten., videlicet Sanctæ Crucis, et Sanctæ Mariæ in Orto, vobis nihilominus confirmamus. Sane, altaria infra scripta de episcopio Atrebatensi, vestro monasterio pertinentia, juxta constitutionem prædecessoris nostri, Urbani papæ secundi, et pacificam compositionem Lamberti, quondam Atrebatensis episcopi, et Allodii, quondam vestri abbatis, ab omni personatu libera fore decernimus, vobisque possidenda firmamus; quorum videlicet altarium nomina hæc sunt: Salli, Horbais, Leventies, Felchi, Vi, Contheam, Remi, Farbii, Hendecurt, Asscel, Hadas, Mons, Novavillis, Papule, Basilice, Bomiuler, Hamescas, Daugevillis, Guarlus, Fissan, Bairi, Fontanellis, Ateihas, Ballol, Gaurellis, Fuscarias, Bertricurt, Bigartii, Hamblen, Fraisne Novevillule, Iser, Theulut, Mostaines, Imecurt, Bernevillis, et Illes. In eisdem, et aliis parochialibus ecclesiis quas habetis, liceat vobis, secundum decretum bonæ memoriæ Urbani Papæ secundi, sacerdotes eligere, et episcopis, de quorum parochiis Ecclesiæ fuerint, præsentare: qui, si ab illis canonice non poterunt reprobari, curam ab eis suscipiant animarum, ita quidem, quod episcopis de jure parochiali respondeant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem impendant. Statuimus præterea, et præsentis privilegii pagina prohibemus, ut nullus, qui terras vel possessiones quaslibet a monasterio vestro tenet, aliis ecclesiis, aut locis religiosis, eas possit, sine assensu vestro, in vita vel in morte conferre, sive a vestro dominio quomodolibet alienare præsumat. Vobis autem auctoritate apostolica indulgemus, ut feuda, possessiones et decimas ad monasterium vestrum spectantes, ne ipsi monasterio culpa possint detinentium deperire, nomine pignoris recipiendi facultatem liberam habeatis. Interdicimus quoque ut nullus Atrebatensium episcoporum monasterium vestrum, vel castrum monasterii, contra privilegia vobis ab apostolica sede indulta, et contra voluntatem abbatis, præsumat intrare. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, providerint eligendum, qui ab episcopo Atrebatensi, si eum gratis, et absque pravitate aliqua, nec non et sine alicujus subjectionis vel obedientiæ exactione et receptione, benedicere voluerit, exinde requisitus, munus benedictionis suscipiat, dummodo Catholicus fuerit, et gratiam habuerit apostolicæ sedis. Alioquin, liceat vobis quemcunque malueritis Catholicum adire antistitem qui electo, nostra fultus auctoritate, benedictionem sine alicujus obedientiæ, subjectionis vel reverentiæ exhibitione atque receptione, prompta exhibeat voluntate. Ordinatus autem abbas irreprehensibiliter secundum Regulam sancti Benedicti incedat, et incedere faciat subjectos eidem. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prædictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et in supradictis parochialibus ecclesiis diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, etc., *usque in finem.*

Datum Ferentini, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, VI Kalendas Julii, indictione octava, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno nono.

## CXVI.

... ABBATI ET CAPITULO SANCTI VEDASTI ATREBATENSIS.

*Super eodem.*

(Ferentini, VI Kal. Julii.)

Cum nobis sit, quanquam immeritis, universarum Ecclesiarum cura et sollicitudo commissa, de his specialiter debemus esse solliciti, in quibus religio melius observatur. Inde est quod, cum multi sæculares laici apud vos per se et per alios instent, ut in monasterio vestro procurationem cibi et potus obtineant, sicut unus vestrum habere dignoscitur, nos, gravamen ejusdem monasterii super hoc volentes sollicite removere, ad exemplar felicis memoriæ Cœlestini papæ, prædecessoris nostri, auctoritate vobis apostolica inhibemus, ne cui de cætero laico, nisi necessitatem patienti, charitatis obtentu, prædictam procurationem, in detrimentum ecclesiæ vestræ, concedere præsumatis. Nihilominus etiam libertates et consuetudines antiquas et rationabiles, ecclesiæ vestræ concessas, et hactenus observatas, ratas habemus et firmas, easque perpetuis temporibus integras, illibatasque manere sancimus. Statuimus etiam ut nullus in proprio fundo monasterii vestri, absque consensu et voluntate vestra, ecclesiam de novo audeat fabricare. Adjicimus quoque ut capellanos, qui in propriis ecclesiis vestris morantur, et servitio illarum insistunt, nemo, nisi manifesta et rationabili causa interveniente, subjicere valeat interdicto. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis et constitutionis infringere, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc.

Datum Ferentini, VI Kalendas Julii, anno nono.

CXVII.

... PRÆPOSITO ET CAPITULO LENSENTIBUS.

*Quod provideant P. clerico de Beneficio.*

(Ferentini, Idibus Junii.)

Pietas, quæ promissionem habet vitæ præsentis pariter et futuræ, nos admonet vehementer, et exhortatur officium pastorale, ut his, qui ovile Domini per characterem clericalis militiæ sunt ingressi, faciamus in vitæ necessariis provideri, et eis præcipue, qui noscuntur laudabiliter litterarum studii insudasse. Cum igitur dilectus filius, magister P. diu, sicut asserit, laborarit in studio litterarum, nec ullum sit ecclesiasticum beneficium assecutus, universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, pro reverentia beati Petri et nostra, eidem in Ecclesia vestra, in qua, sicut dicitur, nullus fuit de mandato nostro receptus, provideatis in beneficio competenti, ut idem, propter defectum temporalium, non cogatur in vituperium nostri ministerii mendicare, ac vos, mandatum apostolicum, sicut convenit, exsecutione celeri prosequentes apostolicum possitis favorem et gratiam plenius promereri.

Datum Ferentini, Idibus Junii, anno nono.

CXVIII.

... ABBATI SANCTI BARTHOLOMÆI (498), ET GOSBERTO, ET DROGONI DE GORDOLIO, CANONICIS NOVIOMENSIBUS.

*Quod faciant S. clericum frui possessione pacifica ecclesiæ de Fraitoi.*

(Ferentini, III Idus Julii.)

Ex litteris dilectorum filiorum..... decani (499), et... cantoris Noviomensium, nos noveritis accepisse, quod, cum pro B. subdiacono, venerabili fratri nostro... Ambianensi episcopo, in ea forma, per quam ab ordinatoribus vel præsentatoribus provideri volumus ordinatis, direxerimus scripta nostra, et ad hoc ipsi dati fuerint monitores, idem episcopus requisitus ab eis... priorem et capitulum de Monte-Desiderii ad quorum præsentationem idem clericus fuerat ordinatus, admonuit, ut ei in aliquo beneficio providerent, qui eidem clerico promiserunt in vacaturo beneficio providere, eidem super hoc litteras munitas sigillo capituli conferentes. Verum, cum postmodum Ecclesia de Fraitoi vacavisset, monitores ipsi de ipsa investitierunt clericum memoratum priori et capitulo sub interminatione suspensionis mandantes, ut ipsum clericum ad illam ecclesiam recipere procurarent, quod illi facere penitus contempserunt, propter quod idem clericus nobis humi- A liter supplicavit, ut factum monitorum ipsorum dignaremus auctoritate apostolica confirmare. Nos autem, ipsius clerici compatientes laboribus et expensis, facto ipsorum monitorum, cum minus legitime procedere attentarint, nullatenus innitentes, ex benignitate sedis apostolicæ ipsam ecclesiam, quæ vacare proponitur, eidem volumus assignari. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, ipsum in possessionem ejusdem vacantis ecclesiæ inducentes, faciatis cum pacifica ipsius possessione gaudere, contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

B Datum Ferentini, III Idus Julii, anno nono.

CXIX (500).

UNIVERSIS ABBATIBUS IN GENERALI CISTERCIENSI CAPITULO CONGREGATIS.

*Quod orent pro eo.*

(Ferentini, V Idus Julii.)

Postquam, vocante Domino, ad officium fuimus piscatoris assumpti, naviculam nobis creditam duximus supra mare, ut rete nostrum ad capiendos pisces in verbo Domini laxaremus. Verum, hoc mare magnum et spatiosum, sævissimæ tempestatis fragoribus concitatum, tot et tantis adversus eamdem naviculam cœpit fluctibus intumescere, ut non solum impedita sit aliquatenus piscationis industria verum etiam gubernandi naviculam pene defecerit disciplina. Fremunt etenim maris gurgites, et C aquarum colles nunc se undis exagitatis extenuant, nunc vero alluvionum cursibus se reinflant, sævit tota pelagi superficies, et quietis impatiens, nec ad navigandum exhibet se tractabilem, nec habilem ad piscandum. Occultis quoque ventorum spiraculis patefactis, ad quassandum naviculam, quasi conjurata societate, a quatuor mundi partibus multiplices venti prodeunt, et in circuitu ejus multa inter se contrarietate confligunt. Nutare compellitur ipse malus, crebris elisus spiritibus procellarum, ac rudentum regimine, crepitu minante fracturam, quasi scinduntur velorum carbasa, et universa fere torpescunt nautici moderaminis argumenta. Accedit autem ad hujus calamitatis augmentum, quod, cum in præjacentis æquoris vastitate reptilia, quorum non D est numerus, commorentur, ferales bestiæ inter ipsa discurrunt, quæ, nisi mutuo sese devorent, parum putant esse crudele, quod aliorum mortibus non putant esse crudele, quod aliorum mortibus non indulgent. Præter hæc insuper, et piratarum insidiæ non obdormiunt, qui diversas perambulant

(498) Lambertus II, abbas S. Bartholomæi Noviomensis, notus est in instrumentis ab anno saltem 1202, usque ad annum saltem 1224. *Gall. Christ.* tom. IX, col. 1117.

(499) De decanis Noviomensibus, circa hæc in quibus versamur tempora, pauca admodum apud auctores novæ *Galliæ Chistianæ*, ibid. col. 1033. « XV. Hugo *de Couci*, electus, ex Vassorio, anno 1183, memoratur adhuc annis 1187, 1192, 1201 et 1204.

« XVI. Joannes *de Buchi*, transegit an. 1208 cum Hugone, majore *de Thyecourt*, ex tabulario Ursi-Campi; præerat adhuc anno 1219. »

(500) Epistolam hanc vulgavit Angel. Manrique, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 469, ad annum 1106, cap. 6, § 2.

Eamdem legere est apud Raynaldum, ad annum 1206, § 30.

vias maris, et quos mare marisque belluæ, rabiesque ventorum incessanter exagitant, ipsi sæviores his omnibus, quotidiana persecutione molestant, ut de Charybdi et Scylla, cæterisque maris periculis taceamus. Quamvis igitur tot essemus difficultatibus circumplexi, naviculam tamen ipsam quibuscunque potuimus gubernare curavimus argumentis, ac, interdum in mari hoc reti piscatoris extenso, pisces non modicos conclusimus in eodem quos, cum ad portum educere crederemus, eorum aliqui rete ruperunt, et non solum ipsi protinus in ventrem pelagi sunt relapsi, sed et alios post se compulere relabi. Laborantes denique reficere rete fractum, aquas etiam, quæ naviculam intraverunt, et computruerunt in ipsa, conati sumus ejicere ab eadem, neve, præ confusione maris et fluctuum naufragio, possit eam instans procella demergere, oportet nos B ipsam in solo Dei nomine per anchoram fidei stabilire. Quæ sint autem hæc, dilectissimi filii, et sub quorum vobis stylo dicantur, prudentiam vestram credimus non latere, si, ad ea subtiliter indaganda, discretæ considerationis aciem extendatis. Cum igitur, inter tot et tanta pericula constituti, vestris indigeamus meritis et orationibus adjuravi, rogamus et obsecramus vos per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenus nobis, in maris altitudine fluctuantibus, charitatis vestræ suffragium impendatis, et, remis orationum vestrarum piscatorem et naviculam sublevantes, illum, qui mari et ventis imperat, exoretis, ut, per suam misericordiam infinitam super nos illuminans vultum suum, interiorem et exteriorem tempestatem, serenet, compescat un- C dique ventos et mare circumquaque tranquillet, nosque flamini sancti Spiritus navigationis nostræ vela pandentes, dextera sancta sua dirigat, et conservet, mittatque nobis Spiritum suum a quatuor ventis cœli, quo gubernatore, quo duce, impleta demum sagina piscibus, scopulus valeamus insidiantium monstrorum effugere, ac inter sævientia procellarum discrimina merces Dominicas ad portus tutissimos asportare. De plenitudine vero gratiæ nostræ securi, ad sanctæ religionis cultum latius propagandum ferventius insistatis, et de vinea Domini Sabaoth, vestræ curæ commissa, quæ per ipsius gratiam a mari usque ad mare palmite jam extendit, studeatis eradicare nociva, et utilia plantare curetis, quatenus, bonæ opinionis odorem, et D piæ conversationis fructum apud Deum et homines proferentes, de virtute in virtutem accendere mereamini, donec Deum deorum in Sion videatis.

Datum Ferentini, v Idus Julii, anno nono.

## CXX

CELLERARIO, ET M. ASINO, ET R. CANONICIS SPIRENSIBUS.

*Quod sententiam latam super electione quadam per confratres eorum, si justa est, faciant observari.*

(Ferentini, II Idus Julii.)

Cum, custodia ecclesiæ Sancti Petri Argentinensis vacante, quatuor ex canonicis ipsius ecclesiæ dilectum filium magistrum B. elegissent concorditer in custodem... præposito, ad quem investitura noscitur pertinere, electionem ipsam admittere recusante, ad nostram fuit audientiam appellatum. Nos autem, quia de negotio non potuit nobis fieri plena fides, causam ipsam H. S. et C. concanonicis vestris duximus committendam, dantes eis nostris litteris in mandatis, ut, partibus convocatis, et revocato statum debitum quidquid post appellationem ad nos legitime interpositam invenirent temere attentatum, audirent hinc inde proposita, et quod canonicum esset, appellatione remota, statuerent, et facerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Partibus igitur in præsentia unius judicum constitutis qui de ipsarum assensu absque conjudicibus de ipso negotio cognoscebat, et commissionis nostræ litteris in publico recitatis, magister H. qui se dicto B. adversarium opponebat, ex parte... Sancti Gregorii, et... monasterii Parisiensis abbatum (501), et... præpositi de Lutenbach, quasdam ei litteras præsentavit, per quas mandabatur judicibus ut nullatenus in negotio ipso procederent, cum ipsi a nobis litteras alias recepissent, quæ auctoritatem priorum penitus revocabant; sicut ex eorum transcripto, quod eis duxerant destinandum, plene poterant edoceri. Verum, cum memoratum rescriptum a stylo cancellariæ nostræ videretur plerimum discrepere, et haberetur multiplici ratione suspectum, ab eodem magistro H. authenticum postulavit, qui non solum ipsius et copiam facere denegavit, sed, contumaciter ab ipsius recedens præsentia, ad eum postmodum redire contempsit, licet solemniter ab eo tertio fuerit evocatus. Demum vero, cum a duobus judicum prædictorum de mandato tertii peremptorium esset partibus assignatum dictus. H. in eorum contempsit præsentia comparere. Ejus igitur contumacia pro præsentia reputata, et recepto (502) ab abbatibus et præposito memoratis cum quæsivissent ab eis si tales ipsis litteras transmisissent, quod causa hujusmodi esset prorsus ipsis incognita, habito prudentum virorum consilio, electione, quæ de ipso magistro H. non tam celebrata fuerat, quam præsumpta, justitia exigente, cassata, electionem magistri B. tanquam canonicam confirmarunt, possessionem custodiæ, et curam animarum pertinentem ad ipsam ei auctoritate apostolica

(501) *S. Gregorii, et monasterii Parisiensis abbatum.* Sic diserte legitur in apographo Conti. Quænam sint monasteria illa de quorum abbatibus hic loquitur pontifex, juxta ignorantes nos scire fatemur. Certe de monasteriis Parisiensis diœceseos hic agi non posse videtur. Forte erratum est ab Amanuensi.

(502) Sic; verum deesse aliquid videtur.

conferentes, executoribus nihilominus sibi datis, A qui cum fecerent pacifica ipsius possessione gaudere. Demum, cum abbates et præpositus antedicti instanter ipsum B. ad suam præsentiam convocarent ad eos vocatus accessit, et habita copia litterarum, quas adversarius ejus a nobis se dixerat impetrasse, illas in multis comperit esse falsas. Quod cum vellet incontinenti probare, ipsi non solum ei super hoc audientiam denegarunt, sed, cum præbendæ suæ stipendio suspendentes, post appellationem ad nos interpositam, contra ipsum in principali negotio processerunt. Porro igitur, magistro B. et C. procuratori magistri H. in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum, G. (503) Sancti Theodori diaconum cardinalem, concessimus auditorem in cujus præsentia cum esset diutius litigatum, oblatæ B sunt nobis illæ litteræ, quæ videbantur revocare priores, quas non solum in bulla, quæ, de aliis extructa litteris, illis inserta fuerat, sed aliis multis modis comperimus falsas esse, quas ad certitudinem pleniorem sub bulla nostra vobis mittimus interclusas. Nolentes igitur tantæ temeritatis audaciam relinquere impunitam, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus sententiam dictorum confratrum vestrorum, sicut est justa, facientes per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, inviolabiliter observari, et contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, ut a sua temeritate desistunt, districtione simili compellentes, quidquid occasione litterarum ipsarum per dictos abbates et præpositum, vel eorum aliquos C factum esse noveritis sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, judicetis iritum et inane, fructus medii temporis, sicut justum fuerit, ipsi B. restitui facientes, tam eos qui usi sunt litteris antedictis, quam eos qui se ipsas a nobis mentiti sunt impetrasse, juxta constitutionem nostram, quam ad falsariorum malitiam confutandam edidimus, remoto appellationis obstaculo, puniatis, mandatum apostolicum taliter impleturi, quod, per effectum operis, odisse comprobemini vitium falsitatis. Quod si non omnes. duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, II Idus Julii, anno nono.

## CXXI.

. . . . . MAGISTRO ET FRATRIBUS HOSPITALIS DE NOVO-CASTRO DE DRIENCORT.

*Recipiuntur bona eorum sub protectione.*

(Ferentini, XVII Kal. Augusti.)

Solet annuere, etc., *usque* impertientes assensum, hospitale vestrum eum, personis vestris, et omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam Sancti Nicolai de Menonvalt, et grangiam de feudo de Periers, cum omnibus pertinentiis suis, sicut eas juste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, XVII Kalendas Augusti, anno nono.

## CXXII (504).

DECANO (505), ET CAPITULO LAUDUNENSIBUS.

*Confirmatio statutorum Ecclesiæ Laudunensis.*

## CXXIII.

..... EPISCOPO LAUDUNENSI (506).

*Ut magistro Alberico in Ecclesia Laudunensi præbendas conferat.*

(Ferentini, IX Kal. Augusti.)

Si viros scientia præditos litterarum, ac morum honestate conspicuos, ad ecclesias tuo commissas regimini assumere procurares, præter laudem hominum, divinam posses gratiam promereri, quia, sicut Deus honoratur in talibus, sic eorum provisio ei non immerito creditur esse grata. Certa sane multorum relatione didicimus, quod dilectus filius, magister Albericus, tanta morum honestate præfulget ut ejus exposcant merita merito sibi in ampliori ecclesiastico beneficia provideri. Cum autem olim pro dilecto filio S. apostolicas recepisses litteras et mandatum, ut ei in Ecclesia Laudunensi in præbendali beneficio providere, tu præbendam, quam primo vacare contigit, eidem magistro in elusionem mandati apostolici contulisti, stallum eidem in choro et locum in capitulo faciens assignari, qua cum postea, justitia exigente, fuerit destitutus, in nullo sibi postmodum providere curasti, licet multoties, sicut accepimus, ad hoc obtulari se facultas. Nolentes igitur quod idem magister spe sua taliter D

(503) G. id est *Cregorium.* Post obitum Matthæi, (de quo vide not. ad epistolam libri tertii 54), Gregorius de Crescentio, nobilis Romanus, ex canonico regulari monasterii Rhenani, seu ex canonico Basilicæ Vaticanæ, tituli S. Theodori diaconus cardinalis renuntiatus est: quod quidem hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1206, mense Decembri, in quinta Innocentii creatione, contigisse asserit Ciaconius, cui assentiri videtur et ipse Oldoinus. Verum, ex hac Innocentii epistola, Gregorium fortasse jam ab anno 1205, saltem ante mensem Julium anno 1206. titulo S. Theodori insignitum fuisse, evincitur. De ipsius gestis, incertoque obitus anno, vide Oldoinnm, *ad Ciacon.* tom II, col. 26.

(504) Epistolæ hujus apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus.

(505) Adam, *al.* Andreas, *de Courlandon*, vir nobilis, natus in vico comitatus Rociaci, Firmensi urbi contermino, decanus Laudunensis memoratur ab anno saltem 1196, usque ad annum 1223. Eum Ingelranuus III, Toparcha Cociacensis, in carcerem conjecit, anno circiter 1215, unde ingentes turbæ in Ecclesia Laudunensi excitatæ sunt. *Gall. Christ.* tom IX, col. 561. Vide etiam LE LONG, *Histoire ecclésiastique et civile du diosèse de Laon*, pag. 286.

(506) Vide epistolam libri septimi 97, not.

defraudetur, et quod per te factum est circa ipsum illusorium habeatur, fraternitatem tuam monemus attente et hortamur, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus præbendam unam eidem magistro conferas in Ecclesia Laudunensi, ut per eum, qui ad hoc moribus et scientia perhibetur idoneus, tam tua quam ipsius Ecclesiæ utilitas procuretur, ac nos, si pro eo fuerimus exauditi, fraternitati tuæ digna gratiarum teneamur obsequi actione; attentius provisurus ut preces nostræ pariter et mandatum debitum sortiantur effectum, quas porrigendas duximus solummodo propter Deum.

Datum Ferentini, IX Kalendas Augusti, anno nono.

CXXIV.

..... DECANO (507) ET CAPITULO LAUDUNENSIBUS.

*Ut, si exoriantur controversiæ inter capitulum et episcopum super consuetudinibus Ecclesiæ testes possint producere canonicos ipsos.*

(Ferentini, XI Kal. Augusti.)

Solet annuere, etc., *usque* postulationibus inclinati, auctoritate vobis præsentiam indulgemus, ut, si quando super consuetudinibus ecclesiæ vestræ inter vos et episcopum, vel archiepiscopum vestrum, controversia mota fuerit, ad illas probandas, fratres vestros, qui sint omni exceptione majores, testes producere valeatis, et quod per eos fuerit sufficienter ostensum inviolabiliter observetur, dummodo contrarium non existat canonicis institutis. Nulli ergo. . . . . nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, IX Kalendas Augusti, anno nono.

CXXV.

CÆSARAUGUSTANO EPISCOPO.

*Quod tollat statutum factum quod, nisi omnes canonisi consenserint, nullus possit recipi in canonicum, vel intelligatur omnes, id est major pars.*

(Ferentini, XI Kal. Augusti.)

Per tuas nobis litteras intimasti quod canonici ecclesiæ tuæ juramento se communiter astrinxerant, ut nullus in canonicum reciperetur ab eis, nisi de communi consensu totius capituli proveniret, unde plerumque contingit, ut, sub hujusmodi juramenti prætextu, canonicorum aliquis appellationem ad sedem apostolicam interponens, receptionem illius impediat, quem major et sanior par capituli duxerit eligendum. Licet igitur in hujusmodi juramento intellexisse prædicti canonici videantur, ut nullus admitti posset in concanonicum eorumdem, nisi pariter in illum consenserint omnium voluntates; quia tamen id indiscretum et præsumptuosum fuisse dignoscitur, nisi, secundum canonicas et legitimas sanctiones, intelligatur a toto fieri quod fit a majori et saniori parte totius, nos, ex debito commissi nobis officii, tam utilitati ejusdem ecclesiæ, quam ipsorum concanonicorum saluti ac famæ, providere volentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ipsis injungas, ut ab hujusmodi juramento auctoritate nostra communiter se absolvant, ut, eo non obstante, debitam firmitatem obtineat, quod a majori et saniori parte rationabiliter fuerit constitutum.

Datum Ferentini, XI Kalendas Augusti, anno nono.

CXXIV.

GUALTERO CLERICO, B. IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI ILLUSTRIS, PRÆPOSITO ECCLESIÆ SANCTÆ MARIÆ, QUÆ GRÆCE *Ypanimnitos*, ET LATINE *Misericordia* (538) NUNCUPATUR.

*Confirmatur sibi præpositura.*

(Ferentini, X Kal. Augusti.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Præposituram Sanctæ Mariæ Ypanimnitos, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, X Kalendas Augusti, anno nono.

CXXVII.

LAMBERTO, PRESRVTERO. CAPELLANO B. CONSTANTINOPOLITANI IMPERATORIS ILLUSTRIS, PRÆPOSITO SANCTI MICHAELIS CONSTANTINOPOLITANI.

*Confirmatur simile.*

(Ferentini, X Kal. Augusti.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu. Præposituram ecclesiæ Sancti Michaelis, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmames, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, X Kalendas Augusti, anno nono.

CXXVIII.

ABSALONI PRESBYTERO.

*Præpositura in ecclesia Beatæ Mariæ de Scota apud Constantinopolim, sicut eam juste possidet et quiete, auctoritate apostolica ei confirmatur.*

(Ferentini, X Kal. Augusti.)

Justis petentium, etc., *usque* prosequente complere. Eapropter, dilecte, etc., *usque* precibus inclinati, præposituram in ecclesia Beatæ Mariæ de Scota apud Constantinopolim, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, X Kalendas Augusti, anno nono.

CXXIX.

GUALTERO DE CURTRACO.

*Confirmatur institutio sua.*

(Ferentini, VIII Kal. Augusti.)

Justis petentium, etc., *usque* prosequente com-

(507) Vide epistolam libri noni 122, not.

(508) *Græce* YPANIMNITOS, et *Latine* MISERICORDIA *nuncupatur.* Sic diserte legitur in apographo Conti. Nonne potius legendum foret, IPANYMNITOS, pro Græcis II' HAMNHTOΣ, vel, uno verbo, YPERYMNITOS, pro Græco ΥΠΗΡΥΜΝΗΤΟΣ? Verum, quo pacto cognomina ista Græca, quæ valent idem ac *Omnino celebranda*, vel *Super omnia celebranda*, Latino *Misericordia* respondeant, non facile intelligitur.

plere. Cum igitur dilectus filius. B. (509) tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, in ecclesia Sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ te canonicum instituerit, nos, tuis precibus benignum præbentes assensum, institutionem ipsam, sicut canonice facta est, ratam habentes auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, VIII Kalendas Augusti, anno nono.

CXXX (510).

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Quod non teneatur observare juramentum factum per eum cum Venetis, quod nullum recipiet in canonicum Sanctæ Sophiæ, nisi sit Venetus.*

(Ferentini, XI Kal. Julii.)

[Ad hoc Deus apostolicæ sedis antistitem, qui plenitudinem habet ecclesiasticæ potestatis, super gentes et regna constituit, ut, juxta verbum propheticum, evellat et destruat, dissipet et disperdat, quæ in agro Dominico, suæ culturæ commisso, inutilia repererit et nociva, juxta quod alibi sibi præcipitur a Domino per prophetam : *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes* (*Isa.* LVII). Nos igitur, attendentes juramentum illud, quasi prorsus illicitum, non esse servandum, quod a te Venetiis constituto fuit a Venetis violenter extortum, sicut tua nobis insinuatio patefecit, ut videlicet neminem sis facturus canonicum in ecclesia Sanctæ Sophiæ, nisi Venetum natione, vel qui continue per decennium Venetiis habitasset, quodque bona fide modis omnibus, quibus poteris, laboribus, ut semper in ecclesia Sanctæ Sophiæ sit Venetus patriarcha, salvo tamen in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia et honore, licet hæc conditio sic a te fuerit adjecta, ut non sit in scriptis « redacta, præ« sentium tibi auctoritate mandamus, et in virtute « Spiritus sancti districte præcipimus quatenus ju« ramentum illud nequaquam observes, cum san« ctuarium Dei non sit hæreditario jure ab aliquibus « possimendum, sed, in omni gente, qui facit justi« tiam acceptus sit Deo, præcavens diligenter, ne, « post hoc apostolicæ sedis præceptum, in præmis« sis articulis *utcunqne delinquas* (511). Quia, si de « cætero solos Venetos in ecclesia Sanctæ Sophiæ « canonicos institueris, vel ad hoc impenderis ope« ram qualemcunque, ut semper in eadem eccle« sia sit Venetus patriarcha, *neminem in ipsa* (512) « ponendo canonicum, nisi juret, quod nunquam « aliunde, nisi de Venetis, eliget aut recipiet patriar« cham, nulla deinceps ratione super his poteris « excusari. Sed, nec illud observes, quod absque « juramento diceris promisisse, ut neminem archi« episcopum, præter Venetum, in tota facias Roma« nia (513). » Ne vero, prætextu juratoriæ cautionis, aut cujuscunque promissionis obtentu, talia de cætero præsumantur, aut, si præsumpta sunt, observentur, nos, obligationes hujusmodi auctoritate apostolica irritamus, sub interpositione anathematis prohibentes, ne quis eas observare præsumat, tibique præcipimus ut id canonicis Sanctæ Sophiæ, non solum institutis, sed etiam instituendis, caute denunties, quatenus hoc nefas valeant evitare (514). « Licet autem plus debueris Deum timere quam « homines, ne jurares aliquid propter homines contra « Deum, si tamen in illo juramento, per vim et « metum extorto, præscriptam adhibuisti cautelam, « ut juraveris, salvo in omnibus apostolicæ sedis « jure, auctoritate, reverentia et honore, nos tibi, « delictum tuum humiliter confitenti, de speciali « gratia indulgemus, ut hujusmodi juramentum nul« lum tibi possit præjudicium generare, dummodo « præceptum, quod salubriter tibi fecimus, ad sal« vandum jus, auctoritatem, reverentiam et honorem « apostolicæ sedis, contra cujus statuta ea quæ sunt « jurata redundant, fideliter exsequaris (515). » Cæterum, etsi præscripta nobis a tuis nuntiis *secreto fuerint intimata* (516), noveris tamen pro certo, quod quædam eorum certa relatione prius fuerant nostris auribus patefacta. Nulli ergo omnino hominum..... hanc paginam nostræ cassationis, inhibitionis, constitutionis, præceptionis et concessionis, etc.

Datum Ferentini, XI Kalendas Julii, anno nono.

CXXXI

. . . . . . . *Deest inscriptio.*

*Conceduntur represaliæ contra bona Placentinorum æmulantium.*

(Ferentini, VII Kal. Augusti.)

Nisi prava populi Placentini societas, quasi membra carnium ejus qui malis operibus delectatur, sibi mutuo cohæreret, et, veluti squammæ Leviathan, quarum una uni conjungitur, et par eas spiraculum non incedit, contra servos Domini sese in unum globum perfidiæ glomerasset, vel flagello virgæ super ejus scelera vigilantis attrita, vel saltem, jam postquam in omnem pene terram exivit sonus iniquitatis ipsius, publico rubore confusa, colligationes impietatis suæ forsan dissolvisset. Verum, cum frontem sibi fecerit meretricis, et ita propter peccatum suum a Domino sit cor proprium indurare permissa, ut nec læsæ conscientiæ vermen sentiat, nec in conspectu gentium, quibus, cum ante nota fuisset, per sceleris est infamiam facta notior, erubescat, de ipsa quidem posse videtur illud nobis proverbium Sapientis aptari : *si quasi ptisanas stultum in pila de superferiente pilo contuderis, stul-*

(589) Vide epistolam libri tertii 54. not.

(510) Epistola hæc legitur in Gestis Innocentii, § 99 ; ideoque hic uncis iuclusa exhibetur. Patrem ejusdem exhibet Raynaldus, ad annum 1206, § 2. Quæ apud ipsum leguntur, hic duplici ad initium cujusque lineæ virgula in margine apposita distincta sunt.

(511) In Gestis, *violes iterumque delinquas.*

(512) In Gestis, *in ipsa non.*

(513) Hactenus Raynald.

(514) Hæc rursus apud Raynaldum.

(515) Huc usque Raynald.

(516) Cod. Vallicellanus, *fuerint terminata.*

*titia ejus non auferetur ab eo* (*Prov.* XXVII). Licet igitur super ea conqueri valeamus, cum propheta dicentes: *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Jer.* LI), interfecimus et perdidimus populum istum, et non sunt reversi a viis suis, experiri tamen adhuc volentes, si forte non renuant accipere disciplinam, priusquam Dominus plaga inimici affligat eos, et nos in ipsos manum nostram durius aggravemus, ut qui hactenus quasi levi verbere sunt percussi, non attendentes quod grandinem coruscatio, et gratia verecundiam antecedat, vulnere demum insanabili feriantur, erga eos levioribus adhuc curis duximus insistendum. Quocirca, fraternitati vestræ in virtute obedientiæ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus mercimonia, seu quælibet bona, quæ de mercatoribus Placentinis in vestrum, seu vestrorum posse devenerint, detinere curetis, et faciatis ab aliis detineri, donec populus Placentinus Ecclesiæ, matri suæ, quam offendit graviter, et offendere non desistit, de damnis et injuriis irrogatis debitam satisfactionem impendat; contradictores, si qui apparuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita cogentes.

Datum Ferentini, VII Kalendas Augusti, anno nono.

CXXXII (517).

REMENSI ARCHIEPISCOPO, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO (158), ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Sententiam excommunicationis, quam episcopus Cameracensis in Cameracenses quosdam cives malefactores tulerat, observari jubet.*

(Ferentini, III Idus Julii.)

Angustias et ærumnas, quibus universum corpus Ecclesiæ, a planta pedis usque ad verticem, miserabiliter concutitur et turbatur, intentissime cogitantes, vehementi dolore cordis afficimur, eo autem molestius, quo specialius illius tenemur imitari vestigia, qui, sicut ipsemet asserit, infirmabatur infirmantibus fratribus, et scandalizatis aliis utebatur. Sane, filii mundi hujus, quos prudentiores filiis lucis ipsa Veritas protestatur, jam non sicut vulpes parvulæ, sed leones feroces exterminant, et devorant vineam Domini Sabaoth, et sic obcæcatum est insipiens cor eorum, ut non ipsos retrahat timor Dei, nec reverentia filialis, quin ejus Ecclesiam crudeditate persequatur hostili, nec satis est furori eorum sæcularia contra justitiam occupare, quinimo ipsam ædificii spiritualis compagem dissolvere ac destruere temeritate damnabili moliuntur. Ut autem ad præsens de reliquiis taceamus, quorum in hoc mari magno et spatioso multitudo in tantum excrevit, ut, sicut iniquitatum, ita nec iniquorum sit numerus, cives Cameracenses, benignitate, qua eos venerabilis frater noster .... episco-

A pus eorumdem (519), semper blande rexerat, et mansuete tractaverat, abutentes, se in insolentiam contumaciter erexerunt, et, novo proditionis genere, non coacti, sed voluntarii ab ipsius impudenter obsequiis recedentes, in manus persequentiam se dederunt, et, ut eorum iniquitatibus nihil desit, oppida et alias possessiones Cameracensis Ecclesiæ, quas fidelitatis debito manutenere ac defendere tenebantur, armis et incendiis invadentes, ac per violentiam occupantes, eodem episcopo penitus spoliatio, tam pertinaciter quam impudenter detinere præsumunt, propter quæ cum excommunicati fuissent, ut vel sic a morte animæ converterentur ad vitam, ex adipe pravitatis hæreticæ, in contemptum Dei et universalis Ecclesiæ, sacerdotes apo-

B statas, apostolicæ sedis obedientiam publice detestantes, violatis ecclesiis, celebrare fecerunt. Nolentes ergo dissimulare aut negligere hunc excessum, sed ita cupientes eorum insolentiam ferro ultionis abscindere, ut, terrore derivato ad posteros, facinus non redeat in exemplum, fraternitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus sententiam, quam idem episcopus in eosdem cives Cameracenses et alios bonorum suorum raptores, videlicet Willelmum patruum, Willelmum advocatum Aquen. Sibodorum, Nivolonum Bailivum, Baldum de Brai, Iterium regium hostiarium, Joannem Piscem, Alelmum Tuebouf, Radulfum Molendinarium, et quoscunque alios, propriis nominibus exprimendos, seu temere com-

C municantes eisdem, et impartientes auxilium, consilium, vel favorem, rationabiliter tulit, vel duxerit proferendam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per omnes diœceses vestras, singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, ac in singulis ecclesiis vobis subditie, sententiam renovantes, et denuntiantes ipsos in nundinis specialiter arctius evitandos, faciatis inviolabiliter observari; publicationem etiam personarum et rerum eorumdem civium Cameracensium, de jure communi, vel consuetudine speciali, ab ipso episcopo rationabiliter factam, simul cum prædicta denuntiari sententia modo simili faciatis; mandatum apostolicum taliter exsequentes, quod vestra desidia, vel negligentia, rigor ecclesiasticæ sententiæ nequeat enervari, sed

D potius vestro studio et sollicitudine diligenti, ad sufficientem damnorum restitutionem et injuriam satisfactionem congruam, compellantur inviti, et, cum dictus episcopus, vel ejus nuntius, securum transitum per partes non habeat Gallicanas, tu, frater archiepiscope, per tuum nuntium nostras litteras facias tuis suffraganeis præsentari.

Datum Ferentini, III Idus Julii, anno nono.

(517) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 27.
(518) Vide epistolam libri septimi 116.

(519) Vide epistolam libri quinti 19, not.

CXXXIII.

CLEMENTI, PRÆPOSITO SANCTI STEPHANI CONSTANTINOPOLITANI.

*Confirmatur præpositura.*

(Ferentini, v Kal. Augusti.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., *usque* impertientes assensum, præposituram ecclesiæ Sancti Stephani Constantinopolitani, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, v Kalendas Augusti, anno nono.

CXXXIV.

MAGISTRO CLEMENTI, CANONICO SANCTÆ SOPHIÆ CONSTATINOPOLITANÆ.

*Super simile.*

(Ferentini, v Kal. Augusti.

Justis petentium, etc., *usque* effectu prosequente complere. Cum igitur dilectus filius noster, P. (529) tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, in ecclesia Sanctæ Sophiæ Constantinopolitanæ te canonicum instituerit, nos, tuis precibus benignum præbentes assensum, institutionem ipsam, sicut canonice facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, v Kalendas Augusti, anno nono.

CXXXV.

BARENSI ARCHIEPISCOPO (521), ET EPISCOPO SALPENSI (522).

*Quod causam inter archiepiscopos Tranensem et Acherontinum videant et defendant.*

(Ferentini, VI Kal. Augusti.

Licet illam geramus de venerabili fratre nostro... Tranensi archiepiscopo (527), apostolicæ sedis legato, fiduciam, ut in officio sibi commisso cum discretione ac maturitate procedat, quia tamen...... Acherontinus archiepiscopus (524), tam per se quam per alios, diu multumque de ipso conqueri non cessavit, asserens quod, post appellationem ad nos legitime interpositam, eum injuste ab officio pontificali suspendit, nos, qui ex debito apostolicæ servitutis sapientibus sumus et insipientibus debitores, tam illi deferre quam isti providere volentes, venerabili fratri nostro...... Trojano episcopo (525) et dilecto filio .... abbati Terræ-majoris, per apostolica scripta mandavimus, ut vocatis iis quos propter hoc noscerent evocandos, et veritate sollicite inquisita, si constaret ipsis eumdem legatum suspensionis sententiam, post appellationem ad nos A legitime interpositam, in prædictum archiepiscopum protulisse, denuntiarent eam penitus non tenere, aut, si forsan ipsum alias suspendisset injuste prædictam suspensionis sententiam relaxarent, nihilominus inquirentes de iis, quæ contra ipsum archiepiscopum apostolatui nostro suggesta fuerant quæ prædictus legatus eis plenius explicaret, et, si reperirent innocentem eumdem, ipsum absolverent penitus ab objectis, ac cum canonica pœna percellerent, si culpabilem invenirent. Si vero probari non posset, quod sæpedictus legatus processisset perperam contro ipsum, prælibatam suspensionis sententiam facientes inviolabiliter observari, una cum ipso legato fideliter in inquisitione procederent facienda. Ipsi vero super hoc nobis taliter rescripserunt, B quod prædicto Tranensi archiepiscopo suis litteris mandavere, ut, si contra prædictum Acherontinum archiepiscopum proponere vellet aliqua, per se, vel responsalem sufficientem, ea proponeret coram ipsis; qui respondit eisdem, quod nihil habebat contra prædictum archiepiscopum proponendum, sed videri sibi eos asseruit excessisse, in eo quod ei mandaverant, ut sub examine suo contra prædictum archiepiscopum proponeret si qua vellet, cum ipse superiorem illis judicem se astrueret, eosque suæ, se vero ipsorum jurisdictioni subjici non debere. Cumque demum ad instantiam suam sibi litterarum nostrarum copia facta esset, idem legatus, illi verbo inhærens, quod prædictæ litteræ continebant, ut videlicet in inquisitione fideliter facienda prædicti episcopus et abbas pariter procederent C cum eodem, dicebat eos in nullo articulo posse procedere sine ipso, et sic se tertium judicem in omnibus capitulis astruebat, contra quem prædicti judices responderunt, quod hoc de jure facere non valebat, quia, cum ageretur de illo, quod prædictus Acherontinus archiepiscopus, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, ab eo se querebatur esse suspensum, ipse in causa sua reus et judex non poterat simul esse; sed, si dictus Acherontinus archiepiscopus probare non posset contra se perperam fuisse processum, in inquisitione facienda procederunt cum eodem. Tandem vero, cum ipsum peremptorie citavissent, et significassent, se, si die locoque statuto, si qua vellet per se vel procuratorem contra nominatum archiepiscopum non proponeret, D juxta mandatum apostolicum in ipso negotio processuros, quia legatus idem in suo videbatur negotio claudicare, ac incerta pro certis, eorum animos suspendendo, proponere, veniente statuto die, allegationes Acherontini archiepiscopi, præsentibus nonnullis viris prudentibus, audierunt, testesque recepere juratos, et, diligenter

(520) De eo jam dictum est sæpius.

(521) Dauferius, demortuo Raynaldo, archiepiscopus Barensis salutatus est anno 1188, et a Clemente PP. III consecratus die 13 Decembris. Archipræsulis dignitatem ad annos quatuordecim [*imo* 19] menses duos, et dies quatuordecim sustinuit, obiitque die 27 Februarii anno 1207. UGHELL. *Ital. sacr.* tom. VII, col. 881.

(522) Erat is, verisimiliter, paganus, de quo brevis memoria anno 1207, in imperfecta Salpensium episcoporum seris, apud Ughellum, *ibid.* col. 1242.

(523) Vide epistolam libri octavi 118.

(524) Vide epistolam libri sexti 57, not.

(525) Vide epistolam libri septimi 101, not.

examinantes eosdem, dicta ipsorum redegerunt in scriptis, per quæ constitit manifeste, sæpedictum legatum, post appellationem ad sedem apostolicam legitime interpositam, in eumdem archiepiscopum suspensionis sententiam protulisse, ac nihilominus alias ipsum contra justitiam aggravasse; unde ipsi de consilio assessorum pronuntiarunt, illam sententiam non tenere, prædictum archiepiscopum ab ea penitus absolventes, ac per totam fecerunt Acherontinam diœcesim nuntiari, ut, si qui forent qui vellent objicere aliquid contra ipsum, sub eorum examine proponere procurarent. Cumque non compareret aliquis contra eum, qui proponere quidquam vellet, memoratus archiepiscopus cum multis compurgatoribus suam innocentiam expurgavit; quem reperientes prædicti judices innocentem, absolverunt sententialiter ab objectis. Prædictus vero legatus quemdam nuntium ad eos, post latam sententiam, destinavit, qui nihil aliud dixit ipsis, nisi quod in vocem appellationis erupit, et illicentiatus abscessit. Econtra, sæpedictus Tranensis archiepiscopus suis nobis litteris intimavit, quod episcopus et abbas prædicti, tertio die Junii, eum per suas litteras citaverunt, ut se coram ipsis apud Fogiam præsentaret, nullo sibi termino assignato, quibus ipse per litteras suas respondit, quod, si de apostolico sibi mandato constaret, paratus erat in omnibus obedire, rogans attentius ut, ejusdem mandati copia sibi facta, diem et locum communem et tutum præfigerent, ad quem accedere secure valeret, inserens in litteris suis formam appellationis hujusmodi, ut, si forte in aliquo vellent illi procedere, antequam locum communem et tutum præfigerent, et terminum competentem, ipse ad sedem apostolicam appellabat. Infra octo denique dies, dictus Trojanus episcopus, cui, sicut in suis litteris habebatur, abbas Terræ-majoris commiserat vices suas iterum scripsit ei, nullo sibi loco vel termino assignato, ut videlicet ei per suas litteras intimaret, utrum prædicto Acherontino archiepiscopo objicere vellet aliquid, an renuntiare propositæ quæstioni; super quo legatus ipse respondit quod, etsi alias adversus ipsum nihil haberet, volebat tamen causæ personaliter interesse ad defendendum sententiam, quam in eum juste se asserebat, et nulla prorsus appellatione interposita, protulisse, et ad inquisitionem objectorum eidem, juxta mandatum apostolicum, faciendam. Verum, quia dictum episcopum ab absolutionem ipsius archiepiscopi præsenserat esse præcipitem, incontinenti ad ipsum cum litteris nuntium destinavit, humiliter postulans, ut octo sibi saltem dierum spatium indulgeret, quo ad eum pro facto ipso posset procuratores idoneos destinare, appellans, tam per nuntium, quam per litteras, in forma quæ superius est expressa. Cum autem idem episcopus, infra octo illos dies, sine ipsius legati vel procuratorum suorum præsentia, se promiserit nullatenus processurum, postmodum, infra spatium illud, antequam procuratores sui pervenire possent ad ipsum, duodecimo die mensis Junii, post appellationes toties interpositas, in absentia dicti legati vel procuratorum suorum, corruptus pretio, sicut a multis probabiliter dicitur, eidem archiepiscopo venalem absolutionem indulsit. Sequenti vero die post absolutionis hujusmodi sententiam promulgatam, procuratores ejusdem legati pervenerunt ad ipsum, et a sententia ipsa de superabundanti cautela sedem apostolicam appellarunt. Cæterum, cum idem Acherontinus archiepiscopus, occasione illius sententiæ, præsumeret tam publice quam solemniter celebrare, quia prædictus legatus illam sententiam reputabat inanem, auctoritate apostolica districte præcipiendo mandavit eidem, ut celebrare divina de cætero non auderet, aut se administrationi temporalium immiscere, donec super hoc mandatum apostolicum emanaret, nihilominus per totam Ecclesiæ Acherontinæ parochiam, tam episcopis quam abbatibus et universo clero, eadem auctoritate districte prohibens, ut ei nullus intenderet, nec in temporalibus, nec, spiritualibus obedire, donec super hoc mandatum a nobis reciperent speciale, ut sic mandato prædicti episcopi obviaret, qui per parochiam totam scripserat, ut ei tam temporalibus quam in spiritualibus responderent. Nos igitur, diligenter auditis quæ nobis hinc inde scripta fuerunt, intelleximus memoratum Tranensem archiepiscopum in hoc perperam processisse, quod in negotio, per commissionem aliis factam suæ jurisdictioni subtracto, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, quam prosequi maluit quam remittere, prænominato archiepiscopo auctoritate legationis inhibuit, ne celebrare divina, vel administrationi temporalium se præsumeret immiscere, neve quisquam de suffraganeis, vel abbatibus, aut clericis sibi subditis, eidem in temporalibus vel spiritualibus responderet. Unde nos inhibitionem hujusmodi juribus carere censemus; dictos autem episcopum et abbatem nihilominus perperam processisse cognovimus, ex eo quod, post appellationem ad nos rationabiliter interpositam, præsertim, cum in litteris commissoriis nullum esse appellationis obstaculum interclusum, ad inquirendum de his quæ, secundum apostolici formam mandatis non debebant inquirere, nisi ab ipso legato sibi fuissent expressa, non sunt veriti prosilire, ipsumunc Acherontinum archiepiscopum ab objectis absolvare præsumpserunt, quasi purgatione recepta, cum nihil eis fuisset de indicenda purgatione mandatum, quare, nos, et absolutionem et purgationem hujusmodi decernimus irritam et inanem. Quia vero in aliis legatus et delegati discordant, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi, et inquisita diligentissime veritate, si vobis constiterit quod prædictus Tranensis archiepiscopus bis tantum sine peremptorio fuerit edicto citatus, aut quod in ipsis citationibus nulla certa dies ei fuerit assignata, vel quod inducias octo dierum non potuerit obtinere, seu quod appellationi ad

nos interpositæ non fuerit cum debita humilitate delatum, relaxationem suspensionis carere viribus decernatis; in eum statum negotium reducentes, in quo fuit, quando a nobis præscripta commissio emanavit; alioquin, relaxationem suspensionis faciatis in suo robore permanere. Ne vero idem negotium, non sine damno rerum et periculo animarum, ulterius protrahatur, volumus et mandamus, quatenus vos, de quorum discretione plenam fiduciam obtinemus, cum idem archiepiscopus, qui captivus dicitur detineri, libertati fuerit restitutus, secundum formam præscriptæ commissionis, appellatione remota, in ipso negotio procedatis, sive in solo inquisitionis articulo, si suspensionis sententiam inveneritis rationabiliter relaxandam, sive in toto negotio, si relaxatio suspensionis per vos fuerit irritata, sollicite provisuri, ut, Deum habentes præ oculis, non declinetis ad dexteram vel sinistram, finesque mandati taliter custodire curetis, ne valeatis merito reprehendi, sed potius commendari.

Datum Ferentini, VI Kalendas Augusti, anno nono.

## CXXXVI.

FRATRI AUGUSTINO, ECCLESIÆ SANCTÆ MARIÆ DE NORTON. REGULARI CANONICO.

*Quod nomen sibi impositum, non in baptismate, sed in professione, retineat.*

(Ferentini. III Kal. Augusti.)

Cum, antequam esses regularem vitam professus, ex impositione baptismatis Henricus fueris appellatus ac demum per factam professionem, te quasi mutatum in virum alterum... prior tuus, vocari decreverit Augustinum, nostro humiliter apostatui supplicasti, ut vel primum tibi dignaremur vocabulum restituere, vel posterius confirmare, quia dubitas, ne post fata per illa suffragia, non juveris, quæ tibi fraterna charitas sub altero nominum prædictorum impendet; super quo devotioni tuæ duximus respondendum, quod secure potes nomen tibi tempore professionis impositum retinere, sicut et nos illud indubitanter vocabulum retinemus, quod nobis fuit in suscepto apostolicæ servitutis officio, Domino disponenta, mutatum.

Datum Ferentini, III Kalendas Augusti, anno nono.

## CXXXVII.

... EPISCOPO (526).. ARCHIPRESBYTERO, ET CAPITULO PADUANO.

*Quod recipiant C. clericum in canonicum.*

(Ferentini, II Nonas Augusti.)

Non est incongruum, vel absurdum, si de illorum sumus provisione solliciti, per quos ecclesiis, a quibus obtinuerunt beneficia, posse credimus utiliter deserviri, ad hoc prælatorum animos invitantes, ad quod ex officio injuncto sibi tenentur, nec A in hoc se debent difficiles exhibere, cum nos, eorum volentes honori deferre, id fieri postulamus per eos quos possemus exsequi per nos ipsos, penes quos potestatis ecclesiasticæ residet plenitudo, cæteris in partem sollicitudinis evocatis. Pro dilecto itaque filio, magistro Bonifacio, litteratura et moribus commendando, universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, ipsum pro reverentia beati Petri et nostra in fratrem et canonicum admittentes, præbendale beneficium in ecclesia vestra eidem liberaliter assignetis, ut preces et mandatum nostrum videamini, sicut convenit, exsecutione celeri complevisse, ac idem ad obsequium ecclesiæ vestræ fortius obligetur, nosque B devotionem vestram possimus in Domino commendare.

Datum Ferentini, II Nonas Augusti, anno nono.

## CXXXVIII (527).

... ARCHIEPISCOPO TYRENSI (528).

*Quod mittat ad curiam probationes suas super ecclesia Sancti Marci apud Tyrum, quam queruntur Veneti occupatam.*

(Ferentini, III Non. Augusti.)

Querelam dilecti filii, nobilis viri... ducis Venetorum, recepimus continentem, quod tu ecclesiam Sancti Marci, cum aliis quæ habent Veneti apud Tyrum, post appellationem ad nos rationabiliter interpositam, in multis contra justitiam aggravasti. C Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te ipsum ea taliter corrigas et emendes, quod ei nulla de te justa remaneat materia conquerendi. Alioquin, venerabili fratri nostro... Hierosolymitano patriarchæ (529) et dilecto filio, P. (530) tituli Sancti Marcelli presbytero cardinali, apostolicæ sedis legatis, per nostras damus litteras in mandatis, ut, revocato in statum debitum, si quid per te, vel per alium, post appellationem ad nos legitime interpositam, aut alias injuste invenerint attentatum, audiant si quid fuerit quæstionis, et, si partes consenserint, justitia vel concordia illud, sublato appellationis obstaculo, terminare procurent; alioquin, causam instructam, ad nostrum remittant examen, præfigentes partibus D terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Si vero pars Venetorum maluerit coram nobis testes et instrumenta producere, ipsi, lite contestata, nihilominus tuas probationes recipiant, ne cogaris nimiis sumptibus et laboribus prægravari. Tu vero, lite pendente, ab ipsorum molestatione indebita conquiescas.

Datum Ferentinii, III Nonas Augusti, anno nono.

(526) Vide epistolam libri septimi 178.
(527) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 8.
(528) Vide epistolam libri sexti 131, not.
(529) Vide epistolam libri septimi 222.
(530) De eo jam dictum sæpius.

### CXXXIX (531).

NOBILI VIRO... DUCI, ET POPULO VENETORUM.

*Reprehenduntur super invasione Jadertin. et hortatur eos quod sint devoti.*

(Ferentini, Nonis Augusti )

« [(532) Apostolicæ servitutis officium laudabili« ter exercemus, si, juxta quod docet Apostolus, « arguimus, obsecramus, et increpamus in omni « patientia et doctrina (533).»*Quia* (534) ergo pater filium quem diligit corripit, et Deus quos amat arguit et castigat, idcirco, dilectos filios, nobiles viros, *R. Permar (*535) et P. Quir. nuntios vestros, ad sedem apostolicam accedentes, paterno corripuimus affectu, vos in ipsis potius increpantes super multis et magnis offensis, quas non solum in Deum et Romanam Ecclesiam, verum etiam in populum Christianum et *vos* (536), ac proximos *vestros* (537) nequiter commisistis, præsertim in Jadertinæ civitatis excidio, ubi et vos deviastis, et exercitum Domini deviare fecistis a dextera in sinistram, impugnantes populos Christianos, cum debuissetis expugnare perfidos Saracenos, repellendo apostolicæ sedis legatum, et excommunicationis sententiam contemnendo, violato crucis voto in injuriam crucifixi. Ut enim de multis iniquis operibus taceamus, quæ apud Constantinopolim perpetratis diripiendo ecclesiarum thesauros, et possessiones ecclesiasticas invadendo, volentes quasi hæreditario jure sanctuarium Domini possidere, propter quod etiam pactiones illicitas extorsistis, dicite nobis quando vos tantum damnum *restaurare* (538) poteritis terræ sanctæ; cum averteritis exercitum Christianum tam grandem, tam nobilem, tam potentem, adductum et congregatum tam magno studio et labore, tam multis sumptibus et expensis, per quem procul dubio sperabatur, quod non solum Hierosolymitana provincia recuperari deberet, verum etiam magna pars regni Babylonici occupari? Si enim sibi potuit Constantinopolim et Græciam subjugare, quanto potius potuisset Alexandriam et Ægyptum, ac per hoc eripere terram sanctam de manibus paganorum? Certe, licet gratum sit nobis, quod Constantinopolis rediit ad obedientiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris suæ, gratius tamen nobis fuisset, si Hierusalem redacta esset in potestatem po-

A puli Christiani. Neque putetis quod ideo minime peccaveritis, quod civitas una, vel altera tradita sit vobis, et illis, magis divino judicio, quam *potentatu* (539) mundano, quia sæpe placet Deo passio flagellati, quando displicet ei *actio flagellantis* (540), sicut evidenter ostenditur auctoritatibus tam Novi quam Veteris Testamenti.« (541) Non ergo nostræ duri« tiæ imputetis, sed vestræ ascribatis offensæ, quod « preces, quas pro palleo destinando...abbati San« cti Felicis, quem vos Jadertinum appellatis ele« ctum (542), per prædictos nobis nuntios porrexis« tis, *nondum* (543) duximus admittendas, quia, « cum ex iis, quæ per vos acta sunt contra Jade« ram, nimis contra vos scandalizatus sit populus « christianus, noluimus propter vos aliquid agere

B « circa Jaderam, *per quod* (544) amplius contra nos « scandalizari *debere* (545) Ecclesia generalis, quod « utique fieret, si ad petitionem vestram, ei palleum « largiendo, absque omni satisfactione tantam remi« sisse videremur offensam; cum, juxta sententiam « Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit punien« dus; quamvis hæc dilatio non tam pœna sit, quam « cautela, per quam et nobis et vobis intendimus « providere (546). » Licet enim in hac parte non peccaverint Jadertini, quia tamen metropolitica dignitas propter vestrum honorem specialiter fuit illis ab apostolica sede concessa, ut videlicet ecclesia vestra non solo nomine, sed pleno jure patriarchalem dignitatem haberet, cum ei subjecta fieret metropolis Jadertina, magis hoc vestram culpam, quam illorum pœnam volumus denotare; cum nec

C novum sit nec absurdum, si quando puniantur subditi pro prælatis, sicut absque propria culpa punitus est populus Israelis, quando David in ipsius enumeratione peccavit. Hoc itaque vobis per nuntios vestros, et per nostras litteras respondemus, ut vos ad satisfactionem Deo, et nobis offerendam, et exhibendam humiliter inclinetis, saltem illorum exemplo, qui licet minus peccaverint, *quoniam* (547) ad hoc facinus perpetrandum per vos tracti fuerunt, ad satisfaciendum tamen se nobis firmiter obligarunt, quatenus, cum non excusando, sed accusando vestram offensam divinam, et nostram imploraveritis indulgentiam, ad satisfactionem vos congruam exponentes, nos, qui vestram quoad

D

(531) Epistola hæc integra legitur in Gestis Innocentii, § 104, ideoque hic uncis inclusa exhibetur. Ejusdem fragmenta exhibet Raynaldus, ad annum 1206, § 37 Quæ apud ipsum leguntur, duplici ad initium cujusque lineæ virgula in margine apposita distincta sunt.

Varias lectiones ex Gestis, nec non e cod. ms. Vallicellano, sæpius jam laudato, ad majorem diligentiam, notavimus.

(532) Hæc apud Raynaldum,

(533) Huc usque Raynald.

(534) Cod. Vallicell., *quomodo.*

(535) In Gestis, *Mar,*

(536( In Gestis, *Nos*: recte.

(537) In Gestis, *nostros*: recte.

(538) Cod. Vallicell. *reparare.*

(539) Sic et in cod. Vallicell. in Gestis, *potestatu.*

(540) Sic et in cod. Vallicell. in Gestis, *flagellans.*

(541) Rursus Raynaldus.

(542) De isto, apud UGHELLUM. *Ital. sacr.* tom. V, col. 1461, nihil, præter hoc quod ex hac Innocentii epistola eruitur. Vide epistolam libri decimi sexti 91.

(543) In Gestis, *non.*

(544) In Gestis, *pro quo.*

(545) In Gestis, et apud Raynaldum, *possit.*

(546) Huc usque Raynald.

(547) In Gestis, *cum.*

Deum *desideramus* (548) salutem, et vestrum quoad A homines affectamus honorem, et in his, et in aliis, quæ *digne* (549) duxeritis postulanda, vos exaudire curemus. Interim autem, correctionem vestram æquanimiter exspectantes, censuram illam suspendimus, quam universorum pene sententia in vos asserit *exercendam* (550), ut, cum, Domino inspirante, conversi fueritis, non solum remittamus vindictam, *verum etiam* (551) gratiam impendamus. Nec se quisquam excuset, quod his gerendis corpore non interfuit, si forsan his gestis etiam corde consensit, quia facientes et approbantes *similis culpa condemnat* (552). Placeant igitur vobis, dilectissimi filii, verba nostra, licet in cortice aspera, tamen suavia in medulla; quia, sicut ille novit, qui nihil ignorat, de corde puro, et conscientia bona, B et fide non ficta procedunt; ut, sicut meliora sunt amici verbera, quam oscula inimici, sic vos magis delectet patris correctio quam adulatio peccatoris. Non ergo vos pudeat sub illius humiliari potentia, qui solo nutu potest humiliare superbos, et humiles exaltare, concessam vobis victoriam non vestræ virtuti, sed divinæ potentiæ ascribentes, quæ, licet forsan occulto, justo tamen judicio, per vos alios voluit flagellare; scientes quod *nihil est magis abominabile Deo, quam ingratitudinis monstrum et prodigium arrogantiæ quorum* (553) utrumque de cordis tumore procedit. Nobis quoque cum devotione curetis obedientiam, et reverentiam plenariam exhibere, propter illius *gloriam* (554) et honorem, cujus, licet immeriti et indigni, vicem gerimus, et locum tenemus, ut ipse vos in præsenti protegat et C exaltet, et in futuro glorificet et coronet, qui est Rex regum et Dominus dominantium, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Datum Ferentini, Nonis Augusti, anno nono.

CXL (555).

T. (556) CONSTANTINOPOLITANO PATRIARCHÆ.

*Respondetur super quibusdam articulis continentibus statum Ecclesiæ Constantinopolitanæ.*

(Ferentini, IV Non. Augusti.)

«[Inter quatuor](557) *animalia quæ in medio sedis*, «*et* in (557*) *ejus circuitu describuntur*, facies aquilæ « ab Ezechiele desuper ipsorum (558) *quatuor* « *moratur, quia inter quatuor patriarchales Ecclesias*, « *Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam*, « *et Constantinopolitanam, quæ per animalia supra-* « *dicta signantur* (559), *quas apostolica sedes in* « *medio habens, quasi filias amplectitur speciales* « (560), *cui eædem* sunt (561) *in circuitu quasi fa-* « *mulæ obsequentes, ipsa Constantinopolitana, post* « *apostolicam sedem, excellentia præeminet digni-* « *tis, ad cujus exaltationem tanto libentius aspira-* « *mus, quanto, ipsam tanquam* (562) *honorabilius* « *membrum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ arctius* « *amplexantes, ipsius auxilio temporibus istis eam-* « *nem amplius noscimus indigere; ac tuas, qui eidem*, « *Domino disponente, præesse dignosceris, petitiones* « *libentius promovere disponimus, quibus non repu-* « *gnat honestas, nec aliis præjudicium generatur*, « *cum a nobis injuriarum actio non debeat exoriri*, « *a quibus jura, tanquam a fonte, ad cæteros deri-* « *vantur.*

« Licet igitur, in quantum cum Deo possumus, « tuo velimus honori deferre, ac tuas preces effectui « mancipare, [petitionem tamen illam nequivimus « exaudire, qua postulasti a nobis ut donationes « ecclesiarum et beneficiorum, a dilecto filio, P. (562*) « tituli Sancti Marcelli presbytero cardinale, aposto- « licæ sedis legato, factas, te præsente, ac penitus « inconsulto, cum nimiam multitudinem ecclesiarum « contulerit, easque jure perpetuo, absque tuo con- « sensu et capituli majoris Ecclesiæ, tradiderit pos- « sidendas, dignaremur auctoritate apostolica irri- « tare, quoniam idem legatus per suas nobis litteras « intimavit, quod quasdam ecclesias, postquam a « nobis litteras legationis accepit in Constantinopo- « litano imperio exercendæ, quibusdam ecclesiis et « locis religiosis Hierosolymitanæ provinciæ con- « tulit, quibus eædem Ecclesiæ ad custodiam fue- « rant assignatæ, ut vel sic subveniretur *utcunque* « (563) necessitatibus terræ sanctæ, et (564) quasdam « quibusdam aliis locis religiosis, quorum nuntii, « ad vocationem charissimi in Christo filii nostri, « B. Constantinopolitani imperatoris illustris, illuc « accesserant, assignavit quosdam clericos, inspecta

(548) In Gestis, *speramus.*
(549) In Gestis, *dignius.*
(550) Cod. Vallicell. *extendendam.*
(551) Cod. Vallic. *sed*, etc.
(552) Cod. Vallic. *simili pnœa condemnantur.*
(553) In Gestis et in cod. Vallicell. desunt.
(554) In Gestis et in cod. Vallicell. *gratiam.*
(555) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206. § 6.

Integra legitur in Gestis, § 102; ideoque eam, hic duplici ad initium cujusque lineæ virgula in margine apposita distinximus.

Diversa ejusdem fragmenta legere est in Decretalibus: 1° lib. I, tit. 22, *De clericis peregrinis*, cap. 11; 2° ibid. tit. 33, *De majoritate et obedientia*, cap. 8; 3° lib. III, tit. 4, *De clericis non residentibus in ecclesia vel præbenda*, cap. 10; 4° ibid. lib. III, tit. 36, *De religiosis domibus, ut episcopo sint subjecta*, cap. 5. Quæ in Decretalibus leguntur, hic uncis inclusa sunt.

Varias lectiones, ex Gestis, ex Decretalibus, nec D non e codice ms. Vallicellano jam sæpius laudato, ad majorem diligentiam, notavimus.

(556) Vide epistolam libri octavi 19.

(557) Quæ sequuntur hic Italico charactere distincta, in Decretalibus desunt; verum, leguntur apud Pithœum, *in add.* ad Decretales, lib. I, tit. 33, *De majoritate et obedientia*, cap. 8.

(557*) Apud Pithœum deest vocula *in.*

(558) Apud Pith. *ab Ezechiele, facies aquilæ super ipsarum.*

(559) In Gestis, *significantur.*
(560) In Gestis, *spirituales.*
(561) Apud Pith. deest vox *sunt.*
(562) In Gestis, *ipsum.*
(562*) De isto jam dictum est sæpius.
(563) In Gestis, *utrinque.*
(564) Cod. Vallic. *cum.*

« utilitate quæ de ipsorum institutione poterat provenire, in quibusdam ecclesiis procurans *canonicos* (565) ordinare. *Verum* (566), quia visum est ei, quod ordinata per ipsum, post recessum ejus, intenderes immutare, præsentibus dilecto filio, B. (567), tituli sanctæ Susannæ presbytero cardinale, apostolicæ sedis legato, et multis de clero, ac etiam temetipso, omnia quæ per ipsum fuerant ordinata, sedis apostolicæ protectioni supponens, ne ipsorum aliquid immutares, ad nostram audientiam appellavit, a tunc instanti passagio usque ad annum suæ terminum appellationi præfigens. Cum igitur rationabilem terminum dictus legatus appellationi præfixerit, quam emisit, qui *ex tam* (568) rationabili causa, videlicet obedientiæ bonæ, et obsequio terræ sanctæ, usque ad biennium ipsum *potuit* (569) prorogasse, appellatione pendente, juxta canonicas et legitimas sanctiones, sicut tuæ fraternitas non ignorat, in ipsius absentia non debuit eorum aliquid immutari, præsertim, cum præsumi valeant rite facta, donec in contrarium probaretur, et id fieri sine illorum præjudicio non valeret, quibus dictæ Ecclesiæ seu beneficia, auctoritate apostolica sunt collata, cum nec citati fuerint, nec absentes per contumaciam, seu convicti, sed penitus indefensi. Si quas vero de ipsis nos duxerimus aliquibus confirmandas, juxta communem formam id noveris faciendum, videlicet, *sicut ea juste possident et quiete*; super eo vero mirari non debes, sicut idem legatus asserit, quod ipse, te præsente ac inconsulto, ecclesias et beneficia contulit memorata, cum et tu ipse multo majora, ecclesiam videlicet Sanctæ Sophiæ, quæ caput patriarchatus existit, nec non archiepiscopatus, et episcopatus, ipso præsente, et irrequisito penitus, qui vices nostras gerebat ibidem, curaveris ordinare. Quamvis ergo tuam propter præmissa petitionem, juxta tuum desiderium, nequivimus exaudire, tuo tamen, quantum cum nostra possumus honestate, volentes honori deferre, fraternitati tuæ duximus concedendum, ut ii, qui ecclesias illas seu beneficia possident, obedientiam tibi debitam exhibeant et devotam, nisi forte aliqua illarum ecclesiarum, ante captionem regiæ civitatis, a jurisdictione patriarchæ legitime fuisset exempta.

« (570) Subsequentem vero [petitionem, *qua* (571) Ecclesias *illas* tibi subjici postulabas, quæ, priusquam Constantinopolitana civitas caperetur, Constantinopolitano patriarchæ minime respondebant, duplici ratione non duximus admittendam. Juris namque ratio *postulavit* (572), ut in illorum præjudicium, quibus eædem ecclesiæ sunt subjectæ, nihil *ordinaremus* (573) de ipsis, cum nec citati sint, nec convicti, nec per contumaciam se absentent.] Id etiam modo *fieri* (574) providentia dissuasit, ne Pisani, ac Veneti, aliique quamplures, apud Constantinopolim hujusmodi habentes ecclesias (575), contra imperium provocarentur hoc tempore, qui sunt alliciendi potius blandimentis, donec illud soliditate immobili roboretur. Quod si jus tuum contra illos prosequendum duxeris tempore opportuno, faciemus, auctore Domino, super ipsis justitiæ tibi plenitudinem exhiberi.

« (576) Super obedientia vero, quam, ut tibi faceremus impendi ab archiepiscopo et episcopis regni Cypri (577), similiter postulasti, fere idem, *quod in præcedenti petitione* (578), tibi duximus respondendum, cum et ipsi ante tuam exstiterint promotionem exempti, *quando* (579) videlicet Constantinopolituna Ecclesia erat inobediens et

(565) Cod. Vallicell. *Clericos*. In Gestis deest.
(566) In Gestis. *Unde*.
(567) Vide epistolam libri octavi 55.
(568) In Gestis, *eam*.
(569) In Gestis, *potuisset*.
(570) Vide Decretales, lib. I, tit. 33, *De majoritate et obedientia*, cap. 8.
(571) In Decretal. *contra*, et mox *quas* pro *illas*.
(572) In Decretal. *postulat*.
(573) In Decretalibus. *ordinemus*.
(574) Cod. Vallicelli *simul*.
(575) Veneti Pisani, aliique Latini, commercii causa degentes Constantinopoli, hujusmodi habebant ecclesias, quæ patriarchæ jurisdictioni non parebant, quod ritu Latino se gererent. Et vero, recepta a Latinis Constantinopoli per Græcos, cæteris Latinis urbe pulsis, Veneti, Pisani ac Genuenses remansere; sed, quod suspicione non carerent, si in urbe sinerentur, apud Peram urbem, cognomine Galatam, quæ sita est e regione Constantinopoleos, habitatio eis permissa a Palæologo, mercium omnium vectigali remisso : ita ut Veneti et alii non modo suas haberent ecclesias, sed etiam suos magistratus, qui eo mittebantur ut suis præessent, e quibus qui erat Venetorum bajulus, Pisanorum consul, Genuensium potestas appellabatur, ut scripsit Gregoras, lib. IV. Similiter et Veneti in singulis civitatibus regni Hierosolymitani ex pacto habebant sibi in perpetuum ecclesiam propriam, plateam et furnum ab omni exactione libera. GUIL. TYR. lib. XII, cap. 25.
(576) Vide Decret. ibid.
(577) Olim Antiochenus patriarcha universo Orienti præerat, et ita Cypro insulæ, quæ Syriæ contributa erat. Sed sensim Cyprii episcopi se subduxere a potestate Antiocheni, præstolante eis iniquitate temporum, et vicissitudine rerum imperii; unde, synodi Ephesinæ can. 8 a potestate Antiocheni liberi et immunes dicti sunt. Verum, temporibus Zenonis, cum reliquiæ Barnabæ in Cypro inventæ essent, et Constantinopolim translatæ, hac occasione Cyprii episcopi lapsi sunt in ditionem C. P. Cedren. In Zenone : Ἐξ ἧς προφάσεως ἔκτοτε γέγονε μητρόπολις ἡ Κύπρος καὶ τοῦ μὴ τελεῖν ὑπὸ Ἀντιοχείαν, ἀλλ' ὑπὸ Κωνσταντινόπολιν *Ea occasione Cyprus metropolis facta est ut jam non amplius sub Antiochia conseretur, sed soli Constantinopoli subesset*. Perperam ad tempora Anastasii id refert Nicephorus, lib XVI, cap. 37. Sed rursus, cum Ecclesia Constantinopolitana fœda schismatis labe secessit ab Ecclesia Romana, facile Cyprii episcopi pristinam in libertatem se vendicarunt : et ita se res habebant, quo tempore Thomas Maurocenus sedem Constantinopolitanam nactus est.
(578) In Decretal. desunt.
(579) In Gestis, *cum*.

« rebellis, et, in eorum absentia, circa statum ipsorum non *debuerimus* (580) aliquid *immutare* (581); justitiam tamen non negabimus tibi, cum eam duxeris postulandam.]

« Ex parte tua præterea fuit propositum coram nobis, quod quidam episcoporum Romaniæ, commoniti, tibi obedire contemnunt, qui tamen episcopales redditus percipere non desistunt: quidam vero ex eis ab episcopatibus fugiunt, ne valeant commoneri, per sex menses, vel amplius suam diœcesim deserentes: unde: *Nobis humiliter supplicasti* (582), ut, super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos, et ipsorum diœceses procedere debeas, devotioni tuæ scribere dignaremur. Nos igitur, attendentes quod, propter novitatem mutationis imperii, et novitatum eventus, sit cum maturitate plurima procedendum, fraternitati tuæ taliter respondemus, ut illos non semel, sed sæpe videlicet primo, secundo et tertio citare procures, et, si *comparere* (583) noluerint, sed in sua duxerint *contumacia* (584) persistendum, *nisi* (586) forte se appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum prosequantur, ipsos per suspensionis et excommunicationis sententiam ad tuam obedientiam venire compellas. *Quod si* (586) nec sic ipsorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius, B. tituli Sanctæ Susannæ, presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ab episcopatum administratione removeat, et quibus præsunt ecclesiis, de personis idoneis una tecum faciat provideri, sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer, *si expediat*, *facilius* (587) agi possit. In ecclesiis autem illorum, qui se fraudulenter absentant, ne ad ipsos citatio valeat pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari, et, si nec sic curaverint obedire, seu etiam ultra sex menses suas deseruerint ecclesias, ut, juxta canonicas sanctiones, eis debeant merito spoliari, contra eos quoque, sicut præscriptum est, procedatur. Cum vero legatus ad propria remearit, tibi, quandiu nobis et successoribus nostris placuerit, personaliter duximus concedendum, ut contra prædictos rebelles præscripto modo procedas tanquam a sede apostolica delegatus.

« Tua insuper fraternitas postulavit ut, cum in partibus illis nimia sit episcopatuum multitudo, illos, cum nimis sint tenues, ad paucitatem redigere tibi concedere dignaremur. Nos autem ita duximus providendum, ut, cum id necessitas vel utilitas postulaverit, per prædictum legatum, quandiu in partibus illis exstiterit, tuo tamen accedentes consilio, valeat adimpleri, ita videlicet, et episcopatus non uniat, sed illi, quem fecerit ad unam ecclesiam ordinari, aliquod tales ecclesias, *secundum quod* (588) viderit expedire, committat, quatenus, si forte pro *temporis* (589) necessitate de ipsis fuerit aliter ordinatum, quod factum est facilius valeat immutari. Legato vero ad propria redeunte, tu, si necesse fuerit, auctoritate sedis apostolicæ, tanquam delegatus a nobis, facias illud idem.

« Postulasti postmodum per sedem apostolicam edoceri, qualiter episcopatus illos debeas ordinare, in quibus Græci tantummodo commorantur, et illos etiam in quibus permisti sunt Græci pariter et Latini, et quos præficere debeas in eisdem. Ad quod fraternitati tua breviter respondemus, quod in illis ecclesiis, in quibus sunt solummodo Græci, Græcos debes episcopos ordinare, si tales valeas reperire, qui nobis et fidei devoti et fideles existant, et a te consecrationem velint accipere humiliter et devote. In illis vero, in quibus cum Latinis Græci sunt misti, Latinos præficias, et præferas ipsos Græcis.

« Cæterum nobis supplicasti, ut de nostra tibi permissione liceret, constitutos et constituendos in ecclesiasticis dignitatibus, baculis, mitris, annullis, et sandalis insignire, ac dispensare cum illis qui, omissis minoribus, majores ordines recipere præsumpserunt. Nos igitur, tibi personaliter volentes facere gratiam specialem, auctoritate tibi præsentium indulgemus, quatenus illis concedas insignia supradicta, quibus, secundum morem apostolicæ sedis, possint honeste concedi, ac cum illis super omissione prædictorum ordinum minorum auctoritate nostrâ dispenses, quibus litterarum scientia et morum gravitas suffragantur, injuncta prius illis pœnitentia competenti.

« (590) Consuluit nos insuper fraternitas tua [utrum clericos, ad te sine suorum ordinatorum litteris venientes, et offerentes *præstare corporaliter* (591) juramentum, quod sint in quovis ecclesiasticorum ordinum constituti, debeas ad superiores ordines promovere? *Nos igitur* (592) inquisitioni tuæ taliter respondemus quod, nisi de ipsorum ordinatione canonica per idonea tibi constiterit argumenta, eos nec in illis suscipere, nec ad majores debes ordines promovere; præsertim, antequam eorum conversatio fuerit comprobata.]

« Edoceri quoque de sacrificiorum et aliorum sacramentorum ritu per sedem apostolicam postulasti, utrum debeas Græcos *permittere* (593),

(580) Cod. Vallicell. *debuerit.*
(581) Cod. Vallicell. *immutari.*
(582) In Gestis, *nos suppliciter exorasti.*
(583) In Gestis, *parere.*
(584) Cod. Vallicell. *pertinacia.*
(585) Cod. Vallicell. *ut si.*
(586) Cod. Vallicell. *Et si.*
(587) In Gestis, *fiducialius.*
(588) In Gestis, *si.*
(589) Cod. Vallic. *ipsius.*
(590) Vide Decretales, lib. I, tit. 22, *De clericis peregrinis*, cap. 11.
(591) In Decretal. desunt.
(592) In Decretal. desunt.
(593) In Gestis, *admittere.*

« ut ea exerceant more suo, vel compellere ad ritum potius Latinorum. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, ut eos tandiu in suo ritu sustineas, si per te revocari non possint, donec super hoc apostolica sedes maturiori consilio aliud duxerit *statuendum* (594).

« [ (595) De clericis *autem* (596), qui ecclesias vel præbendas sibi concessas, *absque* (597) justa et necessaria causa, tuo præsertim non accedente consensu, *in hac detinent novitate* (598), hoc tibi duximus *rescribendum* (599), quod, postquam congruo tempore fuerint exspectati, nisi ad illas redierint, possint eis juste privari, dummodo justo non sint impedimento retenti.]

« [ (600) De monasteriis quoque Græcorum, in sæculares canonicos convertendis, fraternitati tuæ *taliter* (601) respondemus quod, quandiu (602) per regales *viros* (603), sive Græcos, sive Latinos, remanere potuerint ordinata, non sint ad sæculares clericos transferenda ; sed, si regulares defuerunt, propter eorum defectum, in eis sæculares clerici poterunt ordinari.]

« Præterea, nobis humiliter supplicasti, ut, cum difficile sit tuæ jurisdictioni subjectis pro singulis quæstionibus ad sedem apostolicam laborare, super appellationibus modum imponere dignaremur. Cum igitur sanctæ *memoriæ* (604) Gregorius papa, predecessor noster (605), duxerit statuendum ut, si forte super rebus modicis, quæ infra summam viginti marcarum substitunt, in archiepiscoporum vel episcoporum auditoriis quæstio ventiletur, et altera partium ligantium delusorie putaverit provocandum, ipsi, ejus appellatione contempta, infra fines suorum episcopatuum eligere judices, qui careant suspicione, compellant, si tamen ibidem idonei potuerunt inveniri, in quorum præsentia jurgium sopiatur. Nos, attendentes quod nimis dispendiosium esset et grave, propter multa maris et terræ discrimina subditos tuos pro singulis querelis apostolicam sedem adire, fraternitati tuæ *personaliter* (606) indulgemus, quatenus in causis illis, quæ in tuo debent auditorio pertractari, si aliqua partium ad sedem apostolicam provocarit, et res, super qua quæstio vertitur, summam non excesserit prætaxatam, non obstante appellationis objectu, justitia mediante, procedas, vel partes compellas in aliquos compromittere, qui, appellatione remota, causam audiant, et debito fine decidant; illud idem facturus de levioribus causis, præsertim inter personas minores, quæ, cum sint mere spirituales, civilem non continent quæstionem. Venetos autem, habitatores regiæ civitatis ad solvendum decimas personis et ecclesiis Constantinopoli exsistentibus, quibus de jure debent, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas; non obstante consuetudine quam habitatores Venetiarum observant, ut videlicet in morte duntaxat decimentilla quæ acquisierunt in vita, ne, hoc prætextu, Ecclesia Constantinopolitana suo jure frauderetur, si forsan ii, qui longo tempore Constantinopoli habitarunt, circa finem vitæ suæ Venetias revertantur. Verum, in his et aliis cum discretione ac maturitate procedas, impetum et facilitatem evitans, quoniam in hujusmodi satius est de tarditate aliqua, quam de velocitate nimia reprehendi. »

Datum Ferentini, IV Nonas Augusti, anno nono.

## CXLI (607).

... NICOSIENSI ARCHIEPISCOPO (608).

*Quod præsentet se apostolico conspectui.*

(Ferentini, Nonis Augusti.)

Cum, secundum Apostolum, sapientibus simus et insipientibus debitores, justas singulorum petitiones recipere nos oportet, ne, contra legem divinam,

(594) Cod. Vallic. *faciendum.*
(595) In Decret. deest.
(596) Vide Decretales, lib. III, tit. 4, *De clericis non residentibus in ecclesia vel præbenda*, cap. 10.
(597) In Decretal. *sine* : Gestis, *deserunt.*
(598) In Decretal. desunt.
(599) In Decretal. *respondendum.*
(600) Vide Decretales, lib. III, tit. 36, *De religiosis dominibus, ut episcopo sint subjectæ*, cap. 5.
(601) In Gestis, *breviter.*
(602) In Decretalibus, add. *monasteria*,
(603) In Decretal. deest.
(604) In Gestis, *recordationis.*
(605) Gregorius VIII, ut est in cap. 47 *De appella*. In 2. collect. Decret.
(606) In Gestis. *per apostolica scripta.*
(607) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 6.
(608) Vide epistolam libri octavi 181, et quæ ibi adnotata sunt, not. quibus alia quædam hic addere, operæ pretium visum est.

Anno 1191, Richardus, Angliæ rex ad bellum sacrum Saracenis, qui Palæstinam denuo ceperant, inferendum cum numerosa classe profectus, in Cyprum cum appulisset, ab insulæ principe Græco Isaacio Comneno, qui profano fœdere cum Saladino Saraceno junctus erat, male acceptus, hunc brevi facilique negotio ad ordinem redegit, eoque pulso Cypri regem instituit Guidonem Lusinianum, a quo statim *Leucosia*, sive *Nicosia*, quæ olim *Ledra*, dicebatur, regni facta metropolis; archiepiscopus Latini ritus in ea constitutus fuit. Græci interim ritus archiepiscopus de veteri moræ Famagustæ sedebat, cui episcopi, pauci numero, obnoxii tunc erant, nec plures prorsus quam quatuor, Leucosiæ scilicet, soliæ vel solorum, Carpasii et Amathuntis, sive Nimosiæ. Ortis vero statim inter utrumque archiepiscopum de jurisdictione jurgiis, Græcus pontifex Latino morem gerere jussus est, Cœlestini papæ III præcepto, quod successor illius Innocentius III altera constitutione sanxit, quæ in ejus Regesto, numero 22 extat. Indigne Græci tulerunt Latini præsulis auctoritati subesse, reque ad Alexandrum papam IV relata statutum ab illo est, ut, Germano, qui Græcorum tunc temporis archiepiscopus erat, defuncto nullus in posterum ejusdem generis archiepiscopus alter crearetur, sed Latinus Leucosiæ pontifex Græci ritus episcopis jura diceret. Id quod observatum deinceps fuit ad annum usque 1570, quo, Turcarum armis Veneticæ reipublicæ erepta Cypro, Græci ritus Christiani, quibus insula abundabat, proprium sibi archiepiscopum instituerunt, qui, velut olim αὐτοκέφαλος, sui omnino juris esset, nulli patriarchæ, seu Bysantino, seu Antiocheno, subjectus.

apud nos sit acceptio personarum. Licet autem nec tibi nec venerabili fratri nostro... Constantinopolitano patriarchæ, diebus istis expediat ad invicem litigare, sicut eidem patriarchæ per nostras litteras intimamus, quia tamen ipse per nuntios suos institit vehementer, ut super obedientia, quam a te ac suffraganeis tuis sibi deberi contendit, faceremus ei justitiam exhiberi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus a proximo festo sancti Michaelis usque ad duos annos, per te, vel responsalem idoneum, apostolico te conspectui repræsentes, si tamen ad te ante annum unum citatio ista pervenerit, ut infra ipsum annum ad exsequendum mandatum nostrum sufficienter valeas præparari; sciturus pro certo quod, etsi prædicto patriarchæ nolimus in suo jure deesse, tibi tamen in tua volumus adesse justitia, ut tenemur.

Datum Ferentini, Nonis Augusti, anno nono.

### CXLII.

T. CONSTANTINOPOLITANO PATRIARCHÆ.

*Precipitur observari compositio facta inter eum et moderatorem imperii Constantinopolitani.*

(Vide Gesta Innocentii, § 101.)

[Instantia nostra quotidiana, sollicitudo videlicet Ecclasiarum omnium, quæ nobis imminet, Domino disponente, nos admonet et inducit, ut iis, quæ deliberatione provida pro Ecclesiarum utilitatibus ordinantur, robur apostolicum apponamus, ne tergiversatione malorum, qui Ecclesiarum profectibus invident et quieti, ea in detrimentum ipsarum valeant revocari. Cum igitur inter te, et clerum tibi commissum ex una parte, et dilectum filium; nobilem virum, Henricum, moderatorem Constantinopolitani imperii, barones, milites et populum ex altera, super recompensatione facienda ecclesiis de possessionibus earumdem, amicabilis compositio intercesserit, nos, necessitatem temporis attendentes, compositionem ipsam, sicut sine vi et dolo provide facta est, et ab utraque parte de certa scientia libere ac sponte recepta, præcipimus firmiter observari, dummodo circa possessiones et proventus hujusmodi nulli præjudicium generetur. Ad majorem autem notitiam, formam compositionis ejusdem, prout continetur in instrumento exinde confecto, de verbo ad verbum huic paginæ duximus inserendam.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno Domini millesimo ducentesimo sexto, mense Martii, indictione nona, Constantinopoli. Hæc est forma concordiæ factæ inter dominum Benedictum, tituli Sanctæ Suzannæ presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, et dominum Thomam Maurocenum, sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcham, ex una parte, et dominum Henricum, et barones, et milites et populum ex alia, in conquisitis et acquirendis intra et extra imperium *Romaniæ* (609). Dominus Henricus, de consilio et assensu omnium principum, baronum, militum et populi, dat ecclesiis, et promittit se daturum in earumdem recompensationem possessionum, sicut inferius denotatur, extra muros civitatis Constantinopolitanæ, quintamdecimam partem omnium possessionum, civitatum, castrorum, *casalium* (610), camporum vinearum, nemorum, silvarum, pratorum, pomeriorum, hortorum, salinarum, passagiorum, teloneorum terræ et maris piscarium in mari et in aqua dulci, et omnium possessionum, etsi in præsenti scripto non reperiantur in solidum declaratæ: his exceptis, quod de terra, quam habent juxta muros nominatæ civitatis, a porta aurea usque ad portam Blachernæ, infra murum ipsius et mare, dare quintamdecimam nullatenus tenebuntur: nec etiam de casalibus monetæ, in quorum repensationem casalium dominus Henricus et prædicti, secundum eorumdem casalium valorem, in prima conquisitione satisfacere de quintadecima ecclesiis tenebuntur. De *commerdio* (611), quod infra Constantinopolim vel extra nomine civitatis receperint, quintamdecimam non dabunt. Si in ipsa civitate Constantinopolitana, nomine alterius civitati, aut loci, vel alibi, commercium solvetur quintamdecimam dabunt Ecclesiæ: si vero cum aliqua civitate, vel castro, terra, vel insula, quam dominus Henricus subjugare sibi et imperio non poterit, per annum censum compositum fuerit, quintamdecimam dabunt Ecclesiæ; sed, si feudare, vel donare, vel alienare voluerit, hoc faciat, salva primo ecclesiarum quintadecima parte. Divisiones possessionum inter ecclesiam et prædictos hoc modo fient, quod boni viri, post bullatum præsens instrumentum, infra octo dierum spatium ab utraque parte eligentur, qui jurati bona fide de possessione cujuslibet terræ et aquæ quindecim partes facient, et sortes mittent, si aliter convenire non possint, et supra quam sors ceciderit Ecclesiæ, erit Ecclesiæ. Hæc autem usque ad Pentecostes festum proximum venturum bona fide complebuntur. Claustra quoque omnia, tam infra civitatem quam extra, libera erunt Ecclesiæ, nec in quintadecima computanda. Si de quantitate claustrorum quæstio oriatur, utraque partium eligat virum idoneum, post quæstionem motam infra octo dierum spatium, et illi duo per sacramentum suum tertium eligant, et quod illi tres, vel major pars eorum astricti sacramento, infra viginti dies super hoc bona fide duxerint faciendum stabile permaneat. Si pro ardua necessitate terræ antiqua claustra fuerint incastellanda, incastellentur de assensu domini patriarchæ, vel diocesani episcopi, qui, si cum incastellatoribus concordare nequiverint, sicut supra dictum est, de claustris quætio terminetur, Dabunt etiam decimas Latinorum omnium in perpetuum, videlicet de blado, legumine, et omnibus fructibus terræ et vinearum quas excolent, vel propriis sumptibus excoli facient, et de fructibus arborum

(609) Cod. Reg. et Pod. citati a Baluz. in marg. *Romanum.*

(610) Cod. Reg. ibid. *Casinorum, Casalinorum.*

(611) Baluz. in marg. *f. commereio.*

et hortorum,quod paterfamilias in usus comedendi et munusculorum bona fide convertet. De nutrimentis animalium, quadrupedum, et de apibus et lanis decimæ solventur, et, si progressu temporis Ecclesia a Græcis decimas per exhortationem et admonitionem acquirere poterit, per eos nullum impedimentum præstabitur. Præterea, clerici et ecclesiæ universæ, et earum possessiones, et manantes in ipsis possessionibus et ecclesiis, et religiosæ personæ, tam Græcorum quam Latinorum, et morantes cum prædictis,et claustra ecclesiarum, ethabitantes in eis,etqui ad Ecclesiam confugerint, liberi erunt ab omni laicali jurisdictione,secundum liberaliorem consuetudinem Franciæ,salva in omnibus auctoritate Ecclesiæ Romanæ, nec non et Constantinopoleos et honore et jure domini patriarchæ et imperatoris et imperii et salvis in omnibus capitulis supradictis. De terris vero, quæ,Deo volente, de cætero conquirentur,primo habebit Ecclesia quintamdecimam partem, antequam alicui distribuantur. Hæc autem omnia dominus Henricus et barones ipsius bona fide attendent et curabunt, pro posse, effectui debito mancipare.Nulli omnino hominum licet hanc paginam concordiæ vel pactionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem,etc.Hanc autem compositionem dominus patriarcha pro se et successoribus suis,et hæc, excepta communi parte Venetorum,se firmiter observaturos promiserunt. Datum Constantinopoli,apud Sanctam Sophiam,XVI Kal. Aprilis, Nulli ergo . . . hanc paginam nostræ præceptionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, Nonis Augusti, anno nono.

## CXLIII (612).

R. EPISCOPO CÆSARAUGUSTANO.

*Condemnatur abbas Pinnatensis ad solutionem decimarum et procurationem sibi faciendam.*

(Ferentini, II Non. Augusti.)

[Cum olim] (613) *ad aures nostras tuam querimoniam destinasse, quod te dilectus filius . . . . . abbas Sancti Joanni Pinnatensis* (614), *quartis decimarum, quas in ecclesiis de Luna et de Taust. debes percipere multipliciter defraudaret*, dilectis filiis. . . . .præposito Jaccen et P . . .Montis Aragonum archidiacono Tirasonensi,causam ipsam duximus committendam, in quorum tua pars præsentia postulavit, ut abbas tibi quartam omnium decimarum sine diminutione persolveret,quam consuevisti percipere in ecclesiis antedictis.Contra quod fuit pro abbate responsum, quod,cum ecclesiæ supradictæ ad monasterium pertineant pleno jure,nihil juris in eis tibi poteras vindicare. Ex parte autem tua fuit propositum ex adverso, quod tam quarta decimæ, quam alia jura

A episcopalia,pertinebant ad te multipliciter in ecclesiis memoratis, cum siquidem eædem ecclesiæ in tua sint diœcesi constitutæ, de jure communi tam quartam decimæ quam alia episcopalia vales petere in eisdem. Compositionem quoque, inter ecclesiam tuam et Pinnatense monasterium,mediantibus bonæ memoriæ B. archiepiscopo Terraconense, et R. comite Barchinonense,initam proponebas,per quam tibi tam cœnam, quam quartam decimæ ac alia episcopalia in ipsis ecclesiis competere fatebaris, ad quod probandum instrumentum authenticum præsentasti,asserens,quod auctoritate bonæ memoriæ Alexandri papæ tertii, prædecessoris nostri,eadem exstitit compositio confirmata. sicut in ejusdem authentico perspicitur contineri. Aliam similiter B compositionem, bonæ memoriæ, G. Pampilonense episcopo, et dilectis filiis, F, de Otiien,et D. monacho Sancti Joannis, mediantibus initam,per quam deberi tibi quartam asseruisti, firmiter inducebas, super ea publicum exibens instrumentum.Ad tuam quoque intentionem fortius roborandam præscriptionem quadragenariam allegasti, asserens, quod etsi alia defensionis adminicula non haberes, longi temporis spatio percipiendi quartam decimæ sæpedictæ, jus tibi fuerat acquisitum. Ex parte vero abbatis fuit ad ista responsum,quod ecclesiæ supradictæ de jure communi ad Pinnatense monasterium pertinent pleno jure ; siquidem illustris memoriæ Sancius Aragonum rex a sede apostolica indulgentiam meruit obtinere, ut,si qua loca in regno suo C de novo populari contingeret, vel de Saracenorum manibus liberari, ecclesias construendas in ipsis libere concederet cui vellet. Cumque in castrum de Luna, habitatores postmodum induxisset, ecclesias de Luna et de Taust ibidem constructas monasterio contulit Pinnatensi,ad quæ probandum instrumenta supradictis confecta donationibus producebat.Petrus quoque bonæ memoriæ, Pampilonensis episcopus, in cujus diœcesi prædictæ dicebantur ecclesiæ constitutæ, cum decimis,et aliis juribus episcopalibus, concessit easdem monasterio memorato, sicut in ejusdem episcopi authentico continetur, et ad hoc probandum supradictus abbas testes induxit,quod in Pampilonense diœcesi sunt eædem ecclesiæ constitutæ. Proposuit etiam idem abbas, quod bonæ memoriæ Garsias, prædecessor tuus, suo monasteD rio ipsas ecclesias cum omni episcopali jure concessit, præter consecrationes basilicarum, et quædam alia, quæ in authentico exinde confecto plenius continentur, propter quæ abbas ipse nihil in prædictis ecclesiis te posse de jure petere respondebat. Compositionem præterea, tam primam quam secundam, ex tui parte propositam ea ratione pars

(612) Epistolæ hujus fragmentum reperitur inter Decretales, lib III, tit. 39, *De censibus,exactionibus et procurationibus*, cap.19.Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt ; variæ lectiones appositæ.

(613) Quæ sequuntur, hic Italico charactere distincta, leguntur apud Pith. in add.

(614) Id nomen monasterio ordinis S. Benedicti, in Jacetana diœcesi, de qua meminit Hieronym. Blanca, *In Comment. rer. Arragonens.* non uno loco et L. Marineus, *De reb. Hisp.* et Innocent. ipse in cap. *Petrus*, infra, *De homicid.*

monasterii proposuit reprobandam, quia per impressionem, et metum principis sæcularis utraque compositio exstitit violenter extorta, quod per depositiones testium ostendere nitebatur; allegans nihilominus, quod confirmatio super tam illicita compositione obtenta non poterat tibi beneficium defensionis afferre; confirmatione siquidem jus nequaquam acquiritur, sed acquisitum securius conservatur. Contra præscriptionem quadragenariam, quam tu allegare curasti, pars monasterii respondebat, quoniam hujusmodi præscriptio etiam si probata fuisset, ex eo convincitur sæpius interrupta, quia propter frequentes super illis ecclesiis controversias emergentes infra quadraginta annorum spatia duæ compositiones interpositæ comprobantur. Præterea, cum, secundum canonicas sanctiones, illicite transigentis, vel alienantis tempora debeant de præscriptione deduci, constat præscriptionem quadragenariam minime consummatam, si tempora, quibus postmodum vixit abbas illicite transigens, subducantur. Ad hæc, fuit ex parte tua firmiter replicatum, quoniam prædicta indulgentia, quæ Sancio regi allegatur indulta, nunquam fuit in judicio præsentata, sed, etsi fuisset exhibita, vel de ipsa certissima facta fides, nullum tibi poterat præjudicium generare, cum abbas ipse coram nobis fuerit in jure confessus, quod eadem indulgentia, salvo jure episcopali, fuerit prædicto regi concessa, et hoc ipsum asseruit se coram delegatis judicibus fuisse confessum. Porro, donationem Pampilonensis episcopi tibi præjudicare non posse, tua pars proponebat constanter, cum non sit per testes sufficienter ostensum, quod ecclesiæ supradictæ in ejus sint diœcesi constitutæ. Contra donationem prædecessoris tui ex tua fuit parte responsum, quod, cum abbas interrogatus in jure responderit, quod idem prædecessor non habuerat potestatem ill spiritualia conferendi, indignum est, ut illius intrumenti occasione commodum consequatur, quod in judicio non erubuit impugnare. Præsertim, cum illud authenticum esse minime constitisset, et maxime, cum, postquam donatio illa proponitur esse facta, monasterium ipsum ecclesiæ tuæ in decimis et aliis episcopalibus juribus pro illis ecclesiis certum sit per multa tempora respondisse, sed et super metu, per quem prænominatæ compositiones interpositæ proponuntur, tua pars proponebat abbatem ipsum nullatenus audiendum. Nam, etsi compositionis tempore metum adhibitum fuisse constaret, quia tamen postmodum tam decimæ, quam aliorum jurium episcopalium, spontanea fuit ac libera subsecuta solutio, coactionis obtentu nequeat se idem abbas rationabiliter excusare. His igitur, et aliis, quæ coram prædictis judicibus, et coram nobis fuere proposita, plenius intellectis, [*cum nobis facta fuerit plena fides* (615), *quod ecclesiæ sæpedictæ* (616) in tua sint diœcesi constitutæ, non solum per alia, verum etiam per hoc ipsum, quod in instrumentis conpositionum continetur expresse, ut abbas (617) tibi, tam de quarta decimarum, *circa quas tantum asserebat violentiam esse factam* (618-619), quam de cæteris episcopalibus *rationibus, circa quas nullam conquerebatur sibi violentiam irrogatam* (620), debeat respondere, *de consilio fratrum nostrorum*, abbatem *Pinnatensem* (621) ad integram solutionem quartæ omnium decimarum, nullis factis deductionibus, et ad præstationem procurationum et aliorum episcopalium in prædictis ecclesiis condemnamus. Licet enim, ex forma secundæ compositionis, deductiones essent aliquæ faciendæ, quia tamen compositionem *illam* (622) idem abbas nullatenus approbavit, sed studuit multipliciter impugnare (623), ex ea non debuit beneficium consequi, cui renuntiare tacite videbatur. Absonum erat præterea, ut negaret illam Ecclesiam in tua esse diœcesi constitutam, super qua instrumentum prædecessoris tui ostendebat in jure monasterio *suo* fuisse concessam, per quod jus episcopole patebat expresse.]

Datum Ferentini, II Nonas Augusti, anno nono.

## CXLIV.

..... ABBATI ET CONVENTUI SANCTI PONTIANI LUCANI.

*Quod J. amotum a monasterio propter delictum non teneantur recipere.*

(Ferentini, IV Non. Augusti.)

Per vestras nobis litteras intimatis, quod Joannes, qui quondam, exigentibus culpis suis, a monasterio vestro regulariter est amotus, licet sententiam contra ipsum de amotione perpetua promulgatam, auctoritate curaverimus apostolica confirmare, nihilominus tamen occasione litterarum nostrarum, quas impetrat tacita veritate, vos et vestrum monasterium inquietat. Volentes itaque fraudulentis

(615) In Decretal. *quia nobis fides facta fuit, quod Ecclesiæ de Luna et de Bes.* Pith. in marg. al. *de Luna, de Togst.*

(616) In Decretal. add. *S Joannis Prilaten.*

(617) Pith. in marg. al. *Platen.*, al. *Prælaten.*, al. *Præmaten.* omnia legend. *Pinnaten.*

(618-619) In Decretalibus desunt.

(620) In Decretal. *tibi.*

(621) Desunt in Decr. ut mox vox *Pinnatensem*, et infra add. *jurium* post *episcopalium.*

(622) Deest in Decret., ut infra vox *suo.*

(623) Non deerat tutior exceptio, quæ siletur hic; nimirum, quod hocce monasterium esset exemplum, cum ecclesiis et villis, ab omni jugo et censu regiæ et episcopalis potestatis, ex epistola Sancii IV, regis Aragonum, quam II. Blanca exscripsit : *Dignæ recordationis Sancius rex, avus meus, inter cætera bonæ voluntatis suæ opera, constituit in monasterio S. Joannis Baptistæ de Penna congregationem monachorum, qui ut libere Deo servire possent, eis libertatis privilegia dedit. Nam ipsos, successoresque eorum et locum, cum omnibus monasteriis et villis et alodiis, suo juri pertinentibus, facto privilegio secundum privilegia Cluniacensis monasterii, ab omni jugo vel censu regiæ, vel episcopalis, vel alicujus ecclesiasticæ, vel sæcularis potestatis, auctoritate regali favente et annuente Manlio, Aragonensi episcop*, etc. (Intellige Jacetanum episcopum diœcesanum, qui dictus est Aragonensis episcopus, quod olim Jacca fuerit regia Aragonum.) Sed id forte non fuit objectum ab abbate.

versutiis obviare, ac quieti vestræ paterna sollicitudine providere, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut nullus omnino per litteras hactenus impetratas a nobis, vel in posterum impetrandas, harum mentione non habita, vos eidem Joanni super monasterio vestro respondere compellat, sed eidem, ab eo juste depulso, regressum sciat perpetuo interclusum. Nulli ergo... si quis autem, etc. A

Datum Ferentini, IV Nonas Augusti, anno nono

CXLV (624).

... ABBATI SANCTI EUGENII, ET... PLEBANO SANCTI PETRI IN PISSIDE, ET BONIFACIO, CANONICO PLEBIS DE MARCULFO, SENNENSIS ET FLORENTINÆ DIOECESEON.

*Quod sententiam excommunicationis ab episcopo Wulterano latam faciunt observari.* B

[Sua nobis] venerabilis frater noster... Wulteranus episcopus (625), fecit insinuatione monstrari, quod, cum clerici plebis de Petiole jurassent sibi præpositum ad laicorum eligere voluntatem, et electione taliter celebrata sibi præsentassent electum, ipse non solum electionem ipsius renuit confirmare, verum etiam tam consules et alios laicos, qui ad hoc impulerant clericos supra dictos, quam ipsos clericos, pro his et aliis, in quibus eidem inobedientes exstiterant, excommunicationis vinculo innodavit, et ad venerabilem fratrem nostrum... archiepiscopum Pisanum (626), et... Lucanum episcopum (627), destinari obtinuit scripta nostra, ut sententiam ipsam, sicut fuerat rationabiliter promulgata facerent appellatione remota usque ad satisfactionem congruam firmiter observari. Pars autem adversa, venerabilis fratris nostri, P. Portensuis episcopi (628) vicarii nostri, ad eumdem Lucanum episcopum et dilectum filium, P. tituli Basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem (629), litteras impetravit, qui occasione illarum dictos laicos et clericos absolverunt, contra memoratum Wulteranum episcopum sententiam promulgantes, a qua idem episcopus, licet ipsam multiplici ratione crediderit esse nullam, ex abundanti tamen nostram audientiam appellavit. [Nos igitur. vicarii litteras æstimantes per subreptionem obtentas, quoniam jurisdictio vicarii, quem Romanus pontifex in urbe *relinquit* (630), non extenditur extra illam (631), nisi ei specialiter sit concessum, præsertim cum ipse moratur in sua provincia speciali, videlicet inter Capuanam provinciam et Pisanam, *discretioni vestræ per apostolica scripta* mandamus, quatenus, quidquid occasione litterarum illarum actum est in irritum *revo-*

(624) Fragmentum epistolæ hujus reperitur inter Decretales, lib. I tit. 28 *De officio Vicarii*, cap. 5.

(625) Vide epistolam libri octavi 156, not.

(626) Vide epistolam libri tertii 9, not.

(627) Vide epistolam libri quinti 160, not.

(628) Vide epistolam libri quinti 69, not.

(629 « Mag. Pandulphus Masca, patria Pisanus, non Lucensis, ut scribit Didacus de Franchis, in vita S. Joannis Gualberti, a Callixto II, Romano pontifice, ordinatus est subdiaconus sacri palatii apostolici, ut ipsemet testatur in vita ejusdem Callixti II, his verbis ; *Fecit ordinationes in urbe cardinalium et episcoporum quamplures, atque Pandulphum ad subdiaconatum promovit.* A Lucio vero tertio presbyter cardinalis Basilicæ SS. duodecim apostolorum renuntiatus, Cœlestini item III jussu, legationis munere functus est Genuæ, ad discordias civiles componendas et pacem cum Pisanis procurandam. Legatus quoque ab Innocentio III, cum Bernardo, tituli Eudoxiæ presbytero cardinali, in Tusciam missus est, ut fœdera civitatum Etruriæ, quæ inconsulta sede apostolica facta fuerant, irritaret, præsertim, cum ducatus Tusciæ ad jus et dominium Ecclesiæ Romanæ pertineret. Legatione etiam functum esse Pandulphum in Anglia. Godwinus in catalogo episcoporum Norvicensium et Matthæus Westmonasteriensis, volunt, sed errant ; nam nostrum Pandulphum cum alio confundunt, qui, ex S. R. E. legato, episcopus deinde renuntiatus est Norvicensis. Interfuit creationibus Romanorum pontificum, Urbani scilicet, Clementis, Cœlestini, atque Innocentii hujus nominis tertii, et adfuit canonisationi S. Joannis Gualberti, fundatoris monachorum Vallis-Umbrosæ. C

« Scripsit maximorum pontificum vitas, a sancto Petro apostolorum principe, ad suam ætatem, hoc est usque ad Innocentium III, atque harum quasdam partim composuit, partim a Damaso, Anastasio et Petro Guillelmo excerpsit. Hoc Pandulphi opus, nondum editum, manuque exaratum, exstare in Bibliotheca Vaticana numero 226 et 3762, et apud Alexandrum Cherubinum de antiquitate benemerentem, refert Constantinus Cajetanus, abbas S. Barontii, in Commentariis ad Gelasii II. vitam. Justo etiam volumine descripsit res a Pisanis, vel domi forisque, vel pace belloque præclare gestas ; quod tamen opus licet a multis dilligentissime perquisitum in tenebris adhuc latitat. Porro, de Pandulpho, quem Vaticanæ præsertim Bibliothecæ monumenta claro magistri titulo donant, Gelasii II Romani pontificis familiari, ac peregrinationis comite individuo, hoc scripsit elogium Guillelmus Eisengrenus in catalogo testium veritatis, sub anno 1184: *Pandulphus, Pisanus, sacræ Paginæ doctor. S. R. E. subdiaconus, presbyter cardinalis sanctorum duodecim apostolorum, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex, et orator eloquens, historicus celeberrimus, nec ulli theologorum secundus.* Inter alia, tum antiquorum, tum recentiorum, monumenta, ejusdem Pandulphi meminere Lucii tertii, Urbani tertii, Clementis tertii et Innocentii tertii diplomata; pluribus etiam ejusdem Innocentii Registrum,

« Quod autem ad Pandulphi mortis annum spectat, longa illum ætate confectum obiisse, id imprimis ostendit, quod jam a Callixto secundo subdiaconum ordinatum, ut diximus. eumdem Lucius papa III anno nostræ salutis 1182, presbyterum cardinalem creaverit: ostendunt etiam Innocentii III diplomata quibus ipse Pandulphus subcripsit anno Dominicæ Incarnationis 1201, data Veronensi Ecclesiæ S. Mariæ de Glarea; post quem annum cum nulla de eodem reperiatur memoria, facile credi potest, illum non longe ab eodem anno exuisse mortalitatem. » OLDOIN. *ad Ciacon.* tom. I, col. 1114. D

Pandulphum usque ad annum saltem 1206, V Id. Augusti vitam produxisse, ex hac Innocenti epistola evincitur.

(630) In Decretal. *reliquit*, et infra om. verba, *discretioni... scripta.*

(631) Præfecti prætorio Italiæ vicarii tres fuere. primus vicarius Urbis, secundus Italiæ, tertius Africæ. Vicarius Urbis jurisdictionem habuit intra urbem et quadragesimum lapidem seu milliare. Cassiodor. lib. VI, epist. 15, in formula vicarii Urbis: *Intra quadragesimum sanctissimæ urbis jura custodis.*

*cantes* (632,] prædictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter lata est, faciatis usque ad satisfactionem condignam, appellatione postposita, firmiter observari. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc. duo, etc.

Datum Ferentini, v Idus Augusti, anno nono.

CXLVI.

... ARCHIEPISCOPO TURRITANO.

*Quod absolvat Ecclesiam de Thergo a solutione census si invenerit immunem.*

(Ferentini, v Idus Augusti.)

Dilectus filius, R. tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyter cardinalis, Casinensis abbas (633), nobis humiliter supplicavit, ut, cum Casinense monasterium ecclesiam Sanctæ Mariæ de Thergo per centum annos et ultra possederit sine lite, nihil unquam nomine census pro ea Ecclesiæ Romanæ persolvens, sicut prælati et subditi omnes, qui fuerunt in ea asseverant constanter, tibi scribere dignaremur, quatenus non exigas censum ab ecclesia memorata. Licet igitur census, et munimenta publica, secundum leges humanas, sint testibus potiora, volentes tamen abbati morem gerere supradicto, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus audias quæ idem ad excusationem suam duxerit proponendum, et, si, legitime poterit edocere, quod dicta ecclesia ad solutionem census minime teneatur, ipsam ab ejusdem solutione prorsus absolvas; alioquin, ipsam ad solutionem census ejusdem, juxta traditam tibi formam, appellatione remota, compellas.

Datum Ferentini, vi Idus Augusti, anno nono.

CXLVII (634).

ARCHIEPISC. ET EPISC. PER SARDINIAM CONSTITUTIS.

*Ut juxta promissum et sacramentum, compellant dominam de Gallura ad matrimonium contrahendum cum consobrino papæ.*

CXLVIII.

PATRIARCHÆ (655), ET CAPITULO CONSTANTINOPOLITANO.

*Quod recipiant C. clericum in canonicum ecclesiæ Sanctæ Sophiæ.*

(Ferentini, vii Kal. Septembris.)

Novellæ plantationis initium, quam, per insperatæ novitatis eventum, Ecclesia Constantinopolitana recepit, magnæ sollicitudinis studio incrementum recipere convenit et processum, ut inchoata feliciter dispositione provida dilatentur, et stabilitatis robore salubriter fulciantur, quod eo facilius poterit provenire, si viris scientia et honestate conspiscui, in Constantinopolitanis ecclesiis collocentur, qui utique non solum honestis monitis, sed etiam sunt munificentiis inducendi, ut ad Constantinopolitanam transeant civitatem, ut, quanto majoribus periculis se exponunt, tanto amplioribus beneficiorum retributionibus honorentur. Cum igitur dilectus filius, P. (636) tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, dilectum filium, magistrum C. familiarem suum, in ecclesia Sanctæ Sophiæ Constantinopolitana canonicum instituerit, nos institutionem ipsius, utpote canonicam, approbantes, discretioni vestræ per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus magistrum ipsum quem suæ probitatis intuitu charum habemus admodum et acceptum, qui etiam vobis et ecclesiæ vestræ, tam per se quam per cardinalem ipsum, existere poterit plurimum fructuosus, recipientes in ejusdem ecclesiæ canonicum et in fratrem, in corporalem possessionem ipsius eumdem inducere ac inductum defendere, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, nullatenus postponatis. Nolumus autem, quod idem magister ex eo debeat aliquatenus impediri, quod, dicti cardinalis mandatis obediens, cum ejus litteris ad sedem apostolicam laboravit. Sicut enim ipsi studuit hactenus fideliter deservire, sic vobis servire curabit, ut credimus, efficaciter et devote. Volumus etiam, quod eidem clerico non obsistat, quod in prædicta ecclesia Sanctæ Sophiæ certum canonicorum numerum tu, frater patriarcha, diceris statuisse, cum id institutioni prædicti cardinalis non debeat derogare. Taliter autem studeatis nostrum adimplere mandatum, quod propter hoc sæpe dictus clericus non cogatur ad nos denuo labore; non enim possemus hoc æquanimiter sustinere, cum ab orientalibus partibus ad apostolicam sedem transitus sit difficilis, et multipliciter impeditus.

Datum Ferent. vii Kal. Sept. anno nono.

CXLIX.

ABBATI ET CONVENTUI FOSSÆ-NOVÆ.

*Conventio inter eos et populos Piperni confirmatur.*

(Ferentini, v Kal. Septembris,)

Cum apostolica sedes ab ipso pacis et unitatis auctore privilegium receperit principatus, nos, qui eidem, licet immerito, præsidemus, ex injuncto nobis officio servitutis astringimur, ea, quæ sunt

Præter ditionem quam vicarius habuit in urbe, ei paruere decem provinciæ Italiæ, Campania, Tuscia, Umbria, et aliæ quæ enumerantur in Notitia Occidui imperii. Restitutam per pontifices dignitatem vicarii Urbis, et, præter jurisdictionem quam habuit in urbe eumdem habuisse propriam diœcesim in illo tractu, qui jacet inter Capuanam et Pisanam provinciam, nobis indicat Innocentius in hac epistola, ex quo jurisdictio vicarii Urbis non porrigitur extra urbem, nisi specialiter ei concessum esset, præsertim, cum ipse moratur in sua speciali provincia. Joannem, in urbe præfectorum locum tenentem memorat Gregor. III, Dialog. cap 3: *Joannes quoque, vir magnificus in hac urbe locum præfectorum servans*, etc. A pontificibus etiam restitutam dignitatem præfecti Urbi, et præfectum Urbi Innocentio III, statim post consecrationem, fidem, hominium ligium præstitisse et præfecturæ investituram ab eo recepisse, per traditionem manti, testis ipse Innocentius lib. I, ep. 23.

(632) Decretal. *revocetis.*

(633) Vide epistolam libri quinti 108, not.

(634) Apographum epistolæ hujus, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. — Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 36.

(635) Vide epistolam libri octavi 19.

(636) De isto jam dictum est sæpius.

concordia terminata, ne in iteratæ quæstionis scrupulum reducantur, in suo robore confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, etc. *usque* assensu, conventionem, inter vos ex una parte, et consules ac populum Piperni ex altera initam, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta et hactenus observata, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti, etc. Cujus conventionis tenorem, prout in instrumento publico continetur, præsentibus litteris fecimus annotari. « *Quoniam ea, quæ* inter homines fiunt, « sæpe solent publicis commendari scripturis, « ideo, ego Robertus Sitinus, sanctæ Romanæ Ec- « clesiæ judex, mandato domini Guidonis de Babuco, « domini papæ subdiaconi, publicas et memoriales « litteras facio, de conventione habita inter consu- « les ac populum Piperni ex una parte, et mona- « chos monasterii Fossæ Novæ ex alia, ut, si de ea « quandoque dubitari contigerit, ipsarum relatione « veritas demonstretur. Cujus conventionis tenor « est talis : Monachi de Fossa Nova promiserunt « fodere ripas fluminis a Stortura usque ad Pilam « in latitudine, quantum ipsi Pipernenses incœpe- « runt, in profundum vero usque ad aquam sine « fraude, et a Pila inferius quadraginta cannas, « dummodo domini de Somninoin his quadraginta « cannis impeditum non præstent. Postquam vero « semel opus factum fuerit, nullo modo monachi ex « conventione ad reparationem tenebuntur, pro quo « consules et populus Piperni, juramento corporali- « ter præstito, promiserunt salvum facere monaste- « rium de Fossa-Nova, et res ejus. intus et deforis, « et nullam in personis, seu rebus ipsius, inferent « violentiam. et statuent certum bannum in unam- « quamque personam quæ contra fecerit; quod « bannum auferent consules. et alii boni homines, « qui ad hoc specialiter juratierunt, et non reddent. « Præterea consules, qui pro tempore erunt, jura- « bunt hoc observare sine fraude et malo ingenio. « Hoc autem tenentur observare dehinc ad decen- « nium, et, si, infra hoc decennium, homines de « Piperno renovabunt juramentum de usu, similiter « renovabunt pro monasterio Fossæ Novæ; quod de- « cennio completo, servabunt et tenebunt juramen- « tum de usu, et renovabunt pro monasterio Fossæ- « novæ, quemadmodum tenent et observant pro « ecclesia Sanctæ Mariæ de Piperno, et reliquis « ecclesiis Piperni, salvis rationibus tam communis « quam specialium Piperni, necnon monasterii « *Fossæ-Novæ.* » Nulli ergo, nostræ confimationis etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, v Kalendas Septembris, anno nono.

### CL.

CLERO BARCHINONENSI.

*Quod sacramentum fidei tam Saraceno quam Judæo petentibus non negetur.*

(Ferentini, VII Kal. Septembris.)

Orta tempestate in hoc mari magno et spatioso, et in genere periclitante humano, verus Jonas, Dei Filius, Jesus Christus, in altitudinem ejus veniens, se permisit ab ipsa tempestate demergi, ut nos Deo reconciliaret in suo sanguine, ac in suam imaginem transformaret, innovaretque per lavacrum regenerationis ejusdem sanguine consecratum non excludens conditionem vel sexum, sed, sine personarum acceptione, illud commune instituit sacramentum, per quod in adoptione filiorum Dei ex omni genere poterit assumi. Ex lapidibus namque suscitans filios Abrahæ, ipsos ab Oriente ac Occidente congregat et adducit, dicens aquiloni : *Da*, et austro : *Noli prohibere* (*Isa.* XLIII) ut videlicet filios, quos ei gentilitas tribuit, seu adversitas adducit ad fidem, renati fonte baptismatis, quorum aromata defluunt flatu austri, seu etiam hi quibus arridet prosperitas, non prohibeant baptizari, sed, quacunque occasione illi fidei recipiant sacramentum, gaudeant et lætentur, quia fratres, qui mortui fuerant, revixerunt et perditi sunt inventi. Nec autem debent lucrum præponere temporale gaudiis angelorum, qui super uno peccatore pænitentiam agente, magis quam supra nonaginta novem justos, qui pœnitentia non indigent, delectantur, ne forte inhiando terrenis, indignos se reddant cœlestibus, et amittant pro temporalibus sempiterna. Sane, ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod, cum generale baptismum in ecclesia vestra celebratur, quamplures Saraceni, concurrentes ad ipsum, cum instantia postulant baptizari, quorum domini, tam Judæi quam et Christiani, timentes admittere commodum temporale, eos prohibere præsumunt ab Ecclesia pretium requirentes pro illis quos regenerat Domino per baptismum, et pignora vobis pro ipsis per violentiam auferentes, auferendo alias gravamina nihilominus et jacturas. Cum igitur Ecclesia quoslibet venientes ad agnitionem fidei, relicto vetustatis errore, recipere debeat et pulsantibus gremium aperire, et auster prohibere non debeat baptizari filios aquilonis, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus nemini petenti sacramentum fidei denegetis, sed tam Judæos quam Saracenos, illud humiliter postulantes, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad Redemptoris gloriam baptizetis, Christianos, qui præsumpserint impedire, vel ab Ecclesia exigere præmium pro renatis, ab hujusmodi præsumptione cessare, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellentes. Judæis autem, nisi per charissimum in Christo filium nostrum... Aragonum regem illustrem, ab hac nequitia fuerint revocati, Christianorum commercia per discretionem ecclesiasticam, appellatione postposita, subtrahatis.

Datum Ferentini, VII Kalendas Septembris, anno nono.

—

CLI.

... EPISCOPO PENNENSI (637).

*Quod compellat clericos Sancti Sarotini, ut permittant homines castri Laureti recipere chrisma in ecclesia Sancti Petri de dicto castro.*

(Ferentini, VIII Id, Septembris.)

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod cum apud castrum Laureti duæ sint baptismales ecclesiæ, quarum una, videlicet Sancti Petri, sita est infra castrum, altera, scilicet Sancti Petri, sita extra casfrum existit, sexta pars hominum ipsius castri, quæ apud ecclesiam Sancti Serotini baptismum recipere consuevit, sine difficultate nimia nequit accedere pro baptismo ad ecclesiam memoratam, propter quod fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus concedere dignaremur, ut apud ecclesiam Sancti Petri baptismus tantummodo celebretur. in qua homines castri possunt commodius convenire. Nolentes igitur sic eidem ecclesiæ facere gratiam, ut alteri damna gravia infligantur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita diligentius veritate, clericos illius ecclesiæ diligenter moneas et inducas, ut a sæpedicta ecclesia sancti Petri, si fieri potest, idonea recompensatione recepta, homines castri, qui apud eos consueverant baptisma recipere parvulorum, in ecelesia Sancti Petri ad baptismum convenire permittant; alioquin, ipsos ad hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas.

Datum Ferentini, VIII Idus Septembris, anno nono.

CLII.

... EPISCOPO ET CAPITULO PAMPILONENSIBUS.

*Quod H. clericum recipiant in canonicum.*

(Ferentini, XIII Kal. Septembris.)

Si ad Deum et sacrosanctam Romanam ecclesiam, matrem vestram, debitum haberetis cum devotione respectum. preces nostras pariter et præcepta reciperetis devotius, et curaretis studiosius adimplere, ubi præsertim vos ad illud inducere nitimur per mandatum, ad quod, si qua sunt in vobis viscera pietatis, propria liberalitas et fraterna compassio inducere vos deberent. In nostra sane præsentia constitutus dilectus filius, Hel. pauper diaconus, supplici nobis insinuatione monstravit, quod, cum pro eo bonæ memoriæ G... Pampilonensi episcopo, et vobis, filii canonici, scripserimus jam secundo, ut eum, ob reverentiam beati Petri et nostram, in fratrem vestrum et canonicum recipere curaretis, vos, tam præceptum nostrum, quam monitiones dilectorum filiorum, P. Eximin. archidiaconi Mensal. G. Arnaldi, et M. de Tudela, canonicorum Pampilonensium, quos eidem clerico concessimus monitores, surdis auribus transeuntes, sicut monitorum ipsorum præsentatæ nobis litteræ continebant, id efficere contempsistis, licet idem diaconus per dictum prædecessorem tuum, frater episcope ad sacros ordines asserat se promotum, et in ecclesia vestra aliquandiu servierit humiliter et devote. Volentes igitur ad effectum perducere quod de ipso diacono misericorditer duximus inchoandum, per apostolica vobis scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus saltem hac vice taliter mandatum apostolicum adimplere curetis, ut idem diaconus assecutum se gaudeat quod intendit, et præteritæ inobedientiæ vitium per sequentem valeat obedientiam expiari. Alioquin, vobis erit merito formidandum, ne, priusquam per alium id fecerimus adimpleri, in vos taliter ulciscamur, quod experiamini per affectum, quam temerarium fuerit apostolicis jussionibus toties contraire.

Datum Ferentini, XIII Kalendas Septembris, anno nono.

CLIII.

.... ABBATI SANCTI VICTORIS (638) .... ARCHIDIACONO ET .... DECANO SANCTI GERMANI AUTISSIODORENSIS (639) PARISIENSIBUS.

*Causam inter G. diaconum, et F. de Canduerre, Noviomensis diœceseos, super decima quadam vertentem, ipsis committit* (640).

(Ferentini. VII Idus Septembris)

In nostra præsentia constitutus dilectus filius, G. diaconus, lacrymabili nobis insinuatione monstravit, quod, cum quædam decima, quæ ipsi a venerabili fratre nostro, Th. olim Ambianensi episcopo (641), fuerat assignata, quam F. de Canduerre, Noviomensis diœceseos, postmodum contra justitiam occupavit, illam hæreditario jure ad se asserens pertinere, a dilectis filiis.... abbate Longipontis (642), et W. Normano, Suessionsnsi canonico, per definitivam sententiam eidem G. adjudicata fuisset, et in ipsum F. quia restituere nolebat ablata, et ab ejus molestatione cessare, excommunicationis sententia promulgata, et demum per dilectos filios... decanum (643).... præpositum (644), et archidiaconum Ambianenses, auctoritate nostra tam definitiva quam excommunicationis sententia confirmata fuisset, et exsecutioni mandata, tandem præfatus F. ad venerabilem fratrem nostrum.... Noviomensem episcopum (645) et conjudicss suos, præmissorum tacita veritate nostras litteras impetravit, propter quod supradictus G. ad sedem apostolicam rediens, per octo menses et amplius exspectavit, sed pro parte altera nullus comparuit idoneus responsalis. Nos vero, prædictam definitivam senten-

(637) Vide epistolam libri tertii 10, not.

(638) Vide epistolam libri sexti 168.

(639) Jobertus, vel Josbertus, vel Jebertus. decanus S. Germani Autissiodorensis Parisiensis, reperitur in instrumentis, ab anno 1203 usque ad annum 1207. *Gall. Christ.*, tom. VII, col. 256.

(640) Conferenda epistola libri septimi 122.

(641) Vide epistolam libai octavi 45.

(642) Vide epistolam libri septimi 125, not.

(643) Vide ibid. not.

(644) Ibid. not.

(645) Vide epistolam libri quinti 41 not.

tiam, sicut erat justa, ratam habentes, dilectis filiis..... abbati Sancti Auberti (646)..... decano (647), et..... cantori Cameracensibus, districte dedimus in præceptis, ut, quia de præmissis, tam per delegatorum, quam prædicti Ambianensis episcopi litteras nobis facta fuerat plena fides, supradictum F. J. patrem et fautores ipsius, ab ejusdem G. indebita molestatione cessare et ablata restituere universa ac illos, ad quos pertinet decimam solvere memoratam, ut ipsam eidem G. sine difficultate persolverent, per excommunicationis sententiam, appellatione postposita, cogere procurarent (648). Qui, cum in nostri exsecutione mandati diligenter procedere curavissent, et sententiam in sæpedictum F. de Canduerre, J. patrem ejus et alios, de quibus mandatum habuerant, districte B præcepissent servari, ipsis postmodum ex parte dilectorum filiorum, decani (649), et S. et S. canonicorum Noviomensium, fuerunt litteræ præsentatæ, quibus cujusdam rescripti tanquam a nobis obtenti, tenor erat insertus; quod alterius rescripti revocatorium videbatur; cujus rescripti cum authenticum postularent, ut, facta collatione, discernerent ad quos cognitio pertineret, idem decanus et conjudices, authentici copiam minime facientes, prædictos F. et J. absolutos præceperunt publice nuntiari, ipsum G. diaconum, ad suum judicium evocantes. Prædicti vero abbas Sancti Auberti et conjudices sui, rescriptum illud, quia stylum et formam solitam non habebat, reputantes manifesta ratione suspectum, cum viris in jure peritis concilium habuerunt, quorum deliberatio consulebat, quod ita libere procedere poterant, ac si nullæ litteræ fuissent posterius impetratæ; quod consilium cum prædictis decano et S. canonicis Noviomensibus nuntiassent, mandantes eisdem, ne mandati nostri exsecutionem ulterius impedirent, ipsi nihilominus eos absolutos publice nuntiabant, quos illi dicebant vinculo excommunicationis astrictos, propter quod scandalo pariter et dissensione subortis, ipsius diaconi negotium non potuit consummari; quare coactus est iterum ad nostram præsentiam laborare. Cum igitur litteras illas, per quas memoratus F. et J. pater ejus, conati sunt alias revocare, vehementer habeamus falsitate suspectas, discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipimus, quatenus quidquid earum occasione actum est suspendatis, cogentes illos per districtionem ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ad exhibendum vobis litteras, memoratas, et, eas diligentissime intuentes, si poteritis ipsarum deprehendere falsitatem, his, qui usi sunt eis in tantam A apostolicæ sedis injuriam, et præfati diaconi læsionem, super ipsa causa perpetuum silentium imponatis. Quod si per vos non potueritis earum deprehendere falsitatem, easdem nobis litteras per fidelem nuntium sub sigillorum vestrorum testimonio dirigatis, præfigentes partibus terminum peremptorium, quo, super tota causa sufficienter instructa, nostro se conspectui repræsentent, diffinitivam sententiam recepturæ. Si vero nec litteras illas exhibere voluerint, nec ad præsentiam nostram venire, vos sententias, pro prædicto clerico promulgatas faciatis appellatione remota, sublato cujuslibet contradictionis obstaculo, per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, nullis litteris obstantibus, si quæ de cætero ad petitionem B partis adversæ apparuerint impetratæ, vel hactenus post prædictas litteras, quas vehementer habemus de falsitate suspectas, impetratæ fuerint, denuntiantes eos auctoritate nostra excommunicationis vinculo innodatos, qui procedere quoquo modo præsumpserint occasione talium litterarum, cum nolimus ulterius ex conflictu repugnantium litterarum sedi apostolicæ insultari ab his qui, nescientes distinguere inter veritatem et falsitatem, temere nobis hujusmodi contrarietatem ascribunt. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, VII Idus Septembris, anno nono.

## CLIV.

ABBATI ET FRATRIBUS MONASTERII FOSSÆ-NOVÆ.

C *Confirmatur compositio facta inter eos et populum Pipernensem* (650).

(Ferentini, III Non. Septembris.)

Illa diutina quæstio, quæ inter vos et populum Pipernensem, super querelis variis et diversis diutius agitata est, sicut ex publico instrumento exinde facto perpendimus, ad amicabilem tandem compositionem, Domino cooperante, pervenit. Inter cætera siquidem, quæ in ipsa compositione sunt comprehensa, statutum est ut possessiones, quas nunc in territorio Pipernensi tenetis, de cætero debeatis in omni pace tenere, ita, quod non liceat Pipernenses aliquam vobis super his aliquando litem, vel quæstionem movere, vel gravamen seu molestiam irrogare, et præcipue super terris Droguli, Salconeti vel D Turricellæ, aut de territorio Sanctæ Mariæ, vel de affinibus præsepti ejus, sed potius termini, sicut in præsepto continentur, et sunt designati, in omni ab altura Romana juxta vetus ædificium in via Murelli. Alter terminus est, qui dicitur Petræfictæ in eadem via juxta locum Rocellæ. Cannetum autem majus, quod latus ejusdem possessionis disterminat,

(646) Vide epistolam libri septimi 48, not.

(647) Adam, Cameracensis decanus, notus est in instrumentis, ab anno saltem 1192, usque ad annum saltem 1219. *Gall. Christ.* tom. III, col. 70.

(648) Ex hac Innocentii epistola restituenda est inscriptio epistolæ libri septimi 122, quæ *abbati S. Auberti, decano et cantori Cameracensibus* directa fuit; ut ex iis quæ hic dicuntur certo certius evincitur.

(649) Vide epistolam libri noni 118. not.

(650) Vide epistolam libri noni 149.

illud est quod ultra silvam invenitur, et usque ad A Cannetum illud pertingens possessio, ac deinceps usque ad terminos qui antique præsepto continentur, sine aliqua vobis remaneat quæstione. Quam utique compositionem in his et in aliis, sicut de communi assensu partium facta est, et in instrumento publico continetur, ratam habemus et firmam, eamque ad exemplar bonæ memoriæ Lucii papæ, prædecessoris nostri, auctoritate apostolica confirmantes, præsentis scripti patrocinio communimus. Præterea, de clementia vobis apostolicæ sedis duximus indulgendum, ut quæcunque persona aliquam possessionem in territorio Pipernensi tenuerit, sive de Cesis silvæ, quæ spectat jus et proprietatem beati Petri, et nostram, sive de quibuslibet aliis terris, si eam monasterio vestro donationis venditionis, commutationis, seu legati titulo juste conferre voluerit, ea persona possessionem ipsam sine contradictione qualibet conferendi, et vos eam recipiendi habeatis liberam facultatem, nec vobis vel eidem personæ super hoc molestiam vel gravamen aliquis inferre præsumat. Nulli ergo... nostræ concessionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini, III Nonas Septembris, anno nono.

## CLV.

... VERULANO EPISCOPO (651).

*Ut homines castri Frusinonensis ecclesiæ bona occupantes compescat.*

(Ferentini, IV Kal. Augusti.)

In renovatione locationis, quam de castro fecimus Frusinonensi, expresse fuimus, illis præsentibus C quibus fiebat locatio, protestati, quod a gravaminibus et abusionibus consuetis volebamus illos circa clericos et ecclesias omnino cessare. Cum igitur in eodem castro nihil plus habeant, nisi quantum est illis ex nostra concessione collatum, auctoritate præsentium inhibemus, ne contra res et personas ecclesiasticas manus extendant, in ipsorum præjudicium et gravanem; et fraternitati tuæ præsenti pagina indulgemus, ut eos, nisi commoniti resipuerint, per censuram ecclesiasticam a sua præsumptione compescas. Nulli...paginam nostræ inhibitionis et concessionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Ferentini. IV Kalendas Augusti, anno nono.

(651) Vide epistolam libri quinti 148, not.

(652) Vide epistolam libri octavi 45, not.

(653) Vide epistolam libri tertii 25, not.

(654) Erat is, Ramaldus, de quo, ac ipsius successore, Assone, hæc apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. III, col. 427:

« X. Rainaldus, circa annum 1195, eas silvas, quas juxta Waurechin possidebat. Balduino Henniacensi abbati, accepto pretio in perpetuum tradidit. Item, anno 1197, VIII Id. Martii, jus, quod habebat in grangia de Dorlens, Simoni Aquicinctesi vendidit pro trecentis libris Parisiensibus, præsente Petro Atrebatensi episcopo ac testibus Gregorio quondam abbate et Desiderio priore. Obiit autem hoc ipso anno, ex Locrio, non, ut habent Sammarthani, 1199, 30 Augusti.

## CLVI.

...CANTORI. EX FULCONI DE SANCTO REMIGIO, ET MAGISTRO ADÆ, CANONICIS REMENSIBUS.

*Ut H. presbyterum ab episcopo Atrebatensi provideri faciant.*

(Ferentini, II Idus Septembris.)

Significavit nobis H. presbyter quod, cum olim litteras nostras in forma communi ad venerabilem fratrem nostrum...Atrebatensem episcopum (652), cujus prædecessor (653) eumdem, ad præsentationem bonæ memoriæ...abbatis de monte Sancti Eligii (654), ordinarat in subdiaconum, impetrasset, et exsecutorias postmodum ad dilectos filios, S. de B Vallibus, et R. Surdelt, canonicos, et J. decanum Sancti Petri de Poro Laudunensi, obtinuisset a nobis, ipsi, quoniam in eorum præsentia objectum exstitit assensu a venerabili fratre nostro, Tiburtino episcopo (655), se fecisset in diaconum et presbyterum ordinari, non tenebatur eidem dictus episcopus providere, nec volebat etiam quod in sua diœcesi celebraret, in negotio ipso procedere noluerunt: quare præfatus H. iterum est coactus ad sedem apostolicam laborare, postulans ut, ejusdem parcentes laboribus, et expensis, per....successorem præsentatoris ipsius, non obstante objectione prædicta, faceremus ipsi misericorditer provideri. Cum igitur provisio pauperum clericorum opus in se contineat pietatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, exceptione prædicta nequaquam obstante, si aliud canonicum non obsistat, successorem præfati abbatis, cum ex præsentatione teneatur ad illud, ut ei juxta formam provideat, qua provideri volumus ab ordinatoribus, seu eorum præsentatoribus, aut successoribus ordinatis, monitione præmissa, per districtionem ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellere non tardetis. Quod si non omnes, etc.

Datum Ferentini, II Idus Septembris, anno nono.

## CLVII (656).

REGI SICILIÆ.

*Congaudet de bono incremento suo; et hortatur ut perseveret in virtute.*

D « XI. Asso, prior Albiniaci, tertio ab urbe Atrebatensi lapide, post annos XI regiminis migravit ad meliorem vitam, 16 Aprilis anno 1208. »

(655) De episcopis Tiburtinis, circa hæc, in quibus versamur, tempora, sic UCHELLUS, *Ital. sacr.* tom. I, part. sign., col. 217:

« Milo, ejusdem ecclesiæ præsul, Lateranensi consilio interfuit sub Alexandro tertio, anno 1179. De eo mentio 1183 in Regesto Sublacensi.

« N.... episcoous Tiburtinus, ab Innocentio tertio, summo pontifice litteras accepit, responditque primæ mulieris voto standum esse, licet postea filium ex alio se suscepisse sciret. Floruit autem circa annum 1209. »

(656) Epistolæ hujus apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus,

CLVIII.

ARCHADIO ET UNIVERSIS GAIETANIS, ANTECLÆ, PLATANÆ, JACI, CELSI, ET OMNIBUS GAIETANIS ET SARACENIS, PER SICILIAM CONSTITUTIS, VERITATEM, QUÆ DEUS EST, INTELLIGERE ET AMARE.

*Commendat eos de fidelitate eorum et constantia erga regem Italiæ.*

(Ferentini.)

Gaudemus plurimum et sinceritatem vestræ fidei commendamus, quod, licet multifarie multisque modis hactenus tentati fueritis, gratia tamen ejus qui, cum neminem a misericordia sua repellat, misericorditer est operatus in vobis, ut tentationibus vestris succumbere non possetis, ab ea, quam erga charissimum in Christo filium nostrum, F. Siciliæ regem illustrem, dominum vestrum, habetis, fidelitatis constantia minime recessistis. Quoniam igitur prope est ut idem rex, qui per gratiam Dei de die in diem prudentia proficit et ætate, pene jam fessa exspectantium pacem ejus desideria recognoscat, sciensque reprobare malum et eligere bonum, unicuique possit pro meritis respondere, universitatem vestram monemus attentius et hortamur, quatenus, attendentes quod bonum incassum agitur, si ante terminum deseratur, et frustra velociter ille currit, qui, priusquam metam attingat, deficit, in puritate vestræ fidei taliter persistatis, quod angustias et labores, quos hactenus pro fidelitate regia pertulistis, Domino permittente, possitis laudabili perseverantia coronare, ac prædictus rex, qui suorum fidelium in proximo potens erit ad consilium nostrum digne remunerare labores, tanto retributioni vestræ fidelitatis intendat, quanto sibi viderit eam bonitate vestra, nostraque sollicitudine conservatam, qui tam per nos quam per ipsum devotioni vestræ congrua præmiorum intendimus vicissitudine respondere.

Datum Ferentini, etc.

VENERABILI FRATRI... METENSI EPISCOPO (658).

*Respondet super diversis interrogationibus et quæsitis.*

(Ferentini, v Kal. Septembris.)

(659) [*Debitum* (660) *officii pontificalis exsolvis, cum super dubiis juris articulis* responso (661) *sedis apostolicæ postulas edoceri.* Sane, *per tuas nobis literas* (662) intimasti, quod quidam Judæus, in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam se ipsum immersit, dicendo: Ego baptizo me in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti (663). *Nunc* (664) *autem quæris,* utrum *idem Judæus, in devotione Christianæ fidei perseverans* (665) *debeat baptizari? Nos autem, fraternitati tuæ* taliter (666) respondemus, quod, cum inter baptizantem et baptizatum debeat esse *discretio* (667), sicut ex verbis Domini colligitur evidenter, dicentis apostolis: (668) *Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti* (*Matt.* XVIII); memoratus Judæus indubitanter est ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est qui baptizatur et alius qui baptizat, ad quod etiam designandum, ipse Christus non a se ipso, sed a Joanne voluit baptizari. Quamvis, si talis continuo decessisset, ad patriam protinus *evolasset,* (669) propter sacramenti fidem, *etsi non propter* (670) fidei sacramentum. In baptismo quippe illa spiritualis *generatio* (671) celebratur, de qua Veritas ait: *Oportet vos nasci denuo, quia, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei* (*Joan.* I). Sicut *ergo* (672) in carnali generatione, *qua* (673) proles ex viro et femina nascitur, alius est qui carnaliter gignit et alius est qui carnaliter gignitur, sic et (674) in sacramentali generatione, qua soboles ex aqua et spiritu renascitur, alius debet esse, qui spiritualiter generet, et alius qui spiritualiter generetur. Sane, cum corpus exterius, sive cum cor interius baptizatur, oportet ut utrobique paternitas et filiatio valeant inveniri, quibus baptizans et baptizatus ad invicem referantur.]

(675-678) [(679) *Secundus autem tuæ dubitationis articulus continebat,* an is, *qui mulierem, ab alio viro traductam, sed non cognitam, sibi matrimonialiter copulavit, valeat ad sacerdotium promoveri? Licet autem is, qui* relictam ab alio (680) *duxit in conjugem, sive cognita fuerit ab illo, sive incognita manserit, videatur duxisse viduam in uxorem utpote*

e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

(657) Epistola hæc reperitur, sed in duas partes divisa inter Decretales;

1° lib. I, tit. 21, *De bigamis ordinandis,* cap. 5.

2° lib. III, tit. 42, *De baptismo et ejus effectu,* cap. 4. Variæ lectiones dantur.

(658) Vide epistolam libri tertii 34, not.

(659) Vide Decretales, libro III, tit. 42, *De baptismo et ejus effectu,* cap. 4.

(660) Quæ sequuntur, Italico charactere distincta, in Decretalib. desunt; verum leguntur apud Pith. in add.

(661) Apud Pith. *responsione.*

(662) Decret. desunt.

(663) In Decretal. add. *Amen.*

(664) Rursus desunt in Decretalibus, leguntur apud Pith. in add.

(665) Apud Pith. add. *etiam.*

(666) Deest.

(667) Sic in Decretalibus; codex vero Barberin. cit. r Pithœo in marg. *distinctio personarum.*

(668) In Decretalibus add. *Ite*; quod deesse in aliquot exemp. vet. monet Pithœus.

(669) Sic, et in Decretalibus; alias. *convolasset,* ut monet Pithœus.

(670) Sic, et in Decretal. In recentior. Cod. legi, *ita et non propter,* sed perperam, monet Pith.

(671) Sic et in Decretalib; alias legi *regeneratio,* monet Pithœus.

(672) Sic, et in Decretal.; alias legi *etiam,* monet Pithœus.

(673) Sic et in Decretal.; alias legi *per quam,* monet Pithœus.

(674) In Decretal. deest.

(675)-678) Vide Decretales, libro I, tit. 21, *De bigamo non ordinandis,* cap. 5.

(679) Quæ sequuntur, Italico charactere distincta, in Decret. desunt, lib. I, tit 21, *De bigamis non ordinandis;* verum leguntur apud Pith. in add.

(680) Apud Pith. *ab alio viro relictam.*

A *cujus vir erat mortuus*, quando (681) *duxit* eamdem, sicut et ille bigamus esse videtur, qui, cum duabus legitime contraxit uxoribus, *sive neutram sive alteram tantum* (682) cognoverit, *quia vir exstitit duarum uxorum*, nos tamen fraternitati tuæ *ita* (683) duximus respondendum, quod, cum duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, et *commistio* (684) corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in Spiritu inter Deum et justam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus . *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.* VI), reliquam vero designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, et *sanctam* (685) Ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Evangelista testatur : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I) : profecto,
B conjugium (686) illud, quod non est commistione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum juxta quod Paulus, exponens illud, quod dixerat protoplastus : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, et propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II) ; statim subjungit : *Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia* (*Ephe.* V), Cum ergo, propter sacramenti defectum, inhibitum sit, ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius ; profecto, ubi deficit inter hujusmodi conjuges commistio corporum, non deest istiusmodi signaculum
C sacramenti. Unde, is, qui mulierem, ab alio viro traductam, sed minime cognitam, *duxerit conjugem* (687), quia nec ipse, nec illa carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet quin possit ad sacerdotium promoveri. ]

Datum Ferentini, v Kalendas Septembris, anno nono.

—

CLX (688).

..... ARCHIEPISCOPO TERRACONENSI ET... ABBATI SANCTÆ MARIÆ DE POPULETO, TERRACONENSIS DIOECESEOS, ET .. ARCHIDIACONO BARCHINONENSI.

*Quod procedant contra episcopum Vicensem* (689) *si præcesserit infamia.*

(Ferentini, Kal. Septembris.)

[Cum oporteat, episcopum] secundum Apostolum, habere bonum testimonium et ab iis qui sunt intus et ab iis qui sunt foris et secundum legem divinam, indumentum ipsius de cocco bis tincto, et bysso retorta debeat esse contextum, si aliquando rumor sinister contra episcopum aliquem ad apostolicas auras ascendit, ex sollicitudine officii pastoralis tenemur descendere, ac videre utrum idem clamorem opere consummarit. [Sane venientibus ad apostolicam sedem *dilectis filiis, G. Grossi, et G. de MonteRegali* (690), et multa *gravia* (691) et enormia contra *venerabilem fratrem nostrum... Vicen.* (692), episcopum, proponentibus coram nobis, quia illa non debebamus sub dissimulatione *transire* (693), vobis· *frater archiepiscope et fili archidiacone* (694) inquisitionem eorum duximus committendam, *illius imitantes vestigia, qui, cum haberet villicum et ille diffamatus fuisset apud eumdem, quod dissipasset bona ipsius, cum eo posuit rationem* (695). Verum, dictus episcopus, antequam *ad ipsum* (696) vestra citatio pervenisset, ad præsentiam nostram accedens, proposuit *coram nobis* (697), quod illi, qui enormia illa de ipso *nobis suggesserant* (698), typo malitiæ potius quam justitiæ zelo ducti nobis hujus modi *nuntiarunt* (699), cum *sint ipsius manifestissime inimici* (700), et cum ejus hostibus conversentur, consanguineosque suos ac complices intendant ad testificandum producere contra ipsum qui ad denuntiandum seu testificandum adniti non debent aliqua ratione utpote juramenti præstiti transgressores et aliis criminibus irretiti. *Ne vero per leve compendium ad grave dispendium veniatur* (701), discretioni vestræ *per apostolica scripta* (702) mandamus, *quatenus* (703) nisi super *his, quæ nobis sunt proposita contra ipsum, famam ejus* (704) læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non subito proce-

(681) Apud Pith. *cum.*
(682) Apud Pith. *sive alteram sive neutram.*
(683) In Decret. deest.
D (684) Sic et in Decretalib. ; alias legi *conjuntio*, monet Pith.
(685) In Decret. deest hoc verbum.
(686) Vide Magistr. Sent. *et ibi* doctor, lib. IV, dist, 27.
(687) In Decretal. *duxit uxorem.*
(688) Epistola hæc reperitur, sed mutila, inter Decretales, lib. v, tit. 1, *De accusationibus, inquisitionibus et denuntiationibus*, cap. 14. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa exhibentur ; variæ lectiones dantur.
(689) Al. *Vicentium*, sed perperam. Agitur hic de episcopo Vicensi. Vicus, et urbs episcopalis, suffraganea metropoleos Tarraconensis, olim Ausona Lucæ Tudensi et aliis.
(690) In Decretal. *G et H. canonici Vincen.* ad quæ, sic Pithœus in notis *Vicen.*] *Vicensi Visensis.* Nassæus 499. Albig. 51.
(691) In Decretal. desunt.
(692) In Decretal. *Vincen.*
(693) Sic et in Decretal. al. legi *præterire*, monet Pith.
(694) In Decretal. desunt.
(695) In Decretal. desunt.
(696) Sic et in Decretal. ; al. legi *eum*, monet Pithœus.
(697) In Decretal. desunt.
(698) In Decretal. deest, *Nobis* ; et pro *suggesserant.* legi etiam *subjecerant*, monet Pithœus.
(699) In Decretal *intimarunt.*
(700) In Decretal. *cum ipsi ejus sint inimici manifesti.*.
(701) In Decretalibus desunt ; verum leguntur apud Pith. in add.
(702) In Decretal. desunt.
(703) In Decretal. *quod.*
(704) In Decretal. *prædictis famam ipsius.*

datis; quod et (705) si fuerit procedendum, prædictos vel alios, quos ipsius esse constiterit inimicos, nec ad prosequendum inquisitionem, nec ad perhibendum testimonium contra ipsum episcopum admittatis, sed per viros idoneos super *iis, quæ nobis suggesta sunt* (706), inquiratis *sollicite* (707) veritatem et si nihil grave probatum fuerit contra ipsum, vos eidem purgationem canonicam indicatis.] Quod si aliquid grave contra ipsum visum vobis fuerit esse probatum, vos inquisitionem fideliter factam ad nostrum referatis examen, ut de vultu nostro prodeat judicium æquitatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, exsequantur.

Datum Ferentini, Kalendis Septembris, anno nono.

CLXI (708).

..... POTESTATI, ET POPULO SPOLETANO.

*Quod non præsumant constituere judices in præjudicium papæ.*

(Laterani, XII Kal. Octobris.)

Grave gerimus et molestum, quod vos, sicut multorum veridica relatione didicimus, in contemptum et præjudicium nostrum, tabelliones et judices præsumitis constituere pro vestræ arbitrio voluntatis, cum penes vos hujusmodi auctoritas non existat. Quocirca, universitatem vestram monemus, et exhortamus attentius, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus ab hujusmodi præsumptione penitus desistavit, quia nos id non possemus in patientia tolerare, scientes, quod nos sententias, quas hujusmodi judices promulgarint, tanquam a non judicibus latas, ei instrumenta, quæ hujusmodi tabelliones confecerint, tanquam a non tabellionibus confecta, decernimus non valere, cum nec illos tabelliones nec istos judices reputemus.

Datum Laterani, XII Kalendas Octobris, anno nono.

CLXII.

B. ARCHIPRESBYTETO PLEBIS DE BRETONORI.

*Recipitur sub protectione.*

(Laterani, VII Kal. Octobris.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Personam tuam, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis, dante Domino, poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones et jura, quæ plebs tua juste ac pacifice possidet, per te ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo... nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VII Kalendas Octobris, anno nono.

CLXIII.

..... PRÆPOSITO (709) .... DECANO (710), ET CAPITULO CONSTANTIENSIBUS

*Confirmatur electio Constantiensis episcopi, et administratio electio Constantiensis ipsi conceditur.*

(Laterani, II Kal. Octobris.)

Insinuatione vestrarum accepimus litterarum, quod, bonæ memoriæ D. (711) episcopo vestro, nuper sublato de medio, vos de substitutione pontificis tractaturi convenistis in unum, et, invocata Spiritus sancti gratia, dilectum filium, W. de Staufen, concanonicum vestrum, qui ab adolescentia sua fuerat vobiscum laudabiliter conversatus, elegistis vobis unanimiter in pastorem (712). Verum, quia propter metum principis, cujus incursibus est Ecclesia Constantiensis exposita, confirmationem electionis ejusdem ausi non estis a venerabili fratre nostro, G. Maguntino archiepiscopo postulare, ne propter confirmationis dilationem ecclesia vestra in spiritualibus et temporalibus incurrere valeat detrimentum, nobis humiliter supplicatis, ut, considerata malitia temporis, electionem ipsam auctoritate apostolica confirmare, ac dicto electo administrationem tam spiritualium quam temporalium committere dignaremur. Nos igitur, necessitatem Constantiensis Ecclesiæ attendentes, et eidem volentes paterna sollicitudine providere, administrationem tam spiritualium quam temporalium eidem W. duximus committendam, in qua idem se talem studeat exhibere, quod a metropolitano suo confirmationis gratiam, et consecrationis munus consequi mereatur tempore opportuno.

Datum Laterani, II Kalendas Octobris, anno nono.

(705) In Decret. deest.
(706) In Decretal. *his quæ gesta sunt.*
(707) In Decretalibus, *diligentius.*
(708) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 88.
(709) Imperfecta nimis præpositorum Constantiensium series, apud novæ Galliæ Christianæ auctores, tom. V, col. 928, nullum, circa hæc in quibus versamur tempora, Constantiensem præpositum exhibet.
(710) Idem nobis dicendum est de decanis Constantiensibus.
(711) Vide epistolas, libri septimi 79, libri octavi 160, et quæ ibi adnotavimus; quibus adde, si vis, ex hac nostra Innocentii epistola confirmari quæ leguntur apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. V, col. 915, nempe Diethelmum obiisse anno 1206, al. 1205, pridie Id. Januariii, non autem 1209, uti legitur apud Bruschium et Buccelinum.
(712) De isto, pauca hæc apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. V, col. 915:
« L. Wernherus, baro de Stauffen in Brisgoia, electus circa annum 1206, obiit probatæ vitæ antistes anno 1210; sepultus in choro Ecclesiæ suæ. »

CLXIV.

. . . . . ARCHIDIACONO PARISIENSI, ET MAGISTRO R. DE CORZON, CANONICO NOVIOMENSI.

*Causam electionis abbatis Sancti Martini Trecensis, ipsis committit* (713).

(Laterani, VI Nonas Octobris.)

Post cessionem dilecti filii.... (714) abbatis olim Sancti Martini Trecensis, canonicorum ejusdem ecclesiæ votis in electionem divisis, quidam ex ipsis dilectum filium, Manassem, ecclesiæ Sancti Lupi canonicum elegerunt, aliis in dilectum filium, P. (715) venerabilis fratris nostri . . . Senonensis archiepiscopi (716), capellanum, transferentibus vota sua; propter quod causam ipsam venerabili fratri nostro. . . Cabilonensi episcopo (717), et dilecto filio. . . abbati Cluniacensi (718), terminandam commisimus sub hac forma, ut, de utriusque electionis juribus et electorum meritis inquirentes, electionem, quam invenirent de persona idonea canonice celebratam, auctoritate apostolica confirmarent. Si vero neutram canonicam invenirent, utraque lectione cassata, de persona idonea facerent eidem ecclesiæ provideri; qui, partes ad suam præsentiam convocantes, ac de causa solemniter cognoscentes, tam super eligentium facta, quam contra personas testes plurimos receperunt, et, cum usque ad publicationem testium processissent. . . . . procurator dicti P. capellani, ad sedem apostolicam provocavit. Judices vero, pro eo quod alter eorum, abbas scilicet Cluniacensis, majoribus erat negotiis occupatus, nec causæ cognitioni poterat interesse, appellationi hujusmodi de prudentum virorum consilio detulerunt, partibus injungentes, ut cum receptis attestationibus ad nostram præsentiam festinarent, super ipsa causam definitivam a nobis sententiam recepturæ. Actis itaque judicii ab utraque parte receptis, quidam ex canonicis supradictis procuratorem constituerunt V. concanonicum suum, in præsentia episcopi memorati, sicut in ejusdem episcopi litteris perspeximus contineri. Verum, eodem V. in itinere constituto ad sedem apostolicam veniendi, cum interim dictus archiepiscopus Senonensis visitandi gratia Nivernensem diœcesim peragraret, ad ipsum supradictæ ecclesiæ nuntii accesserunt, insinuantes eidem, quod omnes canonici in P. capellanum ipsius, præter paucos, qui, licet non contradicerent, non tamen consentiebant expresse, contulerant vota sua, ipsum archiepiscopum deprecantes, ut ad locum quam citius properaret, ecclesiæ provisurus. Ad quem cum, propter eorum instantiam, accessisset, universi, qui prius consensum suum exprimere recusabant, præter solum Vitalem, qui absens erat, ad aliorum concordiam redeuntes, in supradictum capellanum voluntarie consenserunt, de dissensu præterito veniam postulantes. Sicque factum est, quod, ad postulationem omnium, in festo apostolorum Petri et Pauli, apud majorem Ecclesiam Trecensem, idem P. a metropolitano jam dicto munus benedictionis accepit, ac postmodum in ecclesiam Sancti Martini cum omnium tripudio et gaudio generali solemniter introductus, et a dilecto filio. . . decano Trecensi (719), sicut moris est, installatus in ejusdem ecclesiæ capitulo, professiones recepit publice singulorum. Dictus autem Vitalis, ad nostram præsentiam veniens, acta nobis judicum præsentavit, sollicite postulans, ut eum dignaremur quam citius expedire. Ipso vero aliquandiu exspectante, dicti P. capellani procurator interim supervenit. Quibus in nostra præsentia constitutis, procurator jam dictus humiliter petiit, quatenus dignaremur quod de dicto capellano per archiepiscopum factum fuerat approbare, ac sæpedictum V. utpote excommunicatum, in nullo penitus audiremus. Asserebat siquidem; quod idem V. L. quondam abbatem Sancti Martini, usque ad effusionem sanguinis verberavit; Joannem quoque, ejusdem ecclesiæ sacerdotem, tam gravibus verberibus flagellavit, quod de ipsius vita omnes ejus socii desperabant; quemdam etiam presbyterum ejusdem ecclesiæ, nuper a sede apostolica redeuntem, tunsionibus tam duris affecit, ut ejus facies afflicta videretur nimium et horrenda; propter quos excessus et alios, super quibus a dicto metropolitano citatus et monitus satisfacere noluit, vel etiam comparere, excommunicationis fuit vinculo innodatus. Ad quod probandum, idem procurator, tam dicti archiepiscopi Senonensis, quam decani Trecensis litteras exhibebat. Ad hæc fuit pro parte jam dicti Vitalis ex adverso responsum, quod hujusmodi excommunicationis objectu non debebat aliquatenus impediri. Ipsi siquidem canonici, eum usque ad hæc tempora non vitantes, tam in officiis quam in judicio

(713) Conferenda sunt omnino quæ de Lamberto, et Petro I, S. Martini Trecensis abbatibus, leguntur apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. XII, col. 581:

« V. Lambertus Garnerio episcopo obedientiam promisit. Litem composuit 1200 inter Sancti Memmii et Cheminonis monasteria. Eodem anno, mense Februario, confirmationem accipit domus Sancti Abrahæ a Theobaldo, Campaniæ comite. Componit 1201 cum monachis Arremarensibus, quibus factæ donationi subscribit 1202. Ejus obitus in necrologio Sancti Lupi notatur VII Kal. Octobris.

« VI. Petrus I præerat 1207, ex Charta Sancti Stephani. Cum a quibusdam canonicis Simoniæ fuisset accusatus, ab ipsorum impetitione eum absolvit Innocentius III anno 1208, Kal. Septembris, pontificatus XI: componit 1209 cum Ripatorio. Reperitur 1213 in charta episcopi Trecensis, et anno 1215, mensibus Aprili et Maio, quo a Theobaldo, Cantumerulæ abbate, accipit donationem, quam confirmat Blancha Campaniæ comitissa. Eum adhuc fuisse superstitem annis 1220 et 1222, chartæ capituli S. Petri fidem faciunt. Excessit 20 Octobris. Jacet in Capitulo. »

(714) Vide notam præcedentem.

(715) *Ibid.*

(716) Vide epistolam libri tertii 45, not.

(717) Vide epistolam libri quinti 16, not.

(718) Vide epistolam libri quinti 36, not.

(719) Vide epistolam libri noni 23, not.

communionem ipsius nullatenus declinarunt: quin imo, cum in præsentia dicti Cabilonensis episcopi procurator exstitit constitutus, ipsum sine contradictione qualibet admiserunt. Archiepiscopus etiam judicibus vel confratribus ipsum excommunicationi subjectum minime nuntiavit; quare, se admitti debere in judicio, sicut quemlibet alium, proponebat, exceptione hujusmodi non obstante. Contra quod procurator ex parte altera replicabat, quod, si quando idem V. cum concanonicis suis divinis interfuit, hoc ipsis omnino displicuit; sed ipse, licet inhibitus, se divinis officiis, illis dolentibus, ingerebat, sicut ex litteris prædicti decani colligitur manifeste; sed nec in judicio communicarunt eidem, quia, licet de numero illorum fuerit, qui electioni capellani se opposuere prædicti, non tamen B est in judicio facta fides, quod idem V. procurator in illo judicio fuerit sive testis, vel quod alias ei communicaverunt canonici sæpedicti. Adjecit etiam, quod nec illud poterat præjudicium generare, quod idem V. non fuit tanquam excommunicatus exclusus, quando coram prædicto episcopo constitutus exstitit procurator, quoniam hoc in eorum absentia factum fuit. Adjecit quoque, quod, si archiepiscopus ipsum in illo judicio non denuntiaverit excommunicationi subjectum, quia nec scivit ipsum in illo judicio litigare, postquam tamen per litteras suo sigillo munitas ipsum excommunicatum denuntiat, tanquam excommunicatus est ab omnibus evitandus. Cum igitur super hoc coram nobis disceptatum fuisset, quia per litteras judicis ordinarii, quibus standum est donec probetur contrarium, nobis C constitit, quod sæpedictus V. tunc excommunicatus erat, cum officium procurationis assumpsit, ipsum tanquam procuratorem non duximus admittendum. Verum, quia electionis causa fuerat ad nos per appellationem reducta, et judices delegati attestationes et acta judicii nobis transmiserant consignata, licet canonici postea redierint ad concordiam, quia tamen adhuc secundum fidem attestationum erat de personæ meritis judicandum, nos, quod circa præfatum capellanum postmodum factum exstitit, exigente justitia, reprobavimus tanquam præpostere attentatum. Quia vero sæpedictus V. propter excommunicationis impedimentum non fuit procurator admissus, et ex parte altera procurator non venerat super causa sufficienter instructus, cum D etiam acta judicum non haberet, ipsa non potuit in nostra præsentia terminari. Quocirca, causam eamdem nostro duximus examini committendam, per apostolica scripta mandantes, quatenus, vocatis ad præsentiam vestram qui propter hoc fuerint evocandi, et attestationibus, quas sub bulla nostra vobis interclusas transmittimus publicatis, si ea que A contra personam dicta sunt, rationabiliter fuerint reprobata, et dicti canonici perseverarint in eodem consensu, vos ei, tanquam abbati suo, faciatis ab omnibus canonicis reverentiam et obedientiam debitam exhiberi, contradictione præfati V. nequaquam obstante; quem si tot et tantis inveneritis criminibus irretitum, sicut insinuatione multorum nostris est auribus intimatnm, eum taliter castigetis, quod ipsius pœna cæteris deliquendi materiam interdicat. Quod si ea, quæ sunt circa personam deposita, sufficienter non fuerint reprobata, vos ei super eadem abbatia perpetuum silentium imponatis, facientes eidem ecclesiæ de persona idonea canonice provideri; contradictores, si qui apparuerint, vel rebelles, ut a sua temeritate desistant, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellentes. Nullis litteris veritati, etc.

Datum Laterani, VI Nonas Octobris, anno nono

## CLXV.

DECANO (720), ET CAPITULO SANCTI MARTINI TURONENSIS.

*Ut, magistrum J. de Cangeiaco in canonicum et fratrem recipiant.*

(Laterani, III Nonas Octobris.)

Cum olim venerabili fratri nostro... episcopo (721), et dilecto filio... decano Parisien. (722) dederimus in mandatis, ut resignationem præbendæ, quam in Ecclesia vestra tenuit dilectus filius, magister P. Capuanus, canonicus Senonensis, auctoritate nostra reciperent, ac donationi nostræ reservarent eamdem. nos, ex quo per litteras eorumdem episcopi et decani fuimus certiores effecti, quod præbendam ipsam idem canonicus in eorum manibus libere resignarat, eam dilecto filio, magistro Joanni de Cangeiaco, clerico dilecti filii nostri Rogerii, tituli Sanctæ Anastasiæ presbyteri cardinalis (723) de vestris partibus oriundo, concessimus, eumque de ipsa propriis curavimus manibus investire. Quocirca discretionem vestram monemus attente, et hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus, eumdem magistrum recipientes in canonicum et in fratrem, ipsum in corporalem possessionem memoratæ præbendæ inducere non tardetis et faciatis eum, quantum in vobis fuerit, ipsius pacifica possessione gaudere. Alioquin, dilectis filiis... decano (724) ..... cantori (725), et magistro scholarum Aurelianensi (726), dedimus in præceptis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant; contradictores districtione simili compescentes.

Datum Laterani, III Nonas Octobris, anno nono.

(720) Vide epistolam libri septimi 227, not.
(721) Vide epistolam libri tertii 11, not.
(722) Vide epistolam libri quinti 36, not.
(723) Vide epistolam libri octavi 31, not.
(724) Vide epistolam libri sexti 9, not.
(725) Vide epistolam libri septimi 227.
(726) Vide epistolam libri quinti 37.

### CLXVI (727).

UNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS LOMBARDIÆ.

*Quod si cives Placentini non destiterint ab oppressionibus Ecclesiæ Placentinæ priventur sede episcopali.*

(Laterani, VII Idus Octobris.)

Cum prodierit hactenus, ut ex adipe, civium Placentinorum iniquitas, nec adhuc prodire desistat, alligare quod fractum erat in eis, pastorali diligentia nisi sumus, et reducere quod abjectum. Sed, quoniam in medico non est semper, ut relevetur infirmus, veteri pro ipsis cogimur, ne non sit declinatio mortis eorum, in quorum plaga, pene triennio jam discussa, non invenimus firmamentum. Unde, inconvenienter de ipsis possumus conqueri, cum propheta dicentes: *Curavimus Babylonem, et non est sanata* (*Jer.* LI); quia, licet ipsis diligenter adhibuerimus operam medicantis, nondum tamen potuimus eos ad gratiam revocare salutis. Sic enim, instigante illo, qui malorum omnium est incentor, iniquitatum suarum ferragine duruerunt, quod, quamvis multo labore sudatum fuerit, de ipsis tamen rubigo nimia non exivit, propter quod impietates ipsorum exaggerare videtur ille qui dicit: *Frustra conflavit conflator, malitiæ eorum non sunt consumptæ* (*Jer.* VI). Verum, quia nonnulla vulnera, quæ nequeunt incisione curari, sanari fomentis olei consueverunt. et, quos fortium pigmentorum medicina curare non potuit, frequenter pristinam sanitatem tepentis aquæ potio revocavit, adamantis quoque durities, quæ chalybis incisione non cedit, hirci sanguine perfusa mollescit, volentes prædictos cives per patientiam nostram ad pœnitentiam revocare, lenius usquemodo erga ipsos, quam eorum forsan culpa requireret, duximus procedendum, ne si eorum vulneri adhuc crudo ferrum fuisset adhibitum, non ex corruptione sua, sed ex nostra demum asperitate ad saniem, qua computruit, vulnus ipsum videretur esse perductum, ac nos vox Dominica increparet, inquiens per prophetam: *Vos cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia* (*Ezech.* XXXIV). Nunc autem, quoniam excreverunt iniquitates eorum, quibus multiplicatis sanguis videtur sanguinem tetigisse, ne sententiam prophetæ incurramus dicentis: *Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII; ipsorum scelera percussuri, vos pariter, in quorum ipsi publica detrimenta grassantur, in eorum ultionem compellimur excitare, cum legislatore dicentes: *Si quis est Domini, jungatur mihi, et ponat vir gladium super femur* (*Exod.* XVXII) ad inimicos Domini puniendum. Sed, quanquam succensus in eos furor Domini nos succendat, eosque propter iniquitates suas profecto odio persequamur, super his tamen multo compassionis igne perfrigimur (728), quod ad illam pene necessitatem suis nos operibus induxerunt, ut, etiamsi velimus eisdem impœnitentibus parcere, non possimus, ac impietas videatur super

A impietatibus suis pietatem habere. Ne igitur, si diutius ipsorum malitiam, non solum in confusionem eorum, sed etiam in universalis Ecclesiæ detrimentum, tanquam eis displicere nolentes, duxerimus sustinendam, contra officii nostri debitum veniamus, Apostolo attestante, qui ait: *Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem* (*Gal.* I); scientes, quod obedire Deo magis quam hominibus nos oportet, quantumcunque nobis insultetur ab ipsis, non disposuimus eos magis quam Dominum honorare, nequaquam timentes hominum maledicta. Nos enim, qui sumus? ut humilibus mansueti viri verbis utamur; non est contra nos murmur, sed potius contra Dominum, pro cujus nomine utinam digni simus contumeliam sustinere! Cum autem nihil sit justius, B quam ut in quo quis peccavit, in eo etiam puniatur, et per hoc quod dicti cives in Deum et Ecclesiam commiserunt, non solum episcopalia jura temere invadentes, verum etiam facientes episcopum suum et clericos miserabiliter exsulare, sedis episcopalis reddiderint se indignos, nolentes eos diutius tanti sceleris impunitate gaudere, imo illuc tali castigatione compescere, quod, quibuscunque ipsorum culpa fuit in scandalum, pœna sit in exemplum, deliberavimus cum fratribus nostris, et hoc communi consilio duximus statuendum, ut, nisi prædicti cives ad mandatum Ecclesiæ, infra mensem postquam litteras apostolicas receperint, quas propter hoc eis mittimus, revertantur, super his, pro quibus censuram ecclesiasticam incurrerunt, satisfactionem de- C bitam impensuri, civitas eorum episcopali dignitate privetur, et diœcesis ejus inter vicinos episcopos dividatur, proviso congrue tam episcopo quam clericis civitatis, si tamen civitas sit dicenda, postquam amiserit dignitatem, ac per hoc temporalem quoque merebitur amittere comitatum. Unde, mittimus ad eos dilectum filium, G. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem (729), apostolicæ sedis legatum, qui monitis et exhortationibus reducat eosdem, si desuper datum fuerit, ad semitam veritatis; alioquin, vobis convocatis in unum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, prædictum statutum solemniter exsequatur. Vos igitur, strenui militiæ Christi præsules, attendite, et videte, quoniam pro causa publica, non pri- D vata, prælium Domini præliamur; in quo tanto fortius vos oportet in adjutorium nostrum exsurgere, quanto per illud non tam specialiter aliquos, quam generaliter universos intendimus defensare. In hac siquidem alea status luditur Ecclesiæ pene totus. In hac pugna libertas ejus vel dejicitur, vel levatur. Ne putetis, quod, si tantæ pestis initium, ubi natum est, non exstinguitur, se ad eos, qui se putant manere liberos, non extendat; quæ profecto, nisi modo repressa fuerit, multos vicinos, et longe positos occupabit, et, cum ab istis, velut a primogenitis

(727) Vide Raynaddum, ad annum 1206, § 38.
(728) Sic in apogr.

(729) Vide epistolam libri octavi 29, not.

Satanæ, nunc incœperit, nisi contra provisum fuerit, veluti cancer serperet, et sensim se ad alios dilataret. Profecto, si, cum proximus ardet paries, agi res nostra dicatur, et hoc, quod Ecclesia generalis in speciali parte concutitur, non sit aliud, quam, rupto ibi antemurali ejus, ad captivandum ipsam intus in eadem intretur, pernecessarium esse dignoscitur, ut illuc ad defendendum eam pariter occuratis, ubi ad diruendum munimen ejus malignitatis aries est admotus. Ecce, fratres, multi certamen hoc respiciunt et observant, qui, si partem nostram viderunt in ipso succumbere, statim parati erunt erga vos simile flagitium attentare, ac vos eis tanto demum difficilius resistere valeretis, quanto remissius obstitissetis præcursoribus eorumdem. Scitis quidem, quod principes Assueri, ne ad mulieres eorum contemnendi perveniret exemplum reginæ contumaciam puniri unanimiter suaserunt, et custodes agrorum, ne per alluvionem pereant sata sua, in alienæ terræ limitibus contra impetum torrentis occurrunt. Sic igitur vos oportet aliena pericula vestra facere, imo vestris in alienis periculis obviare, ut, si prudenter malis vicinorum obsistatis, per eorum triumphum vos ipsos quasi per clypeum protegatis. Quocirca, fraternitatem vestram rogamus et exortamur attentius, per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus, si lucerna Domini spiraculum hominis, qua investigat secreta ventris, ad diligentem monitionem memorati legati corda contumacium prædictorum non dignabitur illustrare, sed potius eos indurari permiserit, tanquam pro magnitudine culpæ divino judicio reprobatos, ita concorditer et prudenter ad exsequendum præscriptum statutum eidem legato assistere procuretis, quod ecclesiasticæ disciplinæ severitas nullius præsumptione valeat enervari; certi, quod, si quis vestrum in hoc existeret negligens, aut remissus, non aliter molestæ ferremus, quam si unus ex illis esset, contra quorum nequitiam severitatem hujusmodi decrevimus exercendam. Si vero, prædictis civibus, quod avertat Dominus, obduratis, in præscripti statuti fuerit exsecutione processum, volumus et mandamus, ut venerabilis frater noster... Placentinus episcopus (730), ad nostram præsentiam transmittatur, provisionis apostolicæ gratiam, dante Domino recepturus. De clericorum vero provisione cum eodem legato taliter disponatis, ut, sicut adversus eos, qui se angustiaverunt, in constantia magna stetere, ita sufficienter et honeste provideatur eisdem, qui, etsi coram hominibus incommoda sunt perpessi, spes tamen eorum esse debet apud Ecclesiam immortalis, pro cujus defensione fortes et immobiles perstiterunt.

Datum Laterani, VII Idus Octobris, anno nono.

*In eodem modum*, Eisdem, *per totum, usque ad* amittere comitatum. Unde, mittimus ad eos venerabilem fratrem nostrum... Vercellensem episcopum (731), et dilectum filium... abbatem de Tillicto (732), et presbyterum Albertum Mantuanum, etc., *usque in finem.*

Datum Laterani, VII Idus Octobris.

CLXVII (733).

.....POTESTATI, ET CONSULIBUS, ET POPULO PLACENTIN. SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Super eodem.*

(Laterani, Nonis Octobris.)

Tacti sumus dolore cordis intrinsecus, et usque ad animam ipsius doloris gladius pertransivit, pro eo quod, cum civitas Placentina consueverit esse apostolicæ sedi valde devota, nunc mutatus est color optimus, et aurum in scoriam est conversum, quoniam adeo exhibet se ingratam, et nulla in ea videatur devotionis aut gratitudinis remansisse scintilla, dum ejus monitis et mandatis omnino contemptis, matrem suam Placentinam Ecclesiam honorabile membrum ipsius, hæreticorum seducta fallaciis, nititur ancillare volens eam quasi vile mancipium redigere sub tributo, ut cæteras civitates suo exemplo corrumpens, una provocet universas contra universalis Ecclesiæ libertatem, ut dicere valeat cum propheta : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I); a cujus utique culpæ flagitio, sic nec publicæ honestatis justitia, nec ecclesiasticæ disciplinæ severitas, nec fidei Christianæ religio, nec formido tremendi judicii vos potuit hactenus revocare. Utinam exemplum gentilis mansuetudinis vos induceret, ne severiorem persecutionem a vobis, quam passa fuerit a famosæ crudelitatis tyranno, Ecclesia nostro tempore sustineret! Cum enim Pharao, rex Ægypti, Cæteris servituti subactis sacerdotes suos et possessiones eorum, non solum in pristina libertate servaverit, sed etiam alimoniam eis de publico ministrarit, et rex Persidæ Artaxerxes universis sacerdotibus et levitis, ac domus Dei ministris vetuerit vectigal, tributum et annonam imponi, vos quidem metuere propter Deum, vel saltem propter homines erubescere deberetis in Dei famulos immanitatem illius tyrannidis exercere, quam non exercuerunt in ipsos illi, qui nondum habebant notitiam veritatis. Heu! quis vos o cives, tam miserabiliter fascinavit, ut, ancillata matre, servos efficeret, et perversitatis exemplum cæteris exhiberet, ac apostolicæ gratiæ redderet prosus ingratos, quæ civitatem vestram a jugo Ravennatis Ecclesiæ gratuito liberavit, adoptans illam in filiam specialem? Certe, si possetis hujusmodi facinus impune perficere, non deberetis tam perversum exemplum aliis exhibere, quoniam, etsi grave sit facinus, gravius est exemplum. Quod si

(730) Vide epistolam libri quinti 75, not.
(731) Vide epistolam libri octavi 178, not.
(732) Vide epistolam libri octavi 200, not.
(733) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 38.

Vide etiam notas ad epistolam superiorem.

Epistolam hanc laudat Angelus Manrique, *Annal. Cisterc*, tom. III, pag. 467, ad annum 1206, cap. 4, § 8.

gratiæ vobis factæ beneficium aspernemini, et degenerantibus vobis ex filiis in privignos, apostolicæ A sedis gratiam, quæ multis bonis hactenus vos replevit, propter vestram ingratitudinem improperare cogamur, prophetico verbo dicentes : Pingues facti sunt et incrassati, et recalcitravere dilecti, nunquid remanebit gratia cum ingratis, aut mater filios alienos, qui mentiti sunt ei sibique mala pro bonis et odium pro dilectione retribuunt, ultra poterit in adoptionis filios retinere, quin potius, abutentes ingenua, redigantur in conditionem servilem? ut gratiam, quam non cognoverunt habendo, saltem amittendo cognoscant, tantoque domum illam se doleant amisisse, quanto habere ipsam, cum voluerint, sero non potuerint, pro eo quod eam servare, dum potuerunt, minime voluerunt; ei sic tandem, dantibus B vobis alienis honorem vestrum, et annos vestros crudeli, cum impleti fuerint extranei juribus vestris ac vos, labores vestros in aliena domo videntes, in novissimis gemueritis. Nos quidem, juxta proverbium Salomonis in interitu vos redibimus, et subsannantes, cum vobis, quod timebatis, advenerit, redire fortasse volentes recipere vos nolemus, quos jampridem diutius vocavimus renuentes, cum Sapiente dicturi : *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas plenitus neglexistis* (*Prov.* I). Redite igitur, prævaricatores, ad cor, et nolite vos reddere prorsus indignos propriæ dignitatis, quia, cum jam exspectaverimus per triennium, si forte infatuata ficulnea fota stercoribus non protulerit ex se fructum, profecto non re- C stat nisi securim ponere ad radicem, ne, ramis infructosis extensis, terra circumjacens inutiliter occupetur. Cum enim nihil sit justius, quam ut in quo quis peccavit, in eo etiam puniatur, et per hoc quod in Deum et Ecclesiam commisistis, non solum episcopalia jura temere invadentes, verum etiam facientes episcopum vestrum et clericos miserabiliter exulare, sedis episcopalis reddideritis vos indignos, nolentes, vos tanti sceleris diutius impunitate gaudere, imo illud tali castigatione compescere, quod quibuscunque culpa vestra fuit in scandalum, pœna sit in exemplum, deliberavimus cum fratribus nostris, et hoc communi consilio decrevimus statuendum, ut, nisi ad mandatum Ecclesiæ infra mensem post susceptionem præsentium revertamini, D super iis, pro quibus censuram ecclesiasticam incurristis, satisfactionem debitam impensuri, civitas vestra episcopali dignitate privetur, et diœcesis ejus inter vicinos episcopos dividatur proviso congrue tam episcopo quam clericis civitatis, si tamem civitas sit dicenda, postquam episcopalem amiserit dignitatem, ac per hoc temporalem quoque merebitur amittere comitatum. Ecce tensus arcus, fugiatis igitur a sagitta quæ non consuevit abire retrorsum quia sera est pœnitentia post ruinam, sicut vicina vos possunt exempla docere. Non ergo vos resipiscere pudeat ab errore, quoniam in hac pugna longe magis est vinci, quam vincere gloriosum, quia, sicut qui vincit vitium, vincitur a virtute, sic profecto qui virtutem captivat, a vitio captivatur, et est quidem majoris virtutis se ipsum quam extraneum superare maxime, si crudelitas a pietate vincatur, Salomone testate : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Mittimus igitur ad vos dilectum filium, G. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, qui monitis et exortationibus vos reducat, si desuper datum fuerit, ad semitam veritatis; alioquin, convocatis episcopis Lombardiæ, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, præscriptum statutum solemniter exsequantur. De cætero, paterna dulcedine vos monemus deposcimus et rogamus, ut hoc nobis gratuita saltem liberalitate donetis, sub spe non solum mercedis æternæ vobis a Domino conferendæ, verum etiam præmii temporalis a sede apostolica concedendi; scituri pro certo, quod non sine multa tristitia et magno dolore processimus ad præscriptam sententiam proferendam, tanquam qui necessario compellemur, si permiseritis, nos in hanc necessitatem induci, quandam honorabilem partem a nostro corpore separare, ut illius pareamus jussioni, qui præcipit, quod, si nester nos oculus scandalizat, eruamus illum, et projiciamus a nobis.

Datum Laterani, Nonis Octobris, anno nono.

CLXVIII (734).

EPISCOPO VERCELLENSI, ABBATI DE TILIETO, ET ALBERTO, PRESBYTERO MANTUANO.

(Laterani, Nonis Octobris).

*In eumdem modum.... usque* eruamus illum, et projiciamus a nobis. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, cæteris occupationibus prætermissis, cum hanc inter omnia negotia Lombardiæ modo præcipuam reputemus, ad civitatem Placentinam pariter accedentes, cives ipsius, quos sicut novit ille qui nihil ignorat, non interdimus contra justitiam aggravere, modis, quibus poteritis, prudenter et efficaciter inducatis, ut mandatis apostolicis obediant humiliter et devote, ne præscriptam pœnam incurrent, ignominiosam pariter et damnosam; alioquin, quia ferro abscidenda sunt vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam, convocatis episcopis Lombardiæ, ad exsecutionem præscripti statuti cum ea maritutate ac diligentia procedatis, ut, vestra sollicitudine mediante, debitum sortiatur effectum, scientes vobis plenam potestatem, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, a nobis esse concessam super omnibus quæ necessaria fuerint ad idem negotium exsequendum. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, Nonis Octobris, anno nono.

(734) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 38. Vide etiam notas ad penultimam epistolam.

## CLXIX (735).

CONSULIBUS PLACENTINIS, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Congaudet, quod reducti ad devotionem çessaverint ab offensis Ecclesiæ, et mandatis parent apostolicis.*

(Laterani )

Gaudemus in Domino et in potentia virtutis ipsius, quia, sicut ex litteris, quas Romanis mercatoribus direxistis, accepimus, ad mandatum apostolicæ sedis desideratis humiliter ac devote redire. Nos enim civitatis vestræ, sicut filiæ specialis, paterna desideramus affectione salutem, arte periti medici prudenter utentes, qui, si forte plagam non potest emplastris vel unguentis curare, ferrum aut ignem apponit, non ut perimat, sed ut sanet ; et hoc faciens non odit, sed diligit sauciatum, qui, quamvis doleat cum asperitatem patitur medicaminis, gaudet tamen postquam effectum consequitur medicinæ. Gravis quidem erat vestræ præsumptionis excessus quia matrem vestram, Placentinam Ecclesiam, nitebamini ancillare, sed gravius erat ipsius præsumptionis exemplum, quia suo contagio corrupisset una civitas universas, et ideo, priusquam prædicti mercatores intercessuri pro vobis ad nostram præsentiam accessissent, medicinales vobis litteras miseramus, amaras quidem in cortice, sed dulcissima in medulla. Vos ergo, non abnuatis salutarem accipere medicinam, Deo et Ecclesiæ, sicut viri catholici, satisfactionem debitam impendentes, per quam non solum pœnam vitabitis, verum etiam gloriam acquiretis temporalem pariter et æternam scientes, quod nostro dilecto filio, Sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali, apostolicæ sedis legato vel, si forsan idem legatus interesse non posset, visitatoribus Lombardiæ dedimus in mandatis, ut secundam formam sibi præfixam finaliter in hac causa procedant.

Datum Laterani.

## CLXX.

PRIORI ET CONVENTUI SANCTI VINCENTII ULIXBONENSIS.

*Compositio quædam facta inter eos et episcopum et capitulum Ulixbonenses confirmatur.*

(Laterani, XVII Kal. Novembris.)

Solet annuere, etc., *usque* impertiri. Sane, sicut ex insinuatione vestra, et ex tenore litterarum dilectorum filiorum, F. prioris, et P. cantoris Alcobatiæ, judicum delegatorum a nobis, accepimus, cum inter vos ex una parte, ac venerabilem fratetrem nostrum....... episcopum, et dilectos filios, capitulum Ulixbonense, ex altera, coram ipsis super libertate monasterii, quibusdam ecclesiis, decimis, et quibusdam aliis quæstio verteretur, de voluntate partium et ipsorum judicum auctoritate, eadem, quæstio amicabili fuit compositione sopita. Eapropter, dilecti in Domino filii, etc. *usque* assensu, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et hactenus pacifice observata, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, XVII Kalendas Novembris, anno nono.

## CLXXI (736).

......FLORENTINO EPISCOPO (737).

*De ordinatione quorumdam canonicorum in Ecclesia Vulterana.*

(Laterani, XVI Kal. Novembris).

Ecclesia *Vulterana* (738) debito canonicorum obsequio longo tempore *destituta, venerabilis frater noster*... Vulteranus episcopus (739), volens ministrorum defectum in eadem ecclesia restaurare, quosdam canonicos elegit et instituit in eadem, quos *residentes* (740) canonici recipere noluerunt, asserentes quod talis electio fuerat in eorum præjudicium attentata (741). *Cumque super hoc suam ad nos ipse* (742) *episcopus querimoniam destinasset causam ipsam tibi commisimus fine canonico terminandam* (743). Partibus autem in tua præsentia constitutis, idem episcopus a te per suum petit responsalem, ut dilectos filios, magistrum Mitidum, Ildebrandum, Plocitum, Tholomæum et Sofredum ab injuria, quam ei super electione canonicorum Vulteranæ Ecclesiæ inferunt, prohiberes, et ut ipsum jure electionis uti libere patiantur, nec ipsi eligenti vel volenti eligere contradicant, asserens idem episcopus quod jus eligendi canonicos ad ipsum multipliciter pertinebat. Jure siquidem communi hoc sibi competere proponebat, quia, secundum quod sacrorum canonum statuta declarant, in sua Ecclesia, dispositionem, provisionem et jurisdictionem episcopus plenam habet; nam, etsi subditorum quisquam in suo officio et honore præcedat, episcopus tamen provisor est, et ordinator in cunctis. Proposuit etiam quod ex approbata consuetudine canonicorum electio ad ipsum in eadem Ecclesia pertinet, sicut ad prælatos cæteros regionis, qui vel per se, vel cum sociis consueverunt electionem facere clericorum. Sed, etsi dubium esset cujusmodi consuetudo in talibus servaretur ibidem, ad sedem esset apostolicam recurrendum, cum in aliis Ecclesiis quæ sunt metropolitano subjectæ, hujusmodi dubiis ad consuetudinem metropoleos recurratur. Unde cum apud Romanam Ecclesiam solus summus pon-

(735) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 38. — Vide etiam notas ad epistolam antepenultimam.

(736) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales, lib. 1, tit. 6, *De electione et electi potestate*, cap. 31. Quæ illic leguntur hic unci inclusa exhibentur: variæ lectiones appositæ sunt.

737) Vide epistolam libri octavi 156, not.

738) In Decretalibus, *Cum Ecclesia Vulterana.*

(739) Ibid. not.

(740) Decretal. om. *residentes.*

(741) Quæ sequuntur, Italico charactere distincta, in Decretal. desunt; verum, leguntur apud Pith. in *add.*

(742) Apud Pith. *idem.*

(743) Vide eamdem epistolam.

tifex eligat cardinales, canonicorum electionem in sua Ecclesia idem episcopus ad se solum proposuit pertinere. Allegabat insuper quod, etsi nullo jure talis ad ipsum pertinuisset electio, propter canonicorum tamen negligentiam, eligendi auctoritas ad ipsum fuerat devoluta. Sacris siquidem constitutionibus est permissum, ut episcopus quilibet pastorali diligentia suorum suppleat negligentiam clericorum. In Lateranensi quoque concilio noscitur esse statutum, ut, cum donatio dignitatis vel beneficii ad capitulum pertinet, si infra sex mensium spatium conferre distulerit, hoc episcopus exsequatur. Pro parte vero capituli fuit ex adverso responsum quod de jure communi non ad episcopum, sed ad ipsum capitulum canonicorum electio pertinebat, ad quod probandum quosdam canones allegabant. Verum, cum circa hoc diversa canonum edita sint statuta, videbatur potius ad diversorum locorum consuetudines hujusmodi diversitas referenda, cum canonicorum electio alicubi ad solum spectet episcopum, alibi ad capitulum tantum, et alicubi pariter ad utrosque. Sed, nec consuetudo sedis apostolicæ, quam pro se prædictus episcopus introduxit, obesse posse canonicis videbatur, quia, licet summus pontifex solus eligat cardinales, in sua tamen Ecclesia cathedrali, Lateranensi videlicet vel Principis apostolorum Basilica, capitulum sibi concanonicos eligere consuevit, quamvis et in ipsis, sicut et in aliis Ecclesiis, Romanus pontifex interdum canonicos eligat ex plenitudine potestatis. Ad hoc autem, quod episcopus consequent objecit, quia videlicet propter capituli negligentiam eligendi jus ad ipsum fuerat devolutum, pars capituli respondebat quod, propter neglectum hujusmodi, episcopus eligendi jus sibi non potuit vindicare, nisi canonica monitione præmissa, cum in tali casu tempus minime sit determinatum a canone, quod vicem commonitionis suppleat, vel interpellare fingatur, præsertim cum electos, a canonicis et episcopo præsentatos, ipse pro suæ voluntatis arbitrio noluit confirmare. Cum itaque ordinarii juris sit, ut admonitio debeat præire vindictam, et præ textu negligentiæ, monitione omissa, episcopus pœnam inflixerit, pars eadem proponebat merito improbandum quod ab ipso temere noscitur attentatum. Adjecit et pars capituli, quod Lateranensis statutum concilii sibi locum non vindicat in illis Ecclesiis, in quibus nequaquam ecclesiastica beneficia sunt distincta, sed in quibus certus est canonicorum numerus et distinctæ præbendæ. Præterea, si, juxta tenorem concilii, deprehenderentur prædicti canonici negligentes, episcopus tamen, qui diuturniori tempore

A fuit negligens, ex hoc jus minime acquisivit, qui propter hoc esset merito puniendus, cum nemo ex eodem facto pœnam debeat et præmium promereri; quin imo, in hoc casu eligendi potestas ad superiorem exstitit merito devoluta, sicut ex concilii tenore conjicitur manifeste, unde, in alienam messem non debuit mittere falcem suam. Cum autem hæc et alia coram te fuissent proposita, et tu tamen deliberare velles super sententia proferenda, quia nimis diversa concilia reperisti, et fere quilibet, cujus in hac parte volebas uti consilio, suspectus alterutri parti ex causis aliquibus habebatur, causam instructam ad nostram præsentiam remisisti, sub tuo sigillo attestationes et allegationes partis utriusque transmittens. Nos vero, utriusque partis atte- B stationibus et rationibus diligenter inspectis, de consilio fratrum nostrorum, fraternitati tuæ præsentium auctoritate [mandamus, quatenus super primo articulo petitionis episcopi, in quo postulavit a te, ut prænominatos canonicos ab injuria, quam ei super electione canonicorum Vulteranensis Ecclesiæ inferunt, prohiberes, ab impetitione ipsius *episcopi* (744) sæpedictos canonicos, *appellatione postposita*, absolvere non postponas, quia, *sicut juris regula dicit*, *non intelligitur* (745) injuriam facere, qui utitur jure suo, cum per testes longe melius sit *probatum*, quod canonici *sæpedicti* hoc jure usi fuerint, antequam episcopus memoratus. In secundo quoque *præscriptæ petitionis* (746) articulo, quo *memoratus* petebat episcopus, ut dicti canonici ipsum jure electionis uti libere paterentur, absolvere studeas C canonicos *memoratos*, maxime, si sit notorium, quod in Tuscia generalis consuetudo servetur, ut in cathedralibus ecclesiis solum capitulum, irrequisito episcopo, eligendi canonicos habent facultatem. Ne vero eadem Ecclesia remaneat ulterius ministrorum obsequio destituta, memoratis canonicis ex parte nostra præcipias, ut infra quindecim dies personas idoneas, juxta facultates Ecclesiæ, in canonicos eligant, ex quibus tres ad minus sint sacerdotes, præsentantes eos episcopo confirmandos; alioquin, extunc, nostra fretus actoritate, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo id exsequi non postponas,

Datum Laterani, XVI Kalendas Novembris, anno nono.

D

### CLXXII (747).

P. YPOREDIENSI EPISCOPO (748).

*Ut redeat ad Ecclesiam suam et non quærat separationem ipsius.*

(Laterani, XII Kal. Novembris)

Litteras tuas recipimus continentes, quod du-

(744) In Decretal. deest *hoc verbum* et infra *appellat. postpos.*

(745) Decretal. *non videtur*, pro *ic. j. reg. d. n. i.*; infra pro *probatum* legit *approbat.* et superdicti pro *sæpedicti.*

(746) Hæc om. Decretal,; infra *idem* legunt pro *memoratus* et *sæpedictos* pro *memoratos.*

(747) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 8.

Integra legitur apud Ughellum, *Ital. sacr.* tom. IV, col 1408, sed non nisi mendis quamplurimis deformata.

(748) Ughellus, *loc. sit.*

« Bernardo, Yporiensi episcopo, (*de quo vide supra*, *quæ annotata sunt ad epistolam libri octav.* 200, *not.* deposito, Petrus, natione Pedemontanus, monachus ordinis Cisterciensis, et abbas celebris cœnobii Firmitatis, Cabilonensis diœceseos, vir po-

dum timor et tremor venerunt super te, et contexerunt te tenebræ, ac cum Propheta dixisti : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal.* LIV.) Ne igitur hujus quasi voti transgressor in conspectu Domini appareres, ecce elongasti fugiens, et manes in solitudine, exspectans eum qui salvum te fecit a pusillo animo et tempestate. In episcopatu autem Yporediensi ob reverentiam præcepti apostolici permansisses, nisi quædam quæ tuæ saluti videbantur contradicere obviassent, propositum videlicet, sicut superius est expressum, ad eremum transeundi, quod mentem tuam non sinebat esse quietam; et quod Yporediensis Ecclesia possessiones quasdam titulo pignoris obtinet, quarum proventus justi tibi minime videbantur. Telonium insuper et pedagium habet, de quorum sustentari redditibus formidabas. Præterea, possessiones ejus sunt pignori obligatæ, et in tantum sunt ære alieno gravatæ, quod in temporalibus parum aut nihil ibidem posse proficere te sperabas; unde, nobis humiliter supplicasti quatenus te permittere dignaremur in solitudine, ad quam transisti, cum nostra benedictione ac gratia commorati; ut in libertate spiritus vacare Domino possis, et tua nihilominus peccata deflere. Consequenter autem ex litteris, tam venerabilis fratris nostri . . . Mediolanensis archiepiscopi (749), quam dilectorum filiorum Yporediensis capituli, accepimus evidenter quod, cum electionem de nostro recepisses mandato, ipsamque dictus archiepiscopus confirmasset, abbatia de Firmitate, ad quam fueras evocatus, dimissa (750), tu ad ejusdem Ecclesiæ regimen accessisti, et sic inter te ac ipsam conjugium exsistit spirituale contractum. Verum, postmodum paucis diebus transactis, ignorante capitulo, assumptis pennis sicut columbæ fugiens in solitudinem evolasti, licet pennæ tuæ ita sint astrictæ nexibus præceptorum, ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum. Dubitare sane non debes quod, cum fortius sit spirituale vinculum quam carnale, omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter episcopum et Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem carnalis conjugii, quod est inter virum et feminam, suo tantum judicio reservavit, præcipiens, ut quod Deus conjunxit, homo ne separet. Non enim humana, sed divina potius potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem vel dispositionem, aut etiam cessionem, auctoritate Romani pontificis, quem constat esse vicarium Jesu Christi, episcopus ab Ecclesia removetur, et ideo tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano pontifici reservata. Sicut igitur episcopus consecratus, sine licentia Romani pontificis Ecclesiam deserere non potest sibi commissam, sic tu electus, et etiam confirmatus, præter nostrum assensum Ecclesiam ipsam relinquere nequivisti, cui es matrimonialiter alligatus ; cum non debeat in dubium revocari, quin, post electionem et confirmationem canonicam, inter personas eligentium, et electi, spirituale conjugium sit contractum. Unde, cum non majus sit vinculum episcopi ad ecclesiam, quam electi, maxime cum fuerit confirmatus, idem penitus, et non aliud juris obtinet in utroque. Sicut ergo episcoporum, sic et electorum translatio, cessio, vel etiam depositio soli Romano pontifici reservatur; licet quod cautum est de episcopis, olim non fuerit de electis expressum, propter similitudinem manifestam, vel identitatem potius, de qua non potest aliquis subtiliter intuens dubitare, cum idem

tens in opere et sermone, a capitulo episcopus fuit electus eodem anno 1205, et confirmatus. Cumque ad Ecclesiam sibi creditam accessisset, post paucos dies quieti et divinæ contemplationi intentus, illa, absque Romami pontificis venia, relicta, eremum petiit, fugitque in abditis, nondum consecratus. Quod cum accepisset Innocentius tertius, doctissimam eidem scripsit epistolam, qua Patrum canonumque sacrorum auctoritate plenissime docuit, electum aliquando episcopum haud a sponsæ vinculo absolvi et divelli posse, absque Romani pontificis auctoritate, non secus ac si consecrationis munus recipisset. Epistolæ tenor talis est, a regesto Vaticano exscriptus, lib. IX, pag. 116, nº 117.

*Yporediensi electo, etc..... litteras tuas recepimus continentes, etc....* » (Notandum, quod apud Ughellum *electo*, hic vero *episcopo*, Innocentii Epistola directa dicitur. Pergit Ughellus : ) « Paruit Petrus summi pontificis mandato, et humiliter collum submittens, ad propriam reversus sponsam, in episcopum consecratur, et, veluti lucidissimum sidus, ecclesiam suam provinciamque irradiavit. Jussu Ejusdem Innocentii, una cum Cathone Vercellensi episcopo, Gerardo abbate Tilieti, ordinis sui Cisterciensis, postmodum episcopo Novariensi, et cardinali Albanensi, Albingaunensem Ecclesiam, apostolici visitatoris munus demandatum adimplevit eximie. Pauloque post, hoc est anno 1209, Antiochenus patriarcha in Oriente creatus, cujus mentio est in epistolis Innocentii. Cœnobium Sancti Georgii de Montana nigra, alias de Jubino, prope Antiochiam, evocatis monachis suis Cisterciensibus e monasterio Firmitatis, ordini tradidit an. 1214. Sequenti vero, cum Lateranensi concilio interesse non posset, vicarium suum, episcopum Antididensem, ad illud misit, excusatus ab Innocentio, cum Christianæ reipublicæ pernecessarius esset in Oriente, in quo tandem meritis cumulatus in fatis concessit an 1217. Hujus meminit Angelus Manrique, tom. I, *Annal Cisterciencium*, in catalogo abbatum Firmitatis, quem tamen pro abbate ejus cœnobii non agnovit. »

(749) Vide epistolam libri tertii 6.

(750) Locus notatu dignissimus, utpote qui lucem afferat iis quæ de Petro, Firmitatis abbate, referuntur apud auctores novæ *Galliæ Christianiæ*, tom. IV, col. 1023.

« X. Audo, sive Odo, anno 1203 domum Bartholomæi de Genesto militis excipit, memoratus anno sequenti in charta Gerardi, abbatis S. Petri Cabilonensis.

« XI Petrus. II, an. 1206, concordiam iniit cum Joscerano de Saula, *forte* de Saulx, coram Roberto episcopo Cabilonensi. Omittitur a San-marthanis, cujus loco inducunt eodem anno 1206 Gerardum, et, post eum, Hugonem, mortuum 1217, VI Idus Aprilis, ac sepultum in capitulo. Quin etiam legitur R. abbas Firmitatis an. 1208. apud eosdem San-marthanos, t. IV col. 61 ; sed hic error typographicus videtur pro qua littera P. vel S. substituenda. Verum in tabulis domesticis neutrius fit mentio. »

judicium de similibus sit habendum. Cum constet igitur ex præmissis, quod per electionem et confirmationem sis allagatus uxori, solutionem non quæras, ne, dum forte quæris vivere tibi soli, deposita sollicitudine pastorali, cum servo pigro creditum tibi abscondas in terra talentum, qui meruit a domino reprehendi, quia pecuniam domini sui nummulariis non commisit, quam idem veniens ab illis reciperet cum usura ; unde, ablato sibi talento, in exteriores tenebras, tanquam servus inutilis, jussus est a domino mitti, qui servis talenta reportantibus duplicata præcipit, ut in ipsius gaudium introirent, promittens ipsos reconstituere supra multa, quia fideles exstiterant supra pauca. In ea ergo vocatione, qua vocatus es, maneas, et Domini tui pecuniam non abscondas, quia, juxta Salomonis sententiam, *qui abscondit frumentum maledicitur in populis* (*Prov.* XI), et illis beatitudo promittitur, qui seminent super aquas. Neque causeris, nos te ad Ecclesiam pauperculam, et parvam diœcesim destinasse, cum intentionis nostræ non fuerit illi per te tantummodo providere, sed toti potius Lombardiæ, quin imo Ecclesiæ generali, quam informare poteris tam exemplo vitæ, quam verbo doctrinæ, cum sis vir potens in opere ac sermone, retorquens os turturis ad ascellas. Noli ergo negligere gratiam ad quam fuisti vocatus, ne spiritum exstinguere videaris, sed potius cum illo glorioso pontifice dicas : « Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. » Debitum enim charitatis exposcit, ut is, qui Rachelem amplectitur, Liæ non refutet amplexius, quia, licet illa sit pulchra, hæc tamen est utilis propter gratiam filiorum, sibi et aliis commodum afferens et profectum. Licet enim Mariæ sedentis secus pedes domini otium Marthæ satagentis circa plurima ministerio præferatur, non ideo putes quod Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima satagebat, quia Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea, quoniam, licet illa sit magis secura, ista tamen magis fructifera, et, licet illa sit magis suavis, ista tamen magis utilis perhibetur. Quamvis semel in unum et contemplativus esse valeas, et activus, legislatoris exemplo, qui nunc ascendebat in montem, ut ibi gloriam Dei cum majori cerneret libertate, nunc vero descendebat in castra, ut cum utilitate majori necessitatibus populi provideret, nec autem propter hoc debes Ecclesiam illam deserere, cum qua jam conjugium contraxisti, quod te non speras ibidem, sicut asseris, profectorum, quia plantationi et rigationi tuæ potens est dare Dominus incrementum, et, si forte non usquequaque secundum tuam profeceris voluntatem, non tamen minorem potes exspectare mercedem, quia Deus laborem remunerat, non profectum, juxta quod Scriptura testatur : Reddet Dominus mercedem laboribus (*Sap.* X), servorum suorum labori, non profectui, præmium repromittens. Unde, Apostolus non se profecisse plus omnibus gloriatur, sed plus omnibus laborasse. Sed nec excusare te debes propter Ecclesiæ paupertatem, quia semper est dives christiana paupertas, illud attendens, quod inquit Psalmista : *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus egens pane* (*Psal.* XXXVI). Nonne recolis verbum Dei, dicentis in Evangelio : *Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis; quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam Dei, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Matth.* VI). Ab iniquis autem redditibus, si quos Ecclesia tua percipere consuevit, abstinere poteris, imo debetis, eritque tibi apud Deum et homines gloriosius, sciturus pro certo, quod læva erit tibi sub capite, si dextera fuerit in amplexu. Monemus igitur devotionem tuam, et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus, ad prædictam Ecclesiam rediens, sponsam tuam, circa ipsam et populum tibi commissum, curam et sollicitudinem adhibeas diligenta, et talentes tibi credita Domino referas duplicata, et illam jucundam vocem merearis audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV) ; firmiter sperans in Domino Jesu Christo, quod ipse, qui tibi laborando præstabit affectum, ne tuus labor inutilis habeatur, effectum tribuet et profectum.

Datum Laterani, XII Kalendas Novembris, anno nono.

CLXXIII (750*)

ZAMORENSI EPISCOPO, etc.

*Scribit eis in favorem monasterii de Lorbano adversus regem Portugalliæ.*

CLXXIV.

PRÆPOSITO NOVARIENSI.

*Quod non permittat A. clericum super beneficium molestari, occasione vulneris illati per eum cuidam latroni.*

(Laterani, II Kal. Novembris.)

Accedens ad præsentiam nostram, A. clericus, humili nobis insinuatione monstravit, quod, cum quidam latro, a consulibus de Castignaga bannitus, in eum fecisset insultum, et dejecisset in terram acriter vulneratum, idem, quasi semivivus jacens in terra, prædictum latronem percussit in crure, cujus occasione vulneris ipse dicitur expirasse, licet post vulnus illatum longo tempore vixerit, et inter eos pax fuerit reformata. Quia igitur dicebatur ille occasione prædicti vulneris naturæ debitum exsol-

(750*) Epistolæ hujus apographum, quod ad finem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit ; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. Vide Raynaldum, ad ann. 1206, § 35. Adde, si vis, quæ referuntur apud Angelum Manrique. *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 467, ad an. 1206, cap. 4, § 9.

visse, venerabili fratri nostro, Tusculano episcopo (751) hoc humiliter est confessus, et recepit injunctam sibi pœnitentiam ab eodem, nobis humiliter supplicans,ut super beneficio quod in Ecclesia de Castignaga fuerat assecutus, dignaremur cum eo misericorditer dispensare. Quocirca, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, ipsum super prædicto beneficio non permittas occasione hujuscemodi ab aliquo molestari, sed facias illud ab eo in tranquillitate debita, sublato appellationis obstaculo, possideri.

Datum Laterani, II Kalendas Novembris, anno nono.

CLXXV (752)

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS, PER POLONIAM CONSTITUTIS.

*Quod abbati de Lakene, prædicanti fidem, consilium et favorem impendant.*

(Laterani, VII Kal. Novembris.)

[Homo,*qui* (735), cum in honore esset, invisibilia Dei per ea quæ *facta sunt* intellecto conspicere potuisset,*sempiternam* quoque virtutem et divinitatem ipsius,ita ut inexcusabilis esset, quia minime intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et insipiens obstacuratum cor ejus, mutans gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, quadrupedum et serpentum, creaturæ potius quam Creatori eligens desservire. Verum, omnipotens Deus, ne ille periret ex toto, quem inter cæteras creaturas ex- A tulerat eminentia dignitas, exsurgens propter miseriam inopum,et gemitum pauperum, per fidem in sanguine ipsius propitiatorem proposuit Jesum Christum ad ostensionem justitiæ suæ,propter remissionem præcedentium dilictorum,*in sustentatione Dei* (754),ut esset ipse justus, et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi, sine qua nullus potest justificari omnino,cum, testante propheta : *Justus ex fide vivat* (*Habac.* II). Proposita ergo hac via eundi ad Deum vivum et verum, princeps mundi hujus quorumdam mentes infidelium excæcavit, ut illuminatio Evangelii gloriæ Christi in eos non valeat radiare, sed, adhuc infidelitatis tenebris obvoluti, non invocent Dominum,qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate, quia omnis quicunque B invocaverit nomen Domini, salvus erit. Sed quoniam, ut ait Apostolus : *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt ? aut quomodo credent ei quem non audierunt? vel quomodo audient, sive prædicante ? et quomodo prædicabunt, nisi mittantur* (*Rom.* X)? suscitavit Deus spiritum dilecti filii...abbatis *de Lakene* (755),ut ad paganos illos, qui circa vestras regiones existunt, a nobis, qui, licet immeriti, ejus locum tenemus in terris, qui discipulis suis ait : Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (*Matth.*, IX),*postularet transmitti*,quatenus in eos aliquos manipulos colligat, et in vitam æternam congreget sibi fructum. Cum enim ad partes illas pro quibusdam fratribus liberandis,qui ab ipsis paganis tenebantur alligati vinculis, accessisset, et dominus terræ illius ipsum re- C

(751) Nicolaus de Romanis, Romanus, Innocentii PP. III a sacrificiis, ab eodem electus fuit cardinalis episcopus Tusculanus,anno nostræ salutis 1205, pontificatus VII, mense Martio ex Panvinio, vel ex Ciacono mense Decembri, Romæ, in quarta creatione cardinalem. Angliam sedis apostolicæ legatus adiit ; quam iterum sub Honorio PP. III petiit ad promovendum sacrum bellum in Orientem. Legatione quoque functus est in Prussia sud eodem pontifice. Maxima fuit S. Dominico familiaritate conjunctus.Nicolaus hic, quem pacis et salutis angelum,et hominibus gratum,præque aliis a se dilectum Honorius PP. III nominare consueverat,subscripsit pluribus tum Innocentii,tum Honorii litteris ; e vita excessit anno 1219. OLDOIN. *ad Ciacon.* tom. II, col. 22.

Notandum quidem,Panvinio,Nicolaum ad Tusculanam sedem *meuse Martio*,an.1205 evectum fuisse, asserenti, favere videri privileginm quoddam, Alberto, Eugubino episcopo, ad Innocentio PP. III, anno 1205, II Kal. Maii, concessum,cui subscripsit. Vide infra ad epistolam hujusce libri nonl 86, not.

(752) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 43.

Integram,sed mendis aliquibus deformatam,vulgavit Angelus Mauribus, *Annal. Cisterc.* tom. III, pag. 463,ad an. 1206, cap. 3, § 1 et sqq. ubi de abbate *Lankenheimiensi*, non *de Lakene*, prout hic et apud Raynaldum legitur, agi asserit.

« Circa hoc tempus, cum gentiles Livoniæ Prussiæque quosdam Cistercii fratres, dubium an monasterii Lankenheimiensis, ex his qui prædicatum missi fuerant, tenerent in vinculis, atque arcta custodia macerarent, unde, non solum ipsi patiebantur, sed fructus etiam verbi, quod alias seminarent, impediebatur, abbas ejusdem cœnobii, vir zelo fervens, illuc transivit, vinctos fratres, an filios educturus(*a*) de domo carceris,atque prædicationem alligatam,quod maxime gemebat, expediturus.Porro, cum messem in ea provincia multam, sed paucos operarios comperisset, cumque tyrannum terræ sibi facilem nec nimium obduratum expertus esset, fratribus liberatis, cum jam discederet, cœlitus sibi ostensa visione segetis albescentis, detentus est, atque jussus ad messem præparari : ille, nec sibi, nec suæ visioni fidens, repetiit domum. Inde,per omnia paratus ad obediendum, ac suo monasterio valedicens. Innocentium adivit, eidem operi ministerioque, verum nisi missus, consecrandus. Exstat epistola Innocentii, summi pontificis, ad archiepiscopos et episcopos Poloniæ, D hoc anno data, in qua, dum mittit prædicare Evangelium virum ferventem zelo et charitate, apostolum constituit illius gentis ; quin et eidem indulget facultatem,ut monachos Cistercienses et alios secum deferat. quos sibi associet in partem sollicitudinis. Litterarum utcunque Bzovius meminit, corrupto abbatiæ nomine, atque ordine suppresso:nos, ipsas integras correctasque reddemus, pro more nostro : *Archiepiscopis et episcopis Poloniæ*, etc. « *Homo, cum in honore esset*, etc. »

(753) Mauriq. omittit *qui*, et mox verba *facta sunt* ; infra legit *sapientiam* pro *sempiternam*.

(754) Hæc Mauricus omittit.

(755) Mauric. *de Lankehim* ; infra verba *postul. transm.* omittit.

(*a*) Sid apud Maurique.

cepisset benigue, ac dimisisset liberos ejus fratres, demonstrans eidem nihilominus beati martyris Alberti sepulcrum, elevatis oculis, vidit quod regio illa alba esse ad messem, sed falcem in eam mittere non est ausus, quoniam a nobis prædicandi non acceperat potestatem; quare, ad apostolicam sedem accedens, nobis humiliter supplicavit, ut ipsum in messem Domini mittere dignaremur. Nos igitur, pium ejus propositum in Domino commendantes, auctoritate sibi præsentium duximus concedendum, ut evangelizet eisdem, et, fungens legatione pro Christo, tanquam Deo exhortante per eum, obsecret illos pro Christo, ut reconcilientur eidem. Verum, quia messis quidem multa, et operarius unus ad ipsius non sufficit messionem, ipsi auctoritate apostolica indulgemus, ut fratres Cisterciensis ordinis secum assumat, et alios etiam, qui cum eo voluerint accedere ad hoc opus ministerii salutaris, ut cum ipso evangelizent et baptizent illos qui receperint verbum Dei, mortuos quoque sepeliant, et missas in locis, in quibus expedire cognoverint, celebrent baptizatis. Liceat etiam niholominus abbati prædicta pœnitentium confessiones audire, illisque relaxationem aliquam peccaminum indulgere, qui ad ministerium supradictum de corde puro et conscientia *bona* (756) curaverint auxilium impertiri; possessiones quoque, pia liberalite donatas ad redimendum fideles de manibus paganorum, personis idoneis committere procurandas, quas diminui vel auferri *sub* (757) anathematis interminatione vetamus. Quocirca, universitatem vestram monemus, et exhortamur attentius, per apostolica scripta mandantes quatenus, ad hoc pium habentes cum devotione respectum, impendatis et consilium et auxilium opportunum.

Datum Laterani,] VII Kalendas Novembris, anno nono.

## CLXXVI.

..... DECANO (758), ET CAPITULO LINCOLNIENSIBUS.

*Ut eligant personam dignam in episcopum eorum.*

(Laterani, II Kal. Novembris.)

Per vestras nobis litteras intimastis, quod nuper bonæ memoriæ... episcopo vestro (759), rebus humanis exempto, vos, super Ecclesiæ vestræ desolatione turbati, de substitione pontificis sollicite pertractastis, sed, post tractatus quamplures, et plura consilia quæ per vos ipsos stabilire minime potuistis, ad sedem duxistis apostolicam recurrendum, a qua subsidium consuevit afflictis et desolatis solatium evenire, nobis humiliter intimentes, quod piæ recordationis, Hug. episcopus vester, tanquam vir providus et discretus, viros litteratura et honestate præclaros, in quibus requiesceret spiritus ejus, quærens summo studio circumquaque, in Ecclesia Lincolniensi quasi columnas electas in domo Domini collocavit, in quibus plus vitæ merita, quam

A natalium jura plus personarum strenuitatem, quam originis regularitatem attendit, de quibus aliqui reperiuntur in Ecclesia vestra, vita et scientia commendandi, et, secundum defectum temporis, humano judicio, pontificio non indigni, si de legitimo fuissent matrimonio procreati. Consideratis igitur Ecclesiæ vestræ ac totius diœceseos commodis et incommodis, malletis juxta formam canonicam aliquem de ipsius Ecclesiæ gremio eligere in pastorem, quam aliunde quasi medicando vocare, vel quemquam admittere ex adverso ad magnatum instantiam venientem, et magis velletis habere virum expertum et notam, qui gregi Dominico sciat et velit prodesse, quam aliquem inexpertum, qui vias novas et vobis incognitas forsitan ambularet. Quare,
B nobis humiliter supplicastis, ut, infirmitati vestræ paterno condescendes affectu, dignaremur vobis misericorditer indulgere, quatenus si forte omnium vestrorum, vel majoris et sanioris partis, in aliquem talem alias idoneum vota convenerint, liceat vobis hac vice, nono stante defectu natalium eligere in pastorem. Qui vero, non curastis exprimere quæ sit persona, cum qua cupitis dispensari, et quantus sit in natalibus defectus ipsius, universitati vestræ taliter respondemus quod, quandiu de persona legitime nata ordinaria potest electio celebrari, non est extraordinaria postulatio de persona illegitime genita facienda, nisi forsan interdum propter eminentem utilitatem et necessitatem urgentem communis id deposcat assensus, de persona duntaxat, cujus non sit nimis enormis defectus, et cui tam
C meritum vitæ, quam talentum scientiæ suffragetur. Si ergo postulationem duxeritis faciendam, cum ipsa nobis fuerit præsentata, sicut expedire viderimus, procedemus.

Datum Laterani II Kalendas Novembris, anno nono.

## CLXXVII.

..... ABBATI (760) ET CONVENTUI DE SALEM.

*Quod liceat eis molestatoribus eorum mutuum præstare.*

(Laterani, II Non. Novembris.)

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod, cum vobis, sicut et cæteris fratribus Cisterciensis ordinis, a sede apostolica sit indultum, ut de terris, quas propriis manibus, aut sumptibus colitis,
D nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat, vos, ut quorumdam clericorum ac laicorum possetis malitiam mitigare, privilegio vobis indulto uti hactenus omisistis; quare, nobis humiliter supplicastis, ut vobis dignaremur licentium impertiri, ut decimas ipsas, ad vos spectantes, recipere possitis in pignus... nos igitur, vestris utilitatibus providentes auctoritate vobis præsentium indulgemus, quatenus, pro retentione decimarum ad vos de jure spectantium, liceat vobis molestatoribus vestris, ut

(756) Mauricus, *pura*.
(757) Mauricus omittit.
(758) Vide epistolam libri quinti 147.

(759) Vide epistolam libri octavi 164, not.
(760) Vide epistolas, libri quinti 99, not., et libri septimi 89.

super iis, vel in perpetuum, vel ad tempus a vestra molestatione desistant, pecuniam mutuo exhibere.

Datum Laterani, II Nonas Novembris, anno nono.

CLXXVIII.

..... EPISCOPO FERRARIENSI (761).

*Quod inducat clerum et populum Trident, ad obediendum patriarchæ Aquilegensi, cui commissa est administratio Ecclesiæ Tridentinæ propter scandalum eorum* (762).

(Laterani, II Kal. Novembris.)

Postulavit a nobis venerabilis frater noster..... Tridentinus episcopus (763), ut dignaremur ipsi cedendi licentiam indulgere, quasdam causa inducens propter quas eidem non videbatur idoneum pontificale deinceps officium exercere, quia parochiani sui videlicet per se ac per alios intolerabilibus cum injuriis et molestiis affligebant, et [quia tum ratione ætatis vergentis in senium, tum occasione laborum quibus fuerat multipliciter fatigatus nimia erat debilitate confractus, et propter multa homicidia, perjuria et incendia, quæ occasiione discordiæ, quam cum suis parochianis habuerat, hinc inde fuerant nequiter perpetrata. Nos autem, ejus precibus inclinati, venerabili fratri nostro. Paduano episcopo (764), dedimus in mandatis, ut, vice nostra ipsius recipiens cessionem, injungeret capitulo Tridentino, ut, convenientes in unum, et sancti Spiritus gratia invocata, personam idoneam canonice sibi eligerent in pastorem. Verum, cum occasione cessionis ipsius inter. . . . . decanum et capitulum ex parte una, et dictum episcopum Tridentinum ex altera, quæstio postmodum veteretur, ad sedem apostolicam idem decanus cum quibusdam sociis suis, et episcopus accesserunt. Decanus autem proposuit, in nostra præsentia constitutus, quod, cum idem episcopus deliberasset ad vitam monasticam convolare, fratres suos convocavit in unum, exponens eis, quod apud Ecclesiam Sancti Georgii super montem in vita monastica proposuerat Domino militare, quodque procedendi petenda licentia proprium ad nos nuntium destinaset, adjicens, ut, cum iidem canonici super hoc litteras nostras viderent, a juramento fidelitatis, et obedientiæ debito, quo eidem tenebantur astricti, essent penitus absoluti, consulens diligenter eisdem, ne aliquem de Ecclesiæ corpore sibi eligerent in pastorem. Cumque capitulum dissuasione sollicita laboraret episcopum a tali proposito revocare, idem episcopus dicitur respondisse, quod totus mundus eum a tali proposito revocare non posset etiamsi universum capitulum substituendi sibi episcopum tribueret facultatem, et ad hæc probanda, quæ coram nobis decanus proposuit memoratus, publicum exhibuit instrumentum; adjiciens insuper, quod post hæc idem episcopus ad monasterium transiit supradictum, et ibidem, post votum emissum, solemnem professionem faciens, habitum monachalem assumpsit. Cumque postmodum episcopi nuntius cum cessionis litteris rediisset, idem episcopus carne et sanguine præpeditus, et a suis consanguineis, qui cupiebant bona Tridentinæ Ecclesiæ, quæ erant residua, exhaurire, malitiose fuit inductus imo seductus, ut a proposito quod assumpserat, resiliret, et sic dolo episcopi cessionis litteræ fuere suppressæ, quamvis earum rescriptum fuerit illis ostensum. Dicti vero decanus et capitulum, attendentes episcopum in suæ salutis dispendium, et Ecclesiæ detrimentum, propositum, quod assumpserat revocare, tanquam devoti filii, volentes suæ matris incommodis obviare, nostris hoc auribus intimarunt multa damna et gravamina, quæ ipsa Ecclesia per dictum episcopum postmodum sustinuerat, exponentes, propter quod prædicto episcopo Paduano dedimus in præceptis, ut, nisi sæpedictus episcopus Tridentinus justam et necessariam causam ostenderet, quare cedendi mutaverat voluntatem ipsum, ut cederet, moneret et induceret diligenter, et, si necesse foret, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellere procuraret. Cum autem auctoritate litterarum illarum citati fuissent episcopus et capitulum Tridentin. et statuto termino exhibuissent suam præsentiam coram episcopo Paduano, dictus episcopus Tridentinus quasdam exceptiones opposuit ad judicium declinandum, et, cum super ipsis Paduanus episcopus dubitasset, nos super eis censuit consulendos. Nos autem, exceptiones illas supervacuas judicantes, eidem episcopo dedimus in mandatis, ut, exceptionibus illis tanquam frivolis nequaquam obstantibus, in ipso negotio juxta formam nostri mandati procedere non tardaret. Episcopus autem procuratorem pro se instituens archidiaconum Vicentinum, ad Philippum, ducem Sueviæ, est, profectus, et, ipsi juramento fidelitatis corporaliter præstito, recepit regalia ab eodem, mille marcas

(761) Vide epistolam libri tertii 39, not.

(762) De argumento istius epistolæ, vide epistolam libri octavi 183, et quæ ibi, per errorem, quem nota sequenti emendabimus, adnotata sunt.

(763) Conferenda omnino hæc epistola, cum iis quæ de Conrado II, episcopo Tridentino, referuntur apud UGHELLUM, *Ital. sacr.*, tom. V, col. 514:

« LXXV. Conradus II, circa annum Domini 1190 fuit Tridentinorum episcopus. Vir præstanti ingenio, amoreque præcipuo erga sibi creditam Ecclesiam, qui cum plura distracta bona cum summa laude prudentiæ in favorem suæ recuperasset Ecclesiæ, humanarum curarum pertæsus, missione impetrata, se abdidit claustro apud S. Georgium in Valle Æni anno 1205, ubi sancte pieque decessit.

« LXXVI. Federicus, e nobili potentique familia Wanga, ad hanc sedem promotus est anno 1295, etc. »

Cætera, quæ de Federico Wanga apud Ughellum referuntur, nos ad epistolam libri octavi 183 (*datam* III *Id. Januarii*, anno pontificatus VIII, id est hoc ipso, in quo nunc versamur, anno 1206), not. exhibuimus: ubi, Ughello fidem adhibentes, de isto antistite, utpote jam ab anno 1205 ad Tridentinam sedem evecto, agi existimavimus. Verum, ex hac nostra Innocentii epistola, Federicum, non nisi post finem anni 1206, Tridentinas infulas gessisse, ac de Conrado, non de Federico, in epistola libri octavi 83 agi, certo certius evincitur.

(764) Vide epistolam libri septimi 178, not.

ei... uxori ducentas, et centum familiaribus repromittens, ipsisque villam Bulzan sæpedictæ Ecclesiæ proipsa pecunia titulo pignoris obligavit sed vassali Ecclesiæ restiterunt, quominus ducis nuntii villam possent occupare prædictam. Sane, Paduanus episcopus, capitulo non citato, nec absente per contumaciam, lite non contestata et juris ordine prætermisso, testes productos ab episcopi parte recepit, nec curavit ulterius in facto procedere, sed octavam Sancti Michaelis partibus terminum assignavit quo nostro se conspectui præsentarent. Cæterum, testes ipsos, qui ad probandas causas fuerant introducti, propter quas dictus Tridentinus episcopus mutaverat voluntatem sæpedictus decanus multipliciter reprobabat. Unus eorum balistarius est et arcator, alius alcator et baratarius, sicut iidem testes in serie sui testimonii attestantur. Tertius autem deprehenditur esse perjurus, quia, cum decano juraverit servare credentiam, postmodum consilium sibi creditum, sicut idem testis asserit, episcopo reseravit. Præterea, inter testes ipsos manifesta contrarietas invenitur. Nam, quidam asserunt quod decano non revelare credentiam nullo juramento interposito sed verbo simplici promiserunt; aliis asserentibus quod solemniter spoponderunt affidantes (765) super quadam chartula, et dicentes : « Sic nos Deus adjuvet; et credentes sic facere juramentum. Unus etiam ex testibus ipsis, Ro.. nomine, respersus deprehenditur labe Simoniacæ pravitatis. Promissionem siquidem a decano se asserit recepisse, ut, si cum fratre suo Bertoldo studeret ne episcopus ad suum rediret episcopatum, et quod decanus episcopus fieret, idem testis medietatem castaldiæ argentariæ ab ipso decano reciperet, et certam pecuniæ quantitatem. Cum ergo testes ipsi tam viles, varii et criminosi, sicut ostensum est superius, arguantur, cum etiam, lite non contestata, contra juris ordinem sint recepti, petebat idem decanus, ut haberentur attestationes hujusmodi pro infectis, quia quod contra jus attentatur, carere convenit robore firmitatis. Petebat nihilominus idem decanus, quod, cum dictus episcopus justam et necessariam causam, juxta mandati nostri continentiam, non probarit, quare mutaverit voluntatem, ipsum ad cedendum compellere dignaremur, maxime, cum illæ causæ, propter quas cedendi licentiam postulavit, non sint diminutæ, sed potius augmentatæ, parochiani siquidem ejusdem episcopi durius nunc ipsum episcopum, quam hactenus persequuntur. Sed et de homicidiis, perjuriis et aliis periculis est ad præsens episcopo potius formidandum, cum persecutorum sævitia contra ipsum amplius solito sit succensa. Senectutis quoque impedimentum, quæ una fuit ex causis illis propter quas cedere volebat episcopus, secundum solitum cursum naturæ procul dubio est adauctum. Sicut enim juventus, postquam incipit, continue deficit, sic senectus, ex quo incipit, jugiter augmentatur.

A Allegabat etiam idem decanus, quod, et si propter causas non esset ad cessionem sæpedictus episcopus compellendus, propter manifestam tamen dilapidationem ipsius non deberet ulterius ad administrationem episcopatus admitti, cum ex ipsius episcopi confessione sit liquidem, quod plus quam in quadraginta millibus libri Veronensis monetæ Ecclesiam suam gravaverit onere debitorum. Episcopus autem, dicta decani multipliciter impugnando, facti seriem et processum dissimiliter quam decanus proposuit coram nobis. Asseruit equidem quod, cum propter causas superius adnotatas mutandi vitam propositum concepisset, ad obtinendam cedendi licentiam ad nos proprium nuntium destinavit, verum, ex causis probabilibus et honestis, B quia videlicet sponsam suam videbat iniquis studiis et turpibus prmissionibus profanari, mutavit postmodum voluntatem. Nam, sicut dicit auctoritas : « Sapiens toties mutat consilium, quoties prudentius aliquid meditatur. » Sed nec illud præjudicare sibi posse dictus episcopus asserebat, quod decanus induxit, quia videlicet episcopus canonicis suis dixit, ut, cum litteras nostras de licita data viderint, ab ejus essent obedientia absoluti. Episcopus enim, qui Ecclesiæ suæ matrimonaliter erat astrictus, et de se ipso non habebat in hac parte liberam potestatem, obedientiæ vinculum, quo sibi subditi ligabantur, non potuit relaxare. Per instrumentum quoque, quod decanus exhibuit, dicebat episcopus, nil probari, quia is, qui dicitur illam chartulam conscripsisse eo tempore quo facta proponitur, tabellionis C officium non habebat, negans idem episcopus, quod vel votum emiserit, ut ad religionem transiret, vel apud monasterium Sancti Georgii professionem fecerit, vel habitum susceperit monachalem, quamvis ad monasterium illud accesserit gratia quiescendi, utpote qui tam crebris persecutionibus vexabatur, et qui apud suam Ecclesiam non poterat pacifice residere, quod per dicta suorum testium ostendebat, in quibus continetur expresse, quod in suis expensis et habitu consueto erat in monasterio memorato.

Asserebat insuper idem episcopus, quod non sua fraude, vel studio, sed Tridentinorum potius dolo, litteræ suppressæ fuerant memoratæ, quod inde conabatur ostendere; quia transcriptum litterarum il- D larum ad ipsum de Tridentino fuerat destinatum. De plano vero idem episcopus concessit, quod ad præsentiam Philippi, Sueviæ ducis accessit, ut, quos non poterat admonitione paterna et ecclesiastica districtione compescere, per brachium comprimeret sæculare, et licet eidem Phillippo promiserit mille marcas, tamen aliis nil promisit, quamvis etiam voluerit, quod supradictam villam Ecclesiæ Philippi nuntii loco pignoris retinerent, donec pecuniam statutis terminis solveret, non fuit tamen intentionis ipsius, ut jus et proprietas ejusdem villæ

(765) Sic in apogr.

A Ecclesiæ deperirent. Ad hoc autem, quod prædictus decanus induxit, quia scilicet episcopus Paduanus, lite non contestata, ac juris ordine prætermisso, testes recepit, quos produxit episcopi procurator, episcopus sic respondit quod in illo articulo non erat omnimodo solemnitas judiciarii ordinis observanda, cum Paduano episcopo non contensiosa, sed quædam plenaria juridictio fuerit demandata. Injunctum siquidem fuit ei, quod super mutatione voluntatis episcopi diligenter inquireret veritatem, non ut inter partes aliquam dirimeret quæstionem. Unde, lite non contestata et aliis juris solemnitatibus prætermissis, testes in hoc casu recipi potuerunt. Quod postea contra testes fuit objectum, idem episcopus excusabat. Licet enim unus testium dicatur esse balistarius, non est tamen ostensum, quod ex tali
B officio vel exercitio sanguinem fuderit in casibus non concessis, propter quod non est, tanquam homicidæ, ipsius testimonium repellendum. Quamvis etiam alius testis dixerit, quod ludere consuevit ad aleas, sicut alii baratarii, tamen ex hoc ipso non est judicandus infamis cum multi honorabiles viri ad aleas sæpe ludant, maxime, cum innuatur in depositione ipsius testis, quod verba ludicra voluerit tunc dicere, non contra se aliquid confiteri. Testium quoque testem, qui consilium episcopo revelavit, tanquam perjurum, a testimonio non debere repelli, episcopus allegabat; cum enim promisit illud tenere secretum, aut intelligebat, quod honestum sibi aliquod panderetur, aut aliquod inhonestum. Si ad honestum celandum se voluit obligare, rem nefa-
C riam, et Simoniacam pactionem supprimere minime tenebatur. Si vero credebat, quod inhonestum sibi aliquid crederetur, ad quod supprimendum juramento, vel promissione se voluit obligare, juramentum tale reputatur illicitum, per illud ad nihilum se astrinxit, sed consilium illud sine culpa potuit publicare, cum scriptum sit : « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. » Sed nec varietas illa debet obesse, quæ inter testes alios denotatur, quia quidam dicunt se promisisse simpliciter non publicare credentiam, et alii dicunt, quod hoc permiserunt solemniter interposito juramento, isti quidem ad concordiam facile reducuntur, nam, quod primi dicunt se promisisse simpliciter, intelligendum est quod ideo dixerint, quia non super
D reliquias, vel Evangelia, sicut solet fieri, juraverunt. Quod vero alii dicunt se solemnitater jurasse, ideo dicunt, quia super quadam charta jurabant. Quæ responsio ex depositionibus testium colligitur manifeste. Quod vero contra Rodulfum testem objicitur de Simoniaca pravitate, non obest, quia per aliorum testium depositiones satis potest de veritate liquere. Rejectis itaque, quæ contra testes et eorum dicta decanus objecit, petebat sæpedictus episcopus, quatenus ei suam restitueremus Ecclesiam, et faceremus ipsum pacifica illius possessione gaudere, asserens sufficienter ostensum, quod ex justis et legitimis causis cedendi mutaverat voluntatem. Adjecit etiam episcopus memoratus quod, et si per testes nihil esset probatum, rationibus tamen ostenditur, quod mutare potuit voluntatem. Nemo enim sani capitis dixerit quod, cedendi licentiam postulando, ad cedendum fuerit obligatus. Nam, et si capitulum alicujus Ecclesiæ suis nobis litteris intimaret, quod aliquem ex nostris familiaribus vellet eligere in pastorem, si non fuerit ultra processum, et interim mutaverit voluntatem, ut illum recipiant in episcopum non sunt aliquatenus compellendi. Si quis etiam promittat alicui mulieri, quod ipsam habere velit in conjugem, si anteqnam cum ipsa matrimonium contrahat, mutaverit voluntatem, compelli non potest ut illam recipiat in uxorem. Sed, nec per litteras a nobis obtentas dicendus est episcopus ad cedendum astrictus, cum per eas, an vellet cedere sibi fuerit optio reservata, quando mandatum est ut episcopus Paduanus ipsius reciperet cessionem. Cum ergo nec illis, nec alis modis se astrinxerit ad cedendum, quandocunque voluit, a tali potuit proposito resilire. Alia quoque ratione hoc idem episcopus ostendere nitebatur. Clerus enim et populus Tridentin. ipsum episcopum communiter revocarunt. Unde, ex hoc constaret, quod non erat de scandalo vel persecutione timendum, nec tanta episcopus erat senectute confractus, quod, persecutione cessante, non sufficeret ad suam Ecclesiam gubernandam : merito, igitur, potuit a cedendi recedere voluntate, quia, cessante causa, cessare debebat effectus. Instanter itaque petebat episcopus, ut ei suam Ecclesiam restituere dignaremur, cum, ad ipsam rediens, nec a clericis, nec a laicis admittatur. Turpe est enim et indecens, ut pater a filiis, pastor ab ovibus, dominus a servis, et prælatus a subditis spolietur, asserens, quod dilapidationis objectu ejus non debebat restitutio impediri. Explorati siquidem juris est, ut spoliatus, antequam sibi funditus fuerint omnia restituta, non cogatur aliquibus, et maxime suis æmulis et spoliatoribus respondere, quia non habet privilegium quo possit exui, jam nudatus, maxime, cum ipsorum culpa, qui contra ipsum episcopum seditionem minus rationabiliter commoverunt, Ecclesia tanto debito prægravetur. Nimirum cum idem episcopus ad regimen ejusdem Ecclesiæ accessisset, et ibidem aliquandiu vixisset in pace, debita, quæ triginta trium millium librarum limitem excedebant, ad septem millium librarum quantitatem reduxit. Ad hæc fuit ex adverso responsum, quod episcopus restitutionem non poterat postulare, cum a nullo fuerit spoliatus, sed ipse sponte deseruerit sedem suam. Efficacius etiam fuit ad ista responsum, quoniam, cum de mandato nostro, et ejusdem episcopi voluntate, venerabili fratri nostro.. Aquilegensi patriarchæ (766), in spiritualibus et temporalibus ejusdem Ecclesiæ fuerit cura commissa,

(766) Vide epistolam libri septimi 99, not.

donec quæstio, quæ inter canonicos et episcopum vertitur, fuerit terminata, episcopus ipse nequit rationabiliter petere, ut ad ipsam Ecclesiam reducatur; sed, si dictus patriarcha impediatur ab aliquibus, quominus libere possit administrare, vel ipse super hoc potest quæstionem deponere, vel nos ipsi, qui eidem curam istam duximus committendam. Nos igitur, his et aliis, quæ hinc inde fuere proposita, diligentius intellectis, de consilio fratrum nostrorum sic decrevimus procedendum, ne videlicet contra prælatos suos succrescat insolentia subditorum, et eos passim spoliare præsumant, ut curam, et administrationem Ecclesiæ Tridentinæ in temporalibus et spiritualibus juxta mandati nostri tenorem, plene ac libere patriarcha obtineat memoratus, et sæpedicto Tridentino episcopo de proventibus Ecclesiæ competenter studeat interim providere, quodque residuum fuerit, in solutionem converti faciat debitorum. Sententiam vero, super episcopi cessione secreto dictatam, interclusam sub bulla nostra fecimus retineri, opportuno tempore publicandam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus clericos et laicos, tam Ecclesiæ, quam diœceseos Tridentinæ moneas et inducas. et, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas, ut prædicto patriarchæ plene respondere studeant ac devote.

Datum Laterani, II Kalendas Novembris, anno nono.

## CLXXIX.

.....MAGISTRO ET FRATRIBUS LEPROSORUM DE VAISLIACO.

*Confirmantur omnia bona quæ tenent.*

(Laterani, IX Kal. Octobris.)

Justis petentium, etc., *usque* inclinati personas vestras, cum omnibus bonis, quæ inpræsentiarum rationabiliter possidetis, et in futurum justis modis, dante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes nihilominus ut nullus a vobis de hortis, seu vestrorum animalium nutrimentis, decimas exigere vel extorquere præsumat. Nulli ergo... hanc paginam nostræ protectionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, IX Kalendas Octobris, anno nono.

## CLXXX.

...... MAGISTRO ET FRATRIBUS MILITIÆ TEMPLI ULTRA MARE.

*Confirmatur donatio Sataliæ facta eis per Venetos.*

(Laterani, II Kal. Novembris.)

Solet annuere sedes apostolica, etc., *usque* impertiri. Cum igitur charissimus in Christo filius noster, B. illustris Constantinopolitanus imperator... dux Venetorum, barones, et milites exercitus Latinorum, vobis et domui vestræ Sataliam, cum omnibus pertinentiis suis, in eleemosynam contulerint perpetuo possidendam, et dilectus filius noster, P. (767) tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, donationem ipsam legationis, qua fungebatur, officio confirmarit, nos, donationem eamdem, sicut piæ considerationis intuitu et provide facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, II Kalendas Novembris, anno nono.

## CLXXXI (768).

....... POTESTATI, CONSULIBUS ET CIVIBUS FERRARIENSIBUS.

*Quod redeant ad devotionem Ecclesiæ, et satisfaciant abbati Pomposii de insultu.*

(Laterani, V Idus Novemb.)

(769) [Quantum fuerit laboratum apud bonæ memoriæ Lucium papam, prædecessorem nostrum existentem Veronæ, ut civitatem vestram a dominio Ecclesiæ Romanæ transferret in aliam potestatem, vestra, sicut credimus, prudentia non ignorat. Ipse vero, cognoscens hoc nec sibi nec vobis aliquatenus expedire, negavit omnino quod eum multa instantia petebatur, volens vos sub apostolicæ sedis dominio perpetuo retinere, quæ de se vere dicere potest : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI), cum fideles suos non opprimat tanquam servos, sed foveat tanquam filios, a quibus obsequia non extorquet indebita, sed gratuita beneficia elargitur, Vos autem, sicut audivimus, et dolemus, in contemptum ipsius vestras sine causa cervices alieno dominio submisistis, ut de vobis dicere valeat cum Propheta : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII) (770.) Nec hoc præsumptioni vestræ suffecit, quin etiam magnam partem Masselacus Sancti (771), quam apostolica sedes monasterio Pomposiano sub annuo censu commisit, per violentiam invasistis, et per injuriam detinetis, cogentes habitatores et cultores ipsius, præstito vobis juramento, promittere quod de cætero vobis solummodo de terra illa respondeant, et ab eisdem fructus et redditus monasterio debitos percepistis. Ad cumulum præterea majoris militiæ, cum armis et fustibus in Pomposianum abbatem fecistis insultum, et tam eum, quam monachos qui erant cum ipso, multis injuriis turpiter lacessistis. Licet autem simus a vobis, et in his, et in aliis vehementer offensi, quia tamen paternum affectum deponere non valemus etiam erga filios delinquentes, universitatem ve-

(767) De isto jam dictum est sæpius.

(768) Partem epistolæ hujus exhibet Raynaldus, ad annum 1206, § 38. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

(769) Hæc apud Raynaldum.

(770) Hactenus Raynald.

(771) Sic in apogr.

stram rogamus attentius, et monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus, revertentes ad cor, taliter nobis, et Ecclesiæ Romanæ, nec non prædicto abbati, et ejus monasterio satisfacere procuretis, quod vos obedientiæ filios ostendatis, ita ut non oporteat nos post oleum infundere vinum, sed occurrere potius in amplexus revertentium filiorum; scientes juramenta, quæ contra fidelitatem Ecclesiæ decimini præstitisse, tanquam illicita non esse servanda, secundum illud: « In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. « Alioquin, ne, juxta sententiam Salomonis, si pepercerimus virgæ, filios videamur odisse, districtionem canonicam in vos curabimus exercere. Inspiret igitur ille vobis, qui neminem vult perire, ut taliter, admittatis paternum consilium, quod divinum propter hoc non incurratis flagellum.

Datum Laterani, v Idus Novembris, anno nono.

CLXXXII.

...... EPISCOPO (772) ET CAPITULO MORINENSIBUS.

*Ut magistrum Ph. in canonicum et fratrem recipiant.*

(Laterani, II Non. Novemb.)

Si de provisione illorum solliciti, quos litterarum nobis scientia recommendat, Ecclesiarum prælatis aliquando pro eis preces apostolicas dirigimus et mandata, officii nostri debitam prosequimur actionem, nec ad hoc aliquos deberemus difficiles invenire, præsertim, cum hoc facere dignoscamur, ob merita personarum, et intuitu pietatis. Cum igitur pro dilecto filio, magistro Ph. præsentium portitore, olim vobis direxerimus scripta nostra, ut ipsum, qui diutius desudavit in scholis, et laudabiliter profecit in eis, in canonicum vestrum reciperetis et fratrem, præbendali sibi beneficio assignato: vos, sicut ex litteris dilecti filii..... decani Parisiensis (773), et magistri R. de Corzon, canonici Noviomensis, quos eidem magistro deputavimus monitores, accepimus evidenter, tam mandatum nostrum, quam monitiones ipsorum surdis auribus pertransistis, quare idem coactus est suum ad nos iterare laborem. Ut igitur inobedientiam præcedentem per subsequentem obedientiam celeriter redimatis, universitati vestræ iterato mandamus, et districte præcipimus quatenus, memoratum magistrum in canonicum vestrum recipientes et fratrem, præbendale sibi beneficium tam libenter quam liberaliter assignetis. Alioquin, cum nolimus relinquere imperfectum, quod de ipso misericorditer duximus inchoandum, dilecto filio, J. magistro

A scholarum, et magistris J. de Candelio, et Ph. canonicis Noviomenoibus, per nostras damus litteras in præceptis, ut, nisi a vobis rationabile aliquid objectum fuerit et probatum, quare non debeat vel non possit mandatum apostolicum adimpleri, ipsi vos ad id, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ecclesiastica districtione compellant.

Datum Laterani, II Nonas Novembris, anno nono.

CLXXXIII.

..... *Deest inscriptio* (773).

*Super eodem.*

(Laterani, II Non. Novembris.)

*In eumdem modum* Exsecutoribus, *usque* iterare B laborem. Unde, nos eisdem episcopo et capitulo iterato districte præcipiendo mandamus ut, memoratum magistrum in canonicum suum recipientes et in fratrem, præbendale sibi beneficium tam liberaliter quam libenter assigent. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus, nisi a prædictis episcopo et capitulo rationabile aliquid objectum fuerit et probatum, quare non debeat vel non possit mandatum apostolicum adimpleri, vos eos ad id, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ecclesiastica districtione cogatis. Quod si non omnes... duo, etc.

Datum Laterani, II Nonas Novembris, anno nono.

CLXXXIV.

C ..... ABBATI SANCTI AUBERTI (774)..... DECANO (774), ET MAGISTO R. DE BEKEREL, CANONICO (775], CAMERACENSIBUS.

*Ut R. Vaisliaci præbendam ab episcopo et capitulo Suessionensi. juxta tenorem litterarum apostolicarum de hoc datarum, assignari faciant.*

(Laterani, XIII Kal. Novembris.)

Olim venerabili fratre nostro..... Suessionensi episcopo (776), in partibus Constantinopolitanis agente, officiales ejus per litteras nostras rogandos duximus et monendos, nihilominus ipsis præcipiendo mandantes, ut dilecto filio, R. Vaisliaci diacono, ecclesiasticum beneficium non habenti, præbendam in Suessionensi Ecclesia, si qua vacaret ibidem, pro reverentia beati Petri et nostra, sine qualibet difficultate conferrent. Alioquin, primo vacaturam D donationi nostræ præcepimus reservari, personæ idoneæ conferendam, dilectis filiis.., præposito (777)... decano (778), et capitulo Suessionensibus dantes etiam in præceptis (779), ut ad præbendam, si qua

(772) Lambertus, qui et Lambinus, Rolino patre Burgis oriundus, ex cancellario Remensis, Tarvannensium, seu Morinorum, electus episcopus anno 1191, episcopus infulas gessit usque ad annum 1207, quo naturæ debitum solvit XII Kal. Junii. *Gall. Christ. nov.* tom. X, col. 1551.

(773) Vide epistolam libri quinti 36, not.

(773) *J. magistro scholarum, et magistris, J. de Candelio, et Ph. canonicis Noviomensibus*, directam fuissse ex epistola proxime superiori evincitur.

(774) Vide epistolas libri septimi 48, not. et 172.

(774) Adam, Cameracensis decanus nominatur in chartis ab anno 1192. usque ad annum 1219. *Gall. Christ. nov.* tom. III, col. 70.

(775) Vide epistolam libri septimi 172.

(776) Vide epistolam libri tertii 11, not.

(777) Vide epistolam libri tertii 41, not.

(778) Vide ibid. not.

(779) Vide ad calcem epistolæ libri septimi 123.

in eorum Ecclesia tunc vacaret, vel cum primo vacare contingeret, nullum recipere præsumerent in canonicum, nisi cui nos conferandam providere mus eamdem. Cum autem post modum quædam præbenda vacasset in Ecclesia memorata, præfatus episcopus, interim de sua peregrinatione reversus, ipsam, apostolico præcepto contempto, ..... nepoti suo, de facto, cum de jure nequiverit, pro sua voluntate concessit. Deinde vero, licet Suessionense capitulum nobis scripserit contra clericum antedictum, quod nequaquam idoneitatis meritis juvabatur ad hujusmodi beneficium obtinendum, dictusque nepos episcopi processu temporis a nobis postulavit instanter, ut præbendam ipsam confirmare sibi auctoritate apostolica dignaremur, nos tamen, reputantes indignum, mandatum apostolicum sic eludi, B petitionem ejus in hac parte nullatenus voluimus exaudire. Verum, præfatus clericus, apud sedem apostolicam longo tempore moram trahens, sedulus exspectaverit, si forsan aliquis compareret qui vellet in personam ejus objicere aliquid et probare, propter quod ei de jure beneficium ecclesiasticum negaretur; sed tandem, nullo sibi super hujusmodi adversario comparente, nobis humiliter supplicavit, ut dignaremur eidem misericorditer providere. Nos igitur, attendentes quod, si etiam leve aliquid commisisset, illud quasi videtur per multam cordis amaritudinem expiasse, quam sub pauperrimi status incommodis apud sedem apostolicam diutius exspectando hactenus est perpessus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus, sine dilatione qualibet post sus- C ceptionem præsentium, prædictis..... episcopo et capitulo spatio trium mensium assignato, nisi contra clericum ipsum infra idem spatium aliquod canonicum coram vobis ostensum fuerit et probatum, propter quod erga ipsum gratia non debeat apostolicæ provisionis impleri, vox extunc, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, episcopum, vel qui vicem ejus egerint, si forsan ipsum abesse contigerit, et capitulum memoratum, ut, eumdem Robertum recipientes in canonicum et in fratrem, prænominatam præbendam ei conferant et assignent, vel in æquivalenti sibi provideant aut majori, per censuram ecclesiasticam compellatis, facientes ei sufficienter ab eis in victus et vestitus necessariis provideri, donec eidem provisum fuerit D in altero præmissorum; contradictores vero, si qui fuerint, vel rebelles, quominus mandatum apostolicum impleatur, districtione simili, appellatione postposita, compescatis, præceptum nostrum taliter adimplentes, ut devotio vestra per effectum operis comprobetur et obedientiam vestram debeamus dignis in Domino laudibus commendare; nullis litteris obstantibus, harum tenore tacito, si quæ apparuerint, a sede apostolica impetratæ. Quod si non om- A nes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequatur.

Datum Laterani, XIII Kalendas Novembris, anno nono.

CLXXXV (780)

R. (781) MONACHO MONTIS-FRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Ut contra hæreticos insurgentes in provincia Narbonensi prædicatores instituat.*

(Laterani, XV Kal. Decembris.

Excursus sæculi tendentis ad exitum incessanter humanæ conditionis miseriam tot errorum laqueis irretivit, tot adversionum contagiis maculavit, quod multi, despectis Sion finibus, excelsa Samariæ conscendentes, suos liniant parietes bitumine dogmatum hæreticæ pravitatis, et sub quadam humilitatis specie sui elationem animi pallíantes, cujus tumoribus ultra modum interius efferuntur, habitatores Jerusalem non metuant aspernari, et, in se ipsos suam adipem concludentes, non vereantur illud incurrere maledictum: Væ qui despiciunt Sion, et confidunt in monte Samariæ, dicentes: *Non est nobis pars in David, nec hæreditas in filio Isai* (*II Par.* X); quibus posset Dominus merito comminari: *Mittam famem in terra, famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi potius verbum Dei* (*Amos.* XI). At, quia ipse neminem vult perire, imo in amplexus occurrit revertentium filiorum, opus cœlestis seminis suis adhuc committit fidelibus dispensandum. Verum, licet in omnem terram intonuerit sermo Dei, cum cœli ejus gloriam enarrarunt, et adhuc per locorum antistites, qui a sede apostolica in partem sollicitudinis sunt vocati, effundatur imber evangelicæ veritatis, sic tamen, velut in ortu crescentis Ecclesiæ doctor egregius profitetur: *Oportet hæreses esse, ut qui probati erant fierent manifesti ad præsens* (*I Cor.* XI): plurimi peccatorum pondere deprimuntur, et obscuratur insipiens cor eorum, ut ad rectitudinem anfractus non revocent quos sequuntur, nec vocitent cum Propheta: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ* (*Psal.* L); sed, velut domus exasperans et prævaricans legem Christi, ad amaritudinem doctrinæ prosiliant insensatæ, pabula cœlestis eloquii contemnentes, et animas simplicium occultis tendiculis captivantes. Sane, inter cæteros, sicut nostris est auribus intimatum, tanta in Narbonensi provincia excrevit copia perfidorum, quod, deficiente materiali gladio, spiritualis contemptui habeatur, et obrepat in catholicas propagines corruptio labruscarum, dum ad tuitionem illorum, qui nondum tanquam plumbum in pestilentiæ pelago sunt demersi, et erectionem eorum, si potest fieri, qui jacent in latibulis cæcitatis, nullus ibi murum pro domo Domini se opponat, nec ascendere audeat ex adverso. Licet autem rumor insaniæ hujusmodi ficuum fatuarum ad audientiam quorumdam

(780) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206. §42.

(781) De isto jam dictum est sæpius.

religiosorum ascenderit, et ipsorum animos ad fontes suæ scientiæ derivandos foras commoverit contra ipsos, et aquas dividendas cum fervore spiritus in plateis; quia tamen, sine mittente, auctoritate propria non sunt ausi assumere officium prædicandi ne cum Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, acciperent portionem, non est qui causam Domini allegat populo devianti. Qui vero zelus ejus domus nos comedit, qui nobis immeritis concessit et imminenti specula residere, volumusque cum infirmantibus infirmari, et apponere paterna consilia, quibus exhibeatur vulneribus medicina, ei curam, quantum in nobis fuerit, suscipiat etiam plaga tumens, discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus viris probatis, quos ad id videris idoneos exsequendum, qui, paupertatem Christi pauperis imitando, in despecto habitu et ardenti spiritu non pertimescant accedere ad despectos, in remissionem studeas injungere peccatorum, ut, ad eosdem hæreticos festinantes, per exemplum operis et documentum sermonis eos, concedente Domino, sic revocent ab errore, quod, nisi frontem eorum alterat in impudentia culpa frequens et de his merito possit dici : *Frons mulieris meretricis facta est vobis, et erubescere noluistis* (*Jer.* III), spem per illud Evangelii se gaudeant assecutos : Ne timeas, grex pusille, quia Patri meo in te complacuit (*Luc.* XII), ac iidem religiosi, assequentes sententiam Salomonis, videlicet : Qui arguit hominis vias, gratiam habebit magis quam is qui loquitur quæ delectant (*Prov.* XXIV), redeundo cum exsultatione, de sparso semine manipulos valeant reportare.

Datum Laterani, XV Kalendas Decembris, anno nono.

## CLXXXVI.

. . . PRIORI ET CAPITULO EUGUBINIS.

*Cassata electione, quam fecerunt de episcopo Eugubino, mandatur ut aliam faciant* (782).

(Romæ, VI Kal. Decembris.)

Dilectus filius, R. subdiaconus et capellanus noster apostolicæ sedis legatus, rector Massanus, per suas nobis litteras intimavit, quod, bonæ memoriæ Alexandro (783), episcopo vestro, viam universæ carnis ingresso, vos, juxta ecclesiæ vestræ consuetudinem, cum dilectis filiis... abbate Sancti Petri, et..... priore Sancti Secundi, cœpistis de pastoris subtitutione tractare. Sed, cum tu fili prior, qui cum prædictis abbate ac priore fueras institutus elector electioni interesse non velles, Muricum, concanonicum tuum, instituisti de voluntate coelectorum et totius capituli electorem. Cumque postmodum, consilio habito, prædicto Murico a coelectoribus suis data esset electionem pronuntiandi potestas, ipse R. diaconum, concanonicum vestrum, elegit coram clero populo in pastorem. Vos autem electionem ipsam per quosdam canonicos vestros præsentantes legato prædicto, cum instantiā postulatis, ut ipsam auctoritate, qua fungitur, confirmaret. Ipse vero, in negotio ipso volens cum maturitate procedere, ad Ecclesiam vestram duxit personaliter accedendum, et, ab electoribus ipsis recepto corporaliter juramento, processum negotii examinare studuit dilgenter, et dispositiones ipsorum redactas in scriptis sub sigilio suo nobis transmittere procuravit. Nos igitur, attestationibus ipsis diligenter inspectis, licet abbas aliquantulum discordet ab aliis, intelleximus evidenter quod, cum abbas et priores prædicti vellent de electione tractare, primo dederunt sibi adinvicem pacis osculum, ut ea, quæ simul conferrent, nullus manifestaret sine communi consensu, donec essent omnibus publicata, et postmodum abbas Sancti Petri interrogavit priorem Sancti Secundi, quis ei ad eligendum in episcopum melior mederetur? Cui dictus prior respondit, quia, secundum quod videbatur eidem, et credebat, secundum quod intellexerat, majori parti clericorum placere, prior Sancti Mariani sibi melior videbatur. Ad hoc autem abbas nihil respondit, sed tacendo visus est consentire, licet quidam eorum dicat, quod respondit hoc sibi bene

(782) Conferenda omnino hæc epistola, cum iis quæ apud Ughellum (*Ital. sacr.* tom. I, col. 686) leguntur.

« XL. Albertus, episcopus Eugubinus anno 1200 electus, qui ex hac luce sublatus est anno 1205; in cujus locum capitulum Raynaldum quemdam canonicum postulavit. Verum, cum Innocentius PP. III electionem haud probasset, Villanum evexit ad sedem. Exstant de hac re in regesto Vaticano ejusdem pontificis litteræ ad priorem et capitulum Eugubinum, *dat. Romæ*, VI *Kal Decembris*, an IX, epist. 185, fol. 122. »

Et ista quidem epistola eadem est ac illa quam hic exhibemus. Pergit Ughellus :

« Alberto ac successoribus idem Innocentius PP. III sequens indulsit Ughellus :

« *Quoties illud a nobis*, etc. »

Sequitur privilegii tenor. Verum, illud in Regestis frustra requiras unde depromptum fuerit non monet Ughellus. Sane, ex Regestis non habuit; imo, in notis chronologicis mendum exhibet. *Datum* dicitur *Romæ, apud S. Petrum, per manum Joannis, S. Mariæ in Cosmedin, diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii* II *Kalendas Maii, indictione* VI, *Incarnationis Dominicæ anno* 1205, *pontificatus vero D. Innocentii PP. III anno* IX. Annus autem IX pontificatus Innocentii, nullatenus cum anno 1205 coincidit. Sed forsan legendum anno VIII.

Rursus Ughellus :

« XLI. Alberto ex ac mortali vita sublato, Raynaldus, cathedralis Ecclesiæ canonicus, elegitur in episcopum, sed ex certis causis haud confirmatur ab innocento III, ex epistola ejusdem anno nono.

« XLII. B. Villanus, ex fama sanctitatis, ad Eugubinam sedem evectus est anno nono 1206, etc. »

Et ista quidem apud Ugellum, cui suffragari videtur Mittarellus, (*Annal, Camadul.* tom. IV, pag. 204), ex Sartio, *De episcop. Eugub.* pag. 130.

(783) *Alexandro.* Num legendum potius, ex nota superiori, *Alberto.* Sane, nullum in sua Eugubinorum episcoporum seri *Alexandrum* agnocit Ughellus. Mittarellum quidem de *Alexandro* quodam, cognomine *Sperello*, eodemque Engubino episcopo, alicubi mentionem fecisse meminibus, sed ipsum circa hæc, in quibus versamur, tempora non collocat.

placere. Prior vero Sancti Mariani lætatus est, his auditis, sed tamen non respondit. Cæterum, abbas dixit eidem priori : « Inter te ac Muricum, aliquantulum est discordiæ, sed, si pronuntationem committere velles eidem, de plano ac sine rumore posset electio celebrari; » cui prior respondit se hoc velle libenter, et rogavit eumdem ut pronuntiationem electionis reciperet loco sui sed quem eligeret non expressit. Postea vero Muricus prædictus intravit capitulum cum coelectoribus suis, et accepit a priore et capitulo potestatem, ut locum sui prioris in electionis pronuntiationem teneret, et, antequam capitulum intravissent, prædictus Muricus coelectores interrogavit eosdem, quid videretur ipsis, si quis Raynaldum pronuntiaret in episcopum eligendo? Prior vero Sancti Secundi respondit eidem, quod, sibi bene placeret, si unum haberet quod ipsi deest, scientiam litterarum, videlicet quam non habeat. Abbas autem respondit, quadragintos solidos se velle dedisse ad hoc, ut eidem, quod non habet haberet. Postmodum autem, venientes ad pulpitum, dictus Muricus, ad clerum et populum præmisso colloquio, coelectoribus suis dixit, utrum eis placeret quod ipse pronuntiaret? Cui prior Sancti Secundi respondit, et dixit, quod de illo, quem dixerat, sibi placebat, et abbas sibi placere respondit. Ille autem prædictum Raynaldum elegit, et pronuntiavit coram clero et populo in pastorem, et, facta pronuntatione, dixit prior Sancti Secundi quod de illo sibi non dixerat, quem elegit, et tunc prior Sancti Mariani in virtute obedientiæ interdixit prædicto Raynaldo, ne reciperet electionem eamdem, nec ipse tunc illam recepit. Postmodum autem quidam minati sunt prædicto priori, pro eo quod ille, ne ipsam electionem reciperet, interdixit, et ad sedem apostolicam appellavit, quibus idem perterritus, eadem die appellationi renuntiavit, et posuit ipsum in sede, ac reverentiam ipsi cum omnibus fratribus studuit exhibere. His igitur intellectis, prædictam electionem, de fratrum nostrorum consilio, duximus irritandam universitati vestræ per apostolica scripta mandantes, quatenus, infra quindecim dies post susceptionem præsentium prædicto Murico, qui hujusmodi fraudem commisit, ab electione hac vice prorsus excluso, personam idoneam provideatis vobis per electionem canonicam in pastorem; alioquin, extunc aliquos vestrum cum potestate omnium ad nostram præsentiam transmittatis, illum in episcopum recepturos, quem nos duxerimus providendum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VI Kalendas Decembris, anno nono.

A

CLXXXVII (784).

EPISCOPO BAMBERGENSI.

*Ut redeat ad regem Ungariæ, et exponat gaudium conceptum per papam de susceptione filii.*

(Romæ, III Kal. Decembris.)

CLXXXVIII (785).

SCHOLARIBUS VICENTIÆ COMMORANTIBUS.

*Commendat eos de devotione quam habent in constructione cujusdam ecclesiæ.*

(Apud S. Petrum.)

Ex hoc non modicum scientia, propter quam scholasticam militiam expetistis, probamini profecisse, quod, in promissione Dominica spem penentes ut omnia vobis adjiciantur, si primum quæsieritis regnum Dei ecclesiam Sancti Viti vestris sumptibus construere incœpistis, in qua non solum
B vos, sed et alii nomen Domini super se valeant invocare. Quia igitur, ut accepimus, ecclesiam ipsam Camaldulensi monasterio subdidistis, nos, devotionem vestram in Domino commendantes, opus hujusmodi pietatis acceptum gerimus, et ratum habemus; universitatem vestram monentes nihilominus et hortantes quatenus taliter studeatis in devotione proficere, quam erga dictum monasterium concepistis, quod Omnipotens, his et aliis bonis operibus, quæ feceritis, provocatus, adaperiat corda vestra, et intelligentias vestras illustret, ut, scientiæ perfectionem habentes, ad plenam cognitionem illius sapientiæ pertingatis, quæ cum sit una, omnia potest, et permanens in se omnia innovat, ac per nationes in animas sanctas se transfert. Ipsa
C igitur attingens a fine usque in finem fortiter, et suaviter cuncta disponens, sobrietatem et prudentiam, justitiam vos doceat ac virtutem, quibus nihil utilius hominibus est in vita.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum.

CLXXXIV (786).

NOBILI VIRO, B. MARCHIONI MONTIS FERRATI.

*Offertur sibi benevolentia papæ.*

(Apud S. Petrum, V Kal. Decembris.)

Venientem ad apostolicam sedem dilectum filium.... cancellarium, et nuntium tuum, virum utique providum et fidelem, benigne recedimus, et ea, quæ nobis ex parte tua proposuit, audivimus diligenter, et, in quantum cum Deo et in nostra honestate potuimus, curavimus promovere, sicut et rerum effectus indicat, et ipse tibi referre poterit
D viva voce. Cum enim devotionem, quam erga nos et sacrosanctam Romanam geris Ecclesiam, certis indiciis simus experti, utpote quam a tuis progenitoribus quasi jure hæreditario contraxisti, firmum gerimus in mente propositum ad illa diligenter intendere cum effectu, quæ ad tuum proveniant com-

(784) Epistolæ hujus apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 26.

« Accepto de nata filio læto nuntio, Bambergensi episcopo, reginæ fratri, Romæ III Kal. Decembris rescribens (pontifex) injunxit, ut regem adiret, soque nomine gratularetur. »

(785) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42. Vide etiam Mittarellum, *Annal. Camaldul.* tom. IV, pag. 199 et 203.

(786) Partem epistolæ hujus vulgavit Raynaldus, ad annum 1206, § 7. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.

modum et honorem. Secure igitur ad nos recurrere A poteris, in quibus tibi videris expedire, quia, quantum honestas permiserit, preces tuas curabimus, dante Domino, effectui mancipare. [(787) Super his autem, de quibus nos per tuas litteras consulere studuisti, tibi jamdudum curavimus per nostras litteras plenarie respondere; sed, quia forte nondum ad te illæ litteræ pervenerunt, transcriptum ipsarum, de Regestis nostris assumptum, per prædictum nuntium nobilitati tuæ duximus transmittendum, ut perpendas ex eis, quid tibi super iis curaverimus respondere. Super facto autem privigni tui ac Thessalonicensis Ecclesiæ, quid dilecto filio, B. tituli Sanctæ Susannæ presbytero cardinali (788), apostolicæ sedis legato, scribendum duxerimus, per transcriptum litterarum ipsarum, quod B ipsi nuntio tuo concessimus, poteris intueri (789).] Ad hæc autem, nobilitatem tuam monemus, et exhortamur attentius, quatenus in devotione apostolicæ sedis, et nostra, sicut laudabiliter incœpisti, firmiter perseveres; sciturus quod nos ad honorem et commodum tuum, quantum cum Deo, et nostra honestate poterimus, promptos invenies et paratos.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Decembris, anno nono.

CXC (790).

B. TITULI SANCTÆ SUSANNÆ PRESBYTERO CARDINALI (791), APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Super eodem.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Dec.

Quantum dilectus filius, nobilis vir, B. marchio Montis-ferrati, nobis et apostolicæ sedi devotus et fidelis existat, et ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honorem et exaltationem intendat, tu ipse in receptione tua certis indiciis didicisti. Unde nos in iis quæ ad ipsius redundare debeant commodum et honorem, libenter intendimus, et impendimus operam efficacem. Quocirca, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus quatenus ea quæ dictus nobilis super statu Thessalonicensis Ecclesiæ, ac filio quondam imperatoris Ysacii, privigno suo, tibi duxerit proponenda, diligenter audias et exaudias, quantum cum Deo poteris, et sedis apostolicæ honestate, ut devotionem quam hactenus erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam habuit, sibi sentiat fructuosam, et in ea ferventius inardescat, factus devotior ex devoto.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Decembris, anno nono.

CXCI.

... ARCHIEPISCOPO PISANO (792).

*Quod intendat super pace tractanda inter certos cives discordantes.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Decembris.)

Cum Deus, de hoc transiturus mundo ad Patrem, hæreditatem pacis suis legaverit testamento, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV); hæc verba in ultimo quasi proponens, ut verbum pacis in cordibus nostris altius figeretur, præbere debemus operam efficacem, quatenus inter discordes pacis vinculum reformetur. Quia igitur inter Vernacium, et Leolum, et quosdam adversarios eorumdem, discordia non modica est exorta, fraternitatem tuam rogamus attentius et monemus per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus, quantum cum Deo et honestate poteris, ad pacem inter eos reformandam intendas sollicitudine diligenti, ut ex eo pacis auctori valeas complacere, et malum, quod ex discordia nascitur, de medio auferatur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Decembris, anno nono.

CXCII.

EPISCOPO SAMARIÆ.

*Confirmatur sibi concessio de Monte-Sancto.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Decembris.)

Solet annuere, etc. *usque* assensu. Concessionem de Monte-Sancto, tibi provide factam a dilecto filio, B. tituli Sanctæ Susannæ presbytero cardinali (793), C apostolicæ sedis legato, necessitate temporis instantis perspecta, et dilecti filii, nobilis viri, B. marchionis Montisferati, domini terræ, accedente consensu, præcipimus firmiter observari, salvo semper apostolicæ sedis mandato. Nulli ergo, hanc paginam nostræ jussionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Decembris, anno nono.

CXCIII.

CLERICIS INSULÆ NIGRIPONTIS.

*Recipiuntur sub protectione.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Decembris.)

Cum a nobis petitur, etc. *usque* inclinati, personas vestras et ecclesias, in quibus divinis estis obsequiis mancipati, cum omnibus quæ in præsentiarum D rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti, etc. districtius inhibentes, ne quis vos, vel ecclesias vestras præsumat indebite molestare. Nulli ergo... nostræ protectionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Decembris, anno nono.

—

(787) Hæc apud Raynald.
(788) Vide epistolam libri tertii 54, not.
(789) Hactenus Raynaldus.
(790) Partem epistolæ hujus exhibet Raynaldus, ad annum 1206, § 7. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.
(791) Vide epistolam libri tertii 54, not.
(792) Vide epistolam libri tertii 9, not.
(793) Vide epistolam libri tertii 54, not.

CXCIV.

... ATHENIENSI ELECTO (794).

*Confirmatur institutio sua.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Decembris.)

Justis petentium, etc., *usque* assensu, omnem jurisdictionem, quam Græcus archiepiscopus super Ecclesias et clericos Atheniensis provinciæ rationabiliter habuit, in iis quæ non obviant apostolicis institutis, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Decembris anno nono.

CXCV (755).

NOBILI VIRO, P. COMITI CELANENSI, MAGISTRO JUSTITIARIO APULIÆ ET TERRÆ LABORIS, SPITITUM CONSILII SANIORIS.

*Redarguitur de obstinatione contra Ecclesiam, et moneiur quod redeat ad eam.*

(Apud S. Petrum, VIII Idus Decembris.)

Recepimus litteras tuas, quas per dilectum filium, J. abbatem de Avezan. misisti, et, cum te rediisse ad animum crederemus, ut, saltem considerata gratia speciali quam tibi fecimus occasione reconciliationis tuæ tibi non solum per notarium nostrum verum etiam per litteras, quas tibi postmodum dulcedine paterna transmisimus, multipliciter ostendendo, dares honorem Domino Deo tuo, et humiliari sub potenti manu ejus non duceres verecundum, gratiam tibi factam minime recognoscens, necdum salutem et honorem tuum quærentis consiliis acquieveris, imo ex contemptu ipsorum reatum reatui gravius addidisti, quandoquidem tam modicæ fidei te ostendis, ut apostolicæ fidei dubites te committere, quæ, cum semper in veritate consistat, nefas est credi quod pro te inciperet se falsare. Heu ! quis te, nobilis comes, tam miserabiliter fascinavit ? Quorum te, inquam, sæva consilia tam creduliter suduxerunt ? ut, quasi primus de clara progenie tua degenerans, catholicorum Patrum tuorum vestigia derelinquas quorum aliqui referuntur ob honorem Ecclesiæ non solum damna rerum, sed personarum exsilia pertulisse. Tu vero, non absque nota, quod utique nos non credimus, avaritiæ, pro rebus temporalibus et A caducis, quas profecto tibi diripere non intendimus, sed tuam in eis potius justitiam declarare, nominis tui famam perpetuo labefacere non evitans, honori Ecclesiæ te opponis, et, non attendens, quod durum sit tibi contra stimulum calcitrare, illam nobiscum, imo cum Deo luctam inisti, in qua, licet scias quod succumbere te oporteat, dimittere tamen renuis dimittere te volentem, et quasi gloriosum reputes aliquorum exemplum, qui, cum diu in excommunicatione persisterint, demum reconciliati fuerunt, expulsus ab ea vagari extra Ecclesiam delectaris. Sed, cum de illorum reconciliatione jam facta sis certus, quomodo es de futura tua conversione securus, qui, si nolis converti dum potes, fortasse converti non poteris quando voles, quoniam, etsi B Deus illos quamvis sero misericorditer revocavit, tibi tamen, ut reverti ad ipsum differas, diem crastinum non promisit, quem timere oportet, ne dies ejus sicut fur ita in nocte veniat, et tunc sero incipias pœnitere, quando converti ad eum, dum poteras, noluisti? Proinde, nimis esse infatuata tua prudentia videretur, si, cum tantum adhuc de tua discretione speremus, quod, quanquam melius sit canis vivus leone mortuo, resuscitatus de mortis barathro quo teneris, melior aliquibus, qui videntur vivere, sis futurus, perniciosum exemplum velis ab illis sumere, qui, pro suis excessibus ab Ecclesia separati, diu non erubuerunt in excommunicatione manere. Sed respondeant illi tibi, quos, secundum Scripturam, occisura est aversio parvulorum, et stultorum prosperitas perditura, qui, quoniam statim C Dominus in suis non punit flagitiis peccatores, corrupti, et abominabiles in voluntatibus suis facti, juxta Prophetam, consueverunt dicere : ***Non est Deus*** (*Psal.* XIII); quos, inquam, primos forsan dignos se divina ultio inveniret, si ad eorum perfidiam instruendam, mox ut fiunt, hominum peccata puniret. Qua possis consistere spe securus, quod tandiu Dominus tuam conversionem exspectet, quandiu gratia suæ volueris exspectationis abuti? Quippe, si esset ita, procul dubio viderentur mortis induciæ iniquitatibus obtineri, ut illud gravius omittamus. Quando, si sub hujus damnabilis spei prætextu pœnitentiam tuam differs, formidandum est tibi ne peccatum tuum fiat irremissibile, cum nec ex im-

(794) « Captis Athenis a Bonifacio, marchione Montis-ferrati, recessit Michael Choniates, præsul Græcus, teste Niceta ejusdem cognominis ejus fratre, libro ultimo. Atque hinc contigit, ut ei subrogaretur *Berardus*, de quo et duobus aliis episcopis Latinis, recens electis, hæc ait Innocentius III, *in epist*, 34, *lib.* X, data die 30 Mart. anno 1207 : *Licet a venerabili fratre nostro... patriarcha Constantinopolitano, fuerit confirmatus, non tamen poterat ab eo consecrari, pro eo quod coepiscopos non habebat. Unde oportuit ipsum* (Verisiensem)... *Atheniensem, etc... Thebanum electos, pro consecrationis munere obtinendo in Syriam destinare.* Tom. II, *edit. Baluz. Epistolar. Innoc. III*, pag. 17, col. 1. Plures ejusdem papæ litteræ ad *archiepiscopum Atheniensem*, annis 1208, 1209, 1210 et 1212, occurrunt apud eumdem Baluzium : in nullis quidem earum, ex- D cepta epistola 256, lib. XI, data die 13 Februar. anno 1208, quæ est *Berardo Atheniensi archiepiscopo*, nomen ejus reperitur. At, hunc esse eumdem Berardum, inde colligimus, quod nunquam innuant, *archiepiscopum*, ad quem diriguntur, fuisse *Berardo* posteriorem, vel recens creatum. Odoricus Raynaldus in Annalibus, ad annum 1223, n° XIII, scribit, Honorium III, Romanum pontificem, *Athenarum archiepiscopo* (qui hic non nominatur), *absolvendi provinciam commississe redeuntes ad Ecclesiam piratas, quibus vulgo Capelletis nomen erat.* Nihil impedit quominus archiepiscopum istum adhuc fuisse Berardum existimemus, de quo nos latet, vel quot annos sederit, vel quo anno obierit. » LE QUIEN, *Or. Christ.* Tom. III, col. 839.

(795) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

potentia, nec ex ignorantia videreris, sed ex malignitate peccare, juxta sententiam Veritatis, quæ ait : *Qui peccat in Filium, remittetur ei*; *qui peccat in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur ei* (*Matth.* XII). Verum, ut ora iniqua loquentium obstruantur, et apertius ipse cognoscas, quam fideliter et quam devote tibi suggerant, qui ad tuæ salutis excidium aliorum introducunt exemplum, considerare te volumus, ad quem finem devenerit ille olim tyrannus famosæ perfidiæ, Marcualdus, qui cum se contra Deum in superbiam erexisset, claves Ecclesiæ contemnendo, tunc justo Dei judicio effusa sunt ejus viscera, et horribilis necis interitu marcuerunt, cum potius visa fuit ipsius potentia exaltata, ut de ipso dici potuerit : *Vidi impium suprexaltatum et eleventum sicut cedrus Libani, transivi, et ecce non erat* (*Psal.* XXXVI). Venerabilis denique frater noster, G. regni Siciliæ cancellarius, quod non in ejus opprobrium, sed virtutem Domini prædicando referimus, adverte qualiter in pugna, quam iniit contra Deum reperit se prostratum, quamvis, quia, reversus ad cor, ambulare dicitur in puritate nobiscum, ad ipsius honorem et commodum intendamus. Ipse præterea Duibuldus, cujus reconciliatio te forsitan inter cæteros scandalizat, attende qualiter demum, ut dicitur, peccatorum suorum funibus circumplexus, pro eo quia fortasse nobiscum ambulavit in fraudem, et hoc sibi pœna peccati fuit, quod, reconciliatns, in perseverantiæ bono non perstitit, pro eo quod diu, cum posset reconciliari, contempsit. Utinam verba ista penetrent ad cor tuum, et jecur tuum salutifero timoris mucrone transfigant, ut te sicut illos hominem esse memineris caducum, instabilem, corruptibilem, et mortalem, qui et possis et debeas de fortunæ instabilitate pavescere, ac de incerto mortis articulo formidare, et non solummodo prædictorum, verum etiam multorum hujusmodi aliorum pericula in tuæ transducere satagas conversionis exempla, qui, etsi de tali perfidia pœnam temporalem evaderes, æternam tamen, quod absit! effugere non valeres! Quia igitur nec ex litteris tuis, nec ex relatione notarii seu nuntii prædictorum potuimus intelligere, ut, post litteras a nobis tibi paterna dulcedine destinatas, offerres amplius te facturum, quod paulo ante per tuum notarium intimaras, excepto quod in Casinensem abbatem, in quem antea non consenseras, consensisti, licet gravius erga te procedere potuissemus in multis, nisi paterna nos affectio tibi propitios reddidisset, quæ plerumque non patitur, ut offensus pater in offendentem filium ulciscatur, noluimus tamen ad ulteriora procedere, sed adhuc te velut filium, cujus salus esset nobis ad gaudium, et confusio ad dolorem, misericorditer exspectare. Ne igitur, si monita et consilia, preces et præcepta nostra diutius obaudieris, pertinaciam tum exaggerare co-

A gamur, cum Propheta dicentes : *Cui loquar, et quem contestabor, ut audiat? ecce incircumcisæ sunt aures ejus, et audire non possunt, ecce verbum Domini sibi factum est in opprobrium, et non suscepit illud* (*Jer.* VI); nobilitatem tuam rogamus, et monemus attentius, de puro corde, conscientia bona, et fide non ficta tibi propensius consulentes, quatenus, in hac parte omne aliorum abjiciens, et soli nostro consilio acquiescens, secundum ea, quæ memoratus notarius noster tibi suggessit, non differas ad Ecclesiæ redire mandatum. Alioquin, quantumcunque, sicut in tuis litteris comprehendimus, te dicas præter justitiam aggravatum, quod utique nos ipsi fatemur circa te, scilicet nos in iis præter justitiam processisse, quia tibi forsan, plus quam

B decuit, deferendo citra justitiam egimus, et intensæ justitiæ non fuimus secuti rigorem, non solum secundum ea quæ tibi fuerunt a notario memorato suggesta, verum etiam aliter et multipliciter manum nostram in te aggravare cogemur, quæ profecto abbreviata non est, imo per Dei gratiam sit extenta, quod, nisi conversus egeris pœnitentiam, tam spiritualiter quam temporaliter ingens super te pondus oppressionis inducet. Elige itaque, chare fili, si tamen te dignum reddas, ut noster, et Ecclesiæ, imo Dei possis filius appellari, tam salubribus monitis et consiliis acquiescere, in verbo nostro fiduciam plenam ponens, quod, sicut pro tuo duntaxat honore pariter et salute ad tuam reconciliationem intendimus, ita procul dubio reconciliationem ipsam in salutem tuam et commodum redundare,

C præstante Domino, faciemus. Nec æstimes, aut spe vana ducaris, quod aliquando ad aliud nos valeas inclinare, cum pro nullo nato de muliere, nec etiam pro germano nostro, si esset in articulo in quo es, formam Ecclesiæ deserere disponamus. Ecce, si prudens es, si providus, si discretus, hic prudentiam tuam et providentiam, ac totam discretionem poteris demonstrare, amplectendo, vel deserendo consilium decipere te nolentis, et servare volentis in verbis tibi propositis omnimodam veritatem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Decembris, anno nono.

## CXCVI.

### RADULDO (79), ATREBATENSI EPISCOPO.

D *Inhibet ne quis, inconsulto Romano pontifice, sententiam excommunicationis in ipsum audeat promulgare.*

(Romæ, XIV Kal. Januarii.)

Cum per manus nostras ordinatus fueris in presbyterum, et in episcopum consecratus, ut non minus nostro, quam tuo, imo tuo verius quam nostro deferamus honori, auctoritate præsentium inhibemus, ne quis in te suspensionis vel excommunicationis sententiam inconsulto Romano pontifice audeat promulgare, quam si quis forte, quod absit! post hujus inhibitionis notitiam, eo inconsulto, pro-

(79) Vide epistolam libri octavi 45, not.

ferret, statuimus non servandam. Tu ergo diligengenter attendas, ne gratiam tibi factam in alterius convertas injuriam, aut privilegium in abusum, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Nulli ergo.... hanc paginam nostræ inhibitionis et constitutionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Januarii, anno nono.

### CXCVII (797).

EPISCOPO SUESSIONENSI (797).

*Ut ecclesiasticas censuras iis qui hastiludia inierant remittat, ne sacræ expeditioni mora afferretur.*

(Romæ, IV Idus Decembris.)

Per tuas nobis litteras intimasti, quod, cum torneamenta, quæ in partibus tuis fiunt, peregrinationis tuæ propositum crederes plurimum impedire, auctoritate nostra in torneatores excommunicationis sententiam protulisti, propter quod multi milites adeo sunt turbati, ut nec crucem assumunt, nec aliquid conferre volunt subsidium terræ sanctæ. Unde, petiisti a nobis, ut tibi permittere dignaremur ad tempus illam sententiam mitigare. Licet autem intentionis nostræ non sit torneamenta permittere, quæ sacris noscuntur institutionibus interdicta, quia tamen quod provisum est ad commodum, tendere videtur ad noxam, præsentium tibi auctoritate concedimus, quatenus sententiam ipsam circa omnes, vel aliquos, prout expedire videris, relaxare procures. Super eo vero, quod a nobis tua fraternitas postulavit, ut nobilem virum. . . . . comitem Namurcensem, et Ballivos Flandriæ faceremus ecclesiastica censura compelli, ut, juxta mandatum quod dedit olim illnstris memoriæ.... Constaetinopolitanus imperator, de proventibus comitatus stipendia militibus et servientibus assignarent in subsidium imperii transmittendis, fraternitati tuæ taliter respondemus, quod prædicti ratione mandati memorati nobiles et ballivi ad hoc, quod petis, nequeunt de jure compelli, cum mandatoris morte expiraverit etiam quod mandavit, quanquam in locum ejus germanus ipsius sit magnifice sublimatus. Præterea, sicut ex litteris nobilium virorum, Ph. marchionis Namurcensis.... comitis de Loz, J. Brugen. Guillelmi Sancii Audomari, S. Gandaven. et G. Insulem. castellani, A. de Audenarda W. de Sothengien. E.... P.., de Prat, S. de Aria, et quorumdam aliorum accepimus, quod milites torneatores, metu excommunicationis inducti, communi consilio statuerunt, ut quilibet miles torneator, qui terram usque ad valentiam centum librarum habet, marcam unam, et qui habet terram minoris valentiæ, dimidiam marcam, usque ad triennium singulis annis exsolvant in subsidium terræ sanctæ, propter quod nobis dicti nobiles supplicarunt, ut

A eorum proposito actoritatem nostram apponere dignaremur; inde est, quod præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus, salvo statuto Lateranensis concilii, circa hoc disponere aut providere procures, juxta quod secundum Deum videris expedire.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Decembris, anno nono.

### CXCVIII (799).

EPISCOPO SUESSIONENSI (800), G. PRÆPOSITO DUACENSI, FRATRI IMPERATORIS HENRICI CONSTANTINOPOLITANI, ET CANTORI PARISIENSI.

*Si per terram iter capiant, securum Brundusium usque pollicetur.*

(Romæ, IV Idus Decemb.)

B Ad nostram præsentiam accedentes, dilecti filii, Ubertus et W. nuntii vestri, nobis intimare curarunt, quod, cum de mandato vestro Januam accessissent, et pro inveniendo vobis et aliis peregrinis navigio laborassent, commoditates plurimas attenderunt, propter quas vobis expedit per Januam transfretare. Quia igitur super hoc voluntatem nostram requirere studuerunt, et vos etiam per vestras litteras nostrum beneplacitum inquisistis, insinuatione vobis præsentium respondemus, ut, apud Jannuensem civitatem navigium conducentes, in nomine Domini exinde procedatis, cum vix magis compendiosum et securum transitum invenire possitis. Si vero per Januam nequiveritis proficisci, et ad urbem accedere volueritis, ut, a nobis devotione debita benedictione C recepta, ad portum Brundusii properetis ibidem, prout melius potueritis, navigium conducturi, nos usque Brundusium securum vobis transitum, dante Domino, concedemus. Volumus nihilominus, et mandamus, ut universos crucesignatos monere ac inducere studeatis, ut ad eumdem vobiscum portum accedant, in societate vestra pariter processuri, ne forsan exercitus Domini et oves pascuæ ejus, occasione qualibet, dividantur. Nos enim, super hoc universis crucesignatis monita nostra dirigimus et mandata.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Decembris, anno nono.

### CXCIX (801.)

D COMITIBUS, BARONIBUS, MILITIBUS ET UNIVERSIS CRUCESIGNATIS.

*Excitat eos ad ferendum Henrico imperatori auxilium.*

(Romæ, III Idus Decembris.)

Ad nostram præsentiam accedentes, dilecti filii, Ubertus et W. vestri, et venerabilis fratris nostri.... Suessionensis episcopi (802), et dilectorum filiorum, G, præpositi Duacensis, fratris charissimi in Christo filii nostri. . . . Constantinopolitani imperatoris

(797) Vide Raynaldum, ad annum 1286, § 8.
(798) Vide epistolam libri tertii 14, not.
(799) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 8.
(800) Vide epistolam libri tertii 11, not.

(801) Partem epistolæh ujus exhibet Raynaldus ad annum 1206, § 8. Quæ apud ipsum leguntur, hic uncis inclusa sunt.
(802) Vide epistolam libri tertii 11 not.

A illustris, et . . . . cantoris Parisiensis, nuntii, nobis insinuare curarunt, etc., *ut in epistola* 198, *usque* requisistis, dictis. . . . episcopo, et G. fratri imperatoris prædicti, et. . . . cantori, dedimus in mandatis, ut apud Januensem civitatem, etc., *usque* concedemus. [Quocirca, nobilitati vestræ præsentium auctoritate districte præcipiendo mandamus, quatenus cum dicto episcopo ad eumdem portum accedere studeatis, transfretaturi pariter cum eodem, ne, quod absit! exercitus Domini occasione qualibet dissolvatur, ipsius episcopi, qui super hoc fideliter et devote laborat, consiliis intendentes. Præterea, præsentibus vobis litteris innotescat, quod postquam illustris memoriæ . . . . Constantinopolitanus imperator, sub hostili custodia diem clausit extremum, charissimus in Christo filius noster Henricus, germanus ipsius, Constantinopolitanus imperator illustris, ab universo exercitu Latinorum unanimiter et concorditer fuit in apicem imperii sublimatus, et tam contra. . . . Blachum, quam contra alios hostes imperii postmodum sæpius triumphavit, qui etiam ante sublimationem suam victoriosus exstiterat contra illos, propter quod firmiter sperare debetis, quoniam, ex quo ad partes illas aura vos salutaris impulerit, etiam qui habitant fines imperii, ad vestrum introitum contremiscent, et facile subjugabitis vobis nationes exteras ad obsequium crucifixi.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Idus Decembris, anno nono.]

CC (803).

EPISCOPO SUESSIONENSI (804).

*Indulget, ei ut Ecclesiam Thessalonicensem, retenta Ecclesia Suessionensi, accipere possit.*

(Romæ, IV Idus Decembris.)

Significavit nobis dilectus filius, B. tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis (805), apostolicæ sedis legatus, et hoc idem charissimi in Christo filii nostri, Henrici, Constantinopolitani imperatoris illustris, litteræ continebant, quod canonici Thessalonicensis Ecclesiæ, ad instantiam dilecti filii, nobilis viri... marchionis Montisferrati, qui in terra illa obtinet principatum, te in Thessalonicensem archiepiscopum unanimiter et concorditer postularunt, nobis instantissime supplicantes, ut tibi licentiam concedere dignaremur ad regimen Thessalonicensis Ecclesiæ transeundi. Nos igitur, attendentes necessitatem urgentem, et evidentem utilitatem, quæ partibus Romaniæ per tuam præsentiam poterit provenire, ipsorum supplicationibus duximus annuendum, præsentium tibi auctoritate præcipiendo mandantes, quatenus taliter de te ipso provideas et disponas, ut, cum ad portum veneris gratia transfretandi, si per nos te transitum habere contigerit, aptus sis et paratus nostris in hac parte mandatis et consiliis obedire. Si vero ad talem te portum necesse sit declinare, ut, locorum impediente distantia, nostro te nequeas conspectui præsentare, præsentibus tibi litteris districte præcipimus, quatenus, cum ad partes illas accesseris, super hoc mandatum prædicti legati reverenter suscipias, et observes; sciens præsentis auctoritate rescripti licentiam tibi datam transeundi ad ecclesiam supradictam. Quia vero personam tuam sinceræ dilectionis brachiis amplexamur, hoc tibi ex speciali gratia duximus indulgendum, ut, licet suscipiendo curam Thessalonicensis Ecclesiæ ipsius te verum velimus et proprium esse pastorem, nihilo- B minus tamen de Suessionensi Ecclesia libere tibi disponere liceat, et ejus proprius sis episcopus sicut prius, donec Constantinopolitani status imperii solidetur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quarto Idus Decembris, anno nono.

CCI (806).

POPULO SUTRINO.

*Quod non assumant extraneum ad regimen civitatis eorum, inconsulto papa.*

(Romæ.)

Receptis a vobis per nuntios nostros corporaliter juramentis, et interposita fidejussione ducentarum librarum Proven. monetæ, pro qua se nobis dilectus filius, nobilis vir Sancti Rainerii de Stephano legitime obligavit, præcipimus vobis sub debito præstiti C juramenti, ut, absque licentia et assensu Romani pontificis, vel ejus vicarii, nunquam de cætero assumatis extraneum ad vestræ regimen civitatis, salvis aliis præceptis, si qua super hoc duxerimus facienda. Interdictum autem, cui propter hoc vestram subjecimus, civitatem, auctoritate præsentium relaxamus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum.

CCII.

PRIORI, ET CANONICIS SANCTI PATERNIANI FULIGNAT. DIOECESEOS.

*Adjudicatur eis subjectio ecclesiæ Sanctæ Christinæ.*

(Romæ, Nonis Decembris,)

Emergente dudum inter ecclesiam vestram, et ecclesiam Sanctæ Christinæ, scrupulo quæstionis, cum, pro eo quod nobiles viri, P. de Sancta Christina, et M. et B. et R. quasdam domos et posses- D siones permutaverant inter se, dicta ecclesia Sanctæ Christinæ in parochianis suis et juribus parochialibus læderetur, clerici ejusdem ecclesiæ coram bonæ memoriæ A. (807) episcopo, Fulignati judice ordinario, super hoc contra vos deposuere querelam.

(803) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 8.
(804) Vide epistolam libri tertii 11, not.
(805) Vide epistolam libri tertii 54, not.
(806) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 38.
(807) Anselmus, ex Actia gente nobilis Fulignas, ex archidiacono cathedralis suæ patriæ episcopus renuntiatus est anno 1155,..Eumdem, ob vitæ merita, et consultæ prudentiæ pondera, Nucerinæ præfecit Ecclesiæ Alexander PP. III, anno 1170, ita, ut simul utrique provinciæ pares vires afferret... Fulignii S. Thomæ dedicatam ecclesiam mirifice fundavit. erexit, Actiæque genti patronatus, ut vocant, jura attribuit, quibus illa gens usa est donec Fulignii floruit, hoc est usque ad annum 1592, in quo penitus exstincta, illustre tamen alienæ posteritati nomen reliquit...Actium porro Anselmum importuna mors

Vos autem, occasione hujusmodi provocati, contra dictos clericos super objectione ecclesiarum Sanctæ Christinæ, Sancti Donati, Sancti Silvestri et Sancti Laurentii, et possessionibus earumdem, coram eodem episcopo querimoniam replicastis. Episcopus ipse, de utraque quæstione cognoscens, testes in utraque causa recepit. Verum, interim felicis recordationis Alexander papa, prædecessor noster, eidem episcopo suis dedit litteris in mandatis, ne ecclesiam Sanctæ Christinæ præscriptæ permutationis obtentu in suo jure permitteret aliquatenus molestari; quarum litterarum obtentu quæstionem parochianorum episcopus supradictus examinans, eam definitivæ sententiæ calculo terminavit. In subjectionis autem controversia non procedens, depositiones testium, quas in ipsa causa receperat, penes ecclesiæ vestræ clericos deposuit, sigillo proprio communitas. Processu vero temporis, causam super prædicta ecclesia Sanctæ Christinæ, ac capellarum, et possessionum pertinentium ad eamdem, pars vestra dilecto filio, magistro R. Spoletano, a nobis obtinuit delegari. Sed postmodum, ad petitionem partis alterius, venerabilem fratrem nostrum... Nucerinum episcopum (808), illi diximus adjungendum, postea, de utriusque partis nuntiorum assensu, dilectum filium... plebanum, telonicæ (809) decisioni causæ ipsius pariter adjungentes. Cumque dicti judices, in causa ipsa diligentius procedentes, utriusque partis testes solemniter recepissent, et ad finem negotii properarent, pro parte vestra ad nostram fuit audientiam appellatum. Cæterum, cum utriusque partis procuratores propter hoc ad nostram præsentiam accessissent, coram dilecto filio, T. subdiacono, et capellano nostro, quem ipsis dedimus auditorem, fuit pro parte vestra propositum, quod ecclesia Sanctæ Christinæ, cum tribus capellis superius nominatis, et possessionibus earumdem, ad vestram ecclesiam pertinet pleno jure. Nimirum, cum bonæ memoriæ comes Offredus ipsam fundasset ecclesiam, inter alia, quæ assignavit eidem, ecclesiam Sanctæ Christinæ, cum dictis capellis, propria et spontanea voluntate concessit, ad quod probandum, publicum et authenticum procurator vester exhibuit instrumentum. Ad quod fuit ex parte Sanctæ Christinæ responsum, quod, cum laicus de rebus disponendi ecclesiasticis nullam habeat facultatem, prædictus comes, tanquam laicus, ecclesias ipsas conferre non potuit, adjiciens, quod, cum ecclesia vestra coram delegatis judicibus illo instrumento usa non fuerit, non poterat, nec debebat illud de cætero ad suum commodum exhibere. Ex parte vero vestra fuit ex opposito

A replicatum, quod, cum donationi prædicti comitis diœcesani episcopi consensus accesserit, amplius etiam, quamvis patronatus Ecclesiæ vestræ in prædictis ecclesiis acquisivit, et cum in illo judicio probationibus vel allegationibus non fuit ab alterutra parte conclusum, instrumentum ipsum etiam sub examine nostro rite poterat præsentari. Pro eadem quoque parte fuit insuper allegatum, quod, cum ecclesiam sanctæ Christinæ, cum capellis aliis, quæ ad vestram ecclesiam pertinebat, nobilis vir, Munaldus de Ranuzo, cum B. et T, filiie suis, aliquandi tenuisset per violentiam occupatam, postmodum, cum peregrinandi propositum assumpsisset, ipsas cum pertinentiis suis in manu bonæ memoriæ B. Fulignatis episcopi (809*), pro parte

B ecclesiæ vestræ liberaliter resignavit, sicut in instrumento publico continetur, per quod apparet, quod ecclesia vestra, ratione resignationis ipsius, jus sibi valet in illis ecclesiis vindicare. Contra quod pars altera respondebat, quod, cum Laicus, secundum statuta canonum, ecclesias, vel earum bona, donandi, vel alienandi non habeat potestatem, dictus nobilis ecclesiam Sanctæ Christinæ, cum capellis aliis, in manibns memorati episcopi resignando, nullum potuit eidem ecclesiis præjudicium generare; maxime, cum idem nobilis, ut dicta ecclesia Sanctæ Christinæ conventualis fieret, de conniventia et consensu diœcesani episcopi, pridem duxerit statuendum. Contra quod pars vestra respondit, quod dicti laici in injuriam ecclesiæ vestræ taliter de illa ecclesia disponere nequiverunt,

C et diœcesanus episcopus hujusmodi dispositioni consensum adhibere non potuit, in non modicum vestræ Ecclesiæ detrimentum. Præterea, pars vestra proposuit, quod ex eo manifeste colligitur, ecclesiam Sanctæ Christinæ ad vestram ecclesiam pleno jure spectare; quod, sicut ex depositionibus testium comprobatur, prior ecclesiæ vestræ consuevit ad ecclesiam Sanctæ Christinæ presbyteros et clericos proprios destinare; qui, divinis celebratis ibidem, ad ecclesiam vestram oblationes, quas illic receperant, deferebant. Ad hæc, pars sanctæ Christinæ respondit, quod, etsi ecclesia vestra in dictis ecclesiis jus aliquod habuisset, quadraginta annorum præscriptione, quibus eædem ecclesiæ plena sunt libertate gavisæ, omne jus constat esse sublatum,

D cum omne jus et omnis actio quadragenaria præscriptione tollantur. Contra quod pars vestra respondit, quod, si decem et octo anni, quibus schisma duravit, et tres priores schismatici vestræ ecclesiæ præfuerunt, de præscriptione tollantur, constat,

rapuit 1201, 20 Augusti; ac tanquam incomparabili viro nullum fuisset ausa successorem conferre, ab anno 1202, usque ad 1210, lapsa memoria est quis ad Fulignensis Ecclesiæ gubernacula sederit. Ughell. *Ital. sacr.* tom. I, col, 748.

(808) In Nucerinam sedem Ugho successit Anselmo, (de quo vide notam superiorem) sublectus ad id oneris circa annum 1196. Defunctus est anno 1218. *Id. ibid.* col. 1119.

(809) Sic legitur in apogr. sed forsan mendose.

(809*) Agitur hic verisimiliter, de Benedicto, qui, ex monacho S. Crucis de Avellana, congregationis Columbæ, ex ordine S. Benedicti, ad Fulignatem episcopatum assumptus ante annum 1138, mortuus est anno 1155, cum annis 17 præfuisset cum laude. Ughell. *Ital. sacr.*, tom. I, col. 744.

quod anni residui ad præscriptionis limitem non accedunt. Sed ad hoc pars sanctæ Christinæ subsequenter objecit, quod, licet de præscriptione schismatis tempora subducantur, nihilominus tamen quadragenaria præscriptio reperitur, cum quidem testes manifeste deponant, quod a sexaginta annis ecclesiæ Sanctæ Christinæ nullum servitium vestræ ecclesiæ præstitit, sed in plena libertate permansit. Ad quod fuit pro parte vestra responsum, quod hujusmodi præscriptio nocere non potest, cum fuerit civiliter interrupta; sicut enim œconomus Sanctæ Christinæ fuit publice confessus in jure, jam sunt sexaginta anni elapsi ex quo super subjectione ecclesiæ Sanctæ Christiun inter ipsam et ecclesiam vestram exstitit litigatum; adjicens insuper, quod per testes, quos ecclesia Sanctæ Christinæ pro parte sua produxit, nihil est omnino probatum: cum ipsi, dicentes, quod ecclesia Sanctæ Christinæ nullum consuevit ecclesiæ vestræ servitium exhibere, astruant negativam, et secundum causarum cursum negantis factum probatio nulla sit, maxime, cum testes ipsi non factum ostendere, sed de jure allegare nitantur; asserentes, quod ecclesia Sanctæ Christinæ nullum servitium præstare alicui, nisi tantum episcopo, ex debito consuevit. Fuit præterea ex parte ecclesiæ Sanctæ Christinæ propositum, quod nulla fides est illis testibus adhibenda, per quos pars vestra probare contendit, ecclesiam Sanctæ Christinæ ad se pleno jure spectare, utpote in qua provisionem consuevit plenariam obtinere. Nam depositiones testium, ab episcopo Fulignate conscriptæ, et Ecclesiæ vestræ clericis assignatæ, sunt penitus respuendæ, cum aperte longo tempore fuerint apud ipsos, et eas tam corrumpere potuerint, quam mutare. Sed, nec attestationes, receptæ postmodum a judicibus delegatis a nobis, prout eadem pars dicebat, erant ad probandum aliquid admittendæ, quia cum pars vestra ante prius productorum testium testificata didicerit, eidem secunda productio, juxta quod dictant legitimæ sanctiones, inefficax et inutilis esse debet. Contra quod pars vestra respondit, quod, cum ipsorum testium dicta sigillo judicis sint munita, nec in aliqua sui parte vituperata sint, vel corrupta, adhiberi debet illis procul dubio plena fides, præsertim, cum testes producti posterius asseverent, quod, cum sæpedictus Fulignas episcopus nollet in subjectionis causa procedere, testium dicta, sub suo sigillo munita, clericis commiserit memoratis. Attestationes quoque secundo receptas proponebat vestra pars approbandas, cum pars altera productioni testium de plano duxerit annuendum. Præterea, licet attestationes ipsæ non essent ad probandum veteres articulos admittendæ, valerent tamen ad nova capitula comprobanda. His igitur et aliis, quæ coram prædicto capellano fuere proposita plenius intellectis, de consilio fratrum nostrorum, subje- A ctionem ecclesiæ Sanctæ Christinæ ecclesiæ vestræ adjudicamus, decernentes, ut ei, tanquam propria capella, perpetuo sit subjecta.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Decembris, anno nono.

CCIII (810).

... ARCHIEPISCOPO TOLETANO

*Quod G. presbytero, qui, ex ssmplicitate, loco canonis missæ, psalmum decantaverat, injungat pœnitentiam salutarem.*

(Romæ, XVII Kal. Januarii.)

Veniens ad præsentiam nostram dilectus filius, G. presbyter, lacrymabili nobis confessione monstravit, quod, cum ad celebrandum missarum solemnia conspiceret se indignum, indutus aliquando B sacerdotalibus indumentis, sine calice ac oblata, loco canonis missæ psalmum, *Miserere mei. Deus* videlicet, decantavit, quasi missarum officium exsequendo, quod in partibus illis dicitur *Missa sicca*. Cum igitur id, ut asserit, ea intentione non fecerit, ut formam sacramenti mutaret, vel ut hæresim introducceret, sed simplicitate potius quam malitia, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem super hoc injungas pœnitentiam competentem, et, ea peracta, si aliud canonicum non obsistat, eidem de misericordia, quæ superexaltat judicio, licentiam tribuas celebrandi, dummodo propter hoc contra ipsum scandalum non sit in plebe subortum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kalendas Januarii, anno nono.

C

CCIV (811).

POTESTATI, CONSULIBUS, ET CONSILIO FAVENTINO.

*Quod pauperes de Lugduno, et alios hæretieos, depellant de finibus corum.*

(Romæ, II Idus Decembris.)

Dolorum urgentium multitudo, quibus jugiter, ut partnriens, Ecclesia sancta circumdatur, vociferari eam, et dicere, ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, cum propheta, compellit. Cum etenim adhuc usque omnis creatura ingemiscat, secundum Apostolum, et parturiat genitricis Ecclesiæ sacer uter, dolore suorum viscerum conturbatur, quæ spiritualibus fecundata sobolibus acriter discerpuntur, dum eorum partum nequitia convellit illorum, de quibus prophetica, voce prædicitur: Secuerunt D prægantes Galaat ad dilatandum terminum suum. Truculenta siquidem hæreticorum impietas, qui, mutando in mendacium veritatem, terminos, quos posuerunt Patres eorum, transferre damnabiliter non verentur, ut latius opinionis suæ nomen extendat, prægnantes laborat animas interimere, ne fœtus fidei, quem ex amore divino conceperant, ad partum valeat consummati operis pervenire. Unde mater Ecclesia, quæ cum Propheta dicere potest, Filii venerunt ad partum, sed non habet vires parturiens, et nos ipsi, qui curam tenemur suæ fecunditatis habere, quasi secantis perfidiæ mucrone

(810) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 36.

(711) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.

csnscindimur, dum in suis visceribus hæreticorum scindentium ejus uterum gladio contrectamur. Cum igitur adilectis filiis, civibus Florentinis in exterminium hujusmodi perfidorum, sicut accepimus, quoddam sit editum provida pietate statutum, per quod intendunt a civitate sua hæreticæ pravitatis eliminare spurcitiam, quæ, sensim velut cancer obrepens, ad suos terminos dilatandos multorum animas suo contagio corrumpebat, credentes nos æmulari charismata meliora per exemplum eorum, tutiorem vobis viam duximus ostendendam, per quam hæreticæ pestilentiæ, quæ in civitate vestra nonnullos infecisse refertur, occurrere valeatis. Eapropter, universitatem vestram monemus attentius, et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus statutum ipsum, prout est in favorem catholicæ veritatis inventum, ad hæreticorum perniciem confundendam unanimiter assumentes, humiliatos pauperes de Lugduno, seu quoslibet pravitatis hæreticæ sectatores, secundum ipsum, et aliter, prout vobis fuerit desuper inspiratum, ita satagatis a civitate vestra depellere, quod zelum vos comprobetis Christianæ religionis habere.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Idus Decembris, anno nono.

## CCV (812).

PRIORI ET CONVENTUI CANTUARIENSIBUS.

*Absolvum ab impetitione suffraganeorum ipsorum, super jure eligendi archiepiscopum.*

(Romæ, XIII Kal. Januarii.)

[Majores Ecclesiæ causas ad sedem apostolicam referendas, et canonica tradit auctoritas, et approbata consuetudo declarat, ut, cum ipsa cunctorum fidelium mater sit et magistra, quod ejus fuerit judicio definitum, ab omnibus inviolabiliter observetur. Cum igitur inter vos et venerabiles fratres nostros, Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeos, super jure Cantuariensem archiepiscopum eligendi controversia verteretur, proponentibus illis, quod tum ex jure communi, tum ex antiqua consuetudine, una vobiscum deberent electionem ipsius archiepiscopi celebrare, vobis autem e contrario respondentibus, quod et de jure communi, et de privilegio speciali, et de antiqua consuetudine Cantuariensem archiepiscopum sine illis eligere debeatis, lite coram nobis per procuratores idoneos super hoc legitime contestata, diligenter audivimus, quæ partes in præsentia nostra proponere curaverunt. Illorum siquidem pars et decreta pariter et exempla studuit allegare, quosdam testes producens, et testimoniales litteras exhibens, quibus ostendere nitebatur, quod suffraganei tres metropolitanos elegerant, verumtamen sine vobis, cum per attestationes et litteras sit probatum, eos et alio loco, et alio tempore, sine vobis electiones hujusmodi celebrasse. Testes autem, ex parte vestra producti legitime probaverunt, quod prior, et conventus Cantuariensis Ecclesiæ, a longis retro temporibus, electiones archiepiscoporum in capitulo suo sine suffraganeis usque ad hæc tempora celebrarunt, et easdem obtinuerunt a sede apostolica confirmari, decretis nihilominus et exemplis in assertionem juris vestri multipliciter allegatis, licet autem contingat interdum præter communem regulam diversas consuetudines inveniri, si tamen non solum ad vicinarum ecclesiarum, verum etiam ad vicinorum regnorum consuetudinem recurratur; hæc in illis generalis consuetudo absque dubio invenitur, ut metropolitanorum electiones a solis metropolitanæ sedis clericis celebrentur. A nobis etiam, et prædecessoribus nostris per privilegii paginam est statutum, ut, decedente archiepiscopo vestro, nullus vobis qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem vos communi consilio, vel major pars vestrum consilii sanioris secundum Deum et sacrorum canonum sanctiones providerit eligendum, habentes nunc, et futuris temporibus, liberam pontificis vestri electionem, apostolicæ protectionis gratia et patrocinio roboratam. Nos igitur, iis et aliis quæ coram nobis allegata fuerunt, diligenter auditis, et prespicaciter intellectis, quia constitit evidenter, quod suffraganei sine vobis, secundum suam quoque assertionem, eligere non debebant, unde, vobis exclusis, eorum electio non valebat, et electio vestra, sine ipsis etiam celebrata, per sedem apostolicam meruit confirmari, cum necessario alterutra fuerit confirmanda, de communi fratrum nostrorum consilio, vos et successores vestros ab impetitione ac molestatione suffraganeorum Cantuariensis Ecclesiæ, super jure archiepiscopum eligendi, per definitivam sententiam prorsus absolvimus, et eis super hoc silentium imponimus sempiternum, auctoritate apostolica decernentes, ut vos, et successores vestri de cætero libere sine illis archiepiscopum eligatis. Nulli ergo... hanc paginam nostræ definitionis et constitutionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Januarii, anno nono.

## CCVI.

...... ILLUSTRI REGI ANGLIÆ.

*Super eodem.*

(Romæ.)

Examinata causa, quæ vertebatur inter dilectos filios.. priorem et conventum Cantuariensis Ecclesiæ, ac venerabiles fratres nostros, ejusdem Ecclesiæ suffraganeos, super jure Cantuariensem archiepiscopum eligendi, et ea, quæ agebatur inter dilectum filium, subpriorem, et fautores ipsius, ac prædictum priorem, et ejus socios, nec non et eosdem suffraganeos, super electione subprioris ejusdem, de

(812) Epistolam hanc laudat Raynaldus, ad annum 1206, § 33.

Aliam pene omnino similem, verbis tantummodo competenter mutatis, ad suffraganeos Ecclesiæ Cantuariensis directam exhibet Matthæus Paris. *Hist. Angl* tom. I, pag. 214, quem vide.

Vide etiam epistolas hujusce libri noni, 34, 35, 36 et 37.

communi fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, dictos priorem et conventum ab impetitione suffraganeorum Cantuariensis Ecclesiæ, super jure Cantuariensem archiepiscopum eligendi, per definitivam sententiam absolventes, electionem subprioris jam dicti, quam post multas appellationes, ad sedem apostolicam rationabiliter interpositas, et nunnullis adjectis conditionibus, quæ inventa sunt postmodum non exstare, non tam celebratam fuisse constitit quam præsumptam, irritam decrevimus et inanem. Volentes autem ecclesiæ viduatæ consulere, monachis illis, qui ab universo capitulo, si prædicti subprioris electionem contingeret irritari, potestatem acceperunt apud sedem apostolicam eligendi pastorem, injunximus, ut, habentes præ oculis solum Deum, personam idoneam per electionem canonicam sibi præficerent in pastorem. Ipsi ergo, licet in principio discordaverint, aliquibus eorum venerabilem fratrem nostrum..... Norwicensem episcopum (813), quibusdam vero prædictum nominantibus subpriorem, novissime tamen, post multas deliberationes, dilectum filium nostrum, magistrum Stephanum (814) de Langueton. tituli Sancti Chrysogoni presbyterum cardinalem, virum utique vita, fama, scientia et doctrina pollentem, unaminiter convenerunt, cæteris concordantibus in eumdem, eligentes eum a sede apostolica postulandum, et apud dilectos filios.... abbatem Belliloci, et nobilem virum, T. vicecomitem de Staford. et A. militem, nuntios tuos, diligenter instantes, ut super hoc vice tua regium impertirenter assensum, qui eum exprimere noluerunt. Nos autem, postulationem ipsius, et quoad formam, et quoad personam, tam canonicam quam providam attendentes, eam decrevimus approbandam, responsum ipsius nihilominus approbantes, qui, requisitus ut postulationi præberet assensum, inter cætera sic respondit, quod, cum ipse sui juris non sit, tanquam sub nostra potestate per omnia constitutus, necesse habebat nostræ dispositionis beneplacitum adimplere. Licet autem in electionibus præsulum, quæ apud sedem apostolicam celebrantur, non consueverit sæcularis principis exspectari consensus, cum nihil ab ea fieri præsumi debeat in præjudicium alicujus, quæ in omni, quod provida maturitate deliberat, cujuslibet consuevit justitiæ præcavere, ne inde nascantur injuriæ, unde jura nascuntur, non tamen, ex abundanti gratia tuæ volentes serenitati deferre, per nostras tibi litteras intimavimus, ut, quoniam prædictis priori et conventui scripseramus, firmiter injungentes, quatenus quibusdam ex monachis suis, ad nostram præsentiam accessuris, plenam eligendi archiepiscopum concederent potestatem, si dicta subprioris electio cassaretur, tua quoque regalis prudentia procura-

A tores idoneos ad nostram præsentiam destinaret, ne quid in præjudicium juris aut dignitatis ipsius ex quocunque defectu contingeret ordinari. Unde, cum nuntios memoratos, viros utique providos et fideles, ad sedem apostolicam destinaveris ob causam, ut credimus, profecto non aliam, nisi ut vices regias in hac causa supplerent, et ab eis super postulatione prædicta regius fuerit cum omni humilitate ac devotione requisitus assensus, procul dubio non videbatur a te iterum implorandus, nisi ad multam prædictorum nuntiorum instantiam, gratiam super gratiam tibi facere dignaremur, quam in simili casu nulli unquam adhuc meminimus nos fecisse. Cum igitur in universis operibus tuis, et specialiter, imo præcipue, circa ecclesiam momoratam, ob reve-
B rentiam illius martyris gloriosi, qui privilegium speciale pro ipsa quasi sanguine suo scripsit, non quæ tua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere debeas, serenitatem tuam rogamus attentius, et propensius exhortamur, qualenus, diligenter attendens, quod ecclesia tanta, quæ quidem et præcipuum apostolicæ sedis membrum esse dignoscitur, et singularior tuæ gemma coronæ, diutius jam permansit, aliquibus malignantibus, postoris solatio viduata, postulationi jam dictæ gratanter impendas, seu potius te declares jam impendisse consensum, ne velle videaris dispositioni contraire supernæ, quæ, post diutinos fletus matris, dissidentium schismata filiorum concordi patris electione præcavit, de tali pro certo celebrata persona, quæ, potens apud Deum et homines in opere ac sermone, illa relucet lampade meritorum,
C illa morum præeminet honestate, quod, nisi necessitas relevandi minantem ecclesiæ memoratæ ruinam, tam solidam apostolicæ sedis columnam transponere nos induceret, haberet utique in quo sibi apostolica sedes plurimum invideret. Assumat igitur, quæsumus, mansuetudo regia spiritum lenitatis, et ita super hoc facilem et benevolam se ostendat, ut quod de tam salubri negotio cœlitus est provisum, debite prosequendo favore, non videatur in hoc, velut frctum ab altero, consentire, sed potius, suam gratiam apponendo, ipsa illud comprobet se fecisse. Non enim in ipsius approbatione personæ ita solam utilitatem Ecclesiæ Cantuariensis attendimus, quin in ea consideratus plenarie fuerit honor tuus, utpote qui, de terra tua, et de genere tibi fi-
D deli ducens originem tuam secuturus cum Deo creditur per omnia voluntatem. Proinde, charissime fili, respice, an in hoc tibi grætiam quoad Deum, et famam quoad homines sic conserves, ut qui utramque ilbi clarificasse videris in multis, ita quod et in altera magnifice te incepit Dominus exaltare, ac in reliqua nomen tuum in populis magnum satis et celebre prædicatur, neutram in hoc facto possis offen-

(813) Vide epistolam libri quinti 129, not.

(813) Locus notatu dignissimus, utpote qui Ciaconii nec non ipsius Oldoini, errorem corrigendi nobis ansam præbeat. Ciaconius enim, ipseque Oldoinus (tom. II, col. 31), Stephanum ad cardinalatus apicem, non nisi anno 1212, evectum fuisse asserunt. Ex hac vero Innocentii epistola, Stephanum jam ab anno saltem 1286 titulo S. Chrysogoni insignitum fuisse, certo certius evincitur. Vide etiam *Gesta* Innocentii, § CXXXI.

dere, a quo gloria tua noscitur ex magna parte pendere. Aperi oculos tuos, serenissime princeps, et vide,quod fortasse sine superni nutus arbitrio non est actum, ut eo præcipue tempore te fecerit Deus tuus præter multorum spem in temporalibus prosperari, quo memorata ecclesia viduitatis suæ damna ploravit,ut per hujusmodi beneficia te cognosceres admoneri, voluisse cœlestem Regem, te ab occupationibus ipsius Ecclesiæ fore liberum,cum inveniri te voluit triumphis sæcularibus occupatum. Unde, sollicite debet regalis prudentia providere, quatenus ita Deo in Ecclesiæ pace retribuat, quod sibi ab eo non ambigit in mundana prosperitate tributum, ut tanto de munere suo felicius in incœpto cursu proficiat, quanto reverentius, quasi pretium, propter hoc libertatem ecclesiasticam ei donat, ne, se gratiam ob gratiam tibi factam devotione,quod absit! congruæ gratitudinis non compenses, non solum humana lege de illo, quod ob causam dedisse creditur,causa non consecuta repetitio Deo competat,verum etiam exactissime rationem de ingratitudine commissu requirat. Ad hæc ergo,amantissime fili, oculum animi tui solve, ac penetrabili timoris Dei te mucrone transfige,ponensque ante te dictum martyrem, imo te ipsum in sede cordis statuens coram ipso,illum deprecantem te videas, et suam tibi ecclesiam commendantem contremiscas, et paveas, et indignum existimes preces ejus pro mercede sui sanguinis non admittere, cujus specialiter patrocinio non debes ambigere te regnare, quique celebre satis antea, celebrius demum fecit suo martyrio regnum tuum.Putas, impune deserat domum suam malignorum attractari molestiis, qui pro ea sanguinem suum fudit? Putas, bene merentibus in eadem suum subtrahat beneficium, qui pro ejus amore mortis pertulit cruciatum? Numquid ideo sanguis ejus contra persecutores ejus clamare non creditur, quoniam aliquandiu ipsam persequi quis impius occulto Dei judicio sustinetur? An, sine sui periculo, ipsius ecclesiæ libertatem ancillare quis poterit,cujus privilegium ipse martyr,suo cruore conscripsit? Profecto,quæ utilitas in sanguine suo erit, si quod ejus pretio fuit emptum, demum fuerit in opprobrium servitutis redactum? Pro Deo igitur,alme princeps, pro ipso martyre,pro nostro demum amore, in serenitate animi preces nostras intendas,et rogantes, ac obsecrantes attentius,quin imo pro munere pretioso petentes, exaudias, ut postulationem prædictam regio prosequendo favore nos tecum, et tu nobiscum ecclesiæ memoratæ, quæ graviter et sua viduitate in spiritualibus et temporalibus est collapsa, utiliter succurramus, sollicitus infra tres menses post susceptionem præsentium nobis rescribere,ut idem electus cum plenitudine pontificalis officii dictam gubernaturus Ecclesiam regiis conspectibus se valeat præsentare.Alioquin quantumcunque regalem magnificentiam sinceræ in Domino charitatis brachiis amplexemur,et ei super hoc deferre specialiter voluerimus, ut et nobis ipsa deferret, in facto ipso,sicut canonica deposcit auctoritas, dante Domino, procedemus, sollicite cavens ne cujusquam pravo seductus consilio in eam te difficultatem inducas,de qua non facile valeas expediri, neve cursum tuæ prosperitatis impedias,qui,disponente Domino,dirigitur ad majora,cum,si prudenter attendas,supra jus tuo sit juri delatum, nec ex iis,quæ acta sunt, vel gerenda, ullum tibi velimus aliquando præjudicium generari, ad hæc serenitati tuæ copiosas gratiarum referimus actiones, pro eo quod,sicut in examinatione prædicti negotii nos et fratres nostri comperimus evidenter,nullam super electione monachis injuriam, aut violentiam irrogasti,quin potius,tanquam benignissimus princeps et Christianissimus rex, circa eos in omni benignitate ac mansuetudine processisti. Unde, in publico consistorio, tuis præsentibus nuntiis, cum aspera increpatione damnavimus quidquid contraria nobis fuerit relatione suggestum,estque satis ad pœnam, quod circa illius electionis negotium adversariorum frustatus est omnino conatus. Quare,benignitatem regiam rogamus attentius, et monemus, quatenus, cum in hoc tuo sit desiderio satisfactum, nullam propter hoc eis indignationem ostendas, ut et in principio,et in medio,et in fine tuæ mansuetudinis appareat plenitudo.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, etc.

### CCVII.

....... PRIORI, ET CONVENTUI CANTUARIENSI.

*De eodem argumento*

(Romæ, XII Kal. Januarii.)

Examinata causa, etc., *in eumdem fere modum, usque* nostræ disoositionis beneplacitum adimplere. Volentes igitur vobis et ecclesiæ vestræ pacem paterna sollicitudine procurare, prædictum regem apostolicis litteris rogamus attentius, et propensius exhortamur,quatenus,cum in cunctis operibus suis, et specialiter, imo præcipue, circa ecclesiam memoratam,ob reverentiam illius martyris gloriosi, qui privilegium speciale pro ipsa quasi sanguine suo scripsit, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quærere debeat, proviso, quod Ecclesia tantae, quæ quidem et præcipuum apostolicæ sedis membrum esse dignoscitur, etc. *fere sicut in alia usque* generari. Sperantes igitur, quod, si tempus vestræ visitationis agnoscitis, et, ad Deum in toto corde vestro conversi,ad familiare vobis dicti martyris patrocinium recureritis,ipse vos, piis clamoribus excitatus,exaudiet, et sanguinem suum non in vanum interpellari pro vobis ostendet, universitatem vestram monemus attentius, et hortamur, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus, ex eo saltem apprehendentes, ne quando irascatur Dominus, disciplinam, quod ex contentionibus vestris non solum ecclesiæ vestra quies multipliciter est turbata,verum etiam Ecclesia pene universalis offensa, cujus profecto generali sollicitudini tantum oportuit nos subtrahere, quantum

specialiter expediendis vestris difficultatibus nos decuit deputare, quanquam, occasione litis, inter vos et suffraganeos memoratos super eligendi jure subortæ, ingens sit vobis acquisita libertas, omnem zelum amaritudinis ac rancoris ad invicem deponatis, et, ad unitatis concordiam redeuntes, non quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi, sentiatis unanimiter in idipsum, et in hoc quod de postulatione prædicta per Jesum Christum a vobis omnibus factum est, cum ab illis sit provide celebratum, qui potestatem omnium habuerunt, consolidando vestras per omnia voluntates, corda vestra in humilitate ad Dominum elevetis, apud quem in omni oratione et obsecratione petitiones vestræ per advocatum vestrum, prædictum gloriosum martyrem, innotescant, ac, in solo Altissimo spem ponentes, qui si vobiscum fuerit, non timebitis quid faciat vobis homo, ipsum sine intermissione rogetis, ut per suam magnam misericordiam factum istud ita faciat nos perficere, quod ad honorem sancti nominis sui, communem salutem vestram, et perpetuam Ecclesiæ vestræ pacem valeat provenire ; quod utique ab ipso indubitanter obtinere confidimus, si a vobis, in charitate ac unitate manentibus, orationum suffragiis adjuvemur. Videte igitur, ne cujusquam astutia vos seducat, ne qua diabolica vel humana tentatio vos corrumpat, sed, in unitatis proposito existentes, plenam fiduciam habeatis, quod, imperfectum nostrum Christi perfectione supplente, hoc, quod cum ipso incepimus per ipsum ad felicem exitum perducemus.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XII Kalendas Januarii, anno nono.

### CCVIII (815).

.....ABBATIBUS SANCTI MEVENNI (816), ET DE MONTEFORTI (817), ET R. ARCHIDIACONO MACLOVIENSI.

*Ut contra schismata et pravas opiniones procedant.*
(Romæ, XII Kal. Januarii.)

Ut in pace appareat amaritudo generalis Ecclesiæ amarissima, sedato bello forinseco tyrannorum, tacentibus theologis et theophilis, insurrexerunt theophanti et theophoni, videlicet hæretici, et falsi fratres, in eam, qui tanto gravius persequuntur, quanto familiores existunt, habentes speciem pietatis, sed virtutem ejus penitus abnegantes, et interdum inter filios computantur, quorum pugnantium contra matrem, et laniantum ejus vestem, est ei amarissima persecutio. Restituta sibi pace ab extrinsecis inimicis, pacis ergo tempore advenerunt homines sine pace, ac voluptatum amatores magis quam Dei, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et nunquam pervenientes ad scientiam veritatis. Sunt enim homines mente corrupti, et reprobi circa fidem, a qua discedentes spiritibus erroris attendunt dæmoniorum doctrinis, et in hypocrisi loquentes mendacium, et cauteriatam habentes conscientiam, damnare sacramenta Ecclesiæ non formidant, et illius nituntur pulchritudinem abolere, quam denigrando aliquantulum solis æstus olim reddidit speciosam. Hi sunt equidem equus niger, ostensus in Apocalypsi Joanni, super quem sedens diabolus, bilibrem tritici, et tres hordei bilibres habentes, Dei videlicet dilectionem et proximi, et fidem æternæ ac individuæ Trinitatis, vinum quoque ac oleum, quæ Samaritanus apposuit vulneribus sauciati, habentes, scilicet austeritatem et mansuetudinem, quos denario uno redemit idem suo sanguine Jesus Christus, lædere nititur, ut circa fidem naufragium patiantur. Sane, dilectus filius, R. presbyter ecclesiæ de Roton, lacrymabili nobis insinuatione monstravit, quod quidam ejus parochiani, et alii Nanneten. et Maclovien. diœceseon, hujusmodi pravitatis infecti veneno, alios latenter inficere moliuntur, multa simplicibus proponentes, quæ obviant fidei Christianæ, ut illos secum attrahant in errorem, et seductos habeant in gehenna consortes. Porro, cum vicini eorum ægrotant, ipsi, ad eos sub visitationis specie accedentes, præveniunt sacerdotes, et exhortantur eosdem, ut, presbyteris absentibus, domui suæ bene disponant, nec confiteantur eisdem, quia confessio malis presbyteris facta non proficit ad salutem, dicentes, quod gravati pondere peccatorum presbyteri, aliis nequeunt peccaminum conferre medelam, et sic urit illos luna per noctem. Nuptias etiam detestantur, et alia multa proponunt a catholicæ fidei puritate penitus aliena, per quæ multorum corda simplicium pervertuntur, inter quos mugiunt, quasi taurorum concilium inter vaccas, non attendentes, quod ea est habitudo inter sacerdotem et sacramentum, quæ inter medicum et medicinam existit. Unde, sicut langor periti medici vim non impedit medicinæ, sic reatus catholici sacerdotis virtutem non impedit sacramenti, quamvis vita debeat consonare doctrinæ, ne forte qui verbo corripitur, corrumpatur exemplo. Cum igitur, ex injuncto nobis officio, de regno Dei colligere scandala teneamur, et, quantum possumus, hujusmodi bestias oppugnare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus, cum Phinees, catholicæ fidei zelo succensi, eos quos constitit hujus spiritualis adulterii esse reos, ut abnegata impietate hujusmodi resipiscant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellatis. Quod si nec sic a sua perversitate poterunt revocari, juxta constitutionem, quam ad hæreticorum confundendam edidimus pravitatem, contra eos procedere procuretis. Quod si non omnes his exse-

(815) Vide Raynaldum, ad annum 1206, § 42.
(816) De S. Mevenni abbatibus, nihil apud veteris *Galliæ Christianæ* auctores, tom. IV, pag. 639.
(817) Post Tualium, anno 1205 defunctum, Guillelmum I, parochia S. Maugundi natum, Montisfortis abbatem memorant auctores supra citati, *ibid.* pag. 661. Addunt tumulatum fuisse anno 1215.

quendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum duodecimo Kalendas Januarii, anno nono.

CCIX.

ARCHIEPISCOPO BURDEGALENSI (818), ET ABBATI SILVÆ MAJORIS (819) BURDEGALENSIS DIOECESEOS.

*Ut quid canonicum fuerit statuant adversus Hugonem Brunum, qui virginem Deo desponsatam e monasterio Obazinæ extrahere præsumpserat, et duxerat in uxorem.*

(Romæ, XIII Kal. Januarii.)

Dilectus filius, frater II. Lamara miles, nobis explicare curavit, quod nobilis vir, Hugo Brunus, Pictavensis diœceseos..... virginem, quæ, velo assumpto, et oblato voto servandæ perpetuo castitatis Domino fuerat desponsata, in hujusmodi sponsi non modicam injuriam, qui suæ sponsæ non adhibet corruptelam, de monasterio Obazinæ, ubi cum Deo sacratis degebat virginibus, non expavit extrahere violenter, præsumens eamdem per manus bonæ memoriæ... Caturcensis episcopi (820), ducere in uxorem. Quia vero voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, inquisita super præmissis diligentius veritate, omni gratia et timore postpositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis: facientes quod statutum fuerit firmiter observari, nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non ambo... tu, frater archiepiscope, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Januarii, anno nono.

CCX.

..... ABBATI DE EVESHAM (821), ET... DE WICHILICUMB... DE EVESHAM PRIORIBUS, WIGORNIENSIS DIOECESEOS.

*Ut in causa Patronatus Ecclesiæ de Filebi prætextu litterarum falso impetratarum non procedant* (822).

(Romæ, III Nonas Januarii.)

Significavit nobis dilectus filius, E. Bil, quod, cum ad ecclesiam de Filebi, in qua jus obtinet patronatus, R. clericum, diœcesano episcopo præsentasset, et J. clericus, Norwicensis diœceseos, ipsius institutionem præsumpsisset minus rationabiliter impedire, nos controversiam ipsam dilectis filiis... de Sibeton, et..... de Langele abbatibus, et... decano de Broc, Norwicensis diœceseos, fine canonico commisimus terminandam, quorum duo, cum tertius interesse non posset, suamque absentiam excusasset, pro prædicto E. diffinitivam sententiam promulgarunt, memorato J. silentium imponentes. Ac idem, sicut in litteris venerabilis fratris nostri... Eliensis episcopi (822), et dilecti filii..... abbatis Sancti Edmundi (823) perspeximus contineri, elapso aliquanti temporis spatio, litteras illas coram bonæ memoriæ... Cantuariensi archiepiscopo (824), cœpit arguere falsitatis, instanter, postulans, quod earum auctoritate fuerat attentatum, in irritum revocari, propter quod judices memorati litteras ipsas, quamvis a tempore latæ sententiæ superinductis atramenti lineis cancellatas ab ipsis, eidem archiepiscopo, qui super hujusmodi falsitatis cognitione mandatum receperat speciale, per fidelem nuntium transmiserunt. Cum autem prædictus J. ipsas in ejus proposuisset præsentia esse falsas, et pars adversa W. de Brom, clericum, ad sui defensionem exhibere curasset, qui se a nobis impetrasse asseruit litteras supradictas, idem archiepiscopus, ab utraque parte super iis, quæ proposuerant, sufficienti cautione recepta, litteras ipsas sub suo, et partium sigillis fideliter interclusas, per Robertum de Marigni, ad hoc electum de unanimi partium voluntate, nostro fecit conspectui præsentari, quas cum nos in stylo, filo, charta, et bulla invenissemus veras omnino, sæpedicto archiepiscopo, et prædictis episcopo et abbati dedimus in mandatis, ut, denuntiantes ipsas litteras veras esse prædictum E. super juste lata ipsarum litterarum auctoritate sententia non permitterent ab aliquo indebite molestari, quin potius facerent ipsam sententiam, sicut est justa sublato appellationis obstaculo, firmiter observari, contradictores monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Partibus ergo in eorum præsentia constitutis, cum juxta traditam sibi formam vellent sententiam confirmare, prædictus J. proposuit coram eis, quod illa sententia non tenebat, cum esset contra dicta testium, et post appellationem ad nos interpositam promulgata, nitens eamdem infirmare multiplici ratione. Cumque sæpedictus E. omnibus contradixisset objectis judices ipsi debita solemnitate adhibita, receperunt testes ab utraque parte productos, quorum depositionibus postmodum publicatis et receptis etiam attestationibus utriusque partis sub sigillis judicum prædictorum, visis etiam, et intellectis rationibus utriusque, terminum assignarunt eisdem, quo se ipsorum conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Adveniente vero termino partibus assignato, prædicti episcopus Eliensis et

(818) Num erat ille, Guillelmus II *de Gebennis?* Certe, Heliam *de Malmort* (de quo jam egimus toties), anno 1206 fato functum fuisse, asserunt auctores novæ *Galliæ Christianæ*, tom. II, col. 820, ex chronico S. Stephani Lemovicen. Verum, Guillelmum non nisi anno 1207 archiepiscopatum auspicatum fuisse tradunt iidem, *ibid.*

(819) De abbatibus Sylvæ Majoris, vide quæ adnotata sunt ad epistolam libri quinti 96, not. Abbas ad quem dirigitur hæc libri noni epistola 209 erat procul dudio, Almavinus, quem ex cellerario abbatem, jam ab anno 1206, 22 Maii agnoscunt instrumenta. Mortuus est anno 1221, V Id. Martii *Gall. Christ.* tom. II, col. 871.

(820) Vide epistolam libri sexti 97, not.

(821) Vide epistolam libri octavi 204, not.

(822) De argumento hujus epistolæ, vide epistolam libri septimi 34.

(823) De istis jam dictum est sæpius.

(824) Vide epistolam libri quinti 94.

abbas, habito prudentum virorum consilio; cum archiepiscopus viam esset interim universæ carnis ingressus, quia sæpedictus J. in probatione propositorum omnino defecerat, auctoritate nostra suffulti, sententiam priorum judicum confirmarunt, et, eidem J. silentium imponentes, ipsum condemnarunt in decem marcis parti adversæ, nomine expensarum. Porro, prædictus J. nulla de prædictis habita mentione, super cognitione prædictæ sententiæ, quæ jam fuerat auctoritate sedis apostolicæ confirmata, nostras ad vos, veritate suppressa, litteras reportavit. Verum, prædictus E. in nostra præsentia constitutus, proposuit contra ipsum, quod ei non tenebatur auctoritate illarum litterarum aliquatenus respondere, cum in illis de confirmatione sententiæ nulla mentio haberetur, et idem J. excommunicationis sententiæ subjaceret, sed quoniam vos exceptiones ipsius noluistis admittere, idem ad sedem apostolicam appellavit. Cum igitur prædicta sententia auctoritate nostra a prædictis Eliensi episcopo et abbate, sicut in ipsorum authentica continetur, fuerit confirmata, et mendax precator carere debeat impetratis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus in negotio ipso auctoritate litterarum illarum, quæ veritate tacita sunt obtentæ nullatenus procedatis: revocantes in irritum, appellatione remota, si quid occasione ipsarum, post appellationem ad nos legitime interpositam, in sæpefati E. præjudicium statuistis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Nonas Januarii anno nono.

## CCXI.

ABBATI ET CONVENTUI FOSSÆ NOVÆ.

*Confirmatur sententia lata pro eis super possessione quadam contra A. Saracenum.*

(Romæ, v Idus Januarii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensum, sententiam, quam dilectus filius, R... judex Sitinus, super causa, quæ inter vos ex parte una, et Adinulfum Saracenum, et quosdam alios, super quadam possessione coram ipso vertebatur ex altera, promulgavit, sicut est justa nec legitima appellatione suspensa, et in instrumento publico confecto exinde continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patricinio communimus: cujus instrumenti tenorem de verbo ad verbum præsentibus litteris fecimus adnotari. « In nomine Domini. Amen. Quoniam, sicut juris dicta ratio, causarum merita partium assertione panduntur, idem narratione et responsione, et quia frequenter ac sæpe contingit, tum natura causæ, tum hominum malitia faciente, quod ex ipsius rei confessione de actoris intentione non constat, vel, si constet confidendo de ejus intentione, ipsam tamen exceptionis vigore refellere nititur, de qua quidem e converso actoris confessione non constat; sicque ad fidem judicii faciendam, ipsiusque causæ meritum aperiendum, testes hinc introducuntur, instrumenta in medium proferuntur, ut judex, cuncta discutiendo, ac trutinando quid cuique conveniat, condemnet, vel absolvat, prout sibi melius, secundum justitiæ meritum, quæ jus suum unicuique tribuit, visum fuerit expedire; ideo, ego Robertus Sitinus, S. R. E. judex ordinarius, cognitor causæ, quæ vertitur inter Adinulfum Saracenum, agentem nomine suo, et procuratorio nomine idem, mandato Tebaldi, Saraceni, et Transmundi, fratrum ejus, Cynthii, domini Bertraimi, Vinfridi, Coccæ et Jordani, Mariæ comitissæ, Possedutæ, Saracenæ, Mariæ Donnæ, et Agnetis, ex una parte, et Landinum, œconomum venerabilis monasterii Fossænovæ ex altara, ordinem et processum ipsius studiosius denotare curavi, quatenus ex cognito, qualiter causa ipsa, mediante justitia, personarum acceptione semota, fine valeat debito terminari, apertius, et quasi oculata possit fide videri. Petit jam dictus Adinulfus, nomine suo, et supradictorum Tebaldi et Trasmundi, fratrum ejus, Cynthii, Vinfridi, Coccæ et Jordani, Mariæ comitissæ, Possedutæ, Saracenæ, Mariæ Donnæ, et Agnetis, a Landino, œconomo venerabilis monasterii Fossænovæ, totam terram quæ clauditur cavatis, in locum uti dicitur Laurentii, sicut mihi Roberto judici ostensum fuit, cum ædificiis ibi positis arboribus fructiferis et infructiferis; possessionem illarum petit sibi restitui secundum jus et sacras constitutiones; cujus petitioni dictus Landinus, tam per se, quam per advocatum suum tale dedit responsum. Dicit enim, monasterium nullam possessionem habere infra dictos fines, quæ illis, vel alicui alii, sed soli monasterio (824*) de jure pertineat. Asserit enim, illas possessiones contineri infra possessionum illarum fines, quæ a Joanne Demetrii, urbis Romæ vestarario (825), Sanctæ Mariæ de Fossanova longissimis et antiquis temporibus donatæ fuerunt, et sic possessas esse, et a monasterio ab eo tempore, in omni pace et quiete, et ex concessionibus Romanorum pontificum, a tempore bonæ memoriæ domini Innocentii papæ secundi, qui venerabile monasterium Fossænovæ, quod Sancti Stephani dicitur, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ de Fossanova, earumque pertinentiis omnibus dederunt atque concesserunt ordini Cisterciensi, sicut ex eorum privilegiis et concessionibus ac etiam vivis se asserit testibus posse probare. Ad petitionem itaque et intentionem suam probandam atque fundandam, prædictus Adinulfus quosdam introduxit testes, quorum dicta manu propria diligenter in

(824*) Sic in Apogt. sed aliquid deesse videtur.

(825) *Vestarario. Vestararius*, idem qui *vestarius*, qui vestium vel thesauri curam habet. *Ravennæ Vestararius*, cui ejusdem civitatis claves commissæ erant, memoratur in fragmento epistolæ Joannis PP. VIII, apud Baluzium, *Miscell.* tom. I, pag. 402, col. 2. Occurrunt *vestararii* ecclesiastici, seu qui *vestiarii* ecclesiarum curam habebant, apud Ughellum, *Ital. sacr.* tom. VII, pag. 610, et alibi. Vide CANGIUM, *Glossar.* tom. VI, col. 1510.

scriptis redegi. Econtra, Landinus, œconomus venerabilis monasterii de Fossanova, ad contradicendum iis, quæ a sæpedicto Adinulfo, agente pro se et pro personis superius denominatis, sunt proposita et introducta ipsiusque intentionem extenuandam atque evacuandam, suamque exceptionem probandam et ampliandam, profert publicum instrumentum, in quo continetur, Joannem Demetri donasse longas et amplas possessiones, et quasi in umbilico continentur. Profert etiam privilegia et concessiones Romanorum pontificum, tempore divæ memoriæ domini Innocentii papæ secundi, usque ad tempora domini Innocentii papæ tertii, qui omnes, inter cætera quæ venerabili monasterio Fossænovæ concessisse videntur, specialem faciunt mentionem Sanctæ Mariæ de Fossanova, cum omnibus pertinentiis suis, facta in eis certorum finium demonstratione, infra quos et prædictæ possessiones, de quibus quæstio est, contineri satis manifeste videntur. Ostendit etiam publicum instrumentum, in quo continetur, quod Thebaldus de Stephano, ex cujus concessione prædictus Adinulfus nomine suo et prænominatorum petere, et agere videtur, renuntiavit domno Petro, reverendo abbati venerabilis monasterii de Fossanova, omne jus patronatus, si quid habuit in ecclesia Sanctæ Mariæ de Fosanova, et promisit, quod, neque ipse, neque hæredes ejus, aut submissa ab eis persona veniret contra constitutum Innocentii papæ, qui ecclesiam Sanctæ Mariæ de Fossanova submisit, et subjugavit, promissa ab eo pœna decem librarum denariorum Papien. si contra facerent; pro quo recepit certam mensuram terræ sibi, suoque tertio generi, positæ in locum ubi dicitur murus Joannis subtilis. Profert etiam et aliud instrumentum, in quo continetur, quod Transmundus Thebaldi nomine renuntiavit quidquid juris habuit in una cæsa ad Laurentios domno Crescentio, abbati venerabilis monasterii de Fossanova, posita infra præseptum Sanctæ Mariæ de Fossanova. Ad hæc, ad majorem fidem faciendam et causæ meritum dilucidandum, testes introducit, per quos non solum de tricennali seu quadragenaria præsumptione constat fore probatum, verum etiam majoris ævi. Ego itaque Robertus Sitinus, S. R. E. judex ordinarius, cognitor præsentis quæstionis, visis, auditis, et diligenter cognitis et intellectis, quæ ab utraque parte sunt proposita et introducta, cum

A non constet ex dictis testium ab actoris parte introductorum, possessiones dictarum terrarum, ab eis petitas, ad illos spectare, et ex instrumentis a Landino prolatis, testibus ab eo productis, liquido patet, illas de jure ad monasterium pertinere, absolvo prædictum Landinum œconomum venerabilis monasterii de Fossanova a petitione prædicti Adinulfi Saraceni, facta nomine suo, Thebaldi et Transmundi, fratrum ejus, Cinthii, Vinfridi, Coccæ, et Jordani, Mariæ comitissæ Possedutæ Saracenæ, Mariæ Donnæ, et Agnetis.

Datum Piperni, anno Domini 1206, indictione X, pontificatus domini Innocentii papæ III anno nono mensis Novembris die tertia.

Nulli ergo omnino hominum. . hanc paginam
B nostræ constitutionis, infringere etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Idus Januarii, anno nono.

CCXII (826).

..... SPOLETANO EPISCOPO (827).

*Quod non molestet rectores plebatus S. Fortunati.*

(Romæ, III Idus Januarii.)

[Suam ad nos *G. et A.* rectores clericorum *plebatus* Sancti Fortunati, querimoniam transmiserunt, quod, cum tibi essent in quadraginta libras per quoddam arbitrium condemnati, essetque ipsis pœna triginta librarum apposita, nisi *prætaxatas quadragintas libras tibi* (828) solverent in termino constituto, tandem triginta tribus in *ipso* termino persolutis, occasione septem residuarum librarum, *a*
C *nobis quasdam litteras veritate tacita impetrasti, quibus* (829) obtinuisti, eos in prædictis triginta libris tibi per *dilectum filium, Paulum, subdiaconum nostrum* delegatum judicem, condemnari. Quia igitur non te decet in tantum pontificalis modestiæ oblivisci, ut, inhonestis quæstibus anhelando, desideres cum aliena jactura ditari, *fraternitati tuæ per apostolica scripta* mandamus, *et districte præcipimus*, quatenus, *prædictarum* septem librarum solutione contentus, super pœna triginta librarum memoratos rectores *molestare de cætero non præsumas* (830), sicut per dilectum filium nostrum, G. Sancti Nicolai in carcere Tullian, diabonum cardinalem (831), fuit sententialiter definitum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, III Idus
D Januarii, anno nono.

(826) Epistola hæc reperitur inter Decretales, lib. v, tit. 37, *De pœnis*, cap. 9. Quæ Italico charactere distinguitur desunt in Decretalibus, vel lectionum varietatem designant.

(827) Vide epistolam libri quinti 5, not.

(828) Decretal., *ea*, loco *p. q. l. t.*, et mox omittunt vocem *ipso*.

(829) In Decretal. *per quasdam nostras litteras veritate tacita impetratas*. Pith. *in marg.* monet dictionem *nostras* deesse in plerisque antiq. codd.

(830) Decretal. legunt *de cætero non molestes*.

(831) Gerardus Gallus, monachus Cisterciensis, et abbas nonus Pontiniaci, ab Innocentio tertio, in prima cardinalium creatione, diaconorum numero est ascriptus, et ad ecclesiam Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis est renuntiatus. Claudius Robertus in Christiana, et Petrus Frizonius in Purpurata Gallia, quibus assentitur Aubery, affirmant Gerardum, diaconum cardinalem, ab Innocentio Ecclesiam Prænestinam obtinuisse; sed Ferdinandus Ughellus in serie episcoporum Prænestinorum hunc prætermittit : imo, omnes qui Innocentii ævo Ecclesiæ illi præfuerint, ordine exponendo, hunc tacet licet alium nominet sub Clemente III. Gerardus noster, cum Hugolio cardinale, Innocentii pontificis nepote, eodem suæ creationis anno,

CCXIII (832).

..... ABBATI (833), ET MONACHIS SANCTI HIPPOLYTI FAVENTN.

*Quod corpus hæretici faciant extumulare.*

(Romæ, v Idus Jannarii.)

Ex parte venerabilis fratris nostris, Faventini episcopi (834) fuit propositum nobis quod damnabilis memoriæ Otto, cujus exitus judicavit, ipsum, dum viveret, pravitatem hæreticam sapuisse, in ecclesiæ vestræ cœmeterio est sepultus, et, licet idem episcopus, de consilio dilecti filii, G. Sanctæ Mariæ in porticu diaconi cardinalis (835), apostolicæ sedis legati, et aliorum prudentum virorum, nisi exhumare corpus defuncti protinus curaretis, vestram ecclesiam supposuit interdicto, vos tamen neutrum hactenus voluisti adimplere. Quia vero impugnatores hujusmodi fidei orthodoxæ non solum exsecramur, dum vivunt, et, si possumus, cohibemus, ne possint vineam Domini demoliri, sed etiam post mortem ipsorum memoriam condemnamus, ut quos vitæ simulatio Christianæ palliata superficie occultavit, solers catholicorum indagatio persequatur, saltem ad eorum terrorem, qui morbo simili elaborant, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, ne fidelium ad filios Belial aliqua participatio possit esse, omni mora postposita, corpus ejusdem extumulare curetis, vel interdictum in monasterio vestro positum observare. Alioquin, noveritis nos dilectis filiis... Sancti Proculi, et... Sancti Stephani abbatibus Bononien. In mandatis dedisse, ut vos ad hoc auctoritate apostolica, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellere, mediante justitia, non postponant.

Datum Romæ, apud S. Petrum, v Id. Januarii, anno non.

CCXIV.

.... ARCHIEPISCOPO (836), ET.... DECANO, ET CAPITULO, MAGDEBURCENSIBUS.

*Ut O. emancipatum recipiant in canonicum.*

(Romæ, VI Idus Januarii.)

Significavit nobis dilectus filius Otto, nepos nobilis viri... ducis Poloniæ, subdiaconus noster, quod consuetudine nullus in ecclesia vestra, priusquam emancipetur, potest stallum, in choro, et locum in capitulo obtinere. Cum igitur nos ipsum in subdiaconum Ecclesiæ Romanæ duxerimus assumendum, et indecens esset, eum, tanquam non emancipatum, privari prædictis, auctoritate apostolicæ sedis duximus emancipandum eumdem. Quodcirca, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, ipsum emancipatum habentes, prædicta ei curetis hilariter assignare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sexto Idus Januarii, anno nono.

—

in quadam gravi controversia cognitor seu judex constitutus legitur: de quo præterea nil scriptum invenitur. Subscripsit Innocentii litteris, datis Ecclesiæ Lateranensi anno nostræ salutis 1199. Diem clausit extremum anno nostræ salutis 1210, Innocentio tertio Romano pontifice.

(832) Vide Raynaldum, ad annum 1203, § 3.

(833) Illi nomen erat *Petrus*:

« Anno 1207, *Petro* abbati, et monachis SS. Hippolyti et Laurentii de Faventia, præcepit Innocentius PP. III, ut hærectici cujusdam, Ottonis vocati, corpus, quod ecclesiastica sepultura donatum fuerat in eorum Ecclesia, exhumarent, et extra sanctum locum obtegi curarent. » *Monum. Faventin.* col. 465, *B.*

(834) De episcopo, qui tunc temporis Faventinas gerebat infulas, valde dissentiunt inter se historici et monumenta. Ac primum audiamus Ughellum, *Ital. Sacr.*, tom. II, col. 522.

« XXIII. Theodoricus vixit anno 1203.

« XXIV. Hubaldus, episcopus Faventinus, annum vix integrum Faventinam administravit Ecclesiam cam ad archiepiscopatum Ravennatem promotus est, post cujus translationem, cum Joannes, cathedralis canonicus, ex compromisso capituli, Joachimum, ex episcopo Lunensi canonicum regularem Sancti Fridiani Lucensis jam factum, in Faventinum præsulem elegisset, pontifex etiam enixius postulatus, hujusmodi electioni est refragatus, negans, ex Constantinopolitano concilio, illum, qui episcopalem dignitatem cum monachali, id est pœnitentiæ statu, commutasset, posse iterum reassumi ad eamdem dignitatem Quamobrem Ubaldo scripsit, videret iterum atque iterum, ut tanto oneri dignus præficeretur.

« XXV. Rotlandus igitur, translato nuper Ubaldo, tanquam dignus suffectus est cum esset Cathedralis præpositus, anno 1210. Decessit 1219. »

Hactenus Ughellus; cui si fidem adhibeamus, Ubaldum non nisi anno 1208, vel etiam anno 1209 ad sedem Faventinam evectum fuisse existimandum est; Theodoricum vero vitam usque ad annum 1208 vel 1209 produxisse: Siquidem Ubaldus, qui ei proxime successisse dicitur unum tantummodo annum Ecclesiam Faventinam administravit, Rolandus, vero, translato nuper Ubaldo, anno 1210 suffectus est. Verum, alia prorsus suppetunt monumenta Faventina, col. 464, *A.* ex Tonduccio, pag. 235.

« Anno 1205, *Ubaldus* fit episcopus in locum Teuderici, Fraseonis episcopi, qui successerat Bernardo episcopo (de quo vide epistolam libri septimi 90, not.), ad Papiensem Ecclesiam translato 1198, secundum Campium...

« Anno 1207, *Ubaldi*, episcopi Faventini, mentio fitin charta archivi archiep. Ravennæ.

« Anno 1208. Erri de Medicina epistola ad *Hubaldum*, episcopum Faventinum, continens inventarium bonorum ecclesiarum Buitæ et Pratæ. Meminit etiam Ecclesiæ S. Blasii, quam dicit de jure suo, et non de jure monasterii S. Adalberti in Pereo. Ex *Tabui. archiep. Ravennæ*, caps. *F.* 2097, tom. IV, *Ann. Cam.* in app. col. 274.

« Anno 1208. *Hubaldo*, episcopo Faventino, electo in archiepiscopum Ravennatem, scribit Innocentius PP. III, ejusque electionem approbat Kal. Junii. Ex *Arch. archiep. Ravennæ*, caps. *M.* 5611, et apud Rubeum, pag. 371.

Ecce igitur, ex istis indubitate fidei intrumentis probatur. Ubaldum tres vel etiam quatuor annos Faventinam Ecclesiam rexisse.

(835) Vide epistolam libri octavi 29, not.

(836) Vide epistolam libri noni 22, not.

CCXV (837).

..... DECANO ET CAPITULO MAGDEBURGENSIBUS.

*Quod O. nepoti ducis Poloniæ, conferant præposituram.*

(Romæ, VI Idus Januarii.)

Ad instar illius cujus funes cecidisse testatur vox prophetica in præclaris, pro modulo fragilitatis humanæ illos in ministerium ejus cujus vicem in terris, licet immeriti, gerimus, ducimus assumendos, quos credimus, et litterarum scientia, et morum honestate præclaros, ut ad dexteram sponsi assistat in vestitu deaurato, circumamicta varietate, regina, cui nascuntur pro patribus filii in principes statuendi. Sperantes igitur, quod dilectus filius, Otto, nepos nobilis viri.... ducis Poloniæ, cui et vitæ honestas et litterarum scientia suffragatur, de bono in melius proficere debeat, et Ecclesiæ Dei utiliter deservire, ipsum in subdiaconum duximus ordinandum : firmam gerentes fiduciam, quod non minus ecclesiis, in quibus obtinuerit beneficia, in ipsius persona poterit provideri, quam in ecclesiis fuerit ipsi provisum. Verum, quia bonum semiplenum videtur, quod sine adjectione relinquitur, gratiam super gratiam facere ipsi de apostolicæ sedis benignitate volentes, universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, pro reverentia apostolicæ sedis et nostra, ei præposituram ecclesiæ vestræ, quam venerabilis, frater noster..... archiepiscopus vester (838), ante promotionem suam obtinuisse dignoscitur, liberaliter conferatis, mandatum apostolicum taliter exsequentes, ut idem, qui ecclesiæ vestræ poterit existere non modicum fructuosus, ad omnium et singulorum dilectionem fortius obligetur, et nos, qui eumdem sincera diligimus in Domino charitate, tanto vobis gratiori teneamur vicissitudine respondere, quanto nos noverimus a vobis liberalius exauditos.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sexto Idus Januarii, anno nono.

CCXVI (839).

GNESNENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ut absolvat ducem Wladislaum.*

(Romæ, II Idus Januari.)

Præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, si nobilis vir.... dux Wladislaus, emollitus timore Domini, obstinantiam suam voluerit emendare, tam, ipsum, quam fautores ejus, qui pro injectione manuum in clericos violenta in canonem latæ sententiæ inciderunt, et a te demum denuntiati fuere, secundum Ecclesiæ formam absolvas, et injungas eis, quod talibus consuevit injungi.

Datum Romæ, apud sanctum Petrum, II Idus Januarii, anno nono.

(837) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 11.
(838) Vide epistolam libri noni 22, not.

CCXVII (840).

NOBILI VIRO... DUCI WLADISLAO, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Redarguitur de obstinatione sua et perpetratione malorum ; et hortatur ad recipiscendum.*

(Romæ, II Non. Januarii.)

[Interrogamus te, misericordiæ fili utinam et non iræ! quæ sit ista fiducia qua confidis, aut qua fortitudine vel consilio disponas altissimo rebellare, qui, cum, exigentibus culpis tuis, ab ipsius facie sis ejectus, consilium forte cogitas, quod non poteris stabilire, ut, ab ipso recedens, locum tibi refugii reperias præter ipsum, qui profecto, si in cœlum ascenderis, illic est, et, si etiam in infernum descenderis, ibi adest? Quæ te, fili hominis, cogitatio apprehendit, ut, prævaricationi prævaricationem apponens, damnabiliter erigere te non metuas contra Deum, quasi lutum contra figulum cogites, ac factori tuo, quod non fecerit te, insultes? Quæ te, inquam, prava seductio, dux, seduxit, ut temetipsum abigeum tibi faceres, qui aliorum ducem te debueris exhibere? Nunquid ideo ducem Dominus te constituit, ut in servitutis opprobrium ecclesiasticam deduceres libertatem ? Nunquid ideo tibi gladius est ab ipso collatus, ut acueres ipsum in viscera matris tuæ? An idicirco subdidit tibi populos, ut in suorum ministrorum excidium illorum viribus armareris ? Collige sensus tuos et cum ipsis ingredere in ipsum, quantaque sit potentia tua, subtilius intuere, metire vires, ac virtutes enumera, et vide si fortitudine tua posses Christi Ecclesiam taliter conculcare, nisi te ipse facultatum illarum copiis extulisset, sine quibus, etsi gereres forsitan in voluntate tyrannidem, nequaquam tamen haberes in te hujusmodi potestatem. Magnum te forte reputas, sed quoad vana mundi magnalia te forte reputare non debes illo potentissimo rege majorem, qui, quoniam super se Dominum non cognovit, justum judicium in bestialem eum habitum immutavit. Nec te fuerit inferior rex Israel Manasses, qui quoniam Dominicam potentiam ignoravit, Dominica potentia ipsum extremæ captivitati subjecit. Horribilis quidem est tantarum pœnarum memoria, sed, cum similis culpa similem debeat formidare vindictam, multo tibi horribilior, esse debet consideratio culpæ tuæ, qui, quasi superiorem tibi Altissimum non cognoscas, in afflictione, qua Gnesnensem Ecclesiam diceris afflixisse, te Deo Deumque tibi contrarium posuisse videris, faciensque peccati pœnam ipso peccato pejorem, dum contemnis temere disciplinam, quam pro culpa subiisti, culpabilior redderis pœna culpæ, quam fortasse fueris culpa pœnæ, quoniam et si mortaliter illa venit in ausum, ista quidem venit mortalius in contemptum. Perculerat siquidem aures nostras jam antea detestandæ crudelitatis auditus, quam in prædictam ecclesiam, et viros ecclesiasticos exercere multipliciter dicebaris, sed tandem, viro exi-

(839) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.
(840) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

miæ sanctitatis, venerabili fratre nostro... Gnesnensi archiepiscopo, ad sedem apostolicam accedente, quanquam de tribulationibus,quibus Ecclesia ipsa gemit, intelleximus multa per ipsum, a viris tamen religiosis et inclytis provinciæ circumstantis, plurima sunt nobis de ipsius oppressione suggesta. Inter quæ,super eo tibi, si tamen et ipse doleas, plurimum condolemus, quod, cum propter injectionem manuum in clericos violentiam,in quibus, ut debes, Jesum Christum non diceris revereri, prædictus archiepiscopus te denuntiaverit in canonem latæ sententiæ incidisse, ac etiam præter id censuram in te canonicam exercuerit, pro eo quod facultates universas cujusdam episcopi decedentis a te invasas restituere denegasti, tu, disciplinam ecclesiasticam vilipendens, non solum noluisti debitam super his satisfactionem impendere, verum etiam in ipsum et ecclesiam suam jugum servitutis non desinis multipliciter aggravare. Porro, cum, ex consuetudine generali provinciæ circumstantis, ad locorum episcopos spectet collatio præbendarum, tu præbendas Gnesnensis ecclesiæ vel ipse conferre moliris, vel aliquibus facis interdum pro voluntate tua per impressionem conferri. Sanctorum quoque reliquias,et ipsius ecclesiæ ornamenta,seu quemlibet thesaurum ejusdem prædecessorum tuorum, aut ducum, vel etiam aliorum fidelium sibi devotione collatum,auctoritate facis propria custodiri, nec ea sinis per eumdem archiepiscopum et capitulum,secundum consuetudinem ecclesiarum Poloniæ, procurari, non attendens, quod non solum in nova lege ad viros ecclesiasticos hujusmodi pertinere noscuntur, verum etiam in veteri per levitas præcepit Dominus vasa et ornamenta tabernaculi custodiri. Immunitates insuper Ecclesiæ non reveritus,quemdam captivum servandum in prædicta ecclesia posuisti,præcipiens circa eum per canonicos adhiberi custodiam,et de facultatibus suis eidem necessaria provideri.Clericos vero, in sacris ordinibus constitutos, in ignominiam Jesu Christi carceribus interdum et tormentis affligis,in his et aliis archiepiscopum memoratum, et ecclesiam sibi commissam tam crudeliter persequendo,ut, si etiam verbo taceat,oppressiones tuas exsilio fateatur. Quia igitur afflictionem ecclesiæ supradictæ, ac tuum quoque periculum, quod versatur in ipsa, dissimulare nec volumus, nec debemus, nobilitatem tuam monemus attentius, et hortamur, et, per salutem tam animæ tuæ quam corporis obtestantes,per Jesum Christum, in cujus nomine flectitur omne genu cœlestium,terrestrium, etetiam infernorum, districte tibi præcipimus,quatenus,te sub potenti manu ejus humilians,super iis, pro quibus censuram ecclesiasticam incurristi, redire ad mandatum Ecclesiæ non postponas, et non impediens, nec faciens impediri, quominus idem archiepiscopus, prout ad ipsum de jure pertinet, A libere conferat præbendas et personatus ecclesiæ memoratæ, ac sanctorum reliquias,ac cætera ornamenta ipsius ecclesiæ,vel thesaurum,sicut superius est expressum, per se custodiat et faciat,prout expedit, per Capitulum custodiri : prorsus ab ipsius archiepiscopi, et Ecclesiæ, seu virorum ecclesiasticorum persecutione desistat, et eos in aliquibus non offendas quin imo, prædictum archiepiscopum habens in plena reverentia et honore,te sibi super, his, imo Deo ipso,humili satisfactione concilies in quibus te constat divinam iracundiam provocasse, Speramus enim,quod,si conversus egeris pœnitentiam, et eidem archiepiscopo, tanquam patri tuo, filiali devotione studueris adhærere, sua te merita promovebunt in multis, utpote super quo, velut B credimus, ita Deo complacuit, ut pro subditorum salute non credatur ipsius precibus defuturus,qui pro tutela ecclesiasticæ libertatis suum specialiter spiritum suscitavit.Prædia quoque, vel alia, sive sint ecclesiastica,sive patrimonialia beneficia, quibus dictum archiepiscopum, vel eos, qui sibi ad defensionem Ecclesiæ astiterunt, proponeris spoliasse,cum fructibus inde perceptis eisdem restituere non postponas, et tuos nihilominus subditos ad plenariam restitutionem eorum, quæ illis sunt ablata per ipsos, tradita tibi potestate compellas. Nihilominus etiam monachos de Molchina,quos diceris expulisse, redire ad monasterium suum, et manere in eo cum debita libertate permittas. Alioquin, quantumcunque nobis molestum existat te in C aliquo molestare, quia tamen deferre Deo magis, quam homini non oportet, sententiam quam prædictus archiepiscopus tulit in te propter aliqua præmissorum,vel propter omnia,seu etiam propter singula,quæ vel hactenus in libertatem ecclesiasticam attentasti,vel,quod absit! in posterum attentaveris, in te, vel illos, qui beneficia sua de manu tua susceperint, seu te in ipsius præsumpserint persecutione fovere,rationabiliter duxerit promulgandam,firmitatem decerminus debitam obtinere, venerabilibus fratribus nostris... Pragen.... Olomucen.... Misnen.et universis Polonien. episcopis, præcipiendo mandantes,ut eam,sicut rationabiliter lata fuerit quoties ab eo fuerint requisiti, usque ad satisfactionem condignam,auctoritate nostra faciant inviolabiliter observari,singulis dominicis et festivis D diebus, pulsatis campanis, et candelis accensis solemniter innovantes eamdem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, II Nonas Januarii, anno nono.

CCXVIII (841).

UNIVERSIS POLONIENSIBUS EPISCOPIS.

*Super eodem.*

(Romæ, IV Idus Januarii.)

Perculerat siquidem aures nostras jam antea detestandæ crudelitatis auditus, quam nobilis vir...

(841) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

dux Wladislaus in Gnesnensem Ecclesiam, etc.. *in eumdem fere modum, usque in finem.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quarto Idus Januarii, anno nono.

CCXIX (842).

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS IN POLONIA CONSTITUTIS.

*Ut solvant debitum censum Romanæ Ecclesiæ.*

(Romæ, Nonis Januarii.)

[Si memoriter teneretis Ananiæ Saphiræque supplicium, qui pro culpa fraudati pretii, quod ex agris acceperant, terribili ultione puniti, ad pedes apostolorum principis repentino interitu corruerunt in solutione census, quem beato Petro debetis, fraudem vitaretis, ut credimus, adhibere. Ad nostram siquidem audientiam noveritis pervenisse, quod, cum, ex consuetudine regionis, usualis moneta per annum apud vos tertio renovetur, et quæ prius in usu fuerat, demum reddatur vilior, usu alterius succedentes, vos eidem Apostolo censum debitum illo differtis tempore persolvendum, in quo monetæ, quam solvitis, vilior usus erit. Licet ergo honorum vestrorum omnipotens non indigeat, quia tamen periculosum est vobis, quod debetis eidem, vel per fraudem imminuere, vel per ingratitudinem retinere universitatem vestram monemus, atque etiam hortamur, et per apostolica scripta præcipimus, mandantes, quatenus censum ipsum sine cujuslibet fraudis vitio, more solito porsolvatis. Alioquin, sententiam, quam venerabilis frater noster... Gnesnensis archiepiscopus, in ejusdem census vel detentores ingratos, vel temerarios fraudatores rationabiliter duxerit promulgandam, usque ad satisfactionem condignam, firmitatem decernimus debitam obtinere.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Non. Januarii, anno nono.]

CCXX (843).

UNIVERSIS DUCIBUS IN POLONIA CONSTITUTIS.

*Ut non impediant solutiones decimarum.*

(Romæ, II Non. Januarii.)

Si cuiquam ex vobis dixisset Dominus, decimæ ac primitiæ tuæ sunt, quemadmodum eas asserit suas esse, possetis forsitan ipsas earum debitoribus condonare. Cum autem aliena largiri nequaquam esse liberalitas videatur, de nobilitate vestra non possumus non mirari, quod, sicut accepimus, cum interdum vel obsequentium vobis remunerare labores, vel aliquorum devotionem vobis intenditis procurare, ipsos de facto, cum de jure minime valeatis, a solutione decimarum absolvitis, minus forsitan injuriari Deo putantes, quoniam ista sustinet, et in aperto vestram injuriam non repellit. Ne quando igitur vobis Dominus irascatur, et in toto vestro vos puniat, qui suam temere particulam contrectatis, universitatem vestram monemus attentius, et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatenus a temeritate hujusmodi de cætero desistentes, non impediatis, nec faciatis aliquatenus impediri, quominus decimæ suis ecclesiis cum integritate debita persolvantur. Alioquin, sententiam, quam venerabilis frater noster.... Gnesnensis archiepiscopus, in vos, seu detentores earum, rationabiliter duxerit proferendam, usque ad satisfactionem condignam, etc , *ut in alia.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXI.

....DUCIS, ET ALIORUM NOBILIUM POLONIÆ. CAPELLANIS.

*Ut solvant cathedratica.*

(Romæ, II Non Januarii)

Cum, ex eo quod sæcularibus dominis deservitis, prælatis ecclesiasticis debitam subtrahere vos non deceat reverentiam et honorem, præsentium vobis auctoritate mandamus, et districte præcipimus, quatenus archidiaconos vestros, cum parochiam visitando, ad loca vestra pervenerint, honeste recipere studeatis, et, procurationem eis debitam exhibentes, cathedratica, quæ debentur archiepiscopo vel episcopis, cum integritate debita persolvatis. Alioquin, sententiam, quam venerabilis frater noster... Gnesnensis archiepiscopus, in vos propter hoc rationabiliter duxerit promulgandum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXII. (844.)

UNIVERSIS CLERICIS ECCLESIASTICA BENEFICIA IN POLONIA OBTINENTIBUS.

*Ut archiepiscopo Gnesnensi unanimiter assistent.*

(Romæ, II Non. Januarii.)

Cum turpis sit omnis pars, quæ suo non congruat universo, præsentium vobis auctoritate mandamus, et districte præcipimus, quatenus venerabili fratri nostro... Gnesnensi archiepiscopo, qui pro vestra et Ecclesiæ libertate laborat, unanimiter assistatis, eique, sicut charissimi filii, pio patri taliter adhærere curetis, quod, universitatis vestræ suffultus auxiliis, cum adjutorio Dei efficaciter possit occurrere imminentibus Ecclesiæ detrimentis. Nos enim eidem dedimus in mandatis, ut quicunque vestrum secus præsumeret attentare, per suspensionem officii beneficiique subtractionem ipsum ad id compellere non postponat.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXIII (845).

UNIVERSIS DUCIBUS IN POLONIA CONSTITUTIS.

(Romæ, II Non. Januarii.)

Quoniam in Poloniæ partibus aliquorum, ut accepimus, insolentia nimis in libertatem ecclesiasticam debacchatur, qui, sibi electiones præsulum usurpantes, per clericos, ad quos pertinent, non sinunt

(842) Epistolam hanc vulgavit Raynaldus, ad annum 1207, §. 15. Ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(843) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 15.
(844) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.
(845) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

eas canonice celebrari, universitatem vestram moA nemus attentius, et hortamur, per apostolica scripta sub interminatione anathematis inhibentes, ne in electionibus ipsis quidquam vobis usurpare tentetis indebitæ potestatis, sed potius permittatis, easdem a canonicis, sive clericis, ad quos spectant, tam canonice quam libere celebrari, quoslibet vestræ jurisdictioni subjectos, qui contra inhibitionem apostolicam quidquam temere præsumpserint attentare, a temeritate sua potestate vobis tradita compescentes.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXIV.

CAPITULO LANCICIENSIS ECCLESIÆ.

*Confirmat eis, prout possident, quamdam præbendam.* B

(Apud S. Petrum II Non. Januarii.)

Justis petentium, etc., *usque* assensum, præbendam, quam nobilis vir, Martinus, ex suis redditibus ecclesiæ vestræ fecit, quam etiam venerabilis frater noster... Gnesnensis archiepiscopus, cum capituli cui consensu, collatis decimis ampliavit, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis, et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXV.

EIDEM.

*Simile de cantoria.*

(Apud S. Petrum, II Non. Januarii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensum, cantoriam, C in ecclesia vestra per venerabilem fratrem nostrum, Gnesnensem archiepiscopum, de capituli sui consensu, et claræ memoriæ Mesconis, ducis Gnesnensis, favore provide constitutam, vobis, et per vos ecclesiæ vestræ, etc., *ut in alia.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXVI.

CANTORI GNESNENSIS ECCLESIÆ.

*Simile de capella.*

(Apud S. Petrum, II Non. Januarii.)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* assensu; capellam, quam bonæ memoriæ dux Mesco cantoriæ Gnesnensis ecclesiæ, cujus honore fungeris, provida pietate concessit, cum decimis a venerabili fratre D nostro..... Gnesnensi archiepiscopo eidem cantoriæ concessis, sicut eam juste possides et quiete, tibi, ac eidem ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

—

CCXXVII (846).

..... GNESNENSI ARCHIEPISCOPO.

*Facit ei potestatem canonicam censuram in ducem Wladislaum ac fautores ipsius, nisi resipiscat, exercendi.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Januarii.)

Cum tua pro te loquantur opera testimonium, quod promptam geris in lege Domini voluntatem, ut libertatem ecclesiasticam, pro qua specialiter inter circumpositos tibi præsules Deus creditur tuum spiritum suscitasse, plenius possis, ipso adjuvante, defendere, specialem auctoritatem a nobis dignum duximus te habere. De tua igitur providentia plenam fiduciam obtinentes, auctoritate tibi præsentium conferimus potestatem, ut, nisi nobilis vir... dux Wladislaus, affectu per te paterno commonitus, ab ecclesiæ tuæ persecutione cessaverit, et libere te permiserit pontificale in ipsam et ejus subditos officium exercere, tam in eum quam universos fautores ejus, et illos etiam, qui ecclesiæ tuæ immunitates, præsertim de quibus est apostolico privilegio communita, temere præsumpserint violare, canonicam tibi liceat, prævia ratione, censuram ac sententiam, quam protuleris in hujusmodi, per quoslibet Poloniensium ecclesiarum episcopos et prælatos facias, si necesse fuerit, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, contemptores, appellatione postposita, ecclesiastica districtione cogendo. Præterea, cum nonnullæ præbendæ ac personatus, in præjudicium tuum, seu prædecessorum tuorum, a memorato duce dicantur, ac etiam ejus patre, contra canonum instituta collati, per præsentia tibi scripta concedimus, ut collationem eorum, seu etiam alienationem quorumcunque bonorum, in ecclesiæ memoratæ jacturam absque consensu capituli tui factam, tibi liceat legitime revocare, contradictores, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam compescendo. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quarto Idus Januarii, anno nono.

CCXXVIII (847).

UNIVERSIS EPISCOPIS IN POLONIA CONSTITUTIS.

*Ut sententiam latam contra episcopum Posnaniensem faciant observari.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Januarii.)

Ad confusionem... Posnaniensis episcopi, non potest in memoriam redire, quod unus ex duodecim Christum tradidit, et in angelis suis reperit Altissimus pravitatem. Cum enim vir eximiæ sanctitatis, venerabilis frater noster... Gnesnensis archiepiscopus, contra filios hujus sæculi pro ecclesiæ securaverit opponere libertate, nominatum episcopum, quem speravit inter filios lucis sibi fideliter adhærere, Christi reperit in ipsius Ecclesia proditorem. In quem demum cum antedictus archiepiscopus, exigentibus culpis suis, rationabiliter protulerit sen-

(846) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

(847) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

tentiam interdicti, ac ille, ipsius sententia vilipensa, coram Ecclesiæ persecutore præcipuo, excommunicato nominatim ab ipso, divina celebrare officia præsumpsisset, propter quod vinculo fuit excommunicationis astrictus, licet postmodum, pœnitudine simulata, sicut constitit ex postfacto, fuerit absolutus, denuo tamen et in culpam est relapsus eamdem et in pristinam sententiam revocatus. Nos igitur, attendentes, quod prædictus episcopus tanto fortius nervo debet ecclesiasticæ disciplinæ constringi, quanto innocentiæ lora, quæ in aliis debuerat moderari, damnabilius in se ipso laxavit, universitati vestræ mandamus, et districte præcipimus, quatenus sententiam ipsam, et illam, quam idem archiepiscopus in canonicos et alios clericos propter excessum similem simili ultione rationabiliter promulgavit, usque ad satisfactionem condignam, etc., *ut supra*.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quarto Idus Januarii, anno nono.

CCXXIX (848).

..... DUCI CRACOVIENSI.

*Recipitur sub protectione.*

(Apud S. Petrum, II Non. Januarii.)

Sacrosancta Romana Ecclesia, etc. [Eapropter, dilecte in Domino fili, sinceritatem devotionis ac fidei, quam erga nos et Romanam Ecclesiam habere dignosceris attendentes, personam tuam, cum ducatu Cracoviensi, et omnibus bonis tuis, quæ juste possides et quiete, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti... auctoritate præsentium districtius inhibentes, ne quis te super eis præsumat indebite molestare. Nulli ergo... nostræ protectionis et inhibitionis, etc. Si quis, etc. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.]

CCXXX (849).

..... ARCHIEPISCOPO GNENENSI.

*Ut laicos spoliantes clericos compescat.*

(Apud S. Petrum, II Nonas Januarii.)

Inter cæteros molestiarum angores, quas in Poloniæ partibus Christi dicitur Ecclesia sustinere, plerique laici viros ecclesiasticos mobilibus et immobilibus rebus, quæ ipsos patrimoniorum ratione contingunt, prætermisso juris ordine, non metuunt spoliare. Quia igitur in clericorum oppressionibus laicorum est insolentiæ resistendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi præsumptores, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, per districtionem ecclesiasticam a sua temeritate compescas. Præterea, cum populus gentium, licet in tenebris ambularet, sacerdotes suos et levitas in tantum duxerit honorandos, ut Pharao, rex Ægypti, cæteris servituti subactis, eos non solum in pristina servaverit libertate, sed etiam alimoniam ipsis de publico ministraverit; principes sæculares, qui clericos in Polonia constitutos taliis et aliis exactionibus inquietant, ut ab hujusmodi præsumptione desistant, prudenter moneas et diligenter inducas et, si necesse fuerit, canonica censura compellas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Nonas Januarii, anno nono.

CCXXXI.

EPISCOPO POMERANIÆ.

*Ut obediat archiepiscopo Gnesnensi.*

(Apud S. Petrum, Nonis Januarii.)

Venerabilis frater noster... Gnesnensis archiepiscopus, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod tu debitam ei obedientiam exhibere recusas. Quia igitur pati nec volumus, nec debemus, ut dignitas ejusdem archiepiscopi per quemquam temere minuatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus obedientiam et reverentiam debitam ei impendere non postponas.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Januarii, anno nono.

CCXXXII.

UNIVERSIS EPISCOPIS IN POLONIA CONSTITUTIS.

*Ut subveniant dicto archiepiscopo.*

(Apud S. Petrum, Nonis Januarii.)

Cum nemo vestrum mercenario suo retributionem posset debitam denegare, profecto de retributione venerabilis fratris nostri... Gnesnensis archiepiscopi, qui non solum ob vestram quietem, sed etiam ob generalem Ecclesiarum Poloniensium libertatem, in multis anxietatibus et periculis laboravit hactenus, et laborat, religiosa vos convenit sollicitudine cogitare. Hinc est igitur, quod universitatem vestram monemus attentius, et hortamur, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus, attendentes, quod in exsilio, quod pro communi Ecclesiarum vestrarum libertate subivit, multiplicibus est gravatus expensis, quas utique non ex Ecclesiæ propriæ facultatibus, sed ex patrimonialibus bonis, mutuoque susceptis, dignoscitur *perfecisse* (850), ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram, taliter ei subvenire procuretis in ipsis, quod in certamine, quod certavit ac certat, vestris possit et militare subsidiis et meritis triumphare.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Januarii, anno nono.

CCXXXIII.

CAPITULO LANCICIENSIS ECCLESIÆ.

*Confirmantur possessiones et bona prout juste tenent.*

(Apud S. Petrum, VII Idus Januarii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Sanctuarios (851), cum villis eorum, quos venerabilis frater noster... Gnesnensis archiepiscopus, de consensu Mesconis et Corradi ducum, canonicorumque suorum, ecclesiæ vestræ provida pietate concessit,

(848) Epistolam hanc exhibet Raynaldus, ad annum 1207, § 14.

(849) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

(850) Forte, *pertulisse*.

(851) *Sanctuarios*, id est *homines ecclesiarum Tenentes*. Vide CANG. *Glossar.* tom. VI, col. 121.

A quorum videlicet hæc sunt nomina;Ozris,cum filio Botcheli, Sara, Dalevo, Pirvos, Vogien, Cropidlo, Rosnat Chotemir, Golei, Targosa, Nedelis, Vencec, et Pet. filiis suis, Vogen, Borecli, Brubno, Zelivy, Zetlic, Zlella, Rac, Cantro cum. Rados filio,Sotlec, cum Nicolao et Pet. filiis suis, Martin, cum Nezırl fratre suo,Vilcost cum Milostrig, filio suo, Neratde cum Gozeslaus, filio suo,Clivis. Nezbil, Zirac,Dommac, et Cotebic nepotes ipsorum, sicut eos juste ac pacifice possidetis, vobis, et per vos Lanciciensi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, septimo Idus Januarii, anno nono.

## CCXXXIV (852).

.....POLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Quod beneficia ecclesiæ suæ non possint conferri per sæculares.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Januarii.)

Ideo sumus ad apicem summi pontificatus, Domino disponenle, vocati, ut, nostræ sollicitudinis studio, quæ in ecclesiis Dei fuerint emendanda, in melius reformentur, et quod in eis contra statuta canonum attentatur, falce moderaminis apostolici debeat resecari. Eapropter, venerabilis in Christo frater, ut in ecclesia tibi commissa,quæ recta sunt liberius valeant adimpleri, ad exemplar felicis recordationis Cœlestini papæ, prædecessoris nostri, præsentium auctoritate districtius inhibemus,ne in ipsa ecclesia,vel in aliis episcopalibus ecclesiis tuæ jurisdictioni commissis,per sæcularem potestatem beneficia ecclesiastica de cætero conferantur, cum talis collatio manifeste sacris obviet institutis.Nulli ergo . . . . . nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ,apud Sanctum Petrum,quarto Idus Jannuarii, anno nono.

## CCXXXV (853)

.......GNESNENSI ARCHIEPISCOPO, ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*Ut publice uxoratos non admittant ad ecclesiasticas dignitates.*

(Apud S. Petrum, VI Idus Januarii).

[Cum decorem domus Domini (854),] et locum tabernaculi gloriæ suæ diligere vos oporteat,accurata vobis est sollicitudine præcavendum, ne in commissis vobis ecclesiis illa temere præsumantur, quæ vel in eis lampadem religionis exstinguere,vel munditiam videantur ministrorum Domini maculare Ad nostram siquidem noveritis audientiam pervenisse,quod quidam in vestris diœcesibus constituti, publice cum mulieribus contrahentes,ecclesiasticas B non verentur suscipere dignitates, et nonullarum ecclesiarum canonici, quorum lumbos, juxta verbum evangelicæ veritatis, deceret esse præcinctos, ac in eorum manibus lucernas bonæ operationis ardere, usque adeo luxuriæ sordibus putruerunt, quod nec etiam ignominiam suam velint turpitudinemque velare,quin imo filios, ex infami generatione susceptos, ad ministerium altaris,quo se reddunt indignos, indignus secum trahunt, ac si non satis in opprobrium ordinis clericalis eorum incontinentia foret cognita, nisi natorum, in publicum deductorum, loquentiumque testimonium contra ipsos,esset ostensione sedula comprobata.Cumque in ecclesiis,in quibus hujusmodi clerici locum habent, multa enormiter attententur, dum in eisdem fermentata patrum et filiorum, nepotum etiam, et C affinium parentela inordinate ministrat, quia videlicet, amore prædominante carnali, reverentia spiritualis tepuit inter ipsos, unde nequaquam unus quodlibet facere propter alium prætermittit per insolentiam eorumdem (855), interdum ludi fiunt in *eisdem* (856) ecclesiis theatrales (857), et non solum ad ludibriorum spectacula introducuntur

(852) Vide Raynaldum, ad annum 1207, 12.

(853) Diversa epistolæ hujus fragmenta reperiuntur in Decretalibus, 1° lib. I, tit. *De filiis presbyterorum ordinandis, vel non*, cap. 15; 2° lib. III, tit.. 1, *De vita et honestate clericum*, cap. 12. Quæ utrobique leguntur, hic uncis inclusa sunt; variæ etiam lectiones ad marginem appositæ.Eamdem epistolam laudat Raynaldus, ad annum 120, § 13.

(854) In Decretal. *Dei*.

(855) Vide Decret. lib. III, tit. 1, *De vitat et honestate clericorum* cap. 12.

(856) Decretal . legunt *aliquibus* et omittunt verba *trib. anni* et infra *quæ... sequuntur*.

(857) His temporibus ludi theatrales solebant fieri in in Ecclesiis et ad ludibrium introducebantur monstra larvarum; verum etiam nonnullis in festivitatibus clerici insaniæ suæ ludibria exercebant, id est personati seu larvati procedebant in ecclesia; quæ consuetudo, seu potius corruptela, damnatur *hic*,ne per hujusmodi turpitudinem Ecclesiæ coinquinetur honestas. Eadem consuetudo jam olim irrepserat in Ecclesia Constantinopolitana, ut clerici larvati luderent in Ecclesia in die Natalis Christi, et Luminarium, amictu monachorum, vel militum, vel variorum animalium specie : quam consuetudinem notat Balsamo in can., 57 synod. VI in Trullo: Ἀλλὰ καὶ τινὲς κληρικοὶ κατὰ τίνας ἑορτὰς, πρὸς διάφορα μετασχηματίζονται προσωπεῖα, καί ποτε μὲν ξιφήρεις ἐν τῷ μεσονάῳ τῆς ἐκκλησίας μετὰ στρατιωτικῶν ἀμφιων ἐισέρχονται· ποτὲ δὲ καὶ ὡς μοναχοὶ προδεύουσιν, ἢ καὶ ὡς ζῶα τετράποδα. *Sed et quidem clerici in quibusdam festivis varias personas suscipiunt et effingunt , et aliquando quidem ense cincti, cum militaribus vestibus in ecclesiæ meditullium ingrediuntur ; aliquando vero, ut monachi, progrediuntur, et ut quadrupedia animalia.* Eamdem D labem Ecclesiæ variis conciliis insectati sunt Latini, et hoc est quod dicitur verola vel cervolo ludere. Synod. Altissiodor. can. 1. *Non licet Kalendis Januariis verola aut cervolo facere, vel strenas diabolicas observare, vel urso ludere*. Conc. Nannetens. *Nullus presbyterorum, aut turpia joca, vel urso, vel tornatricibus ante se fieri patiatur* Can. *Nullus* 44 *dist.*;can.*Nullus*,De conseecr.,dist.5.Vetantur etiam clerici turpes ludos urso vel tornatricibus facere,id est torneamenta,seu ludos equestres et hastiludia, quæ vulgo torneamenta, a Latino barbaro *tornare*, quo usus est ipse Augustin. lib. I contra litteras Petiliani, cap. 89 : *Non solum fustes tornare, sed etiam ferrum librare, et fundas circumagere didicerunt*. Ejusdem ætatis probrum fuit,quod in diebus solemnibus Paschæ et Pentecostes solebat una e meretriculis clericorum reginæ creari,quæ,purpura

in eas monstra larvarum, verum etiam in *tribus anni festivitatibus, quæ continue Natalem Christi sequuntur* diaconi, presbyteri, ac subdiaconi, *vicissim*(858) insaniæ suæ ludibria *exercentes*, per gesticulationum suarum debacchationes obscenas, in conspectu populi, decus faciunt clericale vilescere, quem potius illo tempore verbi Dei deberet prædicatione mulcere. (859). *Quia igitur, ex officio nobis injuncto, zelus domus Dei nos comedit, et opprobria exprobrantium ei supea nos cadere dignoscuntur*, [fraternitati vestræ *per apostolica scripta* (860) mandamus (861),] quatenus, ne per hujusmodi turpitudinem Ecclesiæ inquinetur honestas, eos, qui sunt publice uxorati, non admittatis de cætero ad ecclesiasticas dignitates, et admissos repellatis ab eis, quas non possunt sine pravo exemplo et gravi scandalo retinere (862). filiis *quoque* (863) canonicorum præbendas in eisdem conferri ecclesiis non sinatis, *quarum* (864) sunt canonici patres eorum, cum, indecorum sit, ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo unigenitus Filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur (865), (866) prælibatam *vero* ludibriorum consuetudinem, vel potius corruptelam, curetis ab ecclesiis vestris *taliter* extirpare,] quod vos divini cultus et sacri comprobetis ordinis zelatores.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Idus Januarii, anno nono.

## CCXXXVI (867).

NOBILIBUS VIRIS, DUCIBUS IN POLONIA CONSTITUTIS.

*Ut desistant ab occupatione facultatum ecclesiarum vacantium.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Januarii).

Si, quæcunque super terram habetis, ab eo, qui habitat in cœlis, recognoscitis vos habere, satis quidem reputare debetis indignum, ut per potentiam, quam accepistis ab ipso, in ministris suis injuriam inferatis eidem. Accepimus sane, quod, cum aliquos provinciæ vestræ præsules a præsentis sæculo migrare contingit, vos, qui, sicut eorum præcipui filii, viduatas deberetis ecclesias colorem super super ipsarum dolorem apponitis, facultates antistitum decedentium invadendo, quæ potius eorum debuerant successoribus conservari. Quia igitur, etsi semper ecclesiis oporteat vos deferre, præsertim tamen viduitatis tempore vos eas convenit revereri, universitatem vestram monemus et exhortamur attentius ac per eum, qui, pro nostris iniquitatibus cruce pendens, Ecclesiæ suæ privilegium libertatis proprii sanguinis aspersione conscripsit, obtestandos vos duximus et rogandos, quatenus, ecclesias, in vestris finibus constitutas, debita permittentes libertate gaudere, in pastorum decedentium mobiles ac immobiles facultates nullius æstibus avaritiæ anheletis, sed eas potius ut est justum, per locorum capitula libere conservari sinati, substituendis canonice pontificibus resignandas. Alioquin, quantumcunque, etc., *sicut in aliis.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Januarii, anno nonno.

## CCXXXVII.

.....PRÆPOSITO ET CAPITULO DE HARLEBECHE.

*Ut P. clericum recipiant in canonicum.*

(Apud S. Petrum, IV Idus Januarii.)

Cum diligenter attendere vos oporteat, quod gratiam, quam a Christi Ecclesia recepistis, aliis non deceat vos negare, ad impendendum illi fraternitatis vestræ favorem, quam vobis apostolici patrocinii pietas repræsentat, difficiles vos ostendere non debetis, sed tanto liberalius eum in gratiam vestræ communionis admittere, quanto consideratio vestræ conditionis, qui, quod gratis accepistis, gratis dare tenemini, vos ad id debet efficacius provocare. Accedens siquidem ad præsentiam nostram, dilectus filius, magister P. de Sancto Venantio, nobis humiliter supplicavit, ut, qui de provisione pauperum clericorum cogitare tenemur, pietatis oculos aperire dignaremur in ipsum, et, post labores diutinos liberalium studiorum, quibus diutius insudavit, quietem in ecclesia vestra sibi paterna sollicitudine procurare. Nos igitur, attendentes, eumdem magistrum, de cujus moribus et scientia laudabile testimonium perhibetur a multis, non deceret rogare, potius quam rogari, ut vobis ad ecclesiæ vestræ ministerium aggregetur, cui per ea, quæ sibi dicuntur merita suffragari, poterit, dante Deo, multipliciter existere fructuosus, universitatem vestram rogamus attentius et hortamur, per apostolica

amicta, et corona redimita in sublimi solio collocabatur, et circum quam non sine idololatria per totum diem choreæ ducebantur. Ægid. Aureævallis, de gest. Leodiens, cap. 40. *Sacerdotes quippe, cæteræque ecclesiasticæ personæ, cum universo populo, in solemnitatibus Paschæ et Pentecostes, cum sanctam devotius aliis diebus ecclesiam frequentare, et Deo servire tenerentur, aliquam ex concubinis sacerdotum, purpuratam ac diademate reditentem, in eminentiori solio constitutam et cortinis velatam, reginam creabant, et coram ea assistentes in choreis, typanis, et aliis musicalibus instrumentis tota die psallebant, et quasi idolotræ effecti ipsam tanquam idolum colebant.* Ait *monstra lavarum*, Nannetense conc. locis modo laudatis, *larvas dæmonum.* Addit Burchard. lib II, cap 161, *quas vulgo* talamas *dicunt*, nostri *masques* Non prohibentur autem clerici pia spectacula edere, veluti Nativitatis Christi, adorationis magorum, infanticidii Herodiani et passionis Christi quia hæc magis prosunt ad pietatem excitandam, quam ad voluptatem, ut ait Gloss. hoc loco, quam sequuntur interpretes passim.

(858) Omittunt Decretal. et mox *exercere præsumunt* legunt pro *exercentes.*

(859) Quæ sunt hic Italico charactere distincta, in Decretalib. desunt; verum, leguntur apud Pith. *in add.*

(860) In Decretal. desunt.

(861) Huc usque in Decretal. li. III, tit. 1, cap. 12.

(862) Decretal. om.

(863) Vide Decretal. lib. I, tit. 17, cap. 15.

(864) Al. legi *quorum*, monet Pith. in marg.

(865) Huc usque in Decretalib. lib. I, tit. 17, cap. 15.

(866) Rursus ibid. lib. III, tit. 1, cap. 12. Infra Decretal. om. *vero* et mox *taliter.*

(867) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 12.

scripta mandantes, quatenus, ipsum ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram, in fratrem, et canonicum admittentes, fraterna charitate tractetis; mandatum apostolicum taliter impleturi, quod Deo gratum, et nobis esse possit acceptum, ac idem magister tanto demum vobis et ecclesiæ vestræ devotior teneatur existere, quanto per vos in ea, post sudores scholaris militiæ, se gaudebit quietis gratiam liberalis invenisse.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Idus Januarii, anno nono.

CCXXXVIII (868).

..... GNESNENSI ARCHIEPISCOPO.

*Si possit ferre signum crucis per provinciam suam.*

(Apud S. Petrum, II Idus Januarii.)

[Quoniam non ignoras, quod in cruce Domini nostri Jesu Christi te oporteat gloriari, pie desideras salutare crucis ejus vexillum de conniventia nostra tuæ venerationi permittere, cujus mortificationem jugiter in tuo corpore crederis pro divini nominis amore portare. Nos igitur, attendentes, quod nequaquam tibi sint armaturæ cœlestis insignia deneganda qui contra fortem armatum in mundi atrio, suffultus auxilio fortioris, certamine incessante, laboras per arma justitiæ triumphare, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut salvificæ crucis signum per tuam provinciam ante te facias bajulari, nisi cum apostolicæ sedis legatus in Polonia fuerit constitutus, ut in hoc ei deferas, tanquam a nostro latere destinato. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, secundo Idus Januarii, anno no.]

CCXXXIX (869).

EIDEM.

*Ut cogat canonicos S. Alberti et S. Petri ad solutionem census.*

CCXL.

..... PRIORI ET FRATRIBUS DE KENING.

*Recipiuntur sub protectione beati Petri.*

(Apud S. Petrum, XVII Kal. Februarii.)

Congruam officii nostri actionem prosequimur, cum viros religiosos charitate debita confovemus, eorumque votis et desideriis benigno favore annuimus, et, ne indebitis agitentur molestiis, ipsis apostolicæ sedis defensionis subsidium impertimur. Eapropter religionis et honestatis vestræ fervorem, fideique constantiam, qua beato Petro et nobis firmitate immobili adhæretis, studiosius attendentes,

A ad exemplar felicis memoriæ Alexandri papæ, prædecessoris nostri, ecclesiam vestram, cum omnibus, quæ impræsentiarum legitime possidet, aut in futurum justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut nec episcopo vestro, nec ejus officialibus liceat, vobis vel ecclesiis vestris indebitas exactiones imponere, sive injustis gravaminibus vos ulterius fatigare. In parochialibus autem ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis clericos eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut illi de spiritualibus vobis autem de temporalibus debeant respondere. Præterea, de Salford, de Ezendum, de
B Brailes, de Wellesburn, de Herburgbir, et de Stanleia ecclesias, refectioni pauperum et susceptioni hospitum, ex indulgentia dicti prædecessoris nostri, communi assensu omnium vestrum, et rationabili providentia deputatas, auctoritate vobis apostolica confirmamus, ita, quod nulli liceat easdem ecclesias ab usu et utilitate pauperum et hospitum temeritate qualibet removere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, concessionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XVII Kal. Februarii, anno nono.

CCXLI (870).

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI.

C *Quod si contingat eum præmori, successor ipsius teneantur ad debita sua.*

CCXLII.

GARINO (871) ABBATI, ET MONACHIS MONASTERII SANCTI APRI TULLENSIS, TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS, IN PERPETUUM.

*Recipiuntur sub protectione B. Petri.*

(Apud S. Petrum, III Idus Januarii.)

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudaliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædictum monasterium Sancti Apri, in quo divino estis obsequio mancipati, snb beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio commu-
D nimus; in primis siquidem statuentes, ut ordo mo-

(868) Epistolam hanc exhibit Raynaldus, ad annum 1207, § 13, ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(869) Epistolæ hujus Apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus' Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 15.

(870) Epistolæ hujus apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit; ideoque argumentum hic tantummodo exhibere possumus. Vide Raynaldum ad annum 1207, § 12. «Cum ingens vero archiepiscopus (Gnesnensis) pro tuenda Ecclesiæ suæ libertate æs alienum contraxisset, ne illius dissolvendi sollicitudo optimi præsulis animum turbaret, rogatus pontifex tribuit, ut, si ante solutionem integram extremum diem obire contingeret, successor persolvendi debiti onere obstrictus teneretur. »

)871) Garinus, seu Warinus, vel Warnerius, S. Apri Tullensis abbas, memoratur in chartis, ab anno 1595, usque ad annum 1227, quo fundavit prioratum S. Georgii. Factus postea, anno 1228, Tullensis episcopus, non ita multo post ad monasterium redeundi captus desiderio, canonicos exoravit ut suam haberent ratam abdicationem; quo obtento mortuus est 11 Maii 1230, *Gall. Christ.* tom. XIII, col. 1013 et 1079.

nasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus vocabulis experimenda: Locum ipsum, in quo prædictum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; vicum Sancti Apri cum proprio banno, vineis, pratis, terris, silvis, farinariis et servitoribus, ac cæteris appendiciis suis; vineas, in Baromonte et in Barian et in Valleris constitutas; quidquid habetis in Bruriaco et in Saponariis; villam, quæ dicitur Videliac., cum banno et appendiciis suis; Alannum, cum ecclesia, banno et appendiciis suis; Silvinicurtem, cum ecclesia, banno et appendiciis suis; villam Stephani, cum ecclesia, banno et appendiciis suis; Molonis villam, cum ecclesia, banno et appendiciis suis; Sensurias, cum ecclesia, banno, et appendiciis suis; capellam de Bulenevilla; decimas Waldonis curtis, pertinentes ad matricem ecclesiam de Sansures; Martiniac. cum ecclesia; quidquid possidetis in Domno-Bricio; ecclesiam de Hermeto, cum appendiciis suis; quidquid habetis in Adholenis villa; ecclesiam Sancti Germani, cum capella et omnibus appendiciis suis, et quidquid allodii habetis ibidem; Vallerium, cum banno et appendiciis suis: quidquid habetis apud Pont et apud Fens, et apud Roserias; ecclesiam de Vallibus, et quidquid habetis ibidem; medietatem banni do Astons, et quidquid habetis ibidem; Magnonicurtem, cum ecclesia banno, et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Blandenaco, cum capella, et quidquid habetis ibidem; possessiones, quas habetis in Regerengis, in Mandria, in Clusereia, et in Artengys, quidquid habetis in Fontonisvilla, tam in ecclesia quam aliis quæ possidetis ibidem; Columbarium, cum ecclesia, banno et omnibus pertinentiis suis; capellam de Hosgerio; capellam de Girminei et alia quæ possidetis ibidem; capellam de Angisvilla et quidquid habetis ibidem; capellam de Condrecort, cum omnibus pertinentiis suis; cellam de Castineio, cum omnibus pertinentiis suis; cellam de Beaniville, cum omnibus appendiciis suis; cellam de Landecort, eum omnibus appendiciis suis; cellam de Darrileio, cum omnibus appendiciis suis, et tertiam partem decimarum de Vitel, quam acquisistis a Gerardo, præposito de Dawileio; decimas, in eleemosynam eidem cellæ concessas a Caufrido, domino de Dawileio, quas habebat in Frana et in Franel; Giberti curtem, cum molendino et omnibus appendiciis suis; medietatem campi Spinalis, cum hominibus, terris, memoribus et pratis; vineas et redditus, quas habetis apud Lai; vineas et possessiones, quas in Luccio habetis; quidquid habetis in Masnilo; illud quod habetis in molendino de Longort, cum portione illa quam emistis a Malvisin; illud quod habetis a Wacon, et quidquid Erardus, dominus de Sorceio, in eadem villa juris habebat; molendtnum de Sauz et Aragia quh idem Erardus habebat in Malvege, et vobis pro multarum injuriarum recompensatione in eleemosynam est largitus, et quidquid prius habebatis in villa prædicta, cum hominibus, terris, memoribus atque pratis; molendinum super Mosellam, a Roselina et T. filio suo in eleemosynam vobis datum; ex dono magistri Matthæi, molendinum in villa Stephani; sex solidos annui redditus pro vinea, quam habetis in territorio de Firkes; quidquid habetis ex dono Galteri, militis de Vodio, in Anblenivilla, in decimis, terris, nemoribus atque pratis; quidquid habetis in ecclesia Sancti Christophori ab antiquo; terram, quam Carolus miles apud Melonisvillam, laude et assensu.... Tollensis episcopi, et Tirrici, domini de Novovillari, in eleemosynam ecclesiæ vestræ dedit, et nemus, quod Fosnor appellatur, ex dono Galteri, militis de Vodio. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis) suppressa voce divina officia celebrare. Prohibemus insuper, ut nullus infra fines parochiæ vestræ, sine assensu diœcesani episcopi, et vestro, capellam sive oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati, vel forte nominatim sint interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnimodo hominum liceat, prædictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se, etc. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, etc., *usque in finem.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis, Sanctæ Mariæ in Cosmedin. diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellari, tertio Idus Januarii, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1206 pontificatus vero domni Innocentii papæ III anno nono.

—

CCXLIII (872).

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO (873).

*Confirmatur sententia lata contra Venetos intrantes Ecclesiam suam violenter propter iconam capiendam.*

(Apud S. Petrum, Idibus Januarii.)

[Ex tenore litterarum tuarum nostris fuit auribus intimatum, quod cum charissimus in Christo filius, H. Constantinopolitanus imperator illustris, quamdam inconam, in qua beatus Lucas evangelista imaginem beatæ Virginis propriis manibus dicitur depinxisse, quam ob ipsius Virginis reverentiam tota Græcia veneratur, et quasdam reliquias, quæ erant in capella majoris Palatii, ponendas in ecclesia Sanctæ Sophiæ tibi duxerint conferendas, Venetorum potestates, cum ipsis Venetis ad tuam accedens præsentiam, ipsam inconam a te cum instantia postulavit asserens, eam sibi a præfato imperatore fuisse promissam. Tu vero, cum cognosceres eos in illa nihil juris habere, ipsius petitioni acquiescere noluisti; sed, cum ille diutius institisset, tale ipsi dedisti responsum, quod illam ei nec dabas, nec conferebas, ironice addens, quod ipsam acciperet, si tunc eam posset in ecclesia reperire. Clausa quippe erat ecclesia, et præfata incona in ea non erat, sed in sacrario sub sera triplici collata. Verum, cum a te obtinere nullatenus potuisset, ut reseraretur ecclesia, in cujus sacrario erat icona prædicta, ab ala ipsius ecclesiæ quemdam in ipsa per funem fecit demitti, qui, quærens per ecclesiam sæpedictam iconam, et non inveniens, de mandato potestatis prædictæ, unam de magnis ecclesiæ januis per violentiam reseravit. Porro, Veneti, ecclesiam ipsam violenter intrantes, cum locum, ubi erat icona, per quemdam Græculum didicissent, sacrarii ostia frangere incœperunt. Quod cum ad tuam notitiam pervenisset, amaritudine plenus, ad alam ecclesiæ accessisti, et, desuper aspiciens sacrilegium perpetrantes, ex parte omnipotentis Dei, sub interdicti et excommunicationis interminatione inhibuisti eisdem, ne, quod male incœperant, præsumerent consummare. Sed, cum nec sic a perpetratione sacrilegii destitissent, prædictam potestatem, cum omnibus consiliariis et fautoribus suis, candelis accensis, publice ac solemniter vinculo anathematis innodasti. Ipsi vero tamen interdicti quam anathematis sententia vilipensa, ostia sacrarii confregerunt, et, asportantes exinde violenter iconam, eam in ecclesia, quæ græce *Pantocraton* dicitur, collocarunt. Tu vero, ad dilectum filium. B. tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalam, apostolicæ sedis legatum (874), accedens, ipsi rei seriem intimasti, qui eodem die latam a te sententiam confirmavit, ecclesias omnes, quæ sunt in parte sacrilegorum ipsorum, subjiciens interdicto. Unde, nobis humiliter supplicasti, ut utramque sententiam dignaremur apostolico munimine roborare. Licet igitur nos opinionem illam, B qua quidam Græci æstimant, quod spiritus beatæ Mariæ virginis in prædicta imagine requiescat, propter quod ipsam forte plus debito venerantur, tanquam superstitiosam minime approbemus et pactionem, de partiendis reliquiis et aliis factis initam, tanquam illicitam detestemur; ne taman sacrilegii crimen remaneat incorrectum, utramque sententiam, interdicti et excommunicationis videlicet, sicut rationabiliter sunt prolatæ, auctoritate apostolica confirmamus et præcipimus usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, firmiter observari. Nulli ergo.... nostræ confirmationis et jussionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibus Januarii, anno nono.]

C CCXLIV.

...... ELECTO, ET CAPITULO MOTHONENSIS ECCLESIÆ (875).

*Recipiuntur sub protectione.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Februarii).

Cum a nobis petitur, etc., *usque* ascensum, ecclesiam vestram, cum omnibus bonis, quæ inpræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, dante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri te nostra protectione suscipimus; specialiter autem quosdam redditus, quos... imperator Con-

(872) Epistola hæc integra legitur apud Raynaldum, ad annum 1207, § 19; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(873) Vide epistolam libri octavi 19, not.

(874) Vide epistolam libri octavi 55.

(875) Methone, ex Michaele Antonio Baudrand, tom. I *Geogr.*, pag. 652, col. 1, urbs est Peloponnesi in ora meridionali Messeniæ, quæ nunc *Modon* dicitur, Sophiano teste, *Mutune* Turcis, juxta Leunclavium, etiam nunc locus celebris, et emporium in provincia *Belvedere.* Arce gaudet munitissima, portuque amplissimo ac tuto, sub dominio Turcarum, a temporibus, Bajazetti II, 15 milliaribus distat a Corone in occasum hibernum, 120 a Nauplia, 72 a Tenario promontorio in occasum, et 120 ab urbe Patris in meridiem. Sedes est episcopalis sub archiepiscopo Patracensi, et aliquot habuit ritus Latini præsules.

Anno 1210, sedebat episcopus quidam *Motonensis*, sive (Methonensis), cui, et quibusdam aliis episcopis inscribuntur Innocentii III, epistolæ 24 et 74, lib. XIII, anno 1210, tom. II, edit. Baluz. Dum autem episcopus ille, de licentia Innocentii, devotionis ergo, peregrinaretur Compostellam, ad S. Jacobi apostoli visitandas reliquias, nonnulli diœceseon Monthonensis, Coronensis et Amyclensis possessiones ejusdem Methonensis Ecclesiæ occuparunt, D quas idem pontifex restituendas prescribit epistola 44, lib. XV, *Atheniensis et Thebano* archiepiscopis, et decano de Thebis, data V Idus (id est die 11) Maii, anno 15, Christi 1212. Eadem die ipsi *episcopo Mothoniensi* mandavit, ut canonici, qui non residerent in ipsius ecclesia, substractione suorum beneficiorum muletarentur. Eodem etiam anno 1212, Innocentius, epistola 55, *Jo. episcopo Mothoniensi, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum*, data XIII Kal. Maii (id est die 19 April). Ecclesiam Mothoniensem, ejusque bona sub sedis apostolicæ protectionem recepit. Ex qua ultima epistola discimus nomen hujus Mothoniensis præsulis incœpisse a litteris *Jo.* ac probabilitter fuisse *Joannem.* Vide LE QUIEN, *Ori. Christ.* tom. III, col. 1051.

stantinopolitanus, consueverat in ecclesia memorata suscipere, quos etiam nobilis vir, W. Campanen. nunc princeps Achaiæ, ipsi Ecclesiæ, de assensu, dilecti filii, B. tituli Sanctæ Suzannæ presbyteri cardinalis (876), apostolicæ sedis legati, in perpetuum dicitur remisisse, sicut ipsos juste, ac pacifice possidetis, vobis, et per vos eidem Ecclesiæ, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo.... nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Februarii, anno nono.

## CCXLV.

EISDEM.

*Confirmatur statutum eorum super decimis.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Februarii.)

Solet annuere, etc., *usque* impertiri. Cum igitur dilectus filius, B, tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis (877), apostolicæ sedis legatus, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, duxerit statuendum, ut de terris, hominibus, vineis, hortis, oliveritis, casalibus, decimis, possessionibus et aliis redditibus Ecclesiæ vestræ, tu, fili electe, duas, vos vero, canonici, tres partes percipere debeatis, nos, vestris postulationibus gratum tribuentes assensum, statutum ipsum, sicut provide factum est, et a vobis sponte receptum, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Februarii, anno nono.

## CCXLVI.

EISDEM.

*Quod fructus præbendæ vacantis convertant ad communes usus.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Februarii.)

Justis petentium desideriis, etc., *usque* postulationibus inclinati, præsentibus vobis litteris indulgemus, ut, quandiu præbendam aliquam in Ecclesia vestra vacare contigerit, fructus ipsius in communes usus libere convertatis, ita tamen, ut hac occasione ultra legitimum tempus præbenda non vacet. Nulli ergo.... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Februarii, anno nono.

## CCXLVII.

.... CAPELLANO ECCLESIÆ SANCTI NICOLAI MOTHONENSIS EXTRA PORTUM.

*Redditus quadraginta perperorum, ei a principe Achaiæ assignatus, auctoritate apostolica confirmatur.*

(Apud S. Petrum, XIX Kal. Februarii.)

Justis petentium desideriis, etc., *usque* assensu, A redditum quadraginta perperorum, quod tibi dilectus filius, nobilis vir, Ur. Campanen. princeps Achaiæ, in obitu bonæ memoriæ nobilis viri, Henrici Rondelh, misericorditer assignavit, sicut ipsum juste possides et quiete, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo.... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Februarii, anno nono.

## CCLXVIII (878)

PAMPILONENSI EPISCOPO, ET P. DE CASTRO NOVO (879), ET FRATRI RAD. MONACHO FONTIS FRIGIDI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

B *Quod secundum prius mandatum procedant in causa super matrimonio regis* (880).

(Apud S. Petrum, V Kal. Februarii.)

Dudum nos vobis scripisse (881) recolimus, charissimum in Christo filium nostrum, P. Aragonum regem illustrem, transmissa nobis insinuatione monstrasse, quod, cum dilectam in Christo filiam, nobilem mulierem, M. natam quondam G. Montis, Pesulan, sibi de facto matrimoniali fœdere copulasset, apparuit tandem, quod quamdam carnaliter præcognoverat, eamdem nobilem proxima consanguinitatis linea contingentem, quin et eadem mulier virum habuit superstitem, cum quo antea contraxerat, videlicet nobilem virum... comitem convenarum, propter quod idem rex, tanquam vir catholicus et Deum timens, cauteriatam conscien-
C tiam super hoc gerens, ac metuens ex hoc animæ suæ periculum imminere, ad apostolicæ sedis oraculum duxit quantocitius recurrendum. Unde, nos vobis apostolicis dedimus litteris in mandatis, ut, si talis appareret super hoc accusator, cujus accusatio esset admittenda de jure, vos. partibus convocatis, audiretis causam, et eam, si partes assensnm præstarent, subblato appellationis obstaculo, fine curaretis canonico terminare. Alioquin, gesta omnia conscribentes, sub testimonio litterarum vestrarum ea nobis fideliter mitteretis, præfixo partibus termino competenti, quo per procuratores idoneos nostro se conspectui præsentarent, justum, auctore Deo, judicium recepturæ, Nuper autem idem rex nobis intimare curavit, quod eadem no-
D bilis consanguinitatis etiam ei linea copullatur. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, ad locum partibus competentem quantocius accedentes et Deum habentes præ oculis, tam super duobus præscriptis, quam etiam super consanguinitatis articulis et aliis si qua de jure idem accusator duxerit proponenda, secundum formam prioris mandati, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, procedatis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

(876) Vide epistolam libri octavi 55.
(877) Vide epistolam libri octavi 55.
(878) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 6.
(879) De istis jam dictum, est sæpius.

(888) De argumento hujus epistolæ, vide epistolam hujusce libri noni 91, et quæ ibi adnotata sunt.
(881) Vide ibidem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kalendas Februarii, anno nono.

CCXLIX (882).

ILLUSTRI REGI SICILIÆ.

*Congaudet quod fuerit liberatus a custodia indignorum, et ad bene agendum hortatur.*

(Apud L. Petrum, IV Kal. Februarii.)

Quantæ jucunditatis affectus in apostolici cordis armario se transfuderit, per tuæ serenitatis litteras intellecto, quod manus Domini de illorum indigna te custodia liberavit, qui, quasi diceret lupa ovi, agnum tuum melius te lactabo, curam a te removerant, quam pia tibi genitrix deputarat, inde poteris existimare, quod, quandiu fuisti sicut Domino placuit, in illo articulo constitutus, cum multarum anxietatum angoribus circa te se sedulo retorquebat nostræ meditationis aspectus, utpote qui, quasi nobis dicere non cessares. In te jactatus sum ex utero matris meæ, vehementissimis nos doloribus tabescere faciebas, quia tibi, quem pietate commoti dicere fingebamus, Domine, vim patior, festinato non poteramus auxilio respondere. Nec est siquidem sub admiratione ducendum, quod tua nos ita et contristavit detentio, et liberatio jucundavit, cum et præter Ballii rationem, quod non tam ex dispositione materna, quam jure regni suscepimus exsequendum, tuæ propterea non possimus tutelæ ac defensioni deesse, quia, cum a voce Prophetæ dicentis nobis : Pupillo tu eris adjutor, aures non debeamus avertere, te pupillum in tuo jure tenemur specialius confovere. Hinc est utique, quo pro tua justitia defendenda sæpe duximus noctes insomnes, et prandium in cœnam convertimus, ut, vel cogitando soli, vel cum aliis conferendo, pacificandi tibi hæreditatem tuam modos utiles invenire possemus. O quoties euntium et redeuntium nuntiorum examina sibi invicem obviarunt, qui per varias orbis partes pacis tuæ procuratrices litteras detulere ! Quoties epistolæ, pro tua tuique regni tranquillitate mittendæ, notariorum fatigavere calomos, et scribarum atramenta siccarunt ! Quoties multitudines, undecunque de mundi partibus venientes, propter occupationes instantes, quibus erga tua commoda versabamur, sua doluere negotia retardata ! Quid autem de multis et magnis dicemus expensis, quas pro diversis et variis regni tui necessitatibus studuimus erogare ? Sed et fratribus et consanguineis non pepercimus ; quorum etsi fuerit labor plurimus, gaudendum est, quia nonnunquam exstitit fructuosus. Nunc igitur, cum jam in tua liberatione pene nos Deus fecerit præteritorum omnium oblivisci, mulieri evangelicæ comparandos, quæ, cum pepererit filium, pressuræ minime recordatur, nobis non restat aliud quam gaudendum, quia, quamvis ad plenitudinem tuæ pacis deesse aliquid videatur, speramus tamen, quod, si tuum in Domino jactaveris cogitatum, et eorum providis consiliis acquieveris, qui te, post violentorum custodiam, in suæ sedulitatis obsequium receperunt, ille, per quem reges regnant, et principes principantur, tuum solium confirmabit, et dabit tibi fortitudinem ac virtutem, per quas possis inimicis obsistere, tuumque populum feliciter gubernare. Monemus ergo serenitatem regiam, et hortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus elevato ad Deum corde, quotidianis precibus ab eo confortari corpore ac mente requiras, gaudensque, quod in eorum fideli custodia es repositus, vel quorum curam tua tibi genitrix deputavit, vel, qui loco eorum, qui ex ipsis decesserant, successerunt, maturis eorum intendendo consilis, moralibus satagas imbui disciplinis. Nos enim tranquillitati et paci tuæ sollicitudine intendimus indefessa, regiæque serenitatis augmentum spiritualibus vigilamus et temporabilibus auxiliis promovere, sperantes in Domino, quod diligentiam et benevolentiam sedis apostolicæ, matris tuæ, tanquam devotus filius, corde semper et opere recognosces.

Datum Romæ, apud S. Petrum, IV Kal. Febr. anno nono.

CCL (883).

.... REGIS SICILIÆ FAMILIARIBUS

*De eodem.*

CCLI (884).

ARCHIEPISCOPIS ET PRÆLATIS, AC COMITIBUS, PER REGNUM SICILIÆ.

*Ut obediant et faveant regi Siciliæ.*

CCLII (885).

EPISCOPO SUESSIONENSI (886).

*Ut attenta contra bona ecclesiæ suæ in irritum revocet.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Februarii.)

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum igiur

(882) Epistolam hanc exhibet Raynaldus, ad annum 1207, § 5 ; ideoque hic uncis inclusa exhibetur.

(883) Epistolæ hujus 250, nec non sequentis 251, Apographum, quod ad fidem apographi Conti cum cæteris exscribi curaveramus, e manibus nostris, quo casu nescimus, excidit ideoque argumentum tantummodo hic exhibere possumus.

Raynaldus, ad annum 1207, § 6.

« Præterea, in litteris, quibus regii familiaribus de regis liberatione gratulatur, ait, paulo antequam ipsorum nuntios excepisset, regis Aragonii legatos pervenisse cum literis, quæ de sorore ipsius Frederico in matrimonium tradenda narrabant, quod ab eorum nuntiis etiam accepisset, ac Fredericum plurimum ipsis commendat, quod etiam commendationis officium eidem apud episcopos, comites, optimates cæterosque præstitit (epist. 251) : postremo ait Frederici litteras suasque Aragonum regi per ejus nuntios transmisisse, cohortatumque ut cuncta, quæ pro sorore ad sponsum regem traducenda opus forent, diligentissime compararet. »

(884) Vide notam ad epistolam proxime superiorem.

(885) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 20.

(886) Vide epistolam libri tertii 11, not.

pro subsidio terræ sanctæ, et Constantinopolitano imperio roborando, ad partes Occidentales accesseris, et labores sustinueris plurimos et expensas, ne ex eo detrimentum incurras, unde debes potius gratiam promereri, præsentium auctoritate statuimus, quatenus, si quid in tuum, vel ecclesiæ Sancti Georgii Constantinopolitani tibi commissæ, super Hospitali, aut rebus aliis ad eamdem ecclesiam pertinentibus, post tuum recessum, fuerit præjudicium attentatum, in irritum revocetur et ad statum debitum reducatur. Nulli ergo... nostræ constitutionis etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quarto Kalendas Februarii, anno nono.

CCLIII.

HIEROSOLYMITANO PATRIARCHÆ (887), APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Prorogatur terminus veniendi ad curiam Romanam.*

(Apud S. Petrum, III Nonas Februarii.)

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum tibi et venerabili fratri nostro... Antiocheno patriarchæ (888), in causa, quæ super Tyren. Ecclesiam inter Hierosolymitonam et Antiochenam Ecclesiam vertitur (889), a festo beati Lucæ proximo præterito usque ad triennium, peremptorium terminum duxerimus præfigendum, de nostra tibi permissione liceret terminum ipsum, quantum cum eodem patriarcha convenire poteris, prorogare, vel saltem usque ad octavam Epiphaniæ prædictum triennium secuturam, si de alterius partis processerit voluntate, cum, tempore illo, quo tibi et eidem patriarchæ terminus est præfixus, commode non possitis personaliter, vel per responsales idoneos vos nostro conspectui præsentare. Nos igitur, necessitates, quæ utrique Ecclesiæ impræsentiarum imminent, attendentes, benigne concedimus postulata.

Datum Romæ,, apud Sanctum Petum, tertio Nonas Februarii, anno nono.

CCLIV (890).

EIDEM.

*Consultanti respondetur super dubiis declarandis.*

(Apud S. Petrum, II Kal. Februarii.)

[Tuæ fraternitatis *discretio postulavit per sedem apostolicam edoceri* (891), utrum clericos (*illos* (892), qui ad partes Hierosolymitanas sine litteris commendatitiis veniunt, permittere debeas celebrare divina, (893) *cum plerique illorum, de quorum canonica ordinatione non constat, statim ut veniunt, præ-*

A *sumant non expetita licentia celebrare?*] Alii quoque, quos fama publica monachos asserit, vel canonicos regulares, in sæculari habitu incedentes, se sæculares clericos mentiuntur, de quibus, cum probari non possit, quod vitam sint religiosam professi, responsum apostolicum expetisti, utrum ad partes remitti debeant cismarinas, ut episcoporum suorum, et abbatum monasteriorum illorum, in quibus dicuntur regularem habitum assumpsisse, litteris docent se non esse monachos, vel canonicos regulares, vel debeant potius in sæculari habitu tolerari?[*Nos autem tuam in Domino sollicitudinem commandantes, fraternitati tuæ super primo articulo respondemus* (894), quod, nisi legitime tibi constiterit, sive per litteras, sive per testes, de illorum ordinatione canonica,

B qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere (895) tuis plebibus celebrare, sed, si forsan eorum aliqui secreto ex dovotione celebrare voluerint, poteris sustinere (896)] [(897). Super secundo *vero* (898) articulo, inquisitioni tuæ duximus respondendum, *quoniam* clericici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati, *quod* videlicet habitum abjecerint regularem, non sunt in sæculari habitu tolerandi; sed per districtionem ecclesiasticam coercendi, donec, deficiente probatione ad infamiam abolendam, purgationem canonicam curaverint exhibere (899).] Quæsivisti præterea, ut, cum domus Templi et Hospitalis, aliaque loca religiosa immunitatem præbeant iis, qui ad ipsa confugiunt facinoribus perpetratis, et hujusmodi occasione refugii homicidia, et alia multa enormia in illis partibus committantur,

C utrum, confugientes pro suis excessibus ad loca prædicta, reservata ipsis integritate membrorum, in publico carcere valeant retrudi, perpetuo pane tribulationis et aqua angustiæ sustentandi. Subsequenter etiam quæsivisti, ut, cum debitores, qui prædictas domos inhabitarunt, tantum in sortem postulent computari, quantum, si locassent easdem ab aliis recepissent, et ob hoc non modicum scandalum generetur, utrum propter hujusmodi scandalum evitandum tolerari valeant creditores, ne in sortem computent illud, quod debitores ab aliis fuissent pro locatione annua consecuti. Nos autem, scientes, te in jure sufficienter instructum, et nequaquam quid juris sit in prædictis articulis ignorare, super eis inquisitioni tuæ non duximus respon-

D dendum, ne forsan intentioni tuæ nostra fortius responsio contrairet.

(887) Vide epistolam libri septimi 222.

(888) Vide epistolam libri noni 53.

(889) Vide epistolam libri primi 505 (apud Baluzium, tom. I, pag. 290.)

(890) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales : 1° lib. I, tit. 22, *De clericis peregrinis*, cap. 3 ; 2° lib. V, tit. 9, *De apostatis et reiterantibus baptisma*, cap. 3. Quæ utrobique leguntur, hic uncis inclusa sunt ; variæ lectiones dantur.

(891) In Decretalibus hæc desunt ; verum leguntur apud Pith. in add.

(892) Decretal. om. hanc vocem.

(893) Quæ sequuntur, Italios charactere distincta, in Decretal. desunt ; verum, leguntur apud Pith. in add.

(894) In Decretalibus desunt ; verum leguntur apud Pith. in add.

(895) In Decretalibus add, *in ;* quam vocem in antiquis cod. deesse monet Pithœus, in marg.

(896) Huc usque in Decretal. lib. I, tit. 22.

(897) Vide Decretales, lib. V, tit. 9, cap. 3.

(898) In Decretal. deest *vero ;* infra legunt *quod* pro *quoniam* et *qui* pro *quod*.

(899) Hactenus in Decretal. lib. V, tit. 9, cap. 3.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, secundo Kalendas Februarii, anno nono.

CCLV.

..... ELIENSI EPISCOPO (900).

*Ut P. subdiaconum absolveat a voto.*

(Apud S. Petrum, VII Idus Februarii.)

Ad apostolicam sedem accedens dilectus filius, Henricus de Wiceton, subdiaconus, Lincolniensis diœceseos, humili nobis insinuatione monstravit, quod, cum olim, magis ob dilectionem et favorem inclytæ recordationis Riccardi regis patris, cujus tunc clericus existebat, cum idem rex iter peregrinationis arripuit, quam ex alia devotione, susceperit signum crucis, quia propter gravia impedimenta, quæ casualiter emerserunt, votum emissum non est hactenus prosecutus, nunc, senectute præventus, cujus signum facies respersa canum albedine profitetur, factus est, ut asserit, invalidus ad eumdum. Unde, quia, si cogeretur impotens in Hierosolymitanam provinciam transfretare, provenire sibi periculum formidabat, et terræ sanctæ subsidium aliquod accedere non credebat, nobis humiliter supplicavit, ut ipsum a labore peregrinationis misericorditer absolvere dignaremur, maxime, cum velit secundum facultates suas in terram sanctam congruum subsidium destinare per terminos competentes, promittens, quod in festo beati Joannis Baptistæ proximo venturo viginti et quinque marcas, et consequenter in festo resurrectionis Domini viginti et quinque libras, ac postmodum subsequenter in eodem festo, anno revoluto, viginti et quinque libras sterlingorum, pro terræ sanctæ subsidio in Anglia, cui voluerimus, assignabit. Nos igitur, attendentes impedimenta præscripta, et volentes parcere laboribus senectutis ipsius, cum utilius forsan Domino suo valeat obsequi Creatori, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædictum subdiaconum ab hujusmodi voto, auctoritate nostra suffultus, absolvas, prius tamen ab ipso sufficienti cautione recepta, quod subventionem prædictam pro terra sancta dilecto filio, fratri..... magistro domus Templi Londoniensis, per præscriptos terminos solvere procurabit, injungens eidem, quod de cætero vacet studiosius operibus pietatis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, septimo Idus Februarii, anno nono.

CCLVI.

FLORENTINO EPISCOPO (901).

*Ut F. diaconum promoveat ad sacros ordines.*

(Apud S. Petrum, VIII Idus Febr.)

Accedens ad præsentiam nostram dilectus filius, F. diaconus, parochianus tuus, humili nobis insinuatione monstravit, quod, cum a suis æmulis diceretur, quod esset filius sacerdotis, tu ipsum nec promovere ad presbyteratus ordinem voluisti, nec permisisti ab alio promoveri quanquam vel id, vel aliud probatum non fuerit contra ipsum. Quocirca, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si diaconus ipse publice fuerit hujusmodi nota respersus, et de ipsa legitime tibi constare non poterit, purgatione ab ipso recepta, dummodo aliud canonicum non obsistat, ipsum non differas propter hoc ad sacerdotis officium promovere, quia, licet non sit nota delicti, est tamen nota defectus impedientis ad sacros ordines promoveri.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VIII Idus Februarii, anno nono.

CCLVII.

CAPITULO VASTINENSI.

*Toleratur quædam ordinatio facta in ecclesia sua per capitulum.*

(Apud S. Petrum, VII Idus Februarii.)

Nisi essent viri providi et honesti, tam ii qui ordinationem fecerunt, quam illi circa quos facta est ordinatio in ecclesia vestra super negotio prioratus, ordinationem illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus. Quod ergo post concertationem diutinam ordinatum est circa unum de duobus electis, ut ipse habeat prioratum, hoc ex jurisdictione delegata secundum justitiam videtur esse statutum. Quod autem ordinatum est circa reliquum ut ipse viginti libras de proventibus prioratus percipiat annuatim, hoc secundum providentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potestate, cum in delegatos fuerit compromissum, qui, auctoritatem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis et utilitatis hæc ordinasse fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possuntque licite prior et capitulum de proventibus suis propter causas prædictas, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum, provisionem hujusmodi exhibere, nos eam hoc habito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas prioratus, sed persona prioris maneat onerata, ne forte vel circa proventus aliqua videatur facta sectio prioratus, ita quod, ipso priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minime teneatur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, septimo Idus Februarii, anno nono.

CCLVIII (902).

R. EPISCOPO (903) ET CLERO VITERBIENSIBUS.

*Ut restituant ea quæ J. amiserat propter defensionem fidei subtracta a Patarenis.*

(Apud S. Petrum, Nonis Februarii.)

Lacrymabilem dilecti filii, Joannis Boni recepimus quæstionem, quod, cum venerabilis frater noster... episcopus (904), et dilectus filius, C. archidiaconus, Urbevetani, vobis auctoritate nostra firmiter dederint in præceptis, ut, nisi.... potestas Viterbiensis, prædicto Joanni infra certum terminum ea, quæ in odium fidei catholicæ sibi abstule-

(900) Vide epistolam libri quinti 54, not.
(901) Vide epistolam libri octavi 156.
(902) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 3.
(903) Vide epistolam libri quinti 93, not.
(904) Vide epistolam libri octavi 18, not.

rant Patareni, restitui faceret, quousque ipsi esset de prædictis plenarie satisfactum, ab officio quolibet ecclesiastico cessaretis, vos, licet ei non fuerit in aliquo satisfactum, præceptum eorum surdis auribus transeuntes, non destitistis divina officia celebrare. Cum igitur, ex injuncto nobis officio, eidem non debeamus deesse, qui ob defensionem catholicæ fidei detrimentum hujusmodi dignoscitur incurisse universitati vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus vel, juxta quod episcopus et archidiaconus supradicti vobis auctoritate nostra mandarunt, a divinorum celebratione cessetis, vel de vestris exhibeatis prædicto J. recompensationem congruam prædictorum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Nonis Februarii, anno nono.

CCLIX (905).

..... CABILONENSI (906), ET..... CATALAUNENSI (907), EPISCOPIS, ET..... PRIORI CLAREVALLENSI.

*Causam episcopi Tullensis ipsis committit definiendam.*

(Apud S. Petrum, Kalendis Februarii.)

[In nostra præsentia constitutus *venerabilis frater noster*..... Tullensis episcopus (908), *lacrymabiliter* est conquestus, quod, cum *olim* ad *procurandam* causam, quæ inter ipsum et *bonæ memoriæ*...decanum Tullensem (909), super dilapidatione, excommunicatione, perjurio, ac quibusdam aliis (910) vertebatur, *W. et J.* (911) presbyteros, procuratores instituens, ipsos ad sedem apostolicam duxerit destinandos, cum de ipsorum fide postmodum titubasset, mandatum, quod eisdem dederat, infra modicum temporis spatium revocavit; sed ipsi, licet mandati revocatorias litteras recepissent, nihilominus, in negotio processerunt et, pro procuratoribus se gerentes, cum adversario *suo Joffrido scilicet, archidiacono Tullensi*, judicium sunt ingressi cum *eodem*, *demum ad dilectos filios, G.* (912) Parisiensem archidiaconum et *magistrum R. de Corzon, canonicum Noviomensem, et R. Sancti Victoris pœnitentiarum* (913), in ejusdem præjudicium nostras litteras (914) *impetrantes* (915). Quorum (916) *citatio licet eidem episcopo minime fuerit præsentata, cum tamen ad ejus notitiam devenisset, quod eisdem erat causa commissa, quæ inter ipsum et dictos decanum et archidiaconum vertebatur, ad eorum præsentiam properavit.* Cumque di-
A ctus episcopus, *per multam instantiam nostri rescripti copiam habuisset, et ejusdem tenorem cum viris prudentibus inspiceret diligenter, admirans plurimum, quod supradicti presbyteri, tanquam procuratores hujusmodi litteras impetrarant* (917), ad probandum, quod falsi procuratores fuerant, ab ipsis judicibus inducias *postulavit, qui* (918), exceptionem oppositam inutilem, et supervacuam reputantes, ad probationem ipsius dilationem concedere noluerunt, propter quod *idem episcopus* (919) ad appellationis beneficium convolavit, *et ab ipsorum judicum præsentia recessit appellans. Ipsi vero, appellationi minime deferentes, in negotio ipso procedere*, (920), ac, lite non contestata et juris ordine prætermisso, testes contra *ipsum episcopum* recipere præsumpserunt, et,
B ipsum a Tullensi Ecclesia per sententiam removendo,] præter formam mandati nostri, Tullensi capitulo concesserunt eligendi sibi pontificem liberam facultatem. Cum autem dicti episcopus, et P. archidiaconus, propter hoc ad nostram nuper præsentiam accessissent, et super ipsorum processu judicum coram nobis aliquandiu litigassent, idem episcopus tredecim testes, quosdam abbates, et monachos nigri et albi ordinis, et quosdam clericos sæculares, induxit, quibus diligenter examinatis, ex ipsorum depositionibus apparuit evidenter, quod, cum supradictus episcopus ad probandam exceptionem præscriptam petiisset inducias, ipsas prætaxati judices negaverunt eidem, et quod, licet idem episcopus propter hoc ad sedem apostolicam provocasset, ipsi tamen in negotio post appellationem ad nos
C interpositam processerunt. [Nos vero, licet vix fidem potuerimus adhibere, quod sæpedicti judices, utpote viri litterati, providi et honesti, taliter, *ut dictum est* (921), processissent, maxime cum in sua relatione, quam ad nostram præsentiam transmisere, de hujusmodi exceptione proposita nullam fecerint mentionem, quia tamen episcopus *sæpedictus* per viros religiosos *pariter* et honestos, de quibus non est verisimile, quod, suæ salutis obliti, ac juramenti religione contempta, falsum testimonium tulerint, nobis fecit super his, quæ proposita, sunt plenam fidem; attendentes quod falsi procuratoris exceptio non solum ante sententiam verum post etiam sententiam potest objici *juxta canonicas et legitimas*
D *sanctiones* (922), utpote qua probata judicum nullum

(905) Epistolæ hujus fragmenta reperiuntur inter Decretales, lib. I, tit. 38, *De procuratoribus*; cap. 4. Quæ illic leguntur, hic uncis inclusa sunt. Verba Italico charactere distincta desunt in Decretalibus, vel lectionum varietatem designant.

(906) Vide epistolam libri quinti 16, not.

(907) Vide epistolam libri quinti 137, not.

(908) Vide epistolam libri quinti 13, not.

(909) Conferenda sunt omnino quæ adnotavimus ad epistolam libri octavi 87, not.

(910) Add. *criminibus*, quam vocem in omnibus antiquis codd. deesse testatur Pithœus, in marg.

(911) Decretal., *T. et G.*

(912) Decretal. tantum, *eo ad.*

(913) Decretal. *collegas* pro *magistrum... possitent.*

(914) Vide eamdem epistolam libri octavi 87.

(915) Decretal. *impetrarunt.* Quæ sequuntur, Italico charactere distincta in Decretal. desunt, verum, leguntur apud Pith, in add.

(916) Apud Pith. *quoniam.*

(917) Desunt ap. Pithœum.

(918) Decretal., *postulasset, ipsi.*

(919) Desunt. ap. Pithœum.

(920) Pithœus legit *sed iisdem nihilominus*, et mox *eum* pro *ips. episc.*

(921) Hæc om. Pithœus, ut mox vocem *sæpedictus*, et infra *providos* legit pro *pariter.*

(922) Pithœus hæc omittit, ut mox verba *de cons. fr. nostr.*

A et nullius momenti controversiæ reputantur, *de consilio fratrum nostrorum* processum supradictorum judicum sententialiter duximus irritandum, in eum statum negotium reducentes] in quo erat quando ipsum coram nobis cœperat actitari, ut videlicet idem episcopus, quemadmodum bonæ memoriæ, G. Remensis archiepiscopus (923), apostolicæ sedis legatus, decreverat, tanquam de dilapidatione suspectus, ab administratione temporalium sit suspensus, et tanquam de perjurio infamatus ab exsecutione spiritualium maneat interdictus. Unde, ne interim Tullensis Ecclesia sine provisoris officio desoletur, dilectum filium abbatem Sancti Urbani (924), procuratorem statuimus in utrisque. Verum, cum dictus J. archidiaconus, episcopum ipsum super dilapidatione et perjurio impetierit coram nobis adjiciens, quod idem B episcopus post suspensionis sententiam divina præsumpsit officia celebrare, ac, lite legitime contestata, idem archidiaconus quosdam testes induxerit, quia tamen super articulis ipsis nobis non potuit plene de veritate liquere causam ipam vestro duximus examini committendam, et, attestationes receptas sub bulla nostra vobis transmittentes inclusas, per apostolica scripta mandamus, quatenus, ad locum competentem, tutum, vel, si locum competentiorem, et tutiorem nequiveritis invenire, apud Lingonas partibus convocatis, recipiatis testes, quos utraque pars duxerit producendos, et, attestationibus solemniter publicatis, et tam episcopi quam partis alterius rationibus, et defensionibus intellectis, causam ipsam, si de partium processerit voluntate, appellatione remota fine canonico terminetis, ita C quod, si legitime vobis constiterit bona Tullensis Ecclesiæ per culpam ipsius episcopi alienata fuisse, ab eadem ecclesia ipsum amovere curetis. Alioquin, cum de alienatione jam constet, quamvis idem episcopus culpam refundat in alios, quia tamen super hoc vehementer habitus est suspectus, et graviter infamatus, purgationem ipsi canonicam indicatis.

Si vero partes non consenserint, ut per vos quæstio terminetur, vos sufficientissime causam instructam ad nostram præsentiam transmittentes, præfigatis partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui repræsentent, sententiam recepturæ. Inquiratis præterea diligenter, quanto debitorum onere præfatus episcopus episcopatum Tullensem invenerit obligatum, quantumque per eum de ipso debita fuerit persolutum, et utrum episcopatum ipsum melioraverit in aliquibus, et in quantis, utrumve alienata velit, et possit sine distractione aliqua restaurare, ut, si forsan ad nos fuerit facienda relatio super his omnibus, nos reddatis per vestras litteras certiores. Testes autem, qui, super dilapidationis articulo, ab utralibet parte fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore, subtraxerint per censuram ecclesiasticam, etc. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Februarii, anno nono.

## CCLX.

..... LINGONENSI (925), ET..... CATALAUNENSI (926), EPISCOPIS, ET..... PRIORI CLAREVALLENSI.

*Committit eis causam primiceriatus Tullensis* (927).
(Apud S. Petrum, Kalendis Februarii).

Cum accessissent ad apostolicam sedem, dilecti filii, Sy. archidiaconus Tullensis capituli procurator, venerabilem fratrem nostrum Hugonem, Hostiensem episcopum (927), eisdem concessimus auditorem. in cujus præsentia archidiaconus proposuit memoratus, quod, cum olim dilectus filius, magister Wis, subdiaconus noster, H. et F. Tullenses canonici, nostris auribus intimassent, quod primiceriatus et Scholastria in Tullensi Ecclesia tanto tempore vacavissent, ut ad manus nostras illorum personatuum esset donatio devoluta, dilectis filiis. . . . Altæ Silvæ (928), et. . . . Belli Pratri

(923) Anno 1206, cum in Flandriam Guido, (*de quo vide epistolam libri septimi* 116, *not.*), archiepiscopus Remensis, perrexisset, legationis suæ minus impleturus, *apud Gandarum*, inquit verus Chronicon, *in cœnobio S. Bavonis ex dysenterio obiit* III *Kal. Aug. Capitulum* vero *Remense, quod sub interdicto posuerat, moriens absolvit*; *vocavitque sedes metropolitana Theobaldo de Pertico impediente electionem.*

D (924) Gualterius, S. Urbani Catalaunensis diœceseos abbas, occurit in Tabulis ab anno 1199 ad annum 1221 ; sed duo videntur fuisse hujus nominis abbates S. Urbani, quorum alter memoratur in Necrologio Dervensi, III Id. Octobris, alter XVIII Kal. Decembris. *Gall. Christ. nov.* tom. IX, col. 926.

(925) Robertus II *de Castellione* cognominatus, et ut asserit Chronicon Lingonense, probabiliter frater Lamberti de Castellione ad Sequanam militis, avunculus autem Hugonis Tilecastrensis dynastæ, fuit primum thesaurarius, et decanus, tum, defuncto Hilduino (*de quo vide epistolam libri quinti* 141, *not.*) Lingonensis Ecclesiæ antistes. Pluribus in chartis memoratur ab anno 1204, usque ad annum 1208, quo, cum Milone Barrosequanensi comite, et magna nobilium armatorum manu, profectus adversus Albigenses, paulo post de vita migravit. *Gall. Christ.* tom. IV, col, 595.

(926) Vide epistolam libri quinti 137, not.

(927) Conferenda omnino quæ apud auctores novæ Galliæ Christianæ leguntur, tom. XIII, col. 1061 ; « Post mortem Stephani, primicerii Tullensis, (cujus nomen legitur in instrumentis ab anno 1111, usque ad annum 1126), primicerii dignitas exstincta est, et capitulo unita a Riquino episcopo, (qui sedit ab anno 1107, usque ad annum 1126, *al.* 1127). Verumtamen, sub pontificatu Odonis *de Vadanomonte* (qui sedit ab anno 1192 usque ad annum 1197) Theodericus a Lotharingia, filius Matthæi I ducis, ad eam dignitatem se promoveri curavit ; Simon etiam, Tullensis archidiaconus, post Theoderiti obitum provisiones assecutus est a sede apostolica. Qua de re instituti fuere judices, qui in Simonis gratiam tulere sententiam. At summus pontifex, ad quem a capitulo appellatum est, judicium longe diversum protulit : jussit enim ut ea dignitas restincta maneret. Officium itaque decani, ex eo tempore, prima fuit capituli dignitas. »

(928) Vide quæ adnotata sunt ad epistolam libri

(929) abbatibus, et..... Columbæ monasterii decano A dedimus in mandatis, ut super his inquirerent veritatem, et, si personatus illos tanto tempore vacasse constaret, quod, juxta Lateranensis statuta concilii, ad nos ipsorum esset devoluta donatio, ipsi personas idoneas de Tullensi Ecclesia, vel aliunde in ipsis instituerent personatibus vice nostra, et eosdem facerent ab illis, pacifice possideri. Ipsi vero judices, mandatum apostolicum exsequentes, partes ad suam præsentiam citaverunt, et die statuta, dictis magistro W. et F. comparentibus coram ipsis Joannes, presbyter, cum Tullensis capituli litteris ipsorum se conspectui præsentavit, in quibus idem se capitulum excusabat, quod ad locum, ab eisdem judicibus constitutum, sine rerum et personarum discrimine, propter... ducem Lotharingiæ. qui eos B diffidaverat, accedere non valebant, et hoc ipsum dictus presbyter proprio volens juramento firmare locum, ad quem Tullenses canonici tute possint accedere, postulavit. Cumque super hoc inter dictos magistrum et presbyterum fuisset aliquandiu litigatum, demum idem presbyter, requisitus præstare juramentum, quod prius obtulerat, recusavit, et, vocem appellationis emittens, litteras capituli præsentavit, in quibus ad appellandum solummodo procurator exstiterat institutus. Verum, judices supradicti, excusationes ab ipso sacerdote propositas et appellationem interpositam frustratorias reputantes de prudentum virorum consilio, receperunt testes, quos dicti magister et F. introducere voluerunt, diem aliam apud Sanctum Aprum sæpedicto capitulo præfigentes, qui cum nec ea die curassent in judicio C comparere, judices ipsi, attestationibus solemniter publicatis, cum constitisset eisdem, quod tandiu primiceriatus in Tullensi Ecclesia vacavisset, ut ejus ad nos donatio pertineret, ipsum vice nostra supradicto S. archidiacono contulerunt; quam concessionem idem archidiaconus petiit auctoritate apostolica confirmari. Dictus vero G. capituli procurator, ex adverso respondit, quod hujusmodi concessio, et processus judicum prædictorum, debebant merito retractari, utpote qui post appellationem, ad nos pro diversis gravaminibus legitime interpositam, processerunt, prima siquidem citatione capitulum ipsum edicto peremptorio evocarunt, et, cum postmodum ad eorum præsentiam proprium nuntium capitulum destinasset, licet ipsi nuntius, allegando D quod ad præfixum locum propter viarum discrimina et insidias capitales capitulum accedere non poterat, vel sufficientes transmittere responsales, sollicite postularet locum tutum partibus assignari, excusationem tamen hujusmodi dicti judices admittere contempserunt, propter quod idem nuntius, sicut in mandatis receperat, ad appellationis præsidium convolavit. Præterea, dictus procurator adjecit, quod eorumdem judicum processus ex ea causa judicandus erat invalidus, quoniam ad sententiæ calculum processerunt, lite minime contestata; contra quod fuit ex parte archidiaconi replicatum, quoniam appellationi hujusmodi non fuit aliquatenus deferendum, cum non ex causis legitimis, sed frustratorie duntaxat fuerit appellatum. Cum enim fuisset capitulum citationibus legitimis evocatum, simplicem nuntium, et non responsalem idoneum destinavit, qui, cum excusationem capituli allegasset, et super ea obtulisset proprium juramentum, postmodum illud præstare noluit requisitus. Cum igitur excusatio, ab eodem nuntio proposita, delusoria merito videretur, appellatio, super ea interposita, fuit merito respuenda, maxime, cum idem nuntius litteras capituli præsentarit, in quibus continebatur expresse, quod ad provocandum tantummodo fuerat destinatus Sed nec illud nocere posse pars eadem respondit, quod, lite non contestata, dicti judices processerunt, cum non causæ cognitio, sed inquisitio veritatis solummodo ipsis fuerit demandata, propter quod in inquisitione ipsa non fuerat judiciarii ordinis solemnitas observanda. Ad hæc capituli pars respondit, quia, quamvis in quibusdam inquisitionibus omnimoda juris solemnitas non servetur, in inquisitione tamen hujusmodi servari debuit ordo juris, quoniam, cum possessionum et redditu um, olim ad primiceriatum spectantium, quidam sint pacifici possessores, eisdem sine juris ordine nec debebant, nec poterant spoliari. Præterea, et si dicti judices potuerint sine causæ cognitione procedere, solemniter tamen de causa cognoscere potius elegerunt. Tullenses canonicos, tanquam partem, ad suum judicium evocando. Fuit insuper ex parte capituli allegatum, quod rescriptum, ad prædictos judices impetratum, exstitit per falsi suggestionem obtentum. Cum enim communi consensu et unanimi voluntate canonicorum Tullensium fuerit constitutum, ne primiceriatus dignitas esset ulterius in Ecclesia memorata, inter canonicos ipsos primiceriatus proventibus et possessionibus distributis, et eadem institutio a bonæ memoriæ Alex. papa prædecessore nostro, fuerit postmodum confirmata evidenter apparet, quod primiceriatus ipse multo tempore non vacavit sicut nobis fuerat falsa insinuatione suggestum. Contra quod pars archidiaconi sic respondit, quod, cum illa dignitas ad publicam et communem Tullensis Ecclesiæ honestatem ibidem fuerit instituta, absque sedis apostolicæ auctoritate in eadem ecclesia non potuit aboleri. Confirmatio quoque, super tam illicita constitutione obtenta, firmare non potuit, quod erat invalidum ipso jure. Præterea, iidem ca-

octavi 8, not.; quibus adde, si vis, quæ leguntur apud auctores novæ Galliæ Christianæ, tom. XIII col.. 1373:

Henricus I, abbas Altæ silvæ, an. 1197, in donatione collata monasterio Bongartii; adhuc etiam an. 1200, in donatione collata monasterio *de Stultzerborn* a Conrado Harburgensi, Idem forte cum H, qui memoratur anno 1225. *Gall. Christ, nov.* t. XIII col. 1373 »

(929) Rodulphus, 1200 et 1210, quo ab Othone abbate Mauri monasterii aream apud *Marsal* obtinuit.... *Ibid.* col. 1369.

nonici, posthæc omnia, Terricum archidiaconum in primicerium communiter elegerunt, qui fuit postmodum auctoritate apostolica confirmatus, propter quod non solum confirmationi obtentæ tacite renuntiasse videntur, sed etiam institutionem propriam revocasse. Sed ad hæc pars capituli replicavit, quia quod de ipso T. factum est, eis præjudicare non potest, qui non per electionem canonicam, sed per instrusionem potius sibi primiceriatus officium usurpavit. Nos igitur, his et aliis, quæ coram episcopo memorato partes proponere curaverunt, plenius intellectis, quod a supradictis judicibus factum est, tanquam inordinate præsumptum, de fratrum nostrum consilio, irritamus; causam ipsam de utriusque partis assensu vestro examini committentes. Quocirca, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita diligentius veritate, si vobis constiterit, Tullenses canonicos, ne ulterius in Tullensi Ecclesia primiceriatus esset officium, communiter statuisse, ac statutum ipsum auctoritate sedis apostolicæ fuisse postmodum confirmatum, vos illud faciatis in suo robore permanere, nisi postea dicti canonici contra venerint, aliquem videlicet in primicerium eligendo. Si vero constare nequiverit quod taliter, ut dictum est fuerit constitutum, vel auctoritate apostolica confirmatum, se fuerit sufficienter ostensum, quod iidem canonici post confirmationem, vel ante, contra prætaxatum venerint institutum, causam ipsam ad nostram præsentiam remittatis, quæ super his inveneritis, per vestram nobis litteras fideliter intimantes, nullis litteris obstantibus, præter assensum partium a sede apostolica inpetratis. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Kalendis Februarii, anno nono.

CCLXI (930-931).

CAPITULO ET UNIVERSO CLERO MAGDEBURGENSIBUS.

*Confirmatur electio facta de archiepiscopo* (932).

(Apud S. Petrum, VI Idus Februarii.)

Illa quotidiana instantia, sollicitudo videlicet Ecclesiarum omnium, quæ ministerium cingit apostolicæ servitutis, potissimum non inducit ut ad illarum consolationem intendamus sollicite, ac benigne justa desideria earumdem effectu celeri prosequendo, quæ pastorum sunt solatio destitutæ, ne, pro pastoris carentia in spiritualibus et temporalibus sustineant detrimentum, et grex Dominicus luporum morsibus relinquatur, si non sit, qui noctis vigilias custodiat super eum. Sane, cum venerabilis frater noster, Albertus archiepiscopus vester, tunc electus (933), ad nostram præsentiam accessisset, nos, ecclesiæ Magdeburgensi, quæ non solum in prosperis, verum etiam in adversis, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, matri suæ, devota super exstitit, tanquam filiæ speciali, sollicitudine volentes paterna consulere, quia jam pridem, diligenter auditis et intellectis, quæ dilecti filii. . . . Sancti Sebastiani.... Sanctæ Mariæ, et . . . de Mildense præpositi, et C. et G. majoris Ecclesiæ, et magister Germandus, Sancti Nicolai, et Litulfus, Sancti Petri, canonici, Magdeburgenses, tam verbis quam scriptis proposuerant sollicite coram nobis, pro certo dedicimus, electionem de ipso factam canonicam exstitisse, ipsam auctoritate apostolica duximus confirmandam supplentes de plenitudine potestatis, si quis in ea ex eo fuisset defectus, quod quidam interfuerunt celebrationis electionis ejusdem, qui ex sola participationi in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt, sicut per Rodulfum de Ranis, et Burchardum de Glinde, Magdeburgenses canonicos, fuit propositum coram nobis. Et, quoniam rectis dispositionibus nihil debet moræ vel difficultatis afferre, ne gregi Dominico diu desit cura pastoris, eumdem die Sabbati Quatuor Temporum ante Nativitatem Dominicam, propriis manibus in presbyterum ordinavimus, et in crastinum curavimus in episcopum consecrare, ipsumque jam palleo insignitum ad vos cum gratiæ nostræ plenitudine remittemns; sperantes in Domino, qui eum ad suum ministerium evocavit, quod per ipsius sollicitam providentiam et sollicitudinem circumpectam, Ecclesia Magdeburgensis in spiritualibus et temporalibus gratum suscipiet incrementum. Universitatem igitur vestram monemus, et exortamur attentius, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes, quatenus, ipsi, tanquam patri, et archiepiscopo vestro, de cætero intendentes, et exhibentes eidem reverentiam, et obedientiam tam debitam quam devotam, salubria monita et præcepta ipsius recipiatis humiliter, et devote servetis, ut idem, devotionem vestram cognoscens, iis ferventius teneatur insistere, tanquam pastor diligens oves suos, quæ ad vestrum proveniant commodum, et salutem, et ab eo condignam retributionem recipere nihilominus mereamini, qui præfert obedientiam holocaustis. Verum quia idem de mandato nostro illorum præstolatur adventum, qui, sicut accepimus, pro statu imperii ad nostram præsentiam sunt venturi, volumus et mandamus, ut tanquam præsenti eidem in ipsius absentia deferatis in omnibus, in quibus noveritis deferendum. Et super ordinatione ecclesiarum vestrarum nihil ante ipsius reditum in ejus præjudicium attendantes, ipsius adventum benigne ac humiliter exspectetis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Idus Februarii, anno nono.

CCLXIII.

. . . . . . . . PRÆPOSITO ET CANONICIS SANCTÆ MARIÆ MAGDEBURGENSIS.

*Confirmatur hospitale Sancti Alexii.*

(Apud S. Petrum, VI Idus Febr.)

Justis petentium desideriis, etc., *usque* assensu, hospitale Sancti Alexii, juxta præscriptam ecclesiam

(930-931) Vide Raynaldum, ad annum 1207, §. 14.

(932) Vide epistolam libri noni 22.

(933) Vide ibidem.

positum, cum pertinentiis suis, sicut ipsum juste ac pacifice possidetis, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri papæ, prædecessoris nostri, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat . . . nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sexto Idus Februarii, anno nono.

CCLXIII (934).

EISDEM.

*Confirmantur privilegia Romanorum pontificum eis concessa.*

(Apud S. Petrum, v Idus Februarii.)

Effectum justa postulantibus indulgere, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, præsertim, quando petentium voluntates et æquitas adjuvat, et utilitas comitatur. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut libertates, immunitates, rationabiles consuetudines, et alia jura ecclesiæ vestræ, quæ quorumdam vobis Romanorum pontificum privilegiis sunt indulta, eidem ecclesiæ auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Felicis siquidem recordationis Innocentius papa, prædecessor noster, instituit, ut in vestra ecclesia ordo canonicus secundum beati Augustini Regulam, et institutionem bonæ memoriæ Norberti, Magdeburgensis archiepiscopi, perpetuis temporibus observetur, et, ut eadem ecclesia tali gaudeat libertate, ut, nullius indebitæ subjectionis onere prægravata, Magdeburgensi duntaxat archiepiscopo respondeat in litteris dicto N. archiepiscopo destinatis, sub iis verbis indulsit : « Statuimus, ut secundum Regulam beati Augustini, et tuam institutionem in ecclesia Beatæ Mariæ in Magdeburg. perpetuis temporibus religio conservetur. Ipsam quoque ecclesiam in ea libertate manere decernimus, ut ad neminem, nisi ad te, frater charissime N. et ad tuos successores, Magdeburgenses archiepiscopos, respectum habeat, et nullius indebitæ subjectionis onere prægravetur, sed, tuæ libertatis fulta privilegio, suo duntaxat archiepiscopo de qualibet causa respondeat. » Præterea, piæ memoriæ Lucius papa, ejusdem vestigiis inhærendo, concessam eidem ecclesiæ libertatem suo privilegio confirmavit his verbis : « Eam libertatem, quæ a prædecessore nostro, felicis recordationis Innocentio, vobis indulta est, auctoritate apostolica confirmamus, ita ut ad neminem, nisi ad archiepiscopum Magdeburgensem, et suos successores, de ordine, vel de alia qualibet causa respectum habeatis, » insuper, bonæ memoriæ Cœlestinus papa ecclesiam ipsam in ea libertate, quam a tempore supradicti N. archiepiscopi, usque tunc habuisse dignoscitur, manere decrevit iis verbis : : « Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdeburgensis in ea libertate manere sancimus, in qua a tempore quondam N. archiepiscopi, usque ad præsens dignoscitur exstitisse. » Idem quoque prædecessor noster abbati et fratribus Præmonstratensibus, ne ecclesiam vestram indebitis exactionibus aggravarent, districte prohibuit sub hac forma : « Nos itaque, sustinere nolentes, ut a quoquam contra prædecessorum nostrorum indulta temere veniatur, auctoritate præsentium vobis districtius inhibemus, ne ab ecclesia Sanctæ Mariæ Magdeburgensis, quam mutua debetis charitate et sinceritate reverenter amplecti, contra id quod a prima sui fundatione per virum reverendissimum N. quondam, Magdeburgensem archiepiscopum, rationabiliter statutum dignoscitur, illam subjectionis obedientiam, vel ab aliis ecclesiis ipsius diœceseos expetatis, quam constat eas vobis, vel antecessoribus vestris, ab ordinis vestri exordio usque ad hæc tempora, nullatenus impendisse sed, quæ pacis sunt et concordiæ propensius imitantes, vicariæ (935) altercationis stimulum declinens, cum ex ea et animarum jactura proveniat, et fraternæ dilectionis unitas et religionis observantia dilabatur, sed, antiqua visitationis exhortatione, ac fraternæ charitatis dilectione, vos ad invicem in mansuetudinis spiritu, non in tumore vel elatione qualibet visitetis, ut inter vos religionis observantia jugiter convalescat, et discordiæ stimulus, cum auxilio cœlestis gratiæ de medio valeat amputari. » Nos igitur, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, indulta vobis et ecclesiæ vestræ a prædictis Romanis pontificibus approbantes, ea, sicut in ipsorum authenticis contineri perspeximus, et nunc pacifice obtinetis, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, districtius, inhibentes, ne quis de ordine Præmonstratensi, vel alio, eamdem ecclesiam, vel eos præsumat contra indulta sedis apostolicæ, temere molestare. Decernimus ergo, ut nulli omnimodo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, quinto Idus Februarii, anno nono.

CCLXIV.

... PRÆPOSITO (936)... CANTORI (937), ET MAGISTRO SCHOLARUM REMENSIBUS.

*Ut episcopum Tornacensem, ad J. subdiaconum, juxta tenorem mandati apostolici de hoc jam dati providendum cogant.*

(Apud S. Petrum, III Non. Januarii.)

Ad petitionem dilecti filii, J. subdiaconi, super provisione ipsius bonæ memoriæ... Tornacensi episcopo (953), qui cum in subdiaconnm ordinavit, secundum generalem formam, apostolicas litteras nos recolimus destinasse. Cumque dilecti filii B. (959)

(934) Vide Raynaldum, ad annum 1207, § 11.
(935) Sic legitur in apogr.
(936) Vide epistolam libri septimi 96, not.
(937) Vide epistolam libri quinti 149

(938) Vide epistolam libri tertii 4. not.
(939) Asso, ex priore Albiniaci, tertio ab urbe Artebatensi lapide, abbas monasterii de Monte S. Eligii. post annos undecim regiminis, migravit ad meliorem

de monte Sancti Eligii, et P. de Marcolo (940) abbates, et D. prior de Albiniaco (941), Atrebatensis diœceseos, quos concesseramus eidem subdiacono monitores, ipsum invenissent idoneum, sicut eorum transmissæ nobis litteræ continebant, ac idem episcopus, disponente Domino, concessisset in fata præfati monitores ipsius, ad venerabilem fratrem nostrum... Tornacensem episcopum (942), successorem memorati episcopi, recurrentes, ipsum ad providendum ei juxta formam mandati apostolici monere diligentius curaverunt, sed idem episcopus mandata et monitiones eorum surdis auribus pertransivit. Nolentes igitur, quod de provisione pauperum clericorum pro Deo et propter Deum incœpimus, relinquere inexpletum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus dilectum episcopum, ut juxta tenorem litterarum nostrarum subdiacono provideat memorato, monere diligentius et inducere procuretis; alioquin, eum ad id, omni contradictione et appellatione cessantibus, districtione, qua convenit, compellatis. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, tertio Nonas Januarii, anno nono.

## CCLXV.

LINGONENSI EPISCOPO (943).

*Respondet super privilegiis capellæ ducis Divionensis.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Martii.)

Cum capella nobilis viri... ducis Divionensis, gaudere dicatur hujusmodi privilegio, quod nullus archiepiscopus, vel episcopus, in personas canonicorum ejusdem capellæ suspensionis, vel excommunicationis, aut etiam interdicti sententiam audeat promulgare (944)... decanus Christianitatis, et quidam alii capellæ supradictæ canonici, qui parochales ecclesias a te tenent, occasione privilegii prælibati, in his etiam, quorum jurisdictio ad te pertinet, ita se dicunt exemptos, quod quantumcunque graviter interdictum excedant, tuæ correctioni recusant et sententiæ subjacere. Unde, a nobis doceri humiliter postulasti, qualiter tibi sit erga rebelles hujusmodi procedendum. Quocirca, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus in qantum exempti sunt ejusdem ratione capellæ, apostolicis privilegiis deferas reverenter, sed, in quantum ratione parochialium ecclesiarum, vel alia, jurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officii tui debitum in eosdem libere prosequaris.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendis Martii, anno nono.

## CCLXVI.

...EPISCOPO (945), ET... DECANO (946), ET CAPITULO, LINGONENSIBUS.

*Ut Hugonem de Faverniaco in canonicum, et fratrem recipiant.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Martii.)

Scientia litteralis et moralis honestas dilecti filii, magistri Hugonis de Faverniaco, quam multorum testimonio nobis notam, procurata per ipsum sæpius apud nos vestra reddiderunt obsequia notiorem ingratitudinis culpam exaggerare videntur, quam, apostolicum contemnendo mandatum, super ejus provisione semel et iterum vobis factum, non solum in nos, verum etiam et in ipsum probamini commisisse, cum, sine nostro quoque mandato, solo suæ probitatis intuitu, vel saltem exhibitorum obsequiorum obtentu, nequaquam debueritis eum relinquere beneficiis vestris vacuum, qui se dolet nullum hactenus fuisse beneficium in Ecclesia consecutum. Cum igitur, ex quo cœpimus pro eodem magistro apud vos interponere partes nostras, sibi deficere non velimus, sed potius circa eum opus incœptæ perficere pietatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus ipsum, sublato cujuslibet dilationis et excusationis obstaculo, in fratrem et canonicum admittatis, fructus præbendæ quondam H... Motez, concanonici vestri, quos, ipso in certis peregrinationis casibus subjacente, de illius morte vel vita certitudinem non habentes, percipitis in commune, salvo ipsius jure, si eum, dante Domino, redire contigerit, cum integritate omnimoda ipsi magistro liberaliter conferenda; præceptum apostolicum hac saltem vice taliter impleturi, quod, facientibus vobis de necessitate virtutem, per alium ad id non oporteat vos compelli. Alioquin, dilecto filio... cancellario Carnotensi... thesaurario Sancti Stephani Trecensis, et magistro R. de Corzon, canonico Noviomensi, Parisius commorantibus, dedimus nostris litteris in præceptis, ut, vobis in exsecutione mandati nostri cessantibus, ipsi ad hoc, su-

vitam 19 Aprillis anno 1208. *Gall. Christ. nov.*, tom. XIII, col. 428.

(940) Petrus I, natione Anglicus, Arroasiensis canonicus, prius abbas de Dondelvilla et de Valencenis, Mareolensi Ecclesiæ præerat anno 1210, mense Nov. ex tabulario Strumensi; cumque rexisset annis 14, posita dignitate an. 1216 (ex Locrio perperam 1221, ex dicendis et ex jam dictis), ad locum professionis suæ rediit, ubi, paucis annis superstes, senex et phenus dierum in pace quievit. Anno 1203 Mareolensis abbas litteris Radulphi Atrebat, episcopi, a jurisdictione Scabinorum eximitur. *Ibid.*, col. 444.

(941) Illi nomen erat *Desiderius*. Desiderius enim ex decano S. Petri Insulensis, ac deinde *Albiniaci priore*, factus fuit abbas modasterii Montis S. Eligii post Assonem, de quo supra, not.

(942) Vide epistolam libri septimi 113, not.

(943) Vide epistolam libri noni 260, not.

(944) Vide epistolam libri septimi 61.

(945) Vide epistolam libri noni 260, not.

(946) Evardus III (qui et Ebrardus), decanus Lingonensis, memoratur in instrumentis, ab anno saltem 1204, usque ad annum saltem 1207. Anno. 1212, Nicolaus *decanus*, reperitur in charta quadam. In charta, vero, Hugonis episcopi, anno 1221. Ebrardus noster *quondam decanus* dicitur. *Gall, Christ. nov.*, tom. IV, col. 647.

blato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, vos per censuram ecclesiasticam compellere non postponant.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, xii Kalendas Martii, anno nono.

## CCLXVII.

...EPISCOPO (947), ET... ABBATI SANCTI MARTINI (948), ET... CANTORI, LEMOVICENSIBUS.

*Ut bonorum P. subdiaconi, et notarii papæ. invasores excommunicationi subjiciant.*

(Apud S. Petrum, xii Kal. Martii.)

Si... Solemniacensis abbas (949), et alii, qui, eo, sicut accepimus, machinante, post obitum bonæ memoriæ magistri P. subdiaconi et notarii nostri, facultates matris et fratrum suorum temere invaserunt, diligentius attendissent, quantum idem notarius in vita sua, pro laudabili suæ fidelitatis obsequio nobis et fratribus nostris charus exstiterit et acceptus, quantumve nos, ne videremur eum illis beatis agminibus invidere, ad quæ christianissimo vitæ fine creditur pervenisse, de ipsius transitu doluerimus, profecto, si non ob publicæ justitiam honestatis, pro nostra saltem et apostolicæ sedis reverentia, vitavissent afflictionem afflictis addere, ac in nobis piam defuncti tristitiam charorum suorum querimoniis augmentare. Ne igitur dolores dissimulare videamur eorum, quibus idem notarius non aliud, post Deum, quam apostolicæ sedis refugium dereliquit, præsertim, cum querela vivorum in hac parte sit quasi causa defuncti, cujus anima contra illos ab nos clamare videtur, qui eum forsitan in suis superstitibus persequuntur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, faciatis auctoritate nostra excommunicationem publicam et solemnem, per quam denuntietis illos excommunicationis sententiæ subjacere, qui, post mortem memorati magistri, bona matris et fratrum suorum indebite occuparunt, aut occupari fecere, vel eorum personis temere injurias intulerunt, vel fecerunt inferri, nisi, infra quindecim dies postquam fuerint a vobis admoniti super ipsis tam plenam quam debitam satisfactionem impenderint, eamdemque sententiam usque ad satisfactionem condignam faciatis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, singulis Dominicis et festivis diebus, pulsatis campanis et candelis accensis, per totam Lemovicensem diœcesim innovari eam solemniter facientes, et, cum eos per sollicitudinem vestram in sua velimus justitia conservari, quantoties prænominati magistri mater aut fratres ab illis, quorum judicium ad forum ecclesiasticum pertinere noscetur, in aliquibus se querentur indebite molestari, vos eos auctoritate præsentium ab ipsorum molestatione indebita per censuram ecclesiasticam compescatis; illos vero, quorum causæ ad forum pertinent sæculare, per judices suos ab eorumdem faciatis injusta molestatione compesci. Qui si forsan post commonitionem vestram hoc efficere recusaverint, vos molestatores hujusmodi a præfaturum molestatione indebita censura simili, remoto appellationis obstaculo, arceatis, cum justitiam miserabilium personarum apostolica sedes exfendere teneatur, quæ debet esse ultimum refugium oppressorum; præceptum apostolicum tuliter exsequentes, quod non positis de negligentia reprehendi, sed potius de obedientia commendari. Ut autem plenius justitiæ provideatur eorum, volumus et mandamus, ut hæc, quam vobis auctoritate præsentium conferimus, jurisdictio, ad vestros etiam successores, si opus fuerit, extendatur, qui, eos in suis justitiis conservando, contra molestatores ipsorum præscripto modo, appellatione remota, procedant. Testes autem, etc. Nullis litteris obstantibus harum mentione non habita, si quæ apparuerint a sede apostolica impetratæ. Quod si non omnes... duo vestrum, etc...

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, xii Kalendas Martii, anno nono.

## CCLXVIII.

ALBERTO, MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPO (950).

*Ut irritet quasdam donationes beneficiorum contra jura factas.*

(Apud S. Petrum, Idibus Februarii.)

Ad audientiam nostram, te significante, pervenit, quod L. prædecessor tuus (951), dum esset excommunicationis vinculo innodatus, quamplura ecclesiastica beneficia quibusdam præsumpsit clericis assignare, quæ illi detinere præsumunt, licet ex donatione tali jus in ipsis non fuerint aliquod assecuti, imo potius laqueum excommunicationis incurrerint, cum in recipiendo participaverint cum eodem. Nos igitur, attendentes, quod nec ille tunc dare, nec isti jus in eis ex donatione ipsius aliquod consequi potuerunt, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, quatenus donationes beneficiorum illorum, auctoritate sedis apostolicæ, appellatione remota, decernens irritas, et inanes, beneficia ipsa personis idoneis canonice valeas as-

(947) Vide epistolam libri quinti 78, not.

(948) Bernardus I Gibertus, ex cellario Solemniacensi, ascitus abbas S. Martini, hanc sapienter rexit Ecclesiam per 12 annos, fato functus anno 1214, xvi Kalend. Aprilis; qui expresse inhibuit ne fieret pompa candelarum in funere suo, præcepitque candelam in feretro suo unicam accendi. *Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 584.

(949) Hugo I de Malomonte *de Maumont*, recensetur in Actis publicis, ab anno 1195 ad 1228, quo cessit Ademaro. Anno 1214, societatem precum iniit cum Radulfo, S. Eligii Noviom. abbate. Vivebat adhuc 1232. *Ibid.*, col, 571.

(950) Vide epistolam libri noni 22, not.

(951) Ludolphus, rustica familia, sed eruditione nobilis, ecclesiasticæ disciplinæ promotor, electus fuerat anno 1194. BUCEL. *German. sacr.*, part. I, pag. 40, col. 1.

signare. Nulli ergo.., nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Idibbus Februarii, anno nono.

CCLXIX.

EIDEM (952)

*Confirmatur institutio quorumdam ecclesiarum.*

(Romæ, XIV Kal. Martii;)

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum igitur, Lut. prædecessor tuus (953), tempore, qno gratiam et communionem apostolicæ sedis habebat ecclesiam Beati Petri Magdeburgensis conventualem provida deliberatione statuerit, tribus mansis in Sedorp, decem libris Magdeburgensis monetæ in villa Wortunæ, uno manso in Walteresdorp, decima in Willebeke, viginti et uno mansis in Pokeriz, viginti quinque mansis in villa Mentiz, ecclesia Sancti Michaelis suburbio Magdeburgensi, ab ipso, et, ab Henrico Angariensi præposito, tribus areis in eadem civitate, Ecclesiæ liberaliter collatis eidem, nos, tuis precibus inclinati, institutionem ipsam, et donationem possessionem earum, sicut rationabiliter ac provide factæ sunt, ratas habentes, easdem auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIV Kalendas Martii, anno nonno.

CCLXX.

...ABBATI DE SICHEN, HALBERSTATENSIS DIOECESEOS... SCHOLASTICO SANCTI SEBASTIANI, ET MAGISTRO ARNOLDO, PLEBANO SANCTI JOANNIS MAGDEBURGENSIS.

*Ut inquirant super excessibus præpositi de Hunoldesbur. et referant.*

(Apud S. Petrum, XIII Kal. Martii.)

Super speculam Domini constitutos, cum ea de personis ecclesiasticis nostris auribus referuntur, per quæ nostrum ministerium blasphematur, nos oportet descendre, ac videre, illius exemplo, qui cum villico diffamato posuit rationem, et comperto quod bona dissipasset ipsius, a villicatione removit eumdem. Sane, ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod Albertus, præpositus de Hunoldesbure, et Rodulfus de Ranis, canonici Magdeburgensis Ecclesiæ, super quibusdam criminibus per totam Magdeburgensem provinciam sunt publice infamati. Volentes igitur, juxta quod speculationis officium postulat, veritatem plenius indagari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, si est ita, inquiratis super excessibus illis, appellatione remota, plenius veritatem, et gratia, odio, et timore postpositis, quæ inveneritis fideliter conscribentes, sub sigillis vestris ad nostram præsentiam transmittatis, ut per vestram relationem instructi, prout procedendum super his

A fuerit, auctore Domino procedamus. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XIII Kalendas Martii, anno non.

CCLXXI.

EPISCOPO (954), ET CAPITULO LEMOVICENSIBUS.

*Ut R. de Turribus in canonicum et fratrem recipiant.*

(Apud S. Petrum, XI Kal. Martii.)

De facili perpendere non valemus, utrum preces, quas pro dilecto filio, R. de Turribus, canonico Sancti Aredii, vobis misimus, in ipsum invidiam exercendo, an adversum nos committendo ingratitudinem, repuleritis, cum, in altero, probi viri declinasse consortium, et in reliquo, de nostro nobis in ipso reddere denegando, inobedientiæ videamini B commisisse peccatum. Sane, cum vobis dederimus in mandatis, ut ipsum, ob reverentiam Beati Petri et nostram, in canonicum admitteretis et fratrem, vos, nec ad preces nostras debitum habentes cum devotione respectum, nec ejusdem clerici meritum attendentes, qui, sanguinis et virtutum luce conspicuus, dignus est vestro consortio, nisi suo vos forsitan existatis indigni, utpote qui charissimam in Christo filiam nostram, J. Angliæ reginam illustrem, linea consanguinitatis attingere, morumque noscitur honestate pollere, mandatum nostrum efficere noluistis, quanquam personam ejus, utpote vobis notam, reddideritis commendatam, sicut dilecti filii... abbas de Petrosa (955), et... prior S. Joannis de Cola, qui super ejus receptione nostra vos auctori- C tate monuerant, per suas nobis litteras retulerunt Licet igitur ex hoc ipso, quod in personam clerici memorati nequaquam aliquid excepistis, sed potius commendastis eamdem, ad receptionem ipsius inevitantius cogere vos possemus, volentes tamen per nostram mansuetudinem vestram sibi gratiam procurare, discretioni vestræ per iterata scripta mandamus, et districte præcipimus, quatenus hac saltem vice prænominatum clericum in fratrem et canonicum admittatis, ac fraterna curetis affectione tractare; sollicite provisuri, quod præceptum nostrum, faciendo de necessitate virtutem, taliter impleatis, ut ad exsecutionem ipsius per alium non oporteat vos compelli. Alioquin, venerabili fratri nostro... episcopo Xanctonensi (956), et dilectis D filiis... thesaurario, et Eliæ de Græcia, canonico Engolismensi, per scripta nostra dedimus in præceptis, ut, nisi rationabilem causam objicere curaveritis et probare, propter quam id non possitis, vel non debeatis implere, ipsi vos ad hoc, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellere non postponant.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, XI Kalendas Martii, anno nono.

(952) Vide epistolam libri noni 22, not.

(953) Vide ad epistolam proximo superiorem not.

(954) Vide epistolam libri quinti 68, not.

(955) Nullum, circa hæc in quibus versamur tempora, monasterii B. Mariæ de Petrosa abbatem nominat imperfecta admodum monasterii hujus abbatum series apud auctores *Novæ Galliæ*, tom. II, col. 1505.

(956) Vide epistolam libri quinti 96, not.

# INNOCENTII III

## ROMANI PONTIFICIS

# EPISTOLARUM SIVE REGESTORUM

## LIBER DECIMUS.

### PONTIFICATUS ANNO X, CHRISTI 1207.

—

### I.

ABBATI EVESHAMENSI.

*Remittit A. monachum suum excommunicatum. cum eo super certis dispensandum.*

(Apud S. Petrum, II Kal. Martii.)

In nostra præsentia constitutus dilectus filius A, monachus, nobis lacrymabiliter explicavit quod cum olim apud monasterium de Chich professionem fecerit regularem, inimico humani generis instigante ab eodem loco licentia non petita recessit, asportans secum quamdam pecuniæ quantitatem : qui licet propter excessus hujusmodi fuisset excommunicationis vinculo innodatus, ad tuum tamen monasterium veniens, habitam ibidem monachalem assumpsit. Cumque tibi postmodum in secreta con- B fessione quæ præmisimus intimasset, et tu apud dictum abbatem de Chich precibus institisses ut eidem A. beneficium absolutionis impenderet, nec ille annueret postulatis, tu eumdem A. ad monasticam professionem admittens, ipsum fecisti in presbyterum ordinari. Et quamvis tempore procedente inter vos discordiæ occasione suborta ipsum A. ab exsecutione sacerdotalis officii suspendisses, concordia tamen inter vos postea reformata, eumdem A. cum tuis litteris ad sedem apostolicam destinasti ut tam absolutionis quam dispensationis beneficium obtineret. Qui de mandato nostro a dilecto filio nostro I tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbytero cardinali absolutione obtenta, cum ad tecum ejusdem cardinalis litteris rediisset, ipsum antiquæ discordiæ non oblitus renuisti recipere C A redeuntem, quinimo eum habitum compulisti deponere monachalem. Nolentes igitur quod idem A. hujus occasionis obtentu materiam habeat ulterius evagandi, ipsum ad tuum monasterium duximus remittendum ; per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes quatenus ipsum patiaris ibidem in monastico habitu Domino famulari, cum eodem, prout expedire videris, dispensando.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Kal. Martii anno decimo.

### II.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI VEDATI ATREBATENSIS.

*Confirmatur eis privilegium Alexandri PP. super prohibitione concessionis aliquarum præbendarum quas canonici B. Petri recipiebant.*

(Apud S. Petrum, V Kal, Martii.)

Quanto religiosi viri ad conservationem propositi sui majori secessu indigent et quiete, tanto propensius sæcularibus viris est omnis occasio amputanda, qua eorum pacem valeant impedire. Cum ergo felicis recordationis Eugenius papa prædecessor noster auctoritate apostolica prohibuerit, ne præbendas illas quas canonicis sæcularibus id ecclesia Beati Petri de mensa vestra cousuevistis conferre, concederetis alicui, eorum aliquo decedente, sed ad usus fratrum ecclesiæ vestræ sine aliqua contradictione redirent, ita tamen ut hac occasione præfata ecclesia divinorum nequaquam celebratione careret, et hoc quidem Alexander papa duxerit confirmandum ; nos eorum vestigiis inhærentes idipsum auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut illud futuris temporibus inviolabiliter

observetur. Nulli ergo... nostræ confirmationis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, v Kal. Martii, anno decimo.

III.

EISDEM.

*Irritatur quidam processus et confirmantur quædam indulgentiæ.*

(Apud S. Petrum, iv Kal.)

Cum super processu a dilecto filio... archidiacono et Gualtero Scholare Tornacensibus habito super causa quæ de præbendis ecclesiæ Sancti Petri inter vos et quosdam Atrebatenses clericos vertebatur, coram nobis esset hinc inde diutius disputatum, postulantibus dictis clericis ut sententiam ab eisdem judicibus promulgatam apostolico dignaremur munimine roborare; vobis autem in contrarium respondentibus quod eadem sententia irrita debebat inanisque censeri, utpote contra indulgentiam felicis recordationis Eugenii papæ prædecessoris nostri, quæ demum per bonæ memoriæ Alexandrum papam prædecessorem nostrum existitit confirmata, perperam lata fuerat, licet prædicti judices indulgentiam ipsam in bulla, charta, et stylo, circumstantias attendentes, multiplici se dixerint habuisse ratione suspectam, nos iis et aliis diligenter auditis et plenius intellectis, quia cognovimus indulgentiam prælibatam nullum falsitatis indicium continere, ac judices supradictos contra ipsam in eodem negotio perperam processisse, processum eorum in irritum duximus revocandum, et præfatam indulgentiam approbantes, ipsam jussimus confirmari. Nulli ergo... nostræ diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, iv Kal. Martii, anno decimo.

IV.

ABBATI SANCTI AUBERTI, . . . . CANTORI, ET MAGISTRI R. DE BEKEREL CANONICO CAMERACENSI.

*Ut Hugonem subdiaconum ad canonicatum et præbendam Ecclesiæ Brugensis vacantem recipi faciant.*

(Apud S. Petrum.)

Dilecti filii... Sancti Frambaldi decanus, et magistri I. poeta et H. de Aurelianis canonici Silvanectenses, per suas nobis litteras intimarunt quod cum bonæ memoriæ... præpositum et dil. . . fil. . . decanum et capitulum Brugenses, quibus pro dil. fil. Augone subdiacono direximus scripta nostra, auctoritate apostolica movere ac inducere curavissent ut ipsum juxta mandati nostri tenorem in Ecclesia sua reciperent in canonicum et in fratrem et dictus præpositus præbendam, si qua vacaret ibidem, ei liberaliter assignaret, ipsi pro eo quod nulla præbenda in Ecclesia ipsa vacabat, et de vacatura in nostris litteris mentio non fiebat, mandatum apostolicum prorsus irritum judicarunt. Verumtamen præpositus idem adjunxit quod si prædictus subdiaconus suæ se super hoc exponeret voluntati, taliter provideret eidem quod de ipso juste conqueri non valeret, cui etiam capitulum repromisit quod quandocunque ipsorum præpositus in eorum Ecclesia aliquam præbendam conferret eidem, ipsi stallum in choro et locum in capitulo et alia quæ ad eosdem pertinent liberaliter assignarent. Sed tamen idem præpositus postmodum mandatum apostolicum exsequi non curavit. Cæterum subdiaconus memoratus, cum præfato præposito viam universæ carnis ingresso capitulum quemdam ejusdem Ecclesiæ canonicum in præpositum nominassent, ne ipsius præbenda alii conferretur, ad sedem apostolicam appellavit. Nolentes igitur quod de præfato subdiacono misericorditer inchoavimus relinquere inexpletum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus memoratos decanum et capitulum et præpositum, si quis interim fuerit institutus, ut eum ad præbendam vacantem in Ecclesia eorumdem recipiant in canonicum et in fratrem, ipsi stallum in choro et locum in capitulo assignantes, monitione præmissa, per districtionem ecclesiasticam, sublato cujuscunque coutradictionis et appellationis obstaculo, compellatis. Testes autem qui fuerint nominati. etc, Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum.

V.

NOBILI VIRO B. DUCI SAXONIÆ.

*Recipitur ipse cum bonis suis sub protectione apostolicæ sedis.*

(Apud S. Petrum, v Mon. Martii.)

Cum juxta canonicas sanctiones non sit contra quempiam procedendum nisi confessus fuerit vel convictus, aut notorius sit ejus excessus, vel ipse contumax appareret, aut publice infamatus; nos qui juris ordinem volumus, sicut convenit, observare, auctoritate præsentium tibi duximus concedendum quod si aliquid adversum te contra præscriptum ordinem a nobis apparuerit impetratum, tibi per illud, tanquam subreptum, nullum præjudicium generetur; personam tuam, cum iis quæ in præsenti rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, suscipientes sub protectione apostolicæ sedis, tanquam principem catholicum et devotum. Nulli ergo... nostræ concessionis et protectionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, v Non. Martii, anno decimo.

V.

SOPHIÆ ABBATISSÆ QUINDELINGEBURGENSIS MONASTERII EJUSQUE SORIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULARITER SUBROGANDIS IN PERPETUUM.

*Monasterium ipsum Romano pontifici immediate subjectum et quædam alia eisdem conceduntur, solvo semper censu annuo unius libræ argenti.*

(Apud S. Petrum, Non. Martii.)

Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religio-

nis per opera sanctitatis jurgiter se præparant ire obviam Sponso, præsidium debet apostolicum impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus,et præfatum Quindelingeburgense monasterium, quod beati Petri juris existit, et ab illustris memoriæ Henrico rege fundatum est, et sub annuo censu unius libræ argenti Ecclesiæ Romanæ oblatum, ad exemplar felicis recordationis Agapiti, Joannis, Silvestri, Innocentii, et Lucii prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium,seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vobisque succedentibus et illibata permaneant. Innovamus etiam et omnimodis prohibemus ut nulli unquam personæ vel Ecclesiæ,præterquam Romanæ Ecclesiæ, idem monasterium submittatur. Sed nec alicui regum aliqua licentia pateat illud in beneficium dare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum aliqua quæ tibi successerit, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu,vel sororum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerint eligendam. Sicut autem præfatum monasterium soli tantum Romano pontifici subjacere statuimus, ita nihilominus de personis tam clericorum quam laicorum seu cæteris rebus ad eumdem locum generaliter pertinentibus, et vestro servitio deputatis,præsenti decreto sancimus sicut eorumdem prædecessorum nostrorum sanctione noscitur institutum. Simili quoque modo decernimus ut claustrum Sanctæ Mariæ in monte secundum beati Benedicti Regulam, et claustrum Sancti Quichberti in præfato loco Quidelingeburch, necnon claustrum Sancti Nicolai in Winethusen, secundum Deum et beati Augustini Regulam ordinentur. Universa insuper quæ sunt ecclesiæ Sancti Michaelis archangeli sitæ in loco qui vocatur Lapis Sancti Michaelis, ex bonis bonæ memoriæ Burchardi militis, vobis et eidem vestræ Ecclesiæ nihilominus confirmamus. Adjicientes etiam, ut quicunque Deo ibi servire decreverint, sine proprio communiter et regulariter vivant, et semper sub Quidelingeburgensis monasterii, sicut hactenus, jure ac dispositione consistant. Idipsum quoque de ecclesia Sancti Joannis Baptistæ sita in Quidelingeburch et hospitali domo ad suscipiendos pauperes juxta eam præsenti scripto statuimus. Verumtamen ibidem presbyter religiosus et sapiens statuatur qui etiam pauperum curam gerat. Exceptis quoque excommunicatis et interdictis, si quis ibi sepeliri desiderat,nequaquam prohibeatur,justitia nimirum matricis Ecclesiæ ac reverentia salva. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem quod idem monasterium Beati Petri juris existat, unam libram argenti annis singulis,nomine census, nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, etc. *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, qua. etc., *usque in finem.*

Datum Romæ aqud Sanctum Petrum,per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, Non. Martii, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno decimo.

## VII.

### CAPITULO MAGDEBURGENSI.

*Prohibetur eis ne certa jura et bona eorum, aliis quam canonicis vendere vel locare valeant.*

(Apud S. Petrum II Non .Martii.)

Venerabilis frater noster Albertus archiepiscopus vester nobis humiliter supplicavit ut inhibere vobis auctoritate apostolica dignaremur ne quis vestrum curias vel claustrales areas, quæ vendi debent tantummodo canonicis Magdeburgensibus vel locari, personis aliis donare, vendere vel locare præsumat. Nos igitur ejus precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium inhibemus ne curias vel areas supradictas aliis quam concanonicis vestris præsumatis donare, vendere vel locare; dummodo ipsi justum pretium offerant pro eisdem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Non. Martii, anno decimo.

## VIII.

### ALBERTADIENSI ET MERSEBURGENSI EPISCOPIS, ET ABBATI SANCTI JOANNIS IN MONTE MAGDEBURGENSI.

*Quod presbyteros et alios viros idoneos in ipsa Ecclesia in canonicos et fratres recipere non recusent non obstante privilegio quodam eis concesso.*

(Laterani, VIII Id. Martii,)

Venerabilis frater noster Magdeburgensis archiepiscopus sua nobis insinuatione monstravit quod cum bonæ memoriæ Benedictus et Joannes papæ

prædecessores nostri canonicis Magdeburgensibus A ministrantibus altari majori in quibusdam festivis diebus sandaliorum usum duxerint concedendum, sicut in ipsorum privilegiis continetur, plerique canonicorum illius occasione indulti, aiunt neminem ad illius altaris ministerium debere admitti qui non fuerit cum sandaliis ordinatus, propter quod presbyteros discretos pariter et honestos, qui possent eidem ecclesiæ utiliter deservire, in fratres et canonicos assumere contradicunt. Cum igitur ex gratia sibi ab apostolica sede collata iidem sumere non debeant materiam malignandi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus facientes vobis dictum privilegium præsentari, et eo diligenter inspecto, si nihil aliud de sandaliis contineatur in ipso nisi quod ministri altaris eis certis diebus B utantur, auctoritate nostra Magdeburgensi capitulo injungatis ut propter hoc presbyteros idoneos et alios viros honestos, cum necesse fuerit, in fratres et canonicos recipere non recusent. Alioquin etiam archiepiscopus suus in eodem non celebraret altari, cum non fuerit a nobis in sandaliis ad officium sacerdotale promotus, cum nos neminem cum sandaliis in presbyterum ordinemus; sed utentem sandaliis in episcopum consecramus. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, VIII Idus Martii, anno decimo.

## IX.

MAGISTRO GERVANDO.

*Confirmatur collatio sibi facta cujusdam præbendæ* C *Magdeburgensis.*

(Laterani, VI Id. Martii.)

Licet causam quæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum Albertum archiepiscopum et quosdam canonicos Magdeburgenses super collatione quarumdam præbendarum ab eodem archiepiscopo facta, quarum una tibi ab ipso exstitit assignata, venerabilibus fratribus nostris... Merseburgensi et bonæ memoriæ... Brandeburgensi et... Havelbergen. episcopis commiserimus fine canonico terminandam, nos tamen devotionem quam erga personam nostram et Romanam Ecclesiam habere dignosceris attendentes, intuitu quoque probitatis et litteraturæ tuæ, ita duximus providendum, ut si ad archiepiscopum ipsum, eo tempore quo dictam D præbendam tibi contulit, ipsius donatio pertinebat, quod circa te factum est de ipsa præbenda, in sua permaneant firmitate. Quod si ad nos tunc erat ipsius donatio devoluta, de speciali gratia eam tibi duximus conferendam. Cum igitur secundum utrumlibet modum eam te velimus habere, nos ipsam tibi auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ provisionis et confirmationis infringere vel ei ausu, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VI Idus Martii, anno decimo.

## X.

CAPITULO MAGDEBURGENSI.

*Super eodem, et pro eodem G. scribitur ut eum recipiant et admittant.*

(Datum, *ut in alia.*)

Licet causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Albertum archiepiscopum vestrum et quosdam ex vobis vertitur super collatione quarundam præbendarum ab eodem archiepiscopo facta, etc, *in eumdem modum usque* confirmamus. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus magistrum ipsum juxta Ecclesiæ vestræ consuetudinem recipientes in canonicum et in fratrem, eumdem fraterna charitate tractetis.

Datum, *ut in alia.*

## XI.

ALBERTO MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

*Super eodem et pro eodem G.*

(Datum, *ut in alia.*)

Licet causam quæ inter te ac quosdam Magdeburgenses canonicos, etc., *in eumdem modum usque* confirmamus. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus eidem stallum in choro et locum in capitulo auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, studeas assignare.

Datum, *ut in alia.*

## XII.

..MERSEBURGENSI EPISCOPO ET.. BRANDEBURGENSI ET... HAVELBURGENSI ELECTIS.

*Super eodem.*

(Datum, *ut in alia.*

Licet causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum Albertum archiepiscopum et quosdam canonicos Magdeburgenses vertitur, etc., *in eumdem modum usque* confirmamus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus memoratum magistrum possessione ipsius præbendæ facientes auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum, *ut in alia.*

## XIII.

ULRICO CLERICO.

*Confirmatur custodia S. Petri in Leodio sibi collata.*

(Apud S. Petrum, VI Non Martii.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., *usque* perducatur effectum. Eapropter dilecte in Domino fili, tuis justis precibus inclinati, custodiam Sancti Petri in Leodio, quam ex concessione venerabilis fratris nostri H. Leodiensis episcopi te asseris assecutum, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus,

et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Non. Martii, anno decimo.

## XIV.

### LUCÆ ABBATI ET CONVENTUI BURGULIENSI.

*Datur certus modus vivendi et regendi monasterium ad relationem nonnullorum, quibus correctio exstiterat commissa.*

(Laterani, VII id. Martii.)

Ad evellendum et destruendum, ædificandum pariter et plantandum, super gentes et regna disponente Domino constituti, iis tenemur robur apostolicum impertiri quæ inter viros religiosos, pro resecanda dissulutionis materia et virtutibus coalendis, deliberatione previda statuuntur, ut in odorem unguentorum Domini pede currant adolescentulæ inoffenas, et liberius secus pedes Domini sedeant cum Maria. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus inclinati, ea quæ dilecti filii... de Savigneio et.. de Claromonte abbates Cisterciensis ordinis, et P· de Butera canonicus Andegavensis, quibus correctionem monasterii vestri duximus committendam, pro informatione religionis et utilitate monasterii vestri vobis consentientibus provide statuerunt, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, constitutiones ipsas, prout in eorum authentico continetur, ad evidentiam pleniorum de verbo ad verbum huic nostræ paginæ inserentes.

« *Statuimus* pro bono pacis et amore religionis quod abbas, qui plus debet prodesse quam præesse et discipulos suos magis exemplo quam verbo docere, semper pauset in dormitorio, nisi fuerit infirmus aut minutus, vel aliqua manifesta necessitas exegerit, vel magnum laborem sustinuerit. Nec abbas nec aliquis monachus habeat coopertorium nisi de agniculis vel catis vel vulpibus, et cum panno nigro vel albo ordinato. Sæpius comedat in refectorio: et si in camera comederit, comedat cum fratribus sive clericis et laicis. Longas autem vigilias post completorium prohibemus. Nullus monachus comedat in infirmaria sine licentia abbatis vel prioris. Nullus clericus vel laicus comedat nisi in hospitio; exceptis servientibus, qui comedere potuerunt in suis officinis, nisi fuerunt excellentes personæ. Abbas sæpius intersit divinis officiis, et sedeat in claustro causa ædificationis. Non donet redditus vel possessiones, vel aliquid quod a monacho bene et ad utilitatem Ecclesiæ ministrari possit, parentibus suis vel aliis. Non sit sumptuosus circa parentes suos vel alios in expensis vel donis. In omnibus negotiis suis vel visitandis obedientiis sit contentus quinque aut sex equitaturis, nisi forte aliquos bonos viros causa consilii vocaverit. Non exigat munera a prioribus pro dono prioratuum. Non amoveat aliquem de prioratibus vel baliis dum bene fuerit, nisi causa eminentis utilitatis, et hoc

A faciat cum consilio seniorum. Non sustineat destructorem, sed amoveat, et puniat regulariter, ut cæteri terreantur. Provideat ordinate in omnibus necessariis omnibus fratribus, moderate et honeste, et non tamen superflue, et provideri faciat a prioribus. Redditus et possessiones collatas vel acquistas tam olim quam in posterum non alienet a locis quibus dabuntur, sine consilio capituli. Non donet pensionem alicui nisi de speciali mandato domini papæ. Non accipiat mutuum ultra viginti quinque libras Andegavensis monetæ sine sigillo et conscientia capituli. Non faciat plegium pro aliquo. Non invadiet thesaurum vel possessiones Ecclesiæ nisi cum consilio seniorum et, convocatis prioribus exterioribus infra unam dictam manentibus. Nec

B aliquam institutionem faciat nisi in generali capitulo quod celebratur in festo apostolorum Petri et Pauli. Si qua minora gerenda sunt per annum, consilio seniorum utatur; et quod melius judicaverit, faciat. Nullam obedientiam vel balivam teneat abbas in manu sua, sed quam citius poterit, priorem vel bailivum constituat idoneum, præter hospitium et camerariam, quæ sibi poterit retinere, si voluerit. Non committantur alicui duo officia vel prioratus, quandiu quilibet monachus eos utiliter administrare poterit; nec donet eos ad vitam vel ad certum terminum, nec donet eos extraneis monachis. Omnes balivas tam in capite quam in menbris, quæ per monachos administrari possunt ad honorem et utilitatem Ecclesiæ clericis vel laicis

C sæcularibus non committat, nec a prioribus committi permittat. Quod vero per monachos administrari non potest, per condonatos idoneos administretur. Omnes tam priores quam claustrales intus et exterius communitatem firmiter teneant in monasterio, in dormitorio, in refectorio. Nec aliquis in refectorio sumat nisi communes cibos. Infirmaria suos redditus habeat. Infirmarius et piscinarius abbatiæ a capitulo eligantur. De priori abbatiæ faciat abbas secundum antiquam consuetudinem. Sigillum capituli statuimus et præcipimus ut custodiatur sub tribus clavibus; quarum unam habeat abbas; duo electi in generali capitulo et jurati alias duas custodiant, nec aliquid in eo sigillent nisi de assensu præsentis capituli, et hoc ipsum in sequenti capitulo generali recitetur. Abbas, vel prior abbatiæ,

D cum aliquo monacho honesto et discreto ad præceptum abbatis singulis annis omnes semel obedientias visitet; et si quid invenirit corrigendam, corrigat, et quod correxerit, vel corrigendum reliquerit, abbati et capitulo renuntiet generali. Singulis annis in generali capitulo tam abbas quam balivi et priores reddant rationem de statu et debito officiorum suorum præteriti et præsentis anni, et status et debita in scriptum redigantur; et cum sigillo capituli custodiantur, in capitulo sequentis anni recitanda. Nec abbas nec aliquis de prioribus aliquos redditus vendat vel insidiat nisi ad præsentem annum. Si feodus vel alius redditus quoque modo

accciderit, non detur vel vendatur extraneis, sed cellario remaneat. Similiter ornamenta sacristæ reddantur, libri armario. Ad accusationem sæcularium clericorum vel laicorum monachi non condemnentur, nisi crimen sit notorium. Nec aliquis nisi præsens judicetur, vel damnetur, nisi fuerit contumax. Omnes condonati in habitu et in tonsura a sæcularibus discernantur. Pueri non recipiantur infra quindecim annos. Post quantumdecimum annum per triennium in custodia teneantur. Nullus monachus induatur camisiis, sed staminiis tantum, nec utatur stivalibus attingentibus ultra genu. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, VII Id. Martii, anno decimo.

## XV.

EPISCOPO ET... DECANO PARISIENSI.

*Ut procedant contra quosdam falsarios, pœna illos circa falsarios edita puniendo.*

(Laterani, V Id. Martii.)

Vestra prudentia nos consuluit utrum ab apostolica sede processerit hujusmodi decretalis allegata nuper in judicio coram vobis, quam de verbo ad verbum nobis in hac forma scripsistis.

« Quisquis in suis dubitationibus a nobis sperat remedium posse conferri, prona nos convenit animositate præstare. Discretionem igitur tuam non immerito commendamus, pro eo quod quæstionibus vanis et inutilibus vis finem imponere, quæ in foro tuo sæpissime cum magna legum altercatione discutiuntur, ecclesiasticæ utilitati consulendo, et subjectorum utilitati providendo. Ex tuarum itaque inquisitione quæstionum nobis innotuit quod quidam, causa coram suo ordinario non mota, vel causa mota, prætermissa appellatione, ad sedem apostolicam accedentes, ad judices alterius provinciæ litteras impetrant. Cum autem rei citati coram judicibus apparent, eorum examen declinare contendunt; quandoque contra adversarios excipientes, quia eos primo non admonuerunt, et auctoritatem sui ordinarii postposuerunt, quandoque quia extranei judicis expetere judicium vel pati recusant. Nos autem ab animo tuo dubitationem auferre cupientes, constituimus ut si quis, prætermissa judicis sui auctoritate ad nos accesserit, et litteras impetraverit, nisi ad judicem impetret ordinarium, ei nullum afferant penitus suffragium. Sacræ vero leges dicunt, quibus auctoritatem debemus accomodare, quod si quis, spreto judice provinciæ ad imperatorem accesserit, nullum debet ei dare responsum, ne in hoc videamur jura subvertere, ad quos potissimum pertinet ea tueri et fovere. De illis autem qui lite pendente litteras impetrant, judicamus eorum impetrationem illis non debere prodesse, cum privilegium super re litigiosa impetratum non valeat, maxime cum in sacris canonibus cautum inveniatur in medio litis sacras jussiones non impetrari. Si quis autem, dum lis examinatur, pragmaticum typum impetraverit, et prodesse nolumus. De illis autem qui ad judices extraneos litteras impetrant, sancimus juxta legum auctoritatem quod litteræ nullatenus debeant effectum sortiri, nisi illi qui litigant, contra metropolitanum vel præsidem provinciæ causam habuerint; maxime cum judices nostri temporis amorem Dei amori mundi quandoque postponunt, non animadvertentes quod occisores corporis non sunt timendi contra homines justitiam impellentes. Illam autem dicimus provinciam quæ juxta Chalcedonense concilium habet metropolitanum, et quæ certis limitibus est divisa, ut Aquitania, Britania, Normannia, et idem sit in similibus judicium. Sane consuluisti utrum illi dandæ sint induciæ deliberationis qui coram judice ordinario eas obtinuit, cum coram judice delegato reus apparet. Ad quod utique respondemus quod cum a nobis ad appellationem rescriptum est, dilationem tribui non licebit, eadem ratione qua in præsentia nostra tribui non solet. Ad hoc quod requiris utrum illi dandæ sint induciæ qui nostrum rescriptum in litteris citatoriis insertum accepit, dicimus quod eas implorare non debet, juxta Felicis papæ decretum constituentis quod episcopi accusatis per scripta debent significare quid opponatur, ut parati ad responsionem veniant; maxime cum copiam nostri rescripti eorum judice delegato habeat et diligenter possit perspicere ubi de rescripto aliquid fuerit adjectum vel subtractum. De eo autem quod dubitas, quod interdum titulo donationis, interdum titulo venditionis transferuntur villæ, tum ad laicos, tum ad religiosos, quarum possessione laici jus patronatus sibi vindincant, utrum ad illos transferatur jus patronatus cum universitate, ad hoc tale damus responsum, quod religiosæ personæ in villis acquisitis id vendicare possunt. »

Super quo vobis duximus respondendum quod quanquam in decretali seu potius concretali præmissa contineri aliqua juri consona videantur, quibus temerarius fabricator ipsius sua mendacia coloravit, nos tamen eam, utpote falsam, omnino respuimus et damnamus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus revocato in statum debitum si quid ejus occasione in favorem utentis ea fuerit attentatum, actores ipsius, si potuerint reperiri, vel illas quos noveritis usos esse scienter eadem pœna contra falsarios edita puniatis.

Datum Laterani, v Idus Martii, anno decimo.

—

## XVI.

HELIÆ ABBATI ET CONVENTUI DE RADINGIA CLUNIACENSIS ORDINIS.

*Ipsum monasterium et bona eorum suscipiuntur sub protectione, et confirmantur eis privilegia.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Martii.)

Sacrosancta Romana Ecclesia devotes et humiles filios ex sanctæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii,vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, monasterium de Radingia, in quo divino estis obsequio mancipati,cum omnibus bonis quæ in præsenti rationabiliter possidet aut in futurum justis modis,præstante Domino,poterit adipisci,necnon et personas in eo Domino famulantes,sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesias, capellas, terras, possessiones, et redditus, libertates et immunitates, et omnia alia quæ concessione pontificum, largitione regum vel principum, seu etiam emptione vel donatione ac oblatione fidelium,aut aliis justis modis estis hactenus assecuti,sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegia communimus,districtius inhibentes ne quis super privilegiis prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum vos aut monasterium vestrum temere molestare præsumat. Nulli ergo... nostræ protectionis, confirmationis et inhibitionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, IV Kal. Martii, anno decimo.

## XVII.

EISDEM.

*Indulgetur quod liceat eis bona monasterii alienata revocare.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum ex illorum incuria qui monasterio vestro per tempora præfuerunt, et damnosa taciturnitate conventus,qui plerumque factis eorum contradicere non est ausus, contra ipsius monasterii privilegia nonnulla de bonis ejus alienata dicantur in ipsius grave præjudicium et jacturam, volentes indemnitatibus suis paterna sollicitudine præcavere,præsentium vobis auctoritate concedimus ut quæ sic ab eodem monasterio alienata fore noscuntur, liceat vobis ad ipsum legitime revocare. Nulli ergo. ... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

## XVIII.

ABBATI DE RADINGIA.

*Ut in exterioribus monasterii procurationibus liceat sibi fratres professionis in religione approbatos absque contradictione constituere et revocare prout sibi videbitur.*

(Laterani, VI Id. Martii.)

Justis petentium desideriis, etc., *usque* assensu, A præsentium tibi auctoritate concedimus ut in exterioribus monasterii tui procurationibus liceat tibi, cum consilio capituli vel majoris aut sanioris partis ipsius, fratres professionis vestræ in religione probatos,industrios ac discretos absque contradictione cujuslibet,sicut eidem monasterio expedire videris, constituere, ac iterum exigente utilitate, vel urgente necessitate,cum tibi bene placuerit, de simili fratrem consilio revocare, ita sane quod res, possessiones,redditus et proventus monasterii memorati non nisi per manus fratrum, qui tibi et capitulo tuo de sibi commissis, prout debitum est, respondeant, disponantur. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VI Id. Martii, anno decimo.

B

## XIX.

MAJORI DECANO PRIORIBUS ET CÆTERIS CLERICIS COLONIENSIBUS.

*Adversis tribulationibus afflicti confortantur et inducuntur ut robustiores et intimidi existant.*

(Laterani, III Id. Martii.)

Licet Coloniensis Ecclesia in favorem suum super negotio imperii nos induxerit, non nos ipsam, ac ideo plus nos ei quam ipsa nobis de ipso negotio imputare possimus;quia tamen postmodum fidelem eam invenimus et devotam,hoc ipsum quod in suo proposito constantiam conservavit,ita gratum gessimus et acceptum,ac si sequentia,non de suo,sed C de nostro potius initio provenissent. Utinam autem nunquam natus homo ille fuisset qui Ecclesiam et civitatem vestram turpitudinum suarum contagione fœdavit,eamque pernitiosissimis factis suis in multiplicem difficultatem induxit! Vere filius Belial, quandoquidem ipse lubricus et versutus fuit, ipse versipellis et perfidus, callida semper arte decipiens, bonis nostris initia fraudulenta suggressit, ut tanto demum facilius malignari posset in ipsis, quanto de opere quod suo confidenses in eo familiaris pejus offenderet inimicus, illius imitando versutiam qui frequenter allicit nonnullos ad bonum, ut gravius malum eliciat ex eodem. Quia vero postquam draco ille projectus est, per quem Satan cribrandos vos quasi triticum expetivit, D nullatenus vestra fides deficit, quos adversarius impulit,non versavit,ariesque tentationum admotus constantiæ vestræ murum non potuit penetrare.Cum igitur tanquam aurum in fornace Dominus suos probet electos, fornacem persecutionis instantis æquanimiter ferre debetis; ut ex ea demum, si aurum estis, purius exeatis ; ne si decoctionis examen usque ad probationem perfectam aurum vestræ fidei non pertulerit, unde clarificari potuerat obscuretur; præsertim cum ante quam fornax hæc septuplum succendatur, potens sit Dominus mittere angelum sanctum suum,qui vobiscum in ipsam descendens, flammam ignis ex ea ministros proprios absumpturam excutiat, ac ipsam aspersione salvifici roris

exstinguat. Consolamini ergo, filii dilectissimi, consolamini, et pugnam quam suscitavit adversus vos inveteratus dierum malorum hostis antiquus, forti animo sustinete, quæ procul dubio non certamen, sed ludus et umbra certaminis vobis esse videbitur, si pugnatorem illum fortissimum attendatis qui cum omnes simul amisisset divitias, peremptosque filios audivisset, sub ruina quassatæ domus unum habuisse sepulcrum, succedentibus sibi malorum nuntiis, ad singulas plagas immobilis ferebatur; adhuc etiam ita graviter in proprio corpore flagellandus, ut pelli suæ consumptis carnibus os proprium adhæreret, nec tamen cessaret Dominum labiis benedicere, quæ sibi tantummodo circa dentes fuerant derelicta. Unde profecto vos, quos fidelis Deus tentari nullomodo patietur ultra quam ferre possitis, augere animum ac mentem convenit ampliare, complendo illud de sapiente præconium :

*Si fractus illabatur orbis*
*Impavidum ferient ruinæ.*
(HORAT., Od., lib. III, od. 3.)

Quoniam, etsi tribulationes vestræ plurimæ videantur Dominus tamen vos de iis omnibus liberabit, et præter id quod in præsenti vobis poterit retribuere, multo majus ab eo præmium in futuro poteritis de patientia vestra sperare. Non enim condignæ sunt hujus sæculi passiones ad futuram gloriam quam in vobis credimus revelandam, in qua procul dubio vobis pro defensione justitiæ inter illos merces æterna reddetur qui persecutionem propter justitiam patiuntur, et cum probati fuerint, coronam vitæ recipient, quam diligentibus se Dominus repromisit. Monemus ergo devotionem vestram et exhortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus inter malleum positi et incudem, imminentem pressuram per patientiam eludatis : quia licet, ut naufragi, latrones in littore videamini reperisse, ac juxta prophetarum eloquia, fugientes ursum, extensam dexteram ad parietem morderi a colubro metuatis, a duobus tamen caudis fumigantium titionum, qui contra vos consilium inierunt, manere impavidos vos oportet. Deus enim, qui decipientem agnoscit, et eum qui decipitur non ignorat, consiliarios fatuos in stultum finem adducet : potensque solvere regum balteum ac præcingere fune renes eorum, super eos qui suis credunt viribus principari despectionem effundet, et illos qui oppressi fuerant relevabit, ac sicut duxit nequam sacerdotem inglorium, ita supplantabit, cum voluerit, optimatem. Proinde patientes estote, ac libenter insipientes, cum sitis ipsi sapientes, feratis : quia per patientiæ clypeum adversitatum instantium ictus frangere, ac per tolerantiæ murum cuncta poteritis persecutionum jacula superare. Bonum nempe certamen hactenus certavistis. Sed cum nonnisi qui legitime certaverit coronetur, ut de reliquo vobis corona justitiæ reponatur, cursum vos decet perfecti operis consummare, quia nihil prodest in stadio cucurrisse, si ante quam comprehendatur bravium, currere desinatur. Pensetis autem de quanto bono Scariotis ille ceciderit, qui nequaquam in perseverantiæ bono stetit, quid Salomon amiserit, qui stabilitatem animi non servavit; in quem casum Saul devenerit, pro eo quod a proposito bono recessit. Et ut familiare magis exemplum in perseverantia vos consolidet, consideretis in quam ruinam principem quondam vestrum varietatis suæ culpa dejecit; cujus attendendo ruinam, de sua faciatis vobis damnatione cautelam, quia scriptum est *Sapiens de alieno vitio emendat suum, discendo vitare proprium per periculum alienum.* Ex illa vero arbore parabolam addiscatis quæ sive ad austrum sive an aquilonem ceciderit, ibi erit. Nam qui judicat fines terræ, ubi unumquemque invenerit, ibi eum procul dubio judicabit. In vespera namque laudatur diei serenitas, et in fine status boni operis commendatur, quoniam non est magnum bonum incipere, sed perfectum finire. Multi enim aggrediuntur arduas, sed in via deficiunt. Multi exeunt Babylonem, sed in itinere moriuntur. Perseverantia quippe currentem remunerat, roboratque pugnantem. Hæc est justi talaris tunica, quæ ad pedum extremitatem extenditur. Hæc est hostiæ cauda, quæ cum victima simul offerri jubetur. Hæc est operationis bonæ calcaneus, quem sapiens a serpente custodit. Hæc est quæ res difficiles ad facilitatem reducit. Hanc ergo curetis et vos taliter custodire ut per eam faciliter illas difficultates vincatis in quas, recedendo ab ipsa, vir instabilis et apostata vos induxit, pro certo sperantes quod adjuvante Domino sic intendimus in tentationibus vestris vobis in proximo subvenire quod ad instar evangelicæ mulieris, quæ cum pepererit filium, præssuræ non meminit, eum auxilium, quod exspectamus de cœlo, in vobis fuerit revelatum, succedentibus prosperis, adversitatum poteritis omnium oblivisci, nuntios vestros ad propria remissuri quam cito se facultas obtulerit opportuna. Virtutem quoque obedientiæ, quæ victimis antefertur, non solum erga nos, verum etiam erga venerabilem fratrem nostrum Brunonem archiepiscopum vestrum fortes et intrepidi observetis ; a qua si quis forsan apostatando discederet, tanquam reus criminis idololatriæ, cui secundum prophetam inobedientia comparatur, procul dubio puniretur.

Datum Laterani, III Id Martii, anno decimo.

## XX.

. . . TURONENSI ARCHIEPISCOPO, ETC. . . DE CHALOCEIO, ETC. . . DE ORATORIO ABBATIBUS ORDINIS CISTERCIENSIS ANDEGAVENSIS DIOECESIS.

*Ut Hilarium abbatem Burguliensem ad accedendum ad monasterium S. Jovini inducant et compellant pro fructuosa pœnitentia sibi injuncta in eo peragenda*

(Laterani, XVI Kal. Aprilis.)

Ex parte dilectorum filiorum. . . abbatis et conventus Burguliensis fuit propositum coram nobis

quod Hilarius quondam monasterii sui abbas, per diversas discurrens provincias, et conversationis pristinæ flagitia non abhorrens, per fautores et complices suos ac quosdam vicinos abbates Turonensis et Andegavensis diœcesum, qui eum dicuntur in suis iniquitatibus confovere, domos et redditus Burguliensis monasterii sibi et suis instanter postulat assignari; ut sic locum et vocem obtinens in monasterio memorato, ejusdem tranquillitatem valeat perturbare. Quod quoniam abbas et conventus prædicti sibi concedere denegant, cum ejus malitiam plenarii sint experti, consanguinei, complices, et fautores ipsius earumdem et Pictaviensis diœcesum bona monasterii diripiunt violenter, et quorumdam falsorum debitorum occasione prætenta contumelias monachis inferunt et jacturas, plerisque illorum truncationem membrorum et necem aliis intentantes, propter quod quamplures eorum ad procuranda negotia monasterii non audent accedere, scientes illos nullum facinus abhorrere. In tantam enim vesaniam et audaciam proruperunt quod grangiam monasterii de nocte incendio devastarunt, monasterium ipsum cum adjacente burgo eodem incendio vastaturi, nisi ventus contrarius divina clementia excitatus flammas ignium avertisset. Cum igitur idem Hilarius ab administratione ipsius monasterii e nobis sententialiter exigente justitia sit amotus, et ad pœnitentiam peragendam in monasterio Sancti Jovini de Marnis eumdem præceperimus commorari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus memoratum Hilarium, ut in claustro præfati monasterii Sancti Jovini resideat, et ibidem agat pœnitentiam fructuosam, juxta quod eidem duximus injungendum, nec extra ipsum monasterium evagetur, moneatis attentius et efficaciter inducatis. Alioquin ipsum ad id per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, cogere non tardetis; consanguineos, complices, et fautores ipsius a præfati monasterii et monachorum molestatione indebita et falsorum debitorum exactione, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublata appellatione, districte compescentes, et facientes eisdem de damnis et irrogatis injuriis satisfactionem debitam exhiberi. Quod si non omnes, tu, frater archiepiscope, etc.

Datum Laterani, XVI Kal. Aprilis, anno decimo.

### XXI.

ABBATI ET CONVENTUI BURGULIENSI.

*Mandatur et indulgetur ut concessiones et pensiones per Hilarium quondam eorum abbatem illicite factas revocare possint.*

(Datum *ut in alia.*)

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod Hilarius, quondam abbas monasterii vestri, sua potius quam quæ Jesu Christi sunt quærens, ut sibi sæcularium favorem acquireret et potentum, multis percipiendas a monasterio vestro concessit annuas pensiones, in ipsius monasterii præjudicium et gra-

A vamen; quas etiam quidam eorum, sæculari freti potentia, non verentur a vobis per violentiam extorquere. Unde nobis humiliter supplicastis ut super hoc indemnitati monasterii vestri dignaremur misericorditer providere. Nos igitur vestris precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus quatenus concessiones pensionum ipsarum ab eodem Hilario illicite factas appellatione remota legitime revocetis. Nulli ergo.... nostræ concessionis... etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia*

### XXII.

. . . TURONENSI ARCHIEPISCOPO ET . . . DE ORATORIO ET . . DE CHALOCEIO ABBATIBUS ORDINIS CISTERCIENSIS ANDEGAVENSIS DIOECESIS.

B *Ut de debitis per contractum legitimum debitis tempore Hilarii quondam abbatis Burgulien. conquerentibus exhibere faciant justitiæ complementum.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum tibi, fræter archiepiscope, ac venerabilibus fratribus nostris . . Pictaviensi et . . Andegavensi episcopis dederimus in mandatis quatenus per vestras denuntiari diœceses faciatis ut si qui a tempore Hilarii quondam abbatis Burguliensis monasterii debita duxerint ab eodem monasterio requirenda, vestro se conspectui repræsentent, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus faciatis ab abbate ac conventu monasterii memorati cuilibet super debitis conquerenti, usuris cessantibus, justitiæ plenitudinem exhiberi, eos qui
C super debitis monasterium ipsum aliter præsumpserint infestare, monitione præmissa, sublato appellationis obstaculo, excommunicationis sententiæ supponentes. Quod si non omnes, tu, frater archiepiscope, etc.

Datum, *ut in alia.*

### XXIII.

. . . TURONENSI ARCHIEPISCOPO ET . . PICTAVENSI ET . . ANDEGAVENSI EPISCOPIS.

*Ut contra incendiatores cujusdam grangiæ Hilarii quondam abbatis Burguliensis procedant.*

(Laterani, XII Kal. Aprilis.)

Sicut ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus Burguliensis fuit propositum coram nobis, cum quidam filii Belial, complices et fautores
D Hilarii ejusdem monasterii quondam abbatis, quamdam ipsius grangiam igne apposito concremarint, et monasterium ipsum non desinant contra justitiam aggravare, ab eodem nihilominus falsa debita exigentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus singuli vestrum in diœcesibus suis in omnes illos qui præfatam grangiam combusserunt, vel ad eam comburendam impenderunt auxilium vel favorem, aut obtentu ipsius Hilarii dictum monasterium præsumpserint molestare, vel falsa debita exegerint ab eodem, excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo solemniter promulgetis, et faciatis eamdem usque ad

satisfactionem congruam firmiter observari, per diœceses vestras denuntiari nihilominus facientes ut si qui ab eodem monasterio a tempore ipsius Hilarii debita duxerint requirenda, tuo se, frater archiepiscope, et dilectorum filiorum... de Oratorio et... de Chaloceio abbatum ordinis Cistersciencis Andegavensis diœcesis conspectui repræsentent, super eo justitiæ plenitudinem recepturi.

Datum Laterani, XII Kal. Aprilis, anno decimo.

XXIV.

. . . ABBATI ET CONVENTUI BURGULIENSI.

*Ut nonnullos monachos dicti monasterii complices Hilarii quondam abbatis dicti monasterii castigent et ad eorun obedientiam advocent, nec permittant monasterium perturbare.*

(Laterani, XVI Kal. Aprilis.)

Significarunt nobis dilecti filii H. et G. monachi vestri quod cum nos Hilarium quondam abbatem monasterii vestri ab administratione ipsius sententialiter duxerimus amovendum, quidam monachi complices ejus in vestro monasterio commorantes tibi, fili abbas, obedientiam et reverentiam debitam denegant exhibere, ac molientes pacem et unitatem monasterii perturbare, tam per se quam per alios falsa debita exigere non venerentur. Cum igitur pax et unitas religioni præbeant incrementum, universitatem vestram monemus et exortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus in unitate ac pace firmiter persistatis, monachos ipsos qui super iis vel aliis monasterium ipsum præsumpserint perturbare, auctoritate nostra regulariter castigantes.

Datum Laterani, XIV Kal. Aprilis, anno decimo.

XXV.

. . . MAJORIS MONASTERII. . . SANCTI JULIANI, ET. . . SANCTI FLORENTII ABBATIBUS TURONENSI ET ANDEGAVENSIS DIOESESUM.

*Ut Hilarium quondam abbatem Burguliensém ad claustrum sibi assignatum ad pœnitendum reverti compellant.*

(Laterani, XIV Kal. Aprilis.)

Cum Hilarius quondam abbas Burguliensis ab administratione ipsius monasterii a nobis sententialiter exigente justitia sit amotus, et ad pœnitentiam peragendam in monasterio Sancti Jovini de Marnis eumdem præceperimus commorari, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatenus ipsum extra claustrum prædictum vagantem in cameris monasteriorum vestrorum vel mentis vestris recipere nullatenus præsumatis, ne ipsum in sua videamini malitia confovere, repellentes eumdem, ut sic ad claustrum assignatum sibi ad pœnitentiam revertatur. Alioquin venerabilibus fratribus nostris... Turonensi archiepiscopo, et... episcopo Andegavensi et dilecto filio... abbati de Oratorio Cisterciencis ordinis Andegavensis diœcesis per nostras damus litteras in mandatis ut vos ab hujusmodi præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant.

Datum Laterani, XIV Kal. Aprilis, anno decimo.

XXXI.

... TURONÉNSI ARCHIEPISCOPO, ET... EPISCOPO ANDEGAVENSI, ET... ABBATI DE ORATORIO CISTERCIENSIS ORDINIS ANDEGAVENSIS DIOECESIS.

*Super eodem, ut supra.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum Hilarius quondam abbas Burguliensis, etc., *in eumdem modum usque* commorari, dilectis filiis ... Majoris-Monasterii,... Sancti Juliani, et... Sancti Florentii abbatibus Turonensis et Andegavensis diœcesum per nostras damus litteras in præceptis ut eumdem extra claustrum prædictum vagantem, etc., *in eumdem fere modum usque* revertatur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præfati abbates secus quod non credimus, præsumpserint attentare, vos illos ab hujusmodi præsumptione per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum, *ut in alia.*

XXXII.

MATHÆO PRÆPOSITO ET CANONICIS ECCLESIÆ BEATI LAURENTII DE JOVISVILLA TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS IN PEPETUUM.

*Suscipiatur sub protectione sedis apostolicæ cum omnibus eorum bonis, libertatibus, immunitatibus ac privilegiis.*

(Laterani, XI Kal. Aprilis.)

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam Beati Laurentii de Jovisvilla, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Præterea quascunque possessiones quæcunque bona eadem ecclesia in præsenti juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo memorata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentis suis quidquid habetis apud Jovisvillam, ecclesiam de Ova, cum appendiciis suis, et quidquid in eadem villa habetis. Altaria de Sancto Quintino et de Berveres, cum appendiciis suis; quidquid habeatis apud Manisd. et Semincurten; quidquid habetis apud Wasseium; quidquid habetis apud Moruncurtem; quidquid habetis apud Charmes; quidquid habetis apud Sememontem; quidquid habetis apud Doniors, et jus quod habetis in præbendis de Saleio. Sepulturam

quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates præterea et immunitates Ecclesiæ vestræ concessas, necnon antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas, ratas habemus, et eas futuris temporibus illibatas permanere censemus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonito nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata inquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani, per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellari, XI Kal. Aprilis, indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno decimo.

### XXVIII.

HELIÆ ABBATI DE RADINGIA, EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*Suscipiuntur sub protectione*, etc., ut supra, *cum quibusdam aliis eleemosynis favore religionis concessis.*

(Laterani, X Kal. Aprilis.)

Ideo sumus, licet immeriti, divina disponente clementia ad fastigium summi pontificatus assumpti ut pro universarum Ecclesiarum statu pastorali sollicitudine debeamus et cura satagere, ac ipsis apostolicæ sedis patrocinium exibere; ut tanto in eis Deus amplius veneretur quanto magis fuerint a malignorum infestatione quietæ. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Mariæ de Radingia Cluniacensis ordinis, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus.

Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasti-
A cus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti juste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regnum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Radingiam, Chelseiam, et Leoministam, cum ecclesiis, capellis, cœmeteriis, decimis et oblationibus, cum silvis, agris, pasturis, pratis, aquis, molendinis, piscariis et omnibus aliis appendiciis et per-
B tinentiis suis. Tacheam cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam de Weregrava. Witellhie cum omnibus pertinentiis suis. Wiccheburiam cum omnibus pertinentiis suis. Bleiburiam cum omnibus pertinentiis suis. Terram quam habetis in Henreda, cum omnibus pertinentiis suis. Estonam, cum ecclesia ejusdem villæ ac omnibus aliis pertinentiis suis. Rockenton, cum ecclesia ejusdem villæ ac omnibus aliis pertinentiis suis. Ecclesias de Stanton. de Haneborhe, et de inglesfelt, cum pertinentiis earum. Dudelesfande cum omnibus pertinentiis suis. Terram quam habetis in Hectun. cum omnibus pertinentis suis. Terras quoque quas habetis in Lingeborche, et in Stretfelda, quæ fuit Hugonis de Mortuomari, et in Sebrichteswrde, cum
C omnibus pertinentiis earum. Terras et redditus quos habetis in Londoniis et in Berchamstede, cum omnibus pertinentiis suis. Terram quam adepti estis infra tenimentum de Hou, nomine dotis Ecclesiæ vestræ, cum omnibus pertinentiis suis. Prioratum de Mai cum omnibus pertinentiis suis; et Lindegros in Scotia, cum omnibus pertinentiis suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas præsumat exigere vel quomodolibet extorquere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppresa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne ullus in vos vel monasterium vestrum excommunicationis
D vel interdicti sententias sine manifesta et rationabili causa promulgare seu novis et indebitis exactionibus vos aggravare præsumat. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum seu clericorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, gratis et absque ulla pravitate vobis præcipimus exhiberi. Ad hæc, auctoritate apostolica prohibemus ne quis infra parochias ecclesiarum vestrarum ecclesiam vel oratorium sine assensu diœcesani episcopi et capituli de Radingia de nova ædificare præsumat,

salvis privilegiis pontificum Romanorum. Paci quoque ac tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem opponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus monasterio vestro concessas, necnon et libertates et immunitates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus, principibus, et aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate ac diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentavarit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, etc, *usque* ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus etc. *usque in finem*. Amen.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, x Kal. Aprilis, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno decimo.

XXIX.

NOBILI VIRO M. DE ROMANIA.

*Diffinitur super restitutione juris patronatus ecclesiæ Sancti Angeli de Casaperota.*

(Laterani, IX Kal. Aprilis.)

Examinata causa quæ vertitur inter se ac milites Camponiscos super ecclesia Sancti Angeli de Casaperota, auditis confessionibus et attestationibus intellectis, inspectis etiam instrumentis, et allegationibus indagatis, perpendimus evidenter arbitrium quod T. vicedominus Sabinensis dicebatur super eodem negotio promulgasse, contra formam juris et compromissi fuisse dicatum. Unde non obstante confirmatione felicis memoriæ Cœlestini papæ prædecessoris nostri, qui confirmaverat illud sicut provide latum fuerat et ab utraque parte receptum, decrevimus ipsum irritum et inane. Actionem autem quam super jure patronatus ejusdem ecclesiæ contra præfatos milites intendebas incongruentem cognovimus et ineptam, quia cum testes induxeris ad probandum quod quando præfatus vicedominus eamdem ecclesiam quasi sequester accepit, tu ipsam ecclesiam possidebas, profecto nec rei vindicationem intendere nec ipsius restitutionem poteras postulare. Unde intentionem suam in hac parte pronuntiavimus non tenere, absolventes prænominatos milites ab eadem. Ita tamen quod si congruentem et aptam intendere volueris actionem, respondere tibi nihilominus teneantur. Nulli ergo... nostræ diffinitionis, et etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, IX Kal. Aprillis, anno decimo.

XXX.

POTESTATI ET POPULO FAVENTINENSI.

*Induciæ super quæstione quam habent cum Ecclesia Ravennat. conceduntur.*

Cum nuper ex parte vestra dilecti filii M. et Ar. ad sedem apostolicam accessissent pro causa quæ vertitur inter vos et Ecclesiam Ravennatensem, procurator tandem constitutus a syndico vestro, qui domi remansit, contra dicta testium partis adversæ falsi querelam objecit, Sed cum interrogatus fuisset a nobis utrum juramento vellet asserere quod eam non opponere per calumniam propter negotium protrahendum, sed crederet ipsam per legitimos posset testes probari, aut saltem quod syndicus qui præstiterat juramentum calumniæ injunxerit illi ut hanc opponeret quæstionem, neutrum se juraturum respondit. Unde licet pro eo quod post peremptorium edictum non apparuit coram nobis sufficiens responsalis, secundum rigorem juris potuissemus aliud statuisse, ad instantiam tamen nuntiorum vestrorum, qui super hoc nobis humiliter supplicarunt, inducias usque ad primum Pascha vobis duximus concedendas, ut interim vel ipsum syndicum vel alium responsalem idoneum ad nostram præsentiam transmittatis, qui exceptionem prædictam aut quamlibet aliam competentem legitime possit objicere, ne ulterius ipsum negotium differatur. Alioquin extunc et in expensas quas propter hoc exspectando fecerit pars adversa vos exigente justitia decrevimus condemnandos, et in ipso negotio, quantum de jure poterimus, procedemus.

XXXI.

.... EPISCOPO ET H. ABBATI DE ABERBRUHOT, TH. PRIORI, RADULPHO ARCHIDIACONO, ET MAGISTRO LAURENTIO OFFICIALI SANCTI ANDREÆ.

*Committitur ut quæstiones certas super quibusdam decimis valeant terminare*

(Laterani, XIII Kal. Aprilis.)

Cum dilecti filii abbas et canonici de Kambuskinel dilectos filios... abbatem et monachos de Dunfermelin diœcesis Sancti Andreæ coram venerabili fratre nostro.. Dublinensi episcopo et dilectis filiis.. de Cupro et.. de Soona abbatibus ejusdem diœcesis super quibusdam dicimis ad ecclesiam suam de Egles spectantibus et damnis et injuriis irrogatis auctoritate litterarum nostrarum traxissent in causam, et ipsi eosdem abbatem et canonicos ex delegatione nostra coram dilectis filiis.. priore Sanctæ Crucis et.. decano de Tiningham prædictæ diœcesis ac te, fili officialis, super capella de Dunipast et

decimis ad eamdem spectantibus convenissent, utraque pars in vos post allegationes et altercationes multiplices compromisit, ut vos in negotiis ipsis secundum juris ordinem procedentes, controversias ipsas tam super possessione quam proprietate, appellatione postposita, judicio vel concordia finiretis; præstito corporaliter juramento firmantes quod quidquid super iis duo vestrum tecum, frater episcope, si non possetis omnes pariter concordare, ducerent statuendum, ratum haberent et firmiter observarent, nec processum arbitrii dolo vel malitia impedirent.

Vos igitur auditis hinc inde propositis, receptis testibus, et publicatis depositionibus eorumdem quia super quatuor articulis dubitastis, causam instructam ad nostram præsentiam transmisistis, super quatuor illis dubitabilibus apostolicæ sedis oraculum implorantes. Ex eo siquidem coram vobis prima quæstio est exorta, quod cum canonici monachos super prædictis decimis convenissent, monachi super quibusdam aliis decimis reconvenire volebant eosdem, licet de eis in vos non fuerit compromissum. Asserebat enim pars monachorum quod secundum legitimas sanctiones is qui coram aliquo convenitur, coram eodem reconvenire valet eumdem. Unde utrum coram arbitris reconventioni sit locus postulastis per sedem apostolicam explicari. Secunda vero ex eo dubitatio est exorta, quod cum canonici supradicti post publicationem attestationum ad suam intentionem fundandam exhibere vellent quædam pro ipsis facientia instrumenta, pars monachorum asseruit quod post publicationem attestationum, sicut nec testes produci, sic exhiberi non poterant instrumenta. Unde quæsivistis sollicite utrum post publicationem attestationum instrumenta valeant exhiberi. Ex eo autem scrupulus tertiæ dubitationis emersit, quod monachi supradicti excipientes contra canonicos supradictos asseruerunt controversiam super præfatis decimis tempore inclytæ recordationis regis David fuisse per concordiam terminatam, super compositione inita instrumentum in medium producentes prafati regi sigillo munitum. Super quod nostrum postulastis responsum, utrum instrumentum illud, testibus sublatis de medio, per se sufficere valeat ad probandum propositum, cum hinc inde fuerit allegatum. Super eo autem quarta dubitatio est suborta, quod cum coram vobis de possessione ac proprietate sit actum, pars una proposuit quod utraque quæstio una debebat pronuntiatione sopiri, parte altera proponente super possessione primo debere arbitrium promulgari, et restitutione facta quæstionem debere postmodum proprietatis decidi. Unde cum hinc inde fuerit multipliciter allegatum, postulastis per sedem apostolicam edoceri utrum possessorii ac petitorii quæstio una vel duabus debeat sententis terminari; et si duabus, utrum sententia demandari exsecutioni

A prius debeat super possessorio promulgata quam super petitorio proferatur(1). Nos igitur discretioni vestræ super primo articulo taliter respondemus, quod licet in judicio convenientem reconvenire valeat is qui coram aliquo convenitur, coram arbitris tamen reconvenire non potest, cum arbitri judicare non valeant nisi de iis tantum super quibus in eos exstitit compromissum (2). Ad secundam autem quæstionem taliter duximus respondendum, quod utralibet pars instrumenta potest etiam post publicationem attestationum usque ad diffinitivæ sententiæ calculum exhibere antequam fuerit in causa conclusum. Super tertio vero capitulo taliter respondemus, quod inquiratis diligentius veritatem. Et si consuetudo illius patriæ obtinet approbata ut instrumentis illius regis fides adhibeatur in talibus,
B vos secure poteritis præfatum admitte instrumentum; præsertim cum sæpedictus rex tantæ fuerit honestatis quod ipsius instrumenta maximæ auctoritatis sint in partibus Scoticanis (3). Ad quartum autem breviter respondemus, quod cum super possessorio et petitorio simul est actum, utrumque una debet sententia terminari. Sed licet in pronuntiatione sit possessio præmittenda, in exsecutione tamen debet proprietas prævalere. Quamvis autem vos causam instructam ad nostram præsentiam duxeritis destinandam; quia tamen multa hinc inde per advocatos fuere proposita coram nobis de quibus coram vobis non videbatur autem fuisse, pro eo quod illa esse dotoria in illis partibus asserantur, vos ea plenius indagantes, causam ipsam sublato
C cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo fine debito decidatis, ita quod negotium ipsum ultra duos menses nullatenus prorogetis. Quod si non omnes... tu, frater episcope, cum duobus vel tribus reliquis ea nihilominus exsequaris.

Datum Laterani XII Kal. Aprilis, anno decimo.

## XXXII

PRIORIBUS ET FRATRIBUS DE KIRKEHAN, GISEBURNESIS, BREDLINGAM, DE NOVO-BURGO, ET ALIIS EJUSDEM ORDINIS IN EBORACENSI DIOECESI CONSTITUTIS.

*Committitur potestas reformandi et corrigendi ecclesias sibi subjectas.*

(Laterani, XVI Kal. Apriiis.)

Verbum est Sapientis quod legitur: *Omnia fac cum consilio, et post factum minime pœnitebis.* Et illud:
D *Ubi multa consillia, ibi salus* (*Prov.* XI), Dominus autem in Evangelio de se ipso testatur: *Ubicunque*, inquiens, *duo vel tres fuerint in nomine meo, et ego in medio sum eorum*(*Matth.* XVIII). Sicut post resurrectionem ostendit, dum discipulis de se in via loquentibus se tertium interponens interpretabatur in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Unde cum diei superexcrescente malitia multorum charitas refrigescat, expedit iis præsertim qui vitam professi sunt regularem, ut ad vitia resecanda et plantandas virtutes tanto consultius et cum majori gravitate

(1) Cap. *Cum dilecti*, De arbitris.
(2) Cap. *Cum dilectus*, De fide instrum.

(3) Cap. *Cum dilecti*. De causa possess. et propriet.

procedant quanto ipse quoque mundi senescentis A defectus et humanæ conditionis infirmitas huic proposito potius contradicit. Monemus igitur discretionem vestram et hortamur attente, et per apostolica vobis scripta mandamus quatenus vos, filii priores, omnes, si commode fieri potest, vel pro majori parte, annis singulis conveniatis in unum, et de ordinis reformatione tranctantes, corrigatis salubri consilio quæ in ecclesiis vestris corrigenda videritis, et statuatis quæ secundum Deum fuerint statuenda, non obstante appellatione in elusionem regularis interposita disciplinæ, ita ut cum necesse fuerit, ad Ecclesiam in qua videbitur correctio facienda simul duo vel tres vestrum accedant, et correctionis officium laudabiliter exsequantur, cum de ordinis observantia non teneamini priori alterius B regularis Ecclesiæ respondere.

Datum Laterani, XVI Kal. Aprilis, anno decimo.

XXXIII.

...MONOPOLITANENSI,... POLIGNIANENSI, ET... CONVERSANENSI EPISCOPIS.

*Ut electionem Benedicti episcopi insulæ Kefaloniæ, si sit idoneus, et canonice facta fuerit valeant confirmare.*

(Laterani, X Kal. Aprilis.)

Per suas nobis dilecti filii nobis vir Maio comes, clerus et populus insulæ Kelafoniæ litteras intimarunt quod ejusdem insulæ sede pontificali vacante, dum de præficiendo sibi pastore Latino diligentem habuissent tractatum, omnes unanimi voluntate ac pari consensu Benedictum presbyterum, quem de C discretione ac honestate plurimum commendarunt, in episcopum elegerunt; nobis humiliter supplicantes ut cum sedes metropolitana sit viduata pastore, ad quam, etiamsi non vacaret, non possent habere recursum, cum adhuc eadem sedi apostolicæ sit inobediens et rebellis, electionem ipsam dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem presbyterum facientes vestro conspectui præsentari, de litteratura, vita, natalibus et aliis quæ circa idoneitatem personæ ipsius inquirenda fuerint inquiratis diligentius veritatem; et si eumdem idoneum inveneritis, electionem ipsam auctoritate sedis apostolicæ confirmantes, ipsum vice nostra in episcopum consecretis, recipientes ab eo pro nobis et successoribus nostris fidelitatis et D obedientiæ juramentum, quod feceritis nobis fideliter rescribentes.

Datum Laterani, X Kal. Aprilis, anno decimo.

XXXIV.

EPISCOPO,.. DECANO ET... ARCHIDIACONO NOVIOMENSIBUS.

*Ut sententiam latam et confirmatam pro Guiburge paupere vidua habeant exsecutioni demandare.*

(Laterani, IX Kal. Aprilis.)

Accedens ad præsentiam nostram Guiburgis pauper vidua nobis humiliter supplicavit ut diffinitivam sententiam quam pro ipsa super dotalitio suo et rebus aliis contra abbatissam Montis Martyrum Parisiensis diœcesis auctoritate nostra tulistis, apostolico dignaremur munimine roborare. Volentes igitur ejusdem viduæ simplicitati consulere, quæ jam sæpius propter hoc ad sedem apostolicam laboravit, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus sententiam ipsam, sicut est justa, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, faciatis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, non obstante appellatione quacunque, si qua forsitan ex parte ipsius abbatissæ ad nostram apparuerit audientiam interjecta, cum eam non fuerit prosecuta. Quia vero præfata mulier, tanquam simplex et juris ignara, meritum causæ suæ nobis explicare nescivit, ne sicut alia vice adversa pars, calumniando simplicitatem ipsius, eam et nunc de precum falsitate causetur, et sic labor multiplicetur ejusdem, volumus et mandamus ut si forsan rem esse aliter inveneritis quam per simplicem relationem suam nos fecerit intelligere, inquiratis super iis diligentissime veritatem quæ adversus præfatam proposuerit abbatissam, et habentes præ oculis solum Deum, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis; facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, præceptum apostolicum taliter impleturi quod pro defectu vestro non cogatur ad nos ulterius replicare querelam. Testes, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes... tu, frater. etc.

Datum Laterani, IX Kal. April., anno. decimo.

XXXV.

CLERO ET POPULO VERISIEN.

*Ut obedientiam et reverentiam impendant magistro Garino in archiepiscopum Varisien. electo.*

(Laterani, III Kal. Aprilis.)

Et apostolicæ sedis auctoritas et Ecclesiæ Constantinopolitanæ necessitas nos induxit ut magistrum Guarin. tunc electum, nunc autem archiepiscopum vestrum, ad nostram præsentiam accedentem ordinare in diaconum et presbyterum, et consecrare in pontificem curaremus, palleum, sibi videlicet pontificalis officii plenitudinem, concedendo. Sic enim Romanus pontifex vocavit alios in partem sollicitudinis ut sibi retinuerit plenitudinem potestatis. Unde canonica tradit auctoritas quod undecunque venientes ad ipsum, tuitionem et consecrationem accipiant ab eodem, quoniam qui utitur jure suo, non intelligitur aliis injuriam irrogare. Idem vero, licet a venerabili fratre nostro. . patriarcha Constantinopolitano fuerit confirmatus, non tamen ab eo poterat consecrari, pro eo quod coepiscopos non habeat unde oportuit ipsum... Athenien, et... Theban. electos pro consecrationis munere obtinendo in Syriam destinare. Ipsum igitur iis ex causis ordinatum, consecratum et palleatum a nobis cum gratiæ nostræ favore remittimus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ei reverentiam et obedentiam impendatis tam debitam quam devotam.

Datum Laterani, III Kal. Aprilis, anno decimo.

*In eumdem modum patriarchæ Constantinopolitano.* Datum, *ut in alia.*

*In eumdem modum charissimo in Christo filio Henrico imperatori Constantinopolitano illustri.* Datum, *ut in alia.*

XXXVI.

G. VERISIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Decernitur excommunicationis et suspensionis sententias latas sine rationabili causa non teneri et sententiam quæ post appellationem contigerit jaculari non esse servandam tanquam irritam.*

(Datum, *ut in aliis.*)

Cum per manus nostras ordinatus fueris in diaconum et presbyterum et in episcopum consecratus, ut tam nostro quam tuo deferamus honori, auctoritate præsentium inhibemus ne quis in te sine manifesta et rationabili causa suspensionis vel B excommunicationis sententiam promulgare præsumat, semperque admonitio canonica præmittatur, nisi forte talis esset excessus qui ordinem judiciarium exigeret non servandum. Si vero te præsenseris aggravari, libere tibi liceat sedem apostolicam appellare, ut imminens tibi gravamen evites. Et si post appellationem hujusmodi quisquam in te suspensionis vel excommunicationis sententiam præsumpserit jaculari, nos eam decernimus non servandam, tanquam irritam et inanem. Nulli ergo... nostræ inhibitionis, concessionis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in aliis.*

XXXVII.

EIDEM.

C *Indulgentur ut beneficia quæ in ipsa civitate antequam esset promotus obtinebat possit retinere.*

(Datum, *ut supra.*)

Cum Constantinopolitanum imperium nondum sit adeo solidatum quin adhuc ex magna parte fluctuet status ejus, indemnitati tuæ paterna volumus in posterum sollicitudine præcavere, ut quidquid ex futuris eventibus extra civitatem Constantinopolitanam contingat, infra ipsam speciale refugium habeas, ad quod exigente necessitate recurras. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis postulationibus grato concurentes assensu, concedimus ut beneficia quæ in prænominata civitate, antequam ad onus pastoralis officii fuisses assumptus, canonice fueras assecutus, cum omnimoda integritate retineas, donec nobis et successoribus nostris visum D fuerit expedire.

Datum, *ut supra.*

XXXVIII.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS CRUCESIGNATIS IN ROMANIÆ PARTIBUS CONSTITUTIS.

*Suadetur ut contra paganos perfidos, terribiles et fortes in Creatoris nostri obsequio assistant.*

(Datum, *ut supra.*)

Cum ad apostolicæ commonitionis apices, relictis patriis laribus et bonis propriis pro reverentia divini hominis vilipensis, ad partes orientales vos duxeritis transferendos, ut recuperationi terræ sanA ctæ fortius insistatis, inefficax ad hoc virtus existit humana, nec quidquam per se potest efficere, nisi desuper id sibi fuerit attributum, propter quod ad auctorem rerum omnium in humilitatis spiritu et in anima contrita totis est vobis affectibus recurrendum, ipsum submissis precibus implorantes, ut iter vestrum ad finem dirigat exoptatum, et per præsentem laborem fructus vobis præparetur æternus. Quia vero de vobis paterno affectu curam gerimus diligentem, universitatem vestram rogamus, monemus et exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatenus cum in voluntate divina cuncta sint posita, stabiles et fortes in Creatoris vestri obsequio persistatis, totam spem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipse, vobis in ejus timore manentibus, vias inimicorum crucis Christi sua virtute in tenebras convertet et lubricum, et præter æternam gloriam omnia vobis ad præsens adversantia in prospera commutabit. Est enim crucesignatorum copiosa multitudo, sicut firmiter speramus, in auxilium vestrum cito ventura, cum quibus ad paganorum perfidiam a Christianorum finibus exsufflandam efficaciter cum Dei auxilio poteritis laborare.

Datum, *ut supra.*

XXXIX.

A. ILLUSTRI REGI UNGARIÆ.

*Rescribitur persuadendo quod pro malo non habeant si electio facta præpositi Pabenburgensis in archiepiscopum Colocen. germani conjungis suæ, qui in ætate et alias illiteratus existebat, confirmari non possit.*

(Laterani, Non. Aprilis.)

Sicut regali prudentiæ per alias nos meminimus litteras intimasse, illa te charitatis prærogativa diligimus ut nihil tibi negare velimus quod esemus aliquando cuiquam principum concessuri, cum ad honorem et profectum tuum, quantum cum Deo possumus, efficaciter aspiremus. Licet autem affectuosas nobis preces porrexeris pro dilecto filio... Pabenburgensi præposito, germano ..conjugis tuæ, in archiepiscopum Colocensem electo, ut ei, quem in archiepiscopali officio tibi et regno tuo tuo utilem fore ac necessarium confidebas, beneficium confirmationis conferre, ac donum pallei transmittere dignaremur; quia tamen Apostolus docet ut manus cito nemini imponamus, videlicet antequam de ipso per examinationem canonicam habeamus certitudinem pleniorem, et nos de ipsius præpositi ætate ac litteratura eramus incerti, venerabili fratri nostro... archiepiscopo et dilecto filio... præposito Salceburgensi dedimus in mandatis ut super iis diligenter inquirerent, et quod invenirent nobis fideliter intimarent, serenitati tuæ litteris apostolicis intimantes quod si litteratura non solum eminens, sed saltem competens in eo foret inventa, et ætas non solum perfecta, sed saltem perfectioni vicina, usque adeo tuæ desiderabamus satisfacere voluntati ut nisi tantus appareret in utraque defectus quod non deberet aliquatenus tolerari, temperato rigore cum

ipso curaremus ex gratia dispensare. Alioquin non nostræ duritiæ, sed ipsius posset insufficientiæ imputari, si tua supplicatio circa ipsum optatum non sortiretur effectum. Præfatus autem Salceburgensis archiepiscopus nuper apostolatui nostro per suas litteras intimavit quod accedens ad fines Ungariæ, duobus suffraganeis Colocensis Ecclesiæ aliisque viris idoneis in sua præsentia constitutis, ad examinationem prædicti præpositi juxta formam mandati nostri processit, asserens se reperisse illum textum expedite legentem, ei interpretantem ejusdem verba suo idiomate competenter, et apte præterea de constructione grammatica respondentem, quemdam vero militem ipsius præpositi pædagogum juramento corporaliter præstito affirmantem eum indubitanter esse viginti quinque annorum et ultra, et huic quidem ætati staturam sui corporis concordare. Nos ergo, super iis habito cum fratribus nostris diligenti tractatu, perpendimus evidenter eum nec in jure canonico nec in divino eloquio vel tenuiter commendatum, et ætatem ipsius non solum non esse perfectam, sed nec etiam perfectioni vicinam. Quæ duo, videlicet ætas legitima et litteratura sufficiens, adeo sunt archiepiscopo necessaria, qui debet esse pater patrum et magistrorum magister, ut justa statutum Lateranensis concilii, si clerici præsumpserint quemquam eligere, non solum in archiepiscopum sed etiam in episcopum, qui patiatur in illis duobus aut alterutro eorum defectum, præter hoc quod irrita et talis electio, ipsi ea vice sint eligendi potestate privati, et per triennium a beneficiorum perceptione suspensi. Unde quod est irritum ipso jure nos non potuimus ratum habere, misericorditer agentes ob tui gratiam et favorem cum capitulo Colocensi quod ei pœnam in prælibato decreto statutam non duximus infligendam. Dolemus autem non modicum quod in hoc regiæ non potuimus satisfacere voluntati, ne si forte declinaremus ad dexteram vel sinistram, esset in manu nostra pondus et pondus, mensura et mensura, quorum utrumque abominabile est apud Deum. Unigenitus enim Dei Filius Jesus Christus, qui ab ipsa conceptione Spiritum sine mensura recepit, usque ad tricesimum annum distulit prædicationis officium exercere, per hoc evidenter ostendens quod ante tricesimum annum nemo sibi debet prædicationis officium usurpare, quod maxime convenit sollicitudini pastorali. Ex eo vero quod legitur quia Jesus erat incipiens quasi annorum triginta notatur quod si eligendus in præsulem sit illi ætati propinquus, dispensari potest cum illo, quando necessitas vel utilitas id exposcit, dummodo ei vita et scientia suffragentur, ejus exemplo qui cœpit facere ac docere. Nam qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Alioquin, si videlicet secus fiat, non dispensatio sed dissipatio est censenda. Rogamus igitur celsitudinem regiam et monemus quatenus in eo quod juri necessitas fieri non permisit tua serenitas non turbetur, sed potius faciat præfatum præpositum theologicis et canonicis instrui documentis; ut cum tempore procedente profecerit in scientia litterali, nos ad honorem et profectum ipsius tecum pariter intendamus, quia nec tibi nec illi procul dubio expediret ut contra Deum onus assumeret pastorale; ne forte unde putares proficere, inde magis deficere mereris, nosque tu viles merito reputares, cum intelligeres quod propter regem terrenum non timuissemus offendere regem cœlestem, qui corpus et animam potest mittere in gehennam.

Datum Laterani, Non. Aprilis, anno decimo.

## XL.

ABBATI ET CONVENTUI DE CAMBUSCHINEO DIOC. S. ANDREÆ.

*Decernitur quod propter confirmationem privilegii factam eis ad abbatis et conventus de Ronfermelin petitionem non intendit jus novum conferrre sed collatum conservare.*

(Laterani, Non. Aprilis.)

Licet in privilegio quod ad petitionem dil. fil. abbatis et conventus de Domfermelin eis ad exemplum fel. mem. Lucii papæ prædecessoris nostri fecimus innovari quædam contineantur de quibus inter vos et ipsos quæstio noscitur emersisse, nolumus tamen quod ex innovatione hujusmodi privilegii vobis in jure vestro ullum valeat præjudicium generari, quia non intendimus jus novum conferre, sed collatum servare, contra quod nondum potuit a tempore præfati prædecessoris nostri præscribi.

Datum Laterani, Non. April., anno decimo.

## XLI.

ILLUSTRI REGI DANORUM.

*Regratiatur super liberatioae Slawicen, episcopi; et advocata causa impositorum eidem suadetur ut permittat ipsum episcopum per administratorem suum gaudere de fructibus ipsius episcopatus.*

(Laterani, IV Non. Aprilis.)

Qualiter super facto charissimæ in Christo filiæ... germanæ tuæ reginæ Francorum charissimo in Christo filio nostro Ph. illustri regi Francorum suo viro scribamus, nuntii tui fideliter tibi poterunt enarrare. Quod autem venerabilem fratrem nostrum. Slewicen. episcopum pro sedis apostolicæ reverentia liberasti, tuam regalem magnificentiam sinceris prosequimur actionibus gratiarum. Quamvis igitur idem episcopus in nostra præsentia constitutus super iis quæ objecta fuerunt contra ipsum multipliciter se ostendere nisus fuerit inculpabilem, nuntii vero tui nisi sint eumdem culpabilem multipliciter demonstrare, quia tamen in cognitione illorum plene procedere non potuimus, attendentes quod et tuæ securitati a suspicione quæ incidit sit cavendum, et Slewicensem Ecclesiam omnino non deceat sine regimine pastorali manere, inter dexteram et sinistram via regia incedendo, taliter duximus providendum, ut prædictus episcopus circa nos, donec res concordia vel justitia mediante pacificum finem capiat, commoretur, et interim per venerabilem fratrem nostrum.,. Lunden. archiepiscopum ecclesiæ

memoratæ provideatur in idoneo provisore, qui tam in spiritualibus quam temporalibus providere procuret eamdem, rationem de illius proventibus redditurus, de quibus pecunia quæ ad usum ipsius est episcopi mutuata solvatur, et durante hujus necessitatis articulo competenter ei necessaria ministrentur. Quocirca serenitatem regiam monemus attente et hortamur quatenus ecclesiam ipsam per eumdem archiepiscopum, secundum præmissam deliberationis apostolicæ providentiam, libere disponi permittas, et præfato episcopo de ipsius proventibus provideri. Ne vero causa diutius quam expediat remaneat in suspenso, aliquos viro providos et fideles hinc ad primo venturum festum Natalis Domini ad sedem apostolicam studeas destinare, potestate sibi commissa ut per eos et eum eis, si desuper datum fuerit, vice tua super negotio ipso tractare concordiam efficaciter valeamus. Alioquin auditis et intellectis quæ per eos adversus eumdem episcopum duxeris proponenda, et illis quæ ipse in sui defensione curaverit respondere, de vultu nostro procedat judicium æquitatis. Præterea nuntii memorati, viri utique providi et fideles, tuæ poterunt serenitati referre quæ a nobis super iis et aliis audierunt.

Datum Laterani, IV Non. April., anno decimo.

## XLII.

PHILIPPO ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Ut I. conjugem suam maritali affectatione tractare valeat suadetur.*

(Datum, *ut in alia.*)

Debitum officii pastoralis, quo secundum Apostolum sapientibus et insipientibus debitores existimus, nos hortatur ut ad ea quæ justa sunt et honesta tuam regalem magnificentiam opportune importune salutaribus monitis inducamus. Unde licet sæpe mansuetudinem tuam fuerimus exhortati in charissimam in Christo filiam I. reginam conjugem tuam plene in tui gratiam revocares, tuque per Dei gratiam, etsi non ex toto, pro parte tamen monitiones apostolicas auscultaris, quia tamen nondum est ei plene conjugalis gratia restituta, erga te cogimur super hoc sedulioribus instare studiis charitatis. Licet enim apud homines, quos tua latent occulta, te satagas excusare super eo quod eidem reginæ affectum non exhibes conjugalem; quia tamen super hoc saltem nullatenus excusare te potes quod ei non facis regalem honorificentiam exhiberi, serenitatem tuam rogamus attente, et propensius exhortamur, per Jesum Christum, qui mediator est legitimi fœderis, obstestantes, quatenus cum secundum Apostolum conjugatos non deceat ad invicem defraudari, ne incidant in laqueum Satanæ, si fieri unquam potest, prædictam reginam tractare procures gratia maritali, sanctum Spiritum disciplinæ reveritus, qui cum fictum effugiat, metuendum est tibi ne, quod absit! a cogitationibus tuis se auferat, si sine hujusmodi intellectu consistant. Si vero Deum, qui non irridetur, conscientiæ testem habeas quod eamdem non possis hujusmodi gratia pertractare, regali saltem A verecundia perfundaris ut mulierem illustrem, regum neptem, regis germanam, regis conjugem, regis natam, in opprobrium tanti generis et dispendium famæ tuæ quasi captivatam amodo non sustineas despicabiliter detineri, sed potius ei facias honorificentiam impendi regalem; ne si diutius ei manifesta subtraxeris, occultis eam defraudare proberis, et intima per exteriora propalans, non solummodo Deum habeas tui judicem, sed et mundum; quorum alterum etsi demum possis pœnitendo placare, alterius tamen murmur, si super hoc perstrepere contra te cœperit, vix poteris cohibere. Licet enim exstiteris victoriosus in multis, nunquam tamen ita bene vicisti quam si vincas te ipsum, ut non a vitio sed a virtute vincaris: Salomone magnifico rege testante quod melior est sapiens viro B forti, et qui dominatur animo expugnatore urbium. Scribimus autem dil. fil... abbati de Sarnai, viro sicut credimus, provido et honesto, ut tuæ regali prudentiæ litteras nostras exhibeat et exponat; ne forte nunc etiam, sicut olim, tibi per alium minus fideliter exponantur.

## XLIII.

RELIEN. ET CICESTREN. EPISCOPIS

*Ut persuadere habeant justitiarios regni Angliæ etiam per cen. ec. ne vota emissa peregrinantium crucesignatorum impediantur.*

(Laterani, VIII Id. Aprilis.)

Dilectus filius nobilis vir G. filius Petri justitiarius C Angliæ nostris dudum auribus intimavit quod propter guerram quæ inter clarissimos in Christo filios nostros Ph. Francorum et I. Anglorum reges illustres periculose tunc temporis vertebatur, idem rex Angliæ ac magnates ejus ipsum exire de Anglia minime permittebant, cum esset plurimum in tanta turbatione necessarius toti regno, et præfatus rex Franciæ ac barones ipsius non patiabantur eum per suas terras undecunque transire; sicque perrgrinationis votum, quod olim crucesignatus emiserat, tunc adimplere non poterat, iis occasionibus impeditus. Adjecit insuper quod parvulos habebat hæredes potentissimos inimicos habentes, qui eosdem exhæredare modis quibus poterant nittebantur: qui cum jam occupassent magnam partem hæreditatis eorum etiam residuum in patris eorum absentia facile D poterant obtinere. Præterea monasterium monialium ordinis de Sempingham in filiorum ipsorum hæreditate se asseruit construxisse: quod secundum legem Anglicanæ provinciæ stare non poterat, si filii ejus essent eamdem hæreditate privati. Promisit insuper idem miles construere xenodochium ad suscipiendum pauperes transeuntes in loco plurimum opportuno. Unde misericorditer sibi petiit indulgeri ut propter has causas de licentia nostra posset executionem voti differre, promittens quod interim sexaginta marcas legalium sterlingorum annuatim transmitteret in subsidium terræ sanctæ. Pro eodem quoque nobili, quem propter expertam ipsius pru-

dentiam et virtutem esse pernecessarium noveratis in hujusmodi tempestatis articulo toti regno, præfatus rex Angliæ, ac bo. mem... Cantuarien. archiepiscopus, et tu frater Helien. supplicastis instanter, necessitates tam regis et regni quam etiam filiorum per vestras nobis litteras exponentes. Unde venerabili fratri nostro episcopo, et dil. fil... decano Lincolnien. dedimus in mandatis ut si veritate quæ præmisimus niterentur, auctoritate nostra nobili memorato concederent ut per tres annos de nostra licentia remaneret ad regis obsequium et præsidium filiorum; nisi nos interim, pensatis rerum et temporum circumstantiis, duceremus circa ipsum aliter statuendum; ita videlicet quod ipse fideliter exsequi procuraret quod de xenodochio ad opus pauperum construendo et pecunia in terræ sanctæ subsidium transmittenda promisit. Verum, sicut nobis innotuit, idem justitiarius prædictis litteris hactenus non est usus, nec pecuniam repromissam in terræ sanctæ subsidium exsolvere studuit annuatim; et cum guerrarum instantia, quæ inter dictos reges excreverat, Domino sit disponente pacata, regi vel regno non est idem justitiarius utilis sicut prius. Cum igitur præter causas jam dictas plures aliæ cessasse dicantur quæ nos videntur ad concedendum præscriptam indulgentiam induxisse, sitque insuper consentaneum rationi ut cessante causa cessare debeat pariter quod urgebat, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus si est ita, sæpedictum justitiarium monere ac efficaciter inducere studeatis, ipsum si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes, quatenus votum quod emisisse dignoscitur exsequi non postponat. Quod si non ambo, alter vestrum, etc.

Datum Laterani, VIII Id. April., anno decimo.

### XLIV.

...ARCHIEPISCOPO, SUBDECANO B. MARTINI ET MAGISTRO SOCRATI CANONICO TURONEN.

*Committitur causa matrimonialis I. de Alcia et M. uxoris suæ terminanda.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ex litteris venerabilis fratris nostri...... episcopi Trecoren. intelleximus evidenter quod cum causam matrimonii, quæ inter nobilem virum I. de Alcia et M. uxorem suam Andegaven. diœcesis vertebatur, ipsi et dilectis filiis... cantori et... archidiacono Trecoren. commisissemus fine canonico terminandam, iidem, utpote remoti, penitus ignorantes ipsam bo. me. B. prædecessori tuo; frater archiepiscope, vobisque, filii subdecane ac magister W. Socrates, a nobis fuisse primitus delegatam, a præfato nobili, qui aspirabat ad divortium, circumventi, usque ad receptionem testium in negotio processerunt. Verum dictus nobilis diffinitivam sententiam non expectans, quibusdam falsis usus, sicut dicitur, instrumentis, aliam superduxit. Asseruit insuper episcopus memoratus mulierem eamdem sub

A potestate prædicti nobilis fuisse detentam, et coram ipso et conjudicibus suis indefensam penitus exstitisse. Requisita tamen ab eisdem in jure utrum contradiceret, nec ne, receptioni et examinationi testium productorum assensum præbuit, sed ignorat quo ducta spiritu id fecisset. Verumtamen secreto postmodum, quia publice non audebat, revelavit eisdem quod a viro suo ut captiva detenta, minis et verberibus ab ipso compulsa, præsito juramento firmavit quod iis quæ contra ipsam proponerentur super matrimonio dissolvendo nullatenus contradicere attentarent; quare supersederunt negotio memorato. Cum igitur fraus et dolus nulli debeat patrocinium impertiri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, vos, prædictis litteris nequaquam obstantibus,
B in causa eadem juxta priorum continentiam litterarum occasione qualibet et excusatione cessantibus, sublato appellationis obstaculo, ratione prævia procedatis, reducentes in statum debitum quidquid occasione litterarum illorum in ejusdem mulieris præjudicium noveritis attentatum.

Datum, *ut in alia.*

### XLV.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

*Super declaratione obedientiæ et exceptione parochialium ecclesiarum, ac super sepulturis et nonnullis aliis ad ipsum episcopum pertinentibus.*

(Laterani, VIII Id. Aprilis.)

Apostolicæ sedis oraculo tua petiit fraternitas
C edoceri si monasterii abbas exempti parochialium ecclesiarum obtentu ad idem monasterium pertinentium, quæ ab episcopali jurisdictione minime sint exemptæ, diœcesano episcopo canonicam præstare obedientiam teneatur. Ad quod tibi duximus respondendum, quod cum juxta canonicas sanctiones in religiosorum ecclesiis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, institui debeant sacerdotes, qui episcopis de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, non utique ab abbate, sed ab hujusmodi sacerdotibus, episcopo convenit pro talibus ecclesiis obedientiam exhiberi (4). Quæsivisti præterea utrum viris religiosis, quibus parochiales ecclesiæ in usus proprios sunt collatæ, decedentibus personis earum liceat auctoritate propria possessionem earumdem
D ecclesiarum intrare, an per diœcesanum episcopum in ipsam sint potius inducendi. Ad quod utique respondemus quod nisi eis specialiter sit concessum ut cum vacaverint, per seipsos ingrediantur easdem profecto in possessionem ipsarum, suo episcopo inconsulto, non est eis licitum introire. Quia vero nonnulli viri religiosi ecclesias parochiales tenentes episcopo parochiam visitanti procurationem denegant exhibere, in defensionem sui præscriptionem tantummodo allegantes, fraternitatem tuam nolumus ignorare quod cum in talibus præscriptio sibi locum

(4) Vide addit. ad cap. 31, lib VI, De concordia sacerdotii et imperii.

vindicare non possit sicut a nobis alibi rationabiliter est ostensum (5), per eam se nequeunt ab ipsius præstatione tueri (6). Cæterum cum plerumque contingat quod episcopi successive locis religiosis de redditibus qui pertinent ad eosdem, ultra quinquagesimam conferant portionem, ita quod [interdum usque ad tertiam partem vel quartam, interdum vero plus minusve hujusmodi redditus minuuntur, tua fraternitas nos consuluit utrum successoribus eorumdem ea quæ taliter fuerint ultra quinquagesimam portionem concessa, liceat aliquatenus revocare. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod licet sit in canone diffinitum ut si quis episcoporum in parochia sua monasterium constituere forte voluerit, et hoc ex rebus Ecclesiæ cui præsidet ipse ditare, non amplius ibidem quam quinquagesimam, Ecclesiæ vero quam monasticis regulis informare vel pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partem census Ecclesiæ cui præest debeat elargiri. Quia tamen in eodem canone consequenter adjungitur ut hæc temperamenti æquitas observetur quod cui tribuit, competens subsidium conferat, et cui tollit damna gravia non infligat; ea quidem cautela servata, ut unam tantummodo, quæ placuerit, ex iis duabus remunerationem assumat, hoc semper est observandum quod episcopus unus vel alius non solum non debet amplius, sed nec tantum nec minus cum gravi ecclesiæ suæ detrimento conferre, sive simul et semel id facere velit, sive pluries successive eidem vel diversis ecclesiis conferendo. Unde quod in grave detrimentum sive de possessionibus sive de proventibus vel ad episcopalem mensam vel cathedralem ecclesiam pertinentibus in quantalibet portione constiterit esse collatum, poterit legitime revocari, nisi præscriptione vel alia exceptione legitima hujusmodi actio excludatur. Nam etsi prima facie præsumatur quod collatio quinquagesimæ vel centesimæ partis grave non inferat detrimentum; quia temetsi non solum si sæpe, sed etiam si semel id fiat, ex variis circumstantiis deprehendi potest interdum esse valde damnosum, quod quidem magis potest ex ostensione ipsius facti quam expressione alicujus statuti cognosci, nec quinquagesima nec centesima semel aut successive debet cum gravi damno conferri. Si vero in tantum abundet episcopus ut sine damno ecclesiæ suæ possit amplius etiam quam in quinquagesimam vel centesimam partem necessitati alterius ecclesiæ subvenire, quamvis per se non debeat excedere summam a canone præfinitam, per quem incaute largiri volentibus est occursum, de superioris tamen auctoritate potest etiam in majori summa ex ejus copia inopiæ alterius provideri.

Datum Laterani, VIII Id. Aprilis, anno decimo.

—

### XLVI.

MARCHIONI DE MALASPINA

*Inhibetur ne occasione pedagii ante statutum Lateranen. concilii in terra sua aliquid recipere præsumat nisi quod antea recipiebat.*

(Laterani, IV Id. Aprilis.)

Auctoritate præsentium prohibemus ne quis occasione pedagii quod ante statutum Lateranensis concilii super hoc editum in terra tua recipi consueverat, te præsumat per censuram ecclesiasticam molestare, nisi forsan antiquo et approbato pedagio abutaris. Nulli ergo... nostræ prohibitionis etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, IV Idus Aprilis, anno decimo.

### XLVII.

...RAVENNAT ARCHIEPISCOPO.

*Conceditur ut palleum recipere possit et uti eodem.*

(Laterani, XVI Kal. Maii.)

Licet ab antiquo provida fuerit deliberatione statutum ut electus in Ecclesiæ Ravennatis antistitem consecrationis munus, vel si consecrandus non fuerit, palleum ad Romanam accedat Ecclesiam suscepturus, necessitatis tamen ejusdem ecclesiæ tuæque devotionis obtentu statutum hujusmodi temperando taliter duximus providendum, ut palleum de corpore B. Petri sumptum, plenitudo scilicet pontificalis officii, secundum formam quam sub bulla nostra destinamus expressam, per dilectum filium R. subdiaconum nostrum tuæ fraternitati tradatur; ita quod quam cito se facultas obtulerit, infra annum apostolico te conspectui repræsentes, professionem quam nunc juramento præstiteris ore tunc ibi proprio editurus. Monemus ergo fraternitatem tuam et exhortamur attente, per apostolica scripta mandantes quatenus specialem gratiam tibi factam, quam utique ad consequentiam trahi nolumus, recognoscens, in vocatione qua vocavit te Dominus, commissæ tibi ecclesiæ te talem studeas exhibere quod quæ læsa videtur non leviter in utriusque, tua provisione se gaudeat in temporalibus et spiritualibus reparari.

Datum Laterani, XVI Kal. Maii, anno decimo.

### XLVIII.

PRIORI ET FRATRIBUS GRANDIMONTENSIBUS.

*Ut preces effundere valeant pro anima M. Turonen. archiepiscopi, ut a pœnis, quas pro suis excessibus forsan meruit, valeat liberari.*

(Laterani, V Id. Aprilis.)

Etsi fraternæ charitatis, quæ nunquam excidit, sincerus affectus sit ad proximos extendendus, dum fuerint in præsentis peregrinationis exsilio constituti, ex ejusdem tamen dilectionis fonte tunc est eis uberioribus beneficiis succurrendum cum a corporis vinculis absoluti nec tempus nec locum habent ut per se valeant ulterius operari. Propter quod a sanctis Patribus quædam sunt præscripta remedia quibus defunctorum angustiis consulatur, eleemosynæ videlicet et jejunia, oblationes ac pre-

(5) Cap. *Cum non liceat*, De præscript.

(6) Cap. *Cum plerumque*, De donationib.

ces, quæ illis præcipue prodesse noscuntur qui, dum viverent, meruerunt ut hæc sibi posseut prodesse post mortem. Multis quippe divinæ Scripturæ testimoniis comprobatur quod meritis et precibus aliorum salutem mentis et corporis aliqui consequuntur, quorum, inquit, fidem ut vidit, ait Dominus paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* et consequenter adjecit : *Tolle lectum tuum et vade in domum tuam (Matth.* IX). Socrus quoque Simonis, quæ magnis febribus tenebatur, ad preces eorum qui manentes in domo rogaverunt pro ipsa meruit liberari. Maria etiam et Martha vitam Lazaro lacrymosis precibus impetrarunt. Et ad lacrimas viduæ turba comite supplicantis, ejus filium Dominus suscitavit. Ad hujusmodi vero exhibenda suffragia quamvis fidelis quilibet teneatur juxta illud quod in Ecclesiastico legitur: *Mortuo non prohibeas gratiam, omnes siquidem moriemur* (*Eccli.* VII), illi tamen ad hoc specialiter astringuntur qui a curis sæcularibus expediti, tam sua quam aliorum possunt commodias peccata deflere. Illis quoque convenit per hæc pietatis officia plenius subveniri qui suæ liberationis fiduciam in iis qui adhuc vivunt in corpore posuerunt. Sane bon. mem. Turonensis archiepiscopus, dum appropinquaret ad portas mortis, et esse in ultimo vitæ suæ termino constitutus, quasdam litteras fecit scribi, quæ sub sigillo suo fuere nobis a dil. fil. magistro P. de Vico post ejus obitum præsentatæ, in quibus nobis humiliter supplicabat ut vos nostris litteris moneremus quatenus pro ipso ad Dominum orationes et preces vestras effundere curaretis. Nos igitur in hoc pium ejus devotionis desiderium commendantes, qui apud districtum judicem Ecclesiæ petiit suffragiis adjuvari, universitatem vestram rogamns, monemus et exhortamur in Domino quatenus pro jam dicto defuncto effundatis coram Domino corda vestra, et pro ipsius anima devotissime supplicetis Altissimo, ut a pœnis quas pro suis forsan excessibus meruit, vestris intercessionibus liberetur, spem firmam habentes ut qui ex fideli devotione supplicationum vestrarum patrocinium imploravit, vestris precibus et beneficium percipiet et juvauem.

Datum Laterani, V Id. April., anno decimo.

XLIX.

EPISCOPIS, ABBATIBUS, PRIORIBUS ET UNIVERSIS CLERICIS PER ACHAIAM CONSTITUTIS.

*Ut archiepiscopo Patracen. ad exsolvenda sua debita charitativis studeant auxilis subvenire.*

(Laterani, VI Kal. Maii.)

Etsi quilibet in necessitatis articulo proximo subvenire, illius tamen necessitates eum convenit liberaliua revelare ad cujus reverentiam ex subjectionis debito noscitur obligatus. Cum igitur venerabilis fratrer noster... Patracen. archiepiscopus semel et iterum pro suis et ecclesiæ suæ negotiis ad sedem apostolicam veniendo, præter labores multiplices, jacturas graves sustinuerit et expensas, nec ad exsolvenda sua debita in præsenti ejusdem sufficiant facultates, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eidem archiepiscopo charitativis studeatis auxiliis subvenire, ut vestræ liberalitatis subsidiis a suorum debitorum obligationibus expeditus, vestris commodis expeditius valeat insudare,

Datum Laterani, IV Kal. Malii, anno decimo.

L.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

*Ut clericis suæ provinciæ proventus ecclesiasticos percipere non permittat si in illis personaliter deservire contempserint, nisi sibi constiterit eos canonice fuisse promotos. et beneficiatos in eorum ecclesiis residere compellat.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod quidam clerici in ecclesiis tuæ provinciæ proventus ecclesiasticos percipere non verentur, cum in eis residentiam facere negligant et personaliter deservire. Quocirca præsentium tibi auctoritate mandamus quatenus clericos memoratos, qui in ecclesiis in quibus ordinati fuerint personaliter deservire contempserint, proventus ecclesiasticos percipere non permittas, cum hoc tempore multa sit ibidem penuria clericorum.

LI.

EIDEM.

*Ut illis qui ad Achaiæ partes accedunt celebrare non permittat.*

(Laterani, XIII Kal. Maii.)

Ex tuæ devotionis insinuatione recepimus quod cum Latini regionem Achaiæ occupassent, quidam episcopi Græci suffraganei tui, timore perterriti, de loci propriis fugientes, suas ecclesias reliquerunt; quorum quidam, licet sæpius moniti, ad sedes tamen suas redire contemnunt; nonnulli propter guerrarum discrimina per certos nequeunt nuntios commoneri. Unde nobis humiliter supplicasti ut super hoc tibi salubriter consulentes, qualiter circa illos et ipsorum diœceses procedere debeas, tibi scribere dignaremnr. Nos igitur attendes quod propter novitatem mutationis illius terræ et novitatum eventus sit cum maturitate plurima procedendum, devotioni tuæ taliter respondemus, ut illos non semel, sed sæpe, videlicet primo. secundo et tertio, citare procures ; et si comparere noluerint sed in sua voluerint contumacia perdurare, nisi forte se appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum prosequantur, ipsos per suspensionis et excommunicationis sententias ad tuam obedientiam venire compellas. Quod si nec sic ipsorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius B. tit. Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis apostolicæ sedis legatus ab episcopatuum administratione removeat, et quibus præsunt ecclesiis de personis idoneis faciat provideri, sed in eos degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer, si expediat, facilius agi possit. In Ec-

clesiis autem eorum qui se fraudulenter absentant, A nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinæ citationis edictum facias publicari. Et si nec sic curaverint obedire, seu etiam ultra sex menses suas deseruerint ecclesias, ut juxta canonicas sanctiones eis debeant merito spoliari, contra eos quoque sicut præscriptum est procedatur. Postulasti præterea per sedem apostolicam edoceri utrum clericos illos qui ad partes Achaiæ sine commendatitiis litteris veniunt permittere debeas celebrare. Super quo tibi taliter respondemus, quod nisi legitime tibi constiterit, sive per litteras, sive per testes, de illorum ordinatione canonica qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere tuis plebibus celebrare. Sed si forsan eorum aliqui secreto ex devotiene celebrare voluerint, poteris sustinere.

Datum Laterani, XIII Kal. Maii, anno decimo.

## LII.

### EPISCOPO PATAVIENSI.

*Ad suggestionem Aquilegensis patriarchæ, dum ipsi Patavien. Ecclesiæ præsidebat, committitur, ut de loco insigni, ubi unam cathedralem ecclesiam erigere possit in loco Viennensi.*

(Laterani, XVIII Kal. Maii.)

Et canonica tradit auctoritas et ratio suggerit naturalis, ut cum necessitas exigit vel utilitas persuadet, et unus episcopatus dividatur in plures, et plures conjungantur in unum, ne cura pastoris desit alicui vel aliquid desit curæ pastoris. Legimus enim quod cum multi essent minores sacerdotes, quos Chananæos communiter appellabant, unus autem C summus sacerdos, quem nominabant specialiter Arabartum, David prophetarum eximius per Spiritum sanctum intelligens quod unus non sufficeret universis, viginti quatuor summos sacer dotsəinstituit, sexdecim de Eleazar, et octo de Ithamar : quibus tamen omnibus unum præfecit, quem statuit principem sacerdotum. Singulis autem per sortem vicis suæ divisit hebdomadas; quarum octava provenit Abiæ, de cujus genere Zacharias pater Joannis Baptistæ descendit. Dilectus itaque filius nobilis vir... dux Austriæ tam per litteras proprias quam nuntium specialem nostris auribus intimavit quod Pataviensis episcopatus parochialibus adeo limitibus est diffusus quod per unam quamtumlibet exercitatam personam absque multorum animarum periculo pastorale circa singulas oves in ipso ne- D queat officium exerceri. Quod utique venerabilis frater noster... Aquilegen. patriarcha, dum Pataviensi ecclesiæ præsideret provide circumspiciens, in votis dicitur habuisse fel. rec. C. papæ prædecessori nostro cum instantia supplicare ut in provincia seu potius provinciis tam diffusis alium præter se antistitem ordinaret, quibus, ut expertus, agnoverat per unum immediate pastorem spiritualia sacramenta non posse congrue ministrari. De quibus, inter cæteras partes episcopatus ejusdem, Austria maximum noscitur sustinere defectum : quæ profecto in tantum dicitur a sede cathedrali distare ut ad nonnullas ecclesias inibi constitutas vix infra dies a cœna Domini perveniat novum chrisma. Consecrationes quoque altarium, confirmationis sacramentum, et ordinationes nihilominus clericorum nonnunquam tempore multo, sæpe vero perpetuo differuntur, nisi per advenas fortassis episcopos aliquoties impendantur eisdem. Quodque gravius est, usque adeo, ut asseritur, ibi pestis invaluit hæreticæ pravitatis ut passim in caulas dominicarum ovium lupi rapaces irrumpant, dum per virgam pastoris,, quæ quanto pluribus] est intenta, tanto minus specialiter super eis prævalet vigilare, truculenta rabies eorumdem ab ipsis sedulitatis officio non arcetur. Unde considerans dictus nobilis messem multam per operarios paucos non B posse commode procurari, et ideo rogandum dominum ejus esse ut mittat operarios in eamdem, nobis humiliter supplicavit ut, necessitate pariter et utilitate pensata, in provincia sua, quæ quanto est a tua sede remotior, tanto solatio noscitur alterius præsulis amplius indigere, specialem ordinare pastorem super gregem Dominicum dignaremur, locum congruentem designans in quo decenter constitui possit ecclesia cathedralis, Wiennam videlicet civitatem, quæ post Coloniam una de melioribus Teutonici regni urbibus esse dicitur, amœna flumine, situ prædita, civibus populosa, in qua dudum episcopalis sedes noscitur exstitisse, sed per incursum exteræ nationis, quæ tam illam quam alias multas circumstantes provincias devastavit, primo Lauriacum et inde Pataviam est translata. Ne vero cum enormi tuo gravamine id petere vel appetere videatur per quod potius onus tuum allevandum intendit, tertiam partem Austriæ sive quartam constituendæ diæeesis postulavit limitibus deputari, villis et castris cum possessionibus universis ac cæteris temporalibus, præter jus parochiale duntaxat, in eadem particula tibi et Patavien. Ecclesiæ reservatis. Ita profecto quod idem dux cum Wiennensi plebe de bonis suis episcopatum hujusmodi redditibus mille marcharum pro salute animæ suæ suorumque parentum pia devotione dotabit, redditus nihilominus assignando de quibus tricennarius præbendarum iu ea nnmerus statuatur, quarum cuilibet in extimatione viginti marcharum proventus annus deputetur. Nos igitur attendentes quod cum oves spirituales non sint negligentius cardinalibus gubernandæ, quando quidem rector illarum custodum plurimorum ipsis adhibet diligentiam cum eas ad uno viderit non posse pro multitudine custodiri, ad Dominici gregis regimen, qui nimis et in tuo multiplicatus ovili, alium, si verum est quod asseritur, oporteat præter te deputari pastorem, qui et suas oves cognoscat, et a suis ovibus cognoscatur, ejus exemplo qui ait : *Cognosco oves meas et cognoscunt me meæ* (*Joan.* x), licet non solum secundum statuta canonica, verum etiam nonnulla prædecessorum nostrorum exempla, postulationi præfati ducis videatur merito annuendum, tuæ tamen volentes fra-

ternitati deferre, de superabundanti gratia rem ipsam tibi voluimus intimare, considerato quod etsi non sit necessarium super hoc tuum obtinere consensum, illum tamen requirere sit honestum. Quocirca fraternitatem tuam monemus attente et propensius exhortamur, per apostolica scripta mandantes quatenus tam salutare propositum benevolo prosequendo favore, lucrumque animæ temporali quæstui præponendo, quantum in te fuerit in hoc affectum adhibeas et effectum, quid de singulis ejus negotii circumstantiis sentias nobis quantocius rescripturus. Nos enim venerabili fratri nostro..... Salceburgensi archiepiscopo dedimus in mandatis ut memoratum ducem ad peragendum hujusmodi propositum pietatis propensius exhortetur, et inquisita super iis diligentius veritate, nobis eam sub opportuna celeritate rescribat, determinate significans in qua et quanta parte provinciæ memoratæ futuri episcopatus locari cathedra et parochia valeat congruentius assignari; ut sic demum certiores effecti, ad consummationem hujus negotii sicut inspiraverit Dominus procedamus.

Datum Laterani XVIII Kal. Maii, anno decimo.

LIII.

...EPISCOPO... PRÆPOSITO SANCTI LUCII ET... SCOLASTICO CURIENSI.

*Committitur ut H. pauperi presbytero de Ecclesia de Rapis faciant pacifica possessione gaudere, prout de jure fuerit faciendum.*

(Laterani, XIV Kal. Maii.)

Accedens olim ad præsentiam nostram dilectus filius H. pauper presbyter humili nobis insinuatione monstravit quod cum VI et Ha. Constantienses canonici eum super Ecclesia de Rapis, ad quam fuerat legitime præsentatas, contra justitiam molestarent, idem presbyter ad abbatem de Cappella et conjudices ejus super hoc litteras apostolicas impetravit coram quibus cum multa fuissent hinc inde proposita, metu demum adversæ partis ad sententiæ calculum procedere noluerunt; sicut ipsi per suas nobis litteras intimarunt. Quare presbyter ipse ad nostram audientiam appellavit, festum beatorum Philippi et Jacobi proximo tunc præteritum suæ terminum appellationi præfigens. Unde nos vobis dedimus in mandatis ut si constaret memoratum presbyterum nullum habentem ecclesiasticum beneficium ad præfatam ecclesiam fuisse canonice præsentatum, nonobstante institutione alterius, qui alia dicebatur ecclesiastica beneficia possidere, ipsum faceretis de illa sublato appellationis obstaculo investiri. Verum, sicut tu, frater episcope, per tuas nobis litteras intimasti, licet ejusdem presbyteri adversarium constitisset alia ecclesiastica beneficia obtinere, quia tamen objectum exstitit quod dictus presbyter litteras prælibati mandati per falsi suggestionem et suppressionem obtinuerat veritatis, eodem adversario sedem apostolicam appellante procedere ad sententiam distulistis. Cum igitur dictus presbyter denuo propter hoc ad præsentiam nostram accedens diu suum exspectaverit adversarium, qui appellationem quam interjecerat non est aliquatenus prosecutus, compatientes ejusdem laboribus et expensis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus si constiterit præfato presbytero ex præsentatione illa jus in illa fuisse ecclesiam acquisitum nonobstante quod prælibatas litteras ad falsi suggestionem per suppressionem veritatis dicitur impetrasse, cum hanc formam tanquam consonam juri communi falsitatis expressio vel suppressio veritatis nequeat immutare, secundum mandatum earum sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo in ipso negotio procedatis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo; sollicite provisuri ut cum adversarius sæpedictus post litteras secundo a nobis per presbyterum eumdem obtentas possessionem ipsius ecclesiæ occupasse dicatur, si secundum formam mandati nostri presbyterum ipsum de illa contigerit investiri, amoto ab ipsa tam eo quam alio quolibet illicito detentore, faciatis dictum presbyterum ipsius pacifica possessione gaudere, in eos qui se temere ducerent opponendos canonicam promulgando censuram; præfatum nihilominus adversarium ad debitam restitutionem fructuum subtractorum eidem presbytero faciendam per eamdem censuram appellatione postposita compellentes. Sic autem mandatum apostolicum impleatis quod de cætero pro defectu vestro prædictum pauperem non oporteat ad sedem apostolicam laborare, vos quoque non possitis de negligentia reprehendi. Depositiones vero testium, quas nobis super ipso negotio transmisistis, vestræ discretioni remittimus; ut tam secundum ea quæ super eodem negotio sunt deposita, quam secundum illa quæ legitime deponentur, in causa ipsa canonice procedatis. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes... tu frater episcope, etc.

Datum Laterani, XIV Kal. Maii, anno decimo.

LIV.

POTESTATI ET CONSULIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS ET UNIVERSO POPULO TARVISIN.

*Persuadentur quod acquiescant et crepant eorum episcopo super corrigendis nefandis et schismaticis erroribus quos tenent contra fidem, et idem episcopus clericorum corrigat excessus.*

(Laterani, XI Kal. Maii.)

Gloria nominis vestri longe lateque claresceret, nisi eam fumus hæreticæ pravitatis multipliciter offuscaret, cum secundum Apostolum non solum multum fermenti, sed etiam modicum quidem totam massam corrumpit. Utquid igitur, inclyti cives, fidem catholicam, per quam renati estis ex aqua et spiritu in baptismo, corrumpi permittitis a quibusdam indisciplinatis et indoctis hominibus seductoribus et seductis, qui neque sacras Scripturas intelligunt, neque virtutem divinam agnoscunt, sub ovina pelle lupinam rapacitatem velantes, ut propinent incautis in aureo calice fel draconum? Expurgate

itaque vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi, non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis, attendentes a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, præsertim ab impiis Manichæis, qui se Catharos vel Paterenos appellant, quorum insaniam Paulus apostolus in Spiritu sancto prævidit et prædixit esse vitandam, scribens inter cætera Timotheo: *Spiritus* inquit, *manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione a fidelibus et iis qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (*I Tim.* IV). Ecce quam expresse et manifeste Paulus apostolus, vas electionis et doctor gentium, segregatus in Evangelium Dei, quod ipse ab homine non accepit nec didicit, sed per revelationem solummodo Jesu Christi, damnat et improbat vesanum dogma perfidi Manichæi, quod non solum ab orthodoxæ fidei veritate, verum etiam a naturalis rationis judicio est penitus alienum. Ille quippe cum sequentibus suis dogmatizat corporales cibos non esse creatos a Deo, sed a diabolo, quem appellat principem tenebrarum, a quo universa corporalia et visibilia dicit esse creata. Iste vero docet cibos a Deo esse creatos, et ideo percipiendos esse a fidelibus cum actionibus gratiarum. Ille prohibet nubere, damnans conjugium, et asserens non esse majus peccatum polluere matrem vel filiam quam extraneam vel ignotam. Iste vero commendat conjugium, asserens illud magnum existere sacramentum in Christo et in Ecclesia, juxta quod protoplastus evigilans prophetavit: *Hoc*, inquit, *nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II; *Ephes* V). Ideoque nubere melius dicit esse quam uri. Cur autem in talibus immoramur, cum inter omnes errores hic sit magis insana, et inter omnes errores hic sit magis horribilis, tanquam qui non solum evangelicam veritatem impugnat, verum etiam philosophicam doctrinam evertit, quæ tradit unum esse universorum tam visibilium quam invisibilium Conditorem. Fugite itaque, fugite damnabilem et damnatum, quin etiam damnosum et damnantem errorem qui tenebras interiores inducit ut ad tenebras exteriores perducat; et nolite obtenebrari cum illis qui fatentur se ipsos esse creatos a principe tenebrarum; sed illuminamini magis cum iis qui se confitentur a Patre luminum esse creatos, apud quem tenebræ non sunt ullæ. Nos enim spondemus pro vobis apud Christum Jesum, qui venturus est judicare vivos et mortuos,

A quod illa est vera fides et recta, secundum doctrinam apostolicam et propheticam, quam sedes apostolica dogmatizat, cui nos, licet immeriti, præsidemus, et in novissimo districti judicii die ante tribunal ipsius super hoc ipsi pro vobis volumus respondere; interpellantes vos ad illud divinæ majestatis tribunal, coram quo tandem astabitis secundum merita accepturi, ut aspernantes et detestantes falsa dogmata hæreticæ pravitatis, amplexemini et sectemini veram doctrinam apostolicæ sedis supra firmam petram immobili soliditate fundatam reminiscentes quid olim promiseritis nobis interposito juramento in manu venerabilis fratris nostri... Ferrariensis episcopi, quando communionis gratiam diu vobis subtractam per ejus ministerium paterna
B vobis restituimus pietate. Quocirca devotionem vestram monemus et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus venerabili fratri nostro... episcopo vestro, cui dedimus in præceptis ut districte corrigat clericorum excessus quorum prava vos exempla conturbant credatis et acquiescatis in iis quæ redolent mores honestos et fidem sapiunt orthodoxam; non scandalizantes animas vestras in eo quod aliqui aliter vivunt quam doceant: quia sicut infirmitas medici vim non impedit medicinæ, sic iniquitas sacerdotis virtutem non evacuat sacramenti (7).

Datum Laterani, XI Kal. Maii, anno decimo.

## LV.

EPISCOPO BRIXINENSI, H. AQUILEGENSI PRÆPOSITO ET S. SCOLASTICO AUGUSTENSI.

C *Eis committitur examinatio testium super electione pastoris Gurcen. Ecclesiæ, super qua electione Salseburgen. Ecclesia jus habere sibi vindicabat.*

(Laterani, XIV Kal. Aprilis.)

Conquesta est nobis Gurcensis Ecclesia quod super libertate sibi pontificem eligendi Salseburgensis Ecclesia ipsam indebite molestabat, quam tam de jure communi quam antiquam consuetudine ac privilegio speciali... Gurcensis Ecclesiæ procurator eidem competere proponebat. Cui cum ex parte altera quædam sbjiceretur sententia, quæ super hoc pro Salseburgensi dicebatur Ecclesia promulgata, idem asseruit nullam super hoc sententiam prolatam fuisse. Verum exhibitio nobis quibusdam litteris venerabilis fratris nostri... episcopi Frisingensis et
D dilecti filii... abbatis Sanctæ Crucis, quæ videbantur latam ab ipsis dictam sententiam continere, idem proposuit subsequenter quod præfati judices nec ordinarii fuerant, nec arbitri communiter electi a partibus, neque constabat quod fuerint delegati, unde quod statuerant robur habere non poterat firmitatis, contendens Gurcen. canonicos libere suum pontificem hactenus elegisse quem usum sufficienter se asseruit probaturum. Cumque ipsi esset ex adverso responsum memoratos judices ex delegatione fel. mem. Alexandri papæ III habuisse auctoritatem

(7) Vide Baluzii notas ad Agobardum, pag. 66.

negotium terminandi super usu eligendi et commissione ipsa, venerabilibus fratribus nostris... Frisingen. et... Tergestin. episcopis una tecum, frater Brixinen. episcopo, receptionem testium quos alterutra partium vellet producere duximus committendam. Partibus vero in nostra præsentia constitutis, et attestationes super illis duobus articulis offerentibus nobis clausas, Gurcensis Ecclesiæ procurator est in judicio protestatus quod non credebat super hoc sententiam latam fore, sed si esset, per metum contra eamdem ecclesiam fuerat judicatum. Quem ad nos secreto vocavimus, et de metus inquisivimus qualitate. Sed cum nobis talem exprimeret qui probatus parti suæ adminiculum non afferret, et se nolle probare alium fateretur, postulans inducias ad metum, quem expresserat, comprobandum, nos partibus consuluimus, ad concordiam intendentes, quod adventum venerabilis fratris nostri !... Salseburgen. archiepiscopi exspectarent. Qui cum fuisset diutius exspectatus, et interim quidam ex Gurcen. canonicis ad suam ecclesiam accessissent, secum quosdam testes redeuntes duxerunt, per quos alium metum, scilicet quod compulsi fuerunt per... comitem Palatinum et fratres germanos ipsius archiepiscopi, qui tunc erat, contra se Gurcen. canonici confiteri, dictus probare voluit procurator, tunc demum confitens sententiam latam fuisse, allegando proponens quod cum in jure civili habeatur expressum quia quod vi metusve causa gestum est, prætor nullo tempore ratum habebit, nec hoc tempore rata debet haberi sententia, quæ occasione metus est lata a judicibus memoratis, nec ratione longi temporis exceptionem obstare rei judicatæ proposuit quin actio quod metus causa modo valeat intentari, quia nedum quadraginta annorum spatium, per quod ei, si loco religioso competat, obstaculum præparatur, sed nec triginta post prolatam sententiam est effluxum, quin imo auctoritate canonis totum est illud judicium renovandum, in quo pars ex eo quod contra se aliquid confessa fuisset, contrarium judicium reportavit, in confessione se probaverit violentiam pertulisse, nec non omnis confessio quæ fit ex necessitate fides non est, et pessimum est de suspicione aut extorta confessione aliquem judicare. Item certum est quod sicut exceptio est actionis exclusio, ita replicatio est auxilium actionis. Quare cum ea quæ sunt annua ad agendum, perpetua ad excipiendum dicantur, et replicatio sit quasi exceptionis exclusio, dum alias duraret actio, nisi obstaret exceptio, per replicationis suffragium vigorem actio reassumit. Propter quod non obstante rei judicatæ exceptione dixit se posse, sicut et ante sententiam, et modo electionem liberam vindicare. Ei quod objectum fuerat, scilicet non ad unam solummodo probationis speciem judices animos applicasse, sed ex confessionibus et testibus ei instrumentis quibusdam contra Gurgen. ecclesiam sententiam protulisse, respondit quod metus, qui continebat corporis cruciatum, in toto judicio intervenit. Porro pars alia proponere procuravit quod ejus adversarius audiri penitus non debeat, multiplici ratione: tum quia confessus fuerat quod metum alium proponere non volebat, tum quia cum a principio sententiam prolatam negaret, per fraudem postmodum contrarium est confessus, et fraus et dolus nemini patrocinium debet ferre. Unde in pœnam inficiationis sibi debebat actio denegari, sicut per legem in casu consimili est statutum, tum etiam quia confessus fuerat post memoratam sententiam Salseburgensi archiepiscopo Gurcen. canonice in talibus obedientiam præstitisse, sic suo consensu sententiam confirmantes, præsumpto per jus civile quod propter consensum spontaneum subsequentem in prolatione ipsius sententiæ nulla coactio intercessit. Adjiciens quod postquam bon. mem. Lucio papæ III Gurcenses de ipsa sententia querimoniam obtulerunt, ab eo fuit eadem confirmata, quodque Gurcen. canonici sponte per multos annos ipsi sententia paruerunt. Quæ rationes ab adversario hujusmodi responsionibus sunt delusæ, quod quemlibet sui licet pœnitere responsi, si nulla captio ex ejus pœnitentia sit actoris. At cum Salseburgensis Ecclesia in excipiendo vices actoris sustineat, et nihil credatur utilitatibus ecclesiasticis deperire, si quæ sunt aliena reddantur, potest locus esse pœnitentiæ replicandi ad jus suum integrum conversandum. Præterea procurator prædictus obtulit sacramentum, quod de novo talis metus in suam devenerit notionem, quare audiri debebat illa consimili ratione, quod si quisquam tempore contracti matrimonii præsens fuit, nec tunc aliquid proposuit contra ipsum, sed illud velit processu temporis accusare, ac fuisse consanguineos contrahentes juraverit postea se scivisse, auditur accusans. Item si quis petitorio intentato, et super eo testibus jam receptis, velit actor possessorium intentare, ad illud reverti per nostram concessa est licentia decretalem. Verum quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est, et error facti nemini necdum negotio finito nocet per legitimas sanctiones, præcipue cum Gurcen. certet Ecclesia de damno vitando et jure suo acquirendo vel potius conservando, ex variationibus hujusmodi non debet periculum sustinere. Nam nonnunquam prætor variantem non repellit, et consilium non aspernatur mutantis. Sic autem tertiæ ac quartæ objectionibus est responsum, quod non debet Gurcen. Ecclesiæ servitutis confessio præjudicium generare, quia si de jure communi habere debeat liberum de illo qui est ei præficiendus judicium, et contra hujusmodi libertatem sic servitutem confessa, juris civilis auxilio suffragante, quod vult liberum hominem servum per confessionem non effici servitutis, non est ipsi libera electio adimenda, adjungens quod post translationem ad Maguntin. Ecclesiam archiepiscopi memorati, Gurgen. Ecclesia dicto prædecessori nostro Lucio papæ III, quando potuit reclamare,

super violentia exposuit quæstionem; sed ipse, sicut in privilegio quod super electione, institutione, consecratione Gurgen. episcopi fel. rec. Alexander papa II. dicebatur Salseburgensi Ecclesiæ concessisse, ita et in sententia circumventu, asserens se diligenter examinasse, ac verum illud privilegium invenisse, quod nos falsum reperimus manifeste, eam absentibus Gurcen. canonicis confirmavit. Nos igitur iis et aliis intellectis quæ partes coram nobis multipliciter allegarunt, interloquendo concessimus ut procurator Gurcen. Ecclesiæ probandi metum illum facultatem haberet, præstito juramento se illum postea didicisse; sicque testes produxit, quos per dil. fil. n. L. tituli Sanctæ Crucis presbyterum et G. sanctæ Mariæ in Porticu diaconum card. examinari mandavimus et eorum depositiones conscribi. Quia vero sæpedicti archiepiscopi procurator tam super hoc quam super eo quod Gurcen. spontanea voluntate sententiæ paruerunt, et quod tam metu quam aliis coram bo. me. Lucio papa prædecessore nostro in judicio allegatis idem prædecessor noster per privilegii paginam præfatam sententiam confirmavit, volebat in patria producere testes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus testes quos utralibet pars super præmissis articulis et super transactione quæ post tempus sententiæ dicitur facta fuisse, aut in personas testium duxerit producendos, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, circa festum Omnium Sanctorum in loco securo partibus recipere procuretis, et attestationes redactas in scriptis nobis fideliter transmittatis, extunc præfigentes ipsis partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent; nisi forsan interim possent ad amicabilem venire concordiam, quam utrique parti credimus expedire. Nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint a sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Laterani, XIV Kal. April; anno decimo.

LXI.

CAPILULO PATRACENSI.

*Ut patracen. archiepiscopum in concordia electum tanquam eorum verum archiepiscopum recipiant*
(Laterani, VIII Kal. Maii.)

Cum dilectus filius nobilis vir Guillelmus Campaniensis princeps Achaiæ et vos pariter cum eodem nobis olim instanter supplicaveritis et devote ut venerabilem fratrem nostrum.... Patracen. archiepiscopum, tunc unaminiter electum a vobis, et ad sedem apostolicam accedentem, vobis in pastorem concedere dignaremur, nos diligentius indagantes qualiter fuerat in ipsius electione processum, quod per vos factum fuerat, tanquam minus licite procuratum, cum et vos fuissetis minus canonice instituti, non duximus approbandum; sed necessitate pariter et utilitate pensatis, postquam de veritate negotii et statu terræ per juramenta sociorum ejusdem archiepiscopi tunc electi fuimus certiores effecti, de potestate nostra cum ecclesiæ vestræ pastorem constituimus et rectorem, administrationem ipsi plenariam tam in spiritualibus quam in temporalibus concedentes. Licet autem de plenitudine potestatis, quam habemus Domino disponente super ecclesias universas, consecrationis munus potuissemus eidem tunc temporis impendisse, quia tamen volumus venerabili fratri nostro. . patriarchæ Constantinopolitano, cui ecclesia vestra asseritur esse subjecta, in hæc parte deferre, ipsum ad patriarcham remisimus memoratum, ab eodem consecrationis gratiam recepturam. Verum idem archiepiscopus guerrarum et turbationum periculis, quæ vigent in Romaniæ partibus, impeditus, ejusdem patriarchæ se non potuit conspectui præsentare; sed nec expedire credebat, cum idem patriarcha tunc temporis eum consecrare nequiverit, quia coepiscopos non habebat. Unde Athenien. et Theban. electos ad suam præsentiam accedentes in Syriam destinavit, consecrationis munus inibi recepturos. Nos igitur eidem paterno compatientes affectu, qui semel et iterum ad sedem apostolicam veniendo, præter labores multiplices, jacturas graves sustinuit et expensas, ei munus consecrationis impendimus, ipsum cum honore pallei, plenitudine scilicet pontificalis officii insignitnm, cum gratiæ nostræ plenitudine remittentes exhibiturum præfato patriarchæ obedientiam et reverentiam tam debitam quam devotam, cum ex eo quod a nobis consecrationem accepit, nulli velimus præjudicium generari, ne forte, quod absit! inde injuriam nascatur occasio unde jura nascuntur. Verumtamen si super ecclesiæ vestræ statu jus vestrum prosequi volueritis, nos, qui, secundum Apostolum, sumus omnibus in justitia debitores, justitiam vobis auctore Deo curabimus exhibere. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem tanquam vestro archiepiscopo intendatis, ejus salubria monita et præcepta recipienter humiliter et devote.

Datum Laterani, VIII Kal. Maii, anno decimo.

LVII.

. . ARCHIDIACONO ET . . PRÆPOSITO DE SETARA SUBDIACONO NOSTRO, CANONICO MEDIOLANENSI.

*Ut causam quæ inter C. scholarem et Joannem clericum vertitur audiant et fine debito terminent.*

(Laterani, V Kal. Maii.)

Dudum bo. me... archidiacono Mediolanem. dedimus in mandatis ut dil. fil. C. scholarem a . . presbytero Sancti Victoris quadraginta Martyrum, qui solus in ipsa ecclesia ministrabat, in qua, sicut scholaris idem asseruit, quondam ministraverunt clericus et sacerdos, in clericum et fratrem ejusdem Ecclesiæ recipi faceret, cujus facultates idem scholaris proposuit nullatenus imminutas. Sed pre-

sbyter memoratus, ipsius archidiaconi examen malitiose declinans, Joannem clericum pro se ad nostram præsentiam destinavit, cui et præfato C. venerabilem fratrem nostrum B. Tranen. archiepiscopum apostolicæ sedis legatum tunc subdiaconum et capellanum nostrum dedimus auditorem. Coram quo dictus Joannes asseruit quod nequaquam sufficiebant duobus clericis facultates ecclesiæ memoratæ, adjiciens quod prædictus C. non erat idoneus ad illius ecclesiæ beneficium obtinendum. Unde nos venerabili fratri nostro . . . patriarchæ Hierosolymitano, tunc episcopo Vercellensi, de illorum assensu mandavimus ut si prædictus C. legitime coram ipso probaret quod facultates ecclesiæ supradictæ imminutæ non essent, sed duobus sufficerent, et persona ejus esset idonea, presbyterum supradictum ad receptionem ipsius per censuram ecclesiasticam appellatione remota compelleret, contradictores vel rebelles, si qui forsitan apparerent, a præsumptione sua districtione simili, cessante appellatione, compescens, alioquin perpetuum silentium scholari super hoc imponeret memorato. Testes etiam qui nominarentur eidem, si se gratia, odio vel timore subtraherent, canonica districtione, cessante appellatione, compelleret perhibere testimonium veritati. Cum autem præfatus scholaris ad probandum quod facultates ecclesiæ imminutæ non essent, sed duobus sufficerent, ad prædicti patriarchæ tunc Vercellen. episcopi præsentiam multoties accessisset, et idem episcopus testes nominatos ab ipso, quia monitione præmissa nolebant veritati testimonium perhibere, interdicto supposuisset, venerabilis frater noster... tunc Mediolanensis archiepiscopus interdictum ipsum auctoritate propria relaxavit. Quare supradictus C. jus suum non potuit obtinere. Unde tibi, filii præposite, dedimus postmodum in præceptis ut inspectis attestationibus jam receptis, quas voluimus ut per censuram ecclesiasticam tibi faceres exhiberi, secundum eas et alias, si quas partes legitime ducerent proferendas, cum nondum essent, quæ receptæ fuerant, publicatæ, causam ipsam juxta tenorem præcedentium litterarum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ratione prævia terminares. Partibus igitur propter hoc in tua postmodum præsentia constitutis, cum dictus C. ad probandum quod facultates ecclesiæ suppetebant, quosdam patronos et parochianos ecclesiæ ad ferendum testimonium nominasset, et ipsi, licet a te sæpius moniti, nollent testimonium perhibere, quibusdam se rationibus excusantes, tu eos, nisi usque ad quindecim dies extunc venirent ad testimonium perhibendum, excommunicationis vinculo innodasti, sed ipsi ante præfixum diem ad sedem apostolicam provocarunt, quare non fuit ulterius in causa processum. Videntes igitur ut finis eidem controversiæ imponatur, te, fili archidiacone,

(8) Cap. *Cum dilectus*, De accusat.

A cognitioni ejusdem causæ duximus adjungendum; præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandantes quatenus laicis supradictis ad cautelam absolutionis beneficium impendatis, et causam ipsam juxta priorum litterarum continentiam, appellatione remota, ratione prævia terminetis, ita ut ex illa clausula, scilicet si persona fuerit idonea, quæ nostro rescripto reperitur inserta, eidem scholari probandi se idoneum nulla necessitas imponatur, cum prima facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. Testes autem quos utraque pars duxerit nominandos, sive patroni sive etiam parochiani sint ecclesiæ supradictæ, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium

B perhibere.

Datum Laterani, v Kal. Maii, anno decimo.

## LVIII.

ZAMORENSI, SECCOBIENSI, ET ABULENSI EPISCOPIS.

*Ut si magister I. scholasticus Ecclesiæ Palentin. contra episcopum Palentin. calumniose crimina proponendo contra eum processerit, ab officio ac beneficio suspendatur.*

(Laterani, v Id. Maii.)

Cum dilectus filius I. magister scholarum Ecclesiæ Palentin. olim ad sedem apostolica accessisset, et nobis de venerabili fratre... Palentin. episcopo suo excessus varios nuntiasset, venerabili fratri nostro.. quondam episcopo Legionen. nunc archiepiscopo Compostellan. et dilectis filiis.. de Vallebona, et. . de Mataplan. abbatibus diœcesis Palentin. examina-

C tionem commisimus excessum objectorum. (8) Qui super Simonia duplici, dilapidatione, absolutione incidentium in canonem sententiæ promulgatæ, quodque appellationibus ad nos interpositis deferre contemneret, necnon quod in manibus suis ultra tempus in concilio Lateran. constitutum vacantem tenuerit dignitatem, et quod furtim quoddam subtraxerit instrumentum in quod a jure canonicorum jura episcopalia distinguntur, et quibusdam aliis, inquisita per testes plenius veritate, inquisitionem ipsam cum depositionibus testium nobis fideliter transmiserunt. Cum autem processum negotii et dicta testium examinaverimus diligenter, nec intelligere potuerimus probatum esse sufficienter aliquid de prædictis, eumdem episcopum de consilio fra-

D trum nostrorum absolvendum decrevimus ab objectis, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus memoratum magistrum scholarum, donec canonice suam purgaverit innocentiam, scilicet quod non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processerit, ab officio et beneficio suspendatis, ut cæteri simili pœna perterriti ad infamationem suorum facilem non prosiliant prælatorum. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Laterani, v Id, Maii anno decimo.

—

LIX.

PRIORISSÆ ET SORORIBUS DE SEXEN. TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*Conceduntur privilegia, et confirmantur eis libertates et immunitates.*

(Laterani, VII Id. Maii.)

Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis accensis lampadibus et., *usque* clementer annuimus, et monasterium vestrum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificatum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Sexenam, in quo præfatum monasterium situm est. Villam Novam, Senam, Ontinenam, et Urgelletum, cum omnibus pertinentiis eorum. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in vestro monasterio professionem fas sit absque priorissæ suæ licencia, nisi arctioris religionis obtentu, de eo discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, etc., *usque* celebrare. Ad hæc, auctoritate apostolica prohibemus ut nulli liceat in vos vel monasterium vestrum sine manifesta et rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare. Præterea institutiones ab R. quondam Oscensi episcopo et.. magistro Hospitalis Empostæ et aliis viris religiosis de assensu charissimæ in Christo filiæ nostræ S. illustris reginæ Aragonum in ipso monasterio rationabiliter factas auctoritate apostolica confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci priorissa, vel earum aliqua quæ tibi successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi eam sorores communi consensu, vel earum major pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerint eligendam. Si vero contingat sorores monasterii fore in electione priorissæ discordes, magistrum hospitalis Hierosolymitani de Emposta, cujus habitum geritis, ad vestrum monasterium convocabitis; per quem, cum consilio diœcesani episcopi, orta inter vos discordia sopiatur. Statuimus autem ut non liceat Hospitalariis priorissam vel conventum de domo ipsa ejicere, vel aliquam sororum mutare aut statuere in eadem. Sed si contigerit priorissam vel aliquam sororum excedere ita quod per vos emendari non possit, per priorem Empostæ ac diœcesanum episcopum in eodem monasterio secundum beati Augustini, quam servatis, Regulam corrigatur. Nec liceat eisdem Hospitalariis contra ea quæ in ipsius Regula monasterii inter vos et ipsos de electione priorissæ provide sunt statuta, quavis temeritate venire. Ecclesia vero in suo statu manente, tricenarius canonicarum numerus non possit minui, sed augeri, si ad plurium sustentationem facultates ejus contigerit augmentari. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, abbatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, etc., *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate, diœcesani episcopi canonica justitia, et magistri Hospitalis Empostæ debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis antem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, etc., *usque in finem*. Amen.

Datum Laterani, per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, VII Id. Maii, indict. IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno decimo.

LX.

CANONICIS SANCTI MAURITII AUGUSTENSIS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*Conceduntur privilegia et indulgentiæ, et confirmantur libertates*, etc.

(Laterani, VII, Id. Maii.)

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis et ordo exigit rationis; præsentiæ quando voluntatem petentium pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar fel. rec. Alexandri papæ prædecessoris nostri sub beati Petri et nostro protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsenti juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, etc., *usque* illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Ecclesiam in Baldeshusen, cum villicali curia et omnibus pertinentiis ejus, pascuis videlicet, pratis, silvis, aquis et earum decursibus. Ecclesiam in Mimmenushen, cum villicali curia et omni jure ejus. Vicum qui dicitur Nanthereshusen. Vicum qui dicitur Gerute. Duas curias in villa quæ dicitur Oberenhoven. Curiam in villa quæ dicitur Niuzazen. Curiam

in villa quæ dicitur Gegingen. Curiam in villa quæ vocatur Warengereshoven. Ecclesiam et villicalem curiam in villa quæ vocatur Biberin cum molendino uno. Curiam villicalem in villa quæ vocatur Heinricheshoven. In pago ipsius civitatis Augustensis agros hortos curtilia dt molendinum unum. In provincia quæ dicitur Franconia villam quæ nuncupatur Chrowelshain. Ecclesiam et villicalem curiam in villa quæ vocatur Goltpach, cum taberna. Ad hæc, sancimus ut capella quæ Uffenburch vocatur cum bonis et redditibus quos ibidem habet, et in villa quæ dicitur Egevenburch, usibus fratrum deputata, sine assensu eorum nullus temeritate eorumdem fratrum usibus subtrahatur. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero præposito ecclesiæ vestræ, qui pro tempore fuerit, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars sanioris consilii, secundum Dei timorem præviderint eligendum. In parochialibus autem ecclesiis vestris vocantibus liceat vobis sacerdotes eligere et episcopo præsentare quibus, si idonei inventi fuerint, episcopus animarum curam committat; ut de plebis quidem cura episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, etc., *usque* omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, etc., *usque in fidem*. Amen.

Datum Laterani, per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, VII Idus Maii, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno decimo.

## LXI.

EPISCOPO AUTISIODORENSI.

*De decimis Judæorum, fructibus scholarium et usurariis.*

(Laterani, XVII Kal. Junii.)

Tuæ fraternitatis discretio postulavit per sedem apostolicam edoceri qualiter contra Judæos illos procedere debeas qui cum villas, prædia et vineas emerint, decimas ex eidem ecclesiis et personis ecclesiasticis debitas reddere contradicunt, cum per censuram ecclesiasticam compelli nequeant, quam contemnunt. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod terræ princeps est sollicite admonendus ut ipsos ad solutionem earum tradita

A sibi potestate compellat. Quod si forsan ille id exsequi non curaverit, sub districtione anathematis interdicendum est Christianis ne habeant commercia cum eisdem, donec satisfecerint de præmissis (9). Quæsivisti præterea ut cum interdum canonici, quibus studiorum gratia est indultum ut in absentia sua fructus percipiant præbendarum suarum, accepta licentia se ad villas transferant vel castella in quibus nullum est vel minus competens exercitium studiorum, utrum præpendarum suarum fructus sint talibus conferendi. Ad quod breviter respondemus, eis qui hujusmodi fraudem committunt, cum fraus et dolus nemini debeat patrocinium impertiri, præfatam indulgentiam conpetere non debere. Cæterum cum in diœcesi (10) tua sint quam plurimi B usurarii, de quibus minime dubitatur quin sint usurarii manifesti, contra quos propter timorem principum et potentum, qui tuentur eosdem. non apparet aliquis accusator, nec iidem sunt per sententiam condemnati, qualiter procedere valeas contra ipsos, oraculum duxisti sedis apostolicæ requirendum. Nos autem fraternitati tuæ taliter respondemus, quod licet contra ipsos non appareat accusator, si tamen aliis argumentis illos esse constiterit usurarios manifestos, in eos pœnam in Lateranensi concilio contra usurarios editam libere poteris exercere.

Datum Laterani, XVII Kal. Junii, anno decimo.

## LXII.

MAJORI DECANO ET PRIORI COLONIENSI.

*De beneficiatis excommunicationis et interdictis*, etc.

C (Laterani, Id. Maii.)

Postulatis per sedem apostolicam edoceri quis suffraganeus Coloniensis Ecclesiæ, dum venerabilis frater noster B. archiepiscopus vester in vinculis detinetur, debeat judicare, si forte a clericis suis iidem fuerint ad Coloniensem Ecclesiam appellati, et quid fieri debeat de beneficiis vacantibus, quæ ad donationem noscuntur ejusdem archiepiscopi pertinere. Nos ergo inquisitioni vestræ breviter respondemus, quod per legatorum nostrorum sollicitudinem, quos in Teutoniam destinamus, eumdem archiepiscopum restituendum speramus, auctore Domino, libertati; qui tam in iis quam in aliis suum officium exsequetur. Consequenter (11) etiam quæsivistis utrum clerici, qui dum essent excom-D municationis vinculo innodati, ecclesiastica beneficia sunt adepti, eadem postquam absolutionis beneficium obtinuerint, licite valeant retinere; postulantes nihilominus per sedem apostolicam explicari quæ pœna corrigi debeant abbates, abbatissæ ac alii ecclesiarum prælati, qui scienter clericis excommunicationi subjectis ecclesiastica beneficia contulerunt. Ad quæ vobis taliter duximus respondendum, quod cum excomunicatis communicari non debeat, clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non pos-

(9) Cap. *Tuæ fraternitatis*, De clericis non resid.

(10) Cap. *Cum in diœcesi*, De usuris.

(11) Cap. *Consequenter*, De cler. excom.

sunt, nec illi ea valent licite retinere, nisi forsan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ipsa non fuerint canonice assecuti. Illi vero qui scienter ipsa beneficia talibus contulerunt, tandiu debent a beneficiorum collatione suspendi donec super hoc veniam consequi mereantur, ut puniantur in eo in quo delinquere præsumpserunt. Quæsivistis præterea qualiter puniri debeant clerici ac monachi nec non etiam moniales ecclesiarum conventualium qui post latam interdicti sententiam in locis suppositis interdicto præsumpserunt hactenus et adhuc etiam non verentur divina officia celebrare, quamvis propter hoc sicut excommunicationis vinculo innodati (12). Ad quod breviter respondemus quod clerici qui talia præsumpserunt, sunt ecclesiasticis beneficiis spoliandi, monachi vero vel moniales in arctioribus monasteriis ad peragendam pœnitentiam retrudendi. Insuper postulatis per apostolicæ sedis oraculum explicari quid fieri debeat de clericis illis qui, cum eis a judicibus delegatis fuisset injunctum, cum ipsis absolutionis beneficium præstiterunt, ut se nostro conspectui præsentarent, id exsequi contempserunt, et ex eis qui præfato archiepiscopo præstiterunt fidelitatis et obedientiæ juramentum et illud postmodum transgredi non verentes interdicti sententiam non servarunt. Nos igitur ad hæc taliter respondemus, quod utrique, tanquam perjuri, pœna canonica sunt plectendi.

Datum Laterani, Id. Maii, anno decimo.

## LXIII.

PISANENSI ARCHIEPISCOPO.

*Committitur ei causa matrimonialis.*

(Laterani, XVII Kal. Junii.)

B. nobilis mulieris oblata nobis petitio continebat quod cum jam agens tempora pubertatis ex patris imperio potius quam spontanea voluntate... judici Arborensi fuit matrimonio copulata, et licet ex eo unicam prolem susceperit, ad ipsum tamen diligendum ut virum nec amicorum instantia nec consiliis propinquorum potuit animari. Cumque sic secum noluntaria permaneret, intellexit quod quando acceperat ipsum in virum, aliam sibi matrimonio copulatam haberet. Asserebat etiam idem judex quod quamdam consobrinam hujus cognoverat ante matrimonium cum ipsa contractum, sicque factum est quod adinvicem diverterunt. Quod qualiter fuerit procuratum, alio modo non novit, nisi quod et tunc credidit et nunc credit quod rationaliter fuerit et canonice factum. Tandem ad domum paternam reversa, et circa biennium absque ulla querela innupta consistens, publice postmodum et solemniter in facie Ecclesiæ nobili viro Hugoni comiti nupsit; cum quo per annos quatuordecim pacifice commorata, duos suscepit filios ex eodem, quos humiliter petiit auctoritate apostolica pronuntiari legitimos, pro eo quod bona fide in facie Ecclesiæ juncti fuerant vir

A et uxor, et magno tempore absque contradictione aliqua simul fuerant commorati. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, inquisita diligentius veritate, si tibi constiterit quod præfatus judex eo tempore quo cum præfata B. contraxit, aliam haberet uxorem, vel quod ejus consanguineam antea carnaliter cognovisset, vel virum jam obiisse priorem, præfatos virum et uxorem invicem reconcilies, et facias eos mutuo semetipsos nuptiali honore ac maritali affectione tractare, sed et filios quos taliter susceperunt legitimos reputari. Quod si de prædictis tribus articulis nihil tibi constiterit, quia tamen sæpedicta mulier præfato viro in conspectu Ecclesiæ solemniter nupsit, et simul quatordecim annis conjuncti tanquam vir
B et uxor absque ulla contradictione bona fide manserunt, eorum filios nihilominus facias reputari legitimos, et ad jura paterna vocari.

Datum Laterani, XVII Kal. Junii, anno decimo.

## LXIV.

CONSULIBUS ET POPULO PLACENTINO.

*De conservanda libertate ecclesiastica.*

(Laterani,.... Maii.)

In arca fœderis cum tabulis testamenti virga continebatur et manna; quoniam in monte rectoris cum scientia legis divinæ virga correctionis et manna ducedinis debet esse, ut rigor mansuetudine temperetur, et mansuetudo rigore. Hoc igitur attendentes, auditis quæ venerabilis frater noster.... episcopus et clerici Placentini, nec non et
C dilecti filii Ubertus vicecomes, Joannes de Malamina et Petrus de Vilimercato, nuntii vestri, viri providi et fideles, super faciendo vobis mandato coram nobis proponere curaverunt, illis justitiam, istis misericordiam implorantibus, illud taliter duximus temperandum, misericordia se pariter et justitia complectentibus in eodem, neutra deseratur ab altera, sed potius ipsum sit utraque virtute conditum. Proinde levate vestros oculos in directum, et attendite diligenter quorsum devenerit necessaria vestræ prævaricationis offensa; quæ licet gravis extitisse noscatur, divino tamen est forsan consilio procuratum ut per illam erudiantur et qui prope sunt et qui longe contra libertatem ecclesiasticam similia non præsumere, eum facinoris vestri vos viderint salubriter pœnitere. Ecce siquidem
D multi sunt qui observant exitum hujus rei; quibus quemadmodum facta est culpa vestræ præsumptionis in scandalum, ita profecto fiet disciplina vestræ pœnitudinis in exemplum. Attentandum erat aliquando forsitan ab aliquibus similis luctæ certamen; quod cum a vobis contigerit prætentari, succumbendo salubriter in eodem, cautelam cæteris tribuetis, utiliusque libertatem ecclesiasticam hujusmodi promovebitis exercitio quam fortasse promovere valueritis quiescendo. Unde profecto felicem dicent, qui hoc audierint

(12) Vide Baluzii notas ad concilia Galliæ Narbon., pag. 13.

culpam vestram, si, velut potestis, in causam generalis utilitatis ecclesiasticæ convertere satagatis eamdem. Satis enim ex perpetratione ipsius diffamati mundo fuistis. Sed longe magis ejusdem humilis satisfactio nomen vestrum in omnem terram honorificare valebit. Videntes ergo videte qualiter ex offensa, quam perpetrastis, dummodo satisfactione condigna illam studueritis expiare præconium laudis vestræ magnificare possitis et utilitatem ecclesiasticam promovere. Psalmi quippe David, epistolæ Pauli, Evangeliumque Matthæi frequentius inter Scripturas cæteras in Ecclesia recitantur; quorum primus adulter et homicida, secundus vero blasphemus et persecutor, ac tertius publicanus et telonarius, ita reatus suos satisfactione purgarunt ut hæc de ipsis nequaquam ad contumeliam sed ad gloriam memorentur eorum; quorum profecto Scripturas frequentior Ecclesiæ usus habet, ut ex familiari eorum exemplo peccatores ad pœnitentiam convertantur. Vobis quoque talis similitudo continget. Quoniam ubicunque satisfactio vestra in universo mundo dicetur, non sine magna nominis vestri laude suscipient, qui audierint, et de offensa vestra cautelam, et de pœnitentia disciplinam. Quia igitur justitia justi non liberabit eum in quacunque die peccaverit, et impietas impii non nocebit eidem in quacunque die fuerit ab impietate conversus, universitatem vestram rogamus attente et propensius exhortamur, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus verbum Domini cum tremore pensantes per prophetam de gente peccatrice dicentis: *Si pœnitentiam egerit gens a malo quod sum locutus adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut sibi facerem. Sed si malum in oculis meis fecerit ut non audiat vocem meam, agam pœnitentiam super bono quod ut ei facerem sum locutus* (*Jer.* XVIII), pœnitentiam vestram prompta satisfactione peragere studeatis; ne, quod absit, hoc quod esse prævalet causa boni, vobis demum occasio mali fiat. Nos enim, si quantum in vobis est efficere sategeritis ut ad laudem divini nominis, ecclesiasticæ libertatis honorem, et salutem vestram, hoc negotium terminetur, cum pietas promissionem habeat vitæ quæ nunc est pariter et futuræ, præter gratiæ mundanæ favorem, quam exinde merebimini, de hujusmodi opere pietatis coronam vobis pollicemur æternam. Formam vero prædicti mandati venerabilibus fratribus nostris... Vercellensi et..... Iporiensi episcopis et dilectis filiis ... abbati de Tilieto et presbytero Alberto Mantuan, visitatoribus Lombardiæ sub bulla nostra destinamus inclusam; dantes in mandatis eisdem ut omnes, vel tres, aut duo saltem eorum, in ipso faciendo procedant, illudque faciant per censuram ecclesiasticam, si opus fuerit, firmiter observari.

Datum Laterani... Maii, anno decimo.

—

A

## LXV.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO KALO JOANNI, REGI BULGARORUM ILLUSTRI.

*Ut pacem et treugam ineat cum imperatore CP. et Latinis.*

(Laterani, VIII Kal. Junii.)

Cum superbis Deus resistat, humilibus autem de gratiam, juxta quod apostolus Jacobus contestatur, a Domino tibi triumphum concessum non tuæ virtuti ascribere debuisti, sed potius illorum imputare peccatis qui suis exigentibus meritis ceciderunt, utpote in arcu suo sperantes, et suo salvari gladio confidentes. Verum tu tibi ascribens triumphum et hostibus reportatum, Deo, in cujus sunt manibus
B corda regum, prout debueras, gloriam non dedisti. Quod ex eo satis potuit manifeste perpendi quod cum ad te nostrum curaverimus nuntium destinare, ut cum Latinis apud Constantinopolim commorantibus pacem inires aut treuguas, non solum id facere noluisti, verum etiam ipsum nuntium suscepisti et dimisisti minus honeste quam docuerit regiam dignitatem, quem ob reverentiam apostolicæ sedis et benigne recipere debuisti et honeste tractare, attendens quod missus fuerat evangelizare pacem et prædicare salutem. Licet ergo ex præfata victoria intra teipsum fueris plus debito exaltatus, quia tamen te sicut charissimum in Christo filium sincera diligimus in Domino charitate, optantes tibi salutem et pacem, dilectum filium..... nuntium
C tuum et litteras quas per eum nobis misisti benigne recepimus, et quæ nobis significasti per eas notavimus diligenter. Intellecto sane quod jandudum nuntios affectaveras ad nostram præsentiam destinare, sed ipsis aditus non patebat, cum per Ungariam transire non audeant, nec per Duratium propter Venetos dominantes ibidem, charissimo in Christo filio... illustri regi Hungariæ per scripta nostra mandamus ut nuntios tuos, quos ad sedem duxeris apostolicam destinandos, per terram suam transire permittat libere ac secure, id idem dilecto filio nobili viro... venetorum duci mandantes, ut eisdem per Duratium faciat transitum habere securum. Super eo autem quod te in devotione apostolicæ sedis perseverare firmiter asseveras, et, si,
D necesse foret, caput exponeres pro eadem, excellentiam regiam in Domino commendamus, et gratiarum actiones referimus bonorum omnium largitori, qui hoc propositum tibi misericorditer inspiravit. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum charissimo in Christo filio nostro H. Constantinopolitano imperatore illustri ei aliis Latinis in Romaniæ imperio commorantibus pacem vel treugam ineas et observes. Nos enim de mittendo ad te nuntium nostrum, cum expedire viderimus, curabimus providere, juxta quod nobis fuerit desuper inspiratum.

Datum Laterani, VIII Kal Junii, anno decimo.

LXVI.

NOBILI MULIERI... COMITISSÆ BLESENSI.

*Explicantur verba cujusdam privilegii canonicorum Carnotensium.*

(Laterani, VIII Kal. Junii.)

(13) Cum olim pro canonicis Cornotensibus quoddam capitulum contra te fuerit allegatum, quod diceba-tur in Ecclesiæ suæ privilegio contineri, ut videlicet nemini liceat excommunicatis vel nominatim interdictis pro canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere, quoniam fuit in quæstione deductum quæ foret congrua satisfactio, ad intelligendum clausulam ipsam meminimus distinxisse utrum in aliquem esset interdicti vel excommunicationis sententia promulgata pro contumacia tantum, quia videlicet citatus noluit stare juri, vel etiam pro offensa, quia videlicet jussus noluit maleficium emendare (14); in primo casu credentes congrue satisfieri, ut hujusmodi relaxaretur sententia, si sufficiens stanti juri cautio præberetur; in secundo vero, si manifesta foret offensa; dicentes nequaquam satisfieri congrue, ut relaxaretur sententia, nisi prius sufficiens exhiberetur emenda; et si forsitan esset dubia, sufficere reputantes ad relaxandum eamdem, si pavendi mandato competens satisfactio præberetur. Quia vero dum ansam solvimus, nodum dicimur ligavisse per hoc quod eisdem canonicis, velut asseris, proponentibus illam esse manifestam offensam, non quæ judici, non quæ alii, sed quæ sibi manifesta tantummodo videretur, major ex illa dictione, videlicet *manifesta*, scrupulus quæstionis emersit tuis humilibus precibus inclinati, offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam quæ vel per confessionem vel prabationem legitimam nota fuerit aut etiam evidentiam rei quæ nulla possit tergiversatione celari.

Datum Laterani, VIII Kal. Junii, anno decimo.

LXVII.

ARCHIEPISCOPO ET DECANO SENONENSI.

*Rescribit in favorem comitis Blesensis.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Junii.)

Quod quærentibus principaliter regnum Dei secundario adjiciantur et alia secundum evangelicam veritatem apostolica sedes attendens universos crucesignatos sub sua speciali defensione recepit, provida deliberatione constituens ut bona eorum sub ejus et omnium prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consisterent, et donec cognosceretur certissime de reditu vel obitu eorumdem, illibata et integra permanerent. Cum ergo claræ memoriæ L. Blesensis et Claromontensis comes assumpto crucis signaculo se devoverit obsequio Crucifixi, et in itinere peregrinationis vitam finierit temporalem, volentes nobili mulieri... relictæ suæ ac pupillo et procuratoribus necnon officialibus ejus paterna sollicitudine plenius providere, ut etiam ipsi defuncto comiti respondeamus juxta suæ devotionis affectum, ac inbecillitati puerili et fragilitati feminæ consulamus, cum difficile sit ad nos pro singulis habere recursum, vices nostras usque ad annos pubertatis pupilli sui vobis duximus committendas; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus, cum oppressis quibuslibet liceat ad sedem apostolicam appellare, si quando duxerint appellandum, audiatis auctoritate nostra causas super quibus contra homines ejusdem provinciæ fuerit appellatum, et sublato appellationis obstaculo fine debito decidatis, denuntiantes illas sententias non tenere quæ in comitissam, procuratores, et terras comitis memorati post appellationem ad nos legitime interpositam fuerint promulgatæ. Illas autem quæ secus pralatæ fuerint, secundum formam Ecclesiæ appellatione postposita relaxetis; et injuncto quod de jure fuerit injungendum, audiatis si quid fuerit quæstionis, et appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod statueris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si forsan alteri partium vestrum jucicium sit suspectum, partes ad eligendos arbitros appellatione postposita compellatis, qui prædicta, sublato appellationis obstaculo, sicut præmisimus, exsequantur; nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non ambo ...tu, frater archiepiscopo, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, VI Kal. Junii, anno decimo.

LXVIII.

COSORANENSI EPISCOPO ET ABBATI CISTERCIENSI APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Committitur eis causa archiepiscopi Narbonensis de certis criminibus accusati.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum geramus in terris, licet immeriti, vicem ejus cui cœlestis Pater judicium omne dedit, ut nec esset nimis rigidum ex potentia, nec ex benignitate valde remissum, sed misericordia pariter et justitia per sapientiam temperatum, ita nos decet de subditis judicare quod utraque virtute nostrum judicium condiamus. Sane cum olim per legatos nostros in Narbonensem provinciam destinatos descenderimus ad videndum utrum clamorem, qui ad nos venerat... archiepiscopus Narbonensis opere complevisset, ipsi per viros juratos inquisitionem plenariam facientes, depositiones eorum suis inclusas sigillis nobis fideliter transmiserunt; per quas idem archiepiscopus de duobus præcipue, avaritia scilicet et negligentia, culpabilis notabatur, quæ duo inter abusiones duodecim numerantur, cum videlicet est episcopus negligens, et dives avarus, quamvis utraque radix in multos ramos perhibeatur esse diffusa. Idem autem archiepiscopus ad præsentiam nostram accedens, super objectis se multipliciter excusavit, misericordiam tamen postulans, et emendationem

(13) Cap. *Cum olim*, De verbor. signif.

(14) Cap. *Ex parte*, eod. tit.

promittens, ut expiare posset præterita per futura, A recolens illud quod Joannes apostolus ait: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, quoniam in multis offendimus omnes* (*I Joan.* I). Nos igitur attendentes quod ex labore grandis et gravis itineris, maxime præ senectute ac debilitate corporis, esset afflictus, et abbatia Montis Aragonum, quæ pluris ei quam Narbonensis archiepiscopatus, sicut dicebatur, extiterat, per vos fuerat spoliatus, disposuimus infundere oleum super vinum, ut in nobis justitiam pariter et misericordiam inveniret, cum in arca tabernaculi manna contineretur et virga, tamen ne manna dulcedinis posset efficere dissolutum quem virga correctionis debebat reddere castigatum. B Ad parabolam igitur evangelicam de ficulnea plantata in vinea recurrentes, de qua cum dominus cultori vineæ præcepisset ut illam succideret, ne terram inutiliter occuparet, qui veniens post tres annos non invenit fructum in illa, et ille respondit domino ut demitteret illam per annum usque dum foderet circa ipsam et mitteret stercora, et si quidem faceret fructum, alioquin eam succideret in futurum, adhuc eidem archiepiscopo, circa quem foderamus comminando et increpando, et miseramus stercora commonendo et exhortando, amplioris temporis spatium duximus indulgendum, ut probaremus utrum fructum afferret optatum; et si forte fructum non faceret, securim ad radicem infructuosæ arboris justius poneremus. Eidem ergo districte præcepimus ut non pecuniarum sed animarum lucris insistens, C illicitis exactionibus et iniquis commerciis nequaquam intenderet; sed ad hospitalitatem ac pietatem se diligenter exercens, peregrinis et indigentibus se largum et benignum deinceps exhiberet. Studeret insuper visitare provinciam, celebrare concilium, hæreses expugnare, multiplices excessus corrigere, ac cætera operari quæ requirit officium pastorale. Verum quia, sicut accepimus, non solum præterita non correxit, verum etiam pejora prioribus novissima sua fecit, volentes cum ipso procedere utiliter in justitia, circa quem in misericordia noscimur inutiliter processisse, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus inquisita diligentius et cognita veritate, si eum vel de præmissis inveneritis incorrectum, vel in similibus aut gravioribus deliquisse, D sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo ab administratione Narbonensis Ecclesiæ ipsum removeatis omnino, facientes eidem cum consilio vestro de persona idonea in pontificem provideri, qui et possit et velit non solum sibi subditis, verum etiam et vicinis, verbo et exemplo proficere, ac præsertim a lupis rapacibus, qui contra caulas Ecclesiæ de latibulis pravitatis hæreticæ sunt egressi, gregem Dominicum custodire. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles censura ecclesiastica appellatione postposita compescentes.

Datum, *ut in alia.*

## LXIX.

NOBILI VIRO RAYMUNDO COMITI TOLSANO, SPIRITUM CONSILII SANIORIS.

*Ut esset persequi Ecclesiam Dei.*

(Apud S. Petum, IV Kal. Junii.)

Si parietem cordis tui fodere cum propheta possemus, ingrederemur illud, et monstraremus tibi abominationes pessimas quas in ipso fecisti. Sed quoniam super lapidem duruisse videtur, facile quidem poterit pulsu salutiferi verbi percuti, sed difficile penetrari, propter quod etsi corripere te satagimus, corrigere vix speramus. Proh dolor! quæ cor tuum superbia tumefecit, quæ te, vir pestilens, vesania comprehendit, ut pacem cum proximis servare contemnas, et a legibus recedendo divinis, hostibus te catholicæ veritatis adjungas? Nunquid parum tibi videtur hominibus esse molestum, nisi molestus etiam sis et Deo? Nunquid pro tantis iniquitatibus a temporalibus saltem non expedit tibi formidare flagellis, si leve reputas habitare cum ardoribus sempiternis? Attende, miser, et paveas quod dum insidians proximo bellicam cladem exerces, Deoque injurians hæreticam pestem foves, pro duplici tuæ prævaricationis offensa duplex etiam in te poterit exasperari vindicta. Væ tibi, væ, si non metuas propter hoc duplici contritione juxta Prophetam conteri, et sicut diploide pœnali confusione vestiri. Hoc utique, si non esset insipiens cor tuum penitus obscuratum, si Deus, quem habere in notitiam non probasti, te in sensum reprobum non dedisset, attenderes, et saltem formidine pœnæ animum a nefando proposito revocares. Considera igitur, insensate, considera. Nonne Deus, qui dominus est mortis et vitæ, subito potest præcidere dies tuos; ut quem patientia ejus ad pœnitentiam non adduxit, ira demum tradat tormentis æternis. Sed etsi vita præsens tibi diutius prorogetur, attende quot possis calamitatum incommodis subjacere. Non est siquidem ænea caro tua, nec naturæ alterius quam illorum quorum aliqui subito febribus invaduntur, percutiuntur lepra, paralytici fiunt, arripiuntur dæmoniis, et morbis incurabilibus flagellantur, ut de cæteris infortuniis taceamus, quæ, cum nunquam aliquis suspicatur, solent evenire securo; quæ nimirum etsi nonnunquam justis contingant ad experientiam patientiæ, illis tamen ad initium sedunt pœnæ de quibus vir justus ait: *Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, ac metunt eos, subito Deo flante perisse* (*Job* IV.) Tu vero cur hujusmodi non recogitas et pavescis quod horribile sit in manus Dei viventis incidere, qui propter hoc etiam potens est te in bestialem habitum commutare, ut velut irrationabile animal cum Babylonico rege fias, qui contra Deum data tibi abuteris ratione? Quod si forsan impœnitens cor tuum flagella præsentis temporis ab iniquitate non revocant, et thesaurizare tibi non metuis iram in die iræ ac revelationis justi judicii Dei quam excusa-

ionem prætendes, quam pro te allegationem induces, cum, nisi per pœnitentiam prævenias iram extremi judicis, cum iis qui sunt æternis incendiis deputandi, terribile tonitruum illius es sententiæ auditurus: *Ite, maledicti, in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Sane quem facis teipsum, ut charissimo in Christo filio nostro... illustri rege Aragonum cunctisque fere magnatibus circumpositæ regionis ad exhortationem legatorum apostolicæ sedis pacis fœdera simul jurantibus, tu solus illa respueris, ut in bellicis simultatibus lucra ponens, quasi corvus cadaveribus vescereris? Non te pudet juramenta quamplurima non servasse quibus universos hæreticos in tuo dominio constitutos proscribere promisisti; quandoquidem in Arelatensem provinciam cum Aragonensibus tuis hostili vastitate crassando, rogatus a venerabili fratre nostro Arausicensi episcopo ut monasteriis parceres, et saltem tempore sancto ac diebus festivis instantibus a terrarum depopulatione cessares, apprehendisti dexteram ejus, et jurasti per eam quod nec tempori sancto nec diebus referres Dominicis, nec a læsione piorum locorum vel ecclesiasticarum desisteres personarum; et juramentum hujusmodi, quod magis est dicendum perjurium, diligentius cæteris, quæ ob causam honestam feceras, observasti. Impie, crudelis, et dire tyranne, non es confusus in pravitatem hæreticam usque adeo declarare, ut ei qui te corripuit super hæreticorum defensione responderis quod talem hæresiarcham, quemdam scilicet hæreticorum episcopum, invenires qui fidem eorum meliorem quem Catholicorum esse probaret? Sed et illud quod, dum esse in obsidione cujusdam castri, fratribus monasterii de Candelio, qui pro indemnitate vinearum suarum rogare te venerant, respondisti, de perfidia te notavit, cum illis ignominiose repulsis, vineas eorum fecisti destrui, et eas quas habebant ibidem hæretici sine læsione servari. Multa quidem alia contra Deum te novimus commisisse. Sed in hoc tibi præcipue, si tamen et ipse doleas, condolemus, quia per hoc quod foves hæreticos, suspectus de hæresi vehementer haberis. Interrogamus te igitur, quæ sit ista dementia quæ te cepit, ut sententias nugaces auscultes, et hujusmodi viæ confoveas sectatores? Erisne sapientior cunctis illis qui sequuntur ecclesiasticam unitatem? An omnes qui servaverunt catholicam veritatem, damnati sunt, et qui vanitates ac insanias falsas tenueere, salvati? Ideone plerique prudentes et divites, cum haberent intelligentiam Scripturarum, et rebus sæcularibus abundarent, dereliquere mundum, et cum hac fide ad eremum transierunt? Ideone nonnulli patres orthodoxæ fidei zelatores, pro ea suum sanguinem effudere? Profecto desipis, si sic sapis; et aut ea recipies quæ de talibus inquit ille in Dei Evangelium sagregatus: *In novissimis scilicet temporibus quidam a fide discedent, spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum in hypocrisim loquentium attendentes* (I *Tim.* iv); aut ministrum Evangelii re-

A probando, Evangelii esse adversarius convinceris. Cum igitur propter hoc etiam et pro eo quod Aragonenses familiariter tecum tenens, terram devastas cum ipsis, quod dies quadragesimæ festorum ac temporum, quæ securitate pacis gaudere debuerant, violasti, quod adversariis tuis, qui se justitiæ offerebant, pacemque juraverant justitiam exhibere recusas quod Judæis publica committis officia in contumeliam fidei Christianæ, ac monasterio Sancti Guillelmi et aliis Ecclesiis possessiones et ecclesias abstulisti, quod incastellasti ecclesias, de quibus guerram facere non formidas, quod noviter augmentasti pedagia, et venerabilem fratrem nostrum.. Carpentoratensem episcopum a sede propria depulisti, prædicti legati excommunicationis in te ac terram tuam

B interdicti sententias promulgarunt, nos eas ratas habemus, et secundum dispositionem ipsorum præcipimus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Licet autem in Deum et Ecclesiam generalem graviter et in teipsum gravius deliquisse noscaris, quia tam ad rectitudinis semitam revocare tenemur errantes monemus nobilitatem tuam et exhortamur attente, per apostolica tibi scripta sub divini judicii obtestatione præcipiendo mandantes, quatenus super iis ita celerem et condignam satisfactionem impendas quod absolutionis obtinere beneficium merearis. Alioquin cum tantam Ecclesiæ generalis injuriam, imo Dei, nequeamus dimittere impunitam, terram quam nosceris ad Ecclesia Romana tenere tibi faciemus auferri. Et si nec sic

C vexatio tibi dederit intellectum, universis circumpositis principibus injungemus ut in te velut in hostem Christi et Ecclesiæ persecutorem insurgant, retinendo sibi quascunque terras de tuis poterunt occupare, ne amplius sub tuo inficiantur dominio macula hæreticæ pravitatis. Nec in omnibus iis avertetur furor Domini super te; sed manus ejus adhuc extenta te comprimet, et ostendet quod difficile tibi erit fugere a facie iræ suæ, quam graviter provocasti.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, iv Kal. Junii, anno decimo.

LXX.

ABBATI ET CONVENTUI GRANDISSILVÆ.

*Ut Hugonem Vitalis in ordine sacerdotali permittant libere celebrare.*

D Dilectus filius Hugo Vitalis lator præsentium ad sedem apostolicam veniens, humili nobis confessione monstravit quod cum esset in acolytatus ordine constitutus, quamdam puellam R. nomine in Ecclesiæ facie duxit uxorem; cumque aliquandiu cohabitassent insimul, et ipse illam carnaliter cognovisset, orta discordia inter eum et fratres jam dictæ puellæ, dimisit eam motu propriæ voluntatis. Qui cum ad eamdem recipiendam nullatenus posset induci, habito super hoc inter eum et amicos puellæ coram venerabili fratre nostro Ruthenensi episcopo diligenti tractatu, dicta puella fuit alii, Vitali nomine copulata; et idem episcopus memoratum Hugonem

usque ad ordinem sacerdotii promovendo, quamdam ecclesiam concessit eidem. Cum autem eumdem Hugonem propter hoc sua conscientia remorderet, et de consilio quorumdam religiosorum Cisterciensis ordinis habitum assumpsisset, tandem tibi, fili abbas prædicta omnia revelavit. Quem cum sollicite monuisses ut super hoc saluti suæ animæ provideret, ipse reatum proprium recognoscens, supradictam puellam monuit diligenter ut ad ipsum, relicto adultero, prout tenebatur, redire curaret, quod ipsa facere penitus recusavit. Quodcirca mandamus quatenus, si est ita, ex quo monita noluit ad ipsum redire, sed potius cum alio permanere quia jam ipsum non posset repetere cum effectu, dictum Hugonem in suscepto sacerdotii ordine celebrare libere permittatis.

## LXXI.

TURONENSI ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO PARISIENSI.

*De regalia Antissiodorensi,*

( Laterani , xv Kal . Junii . )

Graviter nos angit zelus et comedit domus Dei, ad cujus sumus licet immeriti, custodiam disponente Domino deputati, cum ab illis affligitur qui eam deberent potius confovere, ac gravatur ab eis per quos deberet ab iliis defensari : quibus paterno compatientes affectu, non minus urimur pro eisdem quam pro domo Domini, quam affligunt. Sane quanto charissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Francorum illustrem fervientiori charitate diligimus, tanto majori dolore turbamur quoties ea nobis de ipsius actibus referuntur quæ famam ejusdem obnubilant apud homines, et conscientiam maculant apud Deum ; dum idem in ejus ecclesiam dicitur desævire, quæ quasi passer nidificare deberet in eo, tanquam in cedro a Domino super Libanum complantata. Ad audientiam namque nostram noveritis pervenisse quod idem rex, audito quod bonæ memoriæ Hugo Altisiodorensis episcopus naturæ debitum exsolvisset, statim fecit per servientes suos episcopales res, quas vocat regalia occupari ; qui more prædonum debacchantes in eis crudeliter, Ecclesiæ nemora passim fecere succidi, eadem venalia omnibus exponentes (15). Stagna quoque fecerunt dirui in penitus expiscari ; et ejusdem Ecclesiæ hominibus captis, ipsos tormentis ad redemptio miserabilem compulerunt ; et abducentes animalia universa, frumentum, vinum, fenum, ligna etiam et lapides expolitos quos idem episcopus ad construendam cappellam et alia ædificia præparat nequiter asportarunt ; episcopalibus domibus supellectili qualibet spoliatis, ita ut in eis, præter tectum et parietes, non fuerit aliquid derelictum ; alia damna et gravamina in rebus episcopalibus nihilominus irrogantes. Præterea bona quæ præfatus episcopus Ecclesiis et pauperibus diversorum locorum sub bonorum virorum testimonio pia et provida deliberatione legarat, sicut apparet in testamento ipsius sigillorum venerabilis fratris nostri episcopi Eduensis et septem abbatum necnon ejusdem episcopi munimine roborato, idem rex penitus confiscavit, duas præbendas, quæ postmodum vacaverunt, clericis suis assignans pro suæ arbitrio voluntatis; licet, sicut seniores ejusdem ecclesiæ asseverant, inclytæ recordationis rex Ludovicus pater ejus et antecessores ipsius hactenus nec præbendas, episcopali sede vacante, contulerint, nec extenderint ad regalia manus suas : sed decanus ec archidiaconus ea in suis manibus detinentes, et gerentes administrationem Eccclesiæ memoratæ, obventiones et redditus futuro episcopo reservarunt. Verum quia præfatus rex Philippus, adhuc puer, ad suggestionem Gilonis de Torneello, qui tunc consiliarus ejus erat, et ut frater ejus eligeretur in episcopum laborabat, regalia occupavit (super quibus tamen nihil prædictæ Ecclesiæ intulit læsionis, quæ etiam resignavit postmodum liberaliter capitulo postulante, ac dicto fratre Gilonis electo a quam parte capituli, tandem occupata illi quasi electo assignans, quasdam præbendas vacantes suis clericis contulit, quos dictus episcopus post confirmationem electionis suæ, non ratione collationis regiæ, sed ipsius regis devictus precibus, toleravit), idem postea Hierosolymam proficiscens, monitus ab episcopo sæpedicto ut super iis Ecclesiæ suæ satisfactionem congruam exhiberet, quasdam litteras concessit eidem, in quibus continebatur expresse ut nullus de cætero ex parte regis ad regalia manus extendere attentaret donec inter ipsum et capitulum esset plene discussum quis ea, sede vacante, in suis debeat manibus retinere. Sed cum præfato regi hujusmodi litteræ præsentatæ fuissent et in ejus præsentia recitatæ, idem eas de manu legentis arripuit, ac resignare postmodum contradixit Cum autem venerabilis frater noster Altisiodorensis episcopus præfatum regem tam super damnis resarciendis prædictis quam retentis litteris amicabiliter convenisset, et ipsum super eis humiliter exorasset, idem ipsi nullatenus acquievit. Præterea castrum de feudo Altisiodorensis Ecclesiæ, quod Giem. appellatur, cujus dominus eidem Ecclesiæ hominium et fidelitatem exibere tenebatur, a comite Nivernensi, qui tunc ipsum tenebat, sibi traditum in præjudicium ipsius Ecclesiæ detinere contendit. Nos igitur non minus honori ac saluti suæ quam Ecclesiæ sæpedictæ paterna volentes sollicitudine providere, venerabilibus fratribus nostris Senonensi archiepiscopo et episcopo Nivernensi dedimus in præceptis ut regem prædictum moneant efficaciter et inducant quatenus super prædictis, omnibus talitur satisfaciat episcopo et Ecclesiæ supradictis quod offensam divinæ majestatis evitet, quam propter hoc creditur incurrisse, et apud homines ejus opinio, quæ per prædicta maculata fuerat, relevetur. Licet ergo prædictum regem sicut charissimum in Christo filium diligamus et ejusdem velimus honori deferre, quia tamen homini contra Deum et Ecclesiæ libertatem pro qua, si opus esset, exponere-

(15) Vide Historiam episcopor. Antissiodor., pag. 483 et seq.

mus juxta officii nostri debitum intrepidite nosmetipsos, deferre non possumus aliqua ratione, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus nisi prædictorum archiepiscopi et episcopi monitionibus super præmissis duxerit annuendum, vos inquisita super iis plenius et cognita veritate, quod justum fuerit, sublato cujuslibet appellationis et contradictionis obstaculo, statuatis, et faciatis quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari.

Datum Laterani, xv Kal. Junii, anno decimo.

LXXII.

EPISCOPO TERVISINO, ET ALBERTO PRESBYTERO MANTUANO.

*De electione episcopi Tridentini.*

(Laterani, ix Kal. Junii.)

Dudum a nobis venerabilis frater noster... Tridentinus episcopus postulavit ut dignaremur ipsi cedendi licentiam indulgere, quasdam causas inducens propter quas ei non videbatur idoneum pontificale deinceps officium exercere, quia videlicet parochiani sui per se ac alios intoleralibus eum injuriis et molestiis affligebant, et quia tum ratione ætatis vergentis in senium, tum occasione laborum quibus fuerat multipliciter fatigatus, nimia erat debilitate confractus, et propter multa homicidia, perjuria, et incendia, quæ occasione discordiæ quam cum eisdem parochianis habuerat, hinc indefuerant nequiter perpetrata. Nos autem ejus precibus inclinati, venerabili fratri nostro.... Paduano episcopo dedimus in mandatis ut vice nostra recipiens cessionem ipsius, injungeret Tridentino capitulo ut personam idoneam canonice sibi eligerent in pastorem. Verum cum inter decanum et capitulum ex una parte ac dictum episcopum Tridentinum ex altera, occasione cessionis ejusdem episcopi controversia postmodnm emersisset, idem decanus cum quibusdam sociis episcopus ad sedem apostolicam accesserunt. Decanus itaque proposuit coram nobis quod cum dictus episcopus deliberasset ad vitam monasticam convolare fratres suos convocavit in unum, exponens eis quod apud ecclesiam Sancti Georgii super montem in vita monastica militare Domino disponebat, quodque pro cedendi petenda licentia proprium ad nos nuntium destinarat, adjiciens quod cum iidem canonici super hoc litteras nostras viderent, a juramento fidelitatis et obedientiæ debito, quo eidem tenebantur astricti, essent penitus absoluti. Ad quæ probanda decanus ipse publicum exhibuit instrumentum, proponens insuper quod post hæc idem episcopus ad monasterium transiit supradictum, et ibidem post votum emissum solemnem professionem faciens, habitum monachalem assumpsit. Cumque postmodum episcopi nuntius cum cessionis litteris rediisset, idem episcopus, carne ac sanguine præpeditus cœpit a proposito quod assumperat resilire. Dicti vero decanus et capitulum attendentes episcopum in salutis suæ dispendium et detrimentum Ecclesiæ assumptum propositum revocare tanquam devoti filii, volentes suæ matris obviare jacturis, nostris hoc auribus intimarunt, multa damna et gravamina quæ ipsa Ecclesia per dictum episcopum postmodum sustinerat exprimentes. Propter quod prædicto Paduano episcopo dedimus in præceptis ut nisi memoratus episcopus Tridentinus justam et necessariam causam ostenderet quare cedendi mutaverit voluntatem, ipsum ut cederet moneret et induceret diligenter et si necesse foret, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellere procuraret. Cum autem auctoritate litterarum illarum citati fuissent episcopus et capitulum Tridentin. et statuto termino exibuissent suam præsentiam coram eodem episcopo Paduano, dictus Tridentinus episcopus quasdam exceptiones opposuit ad judicium declinandum. Et cum super ipsis nos consuluerit episcopus Paduanus, nos exceptiones illas supervacuas judicantes, ipsi dedimus in mandatis ut exceptionibus illis tanquam frivolis, nequaquam obstantibus, in ipso negotio juxta nostri formam mandati procedere non tardaret. Sane Paduanus episcopus, capitulo non citato, nec absente per contumaciam, testes ad causas probandas propter quas Tridentinus episcopus mutaverat voluntatem productos ab ipsius parte recepit; quos supradictus decanus multipliciter reprobabat. Unus enim eorum balistarius est et arcator, alius aleator et baratarius; sicut iidem testes in seriem sui testimonii attestantur. Tertius autem convincitur esse perjurus, quia cum decano juraverit servare credentiam, postmodum consilium sibi creditum, sicut idem testis deposuit, episcopo reseravit. Unus etiam ex testibas R. nomine respersus deprehenditur labe Simoniacæ pravitatis. Inter ipsos quoque testes manifesta contrarietas invenitur. Petebat itaque dictus decanus quod cum idem episcopus justam et necessariam causam legitime non probasset quare mutaverat voluntatem, ut ipsum ad cedendum compellere dignaremur; maxime cum illæ causæ propter quas cedendi licentiam petiit diminutæ non essent, sed potius augmentatæ. Allegabat etiam decanus jamdictus quod etsi propter illas causas non esset ad cessionem sæpedictus episcopus compellendus, propter manifestam tamen dilapidationem ipsius in episcopatus administratione non debet ulterius sustineri, cum plus quam in quadraginta millibus librarum Veronensis monetæ suam gravasset Ecclesiam onere debitorum, sicut ex ipsius confessione constabat. Episcopus autem dicta decani multipliciter impugnando, facti seriem et processum proposuit dissimiliter quam decanus, asserens quod etsi propter causas superius adnotatas mutandi vitam propositum concepisset, et ad nos destinasset proprium nuntium ad cedendi licentiam obtinendam, ex causa tamen probabili et honesta; quia videlicet sponsam suam videbat iniquis studiis et turpibus promissionibus profanari, mutavit postea

voluntatem. Ad hoc etiam quod decanus induxit, quia scilicet episcopus Paduanus, lite non contestata, ac juris ordine prætermisso, teste recepit, episcopus sic respondit, quod in hoc articulo non fuit omnimoda solemnitas judiciarii ordinis observanda, cum Paduano episcopo non contentiosa sed buædam planaria jurisdictio fuerit demandata. Unde, juris solemnitatibus prætermissis, testes in hoc casu recipi potuerunt. Ea quoque quæ circa testes et eorum dicta objecta fuerant idem episcopus diversis responsionibus excusavit, adjungens quod etsi sua Ecclesia debitorum onere gravabatur, non sibi sed suis potius subditis poterat imputari, qui contra ipsum seditionem minus rationabiliter commoverunt. Nos igitur rationibus et allegationibus utriusque partis auditis et plenius intellectis, attendentes quod, etiamsi episcopus causam illam, propter quam suum se asserit mutasse propositum, per testes idoneos sufficienter legitime probavisset, quia tamen eadem causa differe potuit cedendi propositum, non mutare, maxime cum talis causa cesset omnino ex quo Ecclesiæ Tridentinæ per nostram volumus sollicitudinem provideri, de consilio fratrum nostrorum decrevimus ut idem episcopus sine qualibet dilatione cedat, prout a nobis sollicite dignoscitur postulasse. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus capitulum tridentinum attentius maneatis ut infra octo dies post admonitionem vestram personam idoneam, quæ omni suspicione careat, cum vestro consilio sibi eligant canonice in pastorem. Quod si facere forte distulerint, vos auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, id exsequi non tardetis. Contradictores, etc.

Datum Laterani, IX Kal. Junii, anno decimo.

## LXXIII.

WACIENSI EPISCOPO.

*Respondet ad ejus consulta.*

(Viterbii, V Id. Junii.)

Eo libentius tuis inquisitionibus respondemus quo devotius sedem apostolicam veneraris. Sane proponere curavisti quod cum super decimis cruciferorum, quibus a sede apostolica est indultum ne de novalibus vel illis fundis quos propriis manibus vel sumptibus excolunt decimas exsolvere teneantur, sustineas non modicam læsionem, dubitas utrum si prædia vel possessiones, a quibus proventus consueveras recipere decimales, ipsis in eleemosynam conferantur, vel per contractum acquisierint emptionis, ex eisdem possessionibus, propriis eorum manibus aut sumptibus non excultis, decimas solitas exigendo, contra privilegia sedis apostolicæ agere videaris. Unde super hoc certificari per rescriptum apostolicum postulasti (16-17). Adjiciens aliam quæstionem, an illorum filii qui Ecclesiæ servili conditione tenentur, traditi a parentibus militiæ clericali cum suorum conniventia dominorum, ut Deo in ea cujus sunt Ecclesia debeant deservire, assequentes propterea libertatem, post tempus eadem relicta possint ad aliam se transferre. Nos vero in utroque articulo fraternitati tuæ satisfacere cupientes taliter respondemus, quod cum iidem cruciferi ex tenore privilegiorum nostrorum decimas de laboribus quos suis manibus aut sumptibus excolunt solvere non cogantur, si alii propriis sumptibus eorum excolunt prædia, præstare teneantur decimas de laboribus alienis. In alio vero capitulo credimus distinguendum, utrum eo tenore fuerint manumissi et oblati ordini clericali, quod manumittenti Ecclesiæ, dum vixerint, debent impendere famulatum in obsequiis divinorum, et tunc transferendi se ad aliam est eis licentia deneganda, vel manumissi exstiterint absolute, sicque libertatem habeant ad aliam transeundi.

Datum Viterbii, V Idus Junii, anno decimo.

## LXXIV.

ARCHIEPISCOPO TURONENSI ET SUFFREGANEIS EJUS.

*De torneamentis, et de subsidio terræ sanctæ.*

(Viterbii, VII Kal. Julii.)

Olim venerabilis frater noster... episcopus Suessionensis per suas nobis litteras intimavit quod cum torneamenta quæ fiebant in suis partibus peregrinationis suæ propositum crederet plurimum impedire, auctoritate nostra in torneatores excommunicationis sententiam promulgarat, propter quod multi milites fuerunt adeo conturbati ut nec crucem assumere nec aliquod subsidium vellent terræ sanctæ conferre. Unde postulavit a nobis ut sibi permittere dignaremur ad tempus illam sententiam mitigare. Licet autem intentionis nostræ non esset torneamenta permittere, quæ sacris noscuntur institutionibus interdicta; quia tamen quod provisum erat ad commodum, tendere videbatur ad noxam, eidem episcopo duximus concedendum ut sententiam ipsam circa omnes vel aliquos relaxere curaret, prout nosceret expedire. Ipso vero in negotio ipso cum debita maturitate procedens, recepta secundum formam Ecclesiæ cautione ab omnibus qui Montis-aurei et Laudun. hastiludiis interfuerant, præfatam excommunicationis sententiam relaxarit, tam ipsos quam universos qui vel in hospitio vel etiam alias communicarant eisdem nuntiari faciens absolutos, canonis quidem censura de talibus in suo robore perdurante. Quapropter milites absoluti plurimum exsultantes, devotione unanimi statuerunt certam quantitatem pecuniæ singillatim in terræ sanctæ subsidium destinare. Nos igitur quod ab eodem episcopo provide ac utiliter factum est approbantes, universitati vestræ auctoritate præsentium mandamus quatenus milites memoratos, ut quod in hæreditatis Christi subsidium promiserunt se devotione laudabili soluturos exsolvant, unusquisque per diœcesim suam moneatis prudenter et efficaciter inducatus; ipsos ad hoc, si opus fuerit, per districtio-

(16-17) Cap. *Eo libentius*, De serv. non ordin.

nem ecclesiasticam compellentes, censuram Lateranensis concilii circa tales obtinere vigorem debi- A bitum faciendo.

Datum Viterbii, VII Kal. Julii, anno decimo.

LXXV.

COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

*Ut reconciliare possit altare S. Jacobi.*

(Viterbii, XII Kal. Julii.)

(18) Proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quod venientibus ad ecclesiam Beati Jacobi ex diversis regionibus peregrinis, et volentibus aliis ab alteris per contentiones et rixas altaris de nocte custodiam vindicare, homicidia contingunt interdum et aliquando vulnera inferuntur. Propter quod humiliter postulasti ut alio modo quam per reconsecrationis beneficium dignaremur ipsi ecclesiæ pro- B videre. Manente igitur ecclesia et altari, fraternitati tuæ insinuatione præsentium innotescat quod ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino et cinere benedictam.

Datum Viterbii, XII Kal. Julii, anno decimo.

LXXVI.

EIDEM.

*De procurationibus.*

(Viterbii, X Kal. Julii.)

(19) Super eo quod fraternitas tua nos consulere voluit, ut quia tota fere provincia Compostellana de novo est ad jurisdictionem Ecclesiæ tuæ conversa, qualiter tibi provinciam vel partem provinciæ visitanti obsequi debeat et servire, necnon et in procurationibus providere, te instruere dignaremur, C tibi taliter duximus respondendum, quia illud observare tenetur quod in vicinis provinciis observatur.

Datum Viterbii, X Kal. Julii, anno decimo.

LXXVII.

ABBATI SANCTI AUBERTI, ET MAGISTRO R. DE BEKEREL, ET R. TOREL CANONICIS CAMERACENSIBUS.

*De clerico qui factus fuerat monachus in infirmitate.*

(Viterbii, VI Non. Julii.)

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius C. clericus sua nobis insinuatione monstravit quod cum olim pro injuriis quas... præpositus ecclesiæ Sancti Audomari super beneficio suo ejusdem ecclesiæ irrogabat eidem ad sedem apostolicam provocasset, et ipsum ad prosequendam appellationem D suam in itinere constitutum ad sedem apostolicam veniendi apud Trecas contingeret gravi ægritudine occupari, demum ut populi tumultum idem clericus evitaret, se fecit ad monasterium Clarævallense deferri; ubi cum tandem invalescentes morbo fuisset in extasi positus, monachi ejusdem loci eum novitiorum habitu induerunt, qui statim ut ad mentem rediit reclamavit nunquam consentiens, et deposito habitu, recedendi licentiam obtinuit ab eisdem. Quare a nobis humiliter postulavit ut ei dignaremur super hoc contra æmulorum suorum astutiam paterna sollicitudine præcavere. Nos igitur petitioni ejus paterno condescendentes affectu, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus, si est ita, prædictum clericum hujus occasionis obtentu non permittatis ab aliquibus molestari, eidem redditus suos, possessiones et res alias cum integritate debita, si quas ea occasione inveneritis temere occupatas, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, restitui facientes. Testes autem qui fuerint nominati, etc. Nulli litteris, etc. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Viterbii, VI Non. Julii, anno decimo.

LXXVIII.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS PER HISPANIAM ET GUASCONIAM CONSTITUTIS.

*De adulterinis insigniis beati Jacobi.*

(Viterbii, XIII Kal. Julii.)

Occurrere debet apostolica sedes præsumptionibus malignorum, et eorum excessus pastorali sollicitudine cohibere. Sane ad audientiam apostolatus nostri pervenit quod quidam in Hispania et Guasconia constituti adulterina insignia beati Jacobi, quæ conchæ dicuntur, in animarum suarum periculum cudere non verentur. Volentes igitur præsumptiones hujusmodi per vestræ discretionis prudentiam cohibere, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus auctoritate nostra universis per vestras provincias constitutis sub excommunicationis pœna districtius inhibere curetis ne hujusmodi adulterina insignia, quod in suarum vergit periculum animarum, cudere aliqua temeritate præsumant.

Datum Viterbii, XIII Kal. Julii anno decimo.

LXXIX.

UNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS IN AQUITANIA CONSTITUTIS.

*De litteris apostolicis per fraudem obtentis.*

(Viterbii, V. Kal. Julii.)

Insinuata nobis per venerabilem fratrem nostrum episcopum Xanctonensem quorundam perversorum iniquitas animum nostrum non potuit non movere; qui nova lucrandi fraude reperta, contra nonnullos in vestris diœcesibus constitutos graves calumnias per litteras nostras exercent. Quidam enim, ut dicitur, super falsis querelis adversus eos quorum personas oderint, vel ambierint facultates, commissionum a nobis litteras impetrantes, in injurias jura convertunt, dum illos tandiu fatigare compellunt sub prætextu justitiæ per easdem donec per injustitiam vel personas ad libitum fatigaverint vel extorserint pretium pro suscitati litigii cessione. De quibus siquidem unus, cum nequivisset quamdam juvenculam conjugatam ad suæ libidinis inclinare consensum, repetens exenia quæ se illi misisse dicebat, eam citari fecit ad causam. Quæ sive de fraude timida, sive per virum ad judices accedere non permissa, non solum ipsa, verum etiam consanguinea quædam ejus, quæ noluerat esse adulterii mediatrix,

(18) Cap. *Proposuisti*, De consecr. ecclesiar.

(19) Cap. *Super eo*, De censib.

et quidam alii, excommunicationis sententiam pertulerunt: quorum interim aliqui decedentes sepulturam ecclesiasticam nequiverunt aliquatenus obtinere, quanquam unus judicum a... presbytero, qui conjungatam prædictam in mortis articulo constitutam ad pœnitentiam receperat, certam extorserit pecuniæ quantitatem. Præterea quemdam sutorem pro sotularium filo quatuor denarios vix valente citari ad remotos judices procuravit et tandem excommunicationi supponi; qui etiam occasione sumpta quod cujusdam burgensis famulus eidem domini sui domum intrare volenti ostium obseraverat, post non modicum temporis, eodem famulo contrahere volente cum quadam, objecit quod pro injuria sibi facta vinculo eum fecerat excommunicationis astringi; et tandem decem solidis pro tali contradictione receptis, dicens se judicum auctoritatem habere ipse idem illum absolvit. Alia vero vice, cum fere ducentos homines pro variis quæstionum figmentis a quodam archipresbytero citari fecisset, demum eumdem archipresbyterum, eo quod negligenter fuisset mandatum apostolicum exsecutus, coram eisdem judicibus impetivit, et ab ejus calumnia non nisi data redemptione quievit. Alius autem similiter a quodam sutore, imponens ei quod suos parando calceos, eorum soleas decurtarat, quindecim solidos extorsit. Qui profecto cum equum unum a quodam alio conduxisset, in certa pecuniæ summa illum satisfacere sibi compulit, eo quod idem equus casualiter in aquam sub ipso corruens, ejus infusione suum pallium madefecit. Sed et alius quidam pro manipulo caulium decem solidos recepit a quodam quem calumniatus fuerat super ipso. Quodque recoli est in lignum, quidam alius quemdam juvenem citari fecit ad judices per tres dietas et ultra remotos, eo quod cum ipso ad publicas mulieres accedens, eum noluerit exspectare, questus quod ex ejus absentia rerum suarum dispendium incurrisset, cum illud summam unius denarii non excesserit; quem, ex eo quod solus remanserat, dare pro symbolo est compulsus. Quæ nimirum et iis similia tanto licentius ab hujusmodi perpetrantur, quanto quidam judicum damnabilius in iis eis participare dicuntur; qui citatis et loca non tuta quasi ex deliberatione præfigunt, et nonnunquam eisdem petitionariis chartulas suas tradunt sigillo proprio sigillatas, per quas excommunicandi et absolvendi tales sibi conferunt potestatem. Cum igitur hæc, si vera sunt, clausis non debeamus oculis pertransire, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus veritate diligentius inquisita, litteras quas constiterit in hac fraudem per hujusmodi calumniatores obtentas, carere viribus decernatis, et revocato in statum debitum quidquid per eas inveneritis perperam attentatum, illos ad restitutionem eorum quæ temere per occasionem extorserunt appellatione remota cogentes, alias eis pœnam talem infligere procuretis per quam et sua condigne puniatur iniquitas, et cæteri ab exemplo similium arceantur, contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datam Viterbii, v Kal, Julii, anno decimo.

## LXXX.

*Ut M. abbatem ad custodiam Ecclesiæ Peronensis restituant.*

(Viterbii, XII Kal. Julii.)

(20) Cum ad nostram dudum audientiam pervenisset quod in Ecclesia Peronensi dignitas quædam, quæ custodia vulgariter appellatur, contra statuta Lateranensis concilii per duos annos et amplius vacavisset, venerabili fratri nostro Turonensi archiepiscopo, tunc archidiacono Parisiensi, et dilecto filio decano Sancti Quintini dedisse recolimus in præceptis ut si res taliter se haberet, cum ad nos ipsius dignitatis esset donatio devoluta, ipsi auctoritate nostra suffulti eam in suam custodiam assumentes, insinuarent nobis per suas litteras veritatem; ut per eas certiores effecti, dignitatem ipsam personæ idoneæ conferremus. Ipsi vero tam decanum et capitulum quam etiam Matthæum abbatem Peronensis Ecclesiæ, qui custodem etiam ejusdem Ecclesiæ se gerebat, peremptorie citaverunt. Cumque dictus archiepiscopus, quia die statuta interesse non poterat, per suas se litteras excusasset, supradicti procurator abbatis coram decano comparuit memorato, proponens nostras litteras directas ad illos multiplici ratione suspectas, tum quia salutatione ipsarum prius positum fuerat nomen archidiaconi quam decani, et notula quæ ad assignationem personæ litteras impetrantis solet apponi, non erat a tergo scripta, sed in margine potius litterarum; tum quia S. littera capitalis in hac dictione *salutem* nimis erat in longum a posteriori parte protensa; et quia in eisdem litteris adversarius vel accusator seu etiam denuntiator non erat ex nomine designatus, quæ omnia obviare sedis apostolicæ consuetudini proponebat. Idem quoque procurator allegans quod in eodem negotio erat ordine judiciaro procedendum, dilationem cum instantia postulavit, ut dictus abbas posset eidem causæ personaliter interesse; obstaculum appellationis objiciens, si eidem postulata dilatio negaretur. Dictus vero decanus allegationes prædictas, tanquam supervacuas, vilipendens dilatione penitus denegata, in suam curam assumpsit custodiam memoratam, idoneis provisoribus tam in exterioribus quam in interioribus deputatis. Qui ut de veritate negotii nos posset reddere certiores, decanum et quosdam canonicos Peronensis Ecclesiæ coegit super ipso negotio veritati testimonium perhibere, quorum depositiones inclusas sub sigillo proprio ad nostram præsentiam destinavit.

(20) Cap. *Cum ad nostram*, De institut.

A Nos igitur ejusdem decani processum diligentius recensentes, licet exceptiones quasdam ab abbatis prædicti procuratore propositas frivolas reputaverimus et inanes, quia tamen secundum legitimas sanctiones, etsi non cognitio, sed exsecutio demandetur, oportet tamen de veritate precum inquiri, maxime cum illa clausula, videlicet *si res ita se habet*, litteris nostris esset inserta, processum ejusdem decani, qui prius custodiam in suam curam accepit quam inquireret veritam, duximus irritandum; discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus abbatem ipsum restituatis ad custodiam supradictam, cum constet ipsum contra formam mandati apostolici destitutum, ac deinde secundum ejusdem mandati tenorem procedere procuretis, illud nihilominus attendentes, ut nisi dictus
B abbas rationabilem causam ostenderit quod in eadem Ecclesia custodiam simul et abbatiam possit habere, vos, eo destituto, in curam vestram, sublato appellationis obstaculo, sæpedictam custodiam assumatis, custodientes eamdem donec de ipsa mandatum apostolicum impleatis. Illud autem vos nolumus ignorare quod, postquam idem M. fuit abbas effectus, prædictam custodiam de jure non potuit obtinere, quia cum ratione abbatiæ ad ipsum pertineat donatio tam custodia quam aliarum dignitatum ac etiam præbendarum in Ecclesia Peronensi, custodiam ipsius nequaquam recipere potuit a se ipso, cum inter dantem et recipientem debeat esse distinctio personalis; sed nec ab alio, cum jus conferendi alius non haberet.

C Datum Viterbii, XII Kal. Julii; anno decimo.

## LXXXI.

### ROFFENSI EPISCOPO.

*Ut Joannem ab officio et beneficio privatum cohabitare uxori suæ compellat.*

(Viterbii, v Kal. Julii.)

Per tuas nobis litteras intimasti quod cum Joannes lator præsentium publice coram te fuisset in jure confessus se cum quadam post susceptum sub diaconatus ordinem contraxisse, ac postmodum se fecisse, hujus rei tacita veritate, in diaconum ordinari, licet demum tam de contracto matrimonio quam de diaconatus ordine post suscepto tibi per idoneos testes constiterit, idem tamen quod ante contractum matrimonium factus fuerit subdiaconus
D probare nequivit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, prædictum J. officio beneficioque privatum cohabitare compellas uxori.

Datum Viterbii, v Kal. Julii, anno decimo.

## LXXXII.

### EPISCOPO ENGOLISMENSI.

*De canonicis ad presbyteratum promovendis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod cum in Engolismensi Ecclesia plures esse canonici consueverint, qui per hebdomadas missarum solemnia celebrabant in ordine vicis suæ, quia duo tantum presbyteri, qui sunt ad præsens in ipsa, onus hac se non posse gerere conqueruntur, quod dudum a sex vel septem non facile portabatur, canonicos inferioris ordinis monuisti ut causa supplendi defectum hujusmodi se facerent in presbyteros ordinari, ad quod nullus potuit ipsorum induci. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos canonicos moneas et inducas ut vel qui fuerint idonei, promoveri non differant pro tali necessitate ad officium sacerdotis, vel tecum pariter, prout convenit, aliquos assumant in socios et in fratres, a quibus in officio ipso in prædicta ecclesia ministretur. Alioquin, defectum eorum, prout utile fuerit circa hoc, appellatione remota, nostra studeas auctoritate supplere. Nullis litteris, etc.

Datum, *ut in alia.*

## LXXXIII.

### REGENSI EPISCOPO, ET ABBATI DE BOSCAUDO.

*De causa episcopi Niciensis.*

(Datum, *ut supra.*)

Cum olim quidam religiosi diœcesis Niciensis tenorem quarumdam litterarum nobis obtulerint intuendum, quibus venerabilis frater noster... Niciensis episcopus super quibusdam expensis usus fuerat contra ipsos, conjicientes per illum easdem litteras esse falsas, venerabilibus fratribus nostris Glandecensi et Senecensi episcopis dedimus in mandatis ut occasione ipsarum in negotio non procederent, donec, inspectis eidem, procederemus in hoc sicut contingeret expedire. Interim autem Niciensis episcopus, qui tunc usque veras esse putaverat litteras prælibatas, incidens in suspicionem earum, protinus ad dilectum filium fratrem Petrum de Castronovo apostolicæ sedis legatum accessit, et exposito quod... clericus, qui sibi familiaris exstiterat, illas litteras a nobis se dixerat impetrasse, quodque penitus earum falsitatis ignarus fuerit usus ipsis, quid tantæ malitiæ nova relatione confusus ageret ab ipso quæsivit. Unde mox ad apstolicam sedem properans, oblatis nobis quibusdam litteris, quibus plerique viri religiosi suam innocentiam excusabant, sponte quidem, sed cum rubore, nobis aperuit quomodo in re ipsa confidenter quia simpliciter ambularit. Licet igitur, juxta constitutionem contra falsarios editam, gravis pœna videretur eidem episcopo imminere, quia tamen in eadem constitutione cavetur ut in hujusmodi plus malitia quam negligentia puniatur, attendentes quod, velut asserit, hic nocet alterius non sua culpa sibi, quamquam diligens non exstiterit circa litteras memoratas quam debuit adhibendo cautelam, illud quoque notantes, quod nec fautor falsitatis exstitisse videtur, quam, cum primo fuit suspicatus de ipsa, nostro studuit revelare legato, ac tandem personaliter ad nos veniens, coram nobis spontaneus est confessus, ipsum officio pontificali suspensum ad vos, de quorum discretione confidimus, duximus remittendum, præsentium vobis auctoritate mandantes quatenus postquam ab eo cum

tribus episcopis super hoc purgationem canonicam receperitis, ipsum ad idem officium restituere procuretis, illum quem jamdictas litteras constiterit procurasse secundum constitutionem præfatam, appellatione postposita, puniturí. Quod si non ambo, alter vestrum, etc.

Datum, *ut supra.*

### LXXXIV.

EPISCOPO ET CAPITULO ELENENSI.

*Ne contradictio unius prævaleat adversus publicam utilitatem.*

(Viterbii, IV Non. Julii.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod hujusmodi consuetudo in vestra ecclesia inolevit, quod si vos pro tractandis ipsius negotiis aliquando convenire contingat, licet omnibus canicorum institutio vel negotii alicujus certa deliberatio et communis, utilis videatur, et revera nitatur consilio saniori, si tamen displicat uni soli ratione aliqua non suffulto, sed ducto potius motu propriæ voluntatis, totum illud evacuari asseritur, quantumcunque sit utile vel honestum quod ab aliis singulis comprobatur. Quia vero hæc animi perniciosa libertas, quæ per consuetudinem verbi dicitur approbata, sacris canonibus penitus inimica, apostolico debet moderamine coerceri, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus, ei de cætero nullatenus innitentes, ad communis juris observantiam redeatis.

Datum Viterbii, IV Nonas Julii, anno decimo.

### LXXXV.

CLAROMONTENSI ET NIVERNENSI EPISCOPIS.

*Committitur eis causa episcopi Aniciensis adversus cives suos.*

(Viterbii, Non. Julii.)

Ex parte dilectorum filiorum Aniciensum civium nostris est auribus intimatum quod licet a piæ rec. Lucio papa prædecessore nostro bon. mem.. Aniciensi episcopo fuerit sub officii pœna præceptum ne legitima viduarum matrimonia impediret, aut pro eis contrahendis seu decedentium sepulturis pecuniam exigeret contra canonicas sanctiones, vel a suis subditis extorqueri aut exigi pateretur, venerabilis frater noster... successor ipsius non solum hujusmodi postmodum attentavit, verum etiam dictos cives in iis et aliis molestando, excommunicationis et interdicti sententias jaculari præcipitanter in ipsos pro voluntate sua sine causa rationabili non formidat. Unde nos eidem episcopo sub interminatione canonicæ pœnæ dedimus in præceptis ut quæ per ipsum vel clericos suos ab eisdem civibus contra justitiam sunt extorta restituens et restitui faciens ut tenetur, de cætero ab hujusmodi sic abstineat quod justam de se querelam non oporteat iterari; propter qnod manum nostram in ipsum gravare merito deberemus; dictos quoque cives aut eorum nuntios non impediat nec faciat impediri quo minus eundo et redeundo causam suam secure ac libere prosequantur. Nos enim memoratis civibus per scripta nostra præcipiendo mandamus ut eidem reverentiam et obedientiam tam debitam quam devotam impendant, laudabilem consuetudinem hactenus observatam ex pia devotione parentum erga sepulturas charorum diligenter observent, ne forsan ex fermento pravitatis hæreticæ illam corrumpere videantur sub prætextu canonicæ puritatis. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ab episcopo et civibus antedictis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam faciatis, appellatione remota, præceptum nostrum inviolabiliter observari.

Datum Viterbii, Nonis Julii, anno decimo.

### LXXXVI.

POTESTATI ET CIVIBUS FLORENTINIS.

*Exhortantur ad pacem et concordiam.*

(Viterbii, V Id. Julii.)

Si diligenter attenditis quod providus pater sæpe servum a filio, sæpe vero filium a servo facit, propter offensam utriuslibet vapulare, gaudio quod nuper de Senensium victoria concepistis non poteritis non miscere timorem, nescientes utrum eos Dominus coram vobis propter vestram humiliarit justitiam, an quia per ministerium vestrum illis apponere voluerit disciplinam, cum in uno formidabile videatur quod Assur virga furoris Domini affixerit Dei populum; quanquam in altero securitas colligatur ex eo quod David in funda prostravit Philistæum. Licet autem Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, vobis in ipsorum conflictu astitisse credatur, triumphi tamen accepti gloriam viribus vestris non debetis ascribere, sed alienis peccatis potius imputare, non excedendo modum in facto, ne forsan ei similes videamini cui contra populum furoris sui, secundum prophetam, mandaturum se dicit Dominus ut auferat spolia et dividat prædam, et quasi lutum platearum in conculcatione ponat eumdem. Ipse autem non sic arbitrabitur; sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum. Cum ergo discordiæ tantæ causa in grande rerum dispandium, grave damnum corporum, et immane periculum animarum redundare noscatur, et ad nos tanto pertineat specialius revocare discordantes ad pacem quanto differentius præ cæteris hæreditamus eamdem, quibus eam mediator Dei et hominum Jesus Christus, cujus nos, licet indigni, vicem exercemus in terris, non solum nascendo per angelum nuntiavit *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II) dicentem, verum etiam moriendo quasi testamento legavit, cum dixit *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV), ac resurgendo demum, *Pax vobis* (*Joan.* XX) discipulis suis inquiens, per ipsos prædicandum instruxit, ad ipsam, si desuper datum fuerit, paterna sollicitudine vos duximus reducendos. Hinc est igitur quod dilectum filium nostrorum G. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, quem nota

probitas et experta prudentia specialiter nobis reddunt inter cæteros fratres nostros acceptum, pro reformanda pace inter vos ac Senenses prædictos, et captivis liberandis utrinque, curavimus destinare ; universitatem vestram monentes attentius, propensius exhortantes, ac in remissionem vobis peccaminum injungentes quatenus humilitatem, quæ vos creditur exaltasse, servantes, secundum providum exhortationem ipsius in eodem negotio efficaciter procedatis ;s ollicite provisuri quod cum tractatus pacis, quem ad exhortationem nuntii nostri, prius quam fuissetis congressi, fecistis, habeatur in scriptis, totum accedere ad superbiam videretur et ab humilitate recedere quod ultra ipsum plus debito pro pace niteremini postulare, possetque non immerito de vobis impleri sententia Veritatis, quoniam qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur, sacra contestante Scriptura quoniam ante ruinam exaltabitur cor, id est post exaltationem cordis ruina succedit. Et quidem ille vobis erit titulus gloriæ sempiternæ, si omnipotenti Deo dantes honorem, pro ipsius reverentia. non neccessitate, sed humilitate coacti, ea post victoriam sitis mensura contenti quam ante victoriam approbastis. Nos enim præfato cardinali dedimus in mandatis ut ad ea quæ præmisimus per agenda prudenter insistat et diligenter attendat, in partem, si quam repererit contumacem, sublata appellatione, districtionis ecclesiasticæ promulgando censuram. Mandamus etiam universis episcopis in Tusca constitutis ut sententiam quam idem duxerit proferendam, inviolabiliter faciant observari.

Datum Viterbii, v Idus Julii, anno decimo.

LXXXVII.

PRIORI ET CONVENTUI DE KYRCHAN.

*De confirmatione privilegiorum*

(Datum, *ut in alia.*)

Olim fuistis apostolatui nostro conquesti quod venerabilis frater noster Eboracensis archiepiscopus et quidam alii Ecclesiarum prælati, contra privilegia Romanornm pontificum vobis indulta, vos, Ecclesias, et clericos vestros injuste suspendere non verentes, alias super ecelesiis et ecclesiasticis beneficiis injurias vobis multiplices inferebant, et prohibebant laicos in iis ad quæ tenebantur vestris Ecclesiis respondere. Unde dilectis filiis... abbati de Torenton, et conjudicibus ejus dedimus in mandatis ut dictum archiepiscopum et alios per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent ab indebita vestri molestatione desistere, ac de damnis et injuriis irrogatis satisfactionem congruam exhibere. Ipsi vero, sicut per suas nobis litteras intimarunt, illos propter hoc sæpius citaverunt. Sed idem archiepiscopus per annum integrum peremptorie locis et temporibus competentibus citatus ab ipsis, nec per se nec per idoneum responsalem in eorum voluit præsentia comparere; quinimo per quasdam litteras ad venerabilem fratrem nostrum Saresberiensem episcopum et collegas ipsius impetratas a nobis, in quibus de litteris nostris tempore quidem et usu prioribus nulla mentio facta fuit, usque ad octo dietas gravibus laboribus et expensis vos multoties fatigavit. Quapropter prænominati judices vestri, habito prudentum consilio, dictis archiepiscopo et episcopo Saresberiensi ac sosiis suis, ut ab injusta vexatione vestra desisterent, auctoritate apostolica injunxerunt ; a qua cum idem archiepiscopus desistere nunquam vellet, ipsum a vestra clericorum et Ecclesiarum vestrarum obedientia pro manifesta contumacia suspendere, donec affectus tædio vobis in judicio responderet. Qui demum multis peremptorie citatus edictis per annum ei temporibus et locis competentibus assignatis, per se vel responsalem sufficientem in eorum comparere præsentia coutumaciter recusavit. Proinde dicti judices in expensas per injustam ejus vexationem factas et probatas legitime, competenti taxatione præmissa, vobis condemnarunt eumdem. At ille nihilominus apostolicæ sedis auctoritatem contemnens, jam per tertium et quartum annum a vestra noluit infestatione cessare. Nos igitur quod a judicibus sæpedictis factum est approbantes, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus si est ita, usque ad satisfactionem idoneam præmissorum vos aut clerici vel Ecclesiæ vestræ prædicto archiepiscopo in nullo penitus intendatis ; et si quam interim in vos aut clericos vel Ecclesias memoratas sententiam promulgaverit, nequaquam observetis eamdem.

Datum, *ut in alia.*

LXXXVIII.

ABBATI ET CONVENTUI TUTELLENSI.

*De numero evectionum in visitationibus.*

(Viterbii, 11 Non. Julii.)

Cum ad quorundam insolentiam reprimendam in Lateranensi consilio provida sit deliberatione statutum ut archiepiscopi, episcopi, archidiaconi et decani certum evectionum et personarum numerum in Ecclesiarum visitationibus non excedant, quia, sicut audivimus, quidam ex prædictis personis id in Ecclesiis vestris nequaquam observant, super eo commoditati vestræ duximus providendum. Ideoque devotioni vestræ præsentium auctoritate concedimus ut si qua de prænominatis personis numerum evectionum et personarum in memorato consilio constitutum, cum Ecclesias visitarit, in gravamen vestrum excedere forte præsumpserit, et pro illis procurationem exegerit, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare. Et si propter hoc in Ecclesias vel clericos vestros aliquam sententiam promulgaverit, ipsam auctoritate apostolica decernimus non servandam. Nulli ergo... nostræ concessionis et diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, IV Non. Julii, anno decimo.

(21) Similis epistola exstat lib. I, epist. 140.

## LXXXIX.

ANTISIODORENSI ET TRECENSI EPISCOPIS, ET ABBATI SANCTI BENIGNI.

*Committitur eis inquisitio adversus abbatem et monachos Vezeliacenses.*

(Viterbii, XIV Kal. Augusti.)

Ejus exemplo qui de mandato Domini fodit parietem, et ingressus vidit abominationes pessimas quas domus Israel faciebat in templo, descendimus per angelos nostros, ut videremus utrum clamorem qui venit ad nos abbas et monachi Virziliacenses opere complevissent; quatenus perditis male malis bonam vineam bonis agricolis locaremus; illum nihilominus imitantes qui cum diffamato, quasi bona domini dissipasset, dixisset: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ*, statim adjunxit: *Jam enim non poteris villicare* (*Luc.* XVI). Exposito ergo nobis inquisitionis processu quem circa ipsos per venerabilem fratrem nostrum Senonensem archiepiscopum et dilectum filium magistrum Robertum de Corson canonicum Noviomensem fieri jusseramus, intelleximus contra dictum abbatem fuisse propositum quod cum Virziliacense monasterium in obitu prædecessoris ejus ab omni onere debitorum liberum remansisset, et pervenissent ad istum triginta millia solidorum, præter argentea vasa sexaginta marcharum, idem abbas iis omnibus male pro majori parte consumptis, illud duorum millium ducentarum et viginti librarum debitis onerarat. Et licet testes id expresse probarent, abbas tamen confessione propria recognovit quod præter vasa sexagenta et unius marcharum, viginti octo millia solidorum de thesauris prædecessoris sui pervenerat ad eumdem, et nunc non nisi in mille octingentis libris proventus monasterium tenebatur. Fuit quoque propositum contra eum quod esset incontinens, et filium ac filiam de bonis Ecclesiæ maritarat quos videbatur post susceptum habitum genuisse, cum quod octennis intrasset monasterium, ejus confessione liqueret. Dicebatur etiam quod interfuit nuptiis, et vestierat puellam sericis indumentis, et quod sederit in convivio nuptiarum, quod Simoniacum habuisset ingressum, et quosdam in fratres receperit et aliquibus prioratus concesserit per Simoniacam pravitatem. Sufficienter quoque quidam testes omni exceptione majores probabant quod contra institutionem bonæ memoriæ Octaviani episcopi Ostiensis, tunc apostolicæ sedis legati, factam sub pœna excommunicationis, et per nos postmodum confirmatam... fratri suo laico quemdam contulera prioratum. In quo videbatur multipliciter excessisse tum contra honestatem ecclesiasticam, quæ non patitur laicos monachis præsidere; tum contra auctoritatem apostolicæ sedis, cujus violaverat instituta; tum quia caro et sanguis ei ut hoc faceret revelarat. Probatum est insuper contra eum quod esset nimium liberalis, negligens, remissus et mollis. Quod non solum ex testium depositione liquebat, sed et opera ejus perhibant testimonium veritati,

A cum eos sustinuisset in dignitatibus et consiliarios habuisset quorum incontinentia nota erat, et quorum aliqui contra monasticum ordinem habebant propria. Quidam vero quod in ingressu ejus pro ea et cum eo commiserunt Simoniam, proprio juramento monstrabant, licet singuli fuerint in suo testimonio singulares. Quia vero contra priorem, eleemosynarium, decanum, cellarium, tertium priorem de Flavi, de Fleiaco, et de Siverriaco priores et capellanos abbatis pariter et prioris enormia fuerunt multa proposita et aliqua camprobata, eos a monasterio ipso ejecimus, et per alia monasteria, in quibus ordo monasticus districtius observetur decrevimus devidendos; non ut plures in uno ponantur monasterio, sed singuli potius in singulis collocentur;

B nec præter auctoritatem apostolicæ sedis de cætero assumantur ad aliquam dignitatem. Volentes quoque indemnitati ejusdem monasterii providere, tam in eos quam in alios monachos Viziliacenses qui habent proprium excommunicationis sententia promulgavimus, nisi protinus illud ad usus Ecclesiæ resignarint. Licet autem abbas ipse se in quibusdam nisus fuerit excusare, quia tamem ejus excusatio ex aliqua parte in accusationem potius vertebatur, ut pote cum esset excusatio in peccatis, non solum ex provisionis officio verum etiam ex rigore juris processimus contra eum, ipsum ab administratione monasterii et abbatiæ regimine amoventes. Volentes igitur monasterio consulere memorato, discretioni vestræ, de qua fiduciam plenam gerimus, per apostolica

C scripta districte præcipiendo mandamus quatenus ad ipsum personaliter accedentes, injungatis auctoritate nostra conventui ut infra tres dies personam idoneam per regularem electionem præficiat sibi cum consilio vestro concorditer in abbatem. Alioquin, vos extunc, sive de ipsius gremio monasterii, seu etiam aliunde, virum providum et honestum, non tam in futuro probandum quam in præterito jam probatum, per quem domus et spiritualibus proficiat institutis et temporalibus juvetur augmentis, in abbatem ei præficere procuretis, facientes eidem per censuram ecclesiasticam appellatione remota reverentiam et obedientiam debitam exhiberi. Deinde vero tam abbatem amotum et alios supradictos quam etiam quoscunque de fratribus

D aut conversis præfati monasterii repereritis proprietatem habere, ut eam ad opus monasterii sine diminutione resignent moneatis attentius et propensius indicatis, excommunicatos eos qui secus fecerint publice nuntiantes et adhibentes ad coactionem eorum, si necesse fuerit, brachium sæculare; præscriptos priorem et alios nihilominus, sicut a nobis est provide definitum, divisuri per singula monasteria, in quibus ordo monasticus districtius observetur compellendo contradictores auctoritate nostra, si opus fuerit, ad receptionem ipsorum, et eos arctius faciendo vacare regularibus institutis. Ut autem monasterium sæpedictum ab omni macula plenius expietur, volumus et mandamus ut cum ista ob

celeri diligentia fueritis executi, de statu ejus et personarum iterum diligentissime inquiratis, et habito præ oculis solo Deo, corrigatis quæ secundum ipsum corrigenda videritis, et statuatis quæ fuerint statuenda; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles appellatione remota per ecclesiasticam compescendo censuram. Taliter autem mandatorum nostrorum primitias audire ac exaudire curetis quod in iis tanquam obedientiæ vestræ initiis cognoscamus quantum zelus domus Dei vos tangat, et quantæ devotionis affectum circa nos et Romanam Ecclesiam habeatis et sitis in posterum habituri. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Interim autem donec abbas fuerit institutus, curam et administrationem ipsius monasterii dilectis filiis sacristæ et hospitalario duximus committendam, ne idem monasterium sine regimine dispergatur. Sigillum vero ac duos annulos, quos recipi fecimus ab abbate prædicto, sub nulla nostra vobis mittimus interclusos, eidem monasterio resignandos.

Datum Viterbii, XIV Kal. Augusti, anno decimo.

### XC.

EISDEM.

*De depositione Gileberti abbatis Flaviniacensis.*

(Viterbii.)

Licet contra Gilibertum quondam Flaviniacensem abbatem per inquisitionem factam super statu Virziliacensis cœnobii nihil fuerit oppositum vel probatum, ea forsitam ratione quod pro monacho Virziliacensi minime habebatur; quia tamen ejus sunt ad damnationem opera manifesta, ipsum a præfato cœnobio perpetuo decrevimus excludendum, et in districtiori monasterio collocandum ad agendam pœnitentiam de commissis. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod a nobis decretum est provida ratione, per districtionem ecclesiasticam sublato contradictionis et appellationis obstaculo faciatis executioni mandari. Præsentes autem litteras præter morem clausas dirigimus, ut in illis sigillum et annulos et alias quasdam litteras mittamus inclusas. Quod si non omnes, etc.

Datum Viterbii.

### XCI.

ARCHIDIACONO ET CAPITULO VENAFRANO.

*Confirmantur certa jura et sententiæ latæ pro ipsis.*

(Apud Montem-Flasconem, VI Kal. Augusti.)

Cum olim inter Venafranam et Yserniensem Ecclesias in præsentia felicis memoriæ Cœlestini papæ prædecessoris nostri super quibusdam dignitatibus, sede videlicet, sigillo, et chrismate, necnon et festo beati Nicandri, quæstio verteretur, longisque temporibus fuisset antea ventilata, adeo ut jam utraque ipsarum Ecclesiarum ac civitatum sustinuisset propter hoc graves molestias et jacturas, idem prædecessor noster volens finem eidem imponere quæstioni, dilecto filio G. Sancti Adriani diacono cardi-

A nali tunc Beneventano rectori dedit suis litteris in mandatis ut inter easdem Ecclesias pacem studeret et concordiam reformare, quod si ad hoc induci nequirent, idem Ecclesiæ utrique propium habendi pontificem auctoritate apostolica, remoto cujuslibet ipsius et episcopi appellationis et contradictionis obstaculo, tribueret facultatem, ita ut liberum esset illi pontifici qui tunc Ecclesiæ utrique dignoscebatur præesse, apud earum alteram, quam vellet, infra decem dies sibi cedem eligere, ac eam cum sua parochia retinere; altera vero Ecclesia libere alium sibi eligere posset antistitem, qui parochiæ suæ præesset pariter et prodesset. Dedit etiam eidem auctoritate apostolica facultatem electionem illam canonice ac de persona idonea celebratam

B appellatione postposita confirmandi, salvo jure in posterum Ecclesiæ Capuanæ. Si vero neutram eligere vellet episcopus memoratus, ipsi nihilominus illi Ecclesiæ quæ pastorem sibi alium habere volebat, facultatem tribueret eligendi; injungens eidem ut si dictus episcopus præeligeret Ecclesiam Venafranam, tantum de communibus proventibus civitas ipsa episcopalibus redditibus superaddere procuraret ut exinde posset honorifice sustentari. Præfatus vero cardinalis, post dilationes et citationes quamplurimas, habito jurisperitorum prudentum consilio, potestatem et auctoritatem vobis contulit eligendi et habendi episcopum et perpetuo successionaliter obtinendi, ut tam civitas quam Ecclesia Venafrana sedem habeant perpetuo cathedralem, salva

C in omnibus justitia metropolitanæ Ecclesiæ Capuanæ. Ita quidem quod tantum de communibus proventibus episcopalibus redditibus superadderet civitas Venafrana quod exinde posset Venafranus episcopus honorifice sustentari. Postmodum autem dicti clerici Venafrani a prælato cardinali accepta licentia sibi eligendi personam idoneam canonice in pastorem, dilectum filium Joannem de Abner concorditer elegerunt; cujus electionem idem prædecessor noster merito reprobavit, quia nondum erat in sacris ordinibus constitutus. Sed vos iterum convenientes in unum, et Spiritus sancti gratia invocata, venerabilem fratrem nostrum R. tunc archidiaconum, nunc episcopum vestrum communiter elegistis. Et cum idem ad ejusdem prædecessoris nostri præsentiam accessisset confirmationis

D munere impetrando, idem electionem confirmavit eamdem, archipresbytero et capitulo Ecclesiæ Yserniensis per litteras suas demandans quod cum tam Venafrana quam Yserniensis Ecclesiæ ex destitutione postoris incurrissent non modicum detrimentum, præsertim cnm per biennium et eo amplius dictæ Ecclesiæ fuissent viduatæ pastore, et juxta Lateranensis statuta concilii ad ipsum earum ordinatio pertineret, dictum R. concedebat eisdem de fratrum suorum consilio in pastorem, nulla mentione habita de sententia cardinalis, injungens eisdem ut ei tanquam electo suo et pastori animarum suarum debitam obedientiam exhiberent, et

ejus salubria monita et mandata reciperent humiliter et servarent. Verum idem prædecessor noster volens ab eisdem ecclesiis auferre materiam querelandi eidem electo litteris suis injunxit ut cum esset in Ecclesia Venefrana, illo uteretur sigillo in quo tantum vocaretur episcopus Venefranus; quod cum esset in Ecclesia Yserniensi similiter observaret; chrisma vero uno anno in Ecclesia Yserniensi conficeret, et alio in Ecclesia Venafrana, quod etiam de festo Sancti Nicandri præcepit firmiter observari. Sane cum olim Yserniensis Ecclesiæ nuntii ad nostram præsentiam accessissent, et humiliter postularent ut eorum Ecclesiæ desolatæ paterna dignaremur sollicitudine providere ac finem imponere quæstioni, dilectis filiis R. Capuano electo et magistro Ph. notario nostro tunc Beneventano rectori dedimus in mandatis quatenus partibus convocatis, diligenter causæ merita examinare curarent, et usque ad diffinitivam sententiam remoto appellationis obstaculo procedentes, ad nostram audientiam remitterent ipsam sufficienter instructam, præfigentes pratibus terminum competentem quo se nostro conspectui præsentarent. Sed quia idem electus examinationi causæ non potuit interesse, commisit eidem notario vices suas. Qui juxta mandatum nostrum procedens, eamdem causam sufficienter instructam ad nostram audientiam remittere procuravit, festum Nativitatis beatæ Virginis proximo præteritum præfigens partibus, in quo nostro se conspectui præsentarent. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, et rationibus utriusque plenius intellectis, quia manifeste cognovimus mandatum super divisione facienda quibusdam circumventionibus a præfato prædecessore nostro fuisse subreptum, quod ipse postea recognoscens utcunque studuit revocare, quamquam id facerit parte altera penitus ignorante, de consilio fratrum nostrorum quidquid illius occasione mandati super divisione fuerat attentatum, decrevimus irritum et inane. Postmodum autem ut inter ipsas Ecclesias pacis possunt fœdera reformari, operam dedimus efficacem, partes cum diligentia commonentes ut inter se amicabiliter componere procurarent. Quæ nobis mediantibus ad talem concordiam devenerunt quod vos pro bono pacis Yserniensi Ecclesiæ concessistis ut castrum Fossæ cæcæ, quod vestra possidebat Ecclesia, eadem Yserniensis Ecclesia in perpetuum obtineret, et castrum Capriatæ, super quo pariter fuerat lis exorta, in perpetuum remaneret Ecclesiæ Venafranæ; ac castro Sanctis Joannis, de quo quæstio vertebatur, in vestris manibus sequestrato, donec de ipso ad cujus parochiam pertineat plenius cognoscatur, de cætero proprium et specialem episcopum habeat Ecclesia Venafrana, qui sua sit contentus diœcesi, quam dignoscitur antiquitus habuisse; Ecclesia Yserniensis diœcesi sua pari modo contenta, personam idoneam sibi eligat in pastorem, quæ ipsi Ecclesiæ præesse valeat pariter et prodesse. Ne igitur quæ in præsentia nostra concorditer et amicabiliter sunt statuta in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, compositionem ipsam, sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum apud Montem-Flasconem per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidim diaconi cardinalis, S R. E. cancellarii, VI Kal. Augusti, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno decimo,

## XCII.

R. TITULI SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI PRESBYTERO CARDINALI, CASINENSI ABBATI.

*Committuntur certæ causæ usurarum audiendæ.*

(Viterbii, IX Kal. Augusti.)

Ex conquestione venerabilis fratris nostri... episcopi Venafrani ad nostram noveris audientiam pervenisse quod cum olim Ecclesia Venafrana in magno esset neccessitatis articulo constituta, dilectus filius Joannes de Abner, qui tunctemporis electus fuerat ad eamdem, quamdam terram B. de Duratio civi Venafrano pro certa quantitate pecuniæ obligavit. Et ne idem creditor per canonem contra usurarios editum posset in posterum conveniri, terram ipsam recepit ab eo emptionis, cum re vera contractus usurarius ageretur, quod patet ex eo quod idem creditor sicut publicum continet instrumentum, debitori promisit quod quandocunque ipsi restitueret pecuniam antedictam, terram ipsam eidem restituere procuraret. Licet autem tandiu eamdem tenuerit taliter obligatam quod ex ipsius fructibus jam perceperit ultra sortem, ipsam tamen, instrumentum venditionis allegans, in animæ suæ periculum retinet et restituere contradicit. Quia vero fraus et dolus alicui patrocinari non debet, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si res ita se habet, instrumento venditionis confecto in fraudem canonis promulgati contra usurarios non obstante, prædictum civem, ut fructibus computatis in sortem, et recepto si quid sorti defuerit, terram ipsam restituat conquerenti, per pœnam in Lateranensi consilio contra usurarios promulgatam, appellatione remota, constringas. Testes, etc.

Datum Viterbii, IX Kal. Augusti anno decimo.

## XCIII.

DECANO ET CAPITULO SANCTI ANIANI AURELIANENSIS.

*Muniuntur privilegio adversus litteras apostolicæ sedis.*

(Viterbii, XV Kal. Augusti.)

Cum Ecclesia vestra sedis apostolicæ sit filia specialis, indemnitatibus ejus paterna volentes sollicitudine præcavere, præsentium auctoritate statuimus ut per litteras apostolicas quæ ad... archiepiscopum Senonensem vel.. Aurelianensem episcopum seu alios in eorum diœcesibus constitutos super quibuscunque negotiis vos aut Ecclesiam ve-

stram quomodolibet contingentibus fuerint impetratæ, nullum ejusdem Ecclesiæ libertati præjudicium generetur, districtius inhibentes ut nulli ecclesiasticæ personæ liceat in ecclesias aut villas vestras seu etiam servientes vestros sine manifesta et rationabili causa excommunicationis sententiam vel interdicti proferre. Vobis quoque sit liberum, si super iis vel aliis vos senseritis contra justitiam prægravari, sedem apostolicam appellare. Nulli ergo nostræ constitutionis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, xv Kal. Augusti, anno decimo.

## XCXIV.

SANCTI GERMANI DE PRATIS ET SANCTÆ GENOVEFÆ ABBATIBUS ET PRIORI SANCTÆ GENOVEFÆ PARISIENSI.

*Ut de malefactoribus ecclesiæ Sancti Aniani exhibeant justitiæ complementum.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum Ecclesia Beati Aniani Aurelianensis apostolicæ sedis sit filia specialis, indemnitatibus ejus paterna sollicitudine præcavere volentes, discretioni vestræ præsentium auctoritate præcipiendo mandamus quatenus de quibuslibet malefactoribus suis in Senonensi provincia constitutis, quoties ab ipsa fueritis requisiti, sine malitiosa dilatione jnstitiæ faciatis eidem plenitudinem exhiberi ; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis diffugio, compescentes, nec relaxaturi sententiam , usque ad satisfactionem condignam, quam propter hoc in quemlibet duxeritis proferendam. Quod si non omnes, duo vestrum, etc. Ut autem plenius quieti provideatur Ecclesiæ memoratæ, volumus et mandamus ut si contigerit de vobis humanitus, ad vestros etiam successores hæc auctoritas extendatur ; cum sit dignum ut ejusdem Ecclesiæ paci specialiter consulamus quæ ad Romanum pontificem nullo pertinens mediante, non habet, post ipsum, alium protectorem.

Datum, *ut in alia.*

## XCV.

W. DECANO ECCLETIÆ SANCTI ANIANI AURELIANENSIS EIUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Viterbii, XII Kal. Augusti.)

(22) Cum omnium Ecclesiarum attentam curam et sollicitudinem ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio gerere debeamus, de illis tamen præcipue nos oportet esse sollicitos quæ ad jus et proprietatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialius pertinere noscuntur, et de apostolicæ sedis protectione ampliori devotione confidunt, et ne quorumlibet hominum in A bonis seu etiam dignitatibus temerariis ausibus fatigentur, auctoritatis nostræ suffragio eas convenit pariter communiri. Ideoque, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Lucii prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum præfatam Sancti Aniani ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio (23), sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsenti juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus B et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Villam videlicet de Sentiliaco cum ecclesia, villam de Ruem cum ecclesia, villam de Tilliaco cum ecclesia, ecclesiam de Chalo, et villam de Artenaio a bonæ memoriæ A. illustri Francorum regina vobis commutatam pro villa de Chalo in ea libertate ac immunitate tenendam in qua bonæ memoriæ L. quondam illutris Francorum rex, quemadmodum in ejus scripto continetur authentico, eam noscitur habuisse. Medietatem quoque proventuum tam in minutis decimis quam in oblationibus et omnibus beneficiis vivorum et mortuorum in prædicta ecclesia de Chalo, juxta quod vobis olim concessum est a bonæ memoriæ W. tunc Senonensi, postmodum vero Remensi archiepiscopo, Sanctæ Sabinæ cardinali, apostolicæ sedis C legato, et in ejus scripto authentico redactum est, eo tamen tenore quod si plures in eadem villa parochiales ecclesiæ constructæ fuerint, in omnibus quæ idem surrexerint id juris habeatis quod in prædicta ecclesia habuisse noscimini et habere. Villam de Herbilliaco cum ecclesia et omnibus decimis et pernentiis suis. Ecclesiam Sancti Aniani veteris, quæ capella vocatur, et ecclesiam Sancti Germani infra muros civitatis. Quidquid habetis in villa de Centollo, et ecclesiam villæ ejusdem. Quidquid habetis in villa de Fonteneio, et ecclesiam ejusdem villæ, cum decimis et aliis redditibus ad jus vestrum pertinentibus. Aquam Ligeris a muro veteris civitatis usque ad Sanctum Lupum, et molendina omnia quæ in eadem aqua habetis, cum piscationibus suis D Quidquid habetis ultra Ligerim, et in Sicalonia (24). Quidquid habetis in Gastinesio. Villam de Berziaco, cum omnibus pertinentiis suis. Quidquid babetis apud Oscuras. Quidquid habetis in foresta quæ Bolonia dicitur, et villam de Gasellis. Quidquid pertinet ad Majoriam de Jarria, et villam de Seteis. Molendina quoque quæ in villis vestris de novo fecistis, et illud quod in loco qui Domitiacum appellatur habetiis. In supradictis vero parochialibus ecclesiis, scilicet de Sentiliaco, de Ruem, de Tiliaco,

(22) Edita ab Huberto in Probat. Histor. S. Aniani, pag. 121.

(23) Alexandri et Lucii privilegia edita sunt ibid. pag. 116 et seqq.

(24) *La Sologne.*

de Fonteneio, de Centolio, de Herbiliaco et de Chalo, quas tenetis, presbyteros eligatis et episcopis præsentetis : quibus, si idonei fuerint, episcopi curam animarum absque venalitate committant, ut de plebis quidem cura eis respondeant, pro rebus vero temporalibus debitas vobis obedientias et consuetam subjectionem exhibeant. In reliquis vero duabus ecclesiis, videlicet Sancti Aniani et Sancti Germani, et ad servitium altaris crucifixi ecclesiæ beati Aniani, libere et absque alicujus contradictione et præsentatione, sicut hactenus, ita et deinceps, liceat vobis substituere sacerdotes. Liceat etiam vobis in parochialibus ecclesiis vestris vacantibus, uti consuetum est et ab antiquis hactenus temporibus observatum, sacerdotes ponere ad succursum, qui donec conveneritis in personas idoneas, quæ institui debeant in eis, omnipotenti Deo famulentur. Ferias præterea in duabus solemnitatibus beati Aniani ad luminaria ejusdem ecclesiæ concinnanda tam a bonæ memoriæ L. illustri rege Francorum, quam a Joanne quondam Aurelianensi episcopo vobis et ecclesiæ vestræ concessas, et scripti sui munimine roboratas, [ (25) quemadmodum in eorum scriptis authenticis continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nihilominus præsenti decreto statuimus ut duæ præbendæ quæ antea deputatæ fuerant officio confrariæ, ac tertia, quam ei provida pietate postmodum addidisti, et annuales canonicorum, quocunque modo præbendæ mutentur, officio permaneant confrariæ. Vineas insuper et omnia quæ præfatæ confrariæ collata sunt vobis et per vos ipsi confrariæ, prout communi assensu capituli statutum est et scripto firmatum, apostolicæ sedis munimine] roboramus, et constitutionem illam ratam et inconvulsam futuris temporibus decernimus permanere. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes canonicorum seu clericorum vestrorum qui ad sacres ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit, et gratiam apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pecunia vel exactione aliqua voluerit exhibere. Alioquin, ad quemcunque malueritis antistitem recurratis, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Præterea omnes libertates seu etiam immunitates ac regias consuetudines a Francorum regibus vobis et ecclesiæ vestræ indultas, et scripti sui munimine roboratas, auctoritate apostolica confirmamus, et illibatas perpetuo statuimus permanere. Sancimus quoque et præsenti decreto statuimus ut nulli archiepiscopo seu cuilibet personæ commissam vobis ecclesiam vel vos aut clericos chori vestri, nisi Romano pontifici vel legato ejus, aut etiam de speciali mandato apostolicæ sedis, excommunicare seu a divinis officiis interdicere liceat. Visitationem vero vel procurationem nullus ab ecclesia vestra nisi auctoritate apo-

A stolicæ sedis præsumat exigere, cum ei nullo medio sit subjecta. Prohibemus insuper ut nulli ecclesiasticæ vel cujuscunque ordinis personæ fas sit indebitas exactiones ecclesiis vestris aut capellis vel sacerdotibus earum imponere. Decernimns ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., *usque* usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate, et in præfatis ecclesiis de Sentiliaco, de Ruem, de Tiliaco, de Fonteneio, de Centolio, de Chalo, et de Herbiliaco diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, etc., *usque in finem.*

Datum Viterbii, per manum Joannis Sanctæ Ma-
B riæ in Cosmidin. diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, XII Kal. Augusti, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domni Innocentii papæ III, anno decimo.

XCVI.

EPISCOPO MELDENSI.

*De subjectione monasterii Resbacensis.*

(Viterbii, XVII Kal. Julii.)

Suborta dudum inter te ac monasterium Resbacense super ipsius monasterii subjectione materia quæstionis, procuratores pratium propter hoc ad sedem apostolicam accesserunt (26). Quibus aliquandiu litigantibus coram nobis, quia per confessionem partis adversæ constitit te possessionem obedientiæ in eodem monasterio habuisse, te restituendum decrevimus ad eamdem. Verum quia privilegium
C felicis memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri ex monasterii parte nobis exhibitum libertatem plenariam exprimebat, dilectis filiis magistro G. decano Suessionensi... Remensi cantori, et... succentori Silvanectensi dedimus in mandatis ut te in possessionem obedientiæ restituto, nisi post restitutionem tuam infra sex menses contra privilegii libertatem rationabile aliquid objiceres et probares, super subjectione monasterii supradicti perpetuum tibi silentium, sublato appellationis obstaculo, imponere procurarent; districtius inhibentes ne idem monasterium super libertate privilegii auderes ulterius molestare, quod si de partium existeret voluntate, causam ipsam sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittentes, præfigerent ipsis terminum
D competentem, quo se nostro conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Partibus igitur in ipsorum judicum præsentia postmodum constitutis, cum privilegii copiam habuisses, illud voluisti arguere falsitatis, eo quod facta collatione bullæ ipsius privilegii ad alias bullas, ipsa, sicuti proponebas, minor et dissimilis aliis videbatur. Auctoritatem quoque rei judicatæ ad evacuandas vires privilegii allegasti, asserens quod felicis recordationis Alexander papa prædecessor noster, sicut per ipsius litte-

(25) Quæ his notis concluduntur, exciderunt in editione Huberti.

(26) Exstat in chartulario Ecclesiæ Meldensis. — Vide infra epist. 108.

ras ostendebas, super hoc contra monasterium sententiam promulgarat. Privilegia insuper Alexandri prædicti et bonæ memoriæ Honorii papæ prædecessorum nostrorum inducere procurasti; in quibus expresse dignoscitur esse statutum ut Meldensi episcopo a Resbacensi abbate canonica obedientia persolvatur. Abbas vero monasterii supradicti proposuit ex adverso quod idem monasterium non solum auctoritate privilegii prætaxati plena debet libertate gaudere, verum etiam alia ratione, quia videlicet sanctus Pharo, Meldensis episcopus, liberalissimum ei duxerat privilegium indulgendum, sicut in ejusdem sancti legenda contineri manifeste dicebat; adjiciens idem abbas quia de sententia supradicta, quam tu pro parte tua duxeras allegandam, usque ad illum diem nullam unquam audierat mentionem; sed etsi sententia vera esset, tacite tamen per compositionem amicabilem subsequentem fuerat ab ipsa recessum. Talis enim, ut ipse dicebat, inter bonæ memoriæ B. Resbacensem abbatem et Stephanum episcopum Meldensem compositio intercessit, ut idem abbas ea conditione ipsi obedientiam faceret, ut reperto privilegio libertatis, quod præ manibus non habebat, idem abbas libertate gauderet, et ad exhibendam eidem episcopo obedientiam minime teneretur, quam compositionem et quædam alia, quæ proposuerat idem abbas, se asseruit probaturum. Die igitur Parisius assignato, testes abbatis supradicti, decanus et succentor, quia tertius judex interesse non potuit, receperunt, et apud Resbacum examinantes eosdem, quosdam alios senes et valetudinarios receperunt ibidem. Tandem cum tua pars ad majorem fidem super Alexandri sententia faciendam litteras quorumdam cardinalium et aliorum judicibus præsentasset, pars abbatis objecit quod cum semestre tempus in nostris esset litteris comprehensum, infra quod probandi quod voluisti habueras facultatem, post tempus illud elapsum munimenta pro parte tua vel probationes alias non poteras exhibere, sed cum ibi non esset aditus probandi præclusus, juramentum recipi postulabat, quod capitulum Resbacense sub animarum suarum periculo præstari mandabat, videlicet quod nunquam amplius sententiam viderant quam tu duxeras exhibendam. Judicibus autem nolentibus dirimere quæstionem, causam ipsam instructam cum procuratoribus partium ad nostram præsentiam transmiserunt; quibus postmodum dilectum filium nostrum Joannem Sanctæ Mariæ in vita lata diaconum cardinalem dedimus auditorem. Qui cum hæc et alia proposuissent plenius coram eo, et idem cardinalis quæ audierat nobis fideliter retulisset, nos utriusque partis rationibus diligenter inspectis, quia tuas efficaciores esse cognovimus rationes, subjectionem tibi adjudicavimus monasterii memorati, ut ibidem liberam habeas tanquam diœcesanus episcopus potestatem; ita tamen ut per hoc nullum apostolicæ sedi præjudicium generetur quo minus legitimo tempore, si voluerit, suam justitiam prose-

A quatur. Nimirum si præfati Innocentii privilegium Alexandro fuit in judicio præsentatum, et ipse tulit sententiam contra illud, ipsum intelligitur reprobasse. Si vero non fuit exhibitum coram eo, prætextu privilegii de novo reperti prædicta non debet sententia retractari.

Datum Viterbii, XVII Kal. Julii, anno decimo.

*In chartulario Ecclesiæ Meldensis exstat præterea epistola Innocentii ad episcopum, decanum, et cancellarium Parisiens. pro exsecutione superioris sententiæ, verborum e verbo descripta ex ea quæ data est ad Episcopum Meldensem, mutatis mutandis. In fine vero istius hæc adduntur.* Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod a nobis est sententialiter diffinitum faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, contradicto- B res, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes iis exsequendis potueritis interesse, tu ea, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris.

Datum *ut alia. Ista vero commissio exstat ex parte in cap.* Suborta, *De sentent. et re judic.*

## XCVII.

PRIORI ET CONVENTUI MONASTERII SANCTI SALVATORIS ET SANCTÆ ROTRUDIS, QUOD IN TERVANENSI EST PAROCHIA CONSTITUTUM.

*De electione abbatis.*

(Viterbii, v Non. Julii.)

Cum per privilegium felicis recordationis Alexan- C dri papæ prædecessoris nostris, quod nobis præsentatum inspeximus, vestro monasterio sit concessum ut, obeunte ipsius abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel eorum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti Regulam duxerint eligendum, auctoritate præsentium districtius inhibemus ne quis super eadem concessione temere vos impetere vel molestare præsumat; sed liceat vobis et successoribus vestris secundum ipsam nunc et amodo, cum Ecclesiam vestram abbate vacare contigeri, personam idoneam de gremio vestro vel aliunde per regularem electionem vobis præficere in pastorem, Karrofiensi monasterio humiliter præsentandum, ut ab ipso confirmationem accipiat, D et reverentiam ei, quam debet, impendat. Nulli ergo... nostræ inhibitionis et concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, v Non. Julii anno decimo.

## CXXVIII.

WIBERTO PRESBYTERO.

*Et confirmatur institutio canonicatus et præbendæ Sanctæ Sophiæ per legatum sibi facta.*

(Apud Montemflasconem, IV Kal. Augusti.)

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum igitur dilectus filius noster B. tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, te in Ecclesia Sanctæ Sophiæ canonicum instituerit, nos tuis precibus inclinati, institutionem ipsam, sicut

canonice facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum apud Montemflasconem, IV Kal. Augusti, anno decimo.

XCIX.

EIDEM.

*Concessio præpositurœ Sanctæ Anastasis per legatum sibi facta confirmatur.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* perducatur effectum. Cum igitur dilectus filius noster P. tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, præposituram ecclesiæ Sanctæ Anastasis tibi duxerit concedendam, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonice facta est, ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

C.

ARCHIEPISCOPO S. R. E. CARDINALI, ET... ARCHIDIACONO MEDIOLANENSI.

*Ut... presbytero ad suam ecclesiam S. Michaelis Vercellensis licentiam tribuant redeundi.*

(Apud Montemflasconem, IV Non. Augusti.)

Venerabilis frater noster... Yporiensis episcopus suis nobis litteris intimavit quod cum olim, antequam consecratus fuerit in Yporiensem episcopum, pennas ad volandum in solitudinem assumpsisset, sacerdos quidam, tunc Ecclesiam Sancti Michaelis Vercellensis regebat, secum in eremo desiderans habitare, ad eum cum litteris venerabilis fratris nostri... episcopi Vercellensis accessit, obsecrans humiliter et devote ut eum pro serviente ac famulo ad habitum secum suscipere dignaretur. Cujus supplicationibus inclinatus, ac inductus precibus memorati episcopi Vercellensis, ejus in hac parte desiderio satisfecit. Accidit autem ut dum idem presbyter facere quamdam cappam disponeret, alii qui in eodem loco fuerant congregati, ei ut cucullam faceret suaserunt, asserentes quod ad altaris officium esset habilior et expeditior ad scribendum, necnon aptior ad laborem et ad cætera quæ ipsum facere oporteret. Quorum suasionibus acquiescens, cucullam fieri sibi permisit; quam cum idem episcopus vellet secundum consuetudinem benedicere, respondit presbyter memoratus: *Monachus nolo fieri, nec cucullæ nomine cucullam suscipio: nulli voto, nulli ordini, nulli professioni me adhuc alligare intendo. Si manebitis hic, vobiscum ero. Alias in solitudine non manebo.* Post modicum vero tempus, cum idem episcopus de mandato sedis apostolicæ ad reginem Yporiensis Ecclesiæ rediisset, præfatus presbyter, cum proposito, ut dicebat, non redeundi ad eremum, secutus est eum, dicens: *Amodo in solitudine non teneor remanere; quia cessante causa, cessare debet effectus. Propter vos accessi ad eremum. Vobis discedentibus, amplius non manebo.* Quem cum idem episcopus monere diligentius et inducere procurasset ut vel in solitudine, ad quam venerat, vel si mallet, secum familiariter habitaret, ipse multum hæsitans et vacillans, ad solitudinem rediit; in qua cum aliquandiu permansisset, vicini Ecclesiæ supradictæ, cui antea præsidebat, quos velut pastor providus verbo nutrierat exemplo, totis affectibus suum sibi restituit postulavere rectorem. Unde factum est ut ad eamdem rediens civitatem, et ibi moram faciens cum præfato episcopo Vercellensi, ad regimen dictæ Ecclesiæ regredi non præsumit absque licentia sedis apostolicæ speciali. Nos igitur honestis desideriis vicinorum volentes condescendere, ac utilitati ejusdem Ecclesiæ, quæ sub ipsius regimine tam in spiritualibus quam temporalibus valde dicitur profecisse, paterna cupientes sollicitudine providere, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus, si præmissis veritas suffragatur, eidem presbytero auctoritate nostra licentiam tribuatis ad eamdem Ecclesiam redeundi, ut per ejus industriam et conversationem honestam, auctore Domino, temporaliter ac spiritualiter suscipere valeat incrementum. Quod si non ambo... tu, frater archiepiscope, etc.

Datum apud Montemflasconem, IV Non. Augusti, anno decimo.

CI.

POTESTATI ET POPULO FLORENTINO.

*Suadetur ut monitis sedis apostolicæ et legati ejusdem acquiescant.*

(Apud Montemflasconem, II Non. Augusti.)

Ex apostolicæ servitutis officio, quo sumus sapientibus et insipientibus debitores, et ex gratia speciali quam ad civitatem vestram habemus, indemnitatibus vestris tam in spiritualibus quam temporalibus paterna sollicitudine præcavere volentes, per litteras nostras et dilecti filii G. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconi cardinalis universitatem vestram diligentius commonere curavimus ut non ex victoria exaltati, sed potius propter Deum et commonitiones nostras, ad pacis tractatum quem, antea quam fuissetis congressi, mediante nuntio nostro cum Senensibus habuistis, redirectis humiliter et devote. Vos autem, suggerente eo qui in filios superbiæ dominatur, cui est sollicitudo continua pacis profectibus obviare, nec ad Deum nec ad nos debitum habentes respectum, commonitiones nostras et cardinalis prædicti, quod dolentes dicimus, pertransistis hactenus aure surda, non attendentes quod Mediator Dei et hominum Homo Christus, Jesus, ut hominem (qui ex suggestione diabolica in tantam se superbiam contra Deum exaltarat, quod Deitatis nomen sibi nisus fuerit usurpare juxta suggestionem invisoris pacis: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* III) reconciliaret Patri, non dubitavit manibus tradi nocentum, et in ara crucis, quasi esca sacri corporis sui,

præfatum apostatam inimicum pacis in oculis suis A cupiens pretiosum sanguinem suum fudit, offerens se Patri hostiam immaculatam in redemptionem animarum nostrarum. Convertimini igitur, filii charissimi, convertimini, non obturantes aures vestras a voce clamoris vicarii ejus dantes gloriam Deo, et apostolicæ sedi devotionem vestram humiliter exhibentes; ne si secus, quod obsit egeritis, et non recipientibus verbum pacis recesserit a vobis cardinalis prædictus, in testimonium super vos pulverem pedum suorum excutiat, et sequatur quod consequenter in Evangelio legitur: *Tolerabilius erit Sodomæ et Gomorrhæ quam illi civitati* (*Matth.* x). Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, obsecranter per apersionem sanguinis Jesu Christi et adventum ejus, in B remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus humiliemini sub potenti manu Domini, qui superbis resistit et humilibus gratiam elargitur, et secundum quod vobis per alia scripta mandavimus, monitis et consiliis nostris acquiescatis omnino, quia tunc victores vos verius cognoscetis, cum carnalibus motibus resistentes, in victoria cesseritis soli Deo. cum melior sit sapiens viro forti, et qui dominatur animo, expugnatore urbium.

Datum apud Montemflasconem, II Non. Augusti, anno decimo.

CII.

ABBATISSÆ ET CONVENTUI SANCTI CIRIACI IN GERONDOD.

*Absolvuntur a solutione census unius marcæ argenti.* C

(Apud Montemflasconem, IV Non. Augusti.)

Nostro apostolatui est compertum quod inclytæ recordationis Otto imperator per privilegium suum confirmavit monasterio Sancti Ciriaci de Urbe annuum censum unius marcæ argenti a monasterio vestro solvendum. Constitit præterea nobis per litteras Frederici imperatoris ab eo pro viginti annis censum ipsum solutum fuisse monasterio memorato, Nos autem, ut Ecclesia vestra in sua maneat libertate, paterna volentes sollicitudine providere, consentientibus nuntiis vestris marcam unam censui nostro duximus adaugendam, vos a solutione ipsius census dicto monasterio faciendo penitus absolventes, quia nos dicto monasterio satisfieri faciemus.

Datum apud Montemflasconem, IV Non. Augusti, D anno decimo.

CIII.

R. CASINENSI ABBATI.

*Dicit se nolle respondere litteris ejus*

(Viterbii, v Id. Augusti.)

Recepimus litteras tuas, et quæ continebantur in eis notavimus diligenter. Iis autem super quibus nos consulere voluisti non duximus respondendum, cum consultatio ipsa quæstionem contineat Ecclesiæ Casinensis, quæ inter te ac homines tuos sub examine judiciali dignoscitur agitari. Unde per judices ipsos honestius nobis potuisset exponi.

Datum Viterbii, v Idus Augusti, anno decimo.

CIV.

CONSULIBUS ET POPULO VITERBIENSI.

*Ut Malfitanam puellam super legitimitate sua non permittant ab aliquo molestari.*

(Apud Montemflasconem, III Non. Augusti.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod cum Thol. filius quondam Girardi Manituti, Malfitanam mulierem carnaliter cognovisset, ex ea tandem filia procreata, ipsam duxit postmodum in uxorem. Verum quia puellam ipsam quidam non ese legitimam asseverant, idem T. nobis humiliter supplicavit ut eidem puellæ paterna super hoc dignaremur sollicitudine providere. Cum igitur secundum canonicas sanctiones favore subsequentis matrimonii proles de naturali prius suscepta concubitu, legitima debeat reputari, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, prædictam puellam super legitimitate sua non permittatis ab aliquibus molestari.

Datum apud Montemflasconem, III Non. Augusti, anno decimo.

CV.

CONSULIBUS VITERBIENSIBUS.

(Viterbii. II Id. Augusti.)

Cum res Paterinorum decreverimus publicari, ne quis in fraudem, occasione depositi, eas detinere contendat, præsentium vobis auctoritate concedimus ut apud quoscunque, sive in Viterbio, sive in ejus districtu, res hujusmodi reperitis, liceat vobis illas accipere, ipsarumque rerum detentores, prout expedierit, arbitraria pœna punire. Quod ut liberius exsequi valeatis, firmiter inhibemus ne hujus executionis obtentu futuri consules vos præsumant ausu temerario molestare. Nulli ergo... nostræ concessionis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, II Idus Augusti, anno decimo.

[CVI·

ADELL. ABBATISSÆ SANCTÆ DEI GENITRICIS SEMPERQUE VIRGINIS MARIÆ ET SANCTI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS, SANCTIQUE MARTYRI CIRIACI IN GERONDOD, EJUSQUE SORORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS.

*Confirmantur eis libertates et immunitates, et conceduntur eis nonulla privilegia.*

(Viterbii, v Id. Augusti.)

Pudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis, accensis lampadibus, per opera sanctitatis jugiter se præparant obviam Sponso venire, sedes apostolica debet patrocinium impertiri; ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur (quod absit!) sacræ religionis infringat. Ea-propter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium in Gerondod, quod in fundo beati Petri, quem bonæ memoriæ G. marchio cum tota proprietate sua Ecclesiæ Romanæ obtulit intuitu pietatis, noscitur esse constructum, in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad exemplar felicis recordationis Joannis et Leonis prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum cum clericis ministerialibus

et omnibus ad idem monasterium pertinentibus sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui in eodem monasterio secundum Deum institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones et quæcunque bona idem monasterium in præsenti juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Forensem ecclesiam, cum capellis. Monasterium in Frose, cum ipsa villa et duabus parochiis positis in eadem. Aslevensem majorem et minorum, cum capella et duabus parochiis. Egelensem cum capella abbatissæ et tribus aliis ecclesiis. Waledalen. cum capella abbatissæ et parochia. Padeburnen. cum duabus ecclesiis. Hetteborn. cum parochia. Quatuor villas quæ nominantur Polege, cum ecclesia. Nacterstede, cum ecclesia. Jezere cum ecclesia. Strenze, cum ecclesia. Drogebulen, cum ecclesia Bernezingerot. Ethelbelingerot cum ecclesia. Behem, Wellebeke, Genezendorop, Bateberge, Benendorp, Analaborc, Hachebornen viginti quinque mansos, in Henrikestorp viginti septem mansos, in Plezege septem mensos, Alkendorp duodecim mansos, in occidentali Hegelen triginta mansos, in Grovingen triginta tres mansos, in Blekentorp triginta septem mansos cum parochia, in Ammendorp tres mansos, in Hergetstede et in Werstherhusen sedecim mansos, in Remestorp decem et septem mansos et demidium, cum foro, et viginti curtes pertinentes ac forum cum ecclesia, in Wallentborp quatuor mansos, in Mulendorp sex mansos, in Cumelez decem mansos, in Nientorp sex mansos, in Asmerleve viginti duos mansos, cum ecclesia; in Zorchewist octo mansos, in Storniz viginti duos mansos, in Drosege tredecim mansos, in Chocstede duos mansos, in Sinselve duos mansos, in Wederstede dimidium mansum, in Winnige duos mansos, in Wicsedherothe novem mansos, in Hachemerslephe decem et octo mansos, in Gaterslephe tres mansos, in Welpeslephe tres mansos, in Wedestorp unum mansum, in Daldorp sex mansos, in Remstede unum mansum, in Wipere unum mansum, in Avensleve dues mansos, in Rodolvesbure duos mansos, in Sulthen duos mansos, in Retmersleve viginti mansos, in Menstede duos mansos, in Scolene unum mansum, in Burgewiz duos mansos, in Leveze duos mansos, in Lere unum mansum, in Thederzengeroth unum mansum, in Wendelmeresbroche duos mansos, in Mandorp unum mansum, in Cephen duos mansos, in Abberoth unum mansum. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, sive de hortis et

A virgultis, et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Ad hæc, novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis et aliis Ecclesiarum prælatis in eadem Ecclesia fieri prohibemus. Prædictorum autem prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, prohibemus omnem cujuslibet Ecclesiæ sacerdotem, præter apostolicam sedem, habere aliquam in vestro monasterio ditionem. Præterea beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate inhibemus ut nullus rex, dux, marchio, comes, vel alia sæcularis persona licentiam habeat ipsum monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto juxta id quod subjectum apostolicæ sedi privilegii firmitate consistit, inconcusse ditatum permaneat, et locis ac rebus, tam iis
B quas moderno tempore habet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit adaugere ex donis, oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius personæ contradictione firmitate perpetua perfruantur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum aliqua quæ tibi successerit, nulla ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel earum pars consilii sanioris, secundum Dei et timorem et canonicas sanctiones providerent eligendam. Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas et hactenus observatas, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Ad hæc, auctoritate
C apostolica prohibemus ut nullus publicus judex vel quilibet ex judiciaria potestate in loca præfati monasterii ad causas audiendas ingredi audeat, vel freda seu tributa et conjectus aliquos, exigendos, aut mansiones vel paratas faciendas, fidejussores tollendos, homines ipsius Ecclesiæ constringendos, teloneum vel palafredos ab ipsius hominibus requirendos, eosdem homines sive litos vel liberos ad mallum convocandi, vel exercendi aliquam potestatem, nisi advocatus quem abbatissa ejusdem loci communi consensu sororum suarum adhoc duxerit eligendum. Ad indicium autem perceptæ hujus a sede apostolica libertatis duas marcas et dimidiam puri argenti nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum
D liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnis integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva apostolicæ sedis auctoritate et diœcesanorum episcoporum canonica justitia in Ecclesiis non exemptis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, etc., *usque* districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, etc., *usque in finem*. Amen.

Datum Vinerbii, per manum Joannis Sanctæ Mariæ,

in Cosmidin diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cancellarii, v Idus Augusti, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno decimo.

## CVII.

ABBATI MALLEONENSI.

*Mandatur ut A. de Scobol ad primam cogat redire uxorem*

(Viterbii, XIV Kal. Septembris.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod cum A. de Scobol. mulierem duxerit in uxorem, et cum ea fuerit diutius commoratus, ipsam carnaliter non cognovit. Unde bonæ memoriæ W. Pictavensis episcopus, cum ei de frigiditate viri tam per ipsius quam mulieris confessionem plenius constitisset, inter eos divortium celebravit. Verum postmodum alii nupsit mulier supradicta, et præfatus A. duxit aliam in uxorem, quam carnali commistione cognovit. Unde quæsisti per sedem apostolicam explicari utrum dictus vir debeat ad primam redire, vel manere potius cum secunda. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod cum ex post facto appareat fuisse præfatum episcopum circumventum, dictus A. ut ad primam redeat est cogendus.

Datum Viterbii, XIV Kal. Septembris, anno decimo.

## CVIII.

ABBATI ET MONACHIS RESBACENSIBUS (27).

*Confirmatur privilegia eorum et omnes libertates et immunitates.*

(Viterbii, XVII Kal. Septembris.)

Licet monasterium vestrum per privilegium felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri plenæ videretur libertatis prærogativa gaudere, emergente tamen postmodum inter memoriæ Meldensem episcopum et monasterium ipsum super ejusdem subjectione scrupulo quæstionis, beatæ memoriæ Alexander papa prædecessor noster, ad cujus præsentiam eadem fuerat causa delata, ipsius causæ meritis intellectis, jus episcopale in monasterio vestro Meldensi adjudicavit episcopo. Postea quoque quæstionis ejusdem coram nobis materia suscitata, causam ipsam per dilectos filios Suessionensem decanum, H, cantorem Remensem, et succentorem Silvanectensem examinari fecimus diligenter, Qui cum eamdem causam ad nos remisissent sufficienter instructam, nos utriusque partis rationibus intellectis, quia cognovimus efficaciores Meldensis episcopi rationes, subjectionem eidem monasterii vestri adjudicare curavimus, ut liberam ibidem tanquam diœcesanus episcopus habeat potestatem: ita tamen ut per hoc nullum apostolicæ sedi præjudicium generetur quo minus legitimo tempore, si voluerit, suam justitiam prosequatur. Verum quia possessiones et alia bona monasterii memorati per illud privilegium Innocentii eidem sunt monasterio confirmata, nos ipsius prædeces-

A soris nostri vestigiis inhærentes, vobis et per vos ea monasterio vestro sicut eadem juste ac pacifice possidetis, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, in quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda: Burgum videlicet ipsius monasterii, quod Resbacus dicitur, cum omnibus suis appendiciis, cum ecclesiis et decimis, cum servis et ancillis, cum pratis aut pascuis, cum aqua quæ dicitur Mucra, seu omni piscatione, insulis quoque ac molendinis, necnon et piscatoriis, cum pontibus etiam cunctisque ipsius aquæ transitoriis, et cum omnibus sibi adjacentibus cultis et incultis. Villam Orlei et villam Montbotr. cum earumdem villarum ecclesiis, decimis, servis et ancillis, pratis et pascuis, et cum omnibus eisdem B adjacentibus cultis et incultis. Villam quæ Ultiacus dicitur, et villam quæ Septemsortes dicitur, cum earumdem villarum ecclesiis, decimis servis et ancillis cum pratis et pascuis, ei earum appendiciis cultis et incultis. Portum de Fai dimidium. Villam quæ Brigein dicitur, cum matre ecclesia et decimis ad eam pertinentibus, cum servis et ancillis, cum pratis et pascuis, et aliis circumadjacentibus tam cultis quam incultis. Villam quæ dicitur Montinicus, cum ecclesia et decima et sibi circumadjacentibus, pratis, pascuis, terris cultis et incultis. Villam quæ dicitur Capella super Mucram, et villam quæ dicitur Curmajot super eamdem ripam, et villam quæ dicitur Malerei super eamdem ripam, et villam quæ dicitur Teretum super eamdem ripam, cum earumdem villarum ecclesiis, decimis, servis et C ancillis, molendinis, piscationibus, pratris, pascuis et omnibus appendiciis cultis et incultis. Villam quæ dicitur Campuscoellus, cum ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, et omnibus appendiciis cultis et incultis. Villam quæ appellatur Nemus Sancti Petri dimidiam, cum suis appendicis cultis et incultis. Villam quæ dicitur Meri cum ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, piscationibus, et omnibus suis appendicis cultis et incultis Insulam quæ dicitur Belluslocus, cum ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascvis, piscationibus, et omnibus suis appendiciis cultis et incultis Villam quæ Herbitia dicitur, cum ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, et sibi adjacentibus cultis et incuhis. Villam quæ dicitur Agili mansio D cum ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, et sibi adjacentibus cultis et incultis. Decimam villæ quœ dicitur Semonnia, cum terra, appendente cum servis et ancillis. terram et dicimam villæ quæ dicitur Sancti Lupi, cum servis et ancillis. Villam quæ dicitur Luqueius super ripam Materni fluminis, cum servis, ancillis, pratris, pascuis, et suis appendiciis cultis et incultis. Super eamdem ripam, possessionem quæ dicitur Porterum, et alteram quæ dicitur Vernolium, et tertiam quæ Capella vocatur cum servis, ancillis, pratis, pascuis, et aliis appen-

(27) Vide supra epist. 96.

diciis cultis et incultis. Circa castrum quod appellatur Brejas, villam quæ dicitur Brucecium, cum ecclesia, decima, servis, ancillis, pratis, pascuis, et aliis appendiciis cultis et incultis. Apud alterum Bruccium, terrasticum et censum, cum servis et ancillis. Juxta castrum quod dicitur Mons-mirellus, villam quæ dicitur Marcungia, cum servis et ancillis, pratis, pascuis, et aliis appendiciis cultis et incultis. Prohibemus insuper ne prædictæ occasione sententiæ a nobis latæ Meldensis episcopus vos vel monasterium vestrum indebite aggravet vel molestet; quia privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii, XVII Kal. Septembris anno decimo.

CIX.

UNIVERSIS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS PER SAXONIAM CONSTITUTIS.

*De privilegiis monasterii in Gerondod.*

(Viterbii, VIII Kal. Septembris.)

Cum ex injuncto nobis servitutis officio in jure suo providere universis Ecclesiis teneamur, ad ecclesiam Sancti Ciriaci in Gerondod debitum habentes respectum, ipsius quieti et paci paterna duximus sollicitudine specialitur providendum. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si venerabilis frater noster: episcopus Halverstadeensis, in cujus diœcesi ecclesia ipsa consistit, chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et cætera ecclesiastica sacramenta a dilectis in Christo filiis abbatissa et sororibus ipsius ecclesiæ requisitus recusaverit exhibere, cum monasterium illud ad Romanam Ecclesiam nullo pertineat mediante, vos auctoritate nostra eisdem gratis et sine pravitate qualibet impendatis. Præterea volumus et mandamus ut si quando de malefactoribus suis parochianis vestris ad vos duxerint querimoniam deferendam, vos eis plenam de ipsis justitiam sublato appellationis obstaculo faciatis.

Datum Viterbii, VIII Kal. Septemb. anno decimo.

CX.

CÆSARAUGUSTANO EPISCOPO.

*Declaratur quid per novalis vocabulum intelligatur.*

(Viterbii, XI Kal. Septembris.)

(28) Quid per novalis vocabulum intelligi debeat a nobis tua fraternitas requisivit. Licet autem quidam dixerint quod novale sit terra præcisa quæ anno cessat, aliis asserentibus quod ex silva quæ ex arboribus exstirpatis ad cultum redigitur, quarum utraque interpretatio colligitur ex civilibus legibus nos tamen inquisitioni tuæ taliter respondemus quod eam credimus antecessorum nostrorum intentionem fuisse, cum piis locis indulgentiam de novalibus concesserunt, ut novale intellexerint agrum de novo redactum ad cultum, de quo non exstat memoria quod aliquando cultus fuisset. Sed nec de quolibet tali credimus eisdem indulgentium fore concessam, nisi de illo duntaxat cujus decimas religiosus conventus potest absque gravi detrimento parochialis ecclesiæ retinere, cum sæpe sit talis locus incultus de quo parochialis ecclesia magnos percipit decimarum ratione proventus.

Datum Viterbii, XI Kal. Septembris, anno decimo.

CXI.

ABBATI CISTERCIENSI ET PETRO DE CASTRONOVO APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*Ad quem pertineat dominum urbis Massiliensis.*

(Viterbii, XII Kal. Septembris.)

Significante venerabili fratre nostro Arelatensi archiepiscopo cum multis episcopis ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod cum cives Massilienses in fœdus pacis convenissent cum eis, gravis ex parte dilecti filii novis viri Hugonis de Baucio querimonia fuit proposita contra eos, videlicet quod B. quondam domino Massilæ, viam universæ carnis ingresso, eum civitas Massiliensis, ad nobilem mulierem B. filiam ejus, jure nosceretur hæreditario pertinere, cives ipsi Roncelinum fratrem dicti defuncti, monachum et subdiaconum, in abbatem electum, cum impetu populari de monasterio extrahentes, lacerato ipsius habitu, consentientem et volentem, in suum et dictæ civitatis dominum non sine magna divinæ majestatis offensa et gravi præfatæ nobilis præjudicio assumpserunt. Quamobrem dictus Hugo de Baucio, qui sæpefatam nobilem duxit legitime in uxorem, prolemque suscepit ex ea, cum nobili viro W. de Baucio principe Arausicensi, germano suo, memoratis episcopis et nobis humiliter supplicavit ut cum ipsi fideles existant ecclesiæ ac devoti, et ad promotionem pacis juxta mandatum nostrum intendant viriliter et potenter, eidem Hugoni super adipiscenda hæreditate uxoris suæ dignaretur Ecclesia subvenire. Cum igitur occurrere debeat sedes apostolica præsumptionibus malignorum et eorum excessus pastorali sollicitudine cohibere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus in dictos cives, ut memoratum Roncelinum excommunicatum, apostatam, et perjurum, a domino suo, quod contra proprium juramentum, in contemptum Dei et fidei Christianæ opprobrium detinet occupatum, prorsus amoveant, et supradictæ nobili hæreditatem restituant, ut tenentur, per excommunicationis et interdicti civi-

(28) Cap. *Quid per novalis*, De verb. signif Vide Reginonem lib. I, c. 44.

tatis et terræ ad ipsius dominium pertinentis sententias, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, sicut justum fuerit compellatis. Attentius provisuri ut sententias ipsas faciatis in monasterio Sancti Victoris, appellatione remota, inviolabiliter observari.

Datum Viterbii, XII Kal. Septembris, anno decimo.

CXII.

CUSENTINO ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPO MARTURANENSI.

*De protectione episcopi Militensis adversus comitem Amfusum.*

(Viterbii, VIII Kal. Septembris.)

Sedens iniquitas super talentum plumbi quosdam malitiæ perversitate gravatos tum miserabiliter in vitiorum ima depressit ut lætantes cum male fecerint, ac in rebus pessimis exultantes, ex quadam deliquendi consuetudine in tantæ prævaricationis devenere contemptum ut licet per multimodæ transgressionis excessus contra se non immerito provocent iram Dei, ad Ecclesias tamen et ecclesiasticos viros, in reprobum sensum dati, manus extendere non formidant, ipsorum bona præsumptuosis ausibus invadentes et dantes in direptionem et prædam. Credebamus sane quod vexatio dedisset intellectum auditui, et nobiles regni Siciliæ diutinæ tribulationis aculens docuisset per justitiæ semitam ambulare. Sed, quod dolentes dicimus, videntur eorum aliqui inter flagellorum malleos duruisse, dum eo minus ab illicitus abstinent quo potius persecutionis acerbitas invalescit. Sicut enim venerabilis frater noster P. Militensis episcopus graviter conquestus est coram nobis, nobilis vir comes Amfusus, Ecclesia Militensi vacante, turrim ipsius, in qua consueverant esse campanæ, fraudulenter invadens, comiti R. fratri suo assignavit eamdem: qui tam episcopum ipsum quam Ecclesiam suam intolerabili vexatione fatigans, domos episcopales et canonicorum etiam et clericorum Militensium occupavit, illas ad usum suum et suorum minus honeste quam deceat retinendo. Frumemtum insuper, vinum, hordeum, et alia bona tam episcopi quam ecclesiæ capiens, ipsa pro suæ voluntatis arbitrio dissipat et consumit, ac homines ejusdem Ecclesiæ indebitis angariis et variis gravaminibus non desinit molestare. Præterea canonicos et clericos Militenses sine causa rationabili sæpe capiens, quosdam bonis propriis spoliat, quosdam tandiu detinet carcerali custodiæ mancipatos donec ipsos ad intolerabilem fere redemptionem adducit. Dictus etiam comes R. cum quoddam castrum de novo construxerit, et homines Ecclesiæ nequiret inducere ut habitarent ibidem, casale de Karna ad eamdem Ecclesiam pertinens dissipavit, eosdem homines de locis propriis expellendo. Idem quoque comes Amfusus, dum turrim prædictam et ecclesiam occupavit, pecuniam, equitaturas, frumentum, vinum, hordeum et alia nonnulla violenter accepit, de quibus postmodum nullatenus satisfecit. Et in iis et multis aliis iidem comites usque adeo persequuntur memoratum episcopum et affligunt ut suam Ecclesiam deserere sit coactus. Cum igitur hæc et alia gravamina, quæ idem episcopus nobis exposuit, nolimus, quia non possumus, sub dissimulatione transire, fraternitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus quatenus inquisita super præmissis plenius et cognita veritate, prædictos comites moneatis attentius et efficaciter inducatis ut eidem episcopo tam domos episcopales, canonicorum, et clericorum turrim jamdictam, quam aliæ quæ abstulisse noscuntur, sine difficultate qualibet restituant, ut tenentur, et permittant pacifice possidere, de damnis et injuriis irrogatis satisfacientes competenter eidem. Alioquin, ipsos per totam Calabriam et Siciliam auctoritate nostra denuntietis excommunicationis vinculo innodatos, et totam terram eorum ecclesiastico suppositam interdicto, facientes tam excommunicationis quam interdicti sententiam, sublato appellationis obstaculo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus insuper et mandamus ut generaliter indicere studeatis ut ad quamcunque terram interim venerint iidem comites, divina officia eis præsentibus nullatemus celebrentur. Quod si non ambo... alter vestrum, etc.

Datum Viterbii, VIII Kal. Septembris, anne decimo.

CXIII.

LONDONIEN., HELIEN. ET WIGORNIEN. EPISCOPIS.

*De causa archiepiscopi Cantuariensis adversus regem Angliæ.*

(Datum, *ut in alia.*)

Illius testimonium invocamus qui testis est cœlo fidelis, quod char. in Christo fil. nostrum I. regem Anglorum illustrem, sincerissima semper charitate deleximus, et usque adeo erga ipsum exuberavit nostræ gratiæ plenitudo, ut plurimi principum in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non solum minus ferventes exstiterint, sed quidam facti sint etiam indevoti. Si quando enim in eum vel regnum suum fragor turbationis invaluit, sedes apostolica pia gestans viscera circa eum, potenter ipsum adjuvit et in multorum invidiam a multis angustiis relevavit. Verum, quod dolentes referimus, usque adeo gratiæ nostræ se reddit ingratum ut nequaquam videamur cum beneficis attraxisse, sed injuriis provocasse, cum nostris imo Dei dispositionibus se opponens, ea minus sano ductus consilio non formidet incipere quæ in ejus possunt grave periculum redundare. Quæ vero sint illa non credimus exprimenda, cum vobis sint magis nota quam nobis. Verum quamvis devotionem ipsius regis valde nobis necessarium reputemus, non minus tamen, sed forsitan longe amplius extimare potest et debet nostram sibi gratiam opportunam, quemadmodum evidentius, si bene recolit, jam percepit. Sed ipse immemor omnium, jurisdictionem nostram non solum impedire, verum etiam evacuare conatur; licet nos suam nunquam minuere, sed semper studueri-

mus defensare. Illudque potius deberet attendere quod principes illi qui libertatem Ecclesiasticam impugnando, indebito sibi super ecclesias conati sunt arripere potestatem, divino judicio pene penitus defecerunt; qui vero sanctam Ecclesiam in sua libertate fovendo, digno venerantnr honore, de bono semper in melius prosperantur. Cæterum ad quem finem ex incœpta possit persecutione venire nequaquam attendit. quia si finem prudenter attenderet, ab incœpto procul dubio declinaret, cum præter divinam offensam, nisi quantocius resipuerit, gravem sit incursurus jacturam; quia durum est ei contra stimulum calcitrare. Absit enim ut in tam iniquo proposito populus Anglicanus, qui vere Christianus existit et zelator fidei orthodoxæ, contra Regem cœlestem regem sequatur terrenum, corporalia spiritualibus præferendo, cum non solum clerici sed et laici tantæ discretionis et devotionis existant ut norint et velint distinguere inter illæ quæ reddenda sunt Cæsari et ea quæ reddenda sunt Deo. Cum igitur honori suo pariter et saluti vix credamus hoc tempore posse utilius provideri quam ut Cantuariensis Ecclesia talem pontificem habeat qui fama, scientia ut vita præclarus, ad ea quæ Dei sunt eum documentis provocare valeat et exemplis, ac tota sibi mentis affectione cohærens, sanum ei consilium circa spirituales et temporales utilitates impendat, quoniam hæc in venerabili fratre nostro S. Cantuariensi archiepiscopo, S. R. L. cardinali, novimus convenire (29), licet molestissimum nobis esset eum a nostro latere separare, ut qui quasi nobiscum hactenus universali præfuerat Ecclesiæ secundum vocationem de ipso factam Cantuariensi metropoli specialiter præferretur, quia tamen utilitati ejusdem regis suæque saluti disideramus consulere, ac ipsius profectibus intendimus providere, archiepiscopum ipsum a conventu Cantuariensis Ecclesiæ canonice postulatum pariter et electum nostris manibus consecravimus, et pallio de corpore beati Petri sumpto, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officii sibi dato, ad regimen Ecclesiæ sibi commissæ duximus destinandum. Quamvis igitur regem ipsum, ut in testimonio Dei loquamur, sincerissime diligamus, et ipsius honori desideremus deferre; quia tamen Deo magis quam hominibus deferre nos convenit, et in exsecutionem justitiæ non debet esse personarum acceptio vel delectus, fraternitatem vestram monemus attente et hortamur, per apostolica scripta districte præcipiendo mandantes quatenus diligentius attendentes quod juxta sententiam sapientis qui arguunt laudabuntur, et super eos veniet benedictio, induti virtute spiritus ex alto, et assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, regem ipsum pariter adeatis, eumque in spiritu libertatis reverenter ut regem hortemini, et diligenter ut filium inducatis, quatenus animabus salutem, quietem populis, honorem Deo et Ecclesiæ providens libertatem sanis consiliis acquiescat, et præfato archiepiscopo, quem, quidquid sinistra de ipso fuerit sibi detractione suggestum, fidelem ei novimus et devotum, dignam reverentiam et debitum honorem impendens, et cognoscens hoc factum non tam ab homine quam a Deo, dispositioni divinæ prompto favore consentiat, ut idem archiepiscopus sincera sibi devotione cohærens, circa gregem sibi commissum a Domino suum efficaciter valeat officium exercere. Alioqui, omni mundano timore postposito ac remoto cujuslibet contradictionis et appellationis obsticulo, per totam Angliam generalem interdicti sententiam proferatis, nullum ibi, præter parvulorum baptisma et pœnitentias morientium, ecclesiasticum permittentes officium celebrari; quam et vos plenius observetis, et faciatis ab omnibus per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Scituri pro certo quod si qui forsitan, quod non credimus, contumaci spiritu præsumpserint obviare, sic eorum curabimus præsumptionem corrigere quod terrore ad posteros derivato talis non transibit insolentia in exemplum, sed eorum correctio terrere poterit universos. Quod si nec sic vexatio ipsi regi dederit intellectum, quia pater filium quem diligit corripit, et Deus quos amat arguit et castigat, manus nostras in eum curabimus aggravare; ut sic demum medicinali manu sanatus, in gratiarum nobis actiones assurgat. Illos autem qui caput ejus aleo peccatoris impinguant, foventes ipsum in malo, tanquam adulatores despiciat, et velut corruptores expellat. Nos quoque, qui talium corruptelas non penitus ignoramus, pro meritis sibi curabimus auctore Domino respondere. Tales igitur in hujusmodi exsecutione mandati vos exhibere curetis quod Deum magis quam hominem conprobemini revereri; nec sitis ex illis qui canes muti sunt, non valentes latrare. Quod si non omnes. . . duo vestrum, etc.

Datum, *ut in alia*

CXIV.

JANUENSI ARCHIEPISCOPO.

*Committitur causa divortii adulterii commissi.*

(Viterbii, Kal. septembris.)

(50) Quemadmodum si vir mulieri jurasset, quando contraxit cum illa, quod eam semper pro legitima teneret uxore, ipse quidem pro fornicatione quam mulier antea commisisset non posset illam dimittere, sed pro fornicatione quam postea perpetraret eam dimittere posset, non obstante hujusmodi juramento quoniam in eo talis esset subintelligenda conditio, si videlicet illa in legem conjugii non peccaret: ita si quis juravit se ducturum aliquam in uxorem, ipse profecto non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem ei potest apponere, ut illam non ducat in conjugem; quoniam in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.

(29) Vide Matthæum Paris. ad an. 1207 et 1208.

(50) Cap. *Quemadmodum*, De jurejur.

Alioquin, si post hujusmodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem. quod est prorsus absurdum. Nam si post contractum conjugium vir propter fornicationem licite potest uxorem a sua cohabitatione dimittere, longe fortius ante conjugium celebratum propter eamdem causam sponsus licite potest in suam cohabitationem non admittere sponsam; quia turpius ejicitur quam non admittitur hospes, nonobstante in alterutro casu vinculo juramenti; quod quidem, propter subintelligendam conditionem, est tale ut is qui juravit, ad utrumque sine transgressione se possit habere. Quod si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos aut nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, nunquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profecto nuptam(31) non posset dimittere. Sed nunquid non ductam admittere teneretur, quamvis interdum contractum non dirimat quod impedit contrahendum. Illud autem juramentum est procul dubio temerarium, si vir juret uxori quod eam super nullo crimine accusabit, quia si mulier fieret infidelis et nollet cohabitare viro absque contumelia Creatoris, vel ut illum pertraheret ad infidelitatis errorem, vir incunctanter deberet illam impetere apud judicem suum, ut eam nisi penitus resipisceret, omnino dimitteret secundum canonicas sanctiones. Quod si expresse jurasset quod eam super adulterio non impeteret, essetne servandum hujusmodi juramentum, cum Scriptura testetur quod patronus est turpitudinis qui celat crimen uxoris? Et secundum regulam Evangelii, si primo et secundo correcta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesiæ, ut tanquam ethnica et publicana deinde vitaretur, neve per hoc libera præberetur ei peccandi facultas, propter impunitatem peccati. Sed nunquid vir ei non potest dimittere in ipsum peccanti non solum septies, sed etiam usque septuagies septies, secundum evangelicam veritatem? Tutius igitur in hoc casu videtur ut propter jurisjurandi religionem vir accusare desistat uxorem ad divortium celebrandum, quanquam eam denuntiare possit ad pœnitentiam peragendam. Pensato itaque hujus responsionis tenore, procedas in causa super qua nos consulere decrevisti.

Datum Viterbii, Kal. Septembris, anno decimo.

## CXV.

CAPITULO ECCLESIÆ RAVENNATENSIS.

*Ut provideant archiepiscopo suo quædam pontificalia indumenta.*

(Viterbii.)

Ad tantam, sicut dolentes accepimus, Ecclesia vestra necessitatem devenit ut præter alias incommoditates ipsius grandes et graves, pontificalia etiam ornamenta sint pignori obligata, ita quod venerabilis frater noster archiepiscopus vester non habet cum quibus congrue valeat pontificale officium celebrare. Nos igitur ipsius necessitati paterno compatientes affectu, ad ejus indigentiam ex abundantia nostra supplendam fieri jussimus pontificalia indumenta, videlicet tunicam, dalmaticam et planetam de optimo examito rubeo, grammatibus et aurifrigiis decenter ornata, et tam ipsa quam amictum, albam, stolam, cingulum et manipulum eidem archiepiscopo et per eum Ecclesia tribuimus Ravenneti, sub anathematis interminatione vetantes ne quisquam ea quomodolibet alienare præsumat, sed ad usum archiepiscopi, qui pro tempore fuerit, ex apostolica sedis statuto in jure Ecclesiæ Ravennatis semper consistant. Nulli ergo hanc paginam nostræ donationis, prohibitionis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii.

## CXVI.

ARCHIEPISCOPO RAVENNATENSI.

*De controversia inter Ecclesiam Ravennatem et commune Faventinum.*

(Viterbii, Kal. Septembris.)

(32) Licet causam quæ inter te ac Ecclesiam tuam ex una parte et dilectos filios commune Faventiæ ex altera vertebatur super jurisdictione, honore atque districtu in villa Lucii Sancti Petri et castro Arioli quæ ad tuam Ecclesiam dicebantur de jure spectare, sæpe diversis judicibus commiserimus, quia tamen per eorum aliquos non fuit utiliter in negotio ipso processum, partibus demum dedimus in mandatis ut pro ipsa causa nostro se conspectui præsentarent. Quarum procuratoribus cum instrumentis de rato in nostro postmodum præsentia constitutis, cum fuisset aliquandiu coram nobis super quibusdam exceptionibus disputatum, iconomus [*l.* œconomus] tandem Ecclesiæ tuæ proposuit in hunc modum, quod cum omnimoda jurisdictio, honor, atque districtus et alia quædam ad hæc spectantia in prædictis locis ad Ecclesiam pertineant memoratam et in ipsorum quasi possessione plenaria diu fuerit et quieta, commune Faventiæ ipsam super præmissis contra justitiam molestabat, homines prædictorum locorum cogendo in collectis sibi, exercitu, cavalcatis, laboreriis, bannis, et placitis, angariis et parangariis respondere, ac domicilia in civitate sibi constituere Faventina. Unde petebat idem Iconomus ut Faventinos ipsos ab hujusmodi perturbatione ac molestatione indebita faceremus auctoritate apostolica cohiberi. Ad cujus postulationem syndico communis Faventia respondente, ac interrogationibus et responsionibus redactis in scriptis, juramentum calumniæ fecimus utrinque præstari. Verum quia utrique parti erat plurimum onerosum ut testes produceret coram nobis, venerabili fratri nostro Placentino epicopo dedimus in præceptis ut infra tres menses post susceptionem litterarum nostrarum testes, appellatione remota, reciperet quos utraque pars tam super principali negotio quam in

(31) In tertia Collect. *ductam.*

(32) Cap. *Licet causam,* De probationibus.

personas testium duceret producendos, ita videlicet ut effrenata testium multitudine refrenata, hinc inde quadragenarium numerum testium excedere nullatenus pateretur; ac eosdem prudenter examinans, et inquirens de circumstantiis diligenter, attestationes ipsas nobis sub sigillo suo fideliter transmitteret consignatas; injungens partibus ut ad nostram venirent præsentiam sic instructæ; quatenus attestationibus publicatis, et instrumentis exhibitis, justam a nobis, auctore Domino, sententiam reportarent. Dictus autem episcopus testes juxta numerum in nostris litteris diffinitum ab utraque parte recepit. Sicque postmodum utriusque partis procuratores cum attestationibus consignatis ad nostram præsentiam redierunt. Porro attestationibus solemniter publicatis, syndicus Faventicorum proposuit se velle in personas testium ex parte altera productorum quædam objicere ac probare, iconomo Ecclesiæ asserente id fieri non debere. Super quo cum fuisset hinc inde aliquandiu altercatum, tandem interloquendo decrevimus ipsum super hoc nullatenus audiendum, cum infra trium mensium spatium in nostris litteris comprehensum hujusmodi testes producere non curavit, infra quod tantum pars utraque testes inducere potuit tam in personas testium quam super negotio principali. Post hæc siquidem idem syndicus objecit in testes prædictos quod corrupti falsa dixissent, et ad querelam falsi probandam concedi sibi petiit facultatem. Unde quia talis exceptio non solum ante sed etiam post sententiam potest opponi secundum legitimas sanctiones, C licet nonnulli crederent Faventinorum partem exceptionem hujusmodi per excogitatam malitiam ad impediendum processum negotii objecisse, quia tamen nolumus a juris tramite declinare, dilectis filiis magistris C et G. Bononiæ commorantibus per scripta nostra præcepimus ut, partibus convocatis, teste quos super hoc exceptione procurator Faventinorum duceret producendos, infra mensem recipere ac examinare curarent, de singulis circumstantiis subtiliter inquirentes et depositiones eorum fideliter redigentes in scriptis; indulto extunc altero mense procuratori Ecclesiæ supradictæ, infra quem, si vellet, ad reprobationem illorum testium testes produceret coram eis; et eorum dicta fideliter conscribentes, viginti dierum terminum utrique parti præfigerent, infra quem cum attestationibus ipsis D nostro se conspectui præsentarent, sententiam recepturæ. Partibus itaque comparentibus iterum coram nobis, et hujusmodi attestationibus publicatis audivimus quæcunque proponere voluerunt. Quanquam autem pars Faventinorum testes multos produxerit super negotio principali ad probandum quod homines prædictorum locorum a longis retro temporibus exhibuerunt eis servitia in bannis et placitis fossatis, collectis, et cavalcatis, et quibusdam aliis pertinentibus ad districtum, vix tamen ex illis sex tantummodo remanserunt, cum alii multi sibimet in serie sui testimonii contradicant, et quidam alii sint

A in dicto sui testimonii singulares. Ad reprobandum vero quosdam testium Ecclesiæ tuæ, etsi ex parte Faventinorum quidam sint testes inducti, plures ipsorum potius reprobantur, quia sibi invicem evidentissime contradicunt. Quidam vero alii, pauci numero, quamvis non reprobentur expresse, usque adeo tamen malæ famæ sunt et levis opinionis, sicut per attestationes exhibitas est probatum, quod eorum dictis nulla vel modica fides est exhibenda. Iidem quoque testes Faventorum generaliter repelluntur, quia non probant illud ad quod syndicus eorumdem se probaturum astrinxit, videlicet quod corrupti falsa dixissent; quoniam etsi de corruptione videantur aliquid dicere de falsitate tamen penitus nihil dicunt. Per multos autem testes ecclesiæ tuæ B omni exceptione majores probatum est manifeste ecclesiam tuam villam Lucii, Sancti Petri et castrum Arioli longissime tempore possedisse cum omni honore, districtu, jurisdictione, nominatim expressis universis articulis exprimentibus jurisdictionem, honorem atque districtum. Ex præmissis igitur satis evidenter apparet quod ecclesia tua per testes numero plures, quibus potius lux veritatis assistit, qui etiam aptiora negotio et vero proximiora in suis testimoniis expresserunt, sufficienter ostendit quod a sexaginta annis citra cum omni jurisdictione, honore, atque districtu loca supradicta possedit. Per quod patet quod etsi commune Faventiæ a quinquaginta annis citra, sicut eorum videntur testes deponere, aliqua servitis in locis perceperint supradictis, illa procul dubio sine justo titulo percipere incœperunt, cum duo insimul eamdem rem et eodem modo in solidum possidere non possint, maxime cum iidem Faventini justum possessionis titulum non ostendant, et ex privilegiis imperatorum et Romanorum pontificum Ecclesiæ tuæ concessis evidentissime colligatur possesionem ipsius Ecclesiæ in prædictis locis justam fuisse. Cum ergo constet Faventinos ab eo tempore quo se possedisse probare contendunt, minus juste ac sine titulo, aliqua in prædictis locis temeritate propria occupasse ac processu temporis per violentiam extorsisse, sicut per multos testes Ecclesiæ, tuæ manifeste probatur, et iconomus ejusdem Ecclesiæ petierit coram nobis a vi turbativa seu inquietativa super præmissis commune Faventiæ prohiberi, nos cognoscentes in hoc casu non sic esse locum interdicto *Uti possidetis*, ut dicere debeamus, *Uti possidetis, ita possideatis*, cum probationes Ecclesiæ longe sint potiores, et ideo sit in interdicto superior, de fratrum nostrorum consilio commune Faventiæ condemnamus, eidem super jurisdictione, honore atque districtu, et aliis ad hæc generaliter pertinentibus in locis prædictis, quoad possessorium judicium, quo tantummodo actum est, perpetuum silentium imponentes, et prohibentes eidem ut neque per se neque per alios super iis præsumat te, Ecclesiam tuam, aut habitatores prædictorum locorum aliquatenus molestare. Nulli ergo:

nostræ diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, Kal. Septembris, anno decimo.

CXVII.

POTESTATI ET POPULO PISANO.

*Respondetur eis super certis quæstionibus.*

(Viterbii, IV Id. Septembris).

Accedentes ad apostolicam sedem dilectos filios nobiles viros Gottitredum vicecomitem, Opizum, Cortevecele et Ugonem de Grotta, nuntios vestros viros providos et fideles, illa quia decuit benignitate recepimus, et ea quæ nobis prudenter ex parte vestra proponere curaverunt, nos quoque curavimus intelligere diligenter, grates Altissimo referentes quod progenitorum vestrorum inhærentes vestigiis, a devotione sacre-sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ non intenditis deviare. Satisfactionem vero quam nobis tam super facto Sardiniæ quam super facto Siciliæ iidem nuntii obtulerunt, et si non fuerit omnino perfecta, pro tempore tamen duximus acceptandam, cum speremus quod beneplacito nostro pro eos plenius intellecto perfectiorem nobis exbibere velitis, ita ut gratia nostra circa vos nec minui debeat nec turbari. Verum quia tunc coram nobis de archiepiscopatus vestri negotio agebatur, volentes non solum a malo sed etiam ab omni specie mali secundum Apostolum abstinere, nullam ab eis super hujusmodi satisfactione voluimus recipere cautionem, quam et ipsi non de mandato vestro, sed de suo arbitrio promittere se dicebant. Eam vero per nostras vobis litteras intimamus; ut et vos liberalitatis nostræ gratiam acceptantes, tanto plenius nobis satisfacere procuretis quanto propensius a nobis intenditis exaudiri, satagentes super hoc nobis vestrum infra mensem beneplacitum explicare, ut ex eo certius instruamur qualiter circa vos procedere debeamus. Tenor autem oblatæ satisfactionis est talis :

« Nobiles viri Gottefredus viceoomes, Opizus Cortevecele et Ugo de Grotta, nuntii seu messatici Pisanæ civitatis, promittunt domino papæ sub pœna quingentarum librarum Pisanæ monetæ quod ipsi ita efficient cum potestate Pisana quod ipsa Pisana potestas præcipiet per nuntium vel litteras suas Lamberto civi Pisano, ut veniat ad apostolicam sedem per se vel responsalem idoneum, et se absolute committet mandatis domini papæ super eo quod judicatum Gallurense sine licentia sumni pontificis accepit et tenet, et... dominam Gallurensem in uxorem accepit, et super damnis, injuriis et expensis quæ Transmundus domini papæ consobrinus propter hoc negotium eet perpessus, vel super præmissis coram pso domino papa justitiæ plenitudinem exhibebit. Quod si neutrum præmissorum infra determinandum tempus dictus Lambertus admonitus facere vellet, ex tunc prædicta potestas de universis bonis quæ idem Lambertus nunc habet aut in posterum habebit in civitate Pisana et districtu suo, faciet sine fraude mandatum domini papæ. Insuper ita facient cum præfata potestate quod ipsa potestas pro communitate ipsius civitatis cavebit quod regem Siciliæ non A offendent. Hæc autem promissio fiet domino papæ ab ipsis nuntiis hoc tenore, ut postquam sæpedicta potestas cum consilio civitatis Pisanæ confitebitur ipsi domino papæ, per litteras sigillo communitatis signatas vel publica manu scriptas, de ratum habere prædicta, et ad ea implenda quæ ipsi nuntii summo pontifici promiserunt se ac successores suos legitime obligabit, iidem nuntii a dicta promissione et a pœna præscripta sint omnino liberi et soluti. »

Datum Viterbii, IV, Idus Septembris, anno decimo.

CXVIII.

DECIHAN ET MONTISGEROLD. ABBATIBUS, ET PRÆPOSITO RHOTNACENSI CAMERACENSIS DIOECESIS.

*Ut cum G. laico et D. muliere uxore in quarto consanguinitatis gradu attingentibus possint dispensare.* B

(Viterbii, XV Kal. Aprilis.)

Significavit nobis dilectus filius G. laicus de Aldenarda quod cum D. mulierem uxorem suam defunctam, quæ... in quarto consanguinitatis gradu contigeret, sibi matrimonialiter copulasset, cum ea est tanto tempore pacifice commoratus quod ex ipsa quinque liberos jam snscepit. Verum quia ipsum super hoc sua conscientia reprehendit, et quidam nunc malitiose super matrimonio ipso eumdem molestare nituntur, nobis humiliter supplicavit ut cum eo misericorditer agere dignaremur, ne ipsorum liberi in paupertatem veniant et contemptum, quod utique fieret si contingeret inter eos divortium celebrari. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, injuncta tam C viro quam mulieri super hoc pœnitentia competenti super ipso matrimonio dispensando, non permittatis eosdem indebite ab aliquibus molestari. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Viterbii, XV Kal. Septembris, anno decimo.

CXIX.

NOBILI MELIERI JULIANÆ DOMINÆ DE PIRUCIS.

*Confirmantur donata sibi per imperatorem Constantinopolitanum.*

(Viterbii, XV Kal. Octobris.)

Solent annuere, etc. *usque* assensu. Villam de Blaten, quam tibi charissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus imperator illustris liberaliter contulit, sicut eam juste possides et quiete, D ad petitionem imperatoris ejusdem auctoritate tibi apostolica confirmamus, et præsentis scripta privilegio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, XV Kal. Octobris, anno decimo.

CXX.

HENRICO ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATO.

*Indulgetur ei ut excommunicari non possit nisi pro excessu enormi.*

(Viterbii, II Id. Septembris.)

Cum regendo imperio Romaniæ gravis et grandis sollicitudinis tibi pondus immineat, a viris ecclesiasticis sublevandus es potius quam gravandus, ne

nimia pressus difficultate succumbas si supra vires tuas temporale pariter et spirituale onus incurras. Quantum autem sit regibus deferendum, maxime fidelibus et devotis, beatus Petrus apostolus docet in Epistola sua, dicens: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* (*I Petr.* II). Ne igitur venerabilis frater noster Constantinopolitanus patriarcha te possit amodo indebite aggravare, sicut accepimus te hactenus indebite aggravasse, in hoc magis sibi providentes quam tibi, cum minus sit injuriam perpeti quam injuriam perpetrare, auctoritate præsentium inhibemus ne in personam vel terram tuam absque manifesta et rationabili causa censuram ecclesiasticam promulgare præsumat, semperque canonicam admonitionem præmittat; nisi forte talis esset excessus qui ordinem judiciarium exigeret non servandum. Si vero te præsenseris aggravari, libere tibi liceat sedem apostolicam appellare, at imminens gravamen evites. Et si post appellationem hujusmodi sententiam præsumpserit jaculari, nos eam decernimus non servandam, tanquam irritam et inanem, præsertim quandiu coram nobis aut legato vel delegato nostro seu etiam arbitro communiter eligendo paratus fueris juri parere. Nimirum in talibus considerari debent tempus et locus, necessitas et utilitas causa nihilominus et persona. Tu vero, fili charissime, quanto plus indiges divinæ majestatis auxilio, tanto plus semper obsequio divinæ pietatis insistas, et sponsam ejus sanctam Ecclesiam devotius venereris, ut ipsa te suis precibus ad ipsum reddat amplius commendatum. Nulli ergo... nostræ prohibitionis concessionis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, II Idus Septembris, anno decimo.

CXXI.

MAGISTRO DOMORUM MILITIÆ TEMPLI CITRA MARE.

*De interdicto servando et legato se. ap. honorando.*

(Viterbii, Id. Septembris).

Fratrum ut coepiscoporum nostrorum graves querelæ super gravibus fratrum vestrorum excessibus apostolicis auribus sæpius inculcatæ animum nostrum nequeunt non turbare, cum in nostrum et generalis Ecclesiæ scandalum et animarum suarum periculum et ordinis vestri dispendium attententur; qui apostatantes a Domino, et a puritate sui ordinis recedentes, in superbia sua usque adeo effrenantur ut in faciem Romanæ Ecclesiæ matris suæ, quæ fratres militiæ Templi suis beneficiis fovere non desinit, maculam impingere non verentes, audeant publice prædicare quod per apostolicæ sedis indulta cujuscunque civitatis interdictæ vel oppidi omnes ecclesiæ successive in eorum jucundo adventu debeant aperiri, et ibidem divina officia celebrari, prout eis nunc in ista, nunc in alia videbitur expedire, non attendentes quod ex præsumptione hujusmodi contemnitur medicinalis pœnæ medela, imo quasi penitus enervatur. Et si ecclesias in locis prædictis habuerint, cum subjecta fuerint interdicto, non verentur solemniter, pulsatis campanis, maxime interdicto durante, apertis januis, divina in eis officia quotidie celebrare; signumque Dominicæ crucis gestantes in pectore velut discipuli Jesu Christi, sed non curantes ipsius sequi doctrinam, qui prohibet scandalizari pusillum credentem in ipsum: *Qui scandalizaverit*, inquiens, *unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII), non solum scandalum pusillorum contemnitur, sed etiam Ecclesiæ generalis, et cupiditatis æstibus anhelantes non declinant mendacia, dum utentes doctrinis dæmoniorum, in cujuscunque tructanni pectore crucifixi signaculum imprimunt, et cum eis ad prædicandum euntes, onusti pondere peccatorum, jam non curant quasi longam restem addere peccata peccatis, afferentes quod quicunque, duobus vel tribus denariis annuis collatis eisdem, se in eorum fraternitatem contulerint, carere de jure nequeant ecclesiastica sepultura, etiamsi fuerint interdicti; ac per hoc adulteri, usurarii manifesti, et alii criminosi suppositi ecclesiastico interdicto, ex hujusmodi insolentia in eorum cœmeteriis quasi fideles et catholici tumulantur; et ita ipsi a diabolo captivati, fidelium animas captivare non desinunt, cum eas quas mortuas sciunt, vivificare nituntur Proh dolor! jam non moderate utentes mundo velut religiosi homines propter Deum, sed ut suas impleant voluptates religionis imagine utuntur solummodo propter mundum. Et cum debuissent aliis esse odor vitæ in vitam, facti sunt odor mortis in mortem. Et licet per hæc et alia nefanda, quæ idcirco plenius exaggerare subsistimus ne cogamur gravius vindicare, apostolicis privilegiis, quibus tam enormiter abutuntur, essent merito spoliandi, cum privilegium mereatur amittere qui permissa sibi abutitur potestate, quia tamen ad profectum vestri ordinis aspiramus, prudentiam tuam monemus et exhortamur attente, per apostolica scripta mandantes quatenus, sicut vir honestatis militiæ Templi zelator hæc quæ tibi mandavimus, subditis tuis omnibus studeas fideliter ac prudenter exponere, ut per nostram et tuam exhortationem correcti, a tam enormi et pestifera fœditate valeant liberari, et quos divini amoris respectus et nostræ commonitionis auctoritas a malo non revocat, tu severitate coerceas ecclesiasticæ disciplinæ. Alioquin, si quid mali ex hoc vobis acciderit in futurum, non nobis sed vobis poteritis merito imputare. Cæterum præcipias universis ut legatos nostros studeant honorare, qui de ipsis graviter conqueruntur.

Datum Viterbii, Idibus Septembris, anno decimo.

CXXII.

JOANNI REGI ANGLORUM ILLUSTRI.

*Ut procuratorem mittat ad sedem apostolicam.*

(Viterbii, III Non. Septembris.)

Sæpe per nostras litteras te, quem sicut novit

ipse qui scrutaturrenes et corda, sincera diligimus A in Domino charitate, recolimus monuisse ut tuæ saluti consulens et honori, charissimæ in Christo filiæ B. quondam Anglorum reginæ illustri super dotalitio suo, medietate mobilium inclytæ recordationis Richardi fratris tui, et quibusdam aliis quæ dicta regina sibi competere asserebat, sic satisfacere procurares quod ei nulla de te justa remaneat materia conquerendi, et majestatem complacares divinam, quam propter hoc videbaris graviter offendisse. Quoniam preces et monitiones nostræ te ad satisfaciendum eidem minime induxerunt, sicut ipsius sæpius replicata conquestio declaravit, negotium ipsum venerabilibus fratribus nostris Eliensi et Wigorniensi episcopis commisimus audiendum et etiam aliis primitus citro mare. Sed nec sic, præ B magnitudine regalis potentiæ, septennio jam elapso, suam super iis potuit justitiam obtinere, cum nullus impertiturus eidem patrocinium audeat in Angliam transfretare. Cum igitur ex injuncto nobis apostolatus officio viduis et orphanis simus specialiter in justitia debitores, nec velimus deferre homini contra Deum, qui viduam voce prophetica præcipit defensari, magnitudini regiæ per apostolica scripta mandamus quatenus usque ae festum Epiphaniæ Domini proximo venturum par procuratorem idoneum te nostro conspectui repræsentes exhibiturus prædictæ reginæ vel procuratori suo super præmissis et aliis, si qua forte adversus te duxerit proponenda, in præsentia nostra quod ordo dictaverit rationis. Alioquin extunc quia ipsi non possumus in suo jure deesse, ne forte contra nos clamet in cœlum et Dominus exaudiat C ejus vocem, quantum de jure poterimus, in ipso negotio divina favente clementia procedemus. Nos enim prædictis episcopis nostris damus districte litteris in præceptis ut tibi supradictum terminum assignare peremptorium non postponant.

Datum Viterbii, III Nonas Septembris, anno decimo.

CXXIII.

ALTEROCCÆ MULIERI ET MONTANELLO NATO EJUS.

*Confirmatur eis sententia lata per legatum sedis apostoiicæ.*

(Viterbii, II Id. Semptembris.)

(33) Ranutius de Clera duas habens filias, te videlicet Alteroccam et Adjectam, matrem insuper Cleram, et uxorem nomine Adelasiam, in extremis D positus condidit testamentum, tibi scilicet Alteroccæ filiæ puberi, ultra dotem quam antea dederat, quamdam domum et hortum in eodem testamento relinquens, Adjectæ vero impuberi reliquit cætera bona sua, adjiciens ut tu Alterocca et soboles quam gestabas in utero, cum eo tempore prægnans esses, Adjectæ succederetis eidem, si absque liberis moreretur. Tutoribus insuper quos dictæ Ajectæ impuberi filiæ dederat idem testator injuxit ut eamdem cum omnibus bonis suis matrimonio copularent. Mortuo testatore, tutores ipsi Adjectam cum omnibus bonis suis eidem relictis a patre jure Lombardo cuidam Petro nomine in conjugem tradiderunt, quæ cum per quadriennium cohabitasset eidem, et ex eo filium suscepisset; tandem sine liberis est defuncta, cujus bona maritus ejus superstes aliquando tempore possedit in pace, qui cum alia muliere matrimonium contrahens, et filios suscipiens ex eadem, diem clausit extremum. Postmodum autem inter vos ex parte una et filios ejusdem Petri ac Raynerium tutorem eorum ex altera super bonis prædictis ejusdem Adjectæ suscitata materia quæstionis, cœperunt coram Guezio judice Tuscanensi ad invicem litigare; coram quo vos bona quondam Raynutii patris tui, filia Altarocca, tanquam ex causa fideicommissi vel substitutionis sibi debita petiistis, Raynerio supradicto tutore filiorum prædicti Petri ex adverso dicente quod obstabat vobis annalis præscriptio, usucapio pro dote, ac longi temporis silentium diuturnum. Allegabat insuper idem tutor quod de bonis illis tam tertia Cleræ prædicti R. testatoris matris, et tertia Adelasiæ uxoris ejusdem, quam etiam quarta per Trebellianum nomine ipsius Adjectæ, erant ante omnia deducendæ. Dictus vero judex, utriusque partis allegationibus et rationibus diligenter inspectis, supradictum Raynerium nomine pupillorum in restitutionem bonorum quondam Raynutii condemnavit; tertia Cleræ primo deducta, quam Ajectæ ac viro suo donaverat, de qua in substitutione quam fecit Raynutius non videtur aliquatenus cogitasse; deducta quoque tertia Adelasiæ, quam ipsa Raynerio vendiderat supradicto. Præcepit etiam idem judex de iis rebus illas tertias deducendas de quibus deduci poterant secundum Tuscanensis consuetudinem civitatis. Deduci quoque quartam per Trebellianum idem judex injungit, cum etiam quilibet extraneus restitutione gravatus eam deducere potuisset. Sed utraque pars ab illa sententia provocavit. Postmodum vero dilectus filius.. præfectus Urbis, qui eo tempore de appellationum causis in partibus Tusciæ auctoritate sedis apostolicæ cognoscebat, ad petitionem supradicti Raynerii vos ad suam præsentiam evocavit, in festo Sancti Andreæ tunc proximo futuro vobis terminum peremptorium præficiendo, quo vos conspectui præsentaretis ipsius, sententiam recepturi. Cumque vos coram eo nequaquam comparuissetis termino constituto, bonæ memoriæ Bartholomæus judex Viterbiensis de mandato ipsius præfecti contra vos, tanquam in contumaces, sententiam promulgavit hoc modo, sententiam Guezii, in eo quod Raynerium nomine pupillorum absolvit, ratam esse pronuntians; in quibus vero condemnavit eumdem sententiam pronuntiavit injustam, et legitime provocatum; adjiciens ut si tu Altarocca in morte patris minus legitima habuisses, computata dote ac aliis bonis patris, condemnabat in supplementum illius Raynerium nomine pupillorum, a qua sententia fuit postmodum appellatum. Cum autem propter hoc vos et pars altera ad nostram præsentiam ve-

(33) Cap. *Ranutius*, De sent et re judic.

nissetis, dilectum filium nostrum G. Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem vobis et parti adversæ concessimus auditorem. Coram quo cum pars Raynerii peteret sententiam Bartholomæi judicis confirmari, pars vestra respondit quod licet in festo Sancti Andreæ, sicut prædictum est, a præfecto terminus fuerit constitutus, nihilominus tamen ad vestram instantiam in octavam ejusdem Nativitatis idem terminus fuerat prorogatus, sicut per unicum testem vestrum et alterum partis adversæ manifestissime probatur, propter quod dicebatis illam sententiam nullam esse, utpote dilatione pendente prolatam; maxime cum ante diem præfixum citatio facta fuerit per venerabilem fratrem nostrum episcopum Suanessem, ad quem medio tempore nostræ litteræ super ipso negotio fuerant impetratæ, sicut per depositiones testium videtur esse probatum. Postquam itaque super iis et aliis coram cardinale prædicto inter vos et partem alteram fuit diutius litigatum, ipse, habito consilio peritorum, de mandato nostro sententiam supradicti Bartholomæi judicis propter causas prædictas pronuntiavit penitus nullam esse, sententiam vero Guezii judicis, in eo quod dixit tertiam Cleræ ac tertiam Adelasiæ integraliter deducendas, idem cardinalis pronuntiavit injustam et ab ipsa legitime provocatum diffiniens sic illas tertias deducendas, ut legitima portio tibi Alteroccæ debita jure naturæ tibi salva sit in utraque, ad cujus restitutionem dictum Raynerium condemnavit. In eo vero quod quartam per Trebellianum idem Guezius censuit retinendam, sententiam confirmavit ejusdem, ita videlicet quod fructus de bonis ipsius a tempore litis contestatæ percepti computentur in ea, qui si suffecerint ad quartam et fructus ejus a tempore alia deductio nulla fiat, alioquin juxta quantitatem fructuum perceptorum computationis ratio habeatur. Quia vero pater Ajectæ ipsam in legitima non potuit aggravare, legitimam ipsam, ejus videlicet partis quæ jam dictæ Ajectæ debebatur ab intestato, deducendam censuit et etiam retinendam, ita videlicet quod deductio fiat tantummodo de iis rebus de quibus secundum Tuscanensis consuetudinem civitatis fieri consuevit. In eo vero quod idem Guezius condemnavit Raynerium, nomine pupillorum suorum, ad restitutionem vobis residui faciendam, ipsius sententiam confirmavit. Nos igitur ejusdem cardinalis sententiam exigente justitia promulgatam ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, II Idus Septembris, anno decimo.

### CXXIV.

OTONIENSI EPISCOPO.

*Ut presbyter qui digitum sinistræ manus amisit, ministrare possit.*

(Viterbii, XIV Kal. Octobris.)

(34) Veniens ad præsentiam nostram O. presbyter humili nobis insinuatione monstravit quod cum ante domum suam quidam homines invicem rixarentur et ipse casu domum exivisset eamdem, unus de rixantibus, nulla ejusdem presbyteri præcedente culpa, irruens in eumdem, diabolo instigante, sinistræ manus digitum amputavit eidem. Unde nobis humiliter supplicavit ut exsequendi suum officium ei licentiam concedere dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, presbyterum ipsum in ordine suo, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, libere ministrare permittas. Quædam enim interdum impediunt promovendum quæ non dejiciunt jam promotum.

Datum Viterbii, XIV Kal. Octobris, anno decimo.

### CXXV.

ARCHIEPISCOPA VARISIENSI, ET EPISCOPO SALIMBRIENSI, ET DECANO S. MARIÆ DE BLAKERNA CONSTANTINOPOL.

*Ut Reclericum instituant in ecclesia de Kufan.*

(Viterbii, XV Kal. Octobris.)

Cum provisio clericorum opus in se contineat pietatis, quæ promissionem habet vitæ quæ nunc est pariter et futuræ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ecclesiam insulæ de Kufan, quæ vacare proponitur, dilecto filio R. clerico charissimi in Christo filii nostri Henrici Constantinopolitani imperatoris illustris, ecclesiasticum beneficium non habenti, auctoritate apostolica, sublato appellationis obstaculo, conferatis, et faciatis ipsam ab eo pacifice possideri, contradictores, si quos inveneritis, vel rebelles per censuram canonicam compescendo. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Viterbii, XV Kal. Octobris, anno decimo.

### CXXVI.

MORAVIENSI EPISCOPO.

*Committitur ei causa monasterii de Melros.*

(Datum, *ut in alia*.)

Olim exposita nobis a dilecto filio... abbate et conventu de Melros Cisterciensis ordinis quæstione quod nobilis vir P. comes de Bonbar diœcesis Sancti Andreæ partem cujusdam pasturæ, quam legitime fuerant assecuti, per violentiam occupasset, ipsis in aliis injeriosus existens, venerabili fratri nostro episcopo et dilectis filiis... Sancti Andreæ et... Laodensi diœcesis Sancti Andreæ archidiaconis causam ipsam sub certa forma commisimus terminandam. Citato vero, sicut accepimus, comite sæpius ab eisdem judicibus per legitima intervalla, pluribus peremptoriis postmodum inculcatis, nec ultimo peremptorio comparente, licet in ejus notitiam devenisset, dicti judices ipsum absentem per contumaciam præsumentes, de virorum prudentum consilio, quia mortis periculum vel membrorum vel ad minus, sanguinis effusio timebatur si causa rei servandæ missio in possesionem rerum fieret petitarum, pœnam sanctionis legitimæ in formam aliam commutantes, maneria ipsius nobilis supposuerunt

(34) Vide Reginonem lib. II, c. 410.

ecclesiastico interdicto, excepto parvulorum baptismo et communione ac pœnitentiam infirmorum. Cæterum eo ad judicium veniente, cautioneque judicio sisti ab eo recepta, salvis exemptionibus quæ sibi competere poterant, et interdicti sententia relaxata, in eis peremptorio, qui ad omnes exceptiones dilatorias proponendas comiti fuerat assignatus, ex parte ipsius fuit proposita fori exceptio, utcumque vallata triplici ratione; scilicet obtentu personæ, quia laicus; respectu rei, quia erat laicum tenimentum; juris communis beneficio, eo quod actor sequi debeat forum rei. Cum autem iis rationibus objiceretur responsio ex adverso, judices memorati videntes quod hæc omnia nos non latuerunt, cum de ipsis in nostris litteris fecimus mentionem, et generalis consuetudo sit in partibus illis hactenus observata ut clericus laicum in foro possit ecclesiastico convenire, præsertim de rebus in puram eleemosynam piis locis collatis, interlocuti fuerunt exceptionem non esse hujusmodi admittendam. Sane pars comitis, opinione sua conspiciens se frustratam, incœpit personam dicti episcopi recusare, proponens quod cum quamdam ecclesiam capellam diceret alterius Ecclesiæ in qua jus patronatus habebat, et ne quis in ea in ejus institueretur præjudicium sedem apostolicam appellasset, idem episcopus quemdam ab alia præsentatum post appellationem ad nos interpositam instituit in eadem; qui super hoc etiam, eo quod pœnam, etsi fuisset contumax, contra juris formam asseruit commutatam, exhibito tam de jure quam de facto responso, quia credebat eos velle procedere hujusmodi exceptionibus non admissis, ad nostram audientiam appellavit; per quam appellationem quamdam expoliationem in modum exceptionis objecit, ut partem aliam repelleret ab agendo; ad quam probandam uno primo et ad habendam instrumentorum copiam de quibus in nostris litteris mentio habebatur, et ea, si posset fieri, reprobanda post alio terminis habitis et receptis, ad utrumque diem monachis venientibus, comes non comparuit, nec pro se misit aliquem responsalem, peremptorium alium contemnere non formidans. Processu vero temporis quidam præfati comitis procurator super iis querimoniam nobis exponens, ad dilectos filios abbatem Sanctæ Crucis et priorem de insula Sanctæ Columbæ et magistrum A. rectorem ecclesiæ de Cretton Dukeldensis et Sancti Andreæ diœcesum apostolicas litteras impetravit; in quibus mandavimus quod si ea quæ nobis suggesserat idem comes, narratione veridica niterentur, scilicet quod licet proposuisset coram primis judicibus litteras nostras veritate fuisse tacita impetratas, proposito etiam quod ipsius judicium poterat declinare pro eo quod ipse in aliis causis eum contra justitiam aggravaverat, et post appellationem ad nos interpositam eidem injurias non modicas irrogare præsumpserat, ac terram suam sine ulla certa vel rationabili causa ecclesiastico supposuerat interdicto, et paratus esset probare has causas et alias manifestas ob quas sæpedictum episcopum merito recusare poterat ut suspectum, nihilominus tamen dictus episcopus de objectis probationes recusans admittere, interlocutoriam protulerit ut coram eo deberet in ipso negotio respondere, atque ab hoc ex parte comitis ad nostram exstiterit audientiam appellatum, revocato in statum debitum quidquid occasione litterarum ipsarum contra ipsum comitem invenirent perperam attentatum, audirent causam, et eam appellatione remota fine debito terminarent, et facerent quod decernerent per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quibus R. monachus ejusdem monasterii in litterarum nostrarum audientia contradicens, suam fecit ipsis litteris narrationem apponi. Verum coram secundis judicibus super iis quæ nobis fuerant nuntiata litigio aliquantulum ventilato, quia eis judicibus ne propositis aliter constare non poterat, ipsi judices testes super priori processu negotii admittentes et examinantes cum diligentia, et attestationibus publicatis, dantes licentiam partibus objiciendi et in dicta testium et personas, post objectiones utrinque propositas in dicta et testes, ad nos tantum negotium remiserunt, diem partibus præfigentes Dominicam qua cantatur: *Quasi modo geniti*, quo sufficienter instructæ vel per se vel per procuratores legitimos nostro se conspectui præsentarent. Parte quidem dictorum abbatis et conventus se nobis cum litteris judicum secundorum et attestationibus et objectionibus mutuis eodem termino præsentante, ac eisdem dilecto filio nostro G. Sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinale a nobis auditore concesso, cum pars alia nec venerit nec aliquem pro se miserit diutius exspectata, nos volentes partium laboribus parcere ac expensis, visis omnibus scriptis et diligentius intellectis, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad ea quæ tam a prioribus quam secundis judicibus acta sunt non habens respectum, indicans partibus ut infra quindecim dies utraque tibi collegam assignent virum idoneum et honestum, cum quo, appellatione remota, justitia mediante, nec obstante fori exceptione superius memorata, in causa procedas, et si utraque vel altera noluerit tibi assignare collegam, tu nihilominus sine utroque vel cum altero tantum mandatum apostolicum exsequaris; idem facturus, si uterque vel alter noluerit interesse.

Datum, *ut in alia*

CXXVII

NOBILI VIRO MAIONI COMITI INSULARUM CEPHALONIÆ AC JACINTI.

*Indulgetur ut possit eligere confessorem.*

(Viterbii, XVII Kal. Octobris.)

Quoniam illius locum, licet immeriti, tenemus in terris qui cum nolit mortem peccatoris, sed potius ut convertatur et vivat, post pœnitentias delinquentium peccata dissimulat correctorum, et tanto pœnitentibus et conversis plenioris suæ gratiæ munus impendit quanto majus gaudium est Deo et angelis

ejus super uno peccatore pœnitentiam agente quam supra nonaginta novem justos qui se credunt pœnitentiæ beneficio non egere, exsultavimus plurimum et delectati sumus in iis quæ de tua devotione ad nostram notitiam devenerunt. Sicut enim apostolatui nostro per tuas litteras humiliter intimasti, licet hactenus quasi piraticam vitam ducens, multa commiseris in tuæ salutis dispendium et injuriam Creatoris, nunc tamen conditionem tuæ fragilitatis agnoscens, veniam postulas de commissis, et ut tanquam posteriorum oblitus, ad anteriora te sollicitus et devotus extendas, offensas præteritas novæ satagis conversationis studio compensare, ad obsequium Jesu Christi ac subsidium terræ sanctæ totis viribus elaborans. Propter quod Altissimo grates referimus quas valemus, qui te tam misericorditer ex alto respexit, ut et de præteritis excessibus doleas, et in operibus meritoriis te studeas exercere, propositum tuum eo amplius in Domino commendantes quo sollicitus ad utiliora te erigas, et tam temetipsum quam terram tuam sedis apostolicæ potestati cum fervore omnimodæ devotionis exponis. Ut igitur desiderii tui votum fine feliciori claudatur, nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus alicui discreto sacerdoti universa peccata tua humili confessione reveles; et ab ipso pœnitentiam recipiens salutarem, juxta posse tuum satisfactionem exsequi studeas quam tibi duxerit injungendam. Nos enim reddentes te de gratia nostra securum, benedictionis nostræ te clypeo communimus, sperantes quod si in assumpto devotionis proposito perduraveris, præter cœlestis retributionis commodum quod acquires, etiam in bonis temporalibus non modica suscipies incrementa.

Datum Viterbii, XVII Kal. Octobris, anno decimo.

CXXVIII.

ARCHIEPISCOPO PATRACENSI.

*Scribit ei ut episcopum Cephaloniæ reducat ad obedientiam sedis apostolicæ.*

(Viterbii, XIV Kal. Octobris.)

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod in insula Iacinto, quæ ad dilecti filii nobilis viri Maionis comitis Cephaloniæ pertinet ditionem, quidam episcopus Græcus non solum sedi apostolicæ inobediens et rebellis existit, ejus dispositionibus omnino parere contemnens, verum etiam vitam ducit in multorum scandalum dissolutam. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, eumdem episcopum moneas attentius et inducas ut sedi apostolicæ omnimodam obedientiam et reverentiam studeat exhibere, vitam et mores suos in melius commutando, prout gravitas officii pontificalis exposcit. Si vero monitis tuis acquiescere forte contempserit, tu, ipso ab Ecclesiæ suæ cura prorsus amoto, facias eidem Ecclesiæ de persona idonea sublato appellationis obstaculo canonice provideri, contradictores vel rebelles per censuram ecclesiasticam monitione præmissa compescens.

Datum Viterbii, XIV Kal. Octobris, anno decimo.

CXXIX.

EPISCOPO PLACENTINO.

*Ut monasterium de Patramarina cogat ad restitutionem certorum bonorum.*

(Viterbii, XVIII Kal. Octobris.)

Nostro noveris apostolatui intimatum quod cum inter dilectos filios cardinalem civem Januensem et J. filium quondam Vassall. Sinor. super bonis matris cardinalis ipsius et novercæ nihilominus ejusdem J. quæstio emersisset, quia constitit interim quod mater cardinalis prædicti monasterio Sancti Michaelis de Petra Martina obtulerat se ac sua, idem J. bona prædicta plus quam centum libras valentes pro triginta libris Januensibus ab abbate monasterii memorati emptionis sibi titulo acquisivit. Cum igitur sustinere nolimus ut idem monasterium tam enormiter in alienatione prædicta lædatur, per apostolica tibi scripta mandamus ut abbatem et monachos ejusdem loci moneas attentius et efficaciter inducere non postponas ut ad recuperanda bona prædicta prosequantur in tua præsentia rationem. Alioquin, cum æquius sit et magis consonum rationi ut idem cardinalis potius quam extraneus sæpedicta bona obtineat, quæ matris suæ quondam fuisse noscuntur, volumus et mandamus ut eisdem abbati et monachis firmiter ex parte nostra præcipias ut omne jus et actiones quas habent ad recuperanda bona prædicta, sæpedicto cardinali appellatione remota cedere non postponant, ita videlicet quod monasterium ipsum idem cardinalis servet indemne, ac pro tanto beneficio vassallus fiat ejusdem monasterii pariter et defensor, quemadmodum coram nobis ipse promisit.

Datum Viterbii, XVIII Kal. Octobris, anno decimo.

CXXX.

UNIVERSIS FIDELIBUS NOSTRIS PER PATRIMONIUM BEATI PETRI APOSTOLI CONSTITUTIS.

*Qualiter Paterini et eorum fautores puniantur.*

(Viterbii, IX Kal. Octobris.)

Ad eliminandam omnino de patrimonio beati Petri hæreticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus ut quicunque hæreticus, et maxime Paterenus, in eo fuerit inventus, protinus capiatur et tradatur sæculari curiæ puniendus secundum legitimas sanctiones. Bona vero ipsius omnia publicentur, ita et de ipsis unam partem percipiat qui ceperit illum, alteram curia quæ ipsum punierit, tertia vero deputetur ad constructionem murorum illius terræ ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua hæreticus fuerit receptatus funditus destruatur, nec quisquam eam reædificare præsumat; sed fiat sordium receptaculum, quæ fuit latibulum perfidorum. Credentes præterea et defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum partes multentur, quæ ad usum reipublicæ depute-

tur. Quod si vel hoc modo puniti, rursus in similem (A) fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitus expellantur, nec unquam revertantur ad illa, nisi de mandato summi pontificis, digna satisfactione præmissa. Proclamationes autem aut appellationes hujusmodi personarum minime audiantur; nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis respondere. Judices autem, advocati, et notarii nulli eorum suum impendant officium. Alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Clerici vero non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarii ac Templarii et quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Quicunque præ- (B) terea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores et defensores hæreticorum præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, nec ad aliquod publicum officium vel commune consilium assumatur. Et qui talem elegerit, tanquam hæreticorum fautor prædicta pœna multetur. Statutum istud in capitulari scribatur, ad quod annuatim jurent potestates, consules seu rectores; nec unquam removeatur ex illo, ut semper jurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicunque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus a regimine, centum librarum pœnam incurrat solvendam cuicunque summus pontifex jusserit assignari. (C) Nulli ergo, etc. hanc paginam nostræ constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii IX Kal. Octobris, anno decimo.

CXXXI.

UNIVERSIS TAM CLERICIS QUAM LAICIS IN PATRIMONIO BEATI PETRI APOSTOLI CONSTITUTIS.

*Ne quid adversus leges et canones attentetur.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum ex officii nostri debito teneamur tam clericis quam laicis paterna sollicitudine providere, ne contingat isto aut illos injuriam perpeti vel injuriam perpetrare, constitutiones iniquas contra leges et canones a laicis promulgatas aut etiam promulgandas adversus ecclesias seu viros ecclesiasticos non solum spirituali sed etiam temporali auctoritate damnamus penitus et cassamus, sub (D) debito fidelitatis et interminatione anathematis inhibentes ne constitutiones hujusmodi nequiter observare præsumant. Nos enim quidquid earum occasiones contra ecclesias vel personas ecclesiasticas fuerit attentatum decernimus irritum et inane, non obstante aliquo juramento quod super earum observatione præstitum esse dicatur, cum illud tanquam illicitum, non debeat observari. Judicibus autem et tabellionibus inhibemus ne secundum hujusmodi constitutiones damnatas præsumant officium exercere, si officii sui cupiunt periculum evitare.

Datum, *ut in alia*

CXXXII.

UNIVERSIS FIDELIBUS NOSTRIS PER PATRIMONIUM BEATI PETRI APOSTOLI CONSTITUTIS.

*Hortantur ad pacem et concordiam, et ut nullus alium offendat.*

Datum, *ut in alia*

Cum juratum sit a comitibus et baronibus, potestatibus et consulibus, pacem et justitiam et securitatem stricte ad mandatum nostrum servare, universitati vestræ mandamus quatenus veram pacem servantes, nequaquam vos invicem offendatis, neque communitas communitatem, neque persona personam, neque communitas offendat personam, exceptis raptoribus et prædonibus, et exceptis bannitis et diffidatis; ad quos puniendos rectori apostolici patrimonii, quoties requisti fueritis, impendatis auxilium opportunum. Si vero quisquam offenditur, non statim reoffendat, sed moneat prius ut emendet offensam. Et si super emendatione orta fuerit contradicto, nisi per alium sedari potuerit, ad arbitrium rectoris apostolici patrimonii referatur, Alioquin, diffidatus ab eo tanquam hostis publicus impugnetur Cum autem orta fuerit inter aliquos controversia, per concordiam vel judicium terminetur; sitque judicium penes eum cui competit jurisdictio, salvis semper appellationibus ad nos vel rectorem apostolici patrimonii legitime factis aut etiam faciendis. Si vero quisquam infra beati Petri patrimonium constitutus modum istum servare contempserit, ab omnibus secundum mandatum rectoris apostolici patrimonii arceatur. Si quis autem auctoritate sua prædam acceperit vel accipi fecerit, seu aliquid furatus fuerit vel furari fecerit, prædam et furtum tam ipse, quam ille qui scienter emerit, cum pœna dupli restituat. Qui vero furtum vel hujusmodi prædam emerit ignoranter, ea restituat absolute, nulla recompensatione sibi præstita vel præstanda; sed emptor adversus venditorem suam habeat actionem. Hæc omnia injungimus sub debito præstiti juramenti comitibus et baronibus, potestatibus et consulibus observanda; ut et ipsi ea fideliter servent, et per districtus suos faciant ab aliis observari. Salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato.

Datum, *ut in alia.*

CXXXIII.

NIVERNENSI ET AURELIANENSI EPISCOPIS ET ABBATI CURIÆ DEI CISTERCIENSIS ORDINIS AURELIANENSIS DIOECESIS.

*De Alberico Remensi electo.*

(Viterbii, Kal. Octobris.)

Illa venerabiles fratre nostros Parisiensem et Atrebatensem episcopos et dilectum filium abbatem de Claromarisco credimus honestate pollere ut super ordinatione Remensis Ecclesiæ, quam eis duximus committendam, bono zelo processerint; præsertim cum is quem ipsi ecclesiæ præfecerunt sit vita, scientia, et fama præclarus. Nos autem ad hoc, Deo teste, summo desiderio aspiramus ut in Ecclesia Dei tales ad prælationis officium assumantur qui non

sint mercenarii, sed pastores, plebes sibi commissas verbo pariter et exemplo docturi. Porro, dilecti filii Theobaldus de Pertico archidiaconus et P. de Stampis canonicus ecclesiæ memoratæ, inter cætera quæ contra prædictorum episcoporum et abbatis processum per suas nobis litteras intimarunt, hoc contra magistrum Albericum in Remensem archiepiscopum nominatum specialiter expresserunt, quod erat irregularis, indiscretus, et manumissus. Unde, cum irregularis non congrueret officio, indiscretus oneri, et manumissus honori, episcopis qui, ad ejus consecrationem convenerant interdicere curaverunt ne talem præsumerent in episcopum consecrare, cum dictus P. interrogantibus ipsis episcopis respondisset quod coram eis hoc die data probaret. Sed præfatus Parisiensis episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso judice replicante, duos presbyteros convocavit, quorum testimonia contra Petrum absentem et ignorantem super infamia clam recepit, et sic admissus non fuit ad tantam irregularitatem probandam, videlicet quod cum vidua conjugalem copulam contraxisset. Eo igitur inordinate repulso, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam, fecit illum utcunque in episcopum consecrari. Cæterum episcopi et abbas prædicti suis nobis litteris intimarunt quod in ipso negotio juxta formam mandati apostolici procedentes, præfatum Albericum Parisiensem archidiaconum, virum approbati testimonii, et apud Deum et homines vita, moribus, et scientia gratiosum, sub attestatione divini judicii sibi facta, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta prætecerunt Remensi Ecclesiæ in pastorem, et fecerunt eidem, convocatis suffraganeis, munus consecrationis impendi, quorum assertioni Remense capitulum et suffraganei qui consecrationi ejus interfuerant concordabant, sicut eorum ad nos directæ litteræ protestantur. Quia vero prænominati archidiaconus et canonicus apud nos per iteratas litteras insisterunt ut super hoc veritatem faceremus inquiri, quantumcumque nobis molestum existat sæpedictam ecclesiam molestari, nolentes tamen tantum sacramenti defectum clausis oculis pertransire, cum impedimentum hujusmodi tolerabile non existat, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus inquisita et cognita veritate, si præfatum Petrum inveneritis a tali exceptione probanda præscripto modo fuisse repulsum, eo quod inordinate actum est non obstante, denuntietis eidem et archidiacono memorato ut, si voluerint et valuerint, ambo vel alter regulariter probent sub examine vestro irregularitatem objectam; et, si eam infra duos menses probare noluerint aut nequiverint, sive quod in canonica probatione deficiant, sive quod a probatione canonice repellantur, vos dilecto filio R. subdiacono et familiari nostro, per quem pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, destinamus, protinus injungatis ut illud memorato Remensis Ecclesiæ præsuli secundum formam sibi natam assignet, qui, quamvis non sit nobis incredibilis aut suspectus, si tamen ad declarandam penitus famam suam se purgare voluerit ante quam pallium suscipiat, approbamus. Si vero, quod absit! sufficienter probaverit irregularitatem objectam, vos illum a regimine Remensis Ecclesiæ penitus amoventes, super ordinatione ipsius, Ecclesiæ procedatis secundum formam præfixam sæpefatis episcopis et abbati. Et cum per sollicitudinem vestram in ea idoneus pontifex fuerit ordinatus, faciatis ei præscriptum pallium assignari, ne propter hoc cogatur ulterius laborare. Quod si, receptis probationibus, aliquid dubium vel difficile apparuerit, quod per vos nequeat expediri, totum ad nos fideliter referatis, significantes nobis plenarie veritatem; ut per vestram relationem instructi, tam circa istum quam circa illos auctore Domino procedamus sicut de jure fuerit procedendum. Si vero non omnes iis exsequendis... duo vestrum, etc., sublato cujuslibet contradictionis, et appellationis et recusationis obstaculo, etc.

Datum Viterbii, Kal. Octobris, anno decimo.

## CXXXIV.

EISDEM.

*Ut pallium eidem Alberico tradatur.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum sine pallio metropolitanus non possit plenitudinem pontificalis officii exercere, gravis quidem, non solum Ecclesiæ, verum etiam toti Remensi provinciæ imminere jactura, si circa ejus antistitem donatio palii nimium differretur. Ne igitur Theobaldus de Petrico archidiaconus et Petrus de Stampis canonicus Ecclesiæ memoratæ per excogitatam malitiam procurent diffugium vel latibulum ut infra tempus in aliis litteris designatum negotium vobis commissum sortiri non possit effectum, nos malignis adinventionibus obviare volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus, si prædicti archidiaconus et canonicus sollicite perquisiti non poterunt inveniri, vos elapso tempore præfinito faciatis præfato præsuli pallium assignari. Salva tamen ad abundantiorem cautelam omni canonica ratione, si qua illis competere poterit contra ipsum; cum talis exceptio sit objecta quæ non solum impedit promovendum, sed dejicit jam promotum, quamvis super hoc ipse non sit aliquatenus infamatus, nec incredibilis, nec suspectus utpote vir multimoda laude præclarus.

Datum, *ut in alia.*

## CXXXV.

EPISCOPO FERNENSI.

*De clericis ordinatis ab episcopis non suis.*

(Viterbii, IV Non. Octobris.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod cum a tua ecclesia relegatus clericis tuæ diœcesis sub pœna excommunicationis duxeris inhibendum ne ad sacros ordines absque certis titulis se facerent promoveri, ipsi, tua prohibitione contempta, catervatim ad alias provincias convolantes, a diversis

episcopis indifferenter se faciunt ordinari. Propter quod humiliter postulasti ut quid de talibus sit agendum, nostris te litteris instruere dignaremur. Nos igitur fraternitati tuæ taliter respondemus, quod ordinati et ordinatores eorum, nisi per probabilem ignorantiam excusentur, sunt ab officio suspendendi.

Datum Viterbii, IV Nonas Octobris, anno decimo.

### CXXXVI.

TERDONENSI EPISCOPO.

*Dispensatio pro contrahendo matrimonio in secundo et tertio, causa pacis.*

(Viterbii, Kal. Octobris.)

Sicut ex tuarum accepimus serie litterarum, inter quosdam Terdonenses cives, propter homicidium quod quidam ex eis dicitur perpetrasse, grave scandalum est exortum. Verum, ne odium prosiliret ad actum, interfecti consanguinei quamdam ipsius neptem nepoti homicidium perpetrantis nisi sunt matrimonialiter copulare, inter eos contractis jam sponsalibus de præsenti. Sed, quia contrahentes præfati secundi generis affinitatis gradu tertio se contingunt, ipsum contrahi matrimonium permittere noluisti. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus cum ex hoc bonum non modicum valeat provenire, ipsos si aliud canonicum non obsistat, inter se contrahere matrimonium ex dispensatione permittas.

Datum Viterbii, Kal. Octobris, anno decimo.

### CXXXVII.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET ALIIS TAM CLERICIS QUAM LAICIS PER REGNUM UNGARIÆ CONSTITUTIS.

*Ut legatum sedis apostolicæ honorifice recipiant.*

(Viterbii, Non. Octobris.)

Fundamentum et fundator Ecclesiæ Dominus Jesus Christus, postquam splendore suæ divinitatis inflammavit testam fragilitatis humanæ, ut drachmam perditam reperiret et prius pastor ad caulas ubi nonaginta novem reliquerat, errabundam ovem propriis humeris reportaret, usque adeo erga salutem humani generis quotidiana remedia incessanter exhibuit ut si quis a catholica fide non devians hoc velit subtiliter intueri, sicut ipse est totius gratiæ plenitudo, sic ad plures circa nostræ conditionis miserias miserationes ejus exuberant, ut in omnibus ipsius perfectio nostrum suppleat imperfectum. Inter cætera sane quibus Christiano populo propter varias plagas criminum quasi semivivo relicto per ipsius prudentiam sunt provisa remedia conveniens antidotum in soliditate sedis apostolicæ renovavit, eam totius Christianitatis caput constituens et magistram, a qua, sicut unguentum in capite quod descendit in barbam et ad oram etiam vestimenti, panis intellectus et vitæ ad alias Ecclesias cum doctrina procedat fidei et aqua sapientiæ salutaris. Verum, ne inter curas continuas et prægrandes pastor ipsius et rector pro defectu imperfectionis humanæ deficeret, si solus consumendus inani labore ad suam omnia sollicitudinem revocaret, attendens quod messi multæ unus non sufficiat operarius, multos sibi operarios et verbi Dominici cooperatores adjungit, ac per eos exsequi cogitur quæ per se non potest personaliter adimplere, ejus instructus exemplo qui et duodecim apostolos et alios sptuaginta duos elegit, et binos ante faciem suam ad prædicandum direxit. Cum igitur necessitas regni Ungariæ illuc exegerit legatum a nostro latere destinari, nos ad exaltationem et commodum tam regis quam regni specialiter et efficaciter intendentes cum ad partes illas non immerito duximus transmittendum quem inter fratres nostros sincera diligimus in Domino charitate dilectum videlicet filium nostrum G. tituli Sancti Vitalis presbyterum cardinalem, virum genere nobilem, litterarum scientia præditum, morum honestate præclarum, discretum et providum, et suis exigentibus meritis nobis et fratribus charum admodum et acceptum, concessa sibi plenaria potestate ut evellat et destruat, ædificet et plantet quæ in regno illo evellenda et destruenda, ædificanda cognoverit et platanda. Monemus proinde universitatem vestram attentius et exhortamur in Domino per apostolica scripta præcipiendo, mandantes quatenus præfatum cardinalem tanquam legatum apostolicæ sedis et magnum in Ecclesia Dei locum habentem, imo personam nostram in eo recipientes humiliter et devote, ipsiusque salubribus monitis et præceptis pronis mentibus intendentes, quæ inter vos statuenda duxerit, tanquam devotionis filii recipiatis firmiter et servetis ; de cujus nimirum circumspectione provida, et providentia circumspecta indubitam fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus, ita regia via curabit incedere quod non declinans ad dexteram vel sinistram, ipsi Deo, nobis quoque, ac vobis pariter merito poterit complacere. Ipsi proinde universi ac singuli reverentiam debitam et devotam obedientiam impendere satagatis ; ne si, quod absit! a quoquam esset aliter attentatum, præter ipsius cardinalis offensam, cujus censuram canonicam, si quam in contumaces aut rebelles duceret promulgandam, faceremus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, nostram quoque indignationem incurreret, qui secundum Apostolum omnem inobedientiam prompti sumus ulcisci.

Datum Viterbii, Nonis Octobris, anno decimo.

*In eumdem modum archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis tam clericis quam laicis per Dalmatiam constitutis.*

### CXXXVIII.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ET UNIVERSIS TAM CLERICIS QUAM LAICIS PER RUTHENIAM CONSTITUTIS.

*Ut legatum apostolicæ sedis honorifice pertractent.*

(Datum, *ut in alia.*)

Licet hactenus elongati fueritis ab uberius matris vestræ, tanquam filii alieni, nos tamen, qui sumus, in officio pastorali a Deo, licet immeriti, constituti ad dandam scientiam plebi suæ, non

possumus affectus paternos exuere, qui vos sanis exhortationibus et doctrinis studeamus tanquam membra vestro capiti conformare, ut Ephraim convertatur ad Judam, et ad Jerusalem Samaria revertatur. Utinam intelligere velitis sapere ac novissima providere, ut a mentibus vestris omni depulsa caligine, ad viam ab invio redeatis, qui dudum post greges sodalium evagando, vos ejus pertinaciter magisterio subduxistis quem Salvator noster universalis Ecclesiæ caput constituit magistrum, inquiens, ad eumdem : *Tu vocaberis Cephas* (*Joan.* I). Et : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Cui cum Dominus oves suas pascendas tertio repetito vocabulo commisisset, manifeste dedit intelligi eum a grege dominico alienum qui etiam in suis successoribus ipsum contempserit habere pastorem. Non enim inter has oves et illas distinxit, sed simpliciter inquit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), ut omnes omnino intelligantur ei esse commissæ. Cum igitur una sit et indivisa Domini tunica, nec unquam passa sit divortium Sponsa Christi, juxta quod Sponsus in Canticis attestatur : *Una est*, inquiens, *columba mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ ; viderunt eam filiæ Sion. et beatissimam prædicaverunt reginæ, et concubinæ laudaverunt eam* (*Cant.* VI), necesse est ut quicunque ab hujusmodi unitate recesserint, aquis submersi diluvii, partem cum angelo apostata sortiantur. Ut autem ipsius illibata unitas servaretur, unum eidem Dominus, sicut præmisimus, beatum Petrum videlicet, caput constituit et magistrum ; ut quasi Noe arcam, extra quam animalia derelicta in diluvio submerguntur, salvatis cæteris infra ipsam contentis, in uno cubito consummaret, pro cujus fide, ne in sua passione deficeret, specialiter exoravit, eidem præcipiens ut fratres suos conversus aliquando confirmaret. Cum ergo innumeris fere testimoniis Scripturarum, quas voce nec convenit nec expedit ignorare, unitas Ecclesiæ comprobetur, non est mirum, cum simus, licet immeriti, successores illius cui jussit Dominus pascere oves suas, si errabundas oves nitimur ad caulas reducere ; ut sicut est unus pastor, sic fiat unum ovile ; si totis viribus laboramus ne quodammodo difforme fiat corpus Ecclesiæ, si partem aliquam ab eo contingeret separari. Ut autem ad præsens de reliquis taceamus, cum Græcorum imperium et Ecclesia pene tota ad devotionem apostolicæ sedis redierit, et ejus humiliter mandata suscipiat et obediat jussioni, nonne absonum esse videtur ut pars toti suo non congruat, et singularitas a suo discrepet universo? Præterea, quis sit an propter suam rebellionem et inobedientiam dati fuerint in direptionem et prædam, ut saltem daret eis vexatio intellectum, et quem in prosperis non cognoverant, recognoscerent in adversis. Quia igitur, charissimi fratres et filii, si digne volumus impositum nobis pastorale officium adimplere, quantum fragilitas humana permittit, vos ad ea debemus inducere per quæ dispendium temporalium et æternorum possitis periculum evitare, dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Vitalis presbyterum cardinalem, virum genere nobilem, litterarum scientia prædictum, morum honestate præclarum, discretum et providum, et suis exigentibus meritis nobis et fratribus nostris charum admodum et acceptum, ad partes vestras duximus destinandum, ut filiam reducat ad matrem et membrum ad caput, concessa sibi plenaria potestate ut evellat et destruat, ædificet et plantet quæ in partibus vestris evellenda et destruenda, ædificanda cognoverit et plantanda. Monemus proinde, etc., *ut supra usque* obtinemus ; quoniam dirigente Domino gressus ejus, inter vos ea curabit statuere per quæ Deo, nobis quoque, ac vobis pariter merito poterit complacere.

Datum, *ut in alia.*

## CXXXIX.

CLERO ET POPULO VITERBIENSI.

*Ut Viterbiensis Ecclesia sit deinceps cathedralis.*

(Viterbii, IV Id. Octobris.)

(35) Ex privilegio felicis memoriæ C. papæ prædecessoris nostri cognovimus evidenter quod ipse fidem et devotionem vestram attendens, de communi fratrum suorum consilio Viterbiense oppidum honorabili civitatis nomine insignivit, et pontificalis cathedræ dignitate donavit, auctoritate statuens apostolica ut Viterbiensis Ecclesia cum Tuscanensi, Centumcellensi, atque Blendanensi, pontificalem obtineret deinceps dignitatem. Nos autem, qui fidem et devotionem vestram ipsa præsentia corporali certius sumus experti, beneficium principale plenius interpretari volentes, illam Viterbiensi sedi erga Centumcellensem et Bledanensem diœceses honorificentiam confirmamus quam circa ipsas Tuscanensis sedes dignoscitur hactenus habuisse, cui Viterbiensis Ecclesia specialiter est unita, statu tamen illarum sedium, Centumcellensis videlicet et Bledanensis, in suo jure manente. Nulli ergo..... hanc paginam nostræ interpretationis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Viterbii, IV Idus Octobris, anno decimo.

## CXL.

CAPITULO UTICENSI.

*Ecclesia de Balneolis adjudicatur Petro Marco.*

(Corneti, VIII Kal. Novembris.)

Ex litteris venerabilis fratri nostri archiepiscopi et dilectorum filiorum decani Arelatensi et vestararii Nemausensis accepimus quod cum olim causam quæ inter dilectum filium magistrum Petrum Marcum scriptorem nostrum et vos super ecclesia Sancti

(35) Vide t. I *Ital. sacr.* part. II, pag. 306.

Joannis de Balneolis vertebatur, ipsis duxerimus A committendam, iidem partes ad suam præsentiam civitarunt, et auditis utriusque partis allegationibus et planius intellectis, testes receperunt productos; et quia ipsi causæ finem imponere noluerunt, eamdem ad nos remiserunt sufficienter instructam, attestationes receptas suo sigillo signatas nobis fideliter transmittentes. Nos igitur auditis utriusque partis rationibus, et prædictis attestationibus diligenter inspectis, vos ab impetitione ipsius magistri Petri super dicta Ecclesia præsentium auctoritate duximus absolvendos, ipsi super eadem silentium imponentes.

Datum Corneti, VIII Kal. Novembris, anno decimo.

CXLI.

UNIVERSIS COMITIBUS ET BARONIBUS PER REGNUM SICILIÆ CONSTITUTIS.

*Ut regi Siciliæ sint adjumento.*

(Tuscan., XVIII Kal. Novembris.)

Si nec divinam nec regiam metueritis offensam, si nec noxam infidelitatis nec notam infamiæ timeretis, deberetis saltem aut rerum dispendium aut corporum periculum formidare; ut hoc pavore perculsi charissimo in Christo filio nostro Friderico illustri regi Siciliæ in supremo necessitatis articulo constituto debium curaretis et necessarium auxilium impertiri. Certe cum eum alienorum violentia detinebat, qualiscumque vos probabilitas excusabat. Sed, cum ipsum suorum custodiat diligentia, quos ei pia genitrix deputavit, nulla vos potest ratio excusare ne opportunum sibi debeatis obsequium exhibere. Ut quid non improvidi prævidetis quod si vel per inimicorum incursus vel insidias proditorum aut perdiderit vitam aut regnum amiserit, novissima vestra fient pejora prioribus, cum illi procul dubio regnum sint invasuri qui nec personis parcent nec rebus, simul in unum omnibus confiscatis; sicut jam estis experti, utinam non obliti. Sera quidem erit et inutilis pœnitentia cum calamitas irruerit improvisa. Unde cum adhuc tempus habetis, provideatis vobis ab ira ventura. Ipse quidem rex vester per nuntios et apices suos miserabilem nobis querimoniam deposuit, intimando quod, licet comitibus, baronibus, et civibus regni sui sæpe dederit in præceptis ut sibi necessitates multiplices patienti succurrere festinarent, ipsi, more D aspidis surdæ obturantis penitus aures suas ut vocem non exaudiat incantantis, in nullo sibi dignati sunt subvenire, singulis quæ sua sunt procurantibus et nullum ad ipsum urbentibus ex fidelitate vel pietate respectum. Unde cum spiritualis et materialis gladius mutuo se debeant adjuvare, juxta quod legitur: *Ecce gladii duo hic* (*Luc.* XXII), idem rex nobis humiliter supplicavit ut eos qui terrenam non metuunt potestatem per censuram ecclesiasticam cogeremus ad exhibendum sibi subsidium opportunum. Nos igitur et petitionem et conquestionem ipsius justissimam cognoscentes devotionem vestram monemus et exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus eidem regi, etsi non quantum debetis, quantum tamen potestis, festinatum curetis subsidium exhibere in victualibus, armis navibus, et personis, aliisque sibi multipliciter necessariis, ut vestro et aliorum fidelium suorum suffultus auxilio, imminentibus cladibus finem imponat, et regnum suum in tranquilla prosperitate gubernet. Alioquin, cum et commonitionem et comminationem duxerimus præmittendam, in rebelles et contumaces officii nostri debitum exsequemur, gravius forsan quam extiment super eos oppressionis pondus et percussionis gladium inducentes, cum acutus morbus acuta indigeat medicina. Eos autem qui obedire nobis et regi subvenire curaverint grata faciemus remuneratione B gaudere.

Datum Tuscan., XVIII Kal. Novembris, anno decimo.

CXLII.

CLERO ET POPULO TUSCANENSI.

*De privilegiis episcopi Tuscanensis.*

(Corneti, IV Kal. Novembris.)

Justis petentium, etc., *usque* inclinati. Privilegium felicis memoriæ Leonis IV papæ prædecessoris nostri Virobono quondam episcopo Tuscanensi concessum, ne vetustate consumptum valeat deperire, præsenti pagina de verbo ad verbum jussimus adnotari, cujus tener est talio:

« Leo episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Virobono Tuscanensi episcopo ejusque successoribus in perpetuum. C

« Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benivola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertire assensum, ut ex hoc divina nobis remuneratio ascribatur. Ideoque, quia tua fraternitas humiliter postulavit a nobis quatenus episcopum Sanctæ Tuscanensis Ecclesiæ cum plebibus, ecclesiis, capellis, fundis, casalibus, massis, villis, terris, vineis, curtibus, et silvis, vel omnibus quæ sunt in dominio ejusdem episcopii, tibi tuisque successoribus confirmaremus atque corroboraremus in perpetuum, secundum jura prædecessorum tuorum, inclinati precibus tuis, per hujus præcepti seriem præfatum episcopatum Tuscanensem confirmamus atque corroboramus tibi cum omnibus sibi pertinentibus, videlicet in eamdem civitatem quæ Tuscanæ vocatur in gyro et in circuitu episcopii, sive per totam ipsam civitatem, curtes cum domibus, plurimisque casalanis, quemadmodum tuæ retines potestati, atque ecclesiam Sancti Quirici cum domibus et cellis in circuitu suo, et a foris eamdem civitatem, vineis, terris, fundis, casalibus, motendinis, ubicunque eidem ecclesiæ competunt vel competere possunt. Confirmamus etiam tibi in eadem civitate ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ olim caput episcopii exstitit, et nunc plebs facta est, cum domibus, cellis, vineis, pratis, silvis, atque mercatum usque

in portam ejusdem civitatis, cum omnibus et pertinentibus, videlicet casis et hortis et cum omni sua convenientia. Montem Sancti Hermetis cum domibus et hortis, ecclesiam Sancti Michaelis archangeli juxta fluvium Masclam cum fundis et casalibus suis, terris, hortis st silvis, cum angaralibus et tributariis suis, ecclesiam Sanctæ Christinæ, cum silvis, casalibus, pratis et vineis, fundum qui vocatur Casanovula, cum ponticulo et rivo Sancti Pauli ; fundum Ancaranulam, vel si quis aliis vocabulis nuncupatur, cum omni eorum pertinentia vel adjacentia pariter et duorum fundorum qui vocantur Octiganum, Algorum, cnm omni eorum cum sua convenientia, sicuti transit longe lateque usque ad canam Gundimarii. Ecclesiam Sanctæ Christinæ in Valle, et ecclesiam Sanctæ Restitutæ, quæ sunt juxta fluvium Martam, cum omnibus eorum pertinentiis : imo et fundum qui vocatur Planum de Mola cum terris cultis et incultis, et cum omnibus ei pertinentibus. In fluvio Masclæ aquimulos sex, et in fluvio Marta tres, cum omni convenientia. In fundo qui vocatur Fontana Guaralda hortos quindecim. Montem qui nuncupatur vinea montana, cum plagis et appendiciis suis. Montascinum, Montemtremitum, Solonianum, vallem Ingonis, cum vineis, terris, et omnibus eorum pertinentiis, massaritiis, tributariis, sive angaralibus ibidem residentibus. Fundum Petrellæ, fundum Muratula, vallem de Corneto, fundum qui vocatur Doliolum, fundum Marilian, fundum qui dicitur Mola, vallem quæ dicitur de Nasso, montem Supponis, cum terris, pratis, silvis, vineis, hortis, paludibus, et pantanis, atque perennibus ædificiis parietinis, attignis, adjunctis, adjacentibusque eorum, vel cum omnibus eorum pertinentiis. Vallem de Vico, cum vineis et terris ; fundum Sarnanum, cum ecclesia Sanctæ Ruffinæ, et fundum Malvanum, pariterque Cavam scameratam, et Cavam caprilem, cum omnibus eorum pertinentiis. Villam quæ vocatur Peturanum, cum ecclesia Sancti Angeli infra se et terris incensariis quoque ac tributariis ibidem residentibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis. Item et plebem Sancti Martini quæ et supra Sutrium, cum vineis, terris silvis, massaritiis et tributariis ibidem commorantibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis. Fundum qui dicitur Capecelo, fundum Fuscignanum, fundum Landedam, fundum Caiolum, vallem Guidonis longe lateque usque ad ripam, fundum Petella, fundum qui dicitur Cartafago cum vineis, terris, et silvis, sicut extenditur usque ad fluvium Martam, scilicet usque ad vadum Prandonis. Confirmamus etiam tibi tuisque successoribus plebem Sancti Andreæ in Foro, et plebem Sancti Martini in Columnate, et plebem Sancti Herasmi secus littus maris juxta Montem altum, cum domibus, cellis seu curtibus, fundis et casalibus eorum, quoruncunque vocabulis nuncupantur famulis et famulabus ibidem residen- A tibus et in tuo servitio et ditione permanentibus, vel cum omnibus ejus pertinentiis ; simulque et plebem Sancti Sabastiani in Arenula, cum duobus fundis, videlicet Storatianun et Fabritianum, fundum qui vocatur Cavonis, fundum Ruginorula, fundum Carvaliolum, fundum Corgitellum, fundum Morazzanum, nec non et fundum Formellæ. Omnia vero cum finibus, terminis, limitibusque eorum, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, vineis, domibus, curtibus, massaritiis, incensariis, tributariis ibidem residentibus, et cum omnibus eis adjacentibus, vel pertinentibus. In finibus vero maritimæ, territorio Corgnetanensi, fundum qui vocatur Poppe Lupuli inde inde, cum terris cultis et incultis, qui est secus fluvium Martam, et B cum omnibus ejus pertinentiis. Item et fundum qui vocatur Poppe Sanctæ Mariæ, cum terris cultis et incultis, plagiis quoque, et appendiciis suis, vel cum omnibus ejus pertinentiis atque Poppe juxta Waldimandiam, et terras Sancti Stephani, cum omni eorum convenientia, fundum qui vocatur Tureranzanula cum integritate sua. Plebem Sanctæ Mariæ quæ posita est in Terquinio, cum vineis, terris pratis et cum omnibus suis pertinentiis, in Ancarana fundos quatuor, videlicet montem Vulpium, Buttem et Saccali, cum poppis eorum ex utraque parte fluvii Mariæ, et cum omnibus eorum convenientiis. Fundum qui vocatur Fultona inde inde, cum suis omnibus pertinentiis. Porro confirmamus tibi tuoque episcopio, infra civitatem quæ nuncupatur Orcle videlicet plebem Sancti Petri cum duabus ecclesiis C Sancti Joannis et Sancti Angeli, cum curtibus, domibus in eadem civitate et aforis civitatem, terris, vineis, hortis, campis, pretis, silvis, rivis, molendinis, aquarumque decursibus, vel cum omnibus sibi pertinentibus, imo et casalem Sancti Petri, et ecclesiam Sancti Sebastiani, cum fundis et casalibus suis et omnibus eorum convenientiis, pariterque ecclesiam Sancti Angeli ad Petram fictam, cum vineis, terris et omni sua convenientia. Simili modo concedimus et confirmamus tibi, charissime frater Virbone, massam quæ nuncupatur Campi, cum ecclesia Sanctæ Mariæ infra se, et fundum qui vocatur Cavi majore et alium qui vocatur minore, cum terris, vineis, massaritis, angarialibus, tributariis, incensariis, et cum omni datione et persolutione quam D tuis antecessoribus soliti sunt persolvere, et cum omnibus ejus pertinentiis.

Præterea et inde inde medietatem de massa quæ vocatur Forum Casii, cum vineis, terris, silvis fundis, casalibus, curtibus, domibus, famulis et famulabus et omnibus suis pertinentiis. Pari modo et massam quæ vocatur Mazzanum, inde inde, cum plebe Sancti Stephani, cnm vineis, terris seu familiis, et cum sua omni convenientia, atque trium unciarum ex altera medietate suprescriptæ massæ foro Cassii, cum famulis et famulabus suis, seu casalibus, silvis, domibus, curtibus, et hortis, videlicet et horum fundorum Massam Lutiam, Cisora-

num, Attevile, Sippizzanum, Casale, Pastorinanum, A Fraginanum, vallem Petracii, furcule episcopii, Gemulo, Peculiare, Paparanum, Formillum, Carnarum, Calianum, planum de lupo, et aliud plenum, cryptam Moraldi, Cajolum, Restrictum, Vilianellum monachorum, Menorellam, Fonticela, vallem de Puzzu, montem Maurum, cum omnibus eorum adjacentiis vel pertinentiis atque colonis et colonabus ibi residentibus. Curtem Sancti Laurentii, quæ nuncupatur synodochium. Cataassim cum fundis et casalibus suis, vineis quoque, terris servis, ancillis, massaritiis, tributariis, et cum suis omnibus pertinentiis. Infra castrum quod dicitur Vitterbium plebem Sancti Laurentii cum ecclesia Sancti Michaelis archangeli, cum domibus, curtibus infra ipsum Castellum et aforis, fundis, casalibus, terris, B vineis, ortis, aquimolis, rivis, campis, pratis, silvis et omni eorum pertinentia. Enim vero per prædia ipsius castri Viterbii plebem Sancti Petri in vico Palenzano, cum suis ecclesiis Sanctorum Julii et Valentini. Plebem Sancti Andreæ in campo cum ecclesia Sancti Abundii, ecclesiam Sanctæ Luciæ in Solo cocto. Omnes vero cum fundis et casalibus eorum, terris, vineis, pratis, silvis, domibus, curtibus et hortis, famulis et famulabus ibidem residentibus, massaritiis, tributariis, incensariis, angarialibusque eorum, et cum eorum convenientiis, simulque decem et novem fundorum, videlicet Quinzanum, Cardoni, Polleianum, Latrinulam, Maternum Vallem Folianensem, Antonianum, Lucianum, Silianum, Avenule, Messurianum, Cavoni, Curtem de Folianellis, Cavam de Sonsa, vicum Renai, Occani, C Pastrinianum, Stratilianum, vicum Orazanum, cum domibus, curtibus, hortis, fundis, casalibus, vineis terris, campis, pratis, silvis attignis adjunctis adjacentiisque eorum, cum omnibus eorum convenientiis, tributariis, atgarialibus et incensariis suis Plebem Sancti Donati qui vocatur (36)... cum fundis et casalibus suis, videlicet Cortonula, Cardoni, montem Averso, Recisam Novelletam, et vallem Reginam, cum omnibus eorum pertinentiis. Plebem Sancti Laurentii in Palmule cum ecclesia Sanctæ Luciæ et Sancti Euticii, cum villis, fundis, casalibus, domibus, curtibus, hortis, olivetis, et fundum qui vocatur Alzanum et Tucinam, cum terris, campis pratis, pascuis, silvis, famulis, famulabus inibi permanentibus et cum omni jure et ditione eorum. D Imo et curtem Sancti Salvatoris quæ stat juxta latum Bulsini in territorio Mantano, cum terris, silvis, vineis, fundis, casalibus, et cum piscatione laci ipsius; quantum residentes ipsius curtis possunt piscari, sicut tui antecessores obtinerunt. Certissime igitur corroboramus et modis omnibus confirmamus tibi, dilecte et amabilis frater Virbone episcope, tuisque posteris episcopis tuo in episcopio succedentibus plebem Sancti Petri in vico Pergulata secus suprascriptum lacum, cum omnibus ecclesiis, fundis et casalibus suis, videlicet ecclesiam Sanctæ Mariæ in Rumiliano ecclesiam Sanctæ Agnes, ecclesiam Sancti Pancratii in Nuccrino, ecclesiam Sancti Andreæ in Campo, ecclesiam Sanctæ Mariæ ubi corpus Beati Flaviani martyris requiescit, cum casale et burgo suo in circuitu et gyro ejus, una cum omni eorum adjacentia vel pertinentiis, videlicet domibus, curtibus, hortis, terris, vineis, fundis casalibus, campis, pratis, pascuis, silvis, castanetis, montibus, collibus, plagiis, planitis, cum incensariis, tributariis, et angarialibus eorum, vel cum omnibus eorum jure pertinentibus. Itemque et fundorum horum, vallem episcopii, montem Flasconis inde inde, vallem Sanctæ Luciæ, vallem Oriani, et Zuzzanum, planum rotundum, cum omnibus eorum adjacentia vel pertinentiis, insuper terris, vineis, quæ rejacere videntur a capite burgi suprascriptæ Sanctæ Mariæ usque ad viam Tuscanæ, denique et vicum qui cognominatur Quarantianum inde inde, cum ecclesiis, curtibus, domibus quoque et cryptis, multisqus familiis, et cum omnibus suis pertinentiis. Infra lacum nominatum qui vocatur Bulsinus, insulam quæ cognominatur Martana, cum monasterio Sancti Stephani, et cum eorum omnibus pertinentiis. Plebem Sancti Andreæ secus fluvium Mart. cum suis ecclesiis Sancti Viti, Sancti Joannis, Sanctique Laurentii, cum casis, curtibus, hortis vineis, fundis, casalibus, molendinis, piscariis, cannariis; et medietatem de ipso fluvio ad molendinos rigandos in multis locis, una cum colonis et colonabus ibidem residentibus vel omnibus ejus pertinentiis. Simulque et horum fundorum, videlicet Cajolum, Vallicellas, Silvabubla, planum de Fontana, Mergonem, Metatam, Cazzanum, Metianum, planum Sancti Viti, montem Sancti Andreæ, et Catillianum, una cum omnibus eorum adjacentiis vel pertinentiis, terris, campis, pratis, vineis, silvis; casis, curtibus, servis; et ancillis, massaritiis, tributariis ibidem commorantibus. Massam quæ dicitur (37)... cum plebe Sancti Joannis infra se, quæ est supra fluvium Mart. cum vineis, terris, fundis, casalibus, atque angarialibus suis, et incensariis, cum suis convenientiis. Massam quæ vocatur vicum Marianum, cum plebe Sancti Joannis, eorumque fundorum, scilicet Rizzolanum, pratum poppæ Lupuli, Caium flajaunm, Finianum, Sclapplanum, pratum longum, et Stonum, cum domibus, curtibus, terris, hortis, vineis, campis, pratis, silvis, massaritiis et tributariis, vel cum omni eorum pertinentia, atqne fundum qui vocatur Aminitum, cum casis, curtibus ecclesiis, domibus terris, vineis, casalibus, et cum omni eorum competentia, una cum famulis et famulabus ibidem residentibus. Fundum qui dicitur campus de Pinis, cum plebe Sancti (38)... juxta lacum, cum terris, vineis, et sua pertinentia. Massam quæ cognominatur Olenzana, cum ecclesiis Sanctæ Mariæ, Sancti Joannis, et Sancti Felicis, cum fundis et casalibus

(36) Hic locus vacuus relictus est in originali.
(37) Hic locus vacuus relictus est in originali.

(38) Hic locus vacuus relictus est in originali.

eorum, et cum omni eorum pertinentia, nec non et ecclesiam Sancti Cassiani, cum curte Sancti Ambrosii, qui positus est in Feruleto, cum fundis et casalibus eorum, terris, campis, pratis, vineis, hortis, silvis, colonis, colonabusque ibidem resideutibus, et cum omnibus ei pertinentibus. Fundum qui vocatur Septinianum cum omni sua pertinentia. In territorio Custren, fundorum duorum, scilicet Amponianum et Astronianum, cum eorum convenientiis. In sala trium fundorum, Vivovalle, Paternum, et Tulizanum, cum domibus, curtibus, vineis, terris, campis, pratis, pascuis et omnibus eorum pertinentiis, atque plebem Sancti Laurentii quæ nuncupatur Intrintilianum, cum fundis et casalibus et suis omnibus pertinentiis. Massam quæ cognominatur Soranum cum fundis et casalibus suis et omni integritate sua. Confirmamus etiam et corroboramus tibi, amantissime frater, tuum episcopatum Tuscanensem cum terris, omnibus ecclesiis et monasteriis quorum infra subscriptos affines esse videntur, ei in futuro construentur, tam per urbes et castella quam etiam per diversa oppida, massas, burgos et villas, cum districtione omnium ecclesiarum et venerabilium locorum, presbyterorum et monachorum, quatenus per te tueantur et secundum sanctorum Patrum canones defensentur et ordinentur. Incipientibus vero a finibus tui episcopatus, scilicet a mari magno et inde per fluvium Minionem, sicuti recte extenditur in crypta S. Pancratii, et sicuti recte extenditur in pedem Leuprandii, qui est inter territorium Orclanum et Bledanum, et recte pergit ad Cavam Fardengam, et inde transit ad Butten, aquæductus quæ est in strata Beati Petri apostoli, et inde pergit in cacumine montis qui dicitur Folianum, et sicut vadit via per ipsum montem in Civitellis, et venit in Staphile, qui dividit inter Ortem et comitatum Viterbiensem, et sicut venit in locum Planculæ et vadit inter territorium Viterbiense et Polimartiense, et deinde pergit usque ad Petram fictam, et inde venit ad Rivum sanguinarium, et pergit ad rivum qui vocatur Arlinus ad Mausileum, et deinde vadit per lacum ad Mausileum quod est in campo Rosano, et deinde venit per ecclesiam Sancti Maximi, et deinde venit in Sanctum Bartholomæum, qui positus est in Marsuano, et deinde venit in Septinianum, et abinde in Musileum Caninum et inde pergit in Canestrasi, et sicuti intrat in Tamone, et ipse Tamo intrat in Armine, et sic currit in mare. Infra quos fines sunt plebes suprascriptæ, monasteria, civitates, castella, hæreditates, ac territoria diversa, et si quid aliud inter hos fines concluditur quod ad ipsum tuum episcopatum aliquo modo possit pertinere, a præsenti quinta indictione tibi tuisque successoribus in perpetuum confirmamus et corroboramus, sancientes apostolica censura sub divini judicii attestatione et anathematis interdicto ut nullus unquam præsumat, cujuscunque sit dignitatis præditus potestate, vel etiam quæcunque magna parvaque persona, ex omnibus

A quæ superius leguntur quoquo modo auferre a tuo episcopio aut contrarietatem facere. Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu tentaverit iis quæ a nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dicti tui episcopatus statuta sunt refragari aut in quoquam transgredi, sciat se anathematis vinculo innodatum et cum diabolo et ejus atrocissimis pompis atque Judas traditore Domini nostri Jesu Christi æterni incendii supplicio concremandum. At vero qui pio intuitu observator et in omnibus exstiterit custodiens hujus nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, et vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Ficolai notarii atque regionarii et scriniarii sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ,
B mense Februario, indict. v. Bene valete.

Datum VIII Kal. Martis per manum Leonis primicerii summæ apostolicæ sede, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Leonis papæ IV in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, mense et indict. suprascripta v.

Datum Corneti, IV Kal. Novembris, anno decimo.

## CXLIII.

### CALARITANENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ut latas contra nonnullos sententias faciat publicari.*

(Corneti, VI Kal. Novembris.)

Illis es merito comparandus de quibus inquit propheta: *Canes muti sunt non volentes latrare* (*Isa.*
C LVI), cum grave et grandes subditorum excessus non solum corrigere negligas, sed etiam corrigere prætermittis, sicut ex eo colligitur evidenter quod incestuosam copulam a nobis inhibitam inter filiam marchionis de Massa et Hugonem de Basso conniventibus oculis contrahi permisisti. Sed et illis potes merito comparari de quibus Veritas ait: *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos* (*Luc.* IX), cum dolositates exerceas sub specie honestatis, sicut in negotio Gallurensi comperimus te fecisse. Putabamus quidem oculum tuum simplicem esse, nullam tenebrarum partem, habentem. Sed, quod dolentes referimus, angelus Satanæ transfiguravit se in angelum lucis, et sub ovina pelle lupina rabies se abscondit. Licet autem sis immemor et ingratus dilectionis et gratiæ quam tibi studuimus exhibere,
D adhuc tamen experiri volentes utrum in te aliqua devotionis et obedientiæ scintilla remanserit per ap. t. s. dis. præc. m. q. præfatos marchionem et Hug. de Basso diligenter moneas et inducas ut prælibatam incestuosam copulam omnino dissolvant, ac sententias excommunicationis et interdicti latas auctoritate nostra in dominas et terram Galluris, nec non et Bambertum Pisanum, solemniter innoves et declares, teque usque ad festum Resurrectionis Dominicæ proximo venturum apostolico conspectui repræsentes. Alioquin extunc scias te ab officio pontificali suspensum.

Datum Corneti, VI Kal. Novemb. anno decimo.

CXLIV.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS ET UNIVERSIS CLERICIS IN REGNO ARAGONIÆ CONSTITUTIS.

*De libertate electionum episcopalium*

(Corneti, III Kal. Novembris.)

(39) Solet annuere, etc., *usque* impertiri. In litteris siquidem char. in C. fil. n. Petri illustris regis Aragonum sic de verbo ad verbum perspeximus contineri. Petrus Dei gratia rex Aragonen. Comes Barchinonen, et dominus Montis pessulani venerabilibus in Christo Terraconen. archiepicopo et universis episcopis, abbatibus, cæterisque ecclesiarum prælatis et eorum conventibus in regno et dominio nostro constitutis, æternam in Domino salutem.

Regi regum, per quem reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, et sponsæ ejus, sanctæ videlicet Ecclesiæ, integram libertatem conservare volentes, pessimam consuetudinem a nobis hactenus observatam, qua electionem prælatorum sine nostro consilio et assensu procedere non permittebamus, amore Dei et sanctæ Ecclesiæ et pro remedio animæ nostræ et parentum nostrorum relaxamus, vobisque et universis successoribus vastris et conventibus in omni juridictione nostra constitutis liberam eligendi facultatem per nos et per omnes successores nostros, assensu regio minime requisito, in perpetuum indulgemus, hoc solum nobis et successoribus nostris reservantes, ut libere et canonice electus in signum regiæ fidelitatis nobis et successoribus nostris debeat præsentari. Nos igitur devotionem regiam in Domino commendantes, et approbantes in hac parte statutum ipsius, illud auctoritate apostolica confimamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Corneti, III Kal. Novembr., anno decimo.

CXLV.

ABBATI ET CONVENTUI S. MARTINI DE MONTE.

*De revocandis alienationibus monasterii.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ne causa sententiali calculo diffinita in recidivæ contentionis scrupulum relabatur, judicialis diffinitio atramentali debet calamo exarari. Præsentibus ergo litteris innotescat quod nos auditis et intellectis attestationibus, instrumentis, et allegationibus universis propositis coram nobis in causa quæ vertebatur inter œconomum vestrum ex parte una et Fortiguerram ac Raynucium filium Poli Guiddoti cives Visterbienses ex altera super accasamentis quondam Tornampart. et terris de Risiare ac Salicis cum molendino ubi facta est gualkeria, sententiam Jacobi et Matthæi judicum Vitterbien. contra monasterium inique prolatam omnino cassamus, et sententiam a ven. f. n. R. civitatis Castellanensis episcopo et P. Ismaelis tunc abbate Sancti Andreæ contra præfatos cives minus provide promulgatam corrigimus in hunc modum, videlicet quod, cum constet monasterium vestrum in venditione prædictarum rerum ultra dimidiam justi pretii fuisse deceptum, præfati cives aut recepto pretio possessiones restituant memoratas, aut suppleant quantum legitime ostendetur tempore venditionis justo pretio defuisse. Nulli ergo... nostræ diffinitionis, etc... Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

CXLVI.

LUNDENSI ARCHIEPISCOPO.

*De clerico per saltum promoto.*

(Tuscan., XIV Kal. Novembris.)

Per tuas nobis litteras intimasti quod tempore bo. me. prædecessoris tui clericus quidem consilio cujusdam sacerdotis, quem familiarem habebat, ut ad sacros ordines minis acceleraret inductus, cum esset acolytus, subdiaconatus ordine prætermisso, præsumptuose se fecit in diaconum promoveri; qui, postmodum pœnitentia ductus delictum suum cuidam pesbytero patefecit; a quo fuit eidem injunctum ut in aliquo monasterio sub regulari habitu Domino ministraret; ubi cum per annos aliquot permansisset, super prædicto excessu quemdam duxit episcopum iterum consulendum, qui nihil eidem injungens delictum hujusmodi tuo judicio reservavit. Tu vero ipsi postmodum injunxisti ne in diaconatus officio ministraret, donec quid super hoc esset agendum nostræ suscepisset beneplacitum voluntatis, ipsumque iterum in alio monasterio collocans nobis humiliter supplicasti ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem f. t. p. A. sc. m. quatenus, si alias propria sibi merita suffragantur, ipsum suscipere faciens subdiaconatus ordinem, quem omisit, eidem postmodum auctoritate nostra dispensative licentiam tribuas, in diaconatus officio ministrandi.

Datum Tuscan., XIV Kal. Novemb., anno decimo.

CXLVII.

EIDEM.

*De electione archiepiscopi Upsalensi.*

(Corneti, VIII Kal. Novembris.)

Tam per litteras tuas quam char. in. C. fil. n. S. Sueth. regis illustris et ven. f. n. suffraganeorum, et dil. fil. capituli Ecclesiæ Upsalen. et aliorum multorum accepimus quod bo. me. archiepiscopo Upsalen. viam universæ carnis ingresso, dicta Ecclesia, tum propter tuæ peregrinationis absentiam, tum etiam propter insolentiam regionis, diu mansit pastoris officio viduata, sed nunc Spiritus sancti gratia inspirante in quemdam prædicti regis capellanum V. nomine virum utique litteraram et ornatum moribus, et, ut credis, virtutibus decoratum, clerus et populus consensu et petitione unanimi convenerunt. Sed, quia de legitimo non est matrimonio procreatus, ipsum, sicut vir providus et honestus, in eisdem litteris non electum, sed potius

(39) Vide additionem ad lib. VIII *De concordia sacerdotii et imp.* cap. 10.

ad episcopale vocatum officium nominasti, humiliter supplicans, ut quia, quantum humano constare potest judicio, persona satis videtur idonea, et cleri electione, regis consensu, ac populi petitione vocata, cum eo dispensare misericorditer dignaremur, proponens quod nisi expediret Ecclesiæ memoratæ, ac regem et populum crederes propter hoc maxime ad favorem Ecclesiæ inducendum, libertatem quoque ipsius per hoc nihilominus conservandam, pro eo nullatenus porrigeres preces tuas, cum nulla Ecclesia sit in mundi partibus constituta quæ tantum propter insolentiam populi jugo subjaceat servitutis. Nobis autem cum fratribus nostris super hoc habentibus diligentem tractatum, multa incerta et dubia occurrerunt, tum quia ignoramus quantum idem V. defectum in natalibus patiatur, cum multiplex super hoc considerationis delectus debeat adhiberi, tum quia nobis non constat utrum provincia Upsallen. tantum defectum sustineat in personis quoad archiepiscopale officium assumendum alia persona non possit in ea magis idonea inveniri. Accedit ad hæc quod, cum in ipsa provincia presbyteri ex prava consuetudine mulieres sibi non metuant matrimonialiter copulare, si hujusmodi consuetudinem intendis de ipsa, sicut accepimus, exstirpare, indecens esset pariter et absurdum ut ad tantum officium talis assumeretur persona qua in exemplum deducta, tuum posset propositum impediri. Nos igitur, attendentes quod in talibus urgens necessitas et evidens utilitas dispensationis gratiam promerentur, honestati ac discretioni tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, per ap. sc. m. q. circumstantiis studiose pensatis, Deum habens præ oculis, auctoritate nostra circa confirmationem postulationis ipsius et postmodum consecrationem procedas sicut ad divini nominis gloriam et Christianæ religionis profectum videris procedendum. Ad hæc, propter devotionem tuam et necessitatem Ecclesiæ Upsallensis nec non et remotionem loci, ne ipsa Ecclesia fatigetur laboribus et expensis, pallium de beati Petri corpore sumptum plenitudinem videlicet pontificalis officii, tibi transmittimus; ut si forte ad dispensandum videris procedendum, illud eidem conferas sub forma quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin ipsum ad nos remittere non postponas.

Datum Corneti, VIII Kal. Novembris, anno decimo.

## CXLVIII.

P. ARCHIPRESBYTERO ET CANONICIS SANCTI XISTI VITERBIEN.

*Confirmatur quædam concordia.*

(Sutrii, XVIII Kal. Decembris.)

Inter vos et ven. f. n. Raynerium Vitterbien. episcopum suborto scrupulo quæstionis super quarta decimarum, mortuariorum, procurationibus, oblationibus, synodatico et quibusdam aliis juribus episcopalibus, quæ a vestra Ecclesia idem episcopus tanquam sibi debita requirebat tandem, post publi-

A cationem testium et exhibitionem instrumentorum, in talem concordiam nobis mediantibus amicabiliter convenistis ut tam vos quam successores vestri non nisi in quarta decimarum et mortuariorum eidem episcopo et ejus successoribus teneamini respondere, ab aliis autem præstationibus et servitiis eadem ecclesia libera sit penitus et immunis, salva in omnibus obedientia et reverentia quam ei tanquam episcopo vestro et successoribus ejus debetis in spiritualibus exhibere; de iis vero, quæ vobis oblati vestri de cætere sani donaverint inter vivos, nullam eidem episcopo vel successoribus suis cogamani tribuere portionem. Nos igitur eamdem concordiam approbante, ipsam auctoritate apostolica confirmanus et præ. se. p. co. Nulli ergo. . .

B nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Sutrii, XVIII Kal. Dec. anno decimo.

## CXLIX.

ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Indulgentiæ concessæ pugnantibus adversus Albigenses.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Decembris.)

Inveterata pravitatis hæreticæ corruptela, quæ succrescit assidue in partibus Tolosanis, fetus non desinit parere monstruosos, per quos in alios corruptione propriæ vesaniæ derivata, reviviscit instanter et pullulat detestabilis successio damnatorum, qui de suæ vanitatis adinventionibus gloriantes, dogmata rectæ fidei aspernantur, et eo amplius prædicatam sibi veritatem obaudiunt quo,

C dum abyssus abyssum invocat, et nox nocti indicat scientiam, confictam sui mendacii falsitatem aliis liberius suggerentes, sese considerant in suis falsis assertionibus singulares. Hi nimirum habentes juxta verbum Apostoli speciem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes, sub religionis imagine, quam se solos habere fatentur, multos incautos dulcedine verborum illiciunt, et reddunt suis malitiis uniformes. Hos utique in libro Sapientiæ mulier illa designat quæ ornatu meretricio præparata proclamat: *Intexui funibus lectum meum, tapetibus pictis stravi* (*Prov.* VII). Hæretici siquidem cœlestium verborum contextu et ornatu eloquentiæ picturato salubre auditoribus stratum separare promittunt, in quo a tumultu vitiorum libero corde quiescant, sed locum potius perditioni construunt

D funibus peccatorum, propter quod dicitur per Prophetam: *Vaccas Betzhaven coluerunt habitatores Samariæ* (*Ose.* X). Hæretici namque, qui habitare se in Samaria, id est in mandatorum Dei custodia mentiuntur, cum legem Dei non intelligant, sed impugnent, lascivas sectas multiplicis novitatis et erroris enutriunt. Sed, cum in præsenti vel in futuro pœnam suæ nequitiæ debitam patientur, lugebit populus super eos. Dominus etenim juxta verbum propheticum tam domum æstivam quam domum percutiet hiemalem, et domus eburneæ deperibunt qui tam eos qui, æstantes fervore lasciviæ, voluptatibus carnis inserviunt, et qui, ut religiosi ab homi-

nibus habeantur, a quibusdam vitiis abstinendo macerant carnem suam, quam illos etiam qui politis sermonibus ad deceptionem simplicium falsa confingunt, percutiet Dominus et disperget, faciens eorum memoriam cum sonitu deperire. Licet autem ad corrigendum hoc pessimum genus hominum in tuo regno degentium, qui ad subversionem Christianæ fidei de vanitate conveniunt in idipsum, et ad eorumdem multimodæ dolositatis imagines in nihilum redigendas operam dederimus multoties et per multos, ipsi tamen in reprobum sensum dati nec propositas rationes attendunt, nec terrentur comminationibus, nec possunt blanditiis deliniri. Ideoque, cum ferro abscidenda sint vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, et qui correctionem ecclesiasticam vilipendunt brachio, sint sæcularis potentiæ comprimendi, auxilium tuum, fili charissime, invocandum duximus ad vindicandum injuriam Jesu Christi et capiendas vulpeculas quæ vineam Domini Sabaoth non cessant in simplicibus demoliri, serenitatem regiam monentes attentius et exhortantes in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad exstirpandos tam degeneres palmites, qui missis radicibus in profundum labruscos generant et non uvas, ad eliminandam quoque spurcitiam tam nocivam accingaris viriliter et potenter, ut et fidei tuæ puritas, quam tanquam princeps catholicus servas in mente, strenuis actibus in opere declaretur, et hæreticæ perfidiæ sectatores potentiæ tuæ virtute contriti ad veritatis notitiam saltem inter afflictiones bellicas reducantur. Quanto enim Dominus Deus tuus in regni tui perturbationibus tibi benignus astitit et dedit exitum gloriosum, terram tuam in tranquillitatis quiete ponendo, tanto inimicis ejus et Ecclesiæ suæ te convenit robustius obviare. Nos enim, ut securius his possis intendere, terram tuam et homines tuos ac eorum bona interim sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et, si quis, quod non credimus, te vel tuos nequiter molestare præsumeret, tantam injuriam, quam reputaremus sedi apostolicæ principaliter irrogatam, curaremus per cen. canonicam vindicare. Volumus insuper ut ipsorum hæreticorum bona omnia publicentur, et tam tibi vel in persona propria laboranti, vel necessarium auxilium impendenti, quam hominibus terræ tuæ, qui contra perfidos arma susceperint expugnandos, illa valeat remissio peccatorum quam his qui laborant pro terræ sanctæ subsidio duximus indulgendam; cujus necessitatis te ac illos volumus esse memores, ne contingat illius impedire succursum.

Datum Romæ apud S. Petrum, xv Kal. Decemb. an. decimo.

*In eumdem fere modum universis comitibus, baronibus et militibus, et universis christi fidelibus in regno Franciæ constitutis. Eadem dat.*

*In eumdem fere modum... Trecem et... Viromanden. et... Blesen. comitissis. Eadem dat.*

*In eumdem fere modum... comiti Barren. Eadem dat.*

*In eumdem fere modum... duci Burgundiæ et... Nivernen. et... Drocen. comitibus et No. vi. G. de Donpierra. Eadem dat.*

## CL.

### W. EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

*De supplenda negligentia patronorum.*

(Sutrii, Id. Novembris.)

In nostra præsentia tua proposuit fraternitas conquerendo quod cum quidam monachi et alii viri religiosi quasdam parochiales ecclesias in tua diœcesi teneant ad usus proprios deputatas, et in quibusdam aliis, pro quibus annum censum accipiunt, jus obtineant patronatus, cum easdem ecclesias vacare contingit, capellanos et alios clericos instituendos ibidem tibi, prout de jure tenentur, negligunt præsentare. Unde nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc dignaremur utiliter providere. Quocirca fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus quatenus, si prædicti religiosi viri, vacantibus ecclesiis quæ prædictis modis ad ipsos pertinere noscuntur, tibi, prout de jure tenentur, capellanos vel clericos infra tempus a canonibus diffinitum malitiose præsentare contempserint, tu eisdem ecclesiis de personis idoneis providendi liberam auct. nostra suffultus sub. cujuslibet contrad. et app. ob. habeas facultatem, ita tamen ut propter hoc nullum eis præjudicium generetur.

Datum Sutrii, Id. Novembr., anno decimo.

## CLI.

### EPISCOPO PARISIENSI.

*Numerus magistrorum theologorum academiæ Parisiensis definitur.*

(Sutrii, XVIII Kal. Decembris.)

Sicut expedire credimus ut apud civitatem Parisiensem, ad quam pro sacræ paginæ disciplina celebris recursus habetur, theologorum sit copia magistrorum, qui parvulis petentibus panem frangant. et esurientes animas reficiant pabulo verbi Dei, sic etiam decens est ut ipsorum numerositas refrenetur, ne forsitan propter onerosam multitudinem, quæ nihil habet honesti, vel vilescat eorum officium, vel minus composite impleatur, cum Deus omnia fecerit in numero, pondere, ac mensura. Hac igitur consideratione prudenter inducti, auct. præs. firmiter inhibemus ut Parisius magistrorum theologiæ numerus octonarium non transcendat, nisi forte multa necessitas vel utilitas hoc exposcat. Nulli ergo... nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Sutrii. XVIII Kalendas Decembris, anno decimo.

## CLII.

### EIDEM.

*Mandata de providendo qvomodo in exsecutionem mittenda.*

(Datum, *ut in alia.*)

Solet annuere, etc. *usque* impertiri. Cum igitur

examinationem quorumdam, qui a te vel præd. tuis ad sacros ordines sunt promoti, quibus provideri mandamus in beneficio competenti, nonnunquam aliquibus committamus, auctoritate præsentium firmiter inhibemus ne nisi te vel responsale tuo præsente ad examinationem hujusmodi procedatur, ut contra examinandos tibi proponere liceat quidquid rationabiliter duxeris proponendum, ita quod per examinationem aliter attentatam nullum tibi præjudicium generetur, nisi forsan evocatus legitime in elusionem mandati nostri examinationi hujusmodi per te vel responsalem idoneum neglexeris interesse. Nulli ergo... nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

CLIII.

EIDEM.

*Ne monachi singulares sint in monasteriis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum in Lateranen. concilio statutum ne monachi... fraternitati tuæ, de qua certam fiduciam gerimus per ap. sc. m. q., si quem monachum in aliqua ecclesia diœcesana tibi lege subjecta singulariter inveneris habitare, ipsum mo. præ. per cen. ecc. app. re. compellas ut vel ad suum monasterium redeat, vel aliquem honestum fratrem secum habeat commorantem.

Datum, *ut in alia.*

CLIV.

EIDEM.

*Ut monachos et clericos suæ diœcesis corrigat.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod tam a monachis et aliis viris religiosis quam a clericis sæcularibus tuæ diœcesis multa gravia committuntur, quæ, si non fuerint superioris lima correcta, graviorum excessuum materiam ministrabunt Licet autem ex injuncto tibi præsulatus officio in corrigendis subditorum excessibus jurisdictionem obtineas generalem, ut tamen auctoritate mandati nostri tuæ provisionis officium liberius exsequaris fraternitati tuæ, de qua firmam fiduciam gerimus, per ap. sc. m. q. tam circa viros religiosos quam etiam clericos sæculares tuæ jurisdictioni subjectos corrigas, app. re., quæ videris corrigenda, statuens ad reformationem ipsorum quod regulare fuerit et honestum.

Datum, *ut in alia.*

CLV.

EIDEM.

*Datur illi potestas reformandi monasteria suæ diœceseos.*

(Apud S. Petrum, xv Kal. Decembris.)

Licet Ecclesiarum omnium cura nobis immineat, pro monasteriorum tamen sicut specialius nos oportet esse sollicitos, ne forsan in ipsis religionis observantia dissolvatur, quam nostris temporibus Domino disponente plantare cupimus et fovere. Sane, sicut nostro est apostolatui reseratum, in mo-

A nasteriis et aliis locis religiosis diœcesana tibi lege subjectis in victu, vestitu, conversatione ac multis aliis gravitas negligitur regularis, et multa gravia committuntur ibidem, quæ cedunt non solum in animarum dispendium, sed etiam scandalum plurimorum. Fratres præterea locorum ipsorum contra suæ professionis propositum retinere propria non formidant. Cum igitur hæc, si vera sint, relinqui non debeant incorrecta, fraternitati tuæ, de qua certam fiduciam obtinemus, per ap. sc. m. q., super his et aliis inquisita plenius veritate corrigas app. re. quæcunque noveris corrigenda, statuens ibidem quod regulare fuerit et honestum.

Datum Romæ apud S. Petrum, xv Kal. Decemb., anno decimo.

B

CLVI.

EIDEM.

*De unione monasteriorum Vallis profundæ et de Gyf.*

(Apud S. Petrum, xiv Kal. Decembris.)

Ad aures nostras noveris pervenisse quod monasterium Vallis Profundæ in tua diœcesi constitutum tanta rerum temporalium egestate gravatur ut sorores ejusdem loci nequeant de bonis ipsius monasterii sustentari, propter quod interdum, instigante humani generis inimico, pro necessariis acquirendi quædam, minus licita imo gravia committere non verentur. Quocirca fraternitati tuæ per ap. sc. m. q., si ita, monasterium ipsum auctoritate nostra suffultus, sublato cujusl. contrad. et app. ob. monasterio de Gyf tuæ diœcesis, quod pari necessitate
C laborat, adjungere studeas et unire.

Datum Romæ apud S. Petrum, xiv Kal. Decemb. anno decimo.

CLVII.

EPISCOPO PICTAVEN.

*Ut J. ad subdiaconatus ordinem promoveat.*

(Apud S. Petrum, ix Kal. Decembris.)

Ex insinuatione dil. fil. J. scholaris nos noveris accepisse quod olim mater sua in ipsius partus multis angustiis fatigata votum vovit Domino quod quæcunque prolem susciperet, eam in sortem Dominicam deputaret, quæ volens postmodum adimplere promissum, eumdem J. fecit imbui litteralibus documentis et artibus liberalibus erudiri. Verum idem J. a materna non discrepans voluntate, cum
D minores ordines fuerit assecutus, a te instanter petiit ut eum in subdiaconum promeveres. Tu vero, licet habeat patrimonium de quo potest congrue sustentari, et quidam ejus consanguineus ad ordinationem centum solidos annuos sibi fuerit paratus conferre, sicque honorifice valeat vivere de prædictis, oblatis tamen precibus acquiescere recusasti, Nos autem pium ejus propositum attendentes f. t, p. ap. sc. præc. m. q.: si est ita, dummodo sit idoneus, promovere ipsum ad subdiaconatus ordinem non postponas.

Datum Romæ apud S. Petrum, ix Kal. Decemb., anno decimo.

## CLVIII.

CIVIBUS ET UNIVERSO POPULO DERTUSENSI.

*Hortatur eos ut Ecclesiam Dertusensem revereantur.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Decembris.)

Ad nostram audientiam ven. f. n. G. Dertusen. episcopo significante pervenit quod, cum pro eo quod decimas et primitias ad plenum solvere nolebatis, olim vos excommunicationis sententiæ subjecisset, in contemptum excommunicationis ipsius in cœmeterio ecclesiæ præsumpsistis fere centum corpora decedentium sepelire. Postmodum autem super ipsis decimis et primitis justitia mediante pro eodem episcopo sententia promulgata, promisistis vos mandato Ecclesiæ parituros interposito juramento. Verum ab eodem episcopo postmodum absoluti, sicut mandaverat, sepulta corpora extumulare curastis, B volentes contemptum pristinum taliter expiare. Sed procedente tempore, aliqui vestrum conversi retrorsum, et devotionem ostensam in odium deducentes, in suarum perniciem animarum, ad suggestionem fratrum hospitalis Hampostæ, apud eosdem, ecclesiæ memoratæ cæmeterio derelicto, præsumpserunt cum interpositione fidei eligere sepulturam; per hoc ipsi ecclesiæ nitentes læsionem inferre. Tandem quidam ex eis ad conscientiam reducentes, et pœnitentiam volentes agere de commisso, ipsi episcopo sunt confessi hoc ab ipsis fuisse pro suæ damno Ecclesiæ attentatum; sed alii pertinaciter in excogitata malitia perseverant. Quia vero indignum esse videtur ut Dertusensis Ecclesia mater vestra, quæ animas vestras spiritualibus relicit alimentis, vos C non sentiat filios, sed privignos, universitatem vestram rogamus, monemus, et exhortamur in Domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus nonobstante hujusmodi juramento, quod ex odio in damnum Dertunensis Ecclesiæ temere præstitistis, tam in vita quam morte more solita eamdem Ecclesiam honorantes, ad statum primistinum redeatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, IV Kal. Decembris anno decimo.

## CLIX.

UNIVERSIS EPISCOPIS PER ANGLIAM ET WALLIAM CONSTITUTIS.

*Hortatur eos ut libertatem ecclesiam tueantur.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Decembris.)

(40) Quanquam virtus obedientiæ magna sit propter D bona quæ sequuntur ex ipsa, mala tamen quæ de contraria sibi constat inobedientia provenire, quodammodo magnificare videntur eamdem; cum sicut collatio boni malum deterius decolerat, ita plerumque malum bono collatum, aliquid ei laudis adjungat Inobedientia quippe de paradiso protoplastum ejecit cui demum Christi obedientia, qui usque ad mortem factus est pro nobis obediens, formam servi accipiendo, subvenit. Denique, Chore natos, qui Moysi mandatis pertinaciter restiterunt, aperta tellus vivos A absorsit; filiosque sacerdotis Heli, qui paterna monita contemnendo errorem suum corrigere neglexerunt, Philisthæorum gladius interemit. Abrahæ vero *Per memetipsum, inquit Dominus, juravi, quia obedisti vocimeæ tuo unigenito non parcendo, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum ut stellas cœli, et benedicentur in tuo semine omnes gentes* (*Gen.* XXII). Puella quoque Rebecca, dum in adaquandis camelis humiliter obedivit, receptis inauribus et armillis Isaac meruit conjugio copulari. Cæterum ex sermone quem propheta loquitur ad populum contumacem ostenditur quod possit obediendo quisquam vel non obediendo mereri. *Si volueritis*, inquit, *et audieritis me, terræ optima comedetis quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocabitis, vos gladius devorabit* (*Isa.* I). Samuel etiam dixisse legitur ad Saulem: *Nunquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut voci obediatur ipsius? Obedientia enim melior est quam victimæ, et auscultare magis quam adipem arietum immolare, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ, acquiescere nolle* (*I Reg.* XV, 22). Ne igitur in vitium inobedientiæ incidatis, virtutem obedientiæ vos oportet fortiter retinere; qui nedum mandato ad hoc speciali compulsi sed pro debito pastoralis officii voluntarii defendere tenemini ecclesiasticam libertatem, et murum pro domo Domini vos opponere ascendentibus ex adverso; ne, si verbum Domini in ore vestro fuerit alligatum, et tanquam canes muti latrare non valueritis, seu potius nolueritis, ex illis effici videamini de quibus dicitur per Prophetam: *Filii Ephrem intendentes arcam et mittentes sagittas suas, conversi sunt in die belli* (*Psal.* LXXVII). Pro justitia quippe pugnare non est vobis aliquatenus formidandum; quia beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam cum probati fuerint, accipient coronam vitæ. Si qua ergo vobis immineat adversitas propter ipsam, gaudendum est vobis potius quam tristandum, apostolorum exemplo, qui teste Scriptura *Gaudentes ibant a conspectu concilii, quoniam digni sunt habiti contumelium pro nomine Jesu pati* (*Act.* V), cum gloriosum sit, non solum episcopo, sed etiam cuilibet Christiano, si propter causam non turpem, sed in Domino commendabilem affligatur, apostolo Petro testante, qui dicit: *Nemo patiatur ut fur; sed si benefacientes et benedicentes molestiam sustinetis, hoc est gratia apud Deum* (*I Petr.* IV). Ecce pro defensione libertatis ecclesiasticæ jussio vobis imminet ut vestra obedientia nota fiat, et persecutio forsan instat, ut patientia vestra proximis innotescat. Si quis itaque timet transgressor effici obedientiam saltem meticulosam impendet; qui vero sperat de ipsa præmium, promeritoriam exhibebit eamdem. Persecutio deinde, si qua fuerit, probationem vobis indubet, ut aliis ad exemplum vestra fortitudo proficiat; et præmium quidem conferet ut quilibet juxta modum afflictionis mensuram retribu

(40) Vide Matth. Paris. ad an. 1208, et Gesta Innoc. III, cap. 132.

tionis acquirat. Proinde,si causam Christi ex corde A agitis, ipse virtutem et fortitudinem vobis dabit, ut divinum timorem præferentes humano,cœlestem regem magis revereamini quam terrenum,ipsumque cum illis qui sub ejus cubito manu adulatrice pulvillos consuunt non palpetis,et non solum in eo per quod auctoritatem Ecclesiæ in vacuum evacuare molitur non acquiescatis eidem,verum etiam opportunæ sedulitatis instantia ipsum a tali proposito retrahatis,non dubitantes ad tempus ei pro defensione justitiæ displicere,cum secundum Apostolum si placeretis omnibus. Christi famuli non essetis; quoniam hoc pietatis opus vobis ad ejus odium non officiet,sed proficiet ad amorem; qui profecto, si quis vestrum in malo foveret eumdem, et nunc ipsum exinde viliorem haberet,et cum ad cor redie- B rit usus consilio saniori, vos quidem pro consilii puritate charissimos,eos autem quorum prava modo suggestione seducitur habebit exosos;et sic demum medicinali manu sanatus agnoscet quam dissimilibus studiis morbum suæ mentis consilia malignantium aggravaverint et sollicitudinis apostolicæ medicamenta sanarint. Nobis quoque,qui circa ipsum medici vices agimus,ad gratiarum actiones assurget et medicinæ, cujus pridem acerbitatem horruerat, tandem laudabit effectum: recognoscensque quod ipsum sincerissima dilexerimus charitate,fatebitur quod quando castigatur qui diligitur, tunc circa ipsum pietas exercetur. Habet enim amor plagas suas,quæ dulciores sunt cum amarius inferuntur. Quia ergo ad nostram audientiam est perlatum quod aliqui vestrum in facto venerabilis fratris nostri C Cantuariensis archiepiscopi S. R. E. cardinalis, in quo non solum Cantuariensis versatur, sed etiam totius Ecclesiæ Anglicanæ libertas, se tepidos exibent et remissos,universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes quatenus in facto ipso,quolibet mundano timore postposito,vos tales exhibere curetis quod per constantiam vestram libertas ecclesiastica defendatur,et cum zelus domus Domini fecerit vos tabescere, charitas ignita per ipsum de persecutoribus ejus vos faciat triumphare: sperantes quod Dominus causæ suæ finem gloriosum imponet; de quo siquidem omnes qui constanter perseveraverint,pariter lætabuntur. Nos enim, qui pro justitia causæ hujus,si expediret,certare usque D ad mortem nullatenus vitaremus,si qui forsan,quod non credimus,mandatis nostris contumaci spiritu præsumpserint obviare, sic eorum curabimus præsumptionem corrigere quod terrore ad posteros derivato,talis non transibit insolentia in exemplum, sed eorum correctio terrere poterit universos.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XIV Kal. Decembris, anno decimo.

## CLX.

NOBILIBUS VIRIS UNIVERSIS MAGNATIBUS IN ANGLIA CONSTITUTIS.

*Commendat eis regem Angliæ,et ut libertatem ecclesiasticam non lædant.*

(Apud S. Petrum.)

Si charissimo in Christo filio nostro Joanni anglorum illustri regi fidem debitam observatis, quam Deo,tam nobis noveritis esse gratum. Cum autem ita vos oporteat terreno regi fideliter adhærere ut cœlestem nullatenus offendatis,in hoc debet fidelitatis vestræ sinceritas vigilare ut a proposito quod idem rex contra Deum concepisse videtur, venerabilem fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum et in eo commissam sibi ecclesiam persequendo (41), fideli cum consilio revocetis, nec permittatis ipsum,quantum in vobis fuerit,consilium abjicere pietatis et in consilio impiorum abire, quorum in una die omnes cogitationes peribunt, consilio Domini, quod in vacuum evacuare conantur, in æternum manente. Sane, cum secundum evangelicam veritatem servire duobus dominis non possitis, procul dubio vobis expedit ut in eo quod præfatus rex Deo contrarium sese ponit, nequaquam foveatis eumdem,sed timorem divinum præponentes humano ipsum cum illis qui sub ejus cubito manu adulatrice pulvillos consuunt non palpetis,nec dubitetis ad tempus ei pro causa justitiæ displicere,quoniam hoc pietatis opus vobis ad ejus odium non officiet, sed tandem proficiet ad amorem; qui profecto cum ad cor redierit usus consilio saniori, vos quidem pro consilii puritate charissimos, eos autem, etc., *ut in alia usque* amarius inferuntur.Quocirca nobilitatem vestram monemus attentius et propensius exhortamur,per apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum injungentes, quatenus apud eumdem regem fidelibus persuasionibus et salubribus consiliis insistatis,ut per viam Roboam minime incedendo,consilia maturiora non spernat,sed eos qui caput ejus oleo peccatoris impinguant foventes ipsum in malo tanquam adulatores despiciat, et velut corruptores expellat,ac recolens quod Oza pro eo quod in arcam, devote quidem, sed indigne, manus extenderat,a Domino sit percussus,ad ecclesiastica jura manum mittere non præsumat; ne qui regnum Balthasar judicio manus scribentis: *Mane, thecel, phares* (*Dan.* v), inopinabiliter occupari permisit a Persis,ei propter Ecclesiam suam,quam inaniter humiliare disponit, graviter indignetur; sed potius recogitet dona Dei,qui eumdem in conspectu regum sua benignitate magnificans, per Ecclesiæ Romanæ favorem nomen et potentiam suam inter cæteros mundi principes magnifice dilatavit. Vos igitur, quorum fidem atque prudentiam regis et regni necessitates debent efficaciter experiri,sic in articulo mali hujus intentioni præfati regis occurratis fideliter ac prudenter ut non patiamini vos et

(41) Vide Matth. Paris. ad an. 1207 et 1208.

regnum ejus in illam perturbationem induci a qua, quod absit! de facili nequeat expediri. Nos enim, qui pro justitia causæ hujus, si forsitam expediret, certare usque ad mortem nullatenus vitaremus, a defensione libertatis ecclesiasticæ manum apostolicam retrahere non disponimus; quæ profecto abbreviata non est, imo per Dei gratiam sic extenta quod in quem fuerit ex meritis aggravata spiritualiter et temporaliter, ingens pondus oppressionis inducere valebit in ipsum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

CLXI.

LONDONIENSI, ELIENSI, ET WIGORNIENSI EPISCOPIS.

*Ut sententiam interdicti ab omnibus faciant observari,*

(Apud S. Petrum.)

Ne prætextu libertatis seu etiam privilegii cujuscunque sententiam interdicti quisquam observare recuset, quam pro negotio Cantuariensis Ecclesiæ per totam Angliam per vestræ sollicitudinis providentiam mandavimus, si necesse fuerit, promulgari, fraternitati vestræ per iterata scripta mandamus et districte præcipimus quatenus, si secundum apostolici mandati tenorem sententiam ipsam videritis promulgandam, sublato, cujuslibet contradictionis, appellationis et excusationis diffugio, omnes pariter sæcularium et regularium, Hospitalariorum et Templariorum, seu etiam quorumcunque religiosorum ecclesias eadem sententia concludatis. Et, quoniam in prioribus litteris de ecclesiis in Wallia constitutis non fecimus mentionem, volumus et mandamus ut similiter in eas auctoritate præsentium sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo procedatis, cum et ipsæ Cantuariensi metropoli sint subjectæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

CLXII.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO URBEVETANO.

*Committitur eis causa quædam Viterbiensis.*

(Apud S. Petrum, v Kal. Decembris.)

(42) Cum causa, quæ inter œconomum monasterii Sancti Martini de Monte Viterbiensis ex parte una, F. et R. cives Viterbienses ex et altera, super accasamentis quondam Tornampartis et terris de Rasiare ac Salicis, et molendino ubi facta est galcheria, vertebatur, coram nobis fuisset aliquandiu ventilata, nos, intellectis rationibus utriusque partis et attestationibus diligenter inspectis, cum constitisset nobis monasterium ipsum in prædictarum rerum venditione ultra dimidium justi pretii fuisse deceptum, sententiando decrevimus ut præfati cives aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitime venditionis tempore justo pretio defuisse. Cum igitur... abbas et fratres ejusdem loci probare per testes intendant quanti pretii venditionis tempore possessiones fuere prædictæ, præsentium vobis auctoritate mandamus quatenus infra trium mensium spatium recipientes, appellatione remota, testes quos alterutra partium duxerit producendos, audiatis causam, et eamdem remittentes ad non sufficienter instructam, præfigatis partibus terminum competentem in quo nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ. Si vero pars monasterii ad hunc probandum articulum eosdem testes produxerit quos ad alium probandum produxit, vos nihilominus eos recipere procuretis, quoniam aliud est probasse deceptionis excessum, et aliud probare quantitatem valoris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, v Kal. Decembris, anno decimo.

CLXIII.

SILVANECTENSI ET ATREBATENSI EPISCOPIS, ET ABBATI LATINIACENSI.

*De electione episcopi Meldensis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum vota Meldensis Ecclesiæ in duas se diviserint partes, quibusdam eligentibus cantorem Meldensem, aliis autem abbatem Sanctæ Genovefæ postulantibus in pastorem, non auditis quæ fuerunt hinc inde proposita, tam electionem cantoris quam postulationem abbatis exigente justitia duximus reprobandam, non propter defectum aut vitium alterutrius personarum, sed propter indiscretum et inordinatum processum contra constitutiones canonicas attentatum. Ne vero Meldensis Ecclesia diutius remaneat pastoris solatio destituta, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad ipsam Ecclesiam accedentes, convocatis canonicis, singulorum scrutemini voluntates, et si vel totum capitulum vel major et sanior pars ipsius infra octo dies in personam idoneam, præsertim de ipsa ecclesia, concordaverit, electionem ipsius, sive sit subdiaconus, sive diaconus, sive presbyter, confirmetis. Alioquin extunc auctoritate nostra suffulti, assignetis et concedatis ipsis in præsulem virum litteratum, providum, et honestum; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam compescentes. Quod si non omnes, duo vestrum, sublato appellationis obstaculo, etc.

Datum, *ut in alia.*

CLXIV.

*Ut subdiaconus eligi possit in episcopum* (42*).

(43) A multis multoties an subdiaconus in episcopum eligi valeat hæsitatur. Siquidem Urbanus primus papa decrevit ut nullus in episcopum, nisi in sacris ordinibus se religiose vivens inventus fuerit, eligatur. *Sacro* inquit, *ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos Ecclesia primitiva legitur habuisse. Subdiaconos vero, quia et ipsi mini-*

(42) Vide supra epist. 145.

(42*) Hæc epistola, ideo quia generalis est, nullum titulum habet in regesto, neque in tertia collectione. Sed, quia decretalis quæ istam antecedit in tertia collectione dirigitur episcopo Mutinensi, Raymundus illi quoque inscripsit istam. Data est autem occasione electionis episcopi Meldensis, ut colligitur ex epistola 163.

(43) Cap. *A multis* ext. de æt. et qualit. ordin. Vide addit. ad lib. VIII *De concord. sacerd. et imp.* c. 13.

*strant altaribus, opportunitate exigente concedimus, si tamen spectatæ scientiæ ac religionis existant quod ipsum non sine Romani pontificis vel metropolitani licentia fieri permittimus.* In quibus verbis innuitur quod Urbanus ad statum Ecclesiæ primitivæ se referens, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur, instituit ut de subdiacono, nisi causa utilitatis, et tunc etiam de permissione metropolitani vel Romani pontificis, non posset electio celebrari. Verum cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus papa II, sub his verbis expressit : (44) *Erubescant impii et intelligant judicio sancti Spiritus eos qui in sacris ordinibus, presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorumdem graduum dignitate*; et iterum : (45) *Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere nisi aut virgo aut probatæ castitatis, et qui usque ad subdiaconatum unicam et virginem uxorem habuerit*; et ad similitudinem diaconi et presbyteri subdiaconus continentiam debeat observare, sicut est in sexta synodo constitutum, ut si quis eorum qui ad clerum accedunt nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc ante subdiaconatus ordinem faciat, et beatus Gregorius statuisse legatur ut nullum facere subdiaconum præsumant episcopi nisi qui se caste victurum promiserit, nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus ut subdiaconus libere valeat in episcopum eligi sicut diaconus vel sacerdos.

CLXV.

PARISIENSI EPISCOPO.

*De appellationibus ad sedem apostolicam.*

(Apud S. Petrum, II Id. Decembris.)

(46) Sollicitudinem pastoralis officii prudenter exsequeris cum super dubitationibus juris responso sedis apostolicæ postulas edoceri. Sane, sicut ex tua insinuatione recepimus, duobus coram suo episcopo litigantibus, cum alter eorum ad sedem apostolicam appellasset, episcopus interpositæ appellationi non deferens, sed appellantem reputans contumacem, ipsum excommunicationis vinculo innodavit; qui coram metropolitano suo de episcopo petiit super hoc sibi justitiam exhiberi, asserens quod post appellationem ad nos legitime interpositam ipsum excommunicaverat et excommunicatum fecerat publice nuntiari, et petens se ad eum statum in quo fuerat appellationis tempore a metropolitano reduci, denuntiari videlicet absolutum, adjiciens etiam quod appellationi non renuntiabat objectæ, sed prosequi volebat eamdem. Unde tua fraternitas requisivit a nobis utrum metropolitanus de hujusmodi conquestione cognoscere valeas, et si repererit illum legitime provocasse, an eum denuntiare debeat absolutum, et an si episcopus coram archiepiscopo appellaverit, ne is qui excommunicatus ab eo fuerat absolvatur, appellationi sit hujusmodi deferendum

A Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod sicut metropolitanus de appellatione ad nos interposita cognoscere omnino non valet, sic nec de his quæ post appellationem ipsam fuerint innovata, dummodo de illis cognosci non possit nisi et de appellatione pariter cognoscatur, vel de iis quæ appellationis causam contingere dignoscuntur. In quo casu si metropolitanus ad cognoscendum suas partes interponere forte præsumeret, episcopus utique posset ad appellationis beneficium convolare. Nam ad officium ejus qui de appellatione cogniturus est pertinet prudenter corrigere quæ contra ipsam invenerit attentata. Si vero notorium forsan existeret quod mandatum episcopi indiscretum fuerat vel injustum, cui non tenebatur subditus obedire, ac
B per consequentiam ei liqueat evidenter subditum legitime provocasse, potest archiepiscopus auctoritate metropolitica declarare subditum irrationabiliter exstitisse anathematis mucrone percussum. Cum autem excommunicatus qui appellaverat juxta præscriptam formam coram archiepiscopo, deponit contra episcopum quæstionem, ut videlicet de injuria sibi ab episcopo irrogata cognoscat, metropolitanus ipse ad cognoscendum de causa potest interponere partes suas, cum ille appellationis prosecutioni renuntiare tacite videatur. Sed si verbo vel facto appellationem se velle prosequi protestetur, sicut in proposito casu superius est expressum, non est tanquam adversa petens et sibi contrarius audiendus.

C Datum Romæ apud Sanctum Petrum, II Idus Decembris anno decimo.

CLXVI.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI BERTINI.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Decembris.)

Justi petentium, etc.. *usque* precibus annuentes, concessionem quam bo. me. Balduinus comes Flandrensis super molendinis Sancti Bertini monasterio vestro fecit, sicut sine juris præjudicio alieni facta est, et in ipsius instrumento noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem rei evidentiam idem scriptum huic paginæ nostræ de verbo ad verbum duximus inserendum. « Ego Balduinus Flandrensis et Hanoniæ comes notum esse
D volo præsentibus et futuris quod cum quorumdam consilio infra castrum Sancti Audomari prope monasterium Sancti Bertini molendina construere proposuissem, quæ, sicut mihi suggestum fuerat, sine alicujus damno vel injuria me facere posse putabam accessit ad me abbas Sancti Bertini, ostendens mihi privilegium Roberti junioris Flandriæ comitis, in quo continebatur quod inter Archas et Broborc et Lodic nulli nisi ecclesiæ Sancti Bertini molendina construere liceret; et hoc dominus Calixtus papa privilegio quod mihi ostensum est confirmabat, et

(44) Dist. 32, c. 11, *Erubescant.*
(45) Dist. ead. c. 12. *Nemo.*

(46) Cap. *Sollicitudinem*, De appellat.

ne aliquis contra hoc venire præsumeret sub interminatione anathematis districte præcipiebat. Quia igitur pro salute animæ meæ iter Hierosolymitan. arripueram, et justitiam potius omnibus quam injuriam alicui facere in proposito et voluntate habebam, scripto quod super hac re fratres de Claromarisco a me impetrasse dicebantur, ne aliqua inposterum ecclesiæ Sancti Bertini per hoc injuria irrogari possit, per præsens scriptum derogandum esse censeo, et privilegium prædicti Roberti prædecessoris mei, ut fratres ecclesiæ Sancti Bertini pro me et uxore mea semper orare debeant, præsentium auctoritate reconfirmo. Actum anno Domini 1202, VIII Idus Aprilis, »

Nulli ergo ... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XII Kalend. Decemb. anno decimo.

## CLXVII.

ELECTO MORINENSI, ET PRÆPOSITO WATTENENSI, ET DECANO SANCTI AUDOMARI MORINENSIS DIOECESIS.

*Confirmatur concordia inita inter monrsteria Sancti Bertini et de Claromarisco.*

(Apud S. Petrum, Id. Decembris.)

Ex parte dilectorum filiorum Sancti Bertini et Claromarisci abbatum et conventuum nostro fuit apostolatui supplicatum ut quamdam compositionem super quodam marisco et querelis in litteris compromissionis expressis inter eos initam et certa pœna firmatam apostolico dignaremur munimine roborare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus compositionem ipsam sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta, per censuram ecclesiasticam faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, reducentes in statum debitum quidquid præter formam compromissionis præscriptæ inveneritis illicite attentatum. Nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes ... tu, fili electe, cum eorum altero, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Decembris anno decimo.

## CLXVIII.

PRIORI ET CONVENTUI DUNELMENSI.

*Conceduntur eis privilegia.*

(Datum, *ut in alia.*)

Sacrosancta Romana Ecclesia, quæ omnibus se favorabilem exhibet et benignam, in iis quæ a rationis tramite non discordant illos consuevit suæ defensionis clypeo specialiter communire in quos perversorum calumnia noscitur debacchari. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, archiepiscopi et episcopi in quorum diœcesibus possessiones habetis, in vos, ecclesias, et homines vestros interdum excommunicationis et interdicti sententias proferant pro suæ arbitrio voluntatis, nos tranquillitati vestræ volentes paterna sollicitudine præcavare, auctoritate præsentium in-

A hibemus ne aliquis archiepiscopus vel episcopus in vos vel ecclesias vestras sine manifesta et rationabili causa excommunicationis aut interdicti sententias promulgare præsumat. Nulli ergo ... nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

## CLXIX.

DECANO BELNENSI.

*Simoniam committit qui bona sua legat Ecclesiæ ca conditione ut in ea præbendam obtineat.*

(Apud S. Petrum, III Non. Decembris.)

Tua nos duxit discretio consulendos, si quis alicui ecclesiæ de bonis suis quædam obtulerit petens ut in vita sua sibi liceat eadem bona in ipsa ecclesia pro præbenda tenere, an bona recipi debeant sic oblata, et idem clericus assumi valeat in canonicum ejusdem
B ecclesiæ absque vitio Simoniæ. (47) Nos igitur devotioni tuæ taliter respondemus, quod si quis clericus cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, et ut in canonicum admittatur, hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio Simoniæ, cum in talibus omnis pactio ac conventio cessare debeant juxta canonicas sanctiones. Si vero pure ac sine pacto et conditione qualibet offerat aliqua bona sua, rogans humiliter ut in canonicum admittatur, et ut bona ipsa in vita sua retinere sibi liceat pro præbenda, et clerici ejusdem ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio procul dubio fieri poterit absque scrupulo Simoniacæ pravitatis. Licet autem taliter duxerimus respondendum, quia nobis
C datum est de manifestis tantummodo judicare, si tamen is qui talem donationem facit, ea intentione ducatur ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, et clerici qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille quam isti apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium et cognitor secretorum, culpabiles judicantur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, III Non. Decemb. an. decimo.

## CLXX.

EPISCOPO ET DECANO SILVANECTENSI, ET ABBATI DE CHASLIS SILVANECTENSIS DIOECESIS.

*De jure abbatis Carrofensis in monasterium Andrense*

(Apud S. Petrum, VIII Id. Decembris.)

D (48) Cum per privilegium felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, quod nobis olim præsentatum inspeximus, dilectis filiis priori et conventui Sancti Salvatoris et Sanctæ Rotrudæ Andrensis monasterii sit concessum ut ejusdem cœnobii obeunte abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres vel eorum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti Regulam duxerint eligendum, ad petitionem eorumdem prioris et conventus ipsis super hoc nostras litteras concedentes, curavimus

(47) Cap. *Tua nos*, De simonia.

(48) Vide tom. IX *Spicil*, *Dacher*. p. 564, 567, 568, 575, et cap. *Cum dilectus*, De consuetud.

districtius inhibere ne quis super eadem concessione temere ipsos impetere vel molestare præsumat, sed liceat ipsis et successoribus suis nunc et amodo, cum Ecclesiam abbate vacare contigerit, personam idoneam de gremio suo vel aliunde per regularem electionem sibi præficere in pastorem, Karrofensi monasterio humiliter præsentandum, ut ab ipso confirmationem accipiat, et reverentiam ei quam debet impendat. Nuper autem nuntius Karrofensis Ecclesiæ ad præsentiam nostram accedens sua nobis insinuatione monstravit quod locus in quo Andriensis Ecclesia est fundata, ex quo primo monachos habuit, fuit in eleemosynam concessus Ecclesiæ Karrofensi, et jus diu exstitit prioratus, sed tandem ad petitionem illius qui eleemosynam fecerat sustinuit quod fieret abbatia et pleno jure subesset eidem et semper abbatem postularet ac reciperet de monasterio memorato. Quæ utique institutio per plures Romanos pontifices exstitit confirmata. Cæterum tempore prædicti Alexandri prædecessoris nostri nulla de prædictis omnibus habita mentione ut personam idoneam regulariter sibi possent præficere in abbatem, ab eo dictum meruerunt privilegium obtinere, nec tamen sunt hactenus illo usi. Nunc autem ad aliam Ecclesiam (49) eorum abbate translato, nisi sunt in fraudem a Karrofensi Ecclesia impetrare ut semel tantum de suis eligerent et electum Ecclesiæ præsentarent; pro quo non parvam pecuniam tam ipsi abbati quam monachi et novos Ecclesiæ redditus offerebant. Sed cum eorum petitio nullatenus fuisset admissa, et bonæ mem. Morinensis episcopus sub excommunicationis pœna præcepisset eisdem ut infra certos dies eligerent, sicut consueverant, de monasterio Karrofensi, et abbas nostram audientiam appellasset, et posuisset terminum, ne quid circa electionem faciendam de antiqua et approbata consuetudine immutarent, iidem tacitis omnibus supradictis prædictam inhibitionem impetrarunt a nobis, et antequam impetrassent eamdem nihilominus elegerunt. Præterea nobili viro comiti de Vines (50), in cujus sunt dominio, concesserunt eidem super hoc litteras capituli conferentes, ne de cætero possent eligere sine ipso, et sic bona Ecclesiæ donis et oblationibus distrahunt et attentant plurima quæ vix poterunt revocari. Quia vero super his nobis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis ad præsentiam vestram qui fuerint evocandi inquiratis super præmissis omnibus diligentius veritatem, et si de partium processerit voluntate causam ipsam appellatione remota fine canonico terminetis. Alioquin quæ inveneritis redigentes in scriptis, eadem nobis sub sigillis vestris inclusa mittere procuretis, præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Testes autem, etc. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudic., etc. Quod si non omnes.... tu frater episcopo, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VIII Idus Decembris anno decimo.

## CLXXI

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

*De auctoritate metropolitanorum, et appellatione.*

(Apud S. Petrum, XIV Kal. Januarii.)

(51) Licet in corrigendis excessibus juxta canonicas sanctiones appellationis sit diffugium interclusum, et ideo venerabilis frater noster Parisiensis episcopus a nobis acceperit in mandatis ut tam circa monachos et alios viros religiosos quam etiam clericos sæculares suæ jurisdictioni subjectos, qui multa gravia committere proponuntur quæ cedunt non solum in animarum dispendium, sed etiam in scandalum plurimorum, inquirat et corrigat appellatione remota quæ viderit corrigenda, statuens ad reformationem eorum quod regulare fuerit et honestum, quia tamen intentionis nostræ nec fuit nec esse debuit jurisdictioni tuæ per mandatum hujusmodi derogare, auctoritate præsentium duximus declarandum quod si forsitan in inquisitionibus ab eodem episcopo, non tanquam delegato, sed tanquam ordinario, faciendis aliquis casus emerserit in quo licitum sit ad sedem metropoliticam appellare, prædicti occasione mandati auctoritati tuæ quo minus ad te tanquam ad metropolitanum appellari valeat nolumus aliquatenus derogari. Tu tamen nec impedias per te ipsum, nec per alios facias impediri, quo minus idem episcopus in corrigendis excessibus subditorum officii sui debitum exsequatur et si forsan in casu concesso ad te fuerit appellatum in appellationis causa prudenter et juste procedas.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XIV Kal. Januarii anno decimo.

## CLXXII.

WIGORNIENSI, HELIENSI ET HEREFORDENSI EPISCOPIS.

*De negotio archiepiscopi Eborac. et episcopi Dunelmensis.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Januarii.)

A regalis celsitudinis auditorio non est ita lectio divinorum librorum, sicut credimus, aliena quin Herodem regem misisse manum suam, ut affligeret quosdam de Ecclesia, Lucam audierit recitare (52). Cujus utinam detestanda memoria charissimum in Christo filium nostrum Joannem regem Anglorum illustrem commoveat; ut quod religioso judicio damnare debet in illo, maturio consilio corrigat in se ipso. Pervenit siquidem ad nos clamor, et in plurimas mundi partes non absque regiæ famæ detrimento percurrit, quod pravo seductus consilio manum suam in Ecclesiam extenuere non expavit, et venerabilem fratrem nostrum Eboracensen archiepiscopum multipliciter affligendo mobilia et immobilia sua bona diripi ac invadi et a suis exactiones

(49) Id est, ad Ecclesiam Hamensem.
(50) Gines.

(51) Cap. *Licet*, De off. jud. ord.
(52) Vide lib. II, epist. 87.

gravissimas per apparitores fecit tam impios extorqueri qui et corpora resistentium sibi caperent et bona nihilominus confiscarent, ac tandem eodem archiepiscopo cum episcopo Dunelmensi super hoc flexis sibi genibus supplicante, oblitus regiæ mansuetudinis, deprecationem ipsorum imo venerationem Creatoris in ipsis despexit. Cum igitur ejus exemplo nos deceat pro terræ mansuetis arguere qui servis suis nocere hominem non permisit ac reges corripuit pro eisdem, serenitatem regiam rogandam duximus attentius et monendam ut quæ sunt digna rege recogitans, præfato archiepiscopo ac suis et Ecclesiæ, imo Deo tam plenam quam debitam satisfactionem faciat exhiberi. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus dictum regem, nostras ei litteras præsentantes, quas super hoc destinamus eidem, prudenter moneatis ad id et efficaciter inducatis. Alioquin, quantumcunque ipsum in Christi visceribus diligamus, regioque velimus honori deferre, quia nos libertati ecclesiasticæ non oportet propter humanum deesse favorem. quam Dominus noster Jesus Christus suo sanguine comparavit, volumus et præcipimus ut nisi ad commonitionem vestram adimpleat quæ præmisimus, totam Eboracensem provinciam supponatis ecclesiastico interdicto, et illud faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; contradictores appellatione postposita per censuram ecclesissticam compescendo Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, xv Kal. Januarii, anno decimo.

CLXXIII.

I. DE LONGOCAMPO ROTHOMAGENSI ARCHIDIACONO.

*Ei infirmo conceduntur procuratores.*

(Apud S. Petrum, II Id. Decembris.)

Cum secundum Apostolum nos oporteat cum infirmantibus infirmari, sperans in nostra compassione tuæ passionis solatium invenire, nobis humiliter intimasti quod cum gravi debilitate corporis quandoque turbatus tractare res tuas minus utiliter consueveris, parentes tui te sub simulatione tutelæ occasione infirmitatis hujusmodi tenere aliquoties præsumpserunt, ut bona tua sibi possent liberius vindicare. Unde cum per quosdam ex parentibus ipsis alienatio tuorum reddituum fuerit attentata, licet incolumitate potiaris ad præsens, metuens tamen ne quod nonnunquam accidit, iterum valeat evenire, a nobis suppliciter postulasti ut dilectos filios de Gresten et de Ardenna abbates et priorem Sanctæ Barbaræ tibi procuratores concedere dignaremur. Nos igitur attendentes quod infirmioribus membris propensiori nos decet studio pietatis adesse, prædictos tibi procuratores duximus deputandos auctoritate præsentium districtius inhibentes ne quis sine ipsorum assensu tenere te audeat vel bona tua seu redditus tuos quoquo modo damnoso tractare. Nulli ergo... nostræ inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

A Datum Romæ apud Sanctum Petrum, I Idus Decemb. anno decimo.

CLXXIV.

ABBATI ET CONVENTUI KARROFENSI.

*De confirmatione privilegiorum*

(Apud S. Petrum, II Id. Decembris.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Jus quod in abbatia Hamensi noscimini obtinere, ecclesiam Sanctæ Christinæ de Beureria, ecclesiam Sancti Vedasti de Eka, et capellam Sancti Petri, et jus quod habetis in decima parochiarum Beureriæ et Ekæ, tearas, domos, decimas, homines, redditus, et alia quæ in eisdem parochiis et apud Gotnay, Vendin, Sevebenghe, Hersin, Hesdinol, Nod, Wandericurt, Werkin, Seins, Belgin, Bruay, Ruth, Pernes, Perti, B Tungri, Pinkeneham, Chokes, Rosbeccam, Meternes, Enesim, et Blessy obtinetis, ecclesiam Sancti Leodegarii Aloanniæ, capellam de Losinghehem, et decimam nutrimentorum prædictarum villarum Aloanniæ ac Losinghehem, et terras, prata, redditus homines, et totam justitiam præfatæ villæ Aloanniæ, quæ omnia sunt in diœcesibus Atrebatensi et Morinensi. In episcopatu Ambianensi villam Bovereces cum ecclesia, terris, silva, decima, et omni dominio, jus personatus Ecclesiæ, et tertiam partem decimæ totius patrochiæ de Formeries. In archiepiscopatu Remensi villam dominicam cum ecclesia parochiali, capella, decimis, terris, vineis, dominus, hominibus, redditibus et pratis; ecclesiam Sanctæ Eufrasiæ cum terris, decimis, et aliis justitiis vestris quas in ipsa parochia possidetis, deci- C mam de Corlandin, et quæ habetis in villa de Besaines, et quidquid dominii et justitiæ, census et redditus in prædictis parochiis et in pertinentiis earum habetis. In episcopatu Belvacensi villam Fraxineti cum ecclesia, decima, terris, vineis, hominibus, redditibus, et aliis pertinentiis suis, ecclesiam et quartam partem totius villæ ac parochiæ et communis justitiæ atque dominii et omnium eventuum et forisfactorum de Audencort, omnem terram Renaudi Bugin, et medietatem terrarum campestrium, et omnem decimam omnium terrarum quæ sunt de tenimento dominorum de Audencort, et medietatem totius terragii tenimenti ejusdem, et quartam partem totius terræ dominii et justitiæ de Bellencurt, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, vobis et D per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Idus Decemb. anno decimo.

CLXXV.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ EJUSQUE SUCCESSORIBUS, CANONICE SUSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegeorum.*

(Apud S. Petrum, XII Kal. Januarii.)

Ideo sumus ad universalis Ecclesiæ regimen, licet in insufficientibus meritis, providentia supernæ

dispositionis assumpti ut circa universum corpus Ecclesiæ aciem debeamus nostræ considerationis extendere et fratribus et coepiscopis nostris, tam iis qui prope sunt quam qui longe, apostolicum suffragium exhibere, ne alicui propter remotionem locorum apostolicæ sedis desit providentia vel tutela. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Sancti Andreæ, cui auctore Domino præesse dignosceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsenti juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principuum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In Fifh, Kilridmund, cum tota Shira, Derveisin, Uhtredinunesin. insulam Iohlevenoh cum appendiciis suis, Munemel, Terineth, Morcambus, Methkil, Kilecincath, Muccard, Pethgob, cum terris ecclesiarum, Strathteihten, Rescolpin, Cas, Dulbrudet, Russin, Losse, et juxta Perth Lungportin. In Maret Buhhan, Munemusch, Culsamuel, Elon, cum terris ecclesiarum suarum et omnibus pertinentiis suis. In Laodonia Listune, Egglesmanekin, Keldeleth, Raththen, Lessuada, Wedale, Clerkintun, Thiningan cum appendiciis suis, Brocchesmuthe. Possessiones autem et redditus qui sunt in Can et Cunevet ad mensam episcopi deputati, sicut eos in præsenti juste ac canonice possides, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica nihilominus confirmamus. Insuper etiam præsenti pagina tibi duximus indulgendum ut possessiones et bona ecclesiæ tibi commissæ, si qua illicite alienata sunt vel distracta, tibi liceat legitime revocare. Liceat quoque tibi in ecclesia Sancti Andreæ, cum priore vacaverit, eum sine contradictione qualibet instituere, sicut hactenus prædecessores tui et tu ipse fecistis, et ipsius excessus, si quando excesserit, digne corrigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata et integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura: salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi A aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, XII Kal. Januarii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Innocentii PP. III, anno decimo.

CLXXVI.

PHILIPPO REGI FRANCORUM ILLUSTRI.

*De causa divortii*

(Apud S. Petrum.)

B Ab eo credimus processisse in cujus manu cor regis existit, et quocunque voluerit vertit illud, quod, sicut per dilectum filium Joannem abbatem Sanctæ Genovefæ, virum providum et fidelem, ac etiam per litteras tuas nobis intimare curasti, ad reginam disponis accedere, tentaturus utrum eam cognoscere possis, dummodo per hoc nullum tibi vel causæ tuæ præjudicium generetur, si forsan eam cognoscere non valueris, duos articulos exprimens, quos nunc explicare non expedit, in quibus tibi asseris providendum. Oportet utique, fili charissime, quod si volueris maleficium contra conjugium intentare, cum timore Domini ad reginam accedas, et adhuc tentes diligenter ex fide, præmissis orationum, eleemosynarum et sacrificiorum suffra- C giis, utrum cum ea carne commercium valeas exercere, ut cognoscatur ex hoc an ipsum maleficium sit solutum. Nos enim cupientes te, quantum cum Deo possumus, expedire, præsentibus tibi litteris intimamus quod, si forsan illi nequiveris carnaliter commisceri, nullum per hoc tibi vel causæ tuæ volumus præjudicium generari, quamvis in altero illorum duorum articulorum nos utique quoad jus bene tibi providere possimus, in reliquo vero tu tibi melius quoad factum valeas præcavere. Si ergo permissum non fuerit ut cum ipsa regina possis fieri una caro, et super impedimente maleficii volueris experiri, nos, cum requisiti fuerimus, ad judicium procedemus, sine quo profecto non prævales ab hoc vinculo liberari.

D Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

CLXXVII.

COLOCENSI ELECTO

*Confirmatur electio ejus.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Januarii.)

Quoniam juxta canonicas sanctiones multa nonnunquam electionem impediunt quæ postulationem impedire non debent, cum secundum rigorem juris procedatur in illa, sed in ista favor gratiæ potius requiratur, electionem quam de te dilecti filii Colocenses canonici fecerant, licet pro confirmatione ipsius apud nos precibus multiplicatis institerint, propter defectum tamen ætatis, quem eo tempore amplius sustinebas, exigente justitia non duximu

confirmandam. Quia vero te nuper a nobis humiliter postularunt propter urgentem necessitatem et evidentem utilitatem quæ de tua speratur promotione futura, te, cui et morum honestas et competens scientia, sicut credimus, suffragatur, Colocensi ecclesiæ concedendum duximus, in pastorem, prædictis canonicis nostris dantes litteris in præceptis ut postquam dilectus filius Gregorius tituli Sancti Vitalis presbyter cardinalis apostolicæ sedis legatus quod est a nobis dispositum ipsis denuntiaverit observandum, tibi tanquam pastori suo a nobis concesso et confirmato tam in spiritualibus quam temporalibus obedire procurent. Ne vero dispositiionem nostram frustrari contingat, devotioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si forsan aliquo casu denuntiari nequiverit quod per prædictum legatum denuntiari mandamus, tu nihilominus auctoritate præsentium, tanquam concessus et confirmatus a nobis, in Colocensi provincia pastoris officium exsequaris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, IX Kal. Januarii anno decimo.

### CLXXVIII.

ABBATI SANCI HILARII, PLEBANO SANCTI PAULI CASTELLANENSIS DIOECESIS, ET MAGISTRO GALLO CANONICO TERVISINO.

*Committitur eis exsecutio cujusdam sententiæ.*
(Apud S. Petrum, XI Kal. Januarii.)

(53) Ex litteris venerabilis fratris nostri patriarchæ Gradensis accepimus quod cum dilectus filius Gradensis primicerius et plebanus Sanctæ Sophiæ de Venetiis, quibus causa quæ inter clericos Sanctæ Justinæ ac presbyterum Albertum, super eo quod idem presbyter clericum se ipsius ecclesiæ asserebat, agitari dignoscitur, a nobis fuerat delegata, mandassent eisdem ut memoratos clericos, qui per archipresbyterum Paduanum, ad quem fuerat super eodem negotio quoddam a nobis rescriptum obtentum, in quo, sicut asseritur, de prioribus litteris mentio non fiebat, denuntiati fuerant excommunicationis sententiæ subjacere, nisi dictum presbyterum in socium reciperent et in fratrem, idem patriarcha denuntiaret anathematis vinculo non ligatos, ipse volens eisdem judicibus in hac parte parere, qui nostra fungebantur auctoritate, maxime cum venerabilis frater noster Castellanensis episcopus ipsis super hoc parendum non duxerit requisitus, clericis Sanctæ Mariæ Formosæ mandatum supradictorum judicum per suas litteras nuntiavit, quas dilectus filius archidiaconus Castellanensis, plebanus ejusdem ecclesiæ, legi publicæ coram populo non permisit. Cumque super hoc paucis diebus elapsis apud Sancti Nicolai monasterium ab eodem patriarcha benigne fuisset idem archidiaconus requisitus, in iram subito concitatus, eumdem patriarcham gravibus verborum injuriis multis præsentibus lacessivit. Qui considerans archidiaconum A ipsum per tantum injuriarum excessum non se tantummodo, sed etiam Gradensem ecclesiam, imo nos ipsos graviter offendisse, tam ipsum archidiaconum quam prædictam ecclesiam ecclesiastico supposuit interdicto, eo præcipue ratione quoniam ex antiqua consuetudine, sicut dicitur, est obtentum ut litteræ quæ per patriarchatum Gradensem a patriarchis Gradensibus diriguntur, indifferenter ab omnibus admittantur. Verum ad instantiam clericorum et parochianorum ecclesiæ supradictæ, quoad ipsam ecclesiam patriarcha interdicti sententiam relaxavit, sub excommunicationis pœna clericis eisdem injungens ne archidiacono participare præsumerent in divinis. Cum autem patriarcha jam dictus cum præfato episcopo ad monasterium Sanctæ Crucis pro B celebrandis cujusdam accessisset, et archidiaconus se vellet divinis officiis immiscere, patriarcha pro vitando scandalo secessit in partem, propter quod archidiaconus ipsum cœpit gravibus verborum injuriis aggravare. Idem quoque archidiaconus, licet a divinis per unius diei spatium cessavisset, postmodum tamen celebrare publice non erubuit interdictus. Ad hæc, de sæpedicto episcopo patriarcha gravem deposuit quæstionem, quod cum sibi et Gradensi ecclesiæ obedientiam teneatur et reverentiam exhibere, quanquam ei mandaverit ut præfatum archidiaconum pro interdicto et clericos Sanctæ Mariæ pro excommunicatis haberet, et faceret excommunicationis et interdicti sententias ab ipso prolatas per Castellanensem diœcesim inviolabiliter C observari, idem episcopus in injuriam patriarchæ permittens archidiaconum in ecclesia Castellanensi libere ministrare, clericis suæ diœcesis sub fidelitatis pœna præcipiendo mandavit ut per ecclesias suas archidiaconum et clericos supradictos nec interdicti nec excommunicationis sententiæ subjacere publice nuntiarent. Unde idem patriarcha nobis humiliter supplicavit ut tantam injuriam et excessum, nec non in ipsum, sed potius contra sedem apostolicam tam ab episcopo quam archidiacono attentatum castigare taliter curaremus ut resecaretur in aliis materia similia committendi. Dictus vero episcopus per suas nobis litteras intimavit quod cum patriarcha denuntiasset clericos Sanctæ Justinæ anathematis vinculo non teneri, D quos idem episcopus prius excommunicatos denuntiaverat, de mandato archipresbyteri Paduani a nobis, sicut asseritur, judicis delegati occasione hujusmodi inter patriarcham et archidiaconum contentione suborta, patriarcha ex commotione quadam archidiaconum interdixit; quo ad appellationis beneficium convolante, patriarcha in sæpedictam ecclesiam interdicti sententiam promulgavit, nec satisfactionem oblatam ab archidiacono super hoc recipere voluit nisi archidiaconus ut ipsius pareret mandatis interposito juramento firmaret. Adjecit etiam eidem episcopus, quod ipse timens ne pro-

(53) Cap. *Ex litteris*, De offic. jud. delegati.

rumperet ad aliquid patriarcha quod ad ipsius episcopi vel ecclesiæ seu clericorum suorum præjudicium cederet vel gravamen, ad sedem apostolicam appellavit, nobis sollicite supplicando ut patriarcham a sui et eccleiæ suæ ac clericorum et ecclesiarum suæ diœcesis molestatione indebita compescere curaremus. Cum igitur super præmissis et aliis inter utriusque partis procuratores fuisset coram dilecto filio Joanne Sanctorum Cosmæ et Damiani diacono cardinale, quem auditorem dederamus eisdem, aliquandiu litigatum, et ipse nobis quæ audierat fideliter retulisset, quia nobis constare non potuit an per litteras quæ ad Paduanum archipresbyterum impetratæ dicuntur, cum nobis ostensæ non fuerint, revocatæ fuerint litteræ ad prædictos primicerium et plebanum ostentæ, causam ipsam vestro duximus examini committendam, per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis plenius veritate, nisi vobis constiterit quod litteræ quæ secundo loco ad prædictum archipresbyterum impetratæ dicuntur, de prioribus litteris ad sæpedictos primicerium et plebanum obtensis expressam fecerint mentionem, ut per secundas primæ appareant litteræ revocatæ, cum primos judices auctoritate litterarum nostrarum jurisdictionem non sit dubium habuisse, quam potuerint postmodum patriarchæ quoad exsecutionem suæ sententiæ demandare, ex qua coertionem etiam idem patriarcha recepit, cum hujusmodi demandata jurisdictio delusoria videretur si subdelegatus hujusmodi coertionem aliquam non haberet, interdicti sententiam ab eodem patriarcha in supradictum archidiaconum promulgatam, pro eo quod ipse patriarchæ prædicti executionem impediens, ejus litteras legi publice non permisit, tandiu faciatis sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari donec eidem patriarchæ de injuriis irrogatis sufficienter fuerit satisfactum. Si vero constiterit primas litteras per secundas legitime revocatas, cum appareat primos judices jurisdictionem nullam penitus habuisse, et ita constet per consequentiam patriarcham ipsum non recepisse jurisdictionem vel coertionem aliquam ab eisdem, prædictam interdicti sententiam ab eodem patriarcha prolatam denuntietis irritam et inanem ; nihilominus archidiaconum supradictum monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes ut pro verborum injuriis quas eidem patriarchæ irrogare præsumpsit, satisfaciat competenter. Testis autem, etc. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, xi Kal. Januarii anno decimo.

---

CLXXIX.

RECTORI ET FRATRIBUS HOSPITALIS SANCTI SPIRITUS IN SAXIA.

*Dantur eis indulgentiæ et privilegia.*

(Apud S. Petrum, iii Non. Januarii.)

(54) Ad commemorandas nuptias salutares quæ in conversione peccatoris moraliter celebrantur inter spiritum hominis in gratiam Conditoris, ex quibus affectus et actiones tanquam filii ac filiæ generantur, Dominica prima post octavas Epiphaniæ quando illud legitur evangelium quod Jesus cum discipulis suis in Cana Galileæ, ubi Mater ipsius erat, invitatus ad nuptias aqnam convertit in vinum, solemnem apud hospitale vestrum instituimus stationem, in quo vox ex institutione nostra divino estis obsequio mancipati, ea potissimum ratione quod in illis nuptiis sex hydriæ secundum purificationem Judæorum fuisse narrantur. Et quidem in hoc hospitali, tanquam in Cana Galileæ, loco videlicet ubi zelus est transmigrandi de vitiis ad virtutes, positæ sunt sex hydriæ, id est sex opera misericordiæ instituta, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientiem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, in incarceratum adire, ad purificationem utique Judæorum, ut per illa videlicet confitentes a vitiis expientur. Istæ vero sex hydriæ usque ad summum implentur quando illa sex opera misericordiæ ad perfectum usque geruntur ; et ex aqua fit vinum, cum ex merito eleemosynæ vis accenditur charitatis. Quia vero Jesus cum dicipulis suis ad has nuptias in Cana Galileæ, ubi mater ejus erat, legitur invitatus, idcirco rationalibiliter instituimus ut effigies Jesu Christi a beati Petri basilica per ejusdem canonicos ad dictum hospitale, ubi memoria gloriosissimæ Matris ejus recolitur infra capsam ex auro et argento et lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam venerabiliter deportetur, fidelibus populis qui ad has nuptias celebrandas devote convenerint desiderabiliter ostendenda (55). Ut autem nos, qui Domino revelante venerandum aliis aperuimus sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis præbeamus exemplum, concedimus, statuimus et jubemus ut pro mille pauperibus extrinsecus adventantibus et trecentis personis intus degentibus decem et septem libræ usualis monetæ, ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane alterum pro vino, aliumque pro carne, ab eleemosynario summi pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur, et canonicis supradictis, qui præscriptam effigiem Salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi et cercus unius libræ qui deferatur accensus, de oblationibus confessionis beati Petri præstentur. Quia vero non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, debet huic stationi Romanus pontifex cum suis cardinalibus interesse,

(54) Vide Spondan. ad an. 1198, § 17. Vide appendicem hujus libri, et lib. xi, epist. 69, 104.

(55) Ista totidem verbis confirmavit Honorius III, apud Raynald. an. 1223, § 21.

ut et missarum solemnia ibi celebret, et exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem, neve fidelis populus famelicus ab his nuptiis revertatur, præter materialem et doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem unius anni de injunctis sibi pænitentiis indulgendo (56). Monemus igitur et obsecramus successores nostros per Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, ut hanc institutionem, quæ, ipso teste, de pietatis fonte processit, faciant inviolabiliter observari; sub attestatione divini judicii prohibentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, constitutionis et jussionis infringere, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, III Non Januarii, anno decimo.

CLXXX.

NIVERSENSI ET AURELIANENSI EPISCOPIS, ET ABBATI DE CURIA DEI CISTERCIESIS ORDINIS AURELIANENSIS DIOECESIS.

*Pœna accusatoris, si in probatione deferit.*

(Viterbii, II Non. Octobris.)

Si consueta temeritas, quæ magis dicenda est corruptela, relinqueretur penitus impunita, tergiversari volentibus libera præberetur audacia malignandi. Ut ergo justus lavet manus suas in sanguine peccatoris, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi Petrus de Stampis Remensis canonicus infra duos menses post denuntiationem sibi a vobis factam irregularitatem illam probaverit qnam contra suum objecit antistitem, vos eum pro tantæ præsumptionis exccesu, quem malitiose commisit, præbenda Remensis Ecclesiæ spolietis, et faciatis eam idoneæ conferri personæ. Theobaldum vero de Pertico Remensem archidiaconum, qui per eumdem Petrum de arcu suo sagittam emisit, nisi percussum dejecerit, ab eligendi potestate quam habet, non solum in Remensi Ecclesia, verum etiam ubilibet in Remensi provincia, suspendatis, ut cognoscant in pœna quantum excesserunt in culpa.

Datum Viterbii, XI Non. Octob. anno decimo.

CLXXXI.

S. DECANO, ET CAPITULO SENONENSI.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Petrum, II Non. Januarii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu. Antiquas et rationabiles consuetudines, immunitates et libertates vestras, seu etiam concessiones, præsertim a bonæ memoriæ Guidone Senonensi archiepiscopo provide vobis factas, sicut in ipsius scripto authentico continetur, quod de verbo ad verbum inferius jussimus adnotari, et vos ea juste ac pacifice possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Illo quippe capitulo, videlicet : *Si aliquid in ordinem suum egerint, a nobis de pœnitentia tantummodo corrigantur*, de communi assensu tam venerabilis fratris nostri Petri archiepiscopi vestri quam tuo, fili decane, præcentoris et cellararii et aliorum quorumdam ex canonicis vestris vobiscum pariter in nostra præsentia existentium sic exposito ut archiepiscopus in spiritualibus, vos autem in temporalibus jurisdictionem super eosdem præsbyteros habeatis. Est autem tenor ejusdem authentici scripti talis :

« GUIDO, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint in Domino salutem.

« Quoniam quæ in tempore fiunt necesse est transire cum tempore, restat ut quæ memoriæ conservare volumus, ne oblivione depereant, scripturæ committamus, quatenus eodem internuntio in futuris temporibus ad posterorum notitiam possit pervenire. Notum sit igitur præsentibus et futuris quoniam boni et sancti Patres ecclesiarum super filios suos diligenter invigilant, et eisdem sustentandis et alendis necessaria beneficia misericordiæ et pietatis obtentu copiose impendunt. Quod profecto non solum in Ecclesia nostra sed et in aliis per orbem ecclesiis sancti pontifices attendentes, diversis magnificentiæ suæ beneficiis erga filios suos collatis piam sui memoriam ad posteros transmiserunt. Hujus rei gratia et nos paterno affectu animoque benigno charissimorum filiorum nostrorum Senonensis Ecclesiæ canonicorum preces suscepimus, et quamplures ecclesias quas diversis temporibus beatæ memoriæ prædecessores nostri eidem conventui contulerunt, et quas tempore nostro ipsis concessimus, ut eas in perpetuum habeant, in pace possideant, quas videlicet ecclesias propriis duximus vocabulis experimendas, Deo auctore concedimus et sigilli nostri auctoritate roboramus. Ecclesiam scilicet de Amorra, ecclesiam de Jolna, ecclesiam de Braio, ecclesiam de Moncellis, ecclesiam de Moisio, ecclesiam de Compiniaco cum capella de Montiniaco, ecclesiam de Eurio, ecclesiam de Ponte-Siriaco cum ecclesia Sancti Ægidii de Nemore cum appendiciis suis, salvo jure Sancti Joannis Senonensis. Ecclesiam de Sancto Albino cum capella de Melers, ecclesiam de Curia Monunculi, ecclesiam de Sociaco, ecclesiam de Sancto Martino, ecclesiam de Gumerio, ecclesiam de Sancto Hilario infra muros urbis, ecclesiam Sancti Mauritii inter duos pontes, ecclesiam de Frateio cum capella de cantu galli, ecclesiam de Amiliaco, ecclesiam de Daimonte, ecclesias de Brueria cum capella Sancti Victoris, ecclesiam de Borovilla, ecclesiam de Roemvillari et de Nangevilla, ecclesiam de Villerario, ecclesiam de Taloan cum capella Sancti Nicolai de Villanova super Equanam, ecclesiam B. Mariæ ejusdem Villænovæ, ecclesiam de Dimone, ecclesian de Lorriaco, ecclesiam de Allento, ecclesiam de Bosco regis, ecclesiam de Chanquolla, ecclesiam de Castellariis cum capella Sanctæ Getninæ, et cum capella de Escrevis, eccle-

(56) Vide Gesta Innoc. III, cap. 144.

siam de Malleio vicecomitis. Præsentationes etiam A presbyterorum in præfatis ecclesiis capitulo concedimus; qui medietatem beneficiorum vel quantum inter eos rationabiliter compositum fuerit per sacramentum eidem capitulo persolvent et ab omni exactione, collecta, et hospitiis, circadis etiam et synodis, et ab omni submonitione ei justitia tam archidiaconorum quam archipresbyterorum penitus sint immunes. Porro si aliquid in ordinem suum egerint, a nobis de pœnitentia tantummodo corrigantur. Concedimus etiam illis in omnibus præfatis ecclesiis, et in illis quæ inposterum illis conferentur, succursum, quotiescunque contigerit ecclesias vacare. Præterea concedimus eis plenitndinem potestatis faciendi et exercendi justitias in malofactoribus suis laicis, nisi homines nostri fuerint, B et in presbyteris suis, quantum ad ipsos pertinet. Notandum vero quod duas præfatas ecclesias, ecclesiam videlicet de Allento, ecclesiam de Chanquolla, nomine cujusdam præbendæ quam in Ecclesia Senonensi constituimus, capitulo concessimus et donavimus, inhibentes ne fructus prædictarum ecclesiarum in alios usus quam illius præbendæ expendantur. Ecclesiam vero de Bosco regis illis donavimus. Ipsi vero ad petitionem nostram associaverunt in minutis partitionibus quatuor canonicos qui debent esse presbyteri, quos constituimus ad altare Beati Petri in Ecclesia Senonensi, ita quod duo illorum tantumdem percipient in minutis partitionibus quæ fuerint in choro quantum unus de majoribus canonicis. Ecclesiam vero de Castellariis illis donavimus; et ipsi nobis concesserunt C quod post obitum nostrum centum solidos Parisienses in die anniversarii nostri singulis annis distribuent, ita quod clerici non canonici tantumdem percipient duo quantum unus de majoribus canonicis. Actum Senonis in capitulo publice, astantibus ejusdem ecclesiæ personis, Salone decano, Hugone archidiacono, Stephano Thesaurario, Gaufrido præcentore et Vastinensi archidiacono, Haicio cellarario et Pruvinensi archidiacono, Simone Meludunensi archidiacono, Hugone Stampensi archidiacono, Jacquino, Rogerio, Galterio, Guidone presbyteris et canonicis, Guidone, Odone, Reynaudo, Garnerio diaconis et canonicis, Ernaudo, Gaufrido, Reinaudo, Anselmo, Nicolao, Galterio, Nicolao, Girardo, Manasse, Bartholomæo, D Willelmo subdiaconis et canonicis. Præterea cum supranominatis ecclesiis ecclesiam de Varon eis similiter confirmamus. In cujus rei testimonium præsentem paginam scribi fecimus et sigilli nostri auctoritate roborari. Actum anno Verbi incarnati 1187. Data per manus magistri Petri cancellarii nostri. »

Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, II Non. Januarii anno decimo.

—

## CLXXXII.

### TURONENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ei committitur causa adversus episcopum Petragoricensem.*

(Apud S. Petrum, VII Id. Januarii.)

Ad hoc in Ecclesia Dei est, ipso disponente, tua promotio procurata ut opportunus sis nostri ordinis coadjutor, in iis maxime quæ in ea salubrem correctionem exposcunt; circa quod tanto te domus Domini credimus zelo comedi quod divinum amorem mundano prorsus præferendo favori, nunquam debeas in iis quæ tuæ providentiæ committuntur a via rectitudinis declinare. Olim siquidem gravis clamor ad aures nostras de episcopo Petragoricensi pervenit, quod præter multa gravia et enormia quæ de ipso publice dicebantur, usque adeo erat negligens et inutilis circa officium pastorale ut non solum ad instar infecundæ ficulneæ terram inutiliter occuparet, verum etiam ex ipsius defectu gregi sibi commisso multiplex periculum immineret, quod ipse fortassis intelligens, per nuntium suum a nobis petiit, licentiam resignandi; sed tandem carne spiritum retardante, cedenti sibi facultate concessa, cedere non curavit, Cum autem eo novissima sua pejora prioribus faciente, clamor non deficeret, sed gravius invalesceret contra ipsum, venerabili fratri nostro Bituricensi archiepiscopo et dilecto filio priori Grandimontensi dedimus in præceptis ut eum inducerent ad cedendum; alioquin per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellerent ut infra tres menses post susceptionem litterarum nostrarum apostolico se conspectui præsentaret. Qui, sicut nobis per suas litteras intimarunt, cum eum ad id diligentius monuissent, ac ipse post elapsum spatium trium mensium monitioni non acquievisset eorum, demum ipsum suspensionis sententia perculerunt. At ille post aliquantum temporis intimavit eisdem quod iter arripuerat ad sedem apostolicam veniendi, sed ita eum in via quartana febris invasit quod sine periculo corporis cœptum iter non poterat consummare; et sic illicentiatus ab eis ad Petragoricensem Ecclesiam est reversus; ubi, sicut asseritur, post latam sententiam suspensionis in eum beneficia multa dedit, et de bonis ipsius non pauca distraxit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus universas beneficiorum seu quorumcunque bonorum Ecclesiæ concessiones aut distractiones ab eodem episcopo sic suspenso inveneris esse factas, studeas legitime revocare, illos qui se temere duxerint opponendos remoto appellationis obstaculo per ecclesiasticam cohibendo censuram, et inquisita diligentius veritate, si constiterit ipsum, quin potius, ut ita dixerimus, talem a nobis cedendi licentiam postulasse, ne cum uxore Loth videatur retro respicere in salis statuam convertendus, ad cedendum, si commonitus cedere forte noluerit, eum sublato appellationis impedimento compellas. Quod si de hoc tibi constare nequiverit, cum

de insufficientia et inutilitate sua tibi possit plene liquere, ipsum ab administratione Petragoricensis Ecclesiæ appellatione postposita removere procures, et ei facias per electionem canonicam cum consilio tuo de persona idonea in episcopum provideri. Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles quo minus mandatum apostolicum impleatur, a sua præsumptione appellatione postposita ecclesiastica districtione compescens.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VII Idus Januarii, anno decimo.

### CCLXXXIII.

CANONICIS ECCLESIÆ SANCTI BARTHOLOMÆI MEDIOLANENSIS.

*Confirmatur concordia.*

(Apud S. Petrum, V Id. Decembris.)

Dilectis filiis D. monasterii Sancti Dionysii syndico et Jacobo Ecclesiæ vestræ procuratore in nostra præsentia constitutis, dilectum filium nostrum Benedictum tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem ipsis concessimus auditorem. Coram quo procurator proposuit memoratus quod cum in dicta ecclesia Sancti Dionysii per multum temporis spatium clerici fuerint sæculares, bonæ memoriæ Aribertus Mediolanensis archiepiscopus de ipsa ecclesia monasterium faciens, abbatem ibidem instituit et duodenarium numerum monachorum; omni nihilominus jure servato quatuor canonicis, quos in eadem Ecclesia tunc invenit. Licet autem diutius postmodum in eodem loco tam monachi quam sæculares canonici ministrarint, idem tamen canonici se ad ecclesiam vestram, quam fundaverant in quodam prædio quod a G. medico emerant transferentes, electionem fratrum et rerum administrationem liberam in eadem ecclesia multis temporibus habuerunt, prædicto monasterio nulla prorsus servitia exhibentes. Verum emergente postea inter vos ex una parte ac abbatem memoratum Sancti Dionysii super electione canonicorum ecclesiæ vestræ et quibusdam aliis articulis scrupulo quæstionis, bonæ memoriæ Philippus Mediolanensis archiepiscopus super eadem causa contra vos diffinitivam sententiam promulgavit. Propter quod ad sedem apostolicam appellastis. Cumque fuisset eadem causa G. quondam Parmensi archidiacono de utriusque partis voluntate commissa, et in eumdem tam a partis vestræ procuratore quam abbatis et syndici monasterii postea compromissum, idem archidiaconus causam ipsam per arbitrium terminavit. Verum quia successor ejusdem abbatis contra prædictum arbitrium venire præsumpsit, vos ad magistrum Guidottum Decumanorum canonicum nostras litteras impetrastis: qui de causæ meritis certus effectus, prædictum arbitrium confirmavit, et abbati Sancti Dionysii ex parte nostra præcipiens ne contra ipsum arbitrium venire præsumeret, omnino cassavit quidquid contra illud reperit attentatum. Quam sententiam idem abbas humiliter approbando, coram eodem magistro pre-

A misit se velle firmiter observare universa capitula in eodem arbitrio comprehensa. Idem quoque arbitrium per sententiam dilecti filii abbatis Sancti Abundii et archipresbyteri de Grabadone, quibus eadem fuit causa commissa, exstitit, postmodum confirmatum. Unde procurator prædictus petiit ut sententiam ipsam confirmare auctoritate apostolica dignaremur, et faceremus prædictum arbitrium inviolabiliter observari. Præfatus vero syndicus proposuit ex adverso quod cum prædictus Aribertus archiepiscopus memoratum monasterium Sancti Dionysii construxisset, instituit ut inibi ordo monasticus servaretur. Quod O. successor ipsius postea confirmavit. Arnaldus quoque quondam abbas ejusdem loci sæpedictam ecclesiam vestram Sancti Bar-

B tholomæi in ipsius monasterii prædio construendo dignoscitur statuisse ut ipsa Ecclesia subjecta esset in omnibus monasterio memorato, et ejusdem dispositio ac provisio ad idem monasterium plenarie pertineret. Unde cum quidam abbas ipsius loci auctoritate propria quemdam clericum S. nomine in vestra ecclesia ordinasset, et idem a quibusdam canonicis ecclesiæ vestræ tractus fuisset in causam, eo quod sine ipsorum conniventia fuerat ordinatus, V. quondam Mediolanensis archidiaconus, qui de causa ex delegatione A. tunc Mediolanensis archiepiscopi cognoscebat, dictum S. clericum a vestra impetitione absolvit. Cum autem inter abbatem Sancti Dionysii et vos super electione canonicorum ecclesiæ vestræ et quibusdam aliis capitulis quæstio moveretur, Philippus quon-

C dam archiepiscopus Mediolanensis, qui de ipsa controversia cognoscebat, contra vos sententiam protulit super propositis capitulis universis. Verum cum in prædictum Parmensem archidiaconum, cui eadem fuerat causa commissa, fuisset postea minus legitime compromissum, idem archidiaconus contra monasterium iniquum arbitrium promulgavit; quod per dilectos filios priorem de Foncella et Baldoinum canonicum de Brivio, qui auctoritate sedis apostolicæ de ipso negotio cognoscebant, fuit postea reprobatum, cum major pars monachorum monasteri supradicti in ipsorum præsentia præstito juramento firmaverit quod transactio facta per arbitrium supradictum in læsionem monasterii facta fuit, et quod nec transactionem nec arbitrium approbarant.

D Quare dictus syndicus postulavit ut eodem arbitrio reprobato, dignaremur sententiam dicti prioris et sui conjudicis confirmare, Cum igitur super iis et aliis fuisset coram cardinali prædicto aliquandiu litigatum, et ipse nobis quæ audierat fideliter retulisset, nos utriusque partis rationibus intellectis, et inspectis scriptis authenticis quæ ad probandum hinc inde proposita pars utraque duxerat exhibenda, quia nobis constitit supradictum arbitrium per archidiaconum Parmensem latum, in quem fuerat compromissum a partibus, in præsentia prædicti magistri Guidotti ab utraque parte pariter approbatum, nos ipsum arbitrium approbantes, illud

auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut si quid contra tenorem ipsius temere fuerit attentatum, careat robore firmitatis. Nulli ergo... nostræ confirmationis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, v Idus Decemb. anno decimo.

CLXXXIV.

CAPITULO SIGNINO.

*Confirmatur electio episcopi.*

(Apud S. Petrum.)

Ad nostram præsentiam accedentes dilecti filii archipresbyter et . . . canonici Signini ex parte vestra nobis humiliter applicarunt ut electionem de I. a vobis concorditer celebratam auctoritate dignaremur apostolica cenfirmare. Nos igitur electionem ipsam secundum Ecclesiæ Romanæ consuetudinem examinari diligentius facientes, comperimus quod nec obitus bonæ memoriæ . . . episcopi vestri nobis fuerat intimatus, nec a nobis, prout fieri debuit, eligendi licentia expetita, et quod etiam adhuc vivente ipso episcopo quosdam præsumpsistis temere nominare qui super electione futuri antistitis scrutarentur omnium voluntates contra canonicas sanctiones, spretis nihilominus quibusdam canonicis vestris apud sedem apostolicam constitutis. Insuper ne ipsorum aliquis posset in eadem ecclesia promoveri, dictis examinatoribus, quibus potestatem eligendi episcopum contulistis, callide fuit mandatum a vobis quod unum de iis qui tunc erant præsentes ad ecclesiæ vestræ regimen evocarent. Unde habito cum fratribus nostris diligenti tractatum, propter rationes prædictas electionem ipsam judicavimus irritam et inanem. Verum quia paternum affectum quem ad ecclesiam vestram habemus, offensi etiam deponere non valemus, cum et persona censeatur idonea, et ad eam unanimitas vestri censemus aspiret, ipsum I. vobis, non ex electione vestra, sed auctoritate nostra concessimus in pastorem, mandantes eidem ut assumat ecclesiæ vestræ curam, consecrationis munus per nos dante Domino recepturus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum.

CLXXXV.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITULO SENONENSI.

*Ut sinant decanum manere per triennium in studio Parisiensi.*

(Apud S. Petrum, II Id Januarii.)

Quamvis de facili nos flectere non debeat acceptio personarum ad aliqua præter commune debitum concedenda, si tamen meritum alicujus id exigat, tanto facilius ei liberalitatis apostolicæ gratiam elargimur quanto de ipsius conversatione honesta et scientia litterarum evidentioribus conjecturis efficimur certiores. Hinc est quod cum dilectus filius S. decanus vester, litteratura et moribus merito commandandus, disponat per triennium Parisiis commorari, ut infra idem spatium scholas in theologica facultate regendo et aliis et sibi proficiat, et nobis humiliter supplicarit quod ibidem commorandi per tantum temporis sibi licentiam præberemus, ejus preces eo libentius duximus admittendas quo specialibus pro eodem penes nos sua merita intercedunt, cum ex hoc etiam ecclesiæ vestræ commoda valeant provenire majora. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram dictum spatium ob hujusmodi causam ad morandum in scholis Parisius ei liberaliter concedatis, ipsum interim sacerdotalem recipere ordinem non cogentes; mandatum nostrum taliter audituri quod gratum possimus habere pariter et acceptum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, II Idus Januarii, anno decimo.

CLXXXVI.

PATRIARCHÆ JEROSOLYMITANO A. S. L.

*Super provisione archidiaconatus Antiocheni facienda idoneæ personæ.*

(Apud S. Petrum, v Id. Januarii.)

Dilecto filio nostro Joanne Sanctæ Mariæ in via Lata diacono cardinale dilectis filiis magistro Joanni et P. nuntio venerabilis fratris nostri patriarchæ Antiocheni auditore concesso, idem magister proposuit coram eo quod cum olim dilectus filius noster Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis A. S. L. ad partes Syriæ pervenisset, intelligens archidiaconatum ultra sex menses in Antiochena Ecclesia vacavisse, ac per hoc donationem ipsius ad Romanam Ecclesiam devolutam, archidiaconatum ipsum cum omni jure suo eidem magistro legationis auctoritate concessit, factaque sibi canonica investitura de illo, dicto patriarchæ mandavit ut ipsum reciperet et benigne tractaret. Qui se asserens eumdem archidiaconatum cuidam suo concessisse nepoti, quod idem legatus mandaverat non implevit, quanquam etiam super hoc personaliter demum apud Antaradum rogavisset eumdem. Cum autem eidem legato per testes idoneos constitisset quod donatio sua donationem præcesserat patriarchæ, quod etiam nepos ejus multum ab ætate distabat quæ pro talibus a canone diffinitur, factam illi a patriarcha ooncessionem viribus carere decernens, quod ipse de præfato magistro fecerat sententialiter confirmavit, et a priore Bellimontis ac magistro Milone sibi ad hoc exsecutoribus deputatis, stallum in choro et locum in capitulo assignari præcepit eidem, ipsumque in plenam possessionem domorum, casalium, terrarum et aliorum ad archidiaconatum pertinentium introduci. Sciens insuper multas præbendas et dignitates simili modo in ecclesia memorata vacasse, donationi suæ reservavit easdem; e quibus unam Rogerio, aliam vero Bartholomæo clericis assignavit, eos in prædicta ecclesia canonicos statuendo. Cum autem propter varias contumacias quas idem patriarcha circa præmissa commiserat, quasdam sententias protulisset in ipsum, tandem

venerabiles fratres nostri Tripolitanus et Antaradensis episcopi ex parte patriarchæ jam dicti cum litteris de ratihabitione ad ipsius præsentiam accesserunt, dicentes quod idem patriarcha volebat ut tam archidiaconatus quam dignitates et præbendæ a se vel ab ipso collatæ in sua dispositione manerent, ac de ipsis et aliis in præfata Ecclesia secundum suam disponeret voluntatem, quod quidem in prælibatis litteris continebatur expressum. Unde legatus idem prædictas sententias relaxavit, ut eisdem dixit episcopis ut patriarcha de cætero dictum magistrum pro archidiacono, duos vero canonicos constitutos ab ipso pro canonicis Antiochenis haberet, illi quidem archidiaconalia, istis vero canonicalis jura omnia exhibendo. Quod iidem episcopi patriarcham respondere facturum, ipsius nomine recipientes ad pacis osculum Marinum Nicociensem archidiaconum pro magistro et canonicis antedictis. Præterea supradictus legatus Antiochenos canonicos, quos pro eo quod ordinationi suæ contumaciter restitueruntsuspensionis primo et postmodum excommunicationis sententia innodarat, per Valaciensem episcopum et collegas ipsius recepta juratoria cautione mandavit absolvi, ita quod et ante quam impenderent juramentum exprimeretur eisdem, et post absolutionem, sub debito mandaretur ipsius ut quod de archidiacono ipso et duobus canonicis memoratis fuerat statutum ab eo, inviolabiliter observarent; quam videlicet formam si dictus episcopus et collegæ ipsius excederent, processum eorum reputaturum se scriptis vacuum et inanem. Unde petebat idem magister ut archidiaconatum jam dictum confirmare dignaremur eidem et ipsum pacifica faceremus illius possessione gaudere, ac fructus ipsius et possessionum suorum a tempore sibi factæ institutionis subtractos, cum restauratione nihilominus expensarum restitui mandaremus eidem, præfatos canonicos, qui contra juramentum suum eumdem noluerunt recipere, punientes. Pro altero vero ex duobus antedictis canonicis, scilicet R. presbytero, cum reliquis in fata concesserit, suppliciter postulavit ut canonicatum cum una præbendarum illarum quæ tunc temporis ultra sex menses in Ecclesia prænominata vocarent confirmaremus eidem, et faceremus ab eo pacifice possideri. Econtra vero nuntius patriarchæ respondit quod cum W. quondam archidiaconus Antiochenus et concanonici ejus duo ita fuissent in mari sublati de medio quod de ipsis usque ad sequens passagium nulla prorsus haberi potuit certitudo, noluit præpropere patriarcha de archidiaconatu disponere, sed donec de illis effici posset certior exspectare. Transacto igitur secundo passagio, in quo legatum asserit applicasse, cum per publicam famam ei de prædictorum periculo constitisset archidiaconatum cuidam suo nepoti concessit, quam ad præsentiam nostram statim mittere disponebat ut propter ætatis defectum de archidiaconatu pariter et de ipso dignaremur misericorditer ordinare. Postmodum vero prædictus legatus per suos ei litteras intimavit quod archidiaconatum eumdem magistro contulerat antedicto. Cui demum ipse rescribens illum se jam antea suo concessisse nepoti, rogavit ut negotio supersedens, eumdem nepotem, qui pedes in itinere jam habebat, ad apostolicam sedem accedere sustineret. Sed ille preces non admisit ipsius; imo tam patriarcham quam capitulum et ecclesiam durius aggravando super facto archidiaconatus, duos nuntios cum præfato magistro destinavit ad ipsos; qui præsentientes illos in suum accessisse gravamen, ne in quoquam procederent, sedem apostolicam appellarunt. At illi, appellatione contempta, multipliciter cœperunt capitulum in suspensionibus et aliis aggravare. Patriarcha vero primo per litteras et nuntios speciales, ac postmodum per se ipsum non sine magis laboribus legatum adivit, devote supplicans ut ab iis, præsertim post appellationem, desisteret, et causam ad nos sineret devenire. Quod cum non posset aliquatenus obtinere, appellationem innovavit eamdem; eoque a sua præsentia recedente, legatus ipsum ab interdicendi et excommunicandi potestate suspendit et in prædictum capitulum excommunicationis fecit sententiam promulgari; quam etiam singulis diebus Dominicis accensis candelis innovari mandavit; et manum aggravans super eos, duos in eorum ecclesia nominavit canonicos, irrequisitis ipsis, reclamantibus, et invitis. Quia vero princeps et cives Antiocheni, qui jam ante contra ecclesiam se erexerant, ex his quæ in injuriam patriarchæ capitulique fiebant, occasionem sumpserunt in eos enormius debacchandi, ita quod possessionibus Ecclesiæ devastatis, et alio quodam in patriarcham per favorem ejusdem Principis a Syrianis electo, grave periculum sibi cernebat imminere, per quod Antiochia totius Latinitatis communionis subtrahi videbatur, his duobus malis idem patriarcha perplexus elegit minus incurrere ut posset gravius evitare, et sic super facto memorati magistri et aliorum duorum in cardinalis se posuit voluntate; sed præfato magistro postmodum multiplices contumelias et gravamina contra ipsum et capitulum procurante, quasdam litteras a Tripolitano episcopo sibi missas idem patriarcha recepit, in quibus continebatur quod quamplures viri jurati coram ipso episcopo perhibuerant testimonium quod idem magister monachus monasterii Sancti Spiritus de Panormo fuisset. Unde cum super apostasia hujusmodi et aliis quibusdam excessibus patriarcha vocasset cum ut in sua præsentia responderet, ille confusus in semetipso appellando recessit. Prædictis vero duobus stallum assignari præcepit, et dixit se in nullo contradicturum eisdem super ordinatione quam de ipsis in Antiochena Ecclesia fecerat cardinalis. Quare suppliciter postulabat a nobis ut super ipsius ecclesia circa præfatum magistrum, quem asserit apostasiæ nota respersum, et circa præfatum R. qui, ut asserit, est concubinarius manifestus, illitteratus et vilis, qui etiam ad expugnationem Christianorum ante quoddam castrum fecisse dicitur lignea instrumenta, provide respicere dignaremur

Verum idem magister super apostasiæ crimine hoc respondit, quod cum esset medicus abbatiæ Sancti Spiritus de Panormo, et ad eam consuevisset in suis infirmitatibus declinare, quoniam erat vicina mari et flumini domus ejus, juxta consuetudinem suam ad abbatiam eamdem in quadam sua infirmitate divertit. Cumque quadam nocte tante vi ægritudinis laboraret ut quod circa se fieret non sentiret, quidam monachus compatriota ipsius, qui ad custodiam ejus fuerat derelictus, de convalescentia ejus desperans, et de morte præsumens, suam tunicam eum induit, quid circa eum ageret minime sentientem. Cæterum cum prior accessisset ad eum, et ne idem magister irasceretur monasterio super eo quod factum fuerat postulasset, ipse regulam sibi petiit exhiberi, ut legendo cognosceret plenius si valeret austeritatem Cisterciensis ordinis sustinere. Verum quoniam perlecta regula insufficientem se ad tantæ austeritatis observantiam intellexit, deposita tunica, quam se dixit per decem dies, juxta quod recordari poterat, tenuisse, in veste in qua intraverat monasterium est egressus. Contra quod exhibuit quasdam litteras nuntius patriarchæ nomine prioris et conventus monasterii memorati nostro apostolatui destinatas, in quibus ipsi testimonium perhibebant quod idem magister sicut notorium est pluribus hominibus de Panormo, infirmitate detentus ad eorum se contulit monasterium, habitumque devote suscepit, ac per aliquot dies tenuit, sed ad capitulum non accessit; qui post paululum convalescens, monasterium est egressus, secutus exinde propriam voluntatem. Nos igitur auditis iis et aliis quæ fuerunt utrinque proposita, quia per confessione ejusdem magistri cognovimus quod ipse per decem dies habitum novitii gessit in monasterio memorato, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi sufficienter ostenderit quod fuerit protestatus se ad priorem statum liberum velle habere regressum, si forsan infra tempus probationis nollet ordinis austeritatem subire, perpetuum ei silentium super ipso archidiaconatu imponere non postponas, cum secundum canonicas sanctiones ad laxiorem saltem ordinem accedere teneatur. Quod si de protestatione fecerit tibi fidem, cum præsumendum sit pro sententia cardinalis, per quam quod factum fuerat de nepote patriarchæ cessaret, præsertim cum ipse patriarcha quod nepos suus defectum pateretur ætatis per suas nobis litteras intimarit, reducto eodem magistro in possessionem quam noscitur habuisse, inquiras sollicite veritatem utrum archidiaconatus collatio ad patriarcham tantum pertineat, vel spectet pariter ad canonicos et ad ipsum. Quod si communiter pertinet ad utrosque, ipsique infra sex menses postquam eum innotuit vacavisse concedere neglexerunt, quoniam extunc donatio ejus ad nos fuerat devoluta, quod per cardinalem factum est auctoritate nostro decernens inviolabiliter observari dicto magistro archidiaconatum ad judices sæpe dictum, et facias ab eo possideri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescens, auditurus postmodum si patriarcha vel alius aliquid proponere voluerit contra eum, et appellatione postposita sine canonico decisurus. Idem quoque te facere volumus et mandamus si tantum ad patriarcham donatio ejus spectat, et Canonicos donationi ejus vel cardinalis constiterit consensisse. Alioquin cum a tempore quo ipsum innotuit vacavisse, post elapsum sex mensium tempus infra quos patriarcha uti suo jure neglexit de communi jure non ad nos sed ad capitulum Antiochenum archidiaconatus collatio fuerit devoluta si capitulum postularit, eidem magistro perpetuum silentium imponere non omittas; non obstante quod ipse quasdam litteras præfati cardinalis ostendit in quibus fatetur se concessisse archidiaconatum eidem propter multiplices rationes, cum per alias litteras cardinalis ejusdem, quæ illas præcedunt, et alias etiam quæ illas sequuntur, ipse cardinalis hanc sua concessionis rationem assignet, quod idem archidiaconatus ultra sex menses vacaverat, unde ad Romanam Ecclesiam ipsius erat donatio devoluta.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, v Idus Januarii anno decimo.

## CLXXXVII.

ARCHIDIACONO ET PRIORI SANCTI STEPHANI DE PONTE FLORENTIN.

*Deputantur exsecutores adversus episcopum Lucanum.*

(Apud S. Petrum, Non. Januarii.)

Accedentibus ad præsentiam nostram dilectis filiis monacho monasterii de Ficiculo et..., Lucani episcopi procuratoribus dilectum filium Rogerium tituli Sanctæ Anastasiæ presbyterum cardinalem concessimus auditorem. Coram quo dicti monasterii procurator proposuit quod cum olim causam quæ inter dilectos filios abbatem et conventum monasterii sui ex una parte ac dictum episcopum ex altera super institutione plebani in plebe de Ficiculo vertebatur, Abbati Sanctæ Mariæ ac priori Sancti Laurentii duxerimus committendam, dictus episcopus citatus ab eis, ipsorum adire præsentiam recusavit, super eadem causa ad dilectos filios præpositum Sancti Geminiani et priorem Sanctæ Reparatæ quasdam a nobis litteras postmodum obtinens nullam facientes de prioribus mentionem. Quare abbas prædictus, coram eis noluit litigare, asserens litteras illas veritate tacita impetratas, cum mentionem nullam priorum facerent litterarum. Verum utriusque partis procuratores ad nostram præsentiam accendentes causam ipsam dilectis filiis abbati de Sexto et priori Sancti Fridiani obtinuere committi. Sed eorum altero ante litis ingressum morte prævento, sæpedictus episcopus traxit eumdem abbatem ad judicem sæcularem; ad cujus præsentiam pars abbatis accedens, et allegans commissiones apostolicæ sedis et privilegia ecclesiasticæ libertatis, eidem episcopo inhibuit appellando ne ipsum coram sæculari judice compelleret litigare. At episcopus, appellatione contempta, ipsum abbatem per eumdem sibi

fecit judicem condemnari. Propter quod nos venerabili fratri nostro Fesulanensi episcopo et dilecto filio abbati Sanctæ Mariæ de Florentia nostris dedimus litteris in mandatis ut juxta prædictæ commissionis tenorem in ipsa causa, appellatione remota, prævia procederent ratione, super eo quod idem episcopus ad sæculare forum supradictum traxit abbatem quod esset canonicum statuentes et facientes per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Porro judices ipsi, quia dictus episcopus peremptori citatus ab eis noluit comparere, receperunt testes abbatis, et eumdem episcopum in expensis septuaginta librarum, quas abbas fecerat, condemnarunt. Nos vero attendentes quod dicti judices ordine judiciario non servato in ipso negotio processerunt, processum illum irritum decernentes dilecto filio archipresbytero et magistro Hugoni canonico Florentinis nostris dedimus litteris in mandatis ut partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, si constaret eisdem quod sæpedictus episcopus abbatem ipsum traxisset ad judicium sæculare, eumdem a pontificali officio suspendentes, revocarent in irritum quidquid per sæcularem judicem contra ipsum abbatem fuerat attentatum, et jamdictum episcopum ecclesiastica districtione compellerent ad restitutionem librorum quos sibi fecerat per sæcularem potestatem auferri, et expensarum atque damnorum quæ propter hoc abbas incurrerat sæpedictus, audituri postmodum causam et appellatione remota sine debito decisuri. Sane judices ipsi, mandato nostro suscepto, episcopum ipsum legitime citaverunt, assignato sibi termino competenti; quem idem præveniens, quemdam nuntium ad eorum præsentiam destinavit, qui quasdam litteras exceptiones frivolas continentes præsentavit eisdem, inhibens ipsis ne in facto procederent appellando. Ipsi vero, cognito quod non erat appellationi hujusmodi deferendum, eumdem iterum citaverunt; sed ipse ad terminum sibi præfixum nec per se nec per responsalem idoneum comparuit coram eis. Verum quia interim judices ipsi nostrum recepere præceptum at nonobstantibus frivolis exceptionibus quas idem episcopus malitiose dicebatur proponere in dispendium monasterii memorati, in ipso negotio juxta prioris mandati nostri tenorem sublato appellationis obstaculo prævia ratione procederent, eumdem episcopum iterum peremptorie citaverunt. Sed ipse coram eis nec per se termino constituto comparuit nec per idoneum responsalem; imo ad præsentiam nostram accedens, et abbatem nobis afferens suggessisse quod ipse illum super causa spirituali ad judicium traxerat sæculare, quantumcunque institerit ut transmissas ad eos dignaremur litteras revocare, tandem obtinuit istud solum ad episcopum Florentinum, ut ipse inquisita plenius et cognita veritate, si præfatum episcopum inveniret eumdem abbatem super institutione plebis vel alia spirituali causa ad forum sæculare traxisse, contra eumdem episco-

A pum juxta formam in prioribus litteris comprehensam sublato appellationis obstaculo procedere non tardaret. Cumque judices supradicti, hujusmodi adhuc commissionis ignari, ut eidem omnem auferrent materiam malignandi, ad instantiam cujusdam Lucani canonici, qui se ipsius nuntium asserebat, viginti septem dierum inducias concessissent, demum episcopus plebanum de Capiano direxit ad eos, sibi litteras nostras, quas dicto episcopo misimus, demonstravit. Cæterum cum articulus ille qui fuerat episcopo commissus eidem, fuisset in ejus præsentia expeditus, et judices ipsi vellens in negotio ipso procedere, accessit ad eos plebanus prædictus, non tamen ad prosecutionem causæ sufficienter instructus. Quare ad ipsius malitiam

B convincendam eidem sex dierum inducias concesserunt. Tunc præfatus episcopus constituto termino præfatum plebanum sufficienter instructum ad eorum præsentiam destinavit. Partibus igitur in eorum præsentia constitutis, sæpedictus abbas asseruit quod præfatus episcopus ipsum in causa civili, pro facto tamen plebis prædictæ, traxit ad judicium sæculare, occasione videlicet cujusdam arbitrii quod jamdudum inter episcopum et abbatem super ipsa plebe fuerat promulgatum; propter quod in quinquaginta libris et amplius a seculari judice fuerat condemnatus. Unde memoratum episcopum juxta mandati nostri tenorem puniri et ad restitutionem damnorum et expensarum quas ob hoc fecerat eumdem compelli cum instantia postulavit. Responsatis vero episcopi

C quasdam litteras ejusdem porrexit inter cætera continentes quod ipse coram nobis requisitus responderat quod memoratum abbatem super jure civilli ad forum traxerat sæculare, nec super hoc a nobis fuerat reprehensus. Unde dicebat quod non tenebatur super respondere abbati, et judices procedere non debebant. Præterea asseruit litteras nostras illias consuetudinis veritate tacita impetratas qua in civitate Lucana clerici coram laicis qui treuguani dicuntur in causa civili se consueverunt ad invicem convenire. Asseruit etiam quod nostræ intentionis non fuerat ut dictus episcopus puniretur, si super re civili tantum ad sæculare judicium traxisset abbatem. Ex parte vero abbatis exstitit replicatum quod hujusmodi consuetudo erat contra

D jus canonicum et civile, et post appellationem ad nos rationabiliter interpositam, sicut apparet per publica instrumenta et commissiones a nobis obtentas, dictus episcopus eum in sæculari foro præsumpserat convenire. Cum igitur per publicum instrumentum sæpefatis judicibus constitisset quod abbas tractus fuerat ab ipso episcopo super re civili ad judicium sæculare, et abbas proposuisset quod licet consuetudo prædicta alios tangeret clericos, ipsum tamen tangere non debebat, cum sit exemptus, sicut apparet per privilegia pontificum Romanorum, et ipsi parati essent legitime procedere in negotio supradicto, responsalis episcopi quas-

dam frivolas exceptiones proponens ad sedem apo- A
stolicam appellavit, et responsionem aliquam non exspectans, statim illicentiatus recessit. Judices vero utriusque mandati tenore diligenter inspecto, et habito prudentum virorum consilio, non duxerunt appellationi hujusmodi aliquatenus deferendum, sed eumdem episcopum pro multiplici contumacia manifesta suspenderunt a celebratione missarum, ex parte Dei omnipotentis et nostra præcipientes eidem ne de cætero missam præsumeret celebrare donec per se vel responsalem idoneum ad præsentiam accederet eorumdem, exhibiturus abbati prædicto justitiæ complementum. Et ne de sua fraude commodum reportaret, recepto ab eodem abbate corporaliter juramento quod idem sigillatim et diligenter secundum B
ipsorum taxationem expensas quas fecit et damna quæ pertulit occasione ipsius episcopi declaravit pro ducentis quinquaginta libris, in possessionem omnium reddituum quos dictus episcopus habet in castello, curto, ac districtu Sanctæ Mariæ in monte eumdem abbatem fecerunt induci, archipresbytero et capitulo Lucano mandantes ut eumdem episcopum denuntiarent a missarum celebratione suspensum. Licet autem archipresbyter ipse suspensionis sententiam denuntiasset eidem, ipse tamen in festivitate Omnium Sanctorum, sententia ipsa contempta, publice ac solemniter celebravit. Unde petebat procurator prædictus ut processum judicum prædictorum auctoritate dignaremur apostolica confirmare. Procurator vero episcopi proposuit ex adverso quod cum negotium fuisset episcopo Floren- C
tino commissum, et ipse tandem absolutus ab eo, utpote cui patuit per confessionem abbatis quod etiam ipse in spirituali causa non traxerat eum ad judicium sæculare, legitime appellarat ab eis qui volebant ipsum a prædicto Florentino episcopo absolutum compellere super hoc iterum litigare. Unde quod factum erat ab ipsis post appellationem ad nos interpositam censeri petebat irritum et inane. Nos igitur iis et aliis quæ coram cardinale prædicto fuerant proposita per relationem ipsius plenius intellectis, episcopi appellationum illegitimam decernentes, processum approbavimus judicum prædictorum, eumdem episcopum, qui præsumpsit post denuntiationem sibi factam missarum solemnia celebrare, a sacerdotali et pontificali offi- D
cio suspendentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus latam a nobis sententiam publicantes, faciatis eamdem firmiter observari.

Datum Romæ apud Sanctnm Petrum, Nonis Janurii, anno decimo.

—

## CLXXXVIII.

ABBATI AUGENSI, ET CONRADO DECANO WLDE CONSTANTIENSI DIOECESIS, ET MAGISTRO CONRADO SCHOLASTICO CURIENSI.

*De presbytero diffamato de adulterio et incestu.*

(Apud S. Petrum, IV, Id. Januarii.)

(57) Cum dilectis filiis H. presbytero et G. procuratori O. clericis constitutis in præsentia nostra dilectum filium T. subdiaconum et capellanum nostrum concessissemus auditorem, idem procurator proposuit coram eo quod cum dictus præsbyter super incestus crimine fuisset publice infamatus, bonæ memoriæ Constantiensis episcopus ordinarius judex eidem purgationem indixit: qui cum se purgare nequisset, ab eodem episcopo fuit in plena synodo suis ecclesiis sententialiter destitutus, quas ipse nihilominus detinuit aliquandiu per violentiam occupatas. Cumque postmodum idem presbyter cujusdam consanguinei sui uxorem abductam in domo publice detineret ad petitionem H. plebani de Herisio (58) et quorumdam aliorum clericorum Constantiensis diœcesis dilectis filiis de Scennis et de Ustrou (59) decanis ejusdem diœcesis nostras dicimur sub hac forma litteras destinasse, ut videlicet si prædictus presbyter super crimine adulterii et incestus coram ipsis se purgare non posset, ipsum pœna debita castigarent. Qui juxta mandati nostri tenorem in negotio procedentes, cum constitisset eisdem quod idem presbyter, pro eo quod in purgatione defecerat, ab episcopo memorato fuerat in synodo condemnatus, ipsum, utpote contumacem, prædictis ecclesiis per sententiam privaverunt; maxime cum de incestu et adulterii crimine tanquam de notorio manifeste liqueret eisdem; dilecto filio abbati Sancti Galli, ad quem illarum ecclesiarum donatio pertinebat, potestatem liberam concedentes ecclesias ipsas personis aliis conferendi; qui eas postea supradicto clerico assignavit. Verum idem presbyter ad sedem apostolicam veniens, et falso se asserens prætermisso juris ordine spoliatum, ad abbatem de domo Sancti Petri et suos conjudices alteri parti omnino suspectos nostras litteras reportavit. Qui eidem O. litterarum ipsarum copia denegata, et probationem ipsius super falsitate litterarnm admittere recusantes; juris ordine prætermisso post appellationem ad nos legitime interpositam restitutionis sententiam pro eodem presbytero protulerunt, quod se loco tempore probaturum per legitimos testes proponebat. Dictus vero presbyter ex adverso respondit quod licet super præmissis criminibus ab inimicis fuisset æmulis infamatus, et a Constantiensi capitulo propter hoc eidem indicta purgatio, ipsam tamen nullus recipere voluit, licet eam paratus fuerit infra præfixum sibi terminum exhibere, adjiciens quod processus judicum prædictorum debebat merito retractari, cum lite non contestata, et

(57) *Cum dilecti,* De purgat. canon.

(58) In tert. Coll. *Hemiso,* cod. Colbert. *Heviso,* Andeg. *Haneso.*

(59) Codex Colbert. *Wistrori,* Andeg. *Westori.*

post appellationem ad nos interpositam, præsumpserint procedere contra eum. Præterea dictus præsbyter proposuit conquerendo quod cum a prædicto O. et complicibus suis prædictis ecclesiis fuisset per violentiam spoliatus, et ad supradictum abbatem de domo Sancti Petri ac conjudices suos primo, et secundo ad electum Constantiensem restitutionis litteris impetratis, per utrosque restitutionis meruerit beneficium obtinere, idem O. eum non est veritus sæpius spoliare Unde cum propter hoc ipse cum complicibus suis excommunicationis sententia innodatus in sua contumacia perduraret, prædicto electo et conjudicibus suis dedimus in præceptis ut auctoritate nostra suffulti districtius inhiberent ne in locis in quibus iidem excommunicati præsentes existerent divina officia dicerentur, et eosdem tandiu appellatione cessante suspenderent a divinis donec sæpedicto presbytero de damnis et injuriis irrogatis satisfacerent competenter, vel responsuri de tanto contemptu nostro se conpectui præsentarent. Sed ipsi ad appellationis diffugium convolantes, contra prohibitionem ipsorum judicum divina celebrant interdicti, nec ad nostram præsentiam responsalem transmittere curaverunt. Licet autem idem præsbyter ab adolendam omnem infamiam purgationem indictam sibi ab eodem electo, non tanquam delegato, sed ordinario, curaverit exhibere, sepædicti tamen æmuli eum non desinunt infamare. Unde nobis humiliter supplicavit ut ab illorum impetitionibus absolutum faceremus ipsum prædictarum ecclesiarum pacifica possessione gaudere, illos legitime punientes qui excommunicati et interdicti divina præsumpserunt officia celebrare. Ad hæc procurator adjecit quod dicta purgatio fuit ab electo recepta absente parte altera et penitus ignorante, quod etiam se asseruit probaturum. His igitur et aliis quæ fuere coram capellano prædicto proposita plenius intellectis, licet litteræ illæ, quæ ad prædictos de Scennis et Ustrou decanos impetratæ dicuntur, vel ipsarum transcriptum ostensum non fuerit coram nobis, quia tamen ex tenore relationis ipsorum, quam dictus procurator exhibuit, si etiam litteræ ipsæ ostensæ fuissent, nobis constitit evidenter judices ipsos prætermisso juris ordine processisse, tam processum eorum quam concessionem ecclesiarum a prædicto abbate de mandato ipsorum factum auctoritate apostolica retractamus, præsertim cum relationis ipsius series repugnantia contineat et adversa. Dicitur etenim quod crimen ejusdem præbyteri usque adeo publicum fuerat et notorium quod nullus inficiationis lacus penitus existebat, utpote cujus universus viciniæ populus testis erat. Et tamen ibidem præmittitur quod eidem presbytero terminum peremptorium præfixerunt, in quo, si posset, super infamia prædictorum criminum canonice se purgaret; cum nimirum si crimen notorium existebat, non erat utique illi indicenda purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda. Restitutionis quoque sententiam pro eodem presbytero a diversis judicibus latam duximus approbandam, præsentium vobis auctoritate mandantes quatenus eumdem presbyterum in corporalem possessionem prædictorum ecclesiarum sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo inducatis et defendatis inductum; contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes, et facientes eidem presbytero tam de fructibus medio tempore perceptis ex ecclesiis memoratis quam de damnis et injuriis irrogatis satisfieri competenter. Facta vero restitutione plenaria, si legitimus apparuerit contradictor, qui possit et velit legitime comprobare quod idem presbyter, pro eo quod in legitime indicta sibi purgatione defecit, condemnatus fuit a prædicto episcopo et sæpedictis ecclesiis spoliatus, vos eidem super ecclesiis ipsis perpetuum silentium imponatis, facientes eisdem per eos ad quos pertinet de personis idoneis canonice provideri. Si vero nullus apparuerit legitimus accusator, et ipsum inveneritis apud bonos et graves super prædictis criminibus vel ipsorum altero infamatum, purgationem ei canonicam indicatis, nonobstante quod coram prædicto electo dicitur se purgasse, cum pendente coram delegatis judicio non debuerit ordinarius purgationem indicere infamato; in qua purgatione si forte defecerit, juxta præmissam formam ipso ab ecclesiis prorsus amoto, provideri eisdem canonice faciatis. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, IV Idus Januarii anno decimo.

## CLXXXIX.

EPISCOPO ET CANTORI ET MAGISTRO N. ARCHIDIACONO TRECENSIBUS.

*De controversia inter decanum et episcopum Altissiodorensem.*

(Adud S. Petrum, Id. Januarii),

(70) Dilectis filiis decano Altissiodorensis Ecclesiæ ac magistro B. venerabilis fratris nostri Altissiodorensis episcopi procuratore in nostra præsentia constitutis, idem magister proposuit coram nobis quod cum dictus episcopus R. presbyterum domus Dei de Monte-Atrito, in qua provisionem et dispositionem plenariam idem episcopus obtinere dignoscitur, detineri faceret vinculis mancipatum pro eo quod bona quædam ejusdem domus, quæ furtive subtraxerat, restituere detrectabat, propter quod etiam ab eodem episcopo fuerat excommunicationis sententia innodatus, et supradictus decanus episcopum monuisset ut eidem restitueret vel saltem recredere presbyterum memoratum, quem ad jurisdictionem suam spectare firmiter asserebat, idem episcopus multiplicem rationem allegans quare se ad hoc nullatenus teneri dicebat, eumdem presbyterum restituere vel recredere penitus recusavit, proponens quod super hoc eidem decano paratus erat in propria curia, cum decanus ejus vassalus existeret, vel coram arbitris communiter elegendis, seu etiam coram

(60) Vide Historiam episcoporum Altissiodor. p. 284.

metropolitano justitiam exhibere. Decanus autem hæc omnino recusans cœpit graviter comminari quod tale aliquid faceret quod episcopo displiceret. Propter quod episcopus metuens ne decanus aliquid in suum præjudicium attentaret, se ac suos statum Ecclesiæ ac civitatis suæ protectioni metropolitani supponens, ad metropolitanæ sedis audientiam provocavit festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ proximo præteritum terminum appellationi præfigens. Verum decanus post modicum canonicis Antissiodorensibus convocatis, interdictum hujusmodi eis contradicentibus promulgavit, ut episcopo in civitate præsente a divinis in Antissiodorensi Ecclesia cessaretur. Postmodum vero cum die appellationi præfixo comparuissent partes coram officiali curiæ Senonensis, decanus allegans quod appellationi ab episcopo interpositæ ideo non duxerit deferendum quoniam presbyter supradictus adhuc in vinculis tenebatur, vocem ad nos appellationis emisit. Officialis autem irritum judicans interdictum a decano post appellationem episcopi ad sedem metropoliticam interpositam promulgatum, capitulo Ecclesiæ Antissiodorensis injunxit ut interdictum illud nullatenus observaret. Cumque postmodum episcopo præsente decanus firmiter inhiberet ne in ecclesia cantaretur, et G. capellanum episcopi cantantem ibidem post appellationem ad nos interpositam vinculo excommunicationis astringens, divinum officium in ecclesia impediret, nec monitus per episcopum sæpius officium perturbare desisteret, episcopus demum ipsum, tanquam contumacem et incorrigibilem excommunicationis mucrone percussit; quem postea venerabilis fratrer noster Senonensis archiepiscopus devitandum publice nuntiavit. Unde procurator ipse postulavit a nobis ut supradictam interdicti sententiam irritam judicantes, excommunicationis ab episcopo latam sententiam faceremus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Decanus autem proposuit ex adverso quod cum episcopus R. presbyterum pertinentem ad jurisdictionem suam faceret in vinculis detineri, et ipse tam a clericis quam laicis civitatis fuisset graviter increpatus, tanquam negligeret jus ad se pertinens defensare, qui ad servandas Ecclesiæ consuetudines juramento super hoc præstito tenebatur, per se ipsum episcopum menuit ut presbyterum ipsum restitueret libertati, paratus sufficienter ostendere quod ad juridictionem suam idem presbyter pertinebat eumdem episcopum demum faciens per plures alios commoneri ut presbyterum sibi redderet vel recrederet vel saltem poneret in sequestro. Cumque nequisset episcopus ad istorum aliquod inclinari, capitulo convocato decanus, de conniventia ejus, hujusmodi posuit in ecclesia interdictum, ut episcopo in civitate præsente cessaretur in ecclesia penitus a divinis, exsecutionem nihilominus sententiæ suspendendo donec super hoc haberet cum archiepiscopo, qui proximo venturus erat in civitate, tractatum; per quem sperabat posse concordiam reformari. Cæterum licet postea præsente archiepiscopo episcopum monuisset ut aliquem supradictorum modorum ad liberationem præsbyteri acceptaret, in nullo tamen proficere potuit apud eum; quinimo ad metropolitanæ sedis audientiam episcopus appellavit, appellationi suæ præfigens terminum supradictum. Unde decanus in capitulum rediens canonicis universis injunxit ut interdictum, sicut ab eo positum fuerat, observarent. Die vero appellationi præfixo coram Senonensi officiali decanus cum episcopi procuratore comparens, et gravamen sibi metuens imminere, ad sedem apostolicam appellavit, *Lætare Jerusalem* appellationi suæ termino constituto, et se ac statum suum et Antissiodorensis Ecclesiæ protectioni sedis apostolicæ supponendo. Cum autem episcopo præsente post hæc decanus G. clericum ejusdem episcopi, pro eo quod duos clericos violenter ceperat, excommunicatum publice nuntiasset, et mandasset clericis ut a se latam interdicti sententiam observarent, episcopus in ipsum decanum excommunicationis sententiam promulgavit, excommunicatum eum sæpedicto archiepiscopo et capitulo Senonensi nuntiando. Propter quod ipsum archiepiscopus, de quorumdam consilio nuntiavit publice devitandum; licet quidam canonici Senonenses saniori ducti consilio, non vitaverint communionem ipsius. Ex iis igitur et aliis quæ utrinque fuere proposita coram nobis intelleximus evidenter quod etsi episcopus prudenter et utiliter providisset ut decanus (61) recredidisset presbyterum sæpedictum ad omnem prorsus scandali materiam imputandam, quia tamen idem episcopus, sicut præmissum est, diversos modos expressit secundum quod decano paratus fuit super captione presbyteri justitiæ plenitudinem exhibere, ad metropolitanam sedem appellans, decanus post hæc non potuit ferre sententiam interdicti. Et ideo de consilio fratrum nostrorum sententiam ipsam ab eo post appellationem legitimam promulgatam irritam decernimus et inanem; illo nequaquam obstante quod decanus ad excusationem suam quasi variando proposuit coram nobis, quoniam priusquam episcopus appellasset, ipse sententiam tulerat, cujus tamen effectum ad tempus duxerat suspendendum, cum interim appellatione interposita procedere non debuerit ad sententiam exsequendam; officialis tamen processum, qui post appellationem ad sedem apostolicam interpositam hujusmodi sententiam interdicti decrevit irritam et inanem, et mandavit penitus non servari, temerarium judicantes, cum appellatione, ad nos interposita nihil debuerit innovare. Præterea licet excommunicationis sententia per episcopum promulgata rite lata prima facie videretur, quoniam cum per jamdictum officialem mandatum esse ne servaretur in ecclesia interdictum, et idem decanus ne celebraretur in ecclesia prohibendo, divinum videretur officium perturbare, quia tamen post appellationem

(61) Decano.

ad nos interpositam ex parte decani, cui etiam officialis duxerat deferendum apostolos concedendo, non solum principale negotium, sed accessoria etiam ad nostrum referebantur examen sententiam ipsam, ut post appellationem ad nos legitime interpositam promulgatam, decernimus viribus caruisse, ac ipsum decanum ea non fuisse ligatum. Verum licet archiepiscopus, quorumdam consilio circumventus, post appellationem ad nos emissam, de qua sibi per officialis sui litteras innotuerat, decanum denuntiaverit evitandum, Senonenses tamen canonicos, qui saniori ducti consilio communicarunt eidem, ut appellationi ad nos interpositæ magis quam denuntiationi ab archiepiscopo factæ deferrent inculpabiles judicamus. Quia vero an ad episcopum vel decanum jurisdictio pertineat presbyteri sæpedicti nobis ad plenum constaret non potuit, causam ipsam vestro duximus examini committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus vocatis qui fuerint evocandi, audiatis quæcumque duxerint proponenda, et causam ipsam appellatione remota fine canonico terminetis, facientes, etc. Testes autem, etc. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium, etc. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Romanæ apud Sanctum Petrum IV Idus Januarii anno decimo.

CXC.

NOBILI VIRO COMITI NIVERNENSI.

*Adversus Judæos.*

(Apud S. Petrum, XVI Kal. Februarii.)

Ut esset Cain vagus et profugus super terram, nec interficeretur a quoquam, tremorem capitis signum Dominus imposuit super eum : Quia (62) Judæi, contra quos clamat vox sanguinis Jesu Christi, etsi occidi non debeant, ne divinæ legis obliviscatur populus Christianus, dispergi tamen debent super terram ut vagi, quatenus facies ipsorum ignominia repleatur, et quærant nomen Domini Jesu Christi. Blasphematores enim nominis Christiani non debent a Christianis principibus in oppressionem servorum Domini confoveri, sed potius comprimi servitute, qua se dignos merito reddiderunt cum in illum manus injecere sacrilegas qui verum eis conferre venerat libertatem, super eos et filios suos esse ipsius sanguinem conclamantes. Verum, sicut nostris est auribus intimatum, quidam principes sæculares ad Deum, cui nuda sunt omnia et aperta oculum non habentes, cum turpe sit ipsius usuras exigere Judæos recipiunt in villis et oppidis suis, ut eos sibi ministros ad exactionem constituant usurarum qui ecclesias Dei et Christi pauperes affligere non verentur. Cum autem Christiani, qui a Judæis mutuum acceperunt, sortem et amplius ipsis solvunt, præpositi et servientes ipsorum potentum sæpe captis pignoribus, et interdum eisdem Christianis carceri mancipatis, ipsos compellunt ad solutionem gravissimam usurarum. Quare viduæ et pupilli suis hæreditatibus spoliantur, et defraudantur ecclesiæ decimis ac aliis obventionibus consuetis, cum Judæi castella et villas detineant occupata, qui ecclesiarum prælatis de parochiali jure contemnunt penitus respondere. Scandalum quoque per eos in Ecclesia Christi non modicum generatur, quod cum ipsi carnibus animalium, quæ mactant fideles, vesci adhorreant ut immundis. istud obtinent principum ex favore quod mactanda carnifices animalia tradunt illis, qui ea ritu Judaico laniantes, ex ipsis accipiunt quantum volunt, relicto residuo Christianis; iis similia Judæis mulierculis facieniibus de lacte quod publice venditur pro parvulis nutriendis. Aliud quoque præsumunt non minus istis detestabile Christianis, quod vindemiarum tempore uvas calcat Judæus lineis caligis calceatus, et puriori mero juxta ritum Judæorum extracto, pro beneplacito suo retinent ex eodem, residuum, quasi fœdatum ab ipsis, reliquentes fidelibus Christianis : ex quo interdum sanguinis Christi conficitur sacramentum. Insuper testes Christianos, quantumlibet bonos et omni exceptione majores, tuti favore potentum, contra se penitus non admittunt (65). Sane venerabilis frater noster Altisiodorensis episcopus, ut de sua diœcesi abominatione hujusmodi removeret, habito prudentum virorum consilio, hæc in eadem heri sub anathematis vinculo interdixit, in solemni synodo injungens circumstantibus sacerdotibus quatenus in ecclesiis suis sub excommunicationis pœna talia fieri prohiberent. Cui plerique fideles devote parentes elegerunt a præmissis abominationibbs abstinere. Verum quidam nobiles ac potentes ac eorum ministri attendentes ad munera Judæorum, quæ ipsorum corda subvertunt, quosdam fidelium, qui propter bonum obedientiæ ac metum sententiæ promulgatæ abstinere a talibus decreverunt, terrere minis et contumeliis afficere præsumpserunt, quosdam etiam captos, ut se redimerent compellentes, ac nolentes dimittere nisi ad beneplacitum Judæorum ; qui ne per excommunicationis sententiam in personas et interdictum in terras ab hujusmodi compescantur, se tueri nituntur per appellationis obstaculum ad sedem apostolicam interpositum, in clusionem ecclesiasticæ disciplinæ (64). Porro Judæi, si propter hoc in Christianos aliquando excommunicationis vel interdicti promulgetur sententia, gloriantur pro eo quod occasione ipsorum in salicibus Babylonis ecclesiastica organa suspenduntur, et defraudantur nihilominus suis proventibus sacerdotes. Tu vero, sicut accepimus, qui tanquam vir catholicus et servus Jesu Christi ob ipsius reverentiam deberes Judaicis superstitionibus obviare, ne inimici crucis exaltarentur in semetipsis contra famulos crucifixi, principaliter faves eis, et ipsi te in prænominatis exces-

(62) Forte *quare.*

(63) Vide chronolog. Roberti Atissiodor. fol. 102.

(64) Vide lib. I, epist. 230, et lib. II, epist. 12.

sibus habent præcipuum defensorem. Nonne contra tibi subjectum accenderetur graviter zelus tuus si tuo præberet auxilium inimico? Quanto magis ergo divinam formidare potes offensam, quod favorem præstare non metuis qui unigenitum Dei Filium cruci affigere præsumpserunt, et adhuc a blasphemiis non quiescunt? Volentes igitur subortum ex hoc in populo scandalum de medio removeri et aboleri tantæ præsumptionis excessum quem in Christum et ejus Ecclesiam diceris commisisse, nobilitatem tuam rogamus, monemus, et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus prædicta taliter corrigas per teipsum, a similibus de cætero conquiescens, quod zelum orthodoxæ fidei videaris habere, ac nos ad correctionem ipsorum non cogamur apponere manus nostras, qui secundum Apostolum in promptu habemus omnem inobedientiam vindicare, cum ad hoc simus a Domino constituti ut evellamus quæ fuerint evellenda et quæ fuerint plantanda plantemus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XVI Kal. Februarii, anno decimo.

### CXCI.

ÉPISCOPO PICTAVIENSI.

*Absolvitur ab objectis contra eum.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Februarii.)

Sicut experimento in te habito didicisti, quod caminus auro vel flagellum grano, id facit persecutio viro justo. Cum enim Brucardus, canonicus Pictaviensis, dudum contra te nobis multa gravia retulisset, nos demum ad denuntiationem ipsius venerabili fratri nostro Nannetenri episcopo et dilecto filio cantori beatæ Radegundis Pictaviensis commisimus inquisitionem eorum. Qui secundum mandatum nostrum in negotio procedentes, tam super his quæ fuerunt in nostris litteris comprehensa quam aliis testes quos ille adversum te, vel quos tu in tuam defensionem curasti producere, receperunt, et inquisitionem factam sub sigillis suis nobis fideliter remisere; quam per dilectos filios nostros Gualam Sanctæ Mariæ in Porticu et Joannem Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconos cardinales examinari fecimus diligenter, tam tibi quam eidem Brucardo indulta copia disputandi legitime super ea. Cumque singula nobis per eosdem cardinales fuissent relata, comperimus nihil omnino contra te fuisse probatum, imo per testes adversæ partis te de aliquibus objectorum innocentem ostensum, et ideo sapientia Dei eum qui te maculaverat ostendente mendacem, tanquam aurum quod transit per ignem, post persecutionem hujusmodi clarius refulsisti. Unde nos, qui nequaquam ad ruinam fratrum et coepiscoporum nostrorum intendimus, sed de ipsorum potius innocentia congaudemus, de communi fratrum nostrorum consilio te absolvimus ab objectis, seu verius declaravimus absolutum et clarificatum per ipsa. Quia vero priusquam idem Brucardus nobis talia suggessisset, super

A eorum aliquibus contra te jam ascenderat frequens clamor, potuissemus utique tibi de iis purgationem indicere secundum canonicas sanctiones. Sed quoniam per hoc quod cum ventum est ad judicium nihil contra te penitus est inventum, tuam præteritam quoque famam clarificasse videris, temperantia duximus hac utendum, ut si secundum eam quam tibi dedimus disciplinam famam tuam laude vitæ cautioris adjuveris, etiam a purgatione præstanda te in posterum absolvamus, alioquin tibi secundum instituta canonica indicamus eamdem. Suspensionis quoque sententiam quam Helias quondam Burdegalensis archiepiscopus in te tulit pro eo quod consecrationi venerabilis fratris nostri Engolismensis episcopi tuam non adhibuisti præsentiam ab ipso

B vocatus, quie constitit nobis per testes idoneos, quos super hoc apud sedem apostolicam produxisti, quod eadem sententia post appellationem ad nos rationabiliter interpositam exstitit promulgata, decernimus irritam et inanem, teque tali sententia non fuisse ligatum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, XV Kal. Febr., anno decimo.

### CXCII.

MARGARITÆ ABBATISSÆ MONASTERII SANCTÆ MARIÆ DE SANSTA COLUMBA DE BLENDEKA, EJUSQUE SORORIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Petrum, XI Kal. Februarii.)

C Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, etc., *usque* annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Mariæ de Sancta Columba de Blendeka, in quo divino estis mancipatæ obsequio, sub beati Petri et nostra, etc. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti juste et canonice possidet, etc., *usque* permaneant in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium

D situm est cum omnibus pertinentiis suis: personatum et altare ecclesiæ Sanctæ Columbæ de Illendeka, cum obventionibus, decimatione, et aliis pertinentiis suis, capellam de Soieka ad eumdem personatum spectantem, cum decimatione, obventionibus, et aliis pertinentiis suis; de Witeca et de Oudinghesela altaria, cum decimatione et aliis pertinentiis suis, quæ idem monasterium, antequam Cisterciensium fratrum instituta susciperet, possidebat; manturam de Sarto Riccarii, cum loco et aliis pertinentis suis, duas partes decimæ de Streties juxta montem Kaurel, et decimam lini ejusdem loci, cum mansura et aliis pertinentiis suis; tertiam partem decimæ de Rinc, duas garbas decimæ de

Mortiers terræ tam cultæ quam incultæ, cum duabus mansuris terræ, et duas garbas de Lefolie, partem quoque decimæ de Wivnegeval, cum duabus garbis unius campi terræ tam cultæ quam incultæ, et tribus mansuris terræ. Donationes præterea cum possessionibus et rebus aliis a bonæ memoriæ Desiderio (65) Morinensi episcopo vobis et monasterio vestro concessas. Decimas qua tenuerunt W. de Casteller et Henricus de Lefolie in parochia de Altaribus, cum terris et pertinentiis suis. Quidquid in parochiis de Altaribus, de Bosinghere, et de Curs in decimis, terris, et aliis rebus habetis. Decimas de Curs, quas Petrus et Gunfridus de Sarto Riccarii vobis in eleemosynam contulerunt. Partem decimæ de Kernemarsse, decimas de Rech, de Timbrona, et de Lingiacho in eleemosynam vobis concessas. Duas partes decimæ de Lidringhere, cum dominio, terris, et aliis appendiciis suis. Tertiam partem decimæ de Odinghetum, quam Godefridus laicus in eleemosynam ecclesiæ vestræ concessit. Molendinum quoque et terram adjacentem atrio Sanctæ Columbæ, cum duodecim denariis annuis et pertinentiis suis. Terram etiam eidem atrio adjacentem quæ fuerat Eustachii clerici et participum ejus, cum pertinentiis suis. Molendinum quod fuerat Matthæi militis, cum pertinentiis suis, Duas raserias tritici, quatuor capones, unam mansuram terræ adjacentem molendino de Bruai, et quinque solidos annuos vobis a Bergensi castellano collatos, quindecim mansuras terræ quæ fuerant Simonis militis de Roden. Comitatum de Witeka, et quidquid ex dono castellani ejusdem in terris tam cultis quam incultis, pratis, mansis, aquis, molendinis, et rebus aliis possidetis. Comitatum quem habetis in parochia de Blendeka, cum pertinentiis suis, per munus Philippi quondam Flandrensis comitis ecclesiæ vestræ concessum. Triginta duas mansuras terræ quas habetis in parochia de Sancti Audomari Ecclesia. Viginti quinque mansuras et dimidiam, et decimam partem unius mansuræ nemoris, quas habetis in Reihout. Decem mansuras paludis quas Rainaldus comes Boloniensis et Ida uxor ipsius vobis charitative donarunt. Medietatem quoque vallis, cum totius jure dominii, quam Boidinus de Haveskerka vobis donavit, cum pertinentiis suis. Decem raserias bladi Arienses, quas habetis in molendino de Witeka. Quartam partem totius villæ de Wenningeval, excepto nemore quod dicitur de Fai. Possessiones quas habetis in parochia de Altaribus, cum decimis, terris, et rebus aliis monasterio vestro collatis. Unam carrucam terræ, et terras quas possidetis in parochiis de Bosinghere, ne Sperleke, et de Guminelinghere, et de Farkenberga. Quadraginta duas mansuras nemoris apud Kercamp. Terram quam habetis apud Hassinghere. Redditus quos in Ariensi parochia possidetis. Septem quarterios avenæ quos ex concessione Huberti de Sancto Audomaro habetis. Quidquid in parochiis de Blendeka, de Soieka, de Werdrika, et Rakinghere in terris tam cultis quam incultis, pratis, mansis, et rebus aliis possidetis. Quidquid etiam in burgo Sancti Audomari et extra in terris, mansis, pratis, paludibus, aquis, vivariis, et aliis rebus habetis. Terram arabilem adjacentem atrio Sancti Michaelis. Terras arabiles et prata in Werdrika. Quidquid possidetis in parochiis de Rakinghere et de Soieka. Octo mansuras terræ quas vobis Simon presbyter de Hasebroc intuitu divino concessit. Unam pisam butyri, et terras quas habetis in parochia de Brokerka. Quinque solidos annuos apud Rubroc. Triginta sex hodos avenæ in parochia de Sudinghesela. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, etc. Liceat quoque vobis mulieres liberas et absolutas e sæculo fugientes, etc. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas sit, etc. Discedentem vero, etc. Illud districtius inhibentes ne terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare sive alio modo alienare absque consensu totius capituli vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio quolibet modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus impendat Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in monasterio vestro, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon et libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate, et in prædicta capella diœcesani episcopi canonica justi-

(65) Ejus litteræ editæ sunt t. XI, Spicilegii Dacher., pag. 330.

tia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, etc. Amen, amen, amen.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, XI Kal. Februarii, indict. XI, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno decimo.

## CXCIII.

### ARCHIEPISCOPO ET ABBATI MAJORIS-MONASTERII TURONENSIS.

*Confirmatur sententia lata pro abbatissa Sanctæ Mariæ Andegavensis.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Februarii.)

Cum dilecti filii fratres Hospitalis Hierosolymitani suam ad nos olim querimoniam destinassent quod dilecta in Christo filia abbatissa Sanctæ Mariæ Andegavensis eos domo eleemosynaria quam per donationem illustris memoriæ Richardi regis Anglorum fuerant assecuti, et aliquandiu possederant in quiete, post appellationem ad nos interpositam spoliare fecisset per potentiam laicalem, et detineret eamdem contra justitiam occupatam, cancellario, archidiacono, et præposito de Armeliaco Carnoten. commisimus causam ipsam; quorum processum postmodum, quia post appellationem ad nos rationabiliter interpositam et lite non contestata processerant, irritantes, eamdem causam de communi assensu partium dilectis filiis abbati Monasterii-Novi, priori Sanctæ Radegundis, et magistro G. canonico Pictavensi duximus committendam; qui causam ipsam diligenter examinantes, eamdem ad nos remiserunt sufficienter instructam. Memorata itaque abbatissa et Hospitalis procuratore propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, idem proposuit procurator quod per depositiones testium coram jam dictis judicibus productorum multa constabat esse probata, per quæ de violentia ipsis illata manifeste liquebat, propter quod restitutionis beneficium postulabat. Asserebat siquidem manifeste probatum quod abbatissa prædicta, collecta multitudine laicorum, ad domum memoratam accessit, petens instanter ut claves ejusdem domus assignerentur eidem. Et licet fratres Hospitalis commorantes ibidem vocem ad nos appellationis emiserint, ne quid in ipsorum injuriam fieret, protectioni se apostolicæ supponentes, dicta nihilominus abbatissa secum Andegavensem præpositum ad domum ipsam adduxit: qui cum firmiter præcepisset eisdem ut abbatissæ claves domus restituerent universas, ipsi juxta mandatum ejus, quem non modicum verebantur, eas protinus reddiderunt. Abbatissa vero clavibus receptis ab ipsis, unam partem earum canonicis et partem aliam suis servientibus assignavit, eisdem injungens ut fratribus Hospitalis victualia nullatenus exhiberent nec ab aliis permitterent exhiberi. Qui cum per triduum famis inedia graviter afflicti fuissent, ab eodem loco

A recedere sunt coacti. Ideoque cum per multitudinem hominum quam abbatissa secum adduxerat eisdem fratribus, sicut procurator asseruit, fuerit timor incussus, et post appellationem ad nos interpositam ipsis injuria videatur illata, qui per impressionem domini sæcularis claves ipsius domus restituere ac per subtractionem victualium ab eodem loco recedere sunt compulsum, ad domum ipsam procurator jamdictus restitui postulabat. Pars autem abbatissæ proposuit in hunc modum, quod cum bonæ memoriæ S. senescallus claræ memoriæ Henrici regis Anglorum sæpedictam domum cum oratorio in fundo prædicti monasterii Sanctæ Mariæ de bonis propriis fundavisset, ac de consensu diœcesani episcopi ordo canonicorum regularium secundum beati Augustini Regulam fuisset postmodum

B institutus ibidem, canonici regulares, quibus fuit domus ipsa concessa, eam longo tempore pacifice possederunt. Cæterum sæpedictus Richardus rex, de Hierosolymitanis partibus rediens, dum in custodia teneretur, domum ipsam Hospitalariis contulit supradictis; quibus postea venientibus ad eamdem ut apprehenderent possessionem ipsius, abbatissa cum suis sororibus contradixit. Verum ipsi tam contradictionem earum quam appellationem ad nos propter hoc interpositam contemnentes, domum ipsam nihilominus intraverunt, et per violentiam ejecerunt clericos ministrantes ibidem. Cumque prædictus rex processu temporis didicisset quod bona ipsius domus usibus pauperum deputata iidem Hospitalarii dissiparent, rex idem injunxit ut Hospitalariis ipsis

C exclusis, canonici, qui fuerant exinde violenter ejecti, domus ipsius administrationem plenariam obtinerent, quam iidem canonici usque ad hæc tempora continue tenuerunt. Cum igitur videretur ex iis constare quod falso se asseruerant iidem Hospitalarii spoliatos, ipsis erat merito juxta ipsius partis assertionem restitutio deneganda. Ad ea vero quæ prædictus procurator objecit in hunc modum eadem pars abbatissæ respondit, quod etsi probatum esset quod ad domum ipsam cum multitudine hominum abbatissa venisset, nullatenus tamen ostensum est quod vel per ipsam vel per eos qui cum ea venerant aliqua fuerit ipsis fratribus violentia irrogata, vel etiam quod præpositus, qui ad domum accessit, aliquam vim intulerit vel Hospitalariis comminatorie

D sit locutus. Sed nec contra appellationem ab ipsis objectam aliquid dignoscitur attentatum, licet eadem abbatissa claves domus ab ipsis acceperit resignatas. Quanquam enim abbatissa mandaverit ut fratribus Hospitalis, qui auctoritate propria remanere volebant ibidem, victualia non darentur, idem reputare non poterant nec debebant ex hoc injuriam sibi factam, cum abbatissa minime teneretur eisdem fratribus, nisi vellet, in victualibus providere. Insuper eadem pars adjecit quod adversus abbatissam prædictam ipsius domus inepte restitutio petebantur. Quamvis etenim abatissa quædam jura sibi vendicet in eadem, pro eo quod in ea jus obtinet patronatus,

ipsam tamen non ipsa sed canonici possident supradicti. Unde cum ipsa non possideat, nec dolo desierit possidere, adversus ipsam rite non poterat interdictum restitutorium intentari. Nos igitur iis et aliis quæ tam coram judicibus supradictis quam etiam coram nobis partes proponere curaverunt plenius intellectis, de consilio fratrum nostrorum, abbatissam prædictam ab impetitione prædictorum procuratoris et Hospitalariorum quoad possessorium, de quo tantummodo actum esse dignoscitur, sententialiter duximus absolvendam. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod a nobis sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam [appellatione remota inviolabiliter observari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XIV Kal. Februarii anno decimo.

CXCIV.

VIENNENSI ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO GEBENNENSI, ET ABBATI DE CASSANIA CISTERCIENSIS [ORDINIS] LUGDUNENSIS DIOECESIS.

*De archiepiscopo Lugdunensi variis accusationibus impetito.*

(Apud S. Petrum, IX Kal. Februarii.)

In tantum clamor qui jamdudum accendit contra Lugdunensem archiepiscopum invalescit, quod dissimulare ipsum ulterius sine periculo non videmus. Præter alia quippe gravia quæ frequenter et a multis sunt relata de ipso, nuper nostris est auribus intimatum quod monasterium Saviniacense destruxit, et cœnobium de Lirin incendio dèvastavit, castra quoque Montis Trotarii et de Monte Bloi contra proprium juramentum invasit, et exsilio tradidit ipsorum accolas universos. Lugdunum vero non solum promissa pace, sed et fide quam præstiterat non servata, pro majori parte demolitus est, tum incendio, tum ruinis; ubi plures in ore gladii, et nonnulli aquarum submersionibus perierunt quamvis cives ejusdem se ac sua protectioni apostolicæ supponentes, nostram audientiam appellassent; in quos demum idem archiepiscopus, appellatione contempta, excommunicationis et interdicti sententias non erubuit jaculari. Qui etiam stratam publicam violare ac nova mercatoribus imponere pedagia non desistit. Quia igitur hæc, si vera sunt, conniventibus non debemus oculis pertransire, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si super iis vel aliis contra ipsum legitimus apparuerit accusator, indulta copia defensionis eidem, audiatis quæ contra ipsum proposita fuerint ac pro ipso, et habito præ oculis solo Deo, via regia incedentes, quod canonicum fuerit statuatis, facientes quad statueritis auctoritate nostra firmiter observari. Quod si nullus accusator prodierit contra ipsum, cum eum super iis fama nobis accuset infamis, veritatem nihilominus sublato appellationis obstaculo diligentissime inquiratis, et eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis destinare curetis, profigentes eidem archiepiscopo terminum competentem quo per se ipsum vel responsalem idoneum nostro se conspectui repræsentet; ut tam ipso quam illis qui processerint contra eum in præsentia nostra præsentibus, et suas, si voluerint, exponentibus plenius rationes, justum auctore Deo judicium proferamus. Dictas autem excommunicationis et interdicti sententias, si post appellationem ad nos legitime interpositam inveneritis esse latas, denuntietis autoritate apostolica nullas esse. Alioquin eis juxta formam Ecclesiæ relaxatis, audiatis si quid fuerit quæstionis, et appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis, districtione qua convenit firmiter observari. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, IX Kal. Februarii, anno decimo.

CXCV.

EPISCOPO ET DECANO ET CAPITULO ANTISSIODORENSI.

*De regalia Antissiodorensi.*

(Apud S. Petrum, XV Kal. Februarii.)

(66) Justis petentium desideriis, etc. *usque* complere. Cum igitur charissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris quidquid juris habebat in regalibus Ecclesiæ vestræ sede vacante, ipsi Ecclesiæ, divinæ intuitu pietatis concesserit, ita quod omnes proventus eorumdem regalium et præbendæ quas interim vacare contigerit, per vos, filii decane ac capitulum, futuro episcopo reserventur, nos vestris precibus benignum præbentes assensum, concessionem ipsam, sicut pietatis studio facta est, et in ejusdem regis authentico plenius continetur, vobis et per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem evidentiam authenticum ipsum huic nostræ paginæ de verbo ad verbum duximus inserendum.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter et futuri quod nos intuitu pietatis et ob remedium animæ nostræ et parentum nostrorum damus et concedimus in perpetuum Ecclesiæ Antissiodorensi quidquid juris habebamus in regalibus Antissiodorensibus vacante sede, ita quod decanus et capitulum ejusdem Ecclesiæ custodient regalia sed vacante, et omnes proventus qui exinde procedent, et præbendas, si quas interim vacare contigerit, ad opus futuri episcopi, salvo servitio nostro equitationis, exercitus, et submonitionis, sicut episcopi Antissiodorenses nobis fecerunt. Quod ut perpetuum robur obtineat, sigilli nostri auctoritate et regii nominis charactere inferius adnotato præsentem paginam confirmamus. Actum Parisius anno Domini 1206, regni vero nostri anno vicesimo septimo. Astantibus in palatio nostro quorum no-

(66) Vide lib. XIII, epist. 180; lib, XIV, epist. 52., lib. XV, epist. 39-40.

mina supposita sunt et signa. Dapifero nullo. Signum Guidonis buticularii. S. Matthæi camerarii. S. Droconis constabularii. Data vacante cancellaria per manum fratris Guarini.» Nulli ergo omnino hominum... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, xv Kal. Februarii, anno decimo.

CXCVI.

ANTISSIODORENSI EPISCOPO.

*De lectoria et scholastria Ecclesiæ Antissiodorensis.*

(Apud S. Petrum, x Kal. Februarii.)

(67) Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod cum archidiaconus tuus duo officia, lectoriam videlicet et scholastriam, in Ecclesia tua potestatem habeat conferendi, quia non reperiuntur qui eadem velint recipere, cum redditus non habeant competentes, idem collationem ipsorum ad jus episcopale devenire consentit, pro eo quod tu Ecclesiæ utilitatem attendens proposuisti prædictis officiis congrucs redditus assignare. Verum quia id sine auctoritate sedis apostolicæ robur obtinere non putas, nobis humiliter supplicasti ut collationem prædictorum officiorum tibi et successoribus tuis concedere dignaremur. Nos igitur benigne tuis precibus annuentes, tibi st successoribus tuis auctoritate præsentium indulgemus ut si archidiaconi tui consensus accesserit, prædicta officia personis idoneis libere conferatis, postquam curaveris ad eadem competentes redditus deputare. Nulli ergo omnino hominum... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, x Kal. Februarii anno decimo.

CXCVII.

MAGISTRO P. DECANO BERTORII.

*Confirmatur divisio decanatuum Thoarcensis et Bertorii.*

(Apud S. Petrum, vi Kal. Februarii.)

Cum olim dilectus filius Thoarcensis decanus nostro apostolatui reserarit decanatum suum contra Lateranense concilium divisum fuisse, cujus partem te asseruit possidere, ac super hoc a dilecto filio abbate de Tenallia cantore ac magistro C. natali canonico Xanctonensi examinari mandaverimus veritatem, et iidem nobis causam ipsam remiserint sufficienter instructam, eam dilecto filio Andreæ subdiacono et Rainaldo acolytho capellanis nostris commisimus audiendum. Coram quibus proposuit pars adversa quod eodem decanatu vacante, venerabilis frater noster Joannes quondam Lugdunensi archiepiscopus, tunc episcopus Pictaviensis, assensu sedis apostolicæ minime requisito, nulla exigente utilitate vel necessitate urgente, cum in reddendis procurationibus per hoc magis gravetur Ecclesia Thoarcensis, et per unum utrique decanatui posset satis commode provideri in singulis ecclesiis populo tam in morte quam vita et parvulis exhibentibus sacerdotibus ecclesiastica sacramenta, non dubitavit ipsius facere sectionem. Ex parte vero tua fuit propositum coram nobis quod cum decanatus prædictus, sicut et alii diœcesis Pictaviensis, quando vocant, noscatur in Pictaviensis episcopi residere potestate et ad eum ipsius donatio pertinere, dictus episcopus causam utilitatis et necessitatis attendens, sicut per suas nobis litteras intimavit, et ejus amplitudine considerata, et cognoscens quantum populis et ecclesiarum sacerdotibus, si uni more solito committeretur personæ, periculum exinde perveniret, cum suo capitulo deliberato consilio, præsertim cum... ejusdem loci archidiacono, aliisque viris prudentibus et discretis illum ex æquo censuit dividendum, et quod Thoarcensi decanatu in parte redacto, tuo subjiceretur decanatui pars subtracta in castro Bertorii ab eodem episcopo constituto. Volens igitur quod provide proposuerat cum cautela debita perducere ad effectum, publicavit suum propositum in synodo generali; et cum dispositio tam salubris, quæ multis in pluribus operabatur salutem, fuisset ab omnibus in ea residentibus commendata, nec alicui præjudicium vel injuriam generaret, personarum et rerum acceptione remota, in ipsam actualiter divisionem procedens, decanos singulos in castris instituit memoratis, viros, quantum ad humanum spectabat examen, providos et honestos, qui hujusmodi partibus sibi taliter assignatis contenti, nullam inter se contentionem, sed omnimodam concordiam usque ad suum obitum habuerunt. Idem insuper episcopus, qui legatianis officio in Burdegalensi provincia tunc temporis fungebatur, divisionem tam solemniter celebratam publice confirmavit. Sicque usque ad hæc tempora sine reclamatione aliqua res permansit, facto ipso a suis successoribus approbato. Cæterum auditores præfati a partibus iis et aliis intellectis, de mandato nostro peritorum in jure consilia requirentes, et intelligentes per eorum responsa quod debebat talis divisio confirmari, tum quia facta fuerat cum approbatione totius capituli et synodi generalis, et præcipue loci archidiaconi, ad quem decanatus ipsius erat specialiter jurisdictio devoluta, tum quia tot erant ecclesiæ sub decanatu antiquo quod eas unus commode non poterat gubernare, tum etiam quia longo tempore duraverat in quiete, sicut per testes quamplures et per ipsius episcopi litteras probabatur, qui auctoritate legationis apostolicæ ipsam etiam confirmarat, hæc omnia nobis fideliter retulerunt. Nos igitur sæpedicti episcopi, de cujus vita et fide plenam fiduciam obtinemus, testimonio inhærentes, divisionem eamdem, quæ causa facta dignoscitur utilitatis et necessitatis inspecta, duximus auctoritate apostolica confirmandam, te super hoc ab impetitione adversarii absolventes. Nulli ergo omnino hominum... nostræ confirmationis et diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, vi Kal. Februarii, anno decimo.

(67) Vide gesta episcoporum Antissidior. p. 487.

## CXCIII.

DUNKELDENSI ET BRECHINENSI EPISCOPIS, ET ABBATI DE HELCHOU DIOECESIS SANCTI ANDREÆ.

*De confirmatione electionis episcopi Aberdenensis.*

(Apud S. Petrum, IV Kal. Februarii.)

Accedentes ad præsentiam nostram dilecti filii decanus et archidiaconus Aberdenenses cum capituli sui litteris nobis exponere curaverunt quod cum Ecclesia sua proprio esset viduata pastore, dilectum filium Adam clericum, virum utique providum et honestum, unanimiter in suum episcopum elegerunt nescientes eum non esse in sacris ordinibus constitutum. Quo interim ad ordinem subdiaconatus promoto, ipsi perseverantes in priori concensu, eum iterum elegerunt, petentes ut electionem ipsius confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Cum igitur ejusdem electi persona multipliciter commendetur, et cum multo favore populi princeps terræ consentiat in eamdem, utpote quæ speratur Ecclesiæ in administratione spiritualium et temporalium profutura, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus examinata electione pariter et electo, si dictus Adam se administrationi episcopalium non ingessit, nec se fecit, ut obtineret episcopatum, in subdiaconum promoveri, quomodo aliud canonicum non obsistat, electionem de ipso factam auctoritate apostolica confirmetis, et faciatis eidem reverentiam et obedientiam debitam exhiberi: contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Nullis litteris veritati, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, IV Kal. Februarii, anno decimo.

## CXCIX.

DECANO ET CAPITULO BEATI MACUTI DE BARRO LINGONENSIS DIOECESIS.

*De canonico non residente.*

(Apud. S. Petrum, V. Kal. Februarii.)

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod R. concanonicus vester a longis retroactis temporibus abiit in Ungariam, et ibidem per viginti annos et amplius commoratus, adeptus est ecclesiasticos redditus abundantes. Unde cum illum non æstimetis ad ecclesiam vestram de cætero reversurum, per sedem postulastis apostolicam edoceri utrum tibi, fili decane, ad quem spectat donatio præbendarum, liceat præbendam illius alicui personæ idoneæ assignare, qui ecclesiæ vestræ valeat deservire. Nos igitur rigorem canonum temperantes, istud vobis duximus concedendum, quatenus ad præbendam illius aliquam personam idoneam in vicarium ordinetis, qui fructus ejus percipiat, et ecclesiæ vestræ impendat debitum famulatum, donec idem redeat requisitus: et si redire noluerit, vel antequam possit requiri decesserit, ei qui vicarius fuerat institutus, si se dignum reddiderit per conversationem honestam, eadem canonice conferatur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, V Kal. Februarii, anno decimo.

## CC.

DECANO ET CAPITULO NIVERNENSI.

*De fructibus persolvendis canonico stanti in studio.*

(Apud S. Petrum, II Kal. Februarii.)

Cum, sicut per vestras nobis litteras intimastis, antiqua consuetudo in ecclesia vestra servata sit hactenus et a singulis canonicis interpositione fidei roborata, ut pueri canonici citra sacros ordines constituti minores partitiones percipiant, et medietate majorum proventuum in blado consistentium ac denariis non fraudentur, mandatum nostrum libenter effectui mandassetis quod fecimus ut dilecto filio P. concanonico vestro, nepoti venerabilis fratris nostri Turritani episcopi, fructus præbendæ suæ sine diminutione solveretis in scholis, nisi dubitassetis præfatæ consuetudini contraire: præsertim cum magister P. de Vico procurator ejusdem pueri, prout dicitur, in anima jurarit ipsius quod eam inviolabiliter observaret. Unde responsum apostolicum postulastis quid faciendum sit vobis e duobus hujusmodi coarctatis. Licet igitur talia contra nos non debeant allegari, cum in hoc vel exprimi vel subintelligi debuisset ut salva semper esset apostolicæ sedis auctoritas quæ, disponente Domino super universas ecclesias et tam res quam personas ecclesiasticas obtinet plenitudinem potestatis, alioquin illud debeat tanquam temerarium reprobari, erimus tamen ad removendum omne dubietatis scrupulum hoc contenti, si tantum prædicto P. præsertim in scholis de communibus proventibus persolveritis quantum perciperet de præbenda.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, II Kal. Februarii, anno decimo.

## CCI.

EPISCOPO GEBENNENSI ET ABBATI BONÆVALLIS VIENNENSIS DIOECESIS.

*Scribit in gratiam magistri Oliverii* (68).

(Apud S. Petrum, III Kal. Februarii.)

Cum virtus mutuo sese diligat et aspernari contraria dignoscatur, si meritum virtutis et gratia quo dilectis filius magister Oliverius noscitur præminere, venerabilis frater noster Gratianopolitanus episcopus diligentius notavisset profecto dilexisset illud in eo quod in ipso quemadmodum in episcopo decet esse, nec compulisset eum ob illud ad nostram præsentiam laborare quod contulisse sibi virtus quidem esse videtur, vitium obstulisse; præsertim eum temperanter extra paupertatem et citra divitias volens esse, apud ipsum pro sua maluerit charitate necessario, quod sibi dederat, beneficio manere contentus quam alibi pro virtutibus suis, quæ minime sustinerent eumdem sustinere defectum, amplioribus abundare. Qualiter autem eum super ecclesia

(68) Vide num is sit cujus habemus epistolam in collectione Bongarsii, pag. 1185. Ad eum scribit Innoc. III, lib. XVI, epist. 29.

Aspernadi dudum sibi ab eodem concessa, post receptionem litterarum nostrarum, quas eidem magistro de ipsius confirmatione concessimus, aggravaverit, non nos latet; qui verecundiæ suæ parcentes, exaggerare nolumus quod est gestum, ne quod justum est juste agere compellamur. Unde nos eidem episcopo per scripta nostra districte præcipiendo mandavimus ut dictam Ecclesiam cum fructibus inde perceptis memorato magistro sine dilatione resignans, permittat eum ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram, suæque probatis obtentu ipsam pacifice possidere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si præfatus episcopus quod mandamus neglexerit adimplere, vos eum ad id, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, qua convenit districtione cogatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, III Kal. Februarii, anno decimo.

CCII.

CUSENTINO ARCHIEPISCOPO.

*Consolatoria est.*

(Apud S. Petrum, II Kal. Februarii.)

Legisse te credimus et per experientiam didicisse quod avis ad volatum et homo nascitur ad laborem. Militia enim est vita hominis super terram. Quod cum habeat ex conditione naturæ, nihilominus imminet illud ei ex præcepto dicentis : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu* (*II Tim.* II). Reddet namque Dominus sanctis suis mercedem, non solum fructuum, sed laborum. Cujus expers non fuit Apostolus qui dicebat : *Plus cæteris laboravi* (*I Cor.* XV); non dicens : plus cæteris fructum feci. Quia igitur ostendere Dominus tibi cœpit quanta te oporteat pro nomine suo pati, et hostis tuus congredientem te secum terribilibus oculis est intuitus, ita ut colluctatio tibi adversus carnem et sanguinem non sit tantum sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus, ad fortia te decet mittere manum tuam, et cunctis diebus quibus nunc militas donec veniat immutatio tua, fiducialiter expectare; ne, quod absit! dicentibus tibi tentatoribus tuis : *Incurvare ut transeamus* (*Isa* LI), a statu tuæ rectitudinis inclineris, et cadere incipias ante illos. De quibus oportet te dicere cum effectu : *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant* (*II Reg.* XXII). Proinde fraternitatem tuam monemus attentius et exhortamur in eo qui est in se sperantium fortitudo quatenus in pugna quam contra te per ministros suos universæ terræ malleus incitavit, non deficias, sed proficias, et adversus principes et potestates harum tenebrarum invicta mente resistas. Deus enim fluctuationem in æternum justo non dabit, nec tentari te patietur ultra quam valeas sustinere. Propter quod, si consistant adversus te castra, non timeas; imo sicut de viro constante legitur, si fractus orbis collapsus

A fuerit, impavidum te ruinis perferendum esse confidas; ut tandem cum in hujusmodi bello fortis inventus fueris, et pugnam superaveris serpentis antiqui, is qui calcandi super serpentes et scorpiones tibi contulit potestatem, cum illis quibus dicturus est : *Venite ad me qui laborastis et onerati estis* (*Matth.* XI), vincenti tibi de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei tui, det edere, teque faciat pro laboribus transitoriis requie sempiterna gaudere.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, II Kal. Februarii, anno decimo.

CCIII.

*Deciditur causa monasterii Fossæ-novæ cum communi Piperni.*

(Apud S. Petrum, III Kal. Februarii.)

B In nomine Domini. Amen. Cum causa quæ vertitur inter monasterium Fossæ-novæ ex una parte et commune Pipern ex altera super silva Morgazani fuisset commissa domino Hugolino episcopo Hostiensi a summo pontifice terminanda, convocatis partibus ante præsentiam suam, libellum monasterii recepit compositum in hunc modum :

« Ego L. œconomus monasterii Fossæ-novæ pro parte et vice monasterii peto a sanctitate vestra ut ex officio vestro juxta mandatum apostolicum inhibeatis Pipernensibus ut non molestent dictum monasterium super silva Morgazani, neque turbent possessionem nostram. Item peto quod de damnis et injuriis illatis monasterio satisfieri faciatis. » Cui libello in hunc modum a Pipernensibus est responsum. « Ego B. procurator Pipernensium, dico silvam, C Morgazani in possessione nostra, videlicet avorum, patrum, et nostra semper fuisse; et dico ipsam silvam fuisse confirmatam nobis per præceptum domini Honorii papæ et Alexandri et Calixti. Unde si Pipernenses aliquid operati sunt in ea, incidendo, vel pascendo, vel venando, pro suo jure rationabiliter possederunt. Unde dico quia non teneor de injuria vel de aliquo damno, si illatum est. » Itaque cum dominus Hostiensis aliquandiu de causa cognovisset eadem, commisit vices suas archipresbytero Pipernensi et Judici Sitinensi, qui receptis testibus utriusque partis, instrumentis et rationibus diligenter inspectis, causam ad dominum papam remiserunt sufficienter instructam. Dominus autem papa licet consules et populum Pipernensem ad se sæpius D evocaret, neque per se neque per sufficientem responsalem coram eo voluerunt aliquatenus comparere. Qui tamen causa ipsa inspectionem locorum et finium exposcebat, mihi (69) Petro de Sasso Dei gratia Sanctæ Prudentianæ tituli pastoris presbytero cardinali, qui tunc in ipsis partibus commorabar, commisit ipsam controversiam dirimendam, dans mihi per litteras mandatis ut Pipernenses ipsos ex abundanti ad meam præsentiam evocarem, ac locis ipsis, de quibus erat quæstio, rationibus, attestationibus et instrumentis utriusque partibus, quæ sub sigillo do-

(69) Vide Chronicon Fossæ-novæ, p. 483.

mini cardinalis sanctorum Cosmæ et Damiani mihi transmittebantur inclusa, diligenter inspectis, non differrent causam ipsam calculo diffinitivæ sententiæ terminare. Ego igitur juxta mandatum apostolicum accedens ad locum, fines et loca de quibus quæstio vertebatur, rationes, attestationis et instrumenta utriusque partis ibidem diligenter inspexi; et cum pro penuria jurisperitorum non possem commode illuc sententiam ferre, nec ipsos possem ad concordiam aliquatenus revocare, parti utrique, quod se summo pontifici præsentarent, octavam Nativitatis duxi pro termino præfigendam. Venientibus autem domino abbate et quibusdam monachis de Fossa-nova termino constituto, Pipernenses venire modis omnibus contempserunt. Et sic ad instantiam abbatis et monachorum iterum dominus papa mihi associare curavit dominum Guidonem de Capite porci et socium ejus et dominum G. de Tocco; coram quibus abbas Fossæ-novæ proposuit se silvam Morgazani non vi, non clam, non precario possidere; et suam intentionem fundatam esse per plures testes asserebat, qui dicunt quod terram in qua modo est silva Morgazani monasterium colonis dederit ad laborandum, et quod partem frugum et quasdam operas de ipsa terra receperit ab eisdem, et quod monachi Fossæ-novæ silvam in Morgazano postea levaverunt. Item quod per triginta annos usque ad hunc annum pro suo custodierint et defenderint Morgazenum. Item quod a quadraginta annis et etiam quinquaginta quiete et pacifice silvam monasterium possedit eamdem. Ad elidendum autem monasterii intentionem fuit propositum ex adverso, non monasterium, sed Pipernenses prædictam silvam pacifice possidere. Ad quod probandum quoddam rescriptum bonæ memoriæ Calixti papæ, renovatum per dominum Alexandrum, facere videbatur: in quo continebatur quod Crescentius de Sonnino terram Morgazani et de Mortecto et omnes alias terras Pipernensium refutavit de quibus Pipernenses in possessione fuerunt sicut expressim hoc elicitur ex rescripto; et sic per hæc verba possessionem probare nitebantur. Testes præterea inducti fuerunt ad probandam possessionem quod Pipernenses silvam monachis commendarunt; et sic monachis, non sibi, sed Pipernensibus possederunt. Nam is possidet cujus nomine possidetur. Item quod lignis, pascuis et herbis, atque mappalibus usi fuerunt homines de Piperno. Ad hæc omnia præfatum monasterium replicabat dicens prædictas allegationes sibi in aliquo non obstare. Inprimis rescripto papæ Calixti taliter respondebat, quod quæstio super qua emanavit rescriptum, non inter monasterium et Pipernenses, sed inter Pipernenses et Crescentium de Sonnino tunc temporis vertebatur. Ergo res inter alios acta aliis nec prodesse poterit nec obesse. Item posito quod inter monasterium et Pipernenses fuisset illa quæstio ventilata, non probatur per hoc possessio. Nam illa clausula quæ in præfato continetur rescripto (*de quibus in possessione fuerunt*, etc.) ad proxime dicta est tantummodo referenda, si rescriptum subtiliter sit inspectum. Recommendationi autem taliter respondebat, quod per eam possessio non probatur. Nec enim probatur per testes quod silvam recommendaverit universitas Perpinensis, sed simpliciter Pipernenses. Sed posito quod probaretur, non posset aliquatenus hoc obesse; quia, sicut dicunt testes, facta fuit monachis, non conventui vel collegio Fossæ-novæ. Ergo posito quod talem recommendationem monachi recepissent, non poterit per eos præjudicium monasterio generari, ne damno Ecclesiam atterat culpa temeritatis alienæ. Item ad id quod dicunt, quod fuerunt usi pascuis, lignis, etc. taliter monasterium replicabat quod per usum lignorum, etc. possessio non probatur, cum nedum usuarius, imo et fructuarius, vix a jure civili obtinere potuit ut naturaliter possideret; quia non dicit lex quod naturaliter possideat, sed quod videtur naturaliter possidere. Sed posito quod usus possessionem induceret, non probatur quod esset usa universitas Pipernensis, sicut et superius fuit in recommendatione plenius allegatum; maxime cum alii vicini silva utantur eadem, nec possint dici ideo possidere. Item allegabat pro se monasterium Fossæ-novæ quod sicut cautum est in jure civili, illa ratione potissimum debeat obtinere quod tempore litis contestatæ non vi, non clam, non precario possidebat. Auditis igitur iis et aliis rationibus et plenius intellectis, auctoritate domini papæ et prædictorum jurisperitorum consilio adjudicamus jam dictam silvam Morgazani monasterio Fossæ-novæ pacifice possidendam et Pipernenses ab omni molestia super eadem silva cessare, sententialiter diffinimus, quæstione proprietatis sine utriusque partis præjudicio reservata. Hanc vero sententiam ad majorem cautelam scriptam per manus B. dilecti nostri capellani nostro sigillo fecimus communiri. Anno Dominicæ Incarnationis 1208, mense Januarii x Kal. Februarii, anno decimo pontificatus domini Innocentii III papæ. Nulli ergo omnino hominum... nostræ confirmationis, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, III Kal. Februarii, anno decimo.

### CCIV.

ANTISSIODORENSI EPISCOPO.

*Adversus usurarios burgi de Charitate* (69*).

(Apud S. Petrum, IV Id. Januarii.)

Ad audientiam nostram te significante pervenit quod quidam burgenses de Charitate, licet in ea per totum fere annum vel pro majori parte morentur et contractus exerceant usurarum, in tribus tamen festivitatibus annualibus se ad villas regis vel aliorum principum extra tuam diœcesim transferunt jura parochialia exercentes ibidem, ut sic se parochianos alterius mentientes tuam jurisdictionem eludant, coram te juri parere penitus contemnendo. Quia igitur fraus et dolus nemini debet patrocinium impertiri, ut usurarios supradictos, si res ita se ha-

(69*) Vide supra, epist. 61.

bet, ad exhibendum tibi tanquam patri et pastori suo reverentiam et obedientiam debitum, recipiendo tua salubria monita et præcepta, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam non obstante frustratoriæ appellationis objectu compellas, liberam tibi auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, IV Idus Januarii, anno decimo.

CCV.

PETRO ABBATI MONASTERII SANCTI MARTINI DE MONTE, EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Petrum, Kal. Februarii.)

Licet (70) monasterium vestrum pauperculum fuerit ab initio, in tantam tamen processu temporis paupertatem devenit ut vix in eo tres monachi remansissent, possessionibus ejus vel omnino distractis vel graviter obligatis. Unde in generali Cisterciensi capitulo exstitit diffinitum ut a Cisterciensi ordine separari deberet, cum in eo non posset Cistreciensis ordo servari. Nos autem, qui religionem intendimus fovere plantatam, nolentes ab ipso monasterio religionem penitus exstirpari, mille libras tribuimus ad possessiones ejusdem monasterii retinendas, mandantes dilectis filiis abbati et fratribus Pontiniacensis cœnobii, quod per Dei gratiam et in spiritualibus et in temporalibus valde floret, ut ecclesiam vestram de nostra concessione in specialem filiam adoptantes, abbatem et conventum ad illam dirigerent reformandam. Quod ipsi grato prosequentes affectu, vos cum quibusdam conversis ad ipsum monasterium transmiserunt. Verum quia nec si monasterium ipsum sufficere poterat ad conventum sustentandum honestum, ecclesiam Sancti Salvatoris positam juxta Orelem cum omnibus possessionibus et pertinentiis suis vobis et per vos monasterio vestro in perpetuum duximus concedendam, impensuri vobis auctore Domino in aliis necessitatibus vestris auxilium opportunem cum laudabiliter vos proficere cognoverimus, prout cupimus et speramus. Ipsum itaque monasterium, prædecessorum nostrorum felicis recordationis Eugenii, Alexandri, et Lucii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinia communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, etc. Præterea quæscunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsenti juste et canonice possidet, etc. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentis suis, ecclesiam Sancti Erasmi ad portam Salcide, ecclesiam Sancti Joannis de Petra, ecclesiam Sancti Petri, ecclesiam Sancti Viti, ecclesiam Sancti Peregrini, ecclesiam Sancti Thomæ, ecclesiam Sanctæ Luciæ de castro Viterbii, ecclesiam Sancti Clementis, ecclesiam Sancti Joannis de Valle, ecclesiam Leonardii cum hospitali de Rescictis. In Petrognano ecclesiam Sancti Andreæ, ecclesiam Sanctæ Mariæ, ecclesiam Sancti Zenonis, cum eorum pertinentiis, ecclesiam Sancti Clementis cum pertinentiis suis. In Vetralla ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cajano. Domos quas habetis infra castrum supradicti Petrognani; terras, vineas, hortos, oliveta, quæ habetis in territorio ejusdem castri, Terras quas habetis apud Sanctum Alexandrum, et ipsam ecclesiam Sancti Alexandri. Campum de Larteso cum valle de Viniola, vineas, terras, silvas et castaneta quæ circa monasterium vestrum habetis. Vineas de Lugnano, cum olivete. Terras quas habetis apud Montem Monasterulum. In castro Sancti Victoris ecclesiam Sanctæ Luciæ cum omnibus pertinentiis suis. Prædictam quoque ecclesiam Sancti Salvatoris positam juxta Orelem, cum omnibus possessionibus et pertinentiis suis. Terras cum arboribus et domos quas habetis apud Casam malam. Terras quas habetis apud castrum Canapium. Silvam quam habetis in Valle alta, et quartam partem castri de Salice cum pertinentis suis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, etc. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes, etc. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit, etc. Discedentem vero, etc. Quod si qui retinere forte præsumpserit, etc., ad exemplar etiam privilegii prædicti Lucii prædecessoris nostri, quod ipsi nobis præsentatum inspeximus, inhilemus ut infra parochias ecclesiarum vestrarum nullus novam ecclesiam vel capellam ad damnum veterem ecclesiarum construere vel ædificare præsumat. Salvis tamen privilegiis pontificum Romanorum. Illud districtius inhibentes, ne terras seu quolibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare sive alio modo alienari absque consensu totius capituli, etc. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis monachus sive conversus sub professione vestræ domus astrictus sine consensu et licentia abbatis et majoris partis vestri capituli pro aliquo fidejubeat vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserit, non teneatur conventus pro iis aliquateuus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis, sive civilem cive crimina-

(70) Vide Gesta Innoc. III, cap. 126.

lem contineant quæstionem, fratrem vestrorum testimoniis uti, etc. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus vel alia quælibet persona ad synodos vel conventus forenses vos ire vel judicio sæculari de propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat, nec ac domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire præsumat, nec regularem abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis, etc. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem apostolicæ sedis habentem, etc. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanæ sedis, ut diximus, communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate apostolicæ sedis recipere valeatis. Porro si episcopi vel alii ecclesiarum rectores in monasterium vestrum vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint, in illis diebus in quibus vos laboratis et alii feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra sedis apostolicæ indulta prolatam duximus irritandam; nec litteræ ullæ firmitatem habeant quas tacito nomine Cisterciensis ordinis et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Præterea cum commune interdictum terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum pontificem benedicendus accedat. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, etc. Præterea omnes libertates et immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon et libertates et exemptiones sæcularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus, etc. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate et in prædictis ecclesiis diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, etc. *usque in finem.*

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S.R.E. cancellarii Kalendis Februarii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domni Innocentii PP. III, anno decimo.

### CCVI.

ANTISSIODORENSI ET TRECENSI EPISCOPIS.

*Super inquisitione contra nonnullos hæreticos.*

(Apud S. Petrum II Id. Januarii.)

(71) Ex tenore litterarum tuarum, frater Antissiodorensis, accepimus quod licet bonæ memoriæ prædecessor tuus, tanquam pastor providus et discretus, super gregem suum noctis vigilias vigilans, a burgo qui Charitas appellatur eliminare laboraverit hæreticam pravitatem cura et sollicitudine diligenti, nondum tamen Babylon illa plene potuit ab hujusmodi languore curari; sed quamplures utriusque sexus, qui coram præfato prædecessore tuo quamlibet hæresim adjurarunt, quasi canes ad vomitum redierunt; quibus non sufficit quod dederunt perditioni se ipsos, sed ad perditionem secum trahere alios moliuntur, quosdam hæresiarchas, quos (72) consolatores appellant, in vaccas populorum introducentes latenter, qui necent veneno doctrinæ pestiferæ oves tuas. Herveus enim de Lorriaco et Hugo Rapterius et quidam alii, sicut accepisti pro vero, qui tempore prædecessoris tui, cum essent hæretici, a villa fugere prædicta, sub mercationis obtentu cum consanguineis suis nunc adeunt loca suspecta, et per tres aut quatuor menses commorantes ibidem, cum redeunt, sicut dicitur, secum adducunt sani dogmatis perversores. Thomas quoque Morandus, quem propter confessam hæresim tuus excommunicaverat antecessor, postquam ab archidiacono Parisiensi beneficium absolutionis obtinuit per quasdam litteras nostras veritate tacita impetratas, infamiam jam contractam non studuit exhibitione bonorum operum abolere. Unde cum illum, tanquam Æthiopem, mutasse non æstimes pellem suam, in pristinam sententiam postulasti reduci, donec constiterit quod se reddiderit absolutionis beneficio non indignum. Præterea Gaufridus et W. de Monueto, Stephanus Pasturelli, et... relicta W. Senneveri, cum tem-

(71) Vide supra lib. II, epist. 63, 99, et Raynald. ad an. 1633, § 39.

(72) Vide Conciliabul. Caramann. ann. 1167, et Reiner. cap. 6 contra Valdenses.

pore dicti prædecessoris tui fuissent super hæresi accusati, ab Antissiodorensi diœcesi recesserunt: qui cum modo redierit, et tu de fide ipsorum velis, prout ad officium tuum pertinet, certus, fieri, in subterfugium malignandi, licet in tua diœcesi suas habeant mansiones, nunc Nivernensis, nunc Bituricensis diœcesis se fatentur. Quare ad prædictos pestiferos et alios de hæretica prævitate suspectos, ne ipsorum arbusta operiant cedros Dei, apostolicæ sedis falcem apponi suppliciter postulasti. Cum igitur prædecessor tuus, tanquam bonus agricola, ad captionem vulpecularum illarum, quæ moliebantur commissam sibi vineam demoliri, sollicite institerit ac prudenter; tu super gregem tuum debes sollicite vigilare, ne lupi rapaces oves tuas rapiant et dispergant, sciens quod quemadmodum in honore, ita eidem et in onere successisit. Nos quoque postulationibus tuis benignum præbentes assensum, fraternitati vestræ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus quatenus contra præfatas belluas, juxta quod vobis desuper fuerit inspiratum, sublato appellationis obstaculo auctoritate apostolica procedatis, superseminatam zizaniam de agro dominico evellentes, et plantantes orthodoxæ fidei puritatem. Contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, II Idus Januarii, anno decimo.

CCVII.

GREGORIO CAPELLANO ECCLESIÆ DE OTHCAPELLA.

*Adjudicatur sibi ipsa Ecclesia.*

(Laterani, IV Id. Februarii.)

Cum dilectus filius Arnoldus abbas monasterii de Mildeburg super Ecclesia de Othcapella, quam canonice obtinebas, te intenderet molestare, tu appellationem ad sedem apostolicam interponens ad nostram præsentiam accessisti, et apostolicas litteras ad dilectos filios Majoris Ecclesiæ et Sanctæ Mariæ ac Sancti Petri præpositos Trajecten. super eadem controversia reportasti: qui examinantes negotium diligenter, et testes recipientes utrinque productos, ad nos sufficienter instructum idem negotium remiserunt. Te vero ac prædicti procuratore abbatis in nostra præsentia constitutis, causam ipsam dilecto filio Andreæ subdiacono et capellano nostro commisimus audiendam. Coram quo asserere curavisti quod cum olim ad eamdem ecclesiam a parochianis ipsius, qui quasi possessionem juris patronatus habebant in ea, Giliberto quondam abbati præfati monasterii fueris præsentatus, et sine contradictione cujuslibet institutus, postmodum eodem viam universæ carnis ingresso, successor ejusdem tibi super Ecclesia memorata movere quæstionem incœpit; sed ab ejus impetitione sententialiter absolutus per episcopum Trajectensem ad majorem cantelam per eumdem tuum adversarium in prædictæ possessionem ecclesiæ corporaliter es inductus. Unde postulabas a nobis ut super ea ipsi tuo adversario silentium imponere dignaremur, quam a suis prædecessoribus legitime fueras assecutus. Verum cum præfatus auditor hæc et alia quæ coram eo partes proponere voluerunt nobis fideliter retulisset, et quæ utrinque probata fuerant intimasset, nos tibi adjudicare curavimus ecclesiam sæpedictam, super ea perpetuum silentium tuo adversario imponentes.

Nulli ergo... nostræ diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, IV Idus Februarii, anno decimo.

CCVIII.

EPISCOPO T. ARCHIDIACONO, ET SCHOLASTICO TORNACENSI.

*Quod inquirant contra episcopum Trajectensem.*

(Laterani, VII Id. Februarii.)

Licet Trajectensis episcopus coram venerabili fratre nostro Hostiensi episcopo et dilecto filio Leone tituli Sanctæ Crucis presbytero cardinale apostolicæ sedis legatis et magnantibus pluribus, quod non pervenerat ad eumdem excommunicationis sententia qua ipsum facimus innodari, nec contra sedem apostolicam cum quibusdam clericis conjurationem inierat, se nisus fuerit multipliciter excusare, frustra tamen juxta Salomonis sententiam jacitur rete ante oculos pennatorum. Verum quia idem nobis humiliter supplicavit ut ipsi beneficium absolutionis faceremus impendi, quod humiliter postulanti non debet aliquatenus denegari, discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus quatenus ab eo in publicum juratoria cautione recepta, quod sine conditione aliqua et tenore parebit apostolicæ sedis mandatis, ipsi absolutionis beneficium impendare procuretis, post hæc monentes eumdem attentius et efficaciter inducentes ut Parent. et P. de Cice. civibus Romanis, Alex. et Accat. mercatoribus Senensibus, vel ipsorum nuntiis, de pecunia quam eisdem tenetur exsolvere, sicut continetur in authenticis instrumentis, satisfacere studeat usuris cessantibus vel componere cum eisdem; et si necesse fuerit, ipsum ad hoc tam per vim juramenti quam per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Vos autem utrum ad eumdem episcopum venerit notitia excommunicationis prolatæ in ipsum, vel quod pervenerit fama publica protestatur, seu etiam celebraverit postquam pervenit ad eum quod vinculo erat excommunicationis astrictus, aut contra sedem apostolicam cum aliquibus conjurarit, per juramenta dilectorum filiorum N. Sancti Pauli, Corr. de Staur. et N. de Ostbruoc abbatum, et R. Sanctæ Mariæ, W. S. Petri, et Otc. Sancti Bonifacii præpositorum, et aliorum, inquiratis diligentissime veritatem, et quæ super iis inveneritis, fideliter redacta in scriptis sub sigillis vestris ad nostram præsentiam transmittatis. Quod si non omnes... tu frater episcope, etc.

Datum Laterani, VII Idus Februarii, anno decimo.

CCIX.

ILLUSTRI REGINÆ MARIÆ.

*Adversis episcopum Sleswicensem.*

(Laterani.)

(73) Quanto ferventius viri tui profectum diligis et honorem, tanto propensius ad ea semper agenda debes ipsum inducere quæ Deo ac nobis debeant complacere, ab illis penitus abstinendo quæ divinam et nostram merito provocarent offensam. Ipse vero, sicut catholicus princeps, quasdam nobis nuperrime litteras devotione plenas et discretione non vacuas destinavit, implorans ut postulationem de Waldemaro episcopo Slewicensi a Bremensi capitulo factam admittere digneramur, ipsumque ad Bremensem metropolim promovere. Nobis igitur super hoc deliberare volentibus... nuntius dilectorum filiorum præpositi, decani et capituli Hammeburgensis adveniens eorumdem nobis litteras præsentavit, per quas nostro apostolatui nuntiarunt quod cum olim Hammeburgensis ecclesia metropolitica, Bremensis autem episcopali dignitate gauderet, eædem fuerunt Ecclesiæ auctoritate sedis apostolicæ connitæ, ac extunc usque ad hæc tempora Ecclesiæ utriusque canonici Bremensem archiepiscopum pariter elegerunt. Unde quia nuper præpositus, decanus et capitulum Bremense tam ipsis quam quibusdam religiosis viris, qui electioni debuerant interesse, penitus inconsultis, memoratum episcopum in archiepiscopum postularant, a nobis sollicite petierunt ut quod circa postulationem eamdem ab illis fuerat in eorum præjudicium attentatum, in statum debitum reducere curaremus. Præterea cum fuisset idem episcopus de mandato nostro a (74) carcerali custodia liberatus, et contra ipsum in nostra demum præsentia constitutum nuntii. Danorum regis illustris quædam gravia objecissent super quibus ille se inculpabilem ostendere nitebatur, eidem regni, sciente ac volente præfato episcopo, per scripta nostra mandavimus ut, ne causa remaneret diutius in suspenso, aliquos viros providos et fideles usque ad festum Natalis Domini proximo præteritum ad sedem apostolicam destinaret, eisdem potestate concessa ut per eos et cum eis, si desuper datum esset, concordiam super ipso negotio tractaremus. Alioquin auditis et intellectis quæ per eos adversus episcopum ipsum idem rex duceret proponenda, et illis quæ in sui defensionem episcopus allegaret, de vultu nostro procederet judicium æquitatis. Cumque postmodum propter hoc dilectus filius (75) præpositus regis ipsius nuntius, dum tractatus super postulationis articulo haberetur, nostro se conspectui præsentasset, memoratus episcopus ipso præsente restitutionis beneficium postulavit a nobis, asserens

A se per regem tam episcopalibus bonis quam etiam patrimonialibus destitutum. Cui dictus præpositus ex adverso respondit quod non rite poterat restitutionis auxilium implorare, cum ipse se duxerit spoliandum, dum clericalem habitum derelinquens, (76) regium sibi titulum usurpavit. Insuper læsæ majestatis, apostasiæ, adulterii, perjurii, dilapidationis et conspirationis crimina eidem objiciens, proponebat non solum ei fore restitutionis beneficium denegandum, sed etiam postulationem de ipso factam penitus respuendam; præsertim cum irregularis existat, utpote de duplici adulterio procreatus, ejusque dispensatio fuerit olim ab apostolica sede per subreptionem obtenta, suppresso quod esset spurius, et expresso quod existeret naturalis,
B cum et paternæ incontinentiæ imitator filios habeat post sacros ordines generatos. Nos autem ad ea quæ pacis sunt intendentes, petitionem ipsius super restitutione tam episcopatus quam patrimonii sibi plenarie facienda in favorem ecclesiasticæ libertatis duximus admittendam, concedentes eidem ut si forte nollet se credere dicto regi, per procuratorem idoneum restitutionem acciperet corporalem, et ipse interim in quo mallet loco maneret eidem regi merito non suspecto. Qui cum respondisset se velle per procuratorem idoneum restitutionis beneficium obtinere, ac de loco in quo mansurus esset interim deliberatorias inducias accepisset, ingratus gratiæ sibi factæ, fraudulenter et contumaciter a nobis (77) illicentiatus aufugit, haud dubium quin, si possit, ut præconceptam malitiam exsequatur. Unde nos ex
C parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra excommunicamus et anathematizamus eumdem, postulationem de ipso factam, qua omnino reddidit se indignum, penitus reprobantes. Quocirca serenitatem tuam exhortandam duximus et rogandam, consulentes et suggerentes fideliter ac prudenter, quatenus virum tuum diligenter moneas et inducas ut præfato episcopo nullum præstet auxilium vel favorem, sed eum tanquam excommunicatum vitet, neque per ipsum aut propter ipsum permittat in Ecclesia Dei scandalum suboriri per quod etiam contra se posset non leve scandalum generari, cum nos tantæ malignitatis audaciam in eodem nolimus episcopo sub dissimulatione
D transire.

Datum Laterani.

CCX.

HERBIPOLENSI ELECTO.

*Ut Slewicensem episcopum excommunicatum denuntiet.*

(77) Dilecti filii præpositus, decanus, et capitulum Bremense per suas nobis litteras intimarunt quod quondam archiepiscopo suo viam universæ

(73) Vide infra epist. 215, lib. XII, epist. 63; lib. XIII, epist. 158; lib. XV, epist. 3, et Arnold. Lubec. lib. VII, c. 12, 13.

(74) Vide Raynald. ad an. 1206, § 19, 22.

(75) Petrus præpositus Roschildensis, infra, lib. XI, epist. 10.

(76) Vide Arnold. Lubec. lib. VI, c. 18.

(77) Arnold. Lubec. lib. VII, c. 12.

(77*) Vide epist. super,

carnis ingresso, ipsi convenientes in unum, et de A pastoris substitutione tractantes, in Waldemarum episcopum Slewicensem vota sua unanimiter contulerunt, humiliter implorantes ut postulationem de ipso factam admittere dignaremur. Nobis igitur, etc., *in eumdem fere modum ut supra, usque :* Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus personaliter accedens ad principem, diligenter eum ex parte nostra moneas et inducas ut præfato episcopo nullum præstet, etc., *sicut supra usque* transire. Discretioni tuæ districtius injungentes quatenus prænominatum episcopum excommunicatum manifeste denunties, et postulationem ipsius penitus reprobatam; mandatum apostolicum taliter impleturus quod devotionem et discretionem tuam debeamus B merito commendare.

## CCXI.

UTERINÆ VALLIS ET GARNISWIKÆ ABBATIBUS, SPIRENSIS ET METENSIS DIOECESUM.

*Ut sententiam latam pro præposito S. Paulini Argentin. faciant observari.*

(Laterani, IV Id. Februarii.)

Causam super ecclesia de Walzelinhen inter dilectos filios A. præpositum Sancti Paulini et H. canonicam de Asela Argentinensis diœcesis dudum motam dilecto filio E. cantori Metensi et conjudicibus ejus commisimus terminandam, qui, sicut per suas nobis litteras intimarunt, legitime procedentes in ipsa, cognito quod idem præpositus a vero patrono, abbate videlicet de Horembach, præsentatus fuerat canonice ad ecclesiam memoratam, C præsentationem ipsius sententialiter approbare curarunt. Et quia diœcesanus episcopus et archidiaconus loci, ad quos institutio pertinebat, malitiose adversabantur eidem, animarum ei curam in ipsa ecclesia qua fungebantur auctoritate dedere. Cum autem dilectus filius Fredericus procurator antedicti præpositi sententiam judicum præfatorum in præsentia dilecti filii nostri Joannis sanctorum Cosmæ et Damiani diaconi cardinalis, quem ei concessimus auditorem, a nobis peteret confirmari, memoratus canonicus eam dixit viribus carere censendam, tum quoniam examen eorum a quibus prolata fuerat rationabiliter declinaverat, tum etiam quia ne procederent ad sententiam, audientiam nostram legitime appellarat. Nos autem D auditis iis et aliis quæ proposita hinc inde fuerunt, quoniam intelleximus contra sententiam ipsam nihil ostensum quod valeret ad reprobationem ipsius; eam exigente justitia duximus approbandam. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus illam auctoritate apostolica faciatis inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes.

Datum Laterani, IV Idus Februarii, anno decimo.

## CCXII.

UBERTO BOBIENSI EPISCOPO.

*De subjectione monasterii S. Columbani.*

(Laterani, IX Kal. Martii.)

(78) Tempore felicis recordationis Eugenii papæ prædecessoris nostri inter bonæ memoriæ O Bobiensem episcopum et abbatem et monachos Sancti Columbani super subjectione ipsius monasterii ac multis aliis quæstione suborta, dictus prædecessor noster utriusque partis rationibus et allegationibus diligenter auditis et plenius intellectis, communicato fratrum suorum consilio, monasterium Sancti Columbani suadente justitia dicto prædecessori tuo adjudicare curavit, confirmationem abbatis, benedictionem quoque ac correctionem monasterii regularem, alarium etiam, ecclesiarum seu basilicarum consecrationem, monachorum et clericorum promotionem, tam in capite quam in membris ad ipsum episcopum et successores ejusdem pertinere decernens, oleum etiam et candelas, juxta quod a suis testibus fuerat comprobatum, eidem episcopo suisque successoribus solvi præcepit, videlicet tpntum olei quod in tribus quadragesimis curiæ suæ honeste sufficeret, ac per duas partes anni diebus singulis unum brachium candelarum. Processu vero temporis cum abbas et monachi monasterii antedicti latæ contra eos sententiæ pertinaciter contrairent, venerabilis frater noster patriarcha Hierosolymitanus (79), tunc Bobiensis electus, in præsentia felicis memoriæ Lucii papæ suam de ipsis proposuit quæstionem; ac tandem in regesto Eugenii papæ reperta sententia memorata, idem papa Lucius abbatem Sancti Columbani et monachos ac successores eorum ad obediendum ipsi electo et successoribus ejus, sicut propriis episcopis, de communi fratrum consilio condemnavit, auctoritate apostolica sententiam antedictam confirmans, sicut in ejus authentico manifeste perspeximus contineri. Præterea quoniam privilegia felicis memoriæ Anastasii et Adriani pontificum Romanorum Ecclesiæ Bobiensi collata, partim malitiose abrasa fuerant in ipsius Ecclesiæ detrimentum, idem papa Lucius volens indemnitati ejus in posterum providere, decrevit ut per illas rasuras nullo unquam tempore dicta privilegia reprobentur, quæ omnia postmodum per piæ memoriæ Urbanum papam prædecessorem nostrum auctoritate fuerunt apostolica confirmata, prout in ejus privilegio plenius continetur. Cum autem in nostræ promotionis primordio ad nostram audientiam pervenisset quod præfatum Sancti Columbani monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo mediante spectaverat, ac licet contra ipsum fuerit sententia promulgata, nullum tamen apostolicæ sedi debuerit præjudicum generari, cum res inter alios acta alii præjudicare non possit, venerabili fratri no-

(78) Vide t. IV *Ital. sac.*, pag. 1287 et seqq.

(79) Vide tom. IV *Ital. sac.*, pag. 1295.

stro archiepiscopo Januensi, tunc Bobiensi episcopo, dedimus in mandatis (80) ut si haberet aliquod munimentum per quod dictum monasterium ex concessione sedis apostolicæ suo doceretur episcopio fuisse subjectum, illud ad certum terminum nobis per proprium nuntium mittere non differret. Ac cum propter hoc ipse ad nostram præsentiam personaliter accessisset, coram nobis et fratribus nostris suas curavit proponere rationes, et quæcunque super ipso negotio habebat ostendere munimenta. Nos igitur attendentes devotionem ipsius et paupertatem etiam Ecclesiæ Bobiensis, quæ licet sic pontificali prædita dignitate, in redditibus tamen esse proponitur modica et exilis, a prosecutione quæstionis illius quam super præfato monasterio movebamus tunc duximus desistendum, præcipientes ut idem monasterium juxta tenorem sententiæ Eugenii papæ exhibere sibi reverentiam et obedientiam procuraret; ita tamen quod ex gratia sibi facta a prosecutione quæstionis præmissæ illo tempore desistendo, nullum posset sedi apostolicæ præjudicium generari quo minus, cum vellet, suam posset prosequi rationem. Procedente vero tempore C. et B. monachi ejusdem cœnobii ad nostram præsentiam accedentes, nobis ex parte abbatis et conventus humiliter supplicarunt ut cum dictus episcopus, cui gratiam illam personaliter duximus faciendam, esset ad Ecclesiam Januensem translatus, et tu eos multipliciter aggravares, jus sedis apostolicæ super ipso negotio prosequi dignaremur, cum sententia prælibata in nullo debuerit sedi apostolicæ præjudicium generare; præsertim cum eum qui promulgavit eamdem ex officii debito et juris necessitate super quæstione de qua cognoverat oportuerit judicare, nec res judicata illis obesse poterat inter quos non exstitit judicatum. Cum igitur sedes apostolica habita custodire et invasa recuperare specialiter teneatur, venerabili fratri nostro episcopo (81) et dilecto filio abbati (82) Omnium Sanctorum Cremon. dedimus in mandatis ut si constaret eisdem te ipsum monasterium indebite aggravare, aliquem super eodem negotio procuratorem idoneum apostolicæ sedi statuerent, et partibus convocatis et auditis hinc inde propositis, usque ad diffinitivæ sententiæ calculum appellatione postposita procedentes, causam sufficienter instructam ad præsentiam nostram remitterent, præfixo termino partibus competenti quo se nostro conspectui præsentarent sententiam, dante Domino, recepturæ. Memorati ergo episcopus et collega, sicut per suas nobis litteras (83) intimarunt evidentius cognoscentes dictum a te cœnobium super multis indebite aggravari, cum in negotio juxta mandati nostri tenorem vellent procedere; tu, ne procederent, sedem apostolicam appellasti. Sed ipsi appellatione contempta in negotio procedentes, quemdam monacum cum privilegiis et scriptis aliis A quæ ad causam facere videbantur ad nostrum præsentiam transmiserunt. Cumque propter hoc esses apud sedem apostolicam constitutus, ac postulares instanter processum dictorum Cremonensis episcopi et collegæ, utpote lite minime contestata et post appellationem ad nos legitime interpositam attentatum censeri prorsus irritum et inanem, nos utriusque partis parcere volentes laboribus et expensis, et ne hujusmodi quæstio in recidivæ contentionis scrupulum relabatur, provida cupientes sollicitudine præcavere, dilecto filio O, acolyto et capellano nostro procuratore Romanæ Ecclesiæ constituto, ac coram nobis et fratribus nostris lite solemniter contestata, procurator ipse quoddam privilegium sub bulla felicis memoriæ Formosi papæ B produxit in medium, quod tanta fuerat vetustate consumptum ut in eo de monasterio Sancti Columbani nec mentio fieret nec etiam vestigium appareret : ac cum per illud suam vellet intentionem fundare, cum fundamentum illud penitus nullum esset, totum quod superædificatum fuerat irritum apparuit et inane. Unde nos utriusque partis rationibus et allegationibus plenius intellectis, privilegiis etiam et sententiis prædecessorum nostrorum diligenter inspectis, communicato fratrum nostrorum consilio, te et Ecclesiam Bobiensem ab impetitione procuratoris jamdicti sententialiter duximus absolvendum, ac sententiam Eugenii papæ pro Bobiensi Ecclesia contra ipsum monasterium promulgatam auctoritate apostolica confirmantes, præcipimus et sancimus ut abbates et monachi qui pro C tempore in ipso monasterio fuerint, tibi ac successoribus tuis diœcesana sint lege subjecti, et tam in spiritualibus quam temporalibus Bobiensi episcopo tanquam diœcesano suo debeant respondere. Ac ut omnis imposterum auferatur materia jurgiorum, super quæstione ista cuilibet tibi adversari volenti perpetuum silentium imponentes, statuimus ut si qua deinceps reperta fuerint instrumenta quæ pro monasterio et contra episcopum facere videantur, omnino viribus careant, et inutilia reputentur. Decernimus ergo ut nulli... hanc paginam nostræ diffinitionis, confirmationis, et constitutionis infringere. etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, IX Kal. Martii, anno decimo.

### CCXIII.

D ABBATI ET MONACHIS SANCTI COLUMBANI.

*De eadem causa.*

(Laterani, X Kal. Martii.)

Motæ jamdudum inter vos et Bobiensem episcopum scrupulum quæstionis taliter cupientes dirimere ne alterutra partium illum valeat ulterius suscitare, dilecto filio O. acolytho et capellano nostro procuratore Romanæ Ecclesiæ constituto, ac coram nobis et fratribus nostris inter procuratorem ipsum et venerabilem fratrem nostrum Bobiensem episcopum lite solemniter contestata, et utriusque partis

(80) Vide lib. II, epist. 224.
(81) Sicardo.
(82) Joanni.
(83) Exstant t. IV *Ital. sac.*, pag. 126.

rationibus et allegationibus plenius intellectis, privilegiis etiam et sententiis prædecessorum nostrorum diligenter inspectis, communicato fratrum nostrorum consilio, episcopum ipsum seu Ecclesiam Bobiensem ab impetitione procuratoris ipsius sententialiter duximus absolvendum, ac sententiam felicis recordationis Eugenii papæ prædecessoris nostri pro Bobiensi Ecclesia contra vestrum monasterium promulgatam auctoritate apostolica confirmantes, sanciando præcipimus ut abbas et monachi qui pro tempore in vestro monasterio fuerint, sibi ac successoribus suis diœcesana sint lege subjecti, et tam in temporalibus quam spiritualibus Bobiensi episcopo tanquam diœcesano suo debeant respondere; ac ut omnis inposterum auferatur materia jurgiorum, super quæstione ista cuilibet sibi adversari volenti perpetuum silentium imponentes statuimus ut si quæ deinceps reperta fuerint instrumenta quæ pro monasterio vestro et contra episcopum vel Ecclesiam Bobiensem facere videantur, omnino viribus careant et inutilia reputentur. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod a nobis est sententialiter diffinitum recipiatis humiliter et inviolabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam dictus episcopus in vos propter hoc canonice duxerit promulgandam, ratam habebimus et faciemus auctore Domino firmiter observari.

Datum Laterani, x Kal. Martii, anno decimo.

### CCXIV.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANO APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Ei committitur causa adversus comitem Tripolitanum.*

(Laterani, Id. Februarii.)

Quod provocata peccatis nostris cœlestis indignatio majestatis terram sanctam et locum tabernaculi gloriæ suæ inimicis crucis exposuit, non est sub admiratione ducendum, cum tot impietatum scelera scelerumque impietates per abusionum flagitia et flagitiorum abusus committantur ibidem ab iis qui nomine sunt non opere Christiani ut etiam illæ paucæ reliquiæ quæ ibi remansisse videntur, misericordias Dei multas quod consumptæ non sunt cum propheta valeant admirari, nisi forsan hoc ipsum non minus de judicio quam de misericordia divina procedat quod forte sceleratius ab aliquibus falsis fidelibus idem adhuc locus incolitur quam a viris infidelibus occupetur. O miseram insolentiam et miseriam insolentem infelicium accolarum! qui quasi non sufficiat quod ab hostibus incessanter animæ quærantur eorum, deterius hostibus in se sæviunt, et de domesticis simultatibus exterorum tyrannidi vires jungunt, sanctificata loca contaminant, et, sicut de talibus veritas ipsa dixit, invicem tradunt se, invicem habent odio, et invicem scandalizant, ante oculos quasi Jesu pendentis in cruce perpetrant turpia, et ubi de terra veritas misericorditer orta est, ibi miserabiliter agunt falsa, viciniam dominam diversorii ab immundis pollui patiuntur ac etiam ipsi polluunt, et se, proh dolor! metu tantæ irreverentiæ non confundunt. Non timent ne suis provocatus injuriis de vicino præsepio infans vagiat, et de spurcitiis eorumdem prope sedens puerpera virgo pudescat. Licet autem hostilis impietas invadendo funiculum hæreditatis suæ Christum graviter persequatur, aliqui tamen horum, suos persequendo ministros, ipsum gravius persequuntur; qui nimirum, ut inimici hominis domestici ejus fiant, pejus Ecclesiam intus tribulant quam exterius affligatur. Specialiter autem nobilis vir comes Tripolitanus, sicut ex quamplurimum litteris et relatione multorum accepimus (84), in Christum Domini venerabilem fratrem nostrum patriarcham Antiochenum dominum suum, cujus est (85), homo juratus, compater, et filiolus, sacrilegas manus misit, et ipsum, imo Christum in eo, cum duobus ejus nepotibus in gravi non metuit custodia detinere. De dissensionibus autem inter eumdem comitem ac Templarios et charissimum in Christo filium nostrum Leonem illustrem regem Armeniæ tam ipso quam ipsius nepote subortis. necnon et æmulationibus aliis quibus invicem in partibus illis Christianorum aliqui provocantur, multa sunt apostolatui nostro relata pro quibus ingemiscendo dicentes: *Væ a scandalis terræ sanctæ* (*Matth.* XVIII), tibi ea prout audivimus sigillatim non duximus referenda; non quod lacrymis indulgere nolimus quas ipsorum memoria detorqueret, sed quia non credimus expedire de iis quæ præsentiora sunt tibi peregrinos referes rumores. Quia igitur nos, qui statui seu potius casui terræ sanctæ hactenus vigilanter studuimus, sed nequivimus efficaciter subvenire, multifarie multisque modis reliquiis ejus servandi mutuo sibi pacem impendendo consilium et hostibus resistendi procurando succursum, quantumcunque de nostris meritis diffidamus, adhuc tamen de Dei virtute confidimus, existimantes quod ex præmissis salus ejusdem terræ non ex modica parte dependeat, super iis quæ sequuntur vices nostras tibi duximus committendas. Quocirca fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes quatenus diligenter pensatis omnibus circumstantiis, plenarie intendens ad liberationem præfati patriarchæ ac nepotum suorum super satisfactione præstanda tam ipsi quam Ecclesiæ, imo Deo, et absolutione prædicti comitis, seu etiam observatione ac relaxatione sententiarum quæ latæ sunt ob hujusmodi sacrilegium vel ferendæ, ac deinde super justitia mutuo impendenda inter regem ipsiusque nepotem et comitem memoratum atque Templarios, ac cæteris quæ præmissa contingunt, statuas aucto-

(84) Vide infra lib. II, epist. 9, 110.

(85) Vide Raynald ad. ann: 1205, § 37.

ritate nostra suffultus quod saluti et justitiæ singulorum ac statui terræ sanctæ noveris expedire, et facias quod statueris per censuram ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari, contradictores si qui fuerint, vel rebelles per censuram eamdem cessante appellatione compescens.

Datum Laterani, Idibus Februarii, anno decimo.

## CCXV.

DOMINO PAPÆ.

*Philippus rex Romanorum scribit pro episcopo Slewicensi.*

Reverendo in Chisto Patri suo sanctissimo domino INNOCENTIO sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici PHILIPPUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus salutem et filialis dilectionis affectum.

Cum plene cuilibet constare possit quod ab illo fonte in quo totius spiritalis juris et ecclesiastici plenitudo consistit nihil aliud procedere possit vel abinde derivari nisi quod sanctum sit et quod contineat æquitatem, semper hoc inde sperandum est per quod unicuique consulator, conservata tamen huic fonti totius suæ auctoritatis integritate. Cum igitur apud sanctitatem vestram divina ordinatione totius ecclesiastici juris plenitudo consistat, est denique apud prudentiam vestram potestas plena, inspecta secundum varietatem variorum negotiorum necessitate, rigorem districti juris temperare, et quandoque, cum et hæc oportuerit, severitatem disciplinæ secundum ipsius juris ordinem incommutabiliter observare. Cæterum, Pater sanctissime, quamvis nos vehementissime credamus quod ad aures vestras jam devenerit quod Dominus Hartwicus Bremensis Ecclesiæ archiepiscopus, Deo ipsum vocante de medio, jam debita carnis exsolverit, idipsum tamen et nos vobis duximus significandum. Mortuo itaque jamdicto archiepiscopo, ne ipsa Bremensis Ecclesia suo pastore orbata, diu sic viduata consisteret, clerus ipsius Ecclesiæ cum omnibus iis qui electioni futuri episcopi interesse debuerant ad electionem consederunt; considerata quoque jamdictæ Ecclesiæ necessitate, unanimiter vota sua in dominum Waldemarum Slewicensem episcopum transtulerunt (76). Cum igitur mutatio episcoporum sine speciali licentia hujus sanctæ sedis fieri non debeat, et cum aliquis episcopus ab una Ecclesia ad aliam transire non possit sine vestra concessione. sanctitatem vestram omni ea qua possumus affectione rogamus, ut vos principaliter propter Deum, et si quid apud vos potest majestatis nostræ petitio, concedatis præfato Slewicensi episcopo ut ipse ad Bremensem Ecclesiam, ad quam postulatus est, de gratia vestra possit transire et concessione, et ipsum a vobis confirmatum et expeditum de iis omnibus quæ ad vestram pertinent sanctitatem, ipsi Bremensi ecclesiæ remittatis, temperata circa eum misericorditer supradictæ constitutionis disciplina. Ad hæc, ad discretionem paternitatis vestræ deferre volumus quod jam dicta Bremensis Ecclesia jamdius multis pressuris et miseriis miserabiliter subjacuit, et cum ipsa quandoque fuisset una de nobilioribus Ecclesiis in imperio constitutis, multis. de causis, quas enumerare modo necesse non est, multum ei in rebus et honore deperiit, præcipue tamen ex illius archiepiscopi negligentia qui nunc mortuus est, et ex multo defectu ipsius qui in ipso convenerat, multum sub eo Bremensis Ecclesia viluit, ita quod, eo etiam adhuc vivente, jamdicta Ecclesia juste posset dici viduata. Moveant hæc igitur vestram sanctitatem, et miseriis ipsius Bremensis Ecclesiæ in hoc paterne consulatis, ut vos ei transmittatis dominum Waldemarum Slewicensem episcopum, qui a sanctitate vestra postulatur. Scire etiam vos volumus quod quantum ad nos et ad jus spectat inperii, et quantum in nobis erit, ad hoc adhibere volumus piam operam et efficacem ut ipsa Bremensis Ecclesia in pristinum statum secundum dignitatem et honorem quem quandoque consuevit habere possit reformari.

## CCXVI.

HERVEO TRECENSI EPISCOPO.

*Confirmantur privilegia Ecclesiæ Trec. concessa per regem Francorum.*

(Laterani, VII Id. Februarii.)

Solet annuere, etc. Ex litteris siquidem fraternitatis tuæ intelleximus evidenter quod licet inter te ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum regem illustrem occasione quorumdam archidiaconatuum et præbendarum, quas quibusdam clericis idem rex, Ecclesia tua vacante, concesserat, emerserit scrupulus quæstionis, eodem rege firmiter asserente donationes præbendarum ad se, ipsa Ecclesia vacante, spectare, idem tamen rex postmodum jus tuum et libertatem Ecclesiæ recognoscens, regia benignitate concessit ut archidiaconatus, præbendæ ac alia beneficia quæ ibidem vacare contigerit, Ecclesia ipsa pastoris officio destituta, donationi substituendi pontificis de cætero reserventur, statuens nihilominus ut de beneficiis quæ nuper sede vacante concesserat, tuam facere voluntatem, libere profitendo se in ipsis nihil juris penitus habuisse. Possessiones insuper et quædam alia tam tibi quam tuis successoribus idem rex auctoritate regia confirmavit; sicut hæc omnia in privilegio præfati regis plenius perspeximus contineri, cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus litteris duximus inserendum:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex.

Noverint universi præsentes pariter et futuri quod charissimus quondam genitor noster Ludovicus Matthæo tunc temporis Trecensi episcopo ejusque successoribus quæ subter annexa sunt in perpetuum concessit et confirmavit, videlicet villam quæ dici-

(86) Vide supra epist. 209.

tur Sanctus Leo cum appendiciis suis, et quidquid juris idem episcopus habebat in villa quæ dicitur Avenz, quidquid juris habebat in villa quæ dicitur Lanes, quidquid juris habebat in villa quæ dicitur Angularia, et insulam quæ juxta eam sita est in flumine Alba, villam quæ dicitur Aquis cum appendiciis suis, in ea libertate quæ ipsi Trecensi episcopo a dominis de villa Mauri concessa est, videlicet ut cum Trecensem Ecclesiam suo antistite vacare contigerit, domini villæ Mauri vel ministri eorum de rebus episcopi vel suorum hominum jurisdictionis ejusdem villæ nihil accipient, sed usibus et dispositioni ejus qui illic fuerit subrogandus antistes in sua incolumitate omnia conserventur. Quidquid etiam idem episcopus habebat in villa quæ dicitur Gumerium, et in villa nuncupata Summus fons, cum jure et libertate quam in eisdem locis habuerunt antecessores sui. Præterea libertatem sibi et Ecclesiæ suæ a bonæ memoriæ comite Hugone concessam, scilicet ut qui ab eodem episcopo servientes aliquod publicum officium obtinuerint, ab omni justitia et exactione comitum Trecensium ac suorum ministerialium, quandiu officium ipsum habuerint, liberi sint et immunes. Adjecit etiam bonæ memoriæ supradictus genitor noster ut domus episcopales et curtes cum omnibus in eis contentis in obitu episcoporum illam libertatem obtineant quam comes Henricus ei concessisse et confirmasse dignoscitur. Ad hæc, unum modium frumenti quem idem comes Henricus ei de molendinis quæ sub turre sita sunt pro hominibus apud curtes insulæ habitantibus dedit in vigilia Omnium Sanctorum annuatim persolvendum, et unum sextarium frumenti in novis molendinis juxta ecclesiam Sancti Quintini pro censu quem debet Paganus de Tuso (87). Furnum quoque in burgo episcopi in ea integritate libertatis quam ei memoratus comes Henricus concessit et scripto suo roboravit. Centum etiam solidos quos idem comes Henricus dedit matriculariis ecclesiæ Sancti Petri in teloneo suo Trecensi singulis annis persolvendos. Grangiam quoque villæ Cestini cum appendiciis suis, quæ acquisivit et acquirere posset. Præterea honorem de Meriaco cum casamentis, terris cultis et incultis, fluviis, aquis aquarumve decursibus, pratis, pascuis et nemoribus, servis et ancillis, sicut antecessores ejus ab ipso genitore nostro et suis antecessoribus habuerunt. Casamenta etiam quæ domini de Triagnello, castrum videlicet de Venesiaco, cum aliis quæ ab Ecclesia Trecensi habent. Casamenta etiam quæ Guido de Domnipetra (88) et Hugo de Planceo hactenus ab Ecclesia Trecensi tenuerunt. Casamenta etiam quæ... Vicecomes Senonensis et Dominus de Chasceneio apud melendinum Leonis tenent. Casamentum quod Odo de Avelleio ab Ecclesia Trecensi tenet. Nihilominus etiam casamentum quod vicecomes Sancti Florentini ab Ecclesia Trecensi habet, cum aliis omnibus quæ hactenus Ecclesia Trecensis habuisse dignoscitur. Nos igitur prædicta omnia sicut in privilegio patris nostri continentur confirmamus. Præterea de donatione præbendarum quæ vacarunt in ecclesia Beati Petri Trecencis, vacante sede illa, quia non inveniebamus aliquem qui vidisset quod nos eas dedissemus aut quod genitor noster piæ recordationis rex Ludovicus ipsas tempore vacantis sedis vacantes dedisset, et quia etiam ex assertione plurium audivimus quod præbendæ, archidiaconatus, et alia beneficia tempore illo vacantia futuro reservarentur episcopo Trecensi ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto nostro Herveo Trecensi episcopo ut ea conferat et donationem illorum habet tam ipse quam successores ejus episcopi Trecenses. Concedimus autem eidem episcopo ut de donationibus quas super iis fecimus suam faciat voluntatem, utpote qui nihil in hujusmodi donationibus habebamus. Ut autem prædicta omnia perpetuum robur obtineant, sigilli nostri auctoritate et regii nominis charactere inferius adnotato præsentem paginam confirmamus. Actum apud Sanctum Germanum in Loia anno Incarnationis Domini 1207 (89) astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo S. Guidonis buticularii. S. Matthæi camerarii. S. Droconis Constabularii. Datum vacante cancellaria.» Nos igitur devotionem regiam propter hoc in Domino commendantes, et tam concessionem quam constitutionem et confirmationem approbantes ipsus, easdem auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VII Idus Februarii, anno decimo.

## CCXVII.

### EIDEM

*Super eodem.*

(Apud S. Petrum, II Kal. Februarii.)

Justis petentium, etc., *usque* complere. Cum igitur charissimus in Christo filius noster Pilippus rex Francorum illustris statuerit ut de beneficiis quæ nuper sede vacante concesserat tuam faceres voluntatem, libere profitendo se in illis nihil juris penitus habuisse, ac tu postmodum ipsa personis idoneis assignaris, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonice facta est, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis, etc. Nulli ergo.. nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, II Kal. Februarii, anno decimo.

(87) Apud Camuzat., *Tullo.*

(88) Camuzat. *Dampetra et Planceyo.*

(89) Apud Camuzat., *regni vero nostri an.* 28.

# STEPHANI BALUZII ADMONITIO
## DE SEQUENTIBUS EPISTOLIS.

*Quod in superioribus libris factum est, in isto quoque fieri necesse fuit, quia nonullas epistolas anni decimi reperimus quæ in Regesto non habebantur. Quinque igitur omnino sunt epistolæ istius appendicis, quarum duas priores accepimus ex historia Matthæi Parisii, tertiam ex chartulario monasterii Fossatensis, quartam ex tomo duodecimo Spicilegii Dacheriani, postremam ex historia Placentina Petri Mariæ Campi. Addidimus præterea epistolam ejusdem Innocentii III qua præbendam Ecclesiæ Carnotensis confirmat hospitali Sanctæ Mariæ in Saxia; quæ licet data sit anno quarto pontificatus ejus, heic tamen refertur, quia alibi opportunior locus non fuit. In epistola enim 179 hujus libri decimi agitur de hospitali Sancti Spiritus in Saxia. Hanc porro epistolam nobis exhibuit vetus chartularium insignis Ecclesiæ Carnotensis.*

—

### CCXVIII.
JOANNI REGI ANGLORUM.
*Ei mittit munera.*

Inter opes terrenas quas mortalis oculus concupiscit et quasi chariora desiderat, aurum obryzum et lapides pretiosos principatum credimus obtinere. Licet autem his et aliis divitiis vestra regalis abundet excellentia, in signum tamen dilectionis et gratiæ quatuor annulos aureos cum diversis lapidibus pretiosis tuæ magnitudini destinamus; in quibus te volumus specialiter intelligere formam, numerum, materiam et colorem, ut mysterium potius quam donum attendas. Rotunditas enim æternita significat, quæ initio caret et fine. Habet ergo regalis discretio quod in forma requirat ut de terrenis transeat ad cœlestia, de temporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem, qui numerus est quadratus, constantiam mentis significat; quæ nec deprimi debet in adversis, nec in prosperis elevari. Quod tunc laudabiliter adimplebis cum quatuor virtutibus principalibus fuerit ordinata, videlicet justia, fortitudine, prudentia, temporantia. Intelligas ergo in primo justitiam, quam exerceas in judiciis, in secundo fortitudinem, quam exhibeas in adversis, in tertio prudentiam, quam observes in dubiis, in quarto temperantiam, quam in prosperis non dimittas. Per aurum vero sapientia designatur, quia sicut aurum præminet metallis universis, sic sapientia donis omnibus antecellit, Propheta testante: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ* (*Isa.* XI), etc. Nihil est autem quod regem magis oporteat habere. Unde rex ille pacificus Salomon solam a Domino sapientiam postulavit, ut populum sibi commissum provide sciret gubernare. Porro smaragdi viriditas fidem, sapphiri serenitas spem, granati rubicunditas charitatem, topazii claritas operationem bonam significat, de qua Dominus; *Luceat lux vestra* (*Matth.* v). Habes igitur in smaragdo quod credas, in sapphiro quod speres, in granato quod diligas, in topazio quod exerceas, ut de virtute in virtutem ascendas, donec Deum deorum videas in Sion.

### CCXIX.
EIDEM.
*De negotio archiepiscopi Cantuariensis.*
(Laterani...)

(90) Cum super negotio Cantuariensis Ecclesiæ nos D

A tibi scripserimus humiliter, diligenter, benigne, exhortando ac rogando, tu nobis, ut salva pace tua loquar, rescripsisti quasi comminando et exprobrando, contumaciter et proterve. Et cum nos tibi supra jus deferre curemus, tu nobis secundum jus deferre non curas, minus quam decet attendens quod si tua nobis devotio plurimum est necessaria, nostra tamen tibi non parum est opportuna; cumque nos in tali casu tantum honorem nulli principum detulerimus quantum tibi, tu nostro tantum derogare attendis honori quantum in simili casu nullu princeps derogare præsumpsit, quasdam frivolas occasiones prætendens quibus asseris quod electioni de dilecto filio magistro Stephano tituli Sancti Chrysogoni presbytero cardinali a monachis B Cantuariensibus celebratæ non potes præstare consensum; quia videlicet inter tuos est conversatus inimicos, et persona ejus est tibi prorsus ignota. Porro, juxta proverbium Salomonis, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, cum intelligamus illud ei non esse imputandum ad culpam, sed ad gloriam potius ascribendum, quod Parisius diu vacans liberalibus studiis in tantum profecit ut meruerit esse doctor, non solum in liberalibus facultatibus, verum et in theologicis disciplinis; ac sic per hoc cum vita concordare doctrinæ, dignus est habitus præbendam obtinere Parisiensem. Unde mirabile gerimus si vir tanti nominis, de tuo regno ducens originem, tibi potuit esse saltem quoad famam ignotus, præsertim cum ter scripsisses illi, postquam a nobis exstitit in cardinalem promotus, C quod licet disposueris eum ad tuæ familiaritatis obsequium evocare, gaudebas tamen quod ad majus erat officium sublimatus. Sed illiud potius te attendere decuisset, quod in terra tua natus est, de parentibus tibi fidelibus ac devotis, quodque in Ecclesia Eboracensi fuerat præbendatus, quæ longe major et dignior quam Parisiensis existit. Unde non solum ratione carnis et sanguinis, verum etiam obtentu ecclesiastici beneficii es officii, te ac regnum tuum affectu sincero diligere comprobatur. Nuntii vero tui causam nobis aliam expresserunt quare non præstitisti ejus electioni consensum, quia videlicet nunquam fuerat requisitus ab illis qui cum a te debuerant postulare, asserentes quod litteræ illæ quibus mandavimus ut super hoc negotio procuratores ad nos idoneos destinares, ad te minime pervene-

(90) Vide gesta Innoc. III,. c. 131.

runt, et monachi Cantuarienses, quamvis pro aliis negotiis ad tuam præsentiam accessissent, pro postulando tamen consensu nec litteras nec nuntios direxerunt. Unde iidem nuntii cum multa instantia nobis supplicarunt quatenus ex quo nobis complacuit hanc tibi honorificentiam reservare ut monachi Cantuarienses regium postularent assensum, quoniam hoc factum non erat, dilationem congruam concedere dignaremur infra quam posset id fieri, ne juri tuo contingeret derogari; contra personam electi quiddam ad ultimum proponentes quod cum manifeste falsum sit, ostium oris claudere debuissent; præsertim cum si verum esset, promotionem ejus jam impedire non posset. Licet autem super electionibus apud sedem apostolicam celebratis non consueverit assensus principum expectari, duo tamen monachi fuerunt specialiter deputati ut ad te pro requirenda assensu venirent; qui apud Ydivoriam (91) fuerunt retenti, injunctum sibi mandatum exsequi non valerent, et præfatæ litteræ de procuratoribus ad nostram præsentiam destinandis tuis fuerunt nuntiis assignatæ, ut eas tibi fideliter præsentarent. Nos quoque, qui super eamdem Ecclesiam Cantuariensem plenitudinem potestatis habemus, regium super hoc dignati sumus implorare favorem; et cursor noster qui apostolicas tibi litteras præsentavit, litteras quoque prioris ac monachorum, qui ex mandato totius capituli Cantuariensis celebraverant electionem memoratam, super assensu petendo regiæ sublimitati porrexit. Ideoque non vidimus oportere denuo post hæc omnia regium postulare consensum, sed illud disposuimus, non declinantes ad dexteram vel ad sinistram, quod sanctorum. Patrum canonicæ sanctiones statuunt faciendum, ut videlicet nihil moræ vel difficultatis rectis dispositionibus afferatur, ne gregi Dominico diu desit cura pastoralis. Quocirca nil discretioni tuæ vel regali prudentiæ suggeratur a quoquam quo aliquatenus valeat a consummatione hujus officii revocari, quoniam cum absque vi et dolo canonica sit electio de persona idonea concorditer celebrata, sine damno famæ et periculo conscientiæ differre non possemus. Tu ergo, fili charissime, cujus honori supra jus deferre curavimus, secundum jus nostro studeas honori deferre, ut gratiam dfvinam et nostram uberius merearis; ne forte, si secus egeris, in eam te difficultatem inducas de qua non facile valeas expediri, cum tandem oporteat eum vincere cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum, cujus nos vices in terris, licet immeriti, exercemus. Ne igitur eorum consiliis acquiescas qui tuam semper turbationem desiderant ut melius possint in aqua turbida piscari, sed nostro beneplacito te committas, quod utique tibi cedet ad laudem, gloriam et honorem. Quia non esset tibi tutum in hac causa Deo et Ecclesiæ repugnare pro qua beatus martyr et pontifex gloriosus Thomas sanguinem suum recenter effudit, præsertim ex quo pater et frater tuus claræ memoriæ tunc reges Anglorum in manibus legatorum apostolicæ sedis illam pravam consuetudinem abjurarunt. Nos autem, si nobis humiliter acquieveris, sufficienter tibi et tuis providere curabimus, ne super hoc valeat vobis aliquod præjudicium generari.

Datum Lateran..., pontificatus nostri anno decimo.

(91) Devoriam.

## CCXX.

ABBATI ET CONVENTUI FOSSATENSI.

*Confirmatur quædam concessio.*

(Apud S. Petrum, VIII Id. Januarii.)

Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, redditus quos bonæ memoriæ Isembardus abbas de assensu vestro, fili conventus, ad augmentum luminarium sacristæ monasterii vestri apud Longumvillare concessit, sicut eadem ipsos juste possidet et quiete, ipsi auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino, etc.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, VIII Idus Januarii, anno decimo.

## CCXXI.

EPISCOPO, ARCHIDIACONO, ET PRÆPOSITO ATREBATENSI.

*De minuendo feminarum numero in domo canonicorum.*

(Apud S. Petrum, V Kal. Februarii.)

Dilecti filii abbas et conventus de Cisonio nostris auribus intimarunt quod quædam domus eorum, quæ dicitur *Bel-Repaire*, præter canonicos et fratres tanta est onerata multitudine feminarum, quas recipere ad instantias et importunitates principum compelluntur, ut ad necessariam sustentationem earum nequaquam domus ejusdem sufficiant facultates. Propter quod indulgeri sibi suppliciter petierunt quod de cætero non recipiant ibi aliquam mulierem, ne, quod absit! suadente humani generis inimico, per ipsas detur occasio delinquendi. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita diligentius et cognita veritate statuatis inde quod utilitati Ecclesiæ ac saluti servientium in eadem noveritis expedire, contradictores, etc. Quod si non omnes... tu, frater episcope, cum eorum altero ea nihilominus exsequaris.

Datum Romæ apud Sanctorum Petrum, V Kal. Februarii, anno decimo.

CCXXII.

PRÆPOSITO ET CAPITULO PLACENTINO.

*Confirmantur mandata facta Placentinis.*

(Apud Montemflasconem, v Kal. Augusti.)

Ne super mandato quod pro vobis olim fecimus Placentinis aliqua possit inposterum dubietas exoriri, illud de verbo ad verbum vobis duximus subscribendum :

« Consulibus et civibus Placentinis.

« Hoc est præceptum quod vobis injungimus sub debito præstiti juramenti. Ut de cætero contra tenorem Lateranensis concilii non gravetis episcopum vel clerum Placentinum exactionibus vel collectis, et restituatis omnes fructus exstantes quos eis abstulistis vel fecistis auferri. Super aliis autem rebus ablatis condescendimus vobis hoc modo, si tamen hanc gratiam velitis gratam habere, ut ad præsens tria millia librarum illis reddatis, et pro residuo, sicut offertis, communia obligetis eisdem, ita ut vos nomine ipsorum faciatis proventus eorum fideliter colligi et eis integre assignari donec ipsis plene fuerit satisfactum. Si vero modum istum acceptare non vultis, quia non dimittitur peccatum nisi restituatur abbatum, cum dubium non existat quin possitis, si velitis, sive mutuo sive alio modo pecuniam invenire, sub eadem districtione præcipimus ut summam pecuniæ pro rebus abbatis secundum extimationem factam infra sex menses integre persolvatis; possessiones vero quas habebant Ecclesiæ Placentinæ in eum statum reducere procuretis in quo fuerunt tempore violentiæ irrogatæ ; neque contra istud præceptum vi vel dolo aliquid aliquando attentetis. Alioquin præter notam et noxam perjurii vos in priorem sententiam reducamini, et procedatur in vos secundum formam posterioris mandati ad visitatores directi, cujus continentia fuit talis :

« Tacti sumus dolore cordis intrinsecus et usque ad animam ipsius doloris gladius pertransivit pro eo quod cum civitas Placentina consueverit esse apostolicæ sedi valde devota, nunc mutatus est color optimus, et aurum in scoriam est conversum, quoniam adeo exhibet se ingratam ut nulla in ea videatur devotionis aut gratitudinis remansisse scintilla, dum ejus monitis et mandatis omnino contemptis, matrem suam Placentinam Ecclesiam, honorabile membrum ipsius, hæreticorum seducta fallaciis nititur ancillare, volens eam quasi vile mancipium redigere sub tributo, ut cæteras civitates suo exemplo corrumpens una provocet universas contra universalis Ecclesiæ libertatem ; ut dicere valeamus cum Propheta : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me* (*Isa.* I). A cujus utique culpæ flagitio si nec publicæ honestatis justitia, nec ecclesiasticæ disciplinæ severitas, nec fidei Christianæ religio, nec formido tremendi judicii vos potuit hactenus revocare, utinam exemplum gentilis mansuetudinis vos induceret, ne sæviorem persecutionem a vobis quam passa fuerit a famosæ

A credulitatis tyranno, Ecclesia nostro tempore sustineret. Cum enim Parao rex Ægypti, cæteris servituti subactis, sacerdotes suos et possessiones eorum non solum in pristina libertate servaverit, sed etiam alimoniam eis de publico ministrarit, et rex Persidæ Artaxerxes universis sacerdotibus et levitis ac domus Dei ministris vetuerit vectigal, tributum, et annonam imponi, vos quidem metuere propter Deum vel saltem propter homines erubescere deberetis in Dei famulos immanitatem illius tyrannidis exercere quam non exercuerunt in ipsos illi qui nondum habebant notitiam veritatis. Heu ! qui vos, o cives, tam miserabiliter fascinavit ut ancillata matre servos efficeret et perversitatis exemplum cæteris exhiberet, ac apostolicæ gratiæ redderet prorsus ingratos, quæ civitatem vestram a

B jugo Ravennatis Ecclesiæ gratuito liberavit, adoptans illam in filiam specialem ? Certe etsi possetis hujusmodi facinus impune perficere, non deberetis tam perversum exemplum aliis exhibere, quoniam, etsi grave sit facinus, gravius est exemplum. Quod si gratiæ vobis factæ beneficium aspernemini, et degenerantibus vobis ex filiis in privignos, apostolicæ sedis gratiam, quæ multis bonis hactenus vos replevit, propter vestram ingratitudinem improperare cogamur prophetico verbo dicentes : Pingues facti sunt et incrassati, et recalcitravere dilecti. Nunquid remanebit gratia cum ingratis, aut mater filios alienos, qui mentiti sunt ei, sibique mala pro bonis et odium pro dilectione retribuunt, ultra poterit in adoptionis filios retinere, quin potius abu-

C tentes ingenua, redigantur in conditionem servilem, ut gratiam quam non cognoverunt habendo, saltem amittendo cognoscant, tantoque demum illam se doleant amisisse quanto habere ipsam, cum voluerint serio, non poterunt, pro eo quod eam servare, dum potuere, minime voluerunt, et sic tandem dantibus vobis alienis honorem vestrum et annos vestros crudeli, cum impleti fuerint extranei viribus vestris, ac vos labores vestros in aliena domo videntes in novissimis gemueritis, nos quidem, juxta proverbium Salomonis, in interitu vestro redebimus, et subsannantes, cum vobis quod timebatis advenerit, redire fortasse volentes recipere vos nollemus, quos jam pridem diutius vocavimus renuentes, cum Sapiente dicturi : *Vocavi, et renuistis. Extendi manum*

D *meam, et non fuit qui aspiceret. Eespexistis omne consilium meum, increpationes meas penitus neglexistis* (*Prov.* I). Redite ergo, prævaricatores ad cor, et nolite vos reddere prorsus indignos propriæ dignitatis, quia cum exspectaverimus per trienninm, si forte infatuata ficulnea fota stercoribus non protulerit ex se fructum, profecto non restat nisi securim ponere ad radicem, ne ramis infructuosis extensis terra circumjacens inutiliter occupetur. Cum enim nihil sit justius quam ut in quo quis peccavit, in eo etiam puniatur, et per hoc quod in Deum et Ecclesiam commisistis, non solum episcopalia jura temere invadentes, verum etiam facientes epi-

scopum vestrum et clericos miserabiliter exsulare, A sedis episcopalis reddideritis vos indignos, nolentes vos tanti sceleris diutius impunitate gaudere, imo illud tali castigatione compescere quod quibuscunque culpa vestra fuit scandalum, pœna sit in exemplum, deliberavimus cum fratribus nostris et hoc communi consilio duximus statuendum ut nisi ad mandatum Ecclesiæ infra mensem post susceptionem præsentium revertamini, super his pro quibus censuram ecclesiasticam incurristis satisfactionem debitam impensuri, civitas vestra episcopali dignitate privetur, et diœcesis ejus inter vicinos episcopos dividatur, proviso congrue tam episcopo quam clericis civitatis, si tamen civitas dicenda sit postquam episcopalem amiserit dignitatem, ac per hoc temporalem quoque merebitur amittere comitatum. B Ecce tensus est arcus. Fugiatis igitur a sagitta quæ non consuevit abire retrorsum, quia sera est pœnitentia post ruinam, sicut vicina vos possunt exempla docere. Non ergo vos resipiscere pudeat ab errore, quoniam in hac pugna longe magis est vinci quam vincere gloriosum, quia sicut qui vincit vitium, vincitur a virtute, sic profecto qui virtutem captivat, a vitio captivatur. Et est quidem majoris virtutis se ipsum quam extraneum superare, maxime si crudelitas a pietate vincatur, Salomone testante: *Melior patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI), Mittimus igitur ad vos venerabilem fratrem nostrum, Vercellensem episcopum et dilectos filios abbatem de Tilieto et Albertum presbyterum Mantuanum, qui monitis et C exhortationibus vos inducant, si desuper datum fuerit, ad semitam veritatis, alioquin convocatis episcopis Lombardiæ, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, præscriptum statutum solemniter exsequantur. De cætero paterna dilectione vos monemus, deposcimus, et rogamus ut hoc nobis gratuita saltem liberalitate donetis, sub spe non solum mercedis æternæ vobis a Domino conferendæ, verum etiam præmii temporalis a sede apostolica concedendi, scituri pro certo quod non sine multa tristitia et magno dolore processimus ad præscriptam sententiam proferendam, tanquam qui necessario compellimur, si permiseritis vos in hanc necessitatem induci, quamdam honorabilem partem a nostro corpore separare ut illius pareamus jussioni qui præcipit quod si noster oculos nos scan- D dalizat, eruamus illum, et projiciamus a nobis. Datum Laterani, Nonis Octobris, pontificatus nostri anno nono. » Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cæteris occupationibus prætermissis, cum hanc inter omnia negotia Lombardiæ modo præcipuam reputemus, ad civitatem Placentinam pariter accedentes, cives ipsius, quos, sicut novit ille qui nihil ignorat, non intendinis contra justitiam aggravare, modis quibus poteritis prudenter et efficacitor inducatis ut mandatis apostolicis obediant humiliter et devote, ne præscriptam pœnam incurrant ignominiosam pariter et damnosam. Alioquin, quia ferro abscindenda sunt vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, convocatis episcopis Lombardiæ, ad exsecutionem præscripti statuti cum ea maturitate ac diligentia procedatis ut vestra sollicitudine mediante debitum sortiatur effectum; scientes vobis plenam potestatem, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, a nobis esse concessam super omnibus quæ necessaria fuerint ad idem negotium exsequendum. Quod si non omnes iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum apud Montemflasconem, v Kal. Augusti anno decimo.

## CCXXIII.

### DECANO ET CAPITULO CARNOTENSI.

*De præbenda hospitalis Sanctæ Mariæ in Saxia.*

(Anagniæ, III Id. Novembris.)

(92) In nostra præsentia constitutus venerabilis frater noster episcopus Carnotensis pro animabus tam sua quam prædecessorum suorum et successorum suorum hospitali Sanctæ Mariæ in Saxia de voluntate nostra præbendam in Ecclesia Carnotensi ad opus infirmorum et pauperum pia liberalitate concessit, et nos concessionem ipsius nomine Hospitalis ejusdem recepimus et auctoritate curavimus apostolica roborare, decernentes irritum et inane si quid de præbenda vel nunc vacante vel in praximo vacatura contra hoc, quod non credimus, fuerit attentatum. Ne autem ex hoc ecclesia vestra solito servitio defraudetur, pastorali volentes sollicitudine providere, volumus et præsentium auctoritate concedimus ut juxta dispositionem ipsius episcopi aliquis statuatur qui pro ea deserviat et in ea Ecclesiæ Carnotensis tertiam partem proventuum ejusdem præbendæ in integrum percepturus, duabus reliquis Hospitali supradicto annis singulis in integrum persolvendis. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et præcipimus quatenus quod ab eodem episcopo factum est intuitu pietatis et a nobis auctoritate apostolica confirmatum gratum habeatus et ratum et inviolabiliter observetis, vestrumque concensum per patentes nobis curetis litteras intimare. Alioquin noveritis nos eidem et venerabili fratri nostro Aurelianensi episcopis et dilecto filio abbati Vindocinensi mandasse ut vos ad ea monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Datum Anagniæ, III Idus Novembris, anno quarto.

(92) Vide supra epist. 179.

CCXXIV.

PRIORI PRIORATUS SANCTI SEPULCRI DE SAMBLERIIS EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, VI Kal. Aprilis.)

Ad hoc universalis Ecclesiæ cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est ut religiosas deligamus personas et beneplacentes Deo religiones studeamus modis omnibus propagare. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et Sancti Sepulcri ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Innocentii et Alexandri prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Villam Sancti Sepulchri cum ecclesiis et omnibus decimis et justitiis cæterisque ad eam pertinentibus, annuales præbendas, sicut per litteras Trecensis episcopi et capituli in ecclesia Sancti Petri Trecensis vobis concessæ sunt, ecclesiam de Monte Suzanno, capellam de Gued, capellam de Abbatia, molendinum de Gued, et quidquid habetis in territorio ejusdem villæ, tertiam partem oblationum in ecclesia de Bulliaco, videlicet in natale Domini, in Pascha, in festivate Sancti Laurentii, et decimam in quarto anno, domum de Bulliaco cum vineis et appendiciis suis, et vineas de Lanis, ecclesiam de Viaspero, de Sancto Victore de Bonavicina, ecclesiam de Albiniaco, et decinam in tertio anno, et minutam decimam. Ecclesiam montis Hugonis et terras ad eam pertinentes, et minutam decimam, et medietatem majoris, et censum atrii, et domum hospitalem cum appendiciis. In ecclesia Sancti Leonis tertiam partem oblationum in Natale, in Epiphania, in Purificatione Beatæ Mariæ, in Pascha, in Pentecoste, in festsvitate Sancti Leonis et Omnium Sanctorum, de oblationibus eorum qui peras accipiunt; similiter sepulturas, censum atrii, medietatem majoris et minutæ decimæ. Decimam de Redelor, ecclesiam de Bellevilla, et eamdem villam cum pertinentiis suis, et minutam deciman; et decimam totius agriculturæ vestræ. Ecclesiam de Mergi, et decimam minutam ejusdem villæ, et majorem in tertio anno, et quidquid apud eamdem villam habetis. Ecclesiam de Troanno cum omnibus decimis, et tertiam partem in molendino de Mediavilla, et censum et justitiam ejusdem molendini, et quidquid apud ipsam villam habetis. In Ecclesia de Human duas partes oblationum in natale Domini, in Pascha, A in festo Omnium Sanctorum, et minutam decimam, Ecclesiam de Villeta et censum atrii cum omnibus decimis. Demam fœnicis in grangia de Vulperia, sex sextaria bladi. Minutam de Vilermis, et medietatem majoris. Sceleriis quartam partem majoris decimæ et minutæ, et censum atrii. In Fontanis quartam partem totius decimæ. Capellam Galonis, et justitiam ejusdem, cum omnibus decimis et pertinentiis suis. Trecis aream domus Sancti Arraldi omnino liberam, et omnem hæreditatem quam idem Arraldus cum servis et ancillis cœnobio Sancti Sepulchri contulit liberam omnibus exclusis hæredibus et sine ulla retentione; sicut in instrumento bonæ memoriæ Philippi quondam Trecensis episcopi legitime continetur. Trecis domum Theobaldi archidiaconi, et aliam B domum quam in foro habetis, decimam redditum duarum nundinarum quæ fiunt Trecis in festo Sancti Joannis et in festo Sancti Remigii, et decimam vini clausi comitis Trecensis, et quatuor libras donariorum in Trecensi moneta in unoquoque anno, quæ dedit vobis Hugo Trecensis comes. Villam de Fontanis et justitiam ejus cum pertinentiis suis. Domum Droti cum pertinentiis suis; et quidquid habetis apud alium Drotum et apud Villare. Quidquid habetis apud Sosiacum et Lintella in terris cultis sive incultis, et apud Sezanniam, et decimam vinearum vestrarum de Bulliaco et Lanis. Quidquid juste acquirere poteritis dono vel emptione de casamento Trecensis comitis, de casamento Gaufredi de Bullepot et uxoris suæ Alaidis. Salvamentum de Fractaripa, et quidquid apud eamdem villam habetis. Sal- C vamentum de Calciniaco, de Mergiaco, de Chauchiniaco, de Fontenis, de Sancto Sepulcro. Usuaria in omnibus nemoribus comitis Brenensis ad omnia necessaria, a Bernardo comite Brenensis vobis concessa. Pasturas Guidonis de Pedaniis in Expensario ad omnia necessaria, et molendina de Epiniaco. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Prohibemus itaque ut nullus terras vel possessiones quas a vestro tenei monasterio aliis ecclesiis vel monasteriis in vita seu in morte conferre vel ab ipso alienare absque licentia vel assensu vestro præsumat. In parochialibus vero Ecclesiis quas tenetis liceat vobis sacerdotes eligere et episcopo D præsentare, quibus, si idonei inventi fuerint, episcopus animarum curam committet, ut de plebis quidem cura episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus; ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnimo hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones aufere vel ablatas retínere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conser-

ventui eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi : quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen,

Ego Innocentius catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Joannes Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Joannes Sabinensis episcopus subscripsi.

Ego Nicolaus Tusculanensis episcopus subscripsi.

Ego Guido Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Hugolinus Ostiensis episcopus subscripsi.

Ego Joannes tituli Sancti Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Cynthius tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Soffredus tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Cencius tituli Sanctorum Joannis et Pauli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli Sancti Vitalis presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi,

Ego Leo tituli Sanctæ Crucis presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Rogerius tituli Sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sanctæ Pudentianæ tituli pastoris presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus tituli Sancti Chrysogoni presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli Sancti Georgii ad velum aureum diaconus card. subscripsi.

Ego Guido tituli Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardin. subscripsi.

Ego Guala tituli Sanctæ Mariæ in porticu diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli Sancti Theodori diaconus cardinalis subscripsi,

Ego Octavianus tituli Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Joannes tituli Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, VI Kalend. Aprilis, indictione IX, Incarnationis Dominicæ anno 1207, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno decimo.

## CCXXV.

MAGISTRO ET FRATRIBUS DE PEREIRO.

*De confirmatione possessionum.*

(Laterani, II Kal. Aprilis.)

Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus fovorem benevolum impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, decimas ecclesias et possessiones quas per quadraginta annos et amplius quiete et pacifice possedistis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, inhibentes districtius ne quis vos super his indebite molestare præsumat. Nulli ergo. . . inhibitionis, etc., *usque* incursurum

Datum Laterani, II Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

## CCXXVI.

CONSULIBUS ET POPULO MONTISPESSULANI.

*Confirmat quamdam compositionem.*

(Laterani, I Id. Aprilis.)

Cum illius locum, licet immeriti, teneamus in terris qui discordias detestatur, ne in iis quæ pro bono pacis facta noscuntur quæstionis scrupulus vel fomes discordiæ valeat suboriri, apostolica debet circumspectio providere. Eapropter, dilecti filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter vos et charissimum filium nostrum regem Aragonensium per venerabilem fratrem nostrum Magalonensem episcopum super controversiis, guerris et dissensionibus rationabiliter initam, quia sine pravitate facta est et ab utraque parte sponte recepta interposito juramento, ut in vestris et ejusdem regis authenticis litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, Idibus Aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

## CCXXVII.

ABBATI ET CONVENTUI CLUNIACENSI.

*Confirmat quamdam donationem.*

(Laterani, XVII Kal. Junii.)

Authenticum felicis memoriæ Clementis papæ prædecessoris nostri recepimus in hæc verba : *Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum et vota quæ a rationis tramite non discordant effectus prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, capellam quam in Tuscanensi civitate de concessione venerabilis fratris nostri Joannis Tuscanensis episcopi canonice adepti estis, sicut eam juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et*

*præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.* Nos igitur præsentium vobis auctoritate concedimus ut eodem authentico utamini libere ac licenter.

Datum Laterani, XVII Kal. Junii, pontificatus nostri anno decimo.

CCXXVIII.

ABBATI CLUNIACENSI.

*De correctione monachorum.*

(Laterani, XVII Kal. Junii.)

Authenticum bonæ memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri in hunc modum nobis accepimus præsentatum. *Relatum est auribus nostris quod quidam monachorum tuorum quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, prioratus et obedientias sibi creditas detinere interdum te renuente contendunt, et*

A *monasticæ professionis obliti, causa vitandæ correctionis contra constitutionem nostram in vocem appellationis erumpunt. Unde quoniam non ad hoc fuit appellationis remedium institutum ut per eam regula monastica dissolvatur, præsentibus tibi litteris indulgemus monachos tuos, sublato appellationis obstaculo, secundum Regulam beati Benedicti et institutiones monasterii tui corrigere ac prioratibus et aliis obedientiis, cum causa exegerit, appellatione postposita removere.* Nos igitur tuis precibus inclinati, devotioni tuæ præsentium auctoritate concedimus quatenus eodem authentico libere ac licenter utaris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,

B indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, XVII Kal. Junii, pontificatus nostri anno decimo.

---

# INNOCENTII III

ROMANI PONTIFICIS

# REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM

## LIBER UNDECIMUS.

—

PONTIFICATUS ANNO XI, CHRISTI 1208.

—

I.

NOBILI VIRO LIUBULDO DUCI AUSTRIÆ

*De succursu terræ sanctæ.*

(Laterani, VI Kal. Martii.)

Experimento didicimus quod verborum non fueris obliviosus auditor quæ volentibus ire post Dominum in Evangelio proponuntur, cum religiosa mente recogitans quid retribuas Domino pro omnibus quæ retribuit ipse tibi, Christum, qui est usque ad mortem, mortem autem crucis, obediens pro te factus, humiliter imitari disponis, et pro ejus amore charam conjugem, dulcem prolem, delectabilem patriam, amabilem parentelam, divitias copiosas, ac mundanos relicturus honores, ut demum te ipsum cum carnalibus desideriis abnegando, liberius sequaris eumdem, desideras, ut accepimus, tollere crucem tuam, et illuc ubi tua salus in cruce pependit ardenti succingeris desideria festinare, ut in crucis victoriosæ vexillo te contra perfidorum conatus opponas, qui de crucis hæreditate in parte

C jam expulisse videntur et in toto nituntur expellere crucifixum. Vere pium est hoc propositum et tibi cœlitus inspiratum. Intendis enim suscipiendo crucem reddere vicem Christo, qui tuos languores in ipsa pertulit, doloresque portavit. Verum licet sit devotio satis magna, multum est tamen vicissitudo dissimilis, quia præter gratiæ differentiam quæ videtur consistere in alterutro, si quod Dominus Redemptor prō servo redempto pertulit, demum servus redemptus perferat pro Domino Redemptore, inter crucis Christi patibulum et crucis tuæ signaculum valde refert; cum etsi crucis una sit gloria, dispar tamen sit in te ac Domino ejus pœna. Tu enim crucem mollem suscipies et suavem, ille asperam subivit et duram: tu eam in vestis deferes

D superficie, ille in carnis pertulit veritate; tu ipsam assues tibi lineis filis aut sericis, ille in ea confixus est ferreis clavis et duris. Licet igitur, quantumcunque magnis et duris ob spem æternæ retributionis exponere te disponas, ad futuram gloriam quæ

revelabitur in te condignæ non sint hujusmodi passiones, considerata tamen sinceritate tuæ devotionis, et urgentissima terræ sanctæ necessitate perspecta, tuum propositum in Domino commendamus, nobilitatem tuam in ipso Domino Jesu Christo rogantes et exhortantes attentius quatenus secundum spiritum suum bonum, quem ipse tibi noscitur infudisse, procedens ad ejusdem terræ succursum, in divinum obsequium, quid crastina paritura sit dies ignorans, te celeriter et prudenter accingas, et taliter, ipso condjuvante, Dei servitium prosequaris, defensioni terræ prædictæ studiosus intendendo, quæ tuo et aliorum fidelium adjutorio, quasi posita in necessitate suprema, valde noscitur indigere, quod nec Deus tibi hoc propositum videatur in vacuum inspirare, nec tu pro eo mundi gloriam quasi omnem, qua præstabilis esse nosceris, reliquisse videaris in vanum, sed secundum affectum hujusmodi pietatis consequatur in te plenæ perfectionis effectus. Nos enim juxta petitionem tuam vivificæ crucis signum per dilectum filium Nicolaum priorem Sancti Joannis Carthusiensis ordinis tibi mittimus imponendum, indulgentiam quam petisti cum conservatoriis quoque litteris nihilominus destinantes.

Datum Laterani, VI Kal. Martii, anno undecimo.

### II.

EIDEM.

*Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.*

(Datum, *ut in alia.*)

Quod non immemor Dominicæ passionis et tuæ redemptionis effectus vexillum salutiferæ crucis assumere ac illi disponis pro defensione Hierosolymitanæ provinciæ militare qui reddidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in suavitatis odorem, devotionem tuam in Domino commendamus. Ut igitur te in pio proposito foveamus, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo statuimus ut tam persona quam omnia bona tua pariter et familia, ex quo crucem acceperis, sub apostolicæ sedis et nostra necnon archiepiscoporum et aliorum prælatorum Ecclesiæ Dei, in quorum diœcesibus ipsa permanent, protectione consistant, et donec de tuo reditu vel obitu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta. Nulli ergo . . . nostræ constitutionis, etc. Si quis, etc.

Datum, *ut in alia.*

### III.

ABBATI ET CONVENTUI PRÆMONSTRATENSI.

*Abbates tenentur congregationum suarum negotia procurare.*

(1) Edoceri a nobis per vestras litteras postulastis utrum per litteras ad abbates vestris ordinis nulla mentione habita de suis conventibus, impetratas, teneantur abbates ipsi super causis quæ ad

A conventus pertinent et eosdem de ipsis querelantibus respondere, ac licet appellatio sit inhibita, per appellationis objectum possint, ne respondeant, se tueri. Super quo vobis duximus respondendum quod iidem abbates, nisi alia causa rationabilis suffragetur, per appelletionem se tueri non possunt quo minus debeant auctoritate litterarum hujusmodi legitime respondere, cum ex officio suo teneantur abbates congregationum suarum negotia procurare, nisi forte abbatis et conventus negotia essent omnino discreta.

Datum Laterani, IV Kal. Martii, anno undecimo.

### IV.

ILLUSTI REGI ARAGONUM.

B *Ut sororem suam regi Siciliæ in uxorem mittat.*

(Laterani.)

(2) Ex speciali dilectionis effectu quo personam tuam et regnum Aragonense diligimus, provocamur ut non solum ad ea quæ tibi utilia sunt et illi tuam magnificentiam exhortemur, verum etiam arguamus eamdem, si circa ipsa sollicitudinem non adhibet quam oportet, cum tibi pater simus in illo qui filium quem diligit corrigit et castigat. Tua quidem regalis serenitas non ignorat qualiter super negotio matrimonii inter tuam sororem et charissimum in Christo filium nostrum Fredericum illustrem regem Siciliæ consummandi, de quo jamdudum a sua fuerat habitus genitrice tractatus, aliquando tecum fuerimus viva voce locuti, ac sæpe per nostras te
C litteras exhortati. Sed licet in succursum ipsius duas gaieas noviter destinaris, de quo regalem prudentiam plurimum in Domino commendamus, confirmationem tamen ejusdem facti, ex parte præfati regis non sine studio nostræ sollicitudinis acceptati, quantum a te dependet, plusquam oportuerit et decuerit distulisti. In quo profecto, cum pridem illud non modicum visus fueris appetisse, moram ingerere non deberes ; cum præter id quod ex tali dilatione prægrandis utilitatis compendium impeditur de te posset insultando referri : *Ecce homo qui cæpit, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Cæterum ut cum tuo pariter et pro tuo loquamur honore, quæ pigritia jam te detinet, quæ segnities perfectionem tibi negotii tam perutilis dissuadet, ut pas-
D sim opportunitatis hodiernæ rem crastines, et processum copulæ tam felicis usque futuræ ? Porro non est pro quo nuptiis tam magnificis ulterius tuam deceat supersedere sororem. Præcelsus enim est sponsus ejus, et titulum regis habens ex utero matris suæ. Non claudicat generis sui nobilitas ; sed utroque pede firmiter subnixa procedens, descendentem a progenie in progeniem sui sanguinis magnitudinem per virtutum amplificat majestatem filius quidem et nepos imperatorum, patris non solummodo, sed et avi ; de matre proditus est augusta, quæ nimirum et ipsa regina Siciliæ, regis

(1) Cap. *Edoceri,* De rescriptis.

(2) Vide Suritam ad an. 1208.

aliquando soror fuit, regis amita, regis nata, et præterea neptis ejus qui gloriosus opere rex quam nomine, de duobus diversis et adversis Augustis ac Venetis aliisque gentibus una die refertur in diversis mundi partibus mari et arida magnificæ triumphasse. Horum quidem natalium tuæ germanæ sponsus claritate conspicuus, (sicut de sibi paribus scriptum est : *Cæsaribus virtus contigit ante diem*) de janua pubertatis passus velociori annos discretionis ingreditur, et ætatem anticipando virtutibus feliciter regnandi primitias mirabiliter exorditur. Denique regnum suum dives et nobile inter cætera regna mundi umbilicus et portus est aliorum ; de quo et per quod tanto tibi majora poterunt commoda provenire quanto magis tuo regno contiguitate maris est proximum, et a nobis, utpote peculiare beati Petri, speciali prærogativa dilectum. Cum igitur venerabilis frater noster Mazariensis episcopus, vir utique providus ac fidelis, et pensatis singulis qualitatibus ad negotium hoc idoneus, ad suggestionem nuntiorum tuorum ac tuam pro jamdicta tua sorore transducenda mittatur, celsitudinem regiam monemus attentius et propensius exhortamur quatenus eam cum apparatu decenti et honorifico comitatu, quo et ipsa, prout convenit tantæ sponsæ, circumornata procedat, et sponsus ejus solatium opportunæ subventionis accipiat, mittere non postponas, expensas quas negotium tanti profectus et honoris exposcit, aliquo modo non evitans, cum Deo, sicut confidimus, prosperante tibi possint in decuplum restaurari.

Datum Laterani.

V

(Laterani.)

*In eumdem fere modum illustri reginæ Aragonum usque in finem.* Quocirca serenitatem tuam monemus attentius et propensius exhortamur quatenus dictum regem ad id prudenter et diligenter inducas, attendens quod si personaliter accederes cum eadem, præter id quod affectu materno de tam felici generi filiæque lætareris amplexu, utiliter valde posses et regem et regnum per tuam prudentiam moderari.

Datum Laterani.

VI.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI JOANNIS MORIENSIS.

*Ut liceat eis habere molendinum.*

(Laterani, v Kal. Martii.)

Præsentium vobis auctoritate concedimus quatenus secundum ordinis vestri regulam vobis liceat infra fines vestros molendinum habere, nonobstante quod episcopus et canonici Morinenses, ut dicitur causa questus in suis molere molendinis complellere vos nituntur. Nulli ergo. . . nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, v Kal. Martii, anno undecimo.

VII.

NOBILI VIRO DEMETRIO ARBANENSI PRINCIPI.

*Ei archidiaconus Durachii commendatur.*

(Laterani, III Kal. Martii.)

Devotionem et reverentiam quam erga sacrosan-
A ctam Romanam Ecclesiam habere dignosceris in Domino commendantes, gratias referimus bonorum omnium largituri quod tibi et tuis in Græcos minus catholicæ sentientes degentibus fidem rectam misericorditer inspiravit, ut recognoscens beato Petro a Domino esse dictum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo et quodcunque solveris super terram erit, solutum et in cœlo* (*Math.* XVI), et iterum circa passionem ipsius : *Simon, ego pro te rogavi ut non defiat fides tuo, et tu aliquanbo conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), rursumque post resurrectionem suam trino repetito vocabulo eidem dixisse : *Si diligis me, pasce oves meas* (*Joan.* XXI),
B per litteras tuas quas benignitate paterna suscepimus, postulares ut a latere nostro legatum, qui te ac tuos erudiat in fidei puritate, mittere dignaremur Nos ergo proponimus ut ad partes illas legatum qui pascat, confirmet, et corrigat qui corrigenda invenerit, transmittamus, dilectum filium Nicolaum archidiaconum Latinorum Durachii, per nostras dantes litteras in mandatis ut ipse interim ad Arbanam accedat, et te ac tuos una cum venerabili fratre nostro Paulo Arbanensi episcopo instruat et confirmet in iis quæ viderit expedire ; ut cum legatus advenerit, vos ex parte inveniat eruditos. Monemus igitur nobilitatem tuam et exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus prædictum archidiaconum suscipiens honorifice ac
C honeste pertractans, ejus salubria monita et præcepta devote recipias et observes ; ut ex hoc cumulus tibi æternæ retributionis accrescat, et nos devotionem tuam possimus merito commendare.

Datum Laterani, III Kal. Martii, anno undecimo.

VIII.

UNIVERSIS CLERICIS ABBATIÆ FARFENSIS IN SABINENSI DIÆCESIS CONSTITUTIS.

*De libertate monasterii Farfensis.*

(Laterani, v Non. Martii.)

Cum inter venerabilem fratrem nostrum Joannem Sabinensem episcopum et dilectos filios abbatem et conventum Farfensem controversia verteretur, eodem episcopo jus episcopale petente tam in monaste-
D rio. Farfensi quam in ejus ecclesiis in sua diœcesi constitutis, sex duntaxat exceptis, in quibus idem abbas et monachi ei jus episcopale minime denegabant, ipsis econtrario respondentibus quod ipsorum monasterium tam in capite quam in aliis ejus membris erat prorsus exemptum et nulli nisi apostolicæ sedi subjectum, nos visis, auditis et intellectis attestionibus, instrumentis, et allegationibus utrinque productis, de consilio fratrum nostrorum eos et successores ipsorum absolvimus in perpetuum ab impetitione quam contra ipsos idem episcopus super sui monasterii subjectione movebat, decernentes ipsum monasterium a cujuslibet præterquam Romani

A pontificis juridictione liberum esse penitus et exemptum, et super hoc eidem episcopo perpetuum silentium duximus imponendum. Super ecclesiis autem eorum, sex illis exceptis, in Sabinensi diœcesi constitutis hoc exigente justitia sententialiter diffinivimus, ut in præstatione decimarum, oblationum et mortuariorum, necnon ordinatione clericorum, et dedicatione basilicarum, Sabinensi episcopo nullatenus teneantur; quoniam super iis cognovimus eas per privilegia prædecessorum nostrorum penitus absolutas. Unde super iis ei silentium imponentes, eos ab ipsius impetitione decrevimus absolvendos. In cæteris atem quæ ad jus episcopale pertinere noscuntur ipsas ecclesias ei et successoribus ejus decrevimus in perpetuum esse subjectas, et super iis eidem episcopo dictum abbatem et mona- B chos sententialiter condemnamus; hoc ad majorem cautelam expresso, ut ipsi in eisdem ecclesiis liberam eligendi sacerdotes et alios clericos habeant potestatem. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ad locum ad quem idem episcopus vos duxerit evocandos sine difficultate qualibet accedatis, audituri et recepturi mandatum ipsius juxta tenorem sententiæ promulgatæ. Alioquin sententiam quam ipse propter hoc in vos rationabiliter duxerit promulgandam, firmiter observetis.

Datum Laterani, v Non. Martii, anno undecimo.

IX.

PATRIARCHÆ HIEROSALYMITANO APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

C *Ne Græeos in eorum rebellione manuteneat.*

(Laterani, iv Non. Martii.)

Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod de assensu et voluntate nobilis viri comitis Tripolitani et quorumdam civium Antiochenorum populus et quædam pars clerici Græcorum, Dei timore postposito(3) in Antiochena provincia patriarcham Græcum intrudere præsumpserunt, cui clerici Græci, qui venerabili fratri nostro Antiocheno patriarchæ fidelitatis exhibuerant juramenta dignitatibus et beneficiis de manu ejus receptis, contra proprium juramentum temere adhærentes, patriarchæ præfati observare renuunt interdictum, et latinos excommunicationi et interdicto suppositos recipiunt ad divina. Quia igitur tantæ præsumptionis audaciam D transire conniventibus oculis nec possumus nec debemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si res ita se habet, memoratum intrusum omnino deponas, et a tota provincia facias removeri et contradictores per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compescens, eidem comiti necnon majori et consulibus Antiochenis sub pœna excommunicationis inhibeas ne dictum intrusum aut Clericos Græcos in tali rebellione temere manutenere præsumant.

Datum Laterani, iv Non. Martii, anno undecimo.

X.

ILLUSTRI REGI DANORUM.

*De electione archiepiscopi Bremensis.*

(Laterani.)

Si Deus scientiarum Dominus præscientiæ nobis spiritum infudisset, ab homine iniquo et doloso providentius nobis cavissemus et tibi (4); qui licet forsan de lacu calamitatis in quem considerat apostolico liberari præsidio minime meruisset consilio tamen Dei sapienter omnia disponentis per sollicitudinem nostram erutus est ab ipso, ut eo demum ingrato gratiæ sibi factæ, quod facile contra eum non poterat exerceri pro dubiis, liberius fieret pro flagitiis manifestis. Nuper quidem Bremensis et Hammeburgensis Ecclesiarum procuratoribus, super eo quod Waldemarus episcopus a Bremensi capitulo canonicis Hammeburgensibus inconsultis in suum fuerat archiepiscopum postulatus, ad nostram præsentiam destinatis, dilectus filius Petrus præpositus Roskildensis, vir utique providus ac fidelis, a regia supervenit serenitate transmissus (5). Qui episcopo ipso in nostra præsentia proponente quod per te bonis tam episcopalibus quam etiam patrimonialibus fuerat destitutus, de quibus restitui postulabat a nobis prudenter ex adverso respondit quod non rite poterat restitutionis auxilium implorare, cum ipse se duxerit spoliandum habitum clericalem derelinquens, regium sibi titulum usurpavit. Insuper læsæ majestatis, apostasiæ, adulterii, perjurii, dilapilationis et conspirationis crimina eidem objiciens, proponebat, non solum ei fore restitutionis beneficium denegandum, sed etiam postulationem de ipso factam penitus respuendam; præsertim cum irregularis existat, utpote de duplici adulterio procreatus, ejusque dispensatio fuerit olim ab apostolica sede per subreptionem obtenta, suppresso quod esset spurius, et expresso quod existeret naturalis; cum et paternæ incontinentiæ imitator filios habeat post sacros ordines generatos. Nos igitur iis et aliis diligenter auditis quæ in auditorio nostro fuere solemniter allegata, licet supplicationibus nobis factis super postulatione prædicta inclinassemus forsan benignius aures nostras, si cum apostolicæ sedis honore, salute animæ nostræ, utilitate Bremensis Ecclesiæ, necnon absque tuo tuique regni dispendio fieri potuisset, maxime cum per hoc a multis nos crederemus inquietationibus expideri, postulationem tamen ipsam de consilio fratrum nostrorum, rebus sic se habentibus, non duximus admittendam, cum et episcopi petitio, per quam sibi episcopatum restitui cuplebat, postulationi de ipso factæ ut ad aliam transferetur Ecclesiam contraria videretur. Nuntiis autem Bremensibus sic duximus respondendum, ut quoniam hujus negotii pendebat eventus, et ignorabatur an in brevi posset idem negotium expediri, suæ curarent Ecclesiæ providere. Verum ad ea quæ pacis sunt intendentes.

(3) Vide lib. x, epist. 214.
(4) Vide lib. x, epist. 209.
(5) Vide Arnold. Lubec. lib. vii, c. 12.

petitionem ipsius super restitutione tam episcopatus quam patrimonii sibi plenarie facienda in favorem ecclesiasticæ libertatis duximus admittendam, concedentes eidem ut si forte se nollet regiæ sublimitati committere, per procuratorem idoneum restitutionem acciperet corporalem, et ipse interim in quo mallet loco maneret tibi merito non suspecto. Qui cum respondisset se velle per procuratorem idoneum restitutionis beneficium obtinere, ac de loco in quo mansurus esset interim deliberatorias inducias accepisset, ingratus demum gratiæ sibi factæ, fraudulenter et contumaciter a nobis illicentiatus aufugit. Unde nos ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et spiritus sancti auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, excommunicamus et anathematizamus eumdem, postulationem de ipso factam, qua omnino reddidit se indignum, penitus reprobantes. Quam profecto sententiam per quamplures archiepiscopos et episcopos, prout tam nos quam idem nuntius tuus expedire cognovit, mandavimus solemniter publicari. Principem (6) quoque de cujus favore forsitan idem Waldemarus frustra confidit auctoritate litterarum nostrarum moneri fecimus et induci ut ei nullum præstet auxilium vel favorem, sed ipsum tanquam excommunicatum evitet, neque per ipsum aut propter ipsum permittat in Ecclesia Dei scandalum suboriri, per quod etiam contra se posset non leve scandalum generari, cum nos tantæ malignitatis audaciam in eodem nolimus episcopo sub dissimulatione transire. Bremensi vero capitulo dedimus in præceptis ut convocatis in unum qui ad electionem fuerint advocandi, post commonitionem venerabilis fratris nostri Madeburgensis archiepiscopi eis factam, cui super hoc dirigimus scripta nostra, personam idoneam infra mensem præficiant sibi per electionem canonicam in pastorem. Alioquin archiepiscopo ipsi mandavimus ut auctoritate nostra suffultus, cum consilio religiosorum et prudentum virorum, talem eis extunc in pontificem personam assignet quæ tanto congruat oneri et honori; si qui forsan, quod non credimus, de clero seu populo præsumpserint se opponere aut dicto Waldemaro favere, temeritatem eorum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita conpescendo. Præterea tantæ nequitiæ magnitudinem odio persequendo perfecto, regiæque volendo plenius providere quieti, cogitavimus infra nos, et cum fratribus nostris demum tractatum habuimus diligentem, si foret ad depositionem ejusdem episcopi procedendum. Super quo tandem consilio maturiore providimus quod ipsius calcaneum observantes, adhuc aliquantulum præstolemur; ut si forte quidpiam contra te vel etiam regnum tuum, imo contra nos, seu verius contra se in eorum alterutro tentaverit machinari, licet conatus ipsius divino præsidio nostraque sollicitudine ac tuo studio resistentibus in nullo valeat prævalere, per quod utique non solum ista sed majori sed redderet pœna dignum, ad confusionem ipsius eo liberius quo justius procedamus; quanquam et hoc providerimus ad cautelam, ne in barathrum desperationis submersus liberius et efficacius in principio malignetur, qui si fuerit in primo conatu delusus, velut anguis conciso capite suæ malignitatis virus ulterius effundere non valebit. Quodcirca regalem magnificentiam monemus attentius et propensius exhortamur quatenus divinæ congratulando justitiæ, quæ te quodam modo justificasse videtur ab illo ea quæ hactenus facta sunt debita prosequens gratitudine, sic futurorum eventum longanimi patientia præstoleris ut tamen prudenti conamine diligenter occuras incursibus malignorum; ne quid deficiat ad cautelam, regium nobis interim beneplacitum rescripturus, ut eo demum plenius intellecto, sicut procedendum fuerit procedamus. Nos enim tam in iis quam in aliis, quantum cum Deo et nostra possumus honestate, quæ ad pacem tuam proveniant et honorem intendimus efficaciter promovere. Super quo jamdictus præpositus nostram tibi referre valebit expressius voluntatem. Qui siquidem in prudentia illa de fide nostra tibi referre poterit qua tua nobis ipse portavit propter quod non immerito ipsum duximus tuæ celsitudini commandandum.

Datum Laterani.

XI.

ARCHIEPISCOPO TURONENSI, ET PARISIENSI ET NIVERNENSI EPISCOPIS.

*Ne debita aut usuræ per biennium exigantur a crucesignatis.*

(Laterani.)

Inter cætera quæ proficiant ad abolendam de Provinciæ partibus hæreticam pravitatem relatum est nobis hoc specialiter expedire, ut debitores qui alieno ære tenentur, a creditoribus suis cessantibus interim expectentur usuris quandiu ibi pro negotio fidei laborabunt, et clericis pro eodem volentibus laborare negotio concedatur suos redditus per biennium obligare. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra suffulti super hujusmodi statuis et faciatis firmiter observari quod secundum Deum in tanta necessitate noveritis Ecclesiæ suæ negotio expedire.

Datum Laterani.

XII.

HENRICO ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI.

*Ut non impediat legata facta ecclesiis.*

(Laterani, IV Id. Martii.)

Cum a catholicis imperatoribus fuerit constitutum sicut legales edocent sanctiones, ut quilibet ecclesiis et piis locis legare libere valeat bona sua, serenitatem tuam rogamus attentius et monemus et exhortamur in Domino quatenus si milites vel alii possessiones suas ecclesiis legare voluerint, nullatenus impedias, vel te ipsum opponas, sed ea saltem cum

(6) Id est, Philippum ducem Sueviæ, ut patet ex epist. 215 lib. 10.

onere suo ipsis legari permittas libere ac quiete. Quod si forsan aliquis de possessionibus quæ fuerunt ecclesarium ipsis legarit ecclesiis positus in extremis, quia idem non sua dimittere sed potius restituere videtur ablata, auctoritate præsentium districtius inhibemus ne id præsumas per te vel alios impedire. Alioquin venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Varisiensi et episcopo Panidensi nostris damus litteris in præceptis ut contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis et appellationis impedimento compescant.

Datum Laterani, IV Idus Martii, anno undecimo.

XIII.

ARCHIEPISCOPO VARISIENSI ET EPISCOPO PANIDENSI.

*Exsecutoria super eodem.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum a catholicis imperatoribus fuerit constitutum, etc., *in eumdem fere modum usque* impedire. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quoslibet qui apostolicæ sedis inhibitione contempta id impedire præsumpserint, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis ecclesiasticam obstaculo, a præsumptione hujusmodi compescatis.

Datum, *ut in alia.*

XIV.

POTESTATI ET POPULO VENETORUM CONSTANTINPOLIM COMMORANTIBUS.

*De eamdem re.*

Cum a cum catholicis imperatoribus fuerit constitutum., *usque* impedire. Aloquin dilectis filiis decano, cantori, et thesaurario Sanctæ Sophiæ Constantinopolitanis nostris damus litteris in præceptis ut contradictores quoslibet, etc., *ut in alia.*

*In eumdem modum eisdem.*

XV.

NOBILIRUS VIRIS BARNOIBUS APUD CONSTANTINOPOLIM COMMORANTIBUS.

*De eadem re.*

(Datum, *ut supra.*)

Cum a catholicis imperatoribus, ect., *ut supra usque* impedirs. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Varisieni archiepiscopo et Salombreæ et Kallipolis episcopis nostris damus litteris in præceptis ut contradictores, etc., *ut in alia.*

*In eumdem modum eisdem, ut supra.* Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum *ut supra.*

XVI,

VARISIENSI ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO KALLIPOLIENSI

*Committitur eis causa inter patriarcham et imp. Const.*

(Datum, *ut in alia.*)

Significavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus patriarcha quod claræ memoriæ Balduinus Constantinopolitanus imperator triginta præposituras infra urbem Constantinopolitanam in A melioribus Ecclesiis quæ contigerant in sortem Francorum suæ donationi retinuit, instituens in eis præpositos et decanos; cui charissimus in Christo filius noster Henricus succedens, easdem in animæ suæ periculum ordinare præsumit. Unde nobis humiliter supplicavit ut easdem suæ faceremus ordinationi dimitti liberas et quietas, maxime cum dilectus filius noster Benedictus tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus, ex ipsis triginta viginti tres adjudicaverit sibi, septem nec adjudicatis nec cassatis in nostræ relictis arbitrio potestatis, et nos tempore ordinationis ejusdem nullam Ecclesiam exceperimus, imo sibi curam Constantinopolitanæ Ecclesiæ commiserimus generalem, nec ipse deliquit in aliquo quare B Ecclesia sibi commissa privari debeat jure suo. Verum quia imperator prædictus præposituraram ipsarum collationem confirmari sibi per sedem apostolicam postulavit, cum se fateatur habere non minus juris in illis quam multi reges in quibusdam præposituris regnorum suorum ex approbata consuetudine habere noscuntur, et ipsorum petitiones sunt ad invicem repugnantes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus audiatis hinc inde proposita, et usque ad calculum diffinitivæ sententiæ, sublato appellationis obstaculo, procedentes causan sufficienter instructam ad nostram præsentiam remittatis, assignantes partibus terminum competentem quo per procuratores idoneos se nostro conspectui repræsentent sententiam recepturæ.

C Datum, *ut in alia*

XVII.

KALLIPOLIENSI ET PANIDENSI EPISCOPIS, ET DECANO SANCTÆ SOPHIÆ CONSTANTINOPOLIM.

*Eis committitur causa patriarcharum Constant, et Gradensis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ex conquestione venerabilis fratris nostri patriarchæ Constantinopolitani nostris fuit auribus intimatum quod cum eidem duxerimus concedendum ut Venetos habitatores regiæ civitatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota compelleret ad solvendum decimas personis et ecclesiis quibus de jure debentur, nonobstante consuetudine Venetorum, qui tantum in morte decimant bona sua, vicarius venerabilis fratris nostri patriarchæ D Gradensis burgenses Venetos habitatores civitatis ejusdem, sive maneant in quinque parochiis ejusdem patriarchæ Gradensis, sive se transferant ad parochias sibi subjectas, seu ad parochias Pisanorum, necnon etiam ad parochias illorum qui Constantinopolitano non sunt subditi patriarchæ, ecclesiastica districtione compellit ut decimas sibi solvant, non permittens eisdem alibi nubentium benedictiones recipere quam in ecclesiis patriarchæ Gradensis, licet in illarum ecclesiarum parochiis non morentur; in quos etiam excommunicationis præsumit interdum propter hoc sententiam promulgare. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discre-

tioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, audiatis causam, et appellatione remota fine cononico terminetis, facientes, etc. Quod si non omnes, duo vestrum, etc.

Datum, *ut in alia*

XVIII.

ARCHIEPISCOPO VARISIENSI ET EPISCOPO PANIDENSI.

*Ut sententias patriarchæ Constantinop. faciant observari.*

(Datum, *ut in alia.*)

Significavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus patriarcha quod prælati Ecclesiarum eidem non subjectarum commorantes in parochiis sibi subjectis excomunicato ab ipso et interdicto suppositos nominatim interdum recipiunt ad divina; propter quod dissolvitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Unde ipsis dedimus in præceptis ut parochianos Ecclesiarum quæ ipsi subjectæ sunt patriarchæ, cum ab eo excommunicati fuerint vel interdicto suppositi, nullatenus recipere ad divina, vel eis sacramenta Ecclesiastica exhibere præsumant. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si prælati prædictarum Ecclesiarum de cætero id præsumpserint attentare, vos eos a præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis.

Datum, *ut in alia.*

XIX.

PRÆLATIS ECCLESIARUM PATRIARCHÆ NON SUBJECTARUM CONSTANTINOPOLIM.

*De eadem re*

(Datum, *ut in alia.*)

Significavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus patriarcha quod vos interdum commorantes in parochiis sibi subjectis excommunicatos ab ipso et interdicto suppositos nominatim recipitis ac divina; propter quod dissolvitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus atque præcipimus quatenus parochianos Ecclesiarum quæ ipsi subjectæ sunt patriarchæ, cum ab excommunicati fuerint vel interdicto suppositi, recipere ad divina vel eis sacramenta ecclesiastica exhibere nullatenus præsummatis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Varisiensi et episcopo Panidensi nostris damus litteris in mandatis ut vos a præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant.

Datum, *ut in alia.*

XX.

*De eadem re.*

UNIVERSO CLERO ECCLESIARUM A PATRIARCHALI JURIDICTIONE NON EXEMPTARUM IN CONSTANTINOPOLITANA DIOECESI COMMORANTI.

(Laterani, Non. Martii.)

Divinæ ordinationi videtur resistere qui potestati resistit, cum potestas quælibet sit a Deo, a quo snnt A omnia ordinata. Non ergo debet aliquis erubescere prælato sibi a Deo aliquid dum forte dato humiliter obedire, cum Dei Filius Jesus Christus, ut Patri fieret obediens, in altitudinem venerit hujus maris, et se ab ipsius permiserit tempestate demergi; ne si secus præsumpserit, in illius transferatur imaginem qui solium suum ab aquilone voluit collocare. Cum igitur venerabilis frater noster Constantinopolitanus patriarcha vobis disponente Domino sit prælatus, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ei tanquam patri et episcopo animarum vestrarum humiliter intendentes, impendatis sibi canonicam obedientiam et honorem, sciturі quod si secus præsumpseritis attentare, nos id clausis non poterimus oculis pertransire.

B Datum Laterani, Nonis Martii, an. undecimo.

XXI.

CHARISSIMO IN CRISTO FILIO ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI, ET NOBILIBUS VIRIS... NIBUS VENETIS ET UNIVERSO POPULO CONSTANTINOPOLIM COMMORANTIBUS.

*Ut consilium et auxilium patriarchæ Constantinop. impendant.*

(Datum, *ut in alia.*

Cum vestræ utilitati expediat et honori ut Græci tam clerici quam laici ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac venerabilis fratris nostri patriarchæ Constantinopolitani obedientiam redeant cumque patrem habeant et pastorem, universitatem vestram C rogamus attentius et monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus super hoc patriarchæ prædicto consilium et auxilium impendatis, sententiam quam in Græccs rebelles propter hoc rationabiliter tulerit firmiter observantes; ut devotio vestra clareat in affectu, et oberrantes oviculæ redeant ad pastorem.

Datum, *ut in alia.*

XXII.

PRIORI PISANORUM.

*Ei interdicitur chrismatio puerorum.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ad audientiam nostram venerabili fratre nostro patriarcha Constantinopolitano significante pervenit D quod eo et aliis episcopis præsentibus pueros præsumis unctione sacri chrismatis confirmare; quod etsi dicas aliquando tibi fuisse ab apostolica sede concessum, nos tamen tibi ne illud faceres curavimus inhibere. Cum igitur hujusmodi confirmatio puerorum ad episcopos tantum pertinere noscatur, auctoritate tibi præsentium districtius inhibemus ne de cætero pueros aliquatenus confirmare præsumas. Alioquin sententiam quam in te propter hoc patriarcha prædictus rationabiliter promulgarit ratam habebimus, et faciemus eamdem auctore Domino firmiter observari.

Datum, *utin alia.*

### XXIII.

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*De consecratione episcoporum Græcorum.*

(Laterani, VIII Id. Martii.)

(7) Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod quidam episcopi Græci ad tuam obedientiam redeuntes, fidelitatis præstiterunt tibi corporaliter juramentum, nobisque obedientiam promiserunt, sed inungi renuunt juxta consuetudinem Latinorum. Unde quid super iis agere debeas postulasti per sedem apostolicam edoceri. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si ii qui jam consecrati sunt induci nequeunt ut recipiant unctionem, id in hac novitate sub dissimulatione poteris pertransire. Consecrandos vero nullatenus consecres, nisi more Latino voluerint consecrari, cum nos ipsi Græcos nonnisi juxta nostrum consuetudinem consecremus.

Datum Laterani, VIII Idus Martii, anno undecimo.

### XXIV.

EPISCOPO KALLIPOLIENSI, ET DECANO SANCTÆ SOPHIÆ, ET PRÆPOSITO SANCTORUM APOSTOLORUM CONSTANTINOPOLIM.

*De decimis solvendis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Sua nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus patriarcha insinuatione monstravit quod Pisani, Lombardi, Longobardi, Amalfitani, Dani, Anglici, et quædam aliæ nationes apud Constantinopolim commorantes in parochiis sibi subjectis, ipsi et ecclesiis a quibus ecclesiastica percipiunt sacramenta decimas solvere contradicunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus memoratos Pisanos et alios manentes in parochiis eidem patriarchæ subjectis, ut ipsi et ecclesiis a quibus percipiunt spiritualia decimas cum debita integritate persolvant, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes... tu frater episcope, etc.

Datum, *ut in alia.*

### XXV.

PATRIARCHÆ GRADENSI ET SUFFRAGANEIS EJUS.

*De excommunicatis vitandis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Significavit nobis venerabilis frater noster patriarcha Constantinopolitanus quod cum ipse quosdam Venetorum Constantinopolim commorantes interdum pro excessibus suis, et interdum quia sibi contumaces et rebelles existunt, vinculo excommunicationis innodet, quosdamque subjiciat interdicto, ipsi Venetias remeantes se pro excommunicatis vel interdictis non gerunt, nec illos curant aliqui evitare, sed passim recipiunt ad divina. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eos quos idem patriarcha rationabiliter excommunicat vel interdicto supponit, cum id vo-

A bis per litteras ipsius constiterit, tanquam excommunicatos arctius evitetis, et faciatis a vestris subditis evitari, et interdictis negari ecclesiastica sacramenta.

Datum, *ut in alia.*

### XXVI.

NARBONENSI, ARELATENSI, EBREDUNENSI, AQUENSI, ET VIENNENSI ARCHIEPISCOPIS, EORUMQUE SUFFRAGANEIS.

*De cæde Petri de Castronovo.*

(Laterani.)

Ne nos ejus tangeret increpatio qui per hominis pigri agrum et vineam viri stulti pertransiens, quod totam urticæ repleverint exprobravit, primo quasi mane nostræ promotionis, ac deinde per ordinem evangelicæ vicis exivimus, ut in dominicam B vineam nostræ culturæ commissam operarios mitteremus. Attendentes ergo jamdudum quod in Provincia nimis creverant plantaria vitiorum, ne spuria vitulamina radices mitterent altiores, viros illuc idoneos destinavimus, qui de vinea Domini Sabaoth avellerent inutilia et utilia propagarent, capientes vulpeculas quæ moliuntur ipsam vineam demoliri. Ipsi vero profecti repererunt ibi, secundum Apostoli verbum, homines pestilentes, qui doctrinam sanam minime sustinebant, sed ad sua potius desideria magistros coacervabant erroris. Propter quod nuntios veritatis suis esse contrarios operibus arbitrati, usque adeo sævierunt in illos ut ipsos procul dubio videatur prænuntia Salvatoris conquestio tetigisse dicentis: *Ecce ego mitto ad vos sapientes et scribas,* C *et ex eis occidetis,* etc. (*Matth.* XXIII). Sane rem audivimus detestabilem et in communem lectum generalis Ecclesiæ deducendam, quod cum sanctæ memoriæ frater Petrus de Castronovo, monachus et sacerdos, vir inter viros utique virtuosos vita, scientia et fama præclarus, ad evangelizandum pacem et astruendam fidem in eamdem provinciam a nobis cum aliis destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset et proficere non cessaret (8), quippe qui plene in schola Christi didicerat quod doceret, et eum qui secundum doctrinam est fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina et contradicentes revincere, paratus semper omni poscenti reddere rationem, utpote vir in fide catholicus, in lege peritus, et in sermone facundus, concitavit adversus eum diabolus mini- D strum suum, comitem Tolosanum, qui cum pro multis et magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat et in Deum, sæpe censuram ecclesiasticam incurrisset, et sæpe, sicut homo versipellis et callidus, lubricus et inconstans, pœnitudine simulata fuerit absolutus, tandem odium continere non prævalens quod conceperat contra ipsum ex eo quod non erat in ejus ore verbum Domini alligatum ad faciendam vindictam in nationibus et increpationes in populis, ac eo fortius in eodem quo magis pro majoribus erat ipse facinoribus incrependus, tam

(7) Vide cap. *Ex parte,* De temporib. ordine. in tert. collect.

(8) Vide Historiam Albigensium, cap. 8.

cum quam collegam ipsius apostolicæ sedis legatos ad villam Sancti Ægidii convocavit, promittens super cunctis quibus impetebatur capitulis satisfactionem plenariam exhibere. Cum autem convenientibus illis in villa prædicta præfatus comes salutaria monita sibi facta modo velut verax et facilis promitteret se facturum, et modo velut fallax et durus ea prorsus efficere recusaret, volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publice comminatus, dicens quod quocunque vel per terram diverterent vel per aquam, vigilanter, eorum observaret egressum; et confestim (8*) factis dicta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinavit. Cumque nec ad preces dilecti filii abbatis Sancti Ægidii nec instantiam consulum et burgensium furoris sui mitigari vesania potuisset, ipsi eos invito comite nimiumque dolente cum armatæ manus præsidio prope ripam Rhodani deduxerunt; ubi nocte quieverunt instante, quibusdam ejusdem comitis satellitibus ipsis prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem, qui, sicut apparuit in effectu, sanguinem inquirebant ipsorum. In crastinum itaque mane facto, et missa celebrata de more, cum innocui Christi milites ad transitum fluminis se pararent, unus de prædictis Satanæ satellitibus lanceam suam vibrans, prænominatum Petrum supra Christum petram immobili firmitate fundatum, tantæ proditionis incautum, inter costas posterius vulneravit; qui pius in impium respiciens percussorem, et Christi magistri sui cum beato Stephano secutus exemplum, dixit ad ipsum : *Deus tibi dimittat, quia ego dimitto*, pietatis et patientiæ tantæ verbum sæpius repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris spe cœlestium est oblitus, et in stanti suæ pretiosæ mortis articulo cum ministerii sui sociis quæ fidem promoverent et pacem non desinens ordinare; post multas demum orationes in Christo feliciter obdormivit. Qui profecto cum ob fidem et pacem, quibus nulla prorsus est causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fuderit, claris jam, ut credimus, miraculis coruscasset nisi hoc illorum incredulitas impediret de quorum similibus in Evangelio legitur quod Jesus non faciebat ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum, quia quanquam linguæ (9) non fidelibus sed infidelibus sint in signum, salvator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca valde gavisus est viso ipso, pro eo quod signum aliquod videre fieri ab illo sperabat, et facere dedignatus est signum et reddere interroganti responsum, sciens quod in operatione signorum non credulitatis inductio sed vanitatis illum admiratio delectabat. Licet autem illa prava et perversa generatio non sit digna ut tam cito, sicut forsitan ipsa quærit, de suo sibi martyre detur signum, expedisse tamen credimus ei ut unus iste pro ipsa, ne tota pereat, moreretur, quæ contagio hæreticæ pravitatis infecta per interpellantem occisi sanguinem a suo melius revocetur errore quam vivus eam potuerit revocare. Hoc est enim vetus artificium Jesu Christi, hoc miraculosum ingenium Salvatoris, ut cum in suis victus esse putatur, tunc vincat fortius in eisdem, et ea virtute qua ipse mortem moriendo dextruxit, a superatis interdum famulis suis superatores eorum faciat superari. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; cum autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert. Sperantes igitur quod de morte hujus fecundissimi grani multus sit fructus in Christi Ecclesia proventurus, cum profecto sit dure culpabilis et culpabiliter durus cujus animam ipsius gladius non pertransiit, neque unquam penitus desperantes quin utilitas tanta debeat in sanguine suo esse quod suæ sanctæ prædicationis initiis circa memoratam provinciam, pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa, fraternitatem vestram monemus attentius et propensius exhortamur, per Spiritum sanctum in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes quatenus verbum pacis et fidei seminatum ab eo vestræ prædicationis irriguis coalescere facientes, et ad expugnandam hæreticam pravitatem ac fidem catholicam confirmandam, exstirpando vitia et seminando virtutes, indefessæ studio sedulitatis instantes, jam dictum Dei famuli occisorem et universos quorum ope vel opera, consilio vel favore tantum facinus perpetravit, receptatores quoque vel defensores ipsius ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus ac nostra excommunicatos et anathematizatos per universas vestras diœceses nuntietis, et omnia loca prorsus ad quæ ipsi vel aliquis eorum devenerint, præsentibus eis interdicto faciatis ecclesiastico subjacere singulis diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, donec ad sedem apostolicam accedentes per satisfactionem condignam mereantur absolvi, sententiam hujusmodi solemniter innovantes. Illis autem qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad vindicandum sanguinem justum, qui de terra clamare non cessat ad cœlum, donec ad confundendum subversos et subversores de cœlo descendat ad terram Dominus ultionum, viriliter se accinxerint adversus hujusmodi pestilentes, qui simul in unum et pacem et veritatem impugnant, suorum remissionem peccaminum a Deo ejusque vicario secure promittatis indultam, ut eis labor hujusmodi ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis pro quibus cordis contritionem et oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Hujusmodi siquidem pestilentes non tantum jam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur; nec solum ad perimendum animas linguas

(8*) Historia Albigens, *dictis facta*.

(9) Raynaldus reposuit *miracula*. Sed in regesto et in historia Albig. legitur *linguæ*, etiam in vet. cod. ms. bibliothecæ Colbertinæ. Legendum ergo *signa*.

acuunt, verum etiam ad perdendum corpora manus extendunt, perversores animarum effecti et corporum peremptores. Licet autem præfatus comes pro multis et magnis flagitiis quæ longum esset per singula enarrare jamdudum sit anathematis mucrone percussus, quia tamen certis indiciis mortis sancti viri præsumitur esse reus, non solum ex eo quod publice comminatus est ei mortem et insidias paravit eidem, verum etiam ex eo quod, sicut asseritur, occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit et magnis donis remuneravit eumdem, ut de cæteris præsumptionibus taceamus quæ nobis plenius innotescunt, ob hanc quoque causam anathematizatum eum publice nuntietis. Et cum juxta sanctorum Patrum canonicas sanctiones ei qui Deo fidem non servat fides servandas non sit, a communione fidelium segregato, utpote qui vitandus est potius quam fovendus, omnes qui dicto comiti fidelitatis seu societatis aut fœderis hujusmodi juramento tenentur astricti, auctoritate apostolica denuntietis ab eo interim absolutos et cuilibet catholico viro licere, salvo jure domini principalis, non solum persequi personam ejusdem, verum etiam occupare ac detinere terram ipsius, illo præsertim obtentu quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, qua per illius nequitiam fuit hactenus turpiter maculata; quia dignum est ut manus omnium contra ipsum insurgant cujus manus exstitit contra omnes. Quod si nec sic vexatio sibi dederit intellectum, manus nostras in eum curabimus fortius aggravare. Si quando vero satisfactionem promiserit exhibere, procul dubio ipsum hæc pœnitudinis suæ signa præmittere oportebit, ut de toto penitus posse suo depellat pravitatis hæreticæ sectatores, et se paci satagat conciliare fraternæ, cum principaliter propter culpam quam in utroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura; quanquam si suas Dominus iniquitates voluerit observare, vix possit congrue satisfacere, non tantummodo pro se ipso, sed pro alia multitudine quam in laqueum damnationis induxit. Quia vero secundum sententiam veritatis timendi non sunt qui corpus occidunt, sed qui potest corpus et animam mittere in gehennam, confidimus et speramus in eo qui ut a fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus die tertia resurrexit, quod præfati hominis Dei mors venerabili fratri nostro Conseranensi episcopo (10) et dilecto filio abbati Cisterciensi apostolicæ sedis legatis aliisque orthodovæ fidei sectatoribus non solum timorem non incutiet, sed accendet amorem; ut ejus exemplo qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident. Unde consulimus et monemus, preces præceptis et præcepta precibus inculcantes, quatenus legatorem ipsorum salubribus monitis et mandatis efficaciter intendentes, tanquam strenui commilitones assista-

A tis eisdem in omnibus quæ propter hoc vobis duxerint injungenda; scientes quod sententiam quam ipsi, non solum in rebelles, sed etiam in desides, promulgaverint, nos ratam haberi præcipimus et inviolabiliter observari.

Datum Laterani.

XXVII.

*De eadem re.*

(Daterani.)

*In eumdem fere modum archiepiscopo Lugdunensi et suffraganeis ejus, usque* præcepta precibus inculcantes, quatenus ad tantum Dei servitium prosequendum consilium impendatis et auxilium opportunum, quæ præmissa sunt subditis vestris tam clericis quam laicis prudenter et efficaciter exponendo, exhortantes eos et in remissionem suorum sibi pec-
B caminum injungentes ut et ipsi suum impendant in tam sancto negotio dignum Domino famulatum.

Datum Laterani.

XXVIII.

PHILIPPO ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*De eadem re.*

(Laterani.)

Si tua regalis serenitas cunctos mundi principes circumspiciat, inveniet se a Deo specialiter inter cæteros exaltatam, qui ex gratia sua et ex meritis quæ tam tu quam tui progenitores in ipsius conspectu fecistis, multipliciter nomen tuum est magnificare dignatus, augens tibi gratiam in præsenti et gloriam præparans in futuro, pro eo maxime quod unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam
C confitendo, odisti semper et repulisti sectas hæreticæ pravitatis. Nuper quidem audivimus rem crudelem et in eommunem luctum generalis Ecclesiæ deducendam, etc. *asque in finem sicut in illa quæ mittitur Narbonensi archiepiscopo et aliis.* Eia igitur, miles Christi, eia Christianissime princeps, moveat religiosissimum pectus tuum universalis Ecclesiæ sanctæ gemitus, succendat te ad tantam Dei tui vindicandam injuriam pius zelus. Clamantem ad te justi sanguinis vocem audias, et contra tyrannum hostemque fidei scutum pro Ecclesia protectionis assumas; ut qui pro mundo hactenus laudabiliter militasti, laudabilius milites nunc pro Christo, qui a nequissimis servis graviter impugnatur. Accipe tempus instans faciendi justitiam, ei aures a que-
D rela Ecclesiæ non avertas dicentis tibi: *Exsurge, et judica causam meam* (*Psal.* LXXIII). Felix quidem tibi et necessaria esse potest tanta perversorum offensa, quæ fecit ut qui creavit te, tuo nunc obsequio velit uti. Quapropter, dilectissime fili, gladium quem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum a Domino accepisti, gladio nostro junge, ut simul de tam scelestis et inhumanis malefactoribus ulciscamur. Attende per Moysem et Petrum patres videlicet utriusque Testamenti, signatam inter regnum et sacerdotium unitatem, cum alter

(10) Vide infra, epist. 32.

regnum sacerdotale prædixit, et reliquus regale A sacerdotium appellavit; ad quod signandum rex regum et Dominus dominantium Jesus Christus secundum ordinem Melchisedech sacerdotis et regis de utraque voluit stirpe nasci, sacerdotali videlicet et regali. Et princeps apostolorum : *Ecce gladii duo hic* (*Luc.* XXII), id est simul, dicente demum Domino: *Satis est* (*ibid.*), legitur respondisse, ut materiali et spirituali gladiis sibi invicem assistentibus, alter per alterum adjuvetur. Cum igitur post interfectionem præfati justi Ecclesia quæ in partibus illis est absque consolatore in tristitia et mœrore sedente fides evanuisse, periisse pax, hæretica pestis et hostilis rabies invaluisse dicantur, ac nisi potenter in hujus novitate procellæ succurratur eidem, pene penitus videatur ibidem navis Ecclesiæ naufragari, regalis B mansuetudinis pietatem monemus attentius et propensius exhortamur, ac in tanto necessitatis articulo in virtute Christi confidentes injungimus, et in remissionem peccaminum indulgemus quatenus tantis malis occurrere non postponas, et attendens quod usque adeo regium sit officium in regno suo pacis negotium promovere quod regum sapientissimus Salomon in figura Regis æterni fuit pacificus appellatus, ad pacificandum gentes illas in eo qui est Deus pacis et dilectionis intendas, et quibuscunque modis revelaverit tibi Deus, hæreticam tamen studeas perfidiam abolere, sectatores ipsius eo quam Saracenos securius pro pejores sunt illis, in manu forti et extento brachio impugnando. Prænominatum etiam comitem, qui quasi fœdus percussisset cum ea, de morte propria non recogitat, si forte vexatio C sibi tribuat intellectum, et impleta ipsius facie ignominia, incipiat requirere nomen Dei, ad satisfaciendum nobis et Ecclesiæ, imo Deo, pondere non desinas inductæ super eum regalis oppressionis urgere, ipsum et fautores ejusdem de castris Domini depellendo, et auferendo terras eorum; in quibus, relegatis hæreticis, catholicos habitatores instituas, qui secundum orthodoxæ tuæ fidei disciplinam in sanctitate et justitia sub tuo felici regimine serviant coram Deo.

Datum Laterani.

## XXIX.

NOBILIBUS VIRIS COMITIBUS, BARONIBUS, ET UNIVERSIS POPULIS PER REGNUM FRANCIÆ CONSTITUTIS.

*Super eodem.*

(Laterani, VI Id. Martii.)

Rem crudelem audivimus et in communem luctum generalis Ecclesiæ deducendam, etc. *sicut in illa quæ mittitur regi usque* (11): Eia igitur Christi milites, eia strenui militiæ Christianæ tirones. Moveat vos generalis Ecclesiæ sanctæ gemitus, succendat vos ad tantam Dei vestri vindicandam injuriam pius zelus. Mementote quod Creator vester vobis non indiguit cum vos fecit; qui quanquam vestro servitio non indigeat, ut quasi per illud minus in agendo quod voluerit fatigetur, et sua omnipotentia minor sit obsequio vestro carens, occasionem tamen in hoc articulo vobis tribuit sibi acceptabiliter serviendi. Cum igitur post interfectionem, etc. *sicut supra usque*, tantis malis occurrere non tardetis, et ad pacificandum gentes illas, etc. *usque* inductæ super eum oppressionis urgere, etc. *usque* relegatis hæreticis habitatores catholici subrogentur, qui secundum orthodoxæ vestræ fidei disciplinam in sanctitate et justitia serviant coram Deo.

Datum Laterani [(12) VI Idus Martii, pontificatus nostri anno undecimo.]

## XXX.

PERSENNIÆ ET DE PINU ABBATIBUS CISTERCIENSIS ORDINIS.

*De induciis ineundis inter reges Franciæ et Angliæ.*

(13) Quam sit necessarium Ecclesiæ sanctæ Dei et cuncto populo Christiano qui in regno Franciæ Angliæque consistit ut utriusque reges pacem et concordiam secum habeant, nec eorum nec vestram credimus prudentiam ignorare, cum præter damna rerum et pericula personarum quæ de mutuis eveniunt simultatibus, animarum salus graviter offendatur, et in plerisque locis, specialiter in Provincia pestis ex hoc hæretica fortius invalescat, quandoquidem illi ad invicem bella gerunt per quorum unitatem pestis eadem et deberet et posset efficacius aboleri. Cum ergo post interfectionem sanctæ memoriæ fratris Petri de Castronovo in eadem Provincia ita cœperit detestabilis et hostilis rabies ampliari ut post divinæ virtutis potentiam nonnisi per eorumdem concordiam reprimenda credatur, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et in virtute obedientiæ districte præcipimus quatenus dictos reges personaliter adeuntes, ipsos tam auctoritate nostra quam vestra sollicitudine prudenter et efficaciter inducatis ad treugas per biennium saltem invicem ineundas firmiter et servandas; mandatum nostrum taliter impleturi quod sollicitudo vestra clareat in effectu, et vos gaudere possitis tot animarum profecisse saluti. Quod si non ambo, etc., alter vestrum, etc.

## XXXI.

(Laterani.)

D *In eumdem fere modum Turonensi archiepiscopo usque in finem.* Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si treugarum ipsarum fœdus Deo conciliante fuerit reformatum, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo ad observationem ipsius utramque partem, postposito quolibet humano favore compellas.

Datum Daterani.

(11) Exstat in hist. Albigensi. cap. 8.
(12) Hæc addita sunt ex historia Albigens.

(13) Vide epist. 31, 33.

## XXXII.

ABBATI CISTERCIENSI APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*De cæde Petri de Castronovo.*

(Laterani.)

(14) Recepimus litteras benignitate paterna quas tuas nobis devotio destinavit, et intellecto per eas quod ad opus Dei strenue te accingis in Provinciam profecturus,ut consoleris Ecclesiam quæ diri vulneris novitate percussa mortem sanctæ memoriæ fratris Petri de Castronovo multiplicatis doloribus lamentatur, tuam prudentem constantiam et constantem prudentiam in Domino commodamus,attendentes quod cum secundum sententiam veritatis timendi non sint qui corpus occidunt, sed qui potest corpus et animam mittere in gehennam, præfati hominis Dei mors non solum tibi ad divinum servitium exsequendum non incussit timorem, sed amorem ascendit, ut ejusdem exemplo, qui vitam æternam temporali morte feliciter est mercatus, animam tuam in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro ipso ponere non formides. Monemus ergo devotionem tuam et exhortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad eumdem provinciam proficiscens una cum venerabili fratre nostro Conseranensi episcopo, tuo videlicet collegato, negotium generalis Ecclesiæ, prout posse ministraverit vobis Deus, prudenter et constanter satagas promovere.Nos enim in præsenti secundum consilium tuum litteras tibi mittimus quas credidimus necessarias, et in posterum auxilium opportunum circa quælibet hoc negotium contingentia cum illius adjutorio impendemus qui cum secundum suum promissum fideles suos non sit usque ad consummationem sæculi relicturus, neque nos neque vos sperantes in se super tanto sui servitio derelinquet.

Datum Laterani.

## XXXIII.

TURONENSI ARCHIEPISCOPO ET PARISIENSI ET NIVERNENSI EPISCOPIS.

*Ut regem et magnates accendant adversus hæreticos.*

(Laterani.)

(15) Qualiter post interfectionem sanctæ memoriæ fratris Petri de Castronovo, quam communi luctu cum universalis Ecclesiæ filiis deploramus,hæretica pestis in Provinciæ partibus invaluerit, et turbatio pacis ibidem fuerit ampliata, vestram non credimus prudentiam ignorare.Cum ergo sancta mater Ecclesia contra laniatores suos præsidio filiorum suorum potissimum ibi nunc indigere noscatur, fraternitatem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus tam charissimum in Christo filium nostrum Philippum illustrem regem Francorum quam universos regni sui nobiles et magnates ad conciliandam pacem in Christo et hæreticos expugnandos in provincia supradicta auctoritate no-

A stra suffulti prudenter et efficaciter inducatis, injungentes hoc eis ex parte nostra in suorum indulgentiam peccatorum, secundum formam quam tu, frater Parisiensis episcope, imperasti; ecclesiarum prælatos nihilominus exhortando ut ad opus tam sanctum et necessarium subsidium opportunum impendant.Taliter autem mandatum apostolicum impleatis quod promptos vos ostendatis orthodoxæ fidei zelatores, et nos diligentiæ vestræ studium possimus merito commendare.

Datum Laterani.

## XXXIV.

CONSULIBUS SOCIETATIS BEATI EUSEBII VERCELLENSIS.

*Commendantur de devotione erga Romanam Ecclesiam.*

B (Laterani.)

Dilectum filium nobilem virum Ambrosium concivem vestrum ad nostram præsentiam accedentem cum gratia speciali recepimus et favore, ac iis quæ tam ipse proposuit viva voce quam etiam præsentatæ nobis per eum vestræ litteræ continebant perspicue intellectis,prudentiam vestram duximus in Domino multipliciter commendandam super devotionis affectu quem erga nos et Romanam Ecclesiam gerere vos ostenditis et zelo nihilominus charitatis quem ad generalem profectum fraternæ universitatis habetis. Monemus ergo devotionem vestram et exhortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus in bono proposito persistentes, ad honorem Dei, utilitatem Ecclesiæ, salutem anima-
C rum vestrarum, et communem uniuscujusque profectum vos taliter habeatis quod ille qui bonorum est omnium retributor, piis vestris operibus provocatus, gratiam vobis augeat in præsenti et gloriam in futuro, nos quoque, qui quantum cum Deo et nostra possumus honestate vos intendimus honorare,ad dilectionem et profectum vestrum fortius accendamur.

Datum Laterani.

## XXXV.

ARCHIEPISCOPO VERISIENSI,ET EPISCOPO SALEMBURIENSI ET PRÆPOSITO SANCTÆ SOPHIÆ CONSTANTINOPOLIM.

*De Hospitali S. Georgii.*

(Laterani, XVI Kal. Aprilis.)

Porrecta nobis dilectorum filiorum præpositi et
D decani Sancti Georgii Constantinopolitani querimonia patefecit quod fratres Hospitales Hierosolymitani, Dominus de Lamro, et quidam alii Constantinopolitani super Hospitali Sancti Georgii, quibusdam redditibus, et rebus aliis nobilibus et immobilibus injuriantur eisdem.Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis,audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

(14) Vide supra epist. 26 et seqq.

(15) Vide epist. 30.

Datum Laterani, XVI Kal. Aprilis, anno undecimo.

XXXVI.

DECANO, CANTORI, ET THESAURARIO SANCTÆ SOPHIÆ CONSTANTINOPOLITANI.

*Committitur eis quædam causa adversus Templarios.*

(Datum, *ut in alia.*)

Causam quam dilectus filius magister W. clericus, adversus fratres militiæ templi Constantinopolitani super ecclesia Sanctæ Yomeniæ se habere proponit vobis duximus commitendam, per apostolica scripta mandantes quatenus partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. duo vestrum, etc.

Datum, *ut in alia.*

XXXVII.

SANCTI PAULI, SANCTI MICHAELIS DE BUCCA DE LEONIS ET SANCTÆ ANASTASIS DECANIS CONSTANTINOPOLITANIS.

*Scribitur eis pro M. W. Cocart.*

(Laterani, VI Kal. Aprilis.)

Missus ad præsentiam nostram dilectus filius magister W. Cocart sacerdos ab imperiali magnificentia et universitate cleri Constantinopolim commorantis nobis humiliter supplicavit ut si forte medio tempore in ecclesia sua Sanctæ Trinitatis et aliis redditibus suis fuerit molestatus a quoquam, indemnitati suæ consulere dignaremur. Volentes igitur in justitia sibi, prout tenemur, adesse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandatus quatenus si quos in Constantinopolitana diœcesi constitutos quidquam interim subtraxisse vel detinere de suis proventibus inveneritis, ad restituendum illud monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota, compellatis eosdem. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. duo vestrum, etc.

Datum Laterani, VI Kal. Aprilis, anno undecimo.

XXXVIII.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO IMPERATORI CONSTANTINOPOLITANO ILLUSTRI

*De juramento fidelitatis quod prælati debent imperatori.*

(Laterani, VII Kal. Aprilis.)

Illo charitatis affectu imperialem celsitudinem amplexamur ut preces ipsius, quantum cum Deo et nostra possumus honestate, libenti exaudire animo cupiamus. Eapropter, charissime in Christo fili, tuis postulationibus inclinati, serenitati tuæ præsentium auctoritate concedimus ut ab archiepiscopis et episcopis terræ tuæ necnon et ab aliis in imperio constitutis, a quibus sine scandalo recipere ipsam possis, fidelitatem recipere tibi liceat pro regalibus quæ a te habere noscuntur; dum- A modo talia illa sint pro qualibus ab hujusmodi consuevit aliis principibus sæcularibus fidelitas exhiberi. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VII Kal. Aprilis, anno undecimo.

XXXIX.

EIDEM.

*Ecclesiæ S. Mariæ de Blakerna et S. Michaelis de Bucca leonis eximuntur a potestate ordinarii.*

(Laterani, V Id. Martii.)

Illo charitatis affectu, etc. *ut in alia.* Sane per tuos nobis nuntios supplicasti ut Sanctæ Mariæ ac Sancti Michaelis ecclesias, quarum altera in imperiali palatio quod appellatur Blakerna, reliqua vero in eo B quod dicitur Bucca leonis est sita (16), sub speciali beati Petri et nostra protectione suscipere et a jurisdictione cujuslibet præterquam Romani pontificis eximere dignaremur. Nos igitur supplicationibus tuis grato concurrentes assensu, prænominatas ecclesias sub apostolicæ sedis et nostra speciali protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Intelligentes quoque per quædam scripta quæ nobis inter petitiones venerabilis fratris nostri patriarchæ Constantinopolitani a procuratoribus suis præsentata fuerunt quod idem hoc debeat æquanimiter sustinere, præsentium auctoritate statuimus ut Ecclesiæ ipsæ nulli alii teneantur in spiritualibus quam sedi apostolicæ respondere. Nulli ergo... nostræ protectionis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

C Datum Laterani, V Idus Martii, anno undecimo.

XL.

CAPITULO CRACOVIENSI.

*Eis commendat Vincentium ipsorum episcopum.*

(Laterani, V Kal. Aprilis.)

Diversis litteris a diversis collegii vestri partibus nobis missis in nostra dudum audientis recitatis, intelleximus tam per eos quam per assertionem illorum qui partem fovebant utramque quod bonæ memoriæ F. episcopo vestro rebus humanis exempto, cum cœpistis de successoris electione tractare, quidam vestrum in venerabilem fratrem nostrum G. Plocensem episcopum convenerunt a sede apostolica postulandum, sperantes per industriam et religionem ipsius ecclesiæ suæ commoda multiplicia D proventura. Quidam vero dilectum filium magistrum Vincentium Sudomiriensis Ecclesiæ diœcesis Cracoviensis præpositum, virum utique multimoda laude præclarum, unanimiter elegerunt. Auditis igitur diligenter et cognitis quæ super ipsa diversitate fuerunt utrinque proposita coram nobis, licet utraque persona idonea censeretur, quia tamen etsi plures in postulatione prædicta visi sint ab initio consensisse, multi demum ex ipsis in electione dicti præpositi consenserunt si forsan ipsam postulationem contingeret non admitti, et ad jus etiam

(16) Vide infra, epist. 41.

ordinarium plus accedit ut Ecclesiæ de diœcesi propria in pastorem vir provideatur idoneus quam episcopus alii Ecclesiæ alligatus, populationem præfatam non duximus addmittendam,et sic intelligentes electionem prædictam a pluribus de persona idonea canonice celebratam, ipsam de consilio fratrum nostrorum curavimus confirmare. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eidem electo in spiritualibus et temporalibus tanquam pastori vestro de cætero respondentes, debitam et devotam obedientiam ac reverentiam sibi exhibere curetis.

Datum Laterani, v Kal. Aprilis, anno undecimo.

XLI.

ARCHIEPISCOPO VERISIENSI ET SALEMBRIENSI EPISCOPO ET ELECTO NICOMEDIENSI.

*De ecclesiis imperialibus Constantinop.*

(Laterani, VI Id. Martini.)

Charissimus in Christo filius noster Contantinopolitanus imperator illustris nostro apostolatui supplicavit ut ecclesias in imperio suo sitas, quæ imperiales dicuntur, et nonnisi duntaxat imperatoribus consueverant Græcorum temporibus respondere,in hac manderamus consistere libertate ut imperatori de temporalibus, nobis autem respondere de spiritualibus teneantur (17). Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui propter hoc fuerint evocandi,veritatem sollicite inquiratis, et eas de prælibatis ecclesiis quas vel a sui fundatione liberas exstitisse, vel per privilegium apostolicæ sedis exemptas, aut tutas præscriptione legitima inveneritis, in præscripta facientes libertate manere, super aliis quas in statu repereritis libertatis audiatis quæ rationabiliter proposita fuerint a quocunque, ac nobis sub sigillis vestris fideliter remittatis, præfigentes partibus terminum competentem quo se cum eis nostro conspectui repræsentent.Quod si non omnes,etc.,duo vestrum,etc.

Datum Laterani, VI Idus Martii, anno undecimo.

XLII.

ABBATI ET FRATRIBUS MONASTERII FOSSÆNOVÆ.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, v Kal. Aprilis.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri præsentium auctoritate statuimus ut per territorium Pipernense usuaria pascuarum et silvæ habeatis libera et quieta sicut a quadraginta retro annis inconcusse noscimini habuisse, ac ea quæ largitione fidelium vel commutatione aut etiam emptione ab hominibus Pipernensibus tam de peculiaribus rebus suis quam de publicæ silvæ novalibus, quæ ad jus et dominium beati Petri noscitur pertinere, monasterium vestrum in præsenti legitime possidet aut in futurum justis modis poterit adipisci, vobis et eidem monasterio confirmamus; nihilominus sancientes ut ea quæ prædictis rebus juste vobis in posterum conferentur,tanquam habitatores territorii memorati tam jure habitationis quam ex apostolicæ sedis concessione libere possitis recipere ac sine qualibet contradictione tenere. Insuper auctoritate vobis apotolica indulgemus ut silvam vestram de Laureto excolere vobis liceat et dare aliis excolendam secundum terminos quibus in authentico scripto monasterii vestri determinata est et distincta. Nulli ergo... nostræ constitutionis, confirmationis, et concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, v Kal. Aprilis, anno undecimo.

XLIII.

ABBATI SANCTI VICTORIS, ET DECANO PARISIENSI, ET MAGISTRO ROBERTO DE CORZON NOVIOMENSI CANONICO PARISIUS COMMORANTI.

*De electione episcopi Morinensis.*

(Laterani, IV Non.Aprilis.)

(18) Cum dilecti filii Henricus, archidiaconus Morinensis, et magister H. Atrebatensis, canonicus, Morinensis electi procuratores et Bernardus Morinensis canonicus ad sedem apostolicam accessissent, procuratores ipsi proponere nostra præsentia curaverunt quod Ecclesia Morinensis episcopi solatio destituta, canonici ejusdem ecclesiæ de pastoris subtitutione tractantes, in dilectum filium Adam presbyterum, Goscelinum diaconum, Theobaldum subdiaconum, canonicos Morinenses potestatem eligendi episcopum unanimiter contulerunt, juramento interposito promittentes quod illum reciperent in pastorem quem gremio ipsius ecclesiæ ducerent in episcopum eligentum. Qui postmodum exammatis voluntatibus singulorum, Joannem archidiaconum ejusdem ecclesiæ, virum litterarum, providum, et discretum, in episcopum elegerunt, et eadem electione a capitulo communiter approbata, a metropolitano suo pariter petierunt ut electionem confirmaret eamdem. Qui tam electionem ac electi personam diligenter examinans quam etiam super ipsius ætate, de cujus defectu fuerat ab aliquibus dubitatum, inquirens sollicite veritatem, per sententiam, declarando electum ipsum minime sustinere in ætate defectum, electionem de ipso factam utpote canonice celebratam solemniter confirmavit. Qui postea regalibus receptis a rege, ad petitionem ejusdem capituli a venerabili fratre nostro Atrebatensi episcopo de mandato metropolitani prædicti fuit in presbyterum ordinatus, et aliquandiu nullo contradicente liberam et pacificam tam in spiritualibus quam in temporalibus administrationem obtinuit in Ecclesia Morinensi. Unde procuratores ipsi a nobis humiliter petierunt ut his qui post hæc omnia invidiæ stimulis agitati, contra factum proprium temere veniendo, adversus electum ipsum materiam discordiæ suscitare præsumunt, silentium imponentes, et memoratam electionem tam concorditer celebratam et confirmatam solemniter

(17) Vide supra, epist. 39.
(18) Cap. *cum dilecti*, De elect. Vide infra, epist. 225.

approbantes, eidem faceremus electo, munus consecrationis impendi, multorum super hoc non solum abbatum et capitulorum civitatis et diœcesis Morinensis sed etiam aliorum presbyterorum nobis litteris præsentatis, qui super præmissis omnibus testimonium perhibentes, electum ipsum de litteratura, discretione, ac honestate morum reddiderunt apud nos multipliciter commendatum, quinimo et electorum ipsorum super hoc nobis litteras obtulerunt, quibus erat illarum litterarum de verbo ad verbum sicut iidem asserunt electores, tenor insertus, quæ de potestate ipsis tradita juxta præmissam formam confectæ in capitulo fuerant et sigillo capituli sigillatæ. Verum supradictus B. qui contra electum venerat memoratum, proposuit ex adverso quod cum in supradictos tres sub hac forma juramento præstito fuerit eligendi concessa potestas ut capitulum eum recipere teneretur quem illi tres ab omnibus vel a majori et saniori parte de gremio ipsius ecclesiæ nominatum eligerent in pastorem, electores ipsi terminos potestatis sibi traditæ non servantes, prædictum archidiaconum eligere præsumpserunt, quem pauci de capitulo nominarant. Unde canonici Morinenses postmodum admirantes qualiter archidiaconus electus fuerat memoratus, cum plures essent in Ecclessia dignores, super electionis processu invicem colloquendo cœperunt fere omnes publice profiteri quod nullatenus archidiaconum nominaverant supradictum, et reputantes se in hac parte delusos, quod super hoc factum fuerat, per eumdem B. cui suas testimoniales litteras assignarunt, nostro curaverunt apostolatui reserare. Qui coram nobis sollicite postulavit ut eamdem electione cassata, faceremus ipsi ecclesiæ de persona idonea canonice provideri, cum fere omnes canonici Morinenses sint parati, sicut assuerit, prætito juramento firmare quod præfatum archidiaconum nunquam in episcopum nominarant et legitime possit ostendi quod juxta præmissam formam supradictis tribus collata fuerit auctoritas eligendi, ut videlicet de gremio Ecclesiæ illum eligerent in quem omnes vel major et sanior pars capituli consentirent, afferens idem B. se nihilominus probaturum quod sæpedictus electus patitur in ætate defectum. Nos igitur his et aliis quæ fuerunt hinc inde proposita coram nobis diligenter auditis, quia res perniciosa esset exemplo si per subreptionis astutiam quis ascenderet ad apicem dignitatis, de consilio fratrum nostrorum ita duximus providendum ut præstito a contradictoribus juramento quod ipsi contra præfatum electum malitiose non moveant hujusmodi quæstionem, prædicti tres electores juramenti vinculo astringantur dicere veritatem quot ex canonicis examinationis tempore in præfatum archidiaconum convenerunt et si tres simul aut duo saltem ex ipsis jurati dixerint majorem canonicorum partem in ipsum archidiaconum convenisse, vos contradictoribus silentium imponatis, cum contra hoc eorum esset probatio insufficiens, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares. Si vero per eorum depositiones constiterit sæpedictum archidiaconum exstitisse a paucioribus nominatum, tunc demum sollicite audiatis quidquid utraque pars prosposuerit ac probandum formam secundum quam eligendi potestas præfatis tribus electoribus asseritur fuisse concessa, et si fuerit sufficienter ostensum quod illum de gremio Ecclesiæ secundum formam sibi datam debebant eligere in quem omnes vel major et sanior pars capituli convenirent, vos electionem ipsius archidiaconi omnino cassetis, et faciatis Ecclesiæ Morinensi per electionem canonicam de persona idonea in pontificem provideri. Alioquin quod de ipso factum et ratum habentes, contradictores ab ejus impeditione per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis, præfatum B. præbenda Morinensis Ecclesiæ spoliantes, qui se ad hanc pœnam, si forsan in probatione deficeret, obligavit; non obstante quod super ætatis defectu objectum est contra illum, cum idem canonicus huic objectioni non multum institerit, et super hoc a metropolitano fuerit judicatum; cujus sententia in rem transiit judicatam, cum infra decennium non fuerit legitima provocatione suspensa. Quod si non omnes, etc., duo vestrum.

Datum Laterani, IV Nonis Aprilis, anno undecimo.

## XLIV.

ABBATISSÆ ET CAPITULO DE EDERA.

*De certo monialum numero confirmando.*

(Laterani, Kal. Aprilis.)

Justis petentium, *usque* inclinati, octogenarium numerum monialium seu etiam conversarum, quem propter suadentem utilitatem et necessitatem urgentem de concilio et assensu charissimi in Christo filii nostri Philippi, Francorum regis illustris, et venerabilis fratris nostri Parisiensis episcopi diœcesani vestri provide in monasterio vestro statuistis, auctoritate apostolica confirmantes, ipsum præcipimus observari, nisi Domino largiente in tantum ejus excrescerent facultates ut secundum earum augmentum, sororum quoque numerus posset augeri. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, Kal. Aprilis, anno undecimo.

## XLV.

HUGONI CANONICO SANCTI GEORGII DE FAYA.

*Ei confirmatur præbenda de Faya.*

(Laterani, VI Kal. Aprilis.)

Dilectis filiis B. canonico Sancti Petri Pictavensis et D. procuratoribus G. de Marnaio, et tibi tam pro te quam dilectorum filiorum W. præpositi et aliorum concanonicorum tuorum nomine respondenti pariter et agenti, super præbenda de Faya, quæ fuit olim R. de Poento canonici ejusdem ecclesiæ, volentibus litigare, dilectum filium Andream subdiaconum et capellanum nostrum concessimus auditorum. In ejus igitur præsentia proponere curavisti

quod ex consuetudine usuque longævo juramento A interposito roboratis in ecclesia Sancti Georgii de Faya ultra duodecimum numerum canonici non debent institui,nec fieri promissio vel concessio de præbenda aliqua non vacante. Nullus insnper canonicus Fayensis præbendam et aliquam de ecclesiis ad capituli donationem spectantibus potest in simul possidere, sed vacantes aliis chori servitoribus a capitulo conferentur. Et si quando ecclesiarum talium aliquis capellanus in canonicum assumatur, capellaniam vel canonicam compellitur resignare, cum sese ad invicem de consuetudine minime patiantur, et singuli qui capellanias recipiunt corporaliter præsito juramento promittant se in ipsis personaliter servituros. Quibusdam vero in jam dicta ecclesia de Faya Capicerio et canonicis B ordinatis absente prædicto B, qui licet sit ibidem canonicus, in ipsa tamen nequaquam residentiam faciebat,et ob hoc ab eo canonicis tractis in causam coram dilectis filiis abbate Sancti Jovini de Marnes et decano Thoarcensi Pictavensis diœcesis et magistro P. Barrilier, quondam canonico beatæ Radegundis Pictavensis,judicibus a sede apostolica delegatis, cum iidem canonici salvis ecclesiæ suæ consuetudinibus juramento firmatis et pars alia unius ex ipsis judicibus et R, de Poento et O. de Maulaio et R. Juret militum arbitrium elegissent, ipsi contra consuetudines ecclesiæ memoratæ ac etiam jus commune, præfato G. de Marnaio detinenti unam ex ecclesiis supradictis, nec eam resignare curanti,minus provide contulerunt,primam in illa ecclesia vacaturam sibi quoddam annuum C assignantes, et Villelmo de Grandicampo puero secundo vacantem nihilominus concedes. Processu temporis auctoritate bonæ memoriæ Octaviani episcopi Hostiensis,qui tunc in illis partibus legationis officio fungebatur,per venerabilem fratrem nostrum Pictaven. episcopum prædicti G. de Marnaio penitus concessione cassata, ipse G. de præmisso arbitrio a cassatione hujusmodi non habita mentione, ac in plurimis veritate suppressa, nostras litteras ad Sanctæ Radegundis, de Cella, et Sancti Pauli priores Pictaven,a nobis obinnit destinari ut dictos canonicos sibi præbendam suam integre reddere ac satisfacere de subtractis vel exhibere coram se justitiæ complementum per censuram ecclesiasticam appellatione postposita coaretarent ; sed nominatus D G. dolo vel negligentia litteras easdem supprimens, eis fere per triennium non est usus. Cæterum R. canonico Fayensi viam universæ cartis ingresso, et tunc nostris litteris judicibus præsentatis, et auctoritate litterarum illarum eodem G. vacantem præbendam sibi tribui postulante, licet canonici a judicibus prædictis citati termino constituto in eorum præsentia comparerent, et eos ex causis legitimis recusarent, contra litteras exceptiones legitimas allegantes,utpote per falsi suggestionem et in multis tacita veritate a sede apostolica impetratas, iidem tamen obaudientes hæc omnia, post appellationem ad nos legitime interpositam in canonicos excommunicationis sententiam protulerunt, et illam præbendam quæ rescripti obtenti tempore non vacabat jam dicto G. non sunt veriti assignare, fines apostolicæ jussionis in omnibus excedentes. Cumque dilectis filiis sancti Juliani et de Fontanis abbatibus et subdecano Beati Martini Turonensis dederimus in mandatis quod si dictam excommunicationis sententiam invenirent post appellationem ad nos legitime interpositam fuisse prolatam,ipsam denuntiarent penitus non tenere, alioquin ab eis recepta juratoria cautione super iis pro quibus excommunicationis sententiæ subjacebant, absolutionis ipsis beneficium impendendo, ac injuncto quod injungi deberet de jure, audirent et debito fine deciderent si quid emergeret quæstionis, coram abbate de Fontanis et subdecano beati Martini Turonensis partibus comparentibus termino præfinito, collega tertio se non posse interesse negotio per certum nuntium excusante, iidem juxta nostrarum litterarum tenorem ea sententia qua dicebantur ligati canonicos absolverunt, sed cum pars alia provocaret et varias proponeret rationes quare canonicos absolvere non deberent, et super revocatione litterarum priorum, abbate Sancti Juliani et eodem subdecano pro tribunali sedentibus inter partes fuerit aliquandiu litigatum, ipsi duo sine alio conjudice, qui causæ tractatui adesse nolebat,sicut eis per suas litteras intimarat,ad nos scriptum sigillis propriis roboratum et processum totius negotii continens destinarunt.Pro te insuper asserere studuisti quod post R. præfati decessum ad apostolicam sedem accedens,nostro apostolatui reserasti quod cum de mandato nostro et ejusdem Hostiensis episcopi sedis apostolicæ tunc legati in ea ecclesia, in qua desservieras ab ætate primæva, sex sextaria bladi perciperes annuntim donec competens ecclesiasticum beneficium in præhenda vel alibi per ipsius canonicos obtineres, licet inibi eadem vacaret præbenda, quam fere omnes canonici ecclesiæ memoratæ tibi desiderabant conferre,illam tamen paucis impedientibus assequi non valebas. Unde dilectis filiis A. cancellario. R. archipresbytero et magistro P. Parvo canonico Bituricensi per nostras litteras duximus injungendum ut nisi a paucioribus et inferioribus rationabiliter esse objectum aliquid vel ostensum propter quod majoris et dignioris partis consensus prævalere non posset,tibi præbendam ipsam auctoritate apostolica appellatione remota conferrent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes.Dicti vero judices per quasdam litteras Fayensis capituli perpendentes expressim in te omnium concurrere consensum et vota, capitulo mandaverunt ut facienles de necessitate virtutem,tibi liberaliter præbendam concederent nominatam et stallum in choro ac locum in capitulo assignarent, et si qui receptioni tuæ se ducerent opponendos, coram eis statuto ad hoc termino comparerent mandatum apostolicum audi-

turi. Die quidem præfixa tam te quam G. de Marnaio tuo adversario in eorum præsentia constitutis, et omnibus fere canonicis potentibus ab eisdem ut auctoritate apostolica per se ipsos tuum votum efficaciter adimplerent, et perpenso plenius per quasdam litteras capituli nostro apostolatui destinatas canonicos in consensu pristino de te inter se habito perdurare, quamvis ex parte illa in alio termino cum edicto peremptorio partibus assignato quædam ipsis judicibus litterare monstrarentur, quarum continentia testabatur sæpedictam præbendam ipsi G. de Marnaio primitus fuisse concessam quam tu iter arripuisses ad sedem apostolicam veniendi, quia tamen receptionem de G. factam per præfatum episcopum Pictavensem de mandato episcopi Hostiensis invenerant irritatam, nec aliquid rationabile contra te fuit oppositum vel in factum objectum, te de memorata prebenda curarunt sententialiter investire, in rebelles, si qui existerent, excommunicationis sententiam proferentes, et per dilectum filium abbatem de Stella Cisterciensis ordinis suam sententiam exsecutioni mandantes, nec appellationi a parte altera interpositæ curantes deferre, quam, cum non sit ab exsecutoribus appellandum nisi modum exsecutionis excedant, decreverunt irritam et inanem. Verum a capitulo in omni plenitudine canonicatus receptus ad nostram præsentiam accessisti, super appellatione hujusmodi tuo adversario responsurus. Sed cum eam infra annum ipse non fuerit prosecutus, et post annum elapsum... ejus nepos procurator effectus apud sedem apostolicam moraretur, nec contra te aliquid impetraret, jam dictum subdiaconum et capellanum nostrum tibi auditorem tribui postulasti. Qui procurator quasdam litteras sine sui conscientia impetrans auditoris, eas postquam illis contradixeras de bulla præsumpsit extrahere fraudulenter; quas viribus carere decrevimus per quasdam litteras subsequentes. Fuit autem propositum ex adverso quod cum litteras sub forma expressa superius prioribus transmiserimus memoratis, et iidem, convocatis partibus, tam ex confessione capicerii et canonicorum dictorum quam ex quibusdam publicis cognoscerent instrumentis, præfatum G. quædam annua in ecclesia de Faya percipere donec integram assequeretur præbendam, et pendente judicio præbenda de qua est controversia vacavisset, eam ipsi, antequam tu ad nos accederes, capicerius et major et sanior pars capituli liberaliter contulerunt, nullo tunc temporis reclamante, et cum quidam eum postmodum admittere noluissent, in eos ipsi judices monitione præmissa excommunicationis sententiam promulgarunt; qui ad nos post latam sententiam appellantes, super hoc litteras obtinuerunt transmitti ad judices Turonenses, qui prout a te narratum fuerat in ipso negotio processerunt. Nos vero per relationem auditoris præfati super utrinque propositis sufficienter instructi, factum judicum Pictavensium, cum fines excessissent mandati, irritum judicantes, et Turonensium approbantes processum, qui Fayenses canonicos absolverant ab ipsis Pictavensibus excommunicationis sententia denodatos, et adjudicationem præbendæ, quam tibi judices Bituricenses fecerunt, ratam habentes et firmam, tam capitulum Fayensis ecclesiæ quam te ab impetitione sæpefati G. de Marnaio ex toto duximus absolvendum, ipsi G. super iis perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo... nostræ diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, XI Kal. Aprilis, anno undecimo.

## XLVI.

BISUNTINO ARCHIEPISCOPO.

*Respondet ad ejus consulta.*

(Laterani, XI Kal. Aprilis)

(19) Tuis quæstionibus respondemus quod clericos in minoribus ordinibus constitutos de patrimonialibus bonis habentes unde possint congrue sustentari, etsi nondum fuerint ecclesiasticum beneficium assecuti, dummodo aliud canonicum non obsistat, ad superiores poteris ordines promovere. (20) Monachi vero de suis fratribus ac conversis testes in causis propriis producere absque juramenti exhibitione non possunt, nisi forsan a parte remittatur adversa. Religiosi quoque de terris debentibus decimas, quas emptione vel aliis justis modis acquirunt, non possunt eas, nisi privilegiati super hoc fuerint, retinere. Judicium autem aquæ ferventis non solum in matrimonialibus, verum etiam aliis ecclesiasticis causis recipi canonicis et sanctionibus interdictum.

Datum Laterani, XI Kal. April. anno undecimo.

## XLVII.

NOBILI VIRO THEODORO LASCARO.

*Inducitur ad pacem ineundam cum imperatore Constantinopolitano.*

(Laterani, XVI Kal. Aprilis.)

Ut litterarum tuarum prolixitas ad compendium reducatur, eam sub certis capitulis duximus restringendam. In primis siquidem Latinos apud Constantinopolim commorantes de apostasiæ crimine reprehendis, qua cum Dominicæ crucis assumpto signaculo, ad terræ sanctæ succursum simulaverint properare contra barbaras nationes, iidem conversi retrorsum in Christianos suos gladios converterunt, (21) Constantinopolitanam urbem et Constantinopolitanum imperium impugnantes proditionem et sacrilegium eisdem impingens, pro eo quod regia urbe rapta, sacrosantis ecclesiis minime pepercerunt, Christicolis interfectis, defloratis virginibus, et pollutis etiam conjugatis. Perjurii quoque reos ipsos multicipliter asseveras, cum treugas quas tecum inierant pluries præsumpserint violare, qui

(19) Cap. *Tuis quæstionibus*, De præhendis.
(20) Cap. cod., De testib.

(21) Vide gesta Innoc. III, cap. 95, pag. 59, col. 1.

relicta excellentiori via quam docet Apostolus, videlicet charitate, tecum concordiam et amicitiam nolunt inire perpetuam, sed treugas ad terminum iterum inierunt, licet Dominus non ad tempus sed perpetuo haberi præcipiat charitatem. Unde nobis humiliter supplicasti ut eos tecum perpetuæ pacis fœdera faceremus inire, cum imperante Domino dilecto semper debeat inter Christianos vigere, legatum a nostro latere destinantes qui inter te ac ipsos pacem stabiliat et componat, ut nec tu nec ipsi terminum quem Deus inter te ac ipsos disposuit, mare videlicet, transire præsumant, sed hujusmodi termino sint contenti, promittens te una cum eis contra Ismaelitas viriliter pugnaturum; alioquin cum alienigenis et paganis, quamvis invitus, pactum tamen inies contra eos, et associaberis Blachis, cum pacem quæsieris et illam non valeas invenire. Nos autem memoratos non excusamus Latinos, quos super excessibus suis multoties redarguimus, sed excusationes eorum præsenti tibi pagina duximus declarandas. Dicunt enim quod illius adolescentis suscepto ducatu qui fatebatur Constantinopolitanum imperium sibi de jure deberi, necessitas eos compulit importuna ut in Romaniam ad acquirenda victualia declinarent, et facientes de necessitate virtutem, intenderunt in ipsa principaliter procurare quatenus apostolicæ sedi gratum præstarent obsequium et expectatum succursum nihilominus terræ sanctæ; quod ad plenum consummasse putarunt, cum sine sanguinis effusione regia urbe capta, et accubatore imperii effugato, restitutisque in ipsa patre simul ac filio, Isachio videlicet et Alexio, ad fastigium imperatoriæ dignitatis, fecerunt ipsos non coactos sacrosanctæ apostolicæ sedi tactis evangeliis obedientiam repromittere, imperiali nobis scripto transmiso ad majorem fidei firmitatem, ut quod ore promiserant opere adimplerent. Cumque se ad navigandum in Syriam totis viribus præpararent, innata ipsorum malitia juramentis et pactis penitus violatis, igne, dolo et toxico iter eorum non semel tantum sed sæpe nequiter impedivit, et ad occupationem urbis regiæ ipsos in eorum pernitionem (22) renitentes et invitos attraxit, qua sola Dei virtute mirabiliter triumphata; quidquid extunc quocunque modo vel loco fecerint voluntarii vel inviti, semper habuerunt in votis ut inobedientiæ filios reducerent ad obedientiam matris suæ tam debitam quam devotam, et per imperium Romaniæ opportunius et facilius succurrerent terræ sanctæ. Licet autem ipsi omnino inculpabilus non existant, per eos tamen Græcos justo Dei judicio credimus fuisse punitos, qui tunicam inconsutilem Jesu Christi scindere sunt moliti. Cum enim judicia Dei adeo sint occulta quod abyssus multa prophetica voce dicuntur, sæpe contingit ut ipsius occulto judicio, semper tamen justissimo, mali malorum ministerio puniantur, juxta quod ait ipse Dominus per prophetam: *Assur virga furoris mei, et baculus ipse in manu eorum, indignatio mea* (*Isa* x). Unde ad Nabuchodonosor dixit; *Quia servisti, mihi in Tyro, dabo tibi Ægyptum* (*Ezech.* XXIX). Juste siquidem in diluvio perierunt qui esse cum Noe noluerunt in arca, et famis inediam sunt perpessi qui beatum Petrum apostolorum principem, cui pascendas commisit Dominus oves suas, noluerunt recipere in pastorem, post greges sodalium evagando, nolentes ad unitatem redire sæpius a prædecessoribus nostris et nobis etiam commoniti diligenter, nec voluerunt unquam terræ sanctæ subsidium impertiri, cui tum vicinitate locorum, tum abundantia divitiarum, plenius et perfectius succurrere potuerunt. Unde non immerito per eos qui ad utrumque pariter intendebant locum perdiderunt et gentem; ut perditis male malis, ipsa terra talibus locaretur agricolis qui fructum reddant tempore opportuno. Cæterum quia, quemadmodum legitur in Daniele propheta, est Deus in cœlo qui revelat mysteria, mutat tempora, et transfert regna, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud, Constantinopolitanum imperium transtulit ad eosdem, nobilitati tuæ consulimus ut in conspectu charissimi in Christo filii nostri Henrici Constantinopolitani imperatoris illustris humilies temetipsum eique servias honorem debitum impendendo. Jeremiæ sequentes exemplum, quem Israelitico populo legimus consilium tribuisse ut Nabuchodonosor regi servirent et viverent sub eodem. Si enim propheta consuluit ut fidelis populus infideli regi serviret, quanto magis consulendum est tibi ut servias imperatori præfato, cui Altissimus dedit imperium cum catholicus princeps et fidelis existat, ut sub ejus vivens imperio pacem obtineas exoptatam. Super eo vero quod illos charitatem asseris non habere, pro eo quod tecum treugas ad terminum inierunt, nolentes easdem in perpetuum stabilire, cum dilectio termino non claudatur, tibi breviter respondemus quod charitas et potest et debet etiam sine treugis haberi, cum non solum ad amicos sed etiam, ad inimicos sit ipsa charitas extendenda, dicente Domino. *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vobis* (*Matth.* v); quæ profecto per treugas non tollitur, sed fovetur, et ad perfectionem ipsius via facilior præparatur. Tu vero dispositioni divinæ consentiens, qua idem est imperator ad imperium sublimatus, ei debitum impendas obsequium et honorem, et nobis, qui, licet indigni, locum beati Petri tenemus, devotionem et reverentiam cum omnibus qui sunt tecum satagas exhibere; quia nos per legatum quem ad partes illas intendimus destinare, imperatorem eumdem faciemus sollicite commoneri ut tecum in spiritu ambulet lenitatis. Cum autem ipsum legatum ad

(22) *Perdictionem* aut *perniciem.*

parte illas noveris pervenisse, tuos ad eum nuntios destinabis, ut idem inter te ac imperatorem prædictum ea quæ pacis sunt et salutis ordinare procuret.

Datum Laterani, XVI Kal. April. anno undecimo.

XLVIII.

ALUFO CANONICO SANCTÆ ANASTASIS.

*Ei confirmatur præbenda.*

(Laterani, V Id. Aprilis.)

Solet annuere, etc. *usque* assensum, præbendam quam in ecclesia Sanctæ Anastasis te proponis legitime assecutum, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et præsentis scripti, etc. Nulli ergo, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani V Idus April. anno undecimo.

XLIX.

DECANO SANCTÆ MARIÆ DE BLAKERNA, ET CANTORI SANCTORUM QUADRAGINTA, ET MAGISTRO C. CANONICO SANCTI PAULI CONSTANTINOPOLITANIS.

*Scribitur pro eodem Alufo.*

(Laterani, II Id. Aprilis.)

Gravem nobis dilectus filius Alufus canonicus Sanctæ Anastasis Constantinopolitanæ obtulit quæstionem, quod D. concanonicus suus et quidam alii Constantinopolitani manus injecerunt in eum, Dei timore postposito, temere violentas. Quia igitur hujusmodi violentarium manuum injectores non est dubium incidisse in canonem sententiæ promulgatæ, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, præsumptores eosdem tandiu, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, II Idus Aprilis, anno undecimo.

L.

CANTORI SANCTORUM QUADRAGINTA, ET MAGISTRO G. SANCTIS PAULI, ET ARN. SANCTÆ MARIÆ DE CINTURA CANONICIS CONSTANTINOPOLITANIS.

*Pro eodem.*

(Laterani, Id. Aprilis.)

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius Alufus Sanctæ Anastasis canonicus sua nobis insinuatione monstravit quod cum decanus Sanctæ Mariæ de Blakerna et canonici Sanctæ Anastasis Constantinopolitanæ, pro quibus ad sedem apostolicam laboravit, ei præbendæ suæ fructus et alia de jure ad ipsum spectantia in sui absentia promiserint exhibere, ipsa detinent et reddere contradicunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos decanum et canonicos ut fructus illos et alia eidem exhibeant, ut tenentur, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Quod si non omnes, etc. duo vestrum, etc.

Datum Laterani, Ibidus Aprilis, anno undecimo.

LI.

PRÆPOSITO ET CAPITULO DE BLAKERNA.

*Pro Arnulfo canonico de Blakerna.*

(Datum, *ut in alia.*)

Constitutus in præsentia nostra dilectus filius Arnulfus ecclesiæ vestræ canonicus nobis humiliter supplicavit ut ei, qui ad sedem apostolicam veniendo, pro negotiis vestris et totius cleri Constantinopolitani expediendis plurimum laboravit, pro proventibus ejusdem ecclesiæ perceptis a vobis, quos ipse, si præsens fuisset in vestra ecclesia, percepisset, satisfieri faceremus eidem. Cum igitur idem A. inde dispendium peti non debeat unde præmium dignoscitur meruisse, universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eidem canonico de proventibus sibi subtractis, donec pro communibus negotiis absens, fuit, taliter providere curetis quod ipse propter hoc vobis et ecclesiæ vestræ magis obnoxius teneatur, et nos debeamus devotionem vestram exinde non immerito commendare.

Datum, *ut in alia.*

LII.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO HENRICO ILLUSTRI CONSTANTINOPOLITANO IMPERATORI.

*Indicitur ut bona ecclesiæ S. Anastasis ablata restituat.*

(Laterani, XVI. Kal. Maii.)

Ad audientiam nostram dilecto filio nostro Alufo canonico ecclesiæ Sanctæ Anastasis Constantinopolitanæ significante pervenit quod eadem ecclesia, quæ antequam Constantinopolitana civitas caperetur post majorem ecclesiam locum præcipuum obtinebat, gravatur maxime paupertate, bonis ipsius distractis multipliciter et consumptis. Insuper inclytæ recordationis Baduinus imperator germanus tuus, cujus successor existis, casalia cum pertinentiis suis, possessiones, et res alias quæ ad ecclesiam pertinebant prædictam contra justitiam occupavit et detinuit occupata, quæ in animæ tuæ periculum reddere contradicis. Quia vero quanto magis gressus tui a Domino prosperantur, tanto minus esse debes ecclesiis onerosus, serenitatem tuam rogamus et monemus attentius quatenus si est ita, bona eadem Ecclesiæ ipsi ob reverentiam apostolicæ sedis et nostram restituens, ab ejus super hoc molestatione indebita conquiescas.

Datum Laterani, XVI Kal. Maii, anno undecimo.

LIII.

CANTORI DE BLAKERNA, PRÆPOSITO SANCTI SEPULCRI ET MAGISTRO P. CANONICO SANCTI PAULI CONTANTINOPOLITANI.

*Eis committitur causa T. cappellani de Bucca leonis.*

(Laterani, XV Kal. Maii.)

Insinuantibus T. capellano ecclesiæ de Bucca Leonis et quibusdam aliis clericis Constantinopolitanis nos noveritis accepisse quod H. de Atrebato et quidam alii clerici Constantinopolitani proventus quarundam rerum quæ in sortem clericorum ipso-

rum cessisse noscuntur percipiunt et devidunt pro suæ arbitrio voluntatis, illis qui super hoc deberent de jure requiri penitus inconsultis, et eisdem, licet sæpius requisiti, debitam nolunt reddere portionem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerunt evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, xv Kal. Maii, anno undecimo.

LIV.

ELECTO NICOMEDIENSI, ET PRÆPOSITO SANCTI SEPULCRI ET PRIORI PISANORUM CONSTANTINOPOLITANIS.

*Committitur eis causa super quadam mula.*

(Datum, *ut in alia.*)

Innotuit nobis, conquerentibus dilectis filiis, A. et D. clericis apud Constantinopolim constitutis, quod decanus Sanctæ Sophiæ ac quidam alii Constantinopolitani quamdam mulam et res alias pertinentes ad ipsos contra justitiam detinent et reddere contradicunt, super Blaco et rebus alii injuriantes eisdem. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evccandi, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes... duo, etc.

Datum, *ut in alia.*

LV.

SANCTÆ SOPHIÆ ET SANCTÆ ANASTASIS DECANIS, ET CANTORI DE BLAKERNA.

*Eis committitur causa Arnulfi canonici de Blakerna,*

(Datum, *ut in alia.*)

Conquesti sunt nobis dilecti filii Arnulfus canonicus de Blakerna et alii clerici apud Constantinopolim constituti quod venerabilis frater noster Salimbriensis eis super quibusdam terris, vineis, pratis et rebus aliis damna gravia et injurias inferre non cessat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis causam, et appellatione remota, fine debito terminetis, facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc.

Datum, *ut in alia.*

LVI.

DILECTO FILIO MELDENSI ELECTO.

*Ut impendat benedictionem V. abbatissæ Jotrensi.*

(Laterani, XIII Kal. Maii.)

(23) Dilectæ in Christo filiæ moniales Jotrensis monasterii humili nobis insinuatione monstrarunt quod idem cœnobium propter dilationem benedictionis electæ ipsius tam in spiritualibus quam temporalibus non modica sustinuit detrimenta. Volentes igitur eidem paterna sollicitudine providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus infra quindecim dies postquam fueris consecratus, salvo tempore sententiæ quæ dudum inter bonæ memoriæ prædecessorum tuum et A. quondam abbatissam Jotrensem a nobis lata est et nondum executioni mandata, et omni quod utrique competit parti jure, ipsi electæ munus benedictionis impendere non omittas. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Trecensi episcopo in mandatis dedisse ut extunc, salvis prædictis omnibus, auctoritate nostra eamdem appellatione remota sine dilatione benedicere non postponat.

Datum Laterani, XIII Kal. Maii, anno undecimo.

LVII.

(Datum, *ut in alia.*)

*In eumdem modum Trecensi episcopo usque* non omittat. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si dictus electus mandatum nostrum infra prædictum terminum non impleverit, tu extunc, salvis prædictis omnibus, auctoritate nostra eamdem electam appellatione remota sine dilatione benedicere non postponas.

Datum, *ut in alia.*

LVIII.

DECANO ET CANTORI DE BLACHERNA, ET MAGISTRO P. DE MONTINIACO CANONICO SANCTI PAULI CONSTANTINOP.

*Committitur eis quædam causa Const.*

(Laterani, XVII Kal. Maii.)

Sicut dilectus filius Ernulfus canonicus Sanctæ Mariæ de Cinctura Constantinopoli sua nobis conquestione monstravit, cantor ipsius ecclesiæ ac quidam alii concanonici sui portas ejusdem ecclesiæ et res alias per violentiam rapere præsumpserunt in ejusdem canonici et Ecclesiæ præjudicium ac scandalum plurimorum. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Laterani, XXII Kal. Maii, anno undecimo.

LIX.

CANTORI SANCTÆ MARIÆ DE BLAKERNA ET MAGISTRO SANCTI PAULI ET T. SANCTI GEORGII CONSTANTINOPOLITANIS CANONICIS.

*Super causa consimili.*

(Datum, *ut in alia.*)

Dilecti filii decanus et capitulum ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Cinctura transmissa nobis conquestione monstrarunt quod Brino balistarius et quidam alii Constantinopolitani super quadam domo ecclesiæ supradictæ in eleemosyna tibi concessa et rebus allis graves eis et injuriosi existunt. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, etc., facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes . . . . . duos, etc.

Datum, *ut in alia.*

(33) Vide appendicem hujus libri.

X.

SANCTI ANASTASII, ET SANCTI PAULI DECANIS ET MAGISTRO G. CANONICO SANCTI PAULI CONSTANTINOPOL.

*Committitur eis quædam causa capituli de Blakerna.*

(Datum, *ut in alia.*)

Querelam dilectorum filiorum decani et capituli de Blakerna recepimus continentem quod fratres hospitalis (24) . . . . . de Bolonia et quidam alii Constantinopolitanæ diœcesis super quodam molendino, quadam summa pecuniæ, et rebus aliis injuriantur eisdem. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, et auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit usuris cessantibus, etc., facientes, etc. Testes autem, etc. Quod si non omnes.... duo, etc.

Datum, *ut in alia.*

LXI.

EUDONI PRIORI ET CANONICIS DOMUS ELEEMOSYNARIÆ SANCTI JOANNIS ANDEGAVENSIS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, XVIII Kal. Maii.)

Licet locis religiosis diligentiam teneamur paternam impendere, ea tamen loca debemus habere specialius commendata in quibus hospitalitatis et alia pietatis opera studiosius exercentur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam hospitalem domum Sancti Joannis Andegavensis, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri sub beati petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observatur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem domus in præsenti juste et canonice possidet, etc., *usque* illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata domus sita est cum omnibus pertinentiis suis, capellam Sancti Stephani de domo pauperum, et capellam Sancti Jacobi de Theson cum ponte et omnibus pertinentis suis, exclusam Andegavensem cum malendinis, piscuratis et omnibus pertinentiis suis, nemus de Deserta cum pertinentiis suis, domos vestras quæ sunt supra pontem Andegavensem et de utraque folia cum augmentatione nundinarum, et medictatem dicti pontis Andegavensis cum pertinentiis suis, justitiam et tenimenta quæ habetis in feudo regis et aliis dominicis feudis. Tenimenta quæ habetis in Verreriis, in Cherneia, in feudo de Sance, in Pyreio, in Jun- A cheriis, Jurleta, Morino, Corrourio, Telleia, in feudis de Fougere, de Rameforti, et Oliverii Andefrei, et Agnetis de Chastellione. Redditus quos habetis in Chantoceio, Segraio, Salmurio, Castronovo, et ea quæ habetis in Agrifame, in feudo Falconiorum, et in Loicaneria. Villam quæ dicitur Fontanas Borrel, cum omnibus pertinentiis suis. Curaturam molendini vestri de fontibus per terram Boccardi de Marolio. Massuram integram de Cuelcio cum hominibus et aliis pertinentis suis. Redditum triginta solidorum apud Syrenas. Villam de Rochetis, cum hominibus et aliis pertinentis suis. Tenimenta quæ habetis in feudis de Foldonio et de Brein. Calefagium vestrum de Valcia, et pasnagia de Mounes, et ea quæ habetis in Avalo et in Floreio. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Constituimus etiam ut episcopus vel officiales ipsius a præscripta domo nil requirat præter ea quæ de jure sibi episcopali debentur, nec ministri aut fratres ipsius absque manifesta et rationabili causa excommunicationi vel suspensioni ab aliquo supponantur. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam domum tenere perturbare aut ejus possessiones auferre, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc. Cunctis autem eidem loco sur jura servantibus, etc., *usque in finem* Amen.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, XVIII Kal. Maii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1206, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno undecimo.

LXII.

EPISCOPO ATREBATENSI.

*Eum instruit quomodo se gerere debeat erga usurarios et presbyterum in hæresim relapsum.*

(Laterani, XIII Kal. Maii.)

Cum juxta canonicas sanctiones ubi multorum D strages est, severitati eit aliquid subtrahendum, in usurarios, qui tantum in civitate ac diœcesi tua excrevisse dicuntur quod si censura in Lateranensi concilio prodita contra tales proferretur in omnes, omnino claudi ecclesias præ multitudine oporteret, cum ea poteris cautela procedere ut universos insimul non insolvas, sed tuum incipias ab aliquibus officium exercere, illius instructus exemplo contra quem cum accipientes denarium murmurent, non omnibus sed uni eorum dixisse refertur : *Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario convenisti mecum* ? etc. (*Matth.* XX.) Presbyterum vero in

(24) Hic locus vacuus relictus est in originali.

custodia sibi facias deputata manere qui quondam, ut asseris, de canonico regulari monachus Cisterciensis effectus, ac deinde ad ordinem nigrum rediens, et demum ad sæcularia devolutus, propter hæresim quam publice prædicabat a tua fuit prædecessore per septem annos in custodia carcerali detentus, a qua tandem te sibi compatiente retractus, retrusus est postmodum in eamdem, quoniam sicut prius hæreses seminabat.

Datum Laterani, XIII Kal. Maii, anno undecimo.

## LXIII.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI CALIXTI CISONIENSIS.

*Ut eis liceat decimas et terras pignori obligare.*

(Laterani, XII Kal. Maii.)

Cum, sicut asseritis, quidam laici quasdam habeant monasterii vestri decimas et terras in feudum, præsentium vobis auctoritate concedimus ut ipsas terras et decimas liceat vobis in pignus accipere ac in sortem quod de fructibus percipietis earum minime computare, dummodo super obsequio quod ratione feudi tenentur impendere non graventur.

Datum Laterani, XII Kal. Maii, anno undecimo.

## LXIV.

R. TROSELLI CANONICO SANCTI URSINI BITURICENSIS.

*Dispensatur secum ut beneficium teneat, quamvis fuerit judex duelli.*

Solet annuere, etc. Licet autem a majori et saniori parte capituli Sancti Ursini Bituricensis electus fueris in priorem, quia tamen dilectus filius cantor Bituricensis Ecclesiæ, qui electus fuerat a quibusdam, in judicio tibi objiciens quod unus de judicantibus quoddam duellam existiteras de quo sanguinis effusio fuerat subsecuta, id per duos testes sufficienter probavit, non tam propter culpæ tuæ vitium quam ut deinceps ab aliis evitetur perniciosum exemplum, quod electionem hujusmodi de te factum fuisse dignoscitur de fratrum nostrorum consilio duximus irritandum. Verum quoniam hujusmodi duellorum judicia juxta pravum quarumdam consuetudinem regionem non solum a laicis seu clericis in minoribus ordinibus constitutis, sed etiam a majoribus ecclesiarum prælatis consueverunt, prout multorum assertione didicimus, exerceri, attendentes quod prædictum duelli judicium non in accusationis forma sed in modum tantum tibi fuit exceptionis objectum tuis supplicationibus inclinati auctoritate præsentium tibi duximus indulgendum ut hoc penitus non obstante ad quamlibet eligi valeas dignitatem, dummodo aliud canonicum non obsistat, maxime cum ex illo duello non sit mutilatio vel occisio subsecuta.

Datum.

## LXV.

PHILIPPO ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Ut domum ædificare posit Parisius pro suorum officialium servitio.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ex litteris regiæ serenitatis accepimus quod volens tuis servientibus, qui in regio servitio senuerunt, misericorditer providere, domum quamdam Parisius de bonis tuis et servientum ipsorum ædificare disponis, in qua ipsis vitæ necessaria ministrentur, nobis humiliter supplicans et devote ut ipsam in jus et proprietatem beati Petri recipere dignaremur, eamdem ab episcopali jure penitus eximendo. Cum igitur magis conveniat ut ipsa domus a sui fundatione sit libera quam post fundationem ab episcopali debito eximatur, venerabili fratri nostro episcopo et dilecto filio archidiacono Noviomensi nostris damus litteris in mandatis ut fundum in quo domum ipsam intendis construere oblatum beato Petro recipiat vice nostra, ut sic in fundo Romanæ Ecclesiæ domus ipsa cum capella et cœmeterio ad opus duntaxat hujusmodi servientum de licentia nostra libera construatur; ita tamen ut nec diœcesani episcopi nec vinarum ecclesiarum per hoc justitia minuatur; quia sic intendimus tibi facere gratiam ut illis injuria minime inferamus.

Datum, *ut in alia.*

## LXVI.

CIVIBUS SORANIS.

*Confirmantur eis rationabiles eorum consuetudines.*

(Laterani.)

Ad ubera sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris vestræ tanquam devoti filii recurrentes, ipsius vos docet dulci late nutriri; ut qui hactenus, novercante fortuna, onus portastis indebitæ servitutis, nunc, opitulante gratia, novamen inveniatis solitæ libertatis. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, rationabiles libertates, bonos usus, et consuetudines approbatas, quas a tempore illustris regis Rogerii usque ad obitum Willelmi, regnum Siciliæ, habuistis, vobis paterna benignitate concedimus et auctoritate apostolica confirmamus, ut illis licenter utamini fidem nobis integram observando. Nulli ergo...hanc paginam nostræ concessionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani.

*In eumdem modum clericis, militibus, et universis hominibus Roccæ Arcis.*

Datum Laterani.

*In eumdem modum universis hominibus de Pesclo solido.*

Datum Laterani.

LXVII.

CONSULIBUS ET UNIVERSIS MILITIBUS ET HOMINIBUS TAM CIVITATIS QUAM BURGI ARELATENSIS, ET NOBILIBUS VIRIS V. DE BAUCIO ET ALIIS DOMINIS BURGI ARELATENSIS.

*Ut consueta servitia impendant Ecclesiæ Arelatensi.*

(Laterani, VI Non. Maii.)

Si quam suave sit jugum et leve onus Ecclesiæ nosceretis, non quæreretis utique vos ab ejus ingenua subjectione subtrahere ac jugo servitutis extraneæ libera colla dare. Accepimus siquidem, venerabili fratre nostro Arelatensi archiepiscopo intimante, quod cum Arelatensi Ecclesiæ singulariter fidelitate ac dominio essetis astricti, occasione juramenti quod nobili viro comiti Provinciæ præstitistis, graviter læsistis eamdem, Salvariam, Vermellariam, B et quædam alia in Arelatensi civitate concedentes eidem in non modicum ejus præjudicium et gravamen, et alias ad certa vos ei servitia obligantes quæ sine factura juris ipsius ecclesiæ, quæ vestra est domina principalis, illi exsolvere non potestis. Cum igitur juramentum non sit ad vinculum iniquitatis inventum, universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus juramento hujusmodi non obstante, quod, in quantum per illud ecclesiastica libertas offenditur, non est, ut illicitum, observandum, quidquid super iis in damnum Arelatensis Ecclesiæ fuerit attentatum inutile reputantes, præfato archiepiscopo et ecclesiæ suæ debita et consueta servitia impendatis, jura quæ in vobis et civitate C vestra obtinet ad alium injuste transferre nullatenus præsumentes.

Datum Laterani, VI Non. Maii, anno undecimo.

LXVIII.

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO.

*Confirmatur ei privilegium de non solvendis procurationibus legatorum.*

(Data eadem.)

Licet per apostolicum privilegium sit indultum ut nulli prorsus legato, nisi ei tantum qui de Romani pontificis latere fuerit destinatus, Arelatensis provincia sit subjecta, quia tamen ad eliminandam hæreticam pravitatem et rabiem sedandam hostilem ad partes illas legatos necessario destinavimus, quibus te volumus prudenter assistere ac liberaliter D providere, auctoritate tibi præsentium præcavemus ut per obsequia propter necessitatem hujusmodi prædictis legatis impensa nullum tibi vel ecclesiæ tuæ præjudicium generetur.

Data eadem.

LXIX.

ABBATI SANCTI MICHAELIS CISTERCIENSIS ORDINIS.

*De hospitalis Spiritus in diœcesi Halberstadensi.*

(Laterani, II Kal. Maii.)

In nostra præsentia constitutus dilectus filius nobilis vir comes de Blancoburgo devota nobis insi- A nuatione monstravit quod ferventi voluntate desiderat ut juxta monasterium tuum de bonis suis in honore sancti Spiritus construatur ad opus infirmorum et pauperum hospitale, decem et octo mansos optimæ terræ in Elikestorp, decimam insuper ejusdem loci, quam ibidem a venerabili fratre nostro Halberstadensi episcopo tenere dignoscitur, si fieri potest, cum episcopi ejusdem assensu vel extimatione pro ipsa, centum marchas argenti ad structuram hospitalis ipsius nobis humiliter offerendo postulans nihilominus ut hospitale ipsum non suo sed nostro nomine construi faceremus. Nos igitur ejus pium propositum in Domino commendantes, ad jus et potestatem Romanæ Ecclesiæ ac utilitatem sancti Spiritus in Saxia (25), cui duæ marcæ B puri argenti nomine census, quem comes constituit memoratus, annis singulis persolventur, recepimus donum ejus. Ut autem comitis ejusdem intentio per tuam sollicitudinem debitum consequatur effectum, in hac parte committendas tibi duximus vices nostras, devotioni tuæ præsentium auctoritate mandantes quatenus prædictorum omnium nostro nomine possessionem apprehendere studeas corporalem, et in prædicto loco ad opus tantummodo infirmorum et pauperum construi facias hospitale, Cum autem constructum fuerit et congrue ordinatum, universa nobis per tuas litteras fideliter intimare procures; ut de loco ipso prout expedire viderimus disponentes, eumdem nostris privilegiis muniamus

Datum Laterani, II Kal. Maii, anno undecimo.

LXX.

ARCHIEPISCOPO TURONENSI.

*Committitur ei accusatio adulterii.*

(Laterani, VI Kal. Maii.)

(26) Intelleximus tam per litteras venerabilis fratris nostri Pictavensis episcopi quam per ea quæ coram dilecto filio Andrea subdiacono et capellano nostro, super hoc auditore concesso, proposita pro partibus exstiterunt quod cum S. laicus Elizabeth uxorem suam a maritali consortio sine causa rationabili depulisset, idem episcopus diœcesanus eorum audiens mulierem eamdem cum quodam adultero fornicari, eam et illum vinculo excommunicationis astrinxit. Quæ tandem eum qui dicebatur ejus adulter abjurans, absolutione recepta coram episcopo memorato, prædictum virum sibi restitui postulavit At ille hujusmodi ei objiciens adulterium, de quo prolem genuisse dicebat eamdem, et quod ab ipso non expulsa sed spontanea recesset, restitutionem sui proposuit ei esse minime faciendam, quod mulier memorata prorsus inficians, replicabat in ipsum quod fuerat fornicatus, et de fornicatione sobolem procrearat, propter quod tali exceptione uti non poterat contra ipsam. Cum autem utrique parti probandi hæc facultate concessa, præfata mulier per quosdam testes ejusdem viri adulterium probavisset, quos vir ipse dicebat tanquam minus idoneos

(25) Vide lib. x, epist. 179.

(26) Cap. *Intelleximus*, De adulter.

reprobandos, tandem ab eo fuit ad nostram audien- A tiam appellatum. Quocirca fraternitatis tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus nisi constiterit vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod taliter adulterata fuisset, adulterii etiam quod vir dicitur commisisse probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem. Quod si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit, nisi testes, per quos viri adulterium est probatum fuerint legitime reprobati, cum matrimonii jus in utroque consistat, et paria delicta mutua compensatione tollantur, nihilominus eum cogas ut eam recipiat et maritali affectione perractet. Alioquin, mulieri prædictæ silentium imponere non postponas.

Datum Laterani, VI Kal. Maii, anno undecimo.

LXXI.

CANONICIS ALTARIS BEATORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI SENONENSIS.

*Confirmatur collatio eis facta cujusdam Ecclesiæ.*

(Laterani, VI Non. Maii.)

Annuere consuevit, etc., *usque* impertiri. Cum igitur ad divini cultus augmentum bonæ memoriæ G. [Guillelmus] archiepiscopus Senonensis redditus certos altaris cujus estis obsequio deputati ad sustentationem ministrorum ejusdem in quibusdam ecclesiis assignarit, et capitulum Senonense sibi concesserit ut in partitionibus ipsis participarent de cætero quemadmodum canonici servientes altari beati Stephani facere dignoscuntur, et idem archiepiscopus in recompensatione partitionum illarum ecclesiam de Bosco regis dicto capitulo donarit perpetuo possidendam, nos vestris justis precibus inclinati prædictos redditus et partem quam habetis in partitionibus memoratis, sicut ea omnia juste ac pacifice possidetis, et in ejusdem archiepiscopi litteris plenius continetur, vobis et per vos altari prædicto auctoritate apostolica concedimus et præsentis scripti patronicio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, VI Non. Maii, anno undecimo.

LXXII.

CANTORI ET CAPITULO BEATÆ MARIÆ MEDUNTENSIS.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Datum *ut in alia.*)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* assensum, ecclesiam vestram et personas inibi Domino servientes, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ in præsenti rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, auctoritate apostolica inhibentes ne diœcesanus episcopus, archidiaconus vel alius a vobis procurationem indebitam et insolitam extorquere præsumat, nec in aliquem vestrum sine manifesta et rationabili causa excommunicationis vel suspensionis sententiam promulgare. Nulli ergo... nostræ protectionis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

LXXIII.

CONVENTUI CORBEIENSIS MONASTERII.

*Ratificantur quæ facta sunt per legatos S. A.*

(Laterani, V Non. Maii.)

(27) Cum venerabilis frater noster episcopus Ostiensis et dilectus filius Leo tituli Sanctæ Crucis presbyter cardinalis olim in partibus Alemanniæ legationis officio fungerentur, invenerunt dilectum filium abbatem de monasterio Herwodeldensi, quod ad Romanam Ecclesiam nullo mediante noscitur pertinere, ad monasterium Corbeiense, quod etiam est Romanæ Ecclesiæ speciale, propria temeritate migrasse, licentia illud deserendi vel confirmatione B a nobis vel ab ipsis etiam, qui vices nostras in illis partibus tunc gerebant, nec habita nec petita. Cumque Northusium advenisset regalia recepturus, iidem (28) existentes ibidem, ut contemptus ejus manifestior appareret, ad eos accedere non curavit, se mandatorum ipsorum exhibens modis omnibus contemptorem. Propter quod dicti legati venerabili fratri nostro Padeburnensi episcopo dederunt firmiter in mandatis ut eumdem ad suam præsentiam evocaret, et prædictis omnibus diligentius expositis coram eo, ipsum ob omni officio et beneficio suspendere non differret donec nostro vel illorum se conspectui præsentaret, de comtemptu veniam petiturus. Cæterum cum suum nuntium ad eorundem præsentiam destinaret (29), se super prædictis omnibus per eumdem excusans C illius terræ allegavit consuetudinem generalem, asserens quod pro electionis confirmatione vel obtinenda etiam benedictione vel licentia de uno ad aliud monasterium transeundi summus pontifex vel ejus legati non erant aliquatenus requirendi, cum in illis partibus consuetudo talis hactenus sit servata. Iidem vero legati, precibus multorum inducti tam ecclesiasticorum quam sæcularium principum, qui eosdem pro ipse instantissime rogaverunt, prædictam sententiam relaxerant, præfato episcopo Padeburnensi mandantes ut memorato abbati injungere non differret ut usque ad Dominicam qua cantatur: *Lætare Jerusalem*, proximo præteritam nuntios ad sedem apostolicam destinaret, mandatum nostrum tam super hoc quam aliis D eisdem mediantibus nuntiis recepturus; quod si facere forte negligeret, extunc ipsum in pristinam sententiam reducere non differret, et eam faceret firmiter observari. Postmodum autem cum suos ad sedem apostolicam nuntios destinasset, iidem volentes cum multipliciter excusare, ad defensionem ipsius prædictam consuetudinem allegarunt. Cum igitur hæc non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda, quæ profecto sacris est canonibus inimica, ipsam de cætero servari nolentes, eisdem legatis dedimus in mandatis ut a prædictis

(27) Cap. *Cum venerabilis*, De consuetudine.

(28) Legendum, *iisdem existentibus*. Verum mendum exstat in regesto et in authentico Corbeiensi.

(29) In authentico, *direxisset*.

nuntiis, Her. videlicet præposito et C. canonico ecclesiæ novæ qui plenam tam abbatis quam Corbeiensis conventus procurationem habebant, sicut nobis constitit per publicum instrumentum, vice nostra obedientiam reciperent manualem, facta renuntiatione consuetudinis antedictæ. Qui tam in consuetudinis ipsius renuntiatione quam in obedientia exhibenda nostrum adimplentes mandatum, litteras super hoc suis signatas sigillis apud nos dimittere procurarunt. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus quod factum est per nuntios antedictos ratum habentes, de cætero hujusmodi pravam consuetudinem nullatenus observetis.

Datum Laterani, v Nonas Maii, anno undecimo.

## LXXIV.

ABBATI ET CONVENTUI CORBEIENSI.

*Conceduntur eis quædam privilegia.*

(Laterani, II Kal. Maii.

Quanto Corbeiensem Ecclesiam nobis et Ecclesiæ Romanæ devotiorem sumus experti, tanto rationabiles petitiones pertinentes ad ipsam inducimur specialius exaudire. Cum ergo monasterium vestrum ab omni jurisdictione cujuslibet episcopi præterquam somni pontificis sit exemptum, præsentiam vobis auctoritate concedimus ut ordines monachorum vestrorum et consecrationes altarium seu basilicarum quæ, fuerint infra ejusdem monasterii ambitum constituta, necnon chrisma et oleum sanctum, ac cætera Ecclesia sacramenta recipere vobis liceat a quocunque catholico episcopo malueritis gratiam apostolicæ sedis habente. Nulli ergo... nostræ concessionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, II Kal. Maii, anno undecimo.

## LXXV.

CORBEIENSI ABBATI

*De eadem re.*

(Datum, *ut in alia.*)

Quanto Corbeiensem Ecclesiam.etc., *ut in alia, usque* exaudire. Quapropter devotioni tuæ præsentium auctoritate concedimus ut officiales monasterii tui, qui fratrum præbendam contra justitiam detinuerint, canonica tibi liceat districtione compellere ad justitiam, sicut debent, super hoc sub tuo examine faciendam, districtius inhibentes ne prædicti officiales per laicalis sententiæ injustitiam in usus suos stipendia monachis deputata convertere quavis temeritate præsumant. Nulli ergo... nostræ concessionis et inhibitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

## LXXVI.

PATRIARCHIÆ CONSTANTINOPOLITANO.

*Redarguitur de multis excessibus.*

(Laterani, VII Kal. Maii.)

Contra pessimam pestem adversus universalem Ecclesiam Constantinopoli nuper exotam tanto severius nos oportet apostolicam exercere censuram quanto perniciosius inveterata corrumperet et altius cresceret radicata. Non igitur in tui derogationem honoris, quem, quantum cum Deo possumus, illæsum cupimus conservare, sed in destructionem pestis ipsius, quam diligenti studio intendimus abolere, ad ea quæ subscripta sunt nos cum debita noveris processisse cautela (30). Sane cum olim tua nobis fuisset electio præsentata, nos sollicite attendentes quod ab iis attentata fuerat qui jus non habuerant eligendi, utpote quia nulli tunc temporis in canonicos Sanctæ Sophiæ canonice fuerant instituti, eam de consilio fratrum nostrorum in publico consistorio publice duximus irritandam, imo verius irritam denuntiavimus exstitisse. Postmodum vero de gremio sedis apostolicæ Constantinopolitanæ volentes Ecclesiæ providere. cum subdiaconus noster esses, nec peccasses in electione priori, tanquam qui fueras inscius et absens electus, si tamen talis nominatio electio possit dici, te ad eamdem ecclesiam eligentes, cujus provisio tunc ad nos tantummodo pertinebat, in diaconum primo, ac postmodum in presbyterum ordinare curavimus, et tandem ministerio nostro in episcopum consecratum honore pallii decorare. Licet autem sic ordinatus, consecratus, et palliatus a nobis Constantinopolim accessisses super toto processu negotii nostras litteras tecum ferens, per quas mandabatur universo clero apud Constantinopolim constituto ut exhiberent tibi obedientiam tam debitam quam devotam, clerici tamen de parte peregrinorum id facere recusarunt, firmiter asserentes quod a nobis hæc omnia per suppressionem extorseras veritatis. Cumque tam per te quam per dilectum filium nostrum Petrum tituli Sancti Marcelli presbyterum cardinalem, tunc apostolicæ sedis legatum, ipsos ad exhibendum tibi obedientiam monuisses, ipsi, ne ad id aliquatenus cogerentur, ad sedem apostolicam appellarunt; quorum appellationi etsi prædictus detulerit cardinalis, non tam propter formam canonicam quam qui primo interponebatur in Ecclesia Constantinopolitana, quæ nuper fuerat ad devotionem Ecclesiæ Romanæ reversa, tu tamen eidem non deferens, in clericos ipsos, ut asserunt, excommunicationis sententiam protulisti, et cum legatus communicaret eisdem, velut post appellationem cui ipse detulerat non legatis, tu eos arctius evitabas. Cæterum cum dilectus filius noster Benedictus tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus, Constantinopolim advenisset ut pacem inter vos, ad quam evangelizandam missus fuerat, reformaret, pro concordia interposuit partes suas, et sic apud partes efficaciter laboravit quod in eum fuit ab eis pariter compromissum, et sub causæ periculo promittente, illis autem juramento firmantibus quod quidquid inter vos per concordiam, arbitrium vel judicium ordinaret, inviola-

(30) Vide Gesta Innoc. III, cap. 96 et 98.

biliter servaretis. Volens igitur cardinalis more boni judicis lites minuere, non augere, tibi præhabita deliberatione præcepit ut clericos ipsos in ecclesiis in quibus erant, pro institutis haberes; et ipsis injunxit ut tibi tanquam patriarchæ suo reverentiam et obedientiam debitam exhiberent, ordinatione Sanctæ Sophiæ, super qua in eum similiter fuerat compromissum, sicut clerici asserebant, ad tempus ex necessaria causa dilata, super qua tamen hoc tunc tibi sub periculo causæ mandavit, ut quod ipse postmodum statueret super ea, humiliter reciperes et servares. Et licet iidem clerici, tanquam obedientiæ filii, mandatum cardinalis sine dilatione qualibet fuerint exsecuti, tu tamen tuæ promissionis oblitus, cum legatus quosdam instituisset canonicos in ecclesia Sanctæ Sophiæ, tibique districtius præcepisset ut tam eos quam illos quos prædictus cardinalis Sancti Marcelli instituerat in eadem sine contradictione reciperes et præbendas pacifice faceres possidere, id efficere noluisti, propter quod ipsi tibi, qui per inobedientiæ vitium causæ tuæ incurreras detrimentum, obedientiam subtrahentes, ad sedem apostolicam appellarunt, festum Nativitatis Dominicæ proximo præteritum appellationi suæ terminum præfigentes, ad quem tu etiam postmodum appellasti. Procuratoribus igitur utriusque partis in nostra præsentia constitutis, et in publico consistorio audientia eisdem indulta, ex parte clericorum ipsorum fuit propositum coram nobis quod post appellationem ipsorum et ecclesiam Sanctæ Sophiæ thesauro usque ad summam centum millium marcharum et eorum ecclesias bonis pluribus spoliatas; quæ universa restitui cum instantia postulabant. Præterea cum prædictus cardinalis Sanctæ Susannæ de communibus proventibus debuerit procurari, et in procurationes ipsius per manum imperatoris, qui vobis communiter tenebatur, mille et ducenta hyperpera fuerint erogata, de quibus ad te trecenta ratione quartæ spectabant, tu ab imperatore et ab aliis recepisti non solummodo integre partem tuam, sed de parte ipsorum alia trecenta hyperpera extorsisti; sicque a procuratoribus tuis sexcenta hyperpera repetebant. Addebant etiam quod non tantum super ordinatione Sanctæ Sophiæ inobediens fueras prædictis cardinalibus et legatis, imo verius nobis ipsis, in tantum quod ne obedias aut valeas obedire juramento te in perpetuum obligaras (31). Sane ante occupationem regiæ civitatis Veneti cum Francis et ecclesiarum spolia et possessiones ecclesiasticas dividere conjurarunt, jurantes hoc etiam quod si Franci haberent imperium, patriarchatum Veneti obtinerent, et si patriarchatus forsan deveniret ad Francos, imperium in partem cederet Venetorum. Unde Veneti ad servandæ hujus iniquitatis vinculum inposterum sibi providere volentes et hæreditate sanctuarium Domini possidere, a te, cum a præsentia nostra recederes, exegerunt et re-

A ceperunt hujusmodi juramentum, ne videlicet in canonicum Sanctæ Sophiæ quemquam admitteres qui non esset Venetus natione vel apud Venetias per decennium commoratus (32), omnesque canonicos in receptione sua jurare compelleres quod in canonicum nullum reciperent qui non præstaret simile juramentum et quod non eligerent nisi de Venetis patriarcham. Hoc quoque te bona fide promisisse dicebant, quod studium et operam diligentem impenderes et quantum in te foret efficaciter laborares, ut in tota Romania nec episcopus nec archiepiscopus nisi Venetus crearetur. Licet autem id in partibus Constantinopolitanis sit notum et Venetiis notissimum, ut dicebant, et apud nos jampridem fama vulgatum infami, denuntiando tamen

B hoc se dixerunt congruo tempore probaturos. Quantum autem in hoc peccaveris, si est ita, si diligenter attenderis, evidenter advertes. Cum enim tanquam sponsus de thalamo matris egrediens ad prædignissimæ filiæ suæ festinares amplexus, non debueras sterilitatis ei procurare venena, sed fecunditatis potius quærere medicinam. Sane ut pater multarum gentium fieres, a patre patrum tam viva voce quam litteris datum tibi fuerat in mandatis ut de omni populo et natione sponsæ tuæ filios suscitares, nec acquiesceres tantum carni et sanguini sed id faceres quod ejus tibi vicarius revelarat cui de omni gente qui facit justitiam est acceptus. Hoc fuerat quasi primum mandatum illius qui te creaverat patriarcham; et quia in hoc quasi primo tuam voluit obedientiam experiri, præcipue fuerat obser-

C vandum. Tu vero non solummodo non servasti mandatum, sed, si dictis veritas suffragatur, ut illud servare de cætero non valeres, juramentum ad iniquitatis vinculum præstitisti. Ecce quales fructus ex nova planta colligimus. Ecce quod exemplum ex facto tuo in divinæ majestatis offensam, injuriam apostolicæ sedis, ecclesiasticæ libertatis dispendium, et opprobrium Ecclesiæ generalis ad reges et populos derivatur. Conjurent ergo Romani, si hoc sub dissimulatione transimus, ne quis ad summi pontificatus officium vel consortium cardinalium, nisi Romanus fuerit, assumatur, nosque polliceri compellant ut per totum orbem nonnisi Romanos patriarchas, metropolitanos et episcopos statuamus. Verum dices forsitan te ad id violenter attractum.

D Sed non fuit tanta violentia quod cadere debuerit in constantem. Et quidem in tali casu potius erat mortem incurrere quam tanto malo tantum virum in totius Ecclesiæ scandalum consentire, potius animam ponere quam alligare fasciculos totam Ecclesiam deprimentes. Cæterum a procuratoribus tuis fuit propositum ex adverso quod mandatum præfati legati super ordinatione Sanctæ Sophiæ non potueras aut debueras exsecutioni mandare, cum super hoc canonici ejusdem ecclesiæ ad sedem apostolicam appellassent, nec id posset sine multo Veneto-

(31) Vide Gesta Innoc. III, cap. 92 et 97.

(32) Ibid., c. 99.

rum scandalo adimpleri. Præterea cum mandatum eidem legato fuisset ut si ecclesiam supradictam ordinare negligeres vel differres, ipse procederet ad ordinationem ipsius, et tu jam in ea juxta proprias facultates competentem canonicorum numerum statuisses, auctoritate mandati nostri nullos instituere potuerat in eadem. Super thesauro autem Sanctæ Sophiæ dicebant quod pro communi tam Ecclesiæ quam terræ necessitate manum extenderas ad eumdem; de quo tria millia marcharum imperatori, duo millia Venetis concesseras mutuo, et de quatuor millibus possessiones ad usus ecclesiæ comparatas, idem facturus de reliquo cum obtulerit se facultas. Et licet procuratores ipsi quod de juramento præpositum fuerat penitus denegarent, nos tamen audivimus a quibusdam quod cum Veneti te ad præstandum illud vehementer arctarent, et negato tibi passagio, civitatis etiam prohiberent egressum, nec vitare posses instantiam creditorum, quibus juramento præstito tenebaris, nonnisi cum adjectione hujus clausulæ juravisti, *salvo in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia et honore,* quod Veneti tamen in instrumento super hoc confecto non permiserunt apponi. Quia ergo, sicut nobis a Domino dicitur per prophetam, solvere debemus colligationes impietatis, solvere fasciculos deprimentes, omnes pactiones, constitutiones et conjurationes de rebus ecclesiasticis in ecclesiarum dispendium a prædictis laicis attentatas vel imposterum attentandas omnino cassamus, et sub interminatione anathematis præcipimus non servari. Ad hæc præsentium tibi auctoritate mandamus et in virtute obedientiæ districte præcipimus quatenus si spontaneus recognoveris te juramentum hujusmodi præstitisse, infra duos menses post susceptionem præsentium tam clero Constantinopolitano quam archiepiscois et episcopis, quos præsentes habere poteris, convocatis, publice juramentum illud abjures, et quod ipsum non serves imposterum præstes similiter publice juramentum, cannonicos Sanctæ Sophiæ ad abjurandum hujusmodi juramentum quod fecisse dicuntur, et jurandum quod illud de cætero non observent, per suspensionem officii et beneficii appellatione remota compellens, canonicos quoque in ecclesia Sanctæ Sophiæ a prædictis cardinalibus canonice institutos usque ad eumdem terminum recipias in eadem, et canonias suas facias pacifice possidere, clericos et laicos resistentes tam nostra quam tua fretus auctoritate per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si forsan in aliquo prædictorum, quod tamen non credimus, negligens fueris vel remissus, extunc ab officio et beneficio noveris te suspensum, nosque venerabilibus fratribus nostris Vericensi archiepiscopo et episcopo Panidensi et dilecto filio cantori Sancti Pauli Constantinopolitani districtius mandavisse ut suspensionem tuam non differant publicare, ac in cæteris mandatum apostolicum exsequantur. Cæterum si negaveris te præstitisse hujusmodi juramentum, quia quod de ipso propositum est non possumus sub dissimulatione transire, legato quem Constantinopolim in proximo destinare proponimus dabimus in mandatis ut utriusque partis rationes et probationes audiat diligenter, et causam plene instructam ad nos remittere non postponat, quod si clerici memorati in probatione defecerint, et tu nihil volueris confiteri, quia super hoc non modicum infamaris, canonicam tibi purgationem indicat, et sive in purgatione defeceris, sive potueris te purgare, hæc nobis per litteras suas fideliter exponere non omittat; ut super omnibus post ejus relationem instructi, prout procedendum fuerit procedamus. Super sexcentis autem hyperperis venerabili fratri nostro episcopo Salimbriensi et dilecto filio electo Heracliensi et cantori Sanctæ Sophiæ causam committimus sub hac forma, ut te ad refundenda hyperpera quæ vel de procuratione cardinalium te subtraxisse vel de parte clericorum occupasse constiterit, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento justitia mediante compellant. Cæterum licet ex eo quod sub periculo causæ tuæ cum clericis ipsis compromiseras in legatum, et mandatum ejus postmodum non servasti, per tuam inobedientiam eorum tibi videaris obedientiam subtraxisse, cum super obedientia quæstio verteretur, volentes tamen tibi gratiam exhibere, clericis ipsis injunximus ut usque ad prædictum terminum obedientiam tibi exhibeant debitam et devotam, eam tibi, si obedientiæ filius fueris, extunc etiam impensuri, et subtracturi eamdem, si forsan inobediens fueris et rebellis, utpote ab officio et beneficio apostolicæ sedis auctoritate suspenso. Ab impetitione vero clericorum Sanctæ Anastasis super columnis marmoreis quas de ipsorum ecclesia ad ecclesiam Sanctæ Sophiæ transtulisse diceris ad ornatum altaris, te reddimus absolutum. Super eo vero, quod ecclesiam Sanctæ Sophiæ multis millibus marcharum diceris spoliasse, si res ita se habet, taliter per teipsum corrigas quod fecisti quod juxta de te non remaneat materia conquerendi, provisurus attentius ne de cætero manus ad hujusmodi thesaurum extendas, nisi forte tanta tibi necessitas immineret ut deficientibus necessariis aliunde, aliquid inde, moderate tamen, te accipere oporteret; quia quam detestabile ac damnabile in prælatis ecclesiarum crimen dilapidationis existat, tuam non credimus prudentiam ignorare.

Datum Laterani, VIII Cal. Maii, anno undecimo.

## LXXVII.

EPISCOPO VERICENSI ET EPISCOPO PANIDENSI, ET CANTORI SANCTI PAULI CONSTANTINOPOLITANI.

*De eodem argumento.*

(Datum, *ut in alia.*

Procuratoribus venerabilis fratris nostri patriarchæ Constantinopolitani et dilectorum filiorum clericorum de parte peregrinorum Constantinopoli commorantium in nostra præsentiæ constitutis, et in publico consistorio audientia eisdem indulta, ex

parte clericorum ipsorum fuit propositum coram A nobis quod ante occupationem regiæ civitatis Veneti cum Francis ecclesiarum spolia et possessiones ecclesiasticas dividere conjurarunt, jurantes hoc etiam quod si Franci haberent imperium, patriarchatum Veneti obtinerent, et si patriarchatus forsan deveniret ad Francos, imperium in partem cederet Venetorum. Unde Veneti ad servandum hujus iniquitatis vinculum imposterum sibi providere volentes et hæreditate sanctuarium Domini possidere, a patriarcha, cum a præsentia nostra recederet exegerunt et receperunt hujusmodi juramentum, ne videlicet in canonicum Sanctæ Sophiæ quemquam admitteret qui non esset Venetus natione vel apud Venetias per decennium commoratus, omnesque canonicos in receptione sua jurare compelle- B ret quod in canonicum nullum reciperent qui non præstaret simile juramentum, et quod non eligerent nisi de Venetis patriarcham. Hoc quoque ipsum bona fide promisisse dicebant, quod studium et operam diligentem impenderet et quantum in se foret efficaciter laboraret ut in tota Romania nec episcopus nec archiepiscopus nisi Venetus crearetur. Licet autem id in partibus Constantinopolitanis sit notum et Venetiis notissimum, ut dicebant, et apud nos jampridem fama vulgatum infami, denuntiando tamen hoc se dixerunt congruo tempore probaturos. Præterea cum dilectus filius noster Benedictus tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus, Constantinopolim advenisset ut pacem inter ipsos, ad quam evangelizandam missus fuerat, reformaret, pro C concordia interposuit partes suas, et sic apud partes efficaciter laboravit, quod in eum fuit ab eis pariter compromissum, dicto patriarcha sub causæ periculo promittente, illis autem juramento firmantibus quod quidquid inter ipsos per concordiam, arbitrium vel judicium ordinaret, inviolabiliter observarent. Volens igitur cardinalis more boni judicis lites minuere, non augere, ipsi patriarchæ præhabita deliberatione præcepit ut clericos ipsos in ecclesiis in quibus erant pro institutis haberet, et ipsis injunxit ut ei tanquam patriarchæ suo reverentiam et obedientiam debitam exhiberent, ordinatione Sanctæ Sophiæ, super qua, sicut clerici asserebant, in eum similiter fuerat compromissum, ad tempus ex necessaria causa dilata, super qua D tamen hoc tunc patriarchæ sub periculo causæ mandavit, ut quod ipse postmodum statueret super ea humiliter reciperet et servaret. Et licet iidem clerici, tanquam obedientiæ filii, mandatum cardinalis sine dilatione qualibet fuerint exsecuti, patiarcha tamen suæ promissionis oblitus. cum legatus quosdam instituisset canonicos in ecclesia Sanctæ Sophiæ, eique districtius præcepisset ut tam eos quam illos quos dilectus filius noster Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, instituerat in eadem, sine contradictione reciperet et præbendas pacifice faceret possidere, id efficere non curavit, propter quod ei, qui per inobedientiæ vitium causæ suæ incurrerat detrimentum, obedientiam subtrahentes, ad sedem apostolicam appellarunt, festum Nativitatis Dominicæ proximo præteritum appellationi suæ terminum præfigentes; ad quem patriarcha etiam postmodum appellavit. Cæterum a procuratoribus patriarchæ fuit propositum ex adverso quod mandatum præfati legati super ordinatione Sanctæ Sophiæ non potuerat aut debuerat exsecutioni mandari, cum super hoc canonici ejusdem ecclesiæ ad sedem apostolicam appellassent, nec id posset sine multo Venetorum scandalo adimpleri. Præterea cum mandatum eidem legato fuisset ut si patriarcha ecclesiam supradictam ordinare negligeret vel differret, ipse procederet ad ordinationem ipsius, et patriarcha jam in ea juxta proprias facultates competentem canonicorum numerum statuisset, auctoritate mandati nostri nullos instituere poterat in eadem. Licet autem procuratores ipsi quod de juramento propositum fuerat penitus denegarent, nos tamen audivimus a quibusdam quod cum Veneti patriarcham ad præstandum illud vehementer arctarent, et negato sibi passagio, civitatis etiam prohiberent egressum, nec vitare posset instantiam creditorum, quibus juramento præstito tenebatur, non nisi cum hujus clausulæ adjectione juravit (33), *salvo in omnibus apostolicæ sedis jure, auctoritate, reverentia et honore*, quod Veneti tamen in instrumento super hoc confecto non permiserunt apponi. Quia ergo, sicut nobis a Domino dicitur per prophetam, solvere debemus colligationes impietatis, solvere fasciculos deprimentes, omnes pactiones, constitutiones, et conjurationes de rebus ecclesiasticis in ecclesiarum dispendum a prædictis laicis attentatas vel inposterum attentandas omnino cassamns, et sub interminatione anathematis præcipimus non servari. Ad hæc eidem patriarchæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus ut si spontaneus recognoverit se juramentum hujusmodi præstitisse, infra duos menses post susceptionem litterarum tam clero Constantinopolitano quam archiepiscopis et episcopis quos præsentes habere poterit convocatis, publice juramentum illud abjuret, et quod ipsum non servet imposterum præstet similiier publice juramentum, canonicos Sanctæ Sophiæ ad abjurandum hujuscemodi juramentum quod fecisse dicuntur, et jurandum quod illud de cætero non observent, per suspensionem officii et beneficii appellatione remota compellens, canonicos quoque in ecclesia Sanctæ Sophiæ a prædictis cardinalibus canonice institutos usque ad eumdem terminum recipiat in eadem et canonias suas faciat pacifice possidere, clericos et laicos resistentes tam nostra quam sua fretus auctoritate per censuram ecclesia-

(33) Vide Gesta Innoc. III, cap. 99, et lib. II, epistt 119, 166.

sticum appellatione postposita compescendo; quod si forsan in aliquo prædictorum, quod tamen non credimus, negligens fuerit vel remissus, extunc ab officio et beneficio noverit se suspensum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eo in exsecutione mandati nostri cessante, suspensionem ipsius publicare ac in cæteris exsequi mandatum apostolicum procuretis, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam coercentes. Quod si non omnes, etc., duo, etc.

Datum, *ut in alia.*

## LXXVIII

EPISCOPO SALIMBRIENSI, ET ELECTO HERACLIENSI, ET CANTORI SANCTÆ SOPHIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ.

*Ut patriarcha compellatur ad refundenda hyperpera.*

(Laterani, xv Kal. Maii.)

Dilectus filius W. præpositus Sanctæ Trinitatis, Drogo cantor Sanctorum Quadraginta, et Arnulfus canonicus Sanctæ Mariæ de Zona, procuratores clericorum de parte peregrinorum apud Constantinopolim commorantium, in nostra proposuerunt præsentia constituti quod cum dilectus filius noster Benedictus tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus, de communibus proventibus debuerit procurari et in procurationes ipsius per manum charissimi in Christo filii nostri illustris Constantinopolitani imperatoris, qui eisdem clericis et venerabili fratri nostro patriarchæ Constantinopolitano communiter tenebatur, mille et ducenta hyperpera fuerint erogata, de quibus ad patriarcham trecenta ratione quartæ spectabant, patriarcha prædictus ab imperatore et ab aliis recepit, non solummodo integre partem suam, sed de parte ipsorum præsumpsit alia trecenta hyperpera extorquere; sicque a procuratoribus suis sexcenta hyperpera dicti clerici repetebant, de quibus omnibus procuratores dicebant se penitus nihil scire. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictum patriarcham ad refundenda hyperpera quæ vel de procuratione cardinalis eum subtraxisse vel de parte clericorum occupasse constiterit per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo mediante justitia compellatis. Quod si non omnes. etc. duo, etc.

Datum Laterani, xv Kal. Maii, anno undecimo.

## LXXIX.

CLERICIS DE PARTE PEREGRINORUM APUD CONSTANTINOPOLIM COMMORANTIBUS.

*De obedientia præstanda patriarchæ.*

(Laterani, VIII Kal. Maii.)

Licet venerabilis frater noster patriarcha Constantinopolitanus, ex eo quod sub periculo causæ in dilectum filium nostrum Benedictum tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem, tunc apostolicæ sedis legatum, compromisit vobiscum et mandatum ejus postmodum non servavit, per suam inobedientiam vestram sibi videatur obedientiam subtraxisse,

A cum super obedientia quæstio verteretur, volentes tamen ei gratiam exhibere, præsentium vobis auctoritate injungimus quod usque ad duos menses, quod utique spatium sibi ad exsequendum mandatum nostrum duximus concedendum, obedientiam eidem exhibeatis debitam et devotam, eam, si obedientiæ filius fuerit, sibi extunc etiam impensuri, et subtracturi eamdem si forsan inobediens fuerit et rebellis, utpote ab officio et beneficio auctoritate sedis apostolicæ suspenso.

Datum Laterani, VIII Kal. Maii, anno undecimo.

## LXXX.

POTESTATI, CONSILIARIIS ET POPULO PISANIS.

*Ut cessent ab omni læsione regni Siciliæ.*

(Laterani, v Id. Maii)

B Nec mater filiorum sui uteri oblivisci, nec pater offensus etiam non diligere filios suos potest. Licet igitur in facto Sardiniæ ac Siciliæ nos graviter offenderitis, quia tamen paterna viscera circa vos exuere non valemus, et dilecti filii comes Tedicus, Hug. Sigerii, Bandinus et Hug. Grotti nuntii vestri, viri utique providi et fideles, in eo quod ad vos pertinet, super facto Sardiniæ nobis satisfacere promiserunt, sicut in confecto exinde instrumento publico continetur, de facto regni Siciliæ nihilominus pollicentes quod nostrum beneplacitum impleatis, devotionem vestram plurimum acceptantes, de nostra gratia reddimus vos securos, et ad gratiæ plenioris indicium, dignitates, immunitates, et libertates quas Pisana Ecclesia temporibus prædecessorum venerabilis fratris nostri Lotharii archiepiscopi vestri C noscitur habuisse duximus innovandas, et ut idem archiepiscopus, qui eis successit in ipsius regimine possit liberius illis uti, privilegia, confirmationes, et indulgentias universas eidem Ecclesiæ seu prædecessoribus dicti archiepiscopi a prædecessoribus nostris vel a nobis ipsis concessas ipsi et eidem Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, dantes in mandatis eidem ut L. concivem vestrum a vinculo excommunicationis absolvat, ita quod uxor et socrus ejus ac terra nihilominus earumdem in ea qua manent sententia perseverent donec ab eis nobis fuerit satisfactum. Monemus igitur universitatem vestram attentius et hortamur quatenus in devotione apostolicæ sedis et nostra taliter persistatis, quod diligendi vos et promptius honorandi ani-
D mum nobis augere possitis, ac interim ab omni prorsus regni Siciliæ læsione cessantes, viros ad nos idoneos destinetis qui super indemnitate ipsius regni congruam nobis cautionem impendant, ita quod nec per commune nec per speciale inposterum offendatur a vobis, et satisfactionem exhibeant super facto Sardiniæ repromissam. Nos enim plenam justitiam exhibemus, si quis vestrum adversus regnum ipsum quidquam habuerit quæstionis.

Datum Laterani, v Idus Maii, anno undecimo.

—

LXXXI.

PISANO ARCHIEPISCOPO.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Datum, *ut in alia*)

Grata civitatis Ecclesiæque Pisanæ servitia jamdudum apostolicæ sedi exhibita meruerunt quod eas privilegiis multis et magnis studuit decorare. Nos ergo, qui devotis eidem sedi beneficia minuere non intendimus, sed augere, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, dignitates, immmunitates, et libertates quas Ecclesia tua temporibus prædecessorum tuorum noscitur habuisse, duximus innovandas, et ut tu, qui eis in ipsius regimine successisti, possis liberius illis uti, privilegia, confirmationes, et indulgentias universas eidem Ecclesiæ seu prædecessoribus tuis a prædecessoribus nostris vel a nobis ipsi concessas tibi ac per se ipsi Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

LXXXII.

PRÆPOSITO, DECANO, CANTORI ET CAPITULO MAJORIS ECCLESIÆ AC UNIVERSO CLERO MAGUMTINO.

*Ut mandata sedis apostolicæ humiliter recipiant.*

(Laterani. Id. Maii.)

Ex litteris vestris accepimus quod et si ad tempus excommunicatis communicandum duxeritis, ad id faciendum non studii vestri voluntas, sed vera et non simulata necessitas vos induxit ; quia tantæ hostilitatis furor in vestris partibus inolevit quod, ut de aliis taceretis, civitatis vestræ muros salvis personis exire nullatenus poteratis, nec nuntios qui apud nos excusationem vestram proponerent destinare. Ac licet super innocentia vestra validas et sufficientes possetis inducere rationes, benignitati tamen nostræ quam diputationi potius innitentes, de mandato venerabilis frastris nostri Hogulini Ostiensis episcopi et dilecti filii Leonis tituli Sanctæ Crucis presbyteri cardinalis sedis apostolicæ legatorum a dilecto filio abbate de Eberboch absolutionis beneficium recepistis; qui juxta mandatum ipsorum sub debito juramenti quod præstiteratis eidem vobis dedit firmiter in mandatis ut duos ex vobis, et tales quibus fidem possemus merito adhibere, infra Dominicam qua cantatur; *Lætare, Jerusalem*, ad sedem apostolicam mitteretis mandatum apostolicum recepturos. Cumque dilectus filius Fredericus scholasticus Sancti Victoris et Cunemannus canonicus ecclesiæ Tancti Stephani nuntii vestri ad nos ex parte vestra cum ipsis litteris acessissent, nobis humiliter supplicarunt ut nobiscum misericorditer agere dignaremur. Nos igitur committentes vos legatis eisdem, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus quatenus mandatum quod ab ipsi legatis vel a nobis per litteras nostras fuerit vobis injunctum recipiatis humiliter et servetis.

Datum Laterani, Idus Maii, anno undecimo.

A

LXXXIII.

DILECTO FILIO JOANNI SANCTÆ MARIÆ IN COSMIDIN DIACONO CARDINALI, S.S.E. CANCELLARIO.

*De quadam walkeria.*

(Datum, etc.)

Cum quandam walkeriam in fundo Sanctæ Mariæ in Cosmidin ad cardinalem ipsius ecclesiæ pertinentem sumptibus tuis construxeris, nobis humiliter supplicasti ut de ipsa walkeria taliter disponere dignaremur, videlicet quod postquam ex ejusdem proventibus debitum Ecclesiæ fuerit persolutum, medietas proventuum provenientium ex eadem ad Ecclesiam devolvatur, de reliqua medietate fiant duæ partes, quarum unam habeat cardinalis qui pro tempore fuerit, et reliquam hospitale per ipsius cardinalis providentiam et consilium dispensandam. B Nos igitur tuis precibus inclinati, sicut præmissum est statuimus et præcipimus inviolabiliter observari. Nulli ergo... nostræ constitutionis et præceptionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, etc.

LXXXIV.

ABBATISSÆ ET CONVENTUI SANCTORUM ANASTASII ET INNOCENTII IN GANDERSEM.

*De confirmatione libertatis ejusdem monasterii*

(Laterani, v Id. Maii.)

(34) Cupientes olim monasterii vestri privilegia renovari, nobis humiliter supplicastis ut personis aliquibus scribere dignaremur, quæ privilegia Ecclesiæ vestræ, quæ propter viarum discrimina tute non poterant ad nostram destinari præsentiam, inspice- C rent diligenter et conscriberent fideliter tenorem ipsorum sub sigillis propriis consignatum nostro conspectui præsentandum. Unde nos vestris supplicationibus inclinati, quatuor episcopis et totidem abbatibus hoc injunximus exsequendum. Qui mandato nostro parentes, felicis recordationis Agapiti et Joannis prædecessorum nostrorum privilegiis præsentatis sibi diligenter inspectis, eorumdem tenorem ad nos sub sigillis suis fideliter transmiserunt. Præterea bonæ memoriæ Guillelmus Remensis archiepiscopus, tunc episcopus Prænestinus, apostolicæ sedis legatus, tenorem privilegiorum ipsorum sub sigillo suo ad nostram præsentiam destinavit. Et siquidem, licet tam legato quam inquisitoribus supradictis in hac parte fides debuerit non immerito adhiberi, nec D tunc aliquid appareret propter quod eadem non deberent privilegia renovari, quia tamen C. majoris Ecclesiæ ac I. Sanctæ Crucis Hildeinensis canonici in nostra constituti præsentia proponebant Hildesemensem Ecclesiam in quasi possessione subjectionis ejusdem monasterii per centum annos et amplius exstitisse, privilegia ipsa tunc non duximus innovanda ; sed ut tam monasterio quam Ecclesiæ memoratæ suam justitiam servaremus, dilectis filiis Pigaviensi, Corbiensi, et de Lapide Sancti Michaelis abbatibus dedimus in mandatis ut ad locum idoneum pariter accedentes, partibus convocatis inquirerent

(34) Vide cap. *Cum dilecta.* De confirm. ut vel inutili.

super præmissis omnibus diligentius veritatem, et usque ad diffinitivam sententiam in eodem negotio procedentes, gesta omnia conscripta fideliter sub suarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam destinarent, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Qui etsi mandatum nostrum exsequi cupientes, partibus in ipsorum præsentia constitutis, festinarent in causa procedere. quia tamen cujusdam occassione interlocutoriæ quam tulerunt, pars Hildesemensis Ecclesiæ vocem ad nos appellationis emisit, prædicta causa processum habere non potuit coram eis. Partibus itaque propter hoc postea comparentibus coram nobis, tu, filia abbatissa, humiliter petivisti ut præfata deberemus privilegia renovare, præsertim cum in præsentia prædictorum judicum Hildesemensis Ecclesia nihil ostenderet vel probaret quod monasterio vel ipsius privilegiis in aliquo derogaret. Ex adverso vero petebatur instanter ut eamdem causam discretis viris committere dignermur, per quos testes reciperentur quos contra privilegia monasterii, ad probandam videlicet præscriptionem legitimam, Hildesemensis Ecclesia producere intendebat. Nos autem diligentius attendentes quod jure civili sit provida deliberatione statutum ut quando periculum testium formidatur, ne veritas occultetur, et probandi copia fortuitis casibus subtrahatur, etiam lite non contestata testes valetudinarii et alii de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ad testimonium admittuntur, ejusdem æquitatis similitudine provocati, prædicta privilegia jam quasi nimia vetustate consumpta, cum fuerint non in pergameno sed papyro conscripta, duximus innovanda, ita quod ex innovatione hujusmodi novum jus minime acquireretur monasterio memorato, sed antiquum jus, si quod habebat, conservaretur tutius per privilegium innovatum. Cæterum quia dictum monasterium ad jus et proprietatem Ecclesiæ Romanæ spectare per prædecessorum nostrorum privilegia monstrabantur, ne jus apostolicæ sedis permaneret forsitan indefensum, te, filia abbatissa, procuratricem ipsius duximus statuendam ; ut cum adversus Ecclesiæ Romanæ possessiones et jura non nisi centenaria currat præscriptio (35), ipsa coram de Hermarhusino et de Hersethusen abbatibus et decano Palburnensi, quibus causam tunc commisimus, procurares super hoc et aliis vice nostra quæ coram ipsis essent in judicio procuranda. Ne vero contingeret de ipsius statu diutius dubitari vel remanere prædictam causam ulterius indecisam, eisdem judicibus dedimus in præceptis ut locum tutum et commodum eligentes infra sex menses post litterarum nostrarum susceptionem testes reciperent quos ad præscriptionem probandam Hildesemensis Ecclesia, vel ad interruptionem etiam ostendendam pars vestra duceret producendos, et si præscriptionem legitimam Hildesemensis Ecclesia comprobaret, nisi probata esset interruptio ex adverso, subjectionem ipsius monasterii adjudicarent eidem, cum constaret ipsum in sua diœcesi constitutum, privilegium quod ipsi monasterio innovari facimus corrumpentes ; alioquin eidem super hoc perpetuum silentium imponentes, monasterium vestrum pronuntiarent perpetua libertate gaudere, nostro sibi privilegio resignato. Eisdem quoque judicibus per alias nostras litteras duximus declarandum quod postquam contra monasterium sæpedictum et libertatem ejus asserebatur præscriptio inchoata, tria schismata adversus Romanam Ecclesiam intervenisse noscuntur. Unde licet tam legali quam canonica sit diffinitione statutum ut contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio speciali, non nisi centum (36) annorum præscriptio locum sibi valeat vindicare, tempora tamen intercedentium schismatum, quæ secundum juris ordinem cursum præscriptionis impediunt, nolebamus aliquatenus computari, sed diligenti consideratione adhibita, de temporum consideratione subduci. Coram quibus judicibus pars Hildesemensis Ecclesiæ authentica privilegia vestri monasterii exhiberi in judicio et eorum copiam sibi fieri postulavit, ut per inspectionem eorum arguerent quod contra ipsa possset rationabiliter allegari. Ad quod tu, filia abbatissa, taliter respondisti, quod hoc supervacuo petebatur, nec super hoc pars adversa debebat audiri. Nam cum tu, abbatissa, intentionem tuam fundasses olim per eadem privilegia coram nobis, pars adversa nihil penitus objiciens contra ea, ad elidendam intentionem tuam præscriptionem solummodo allegavit, ad eamdem probandam postulatis induciis et obtentis. Contra quod pars Hildesemensis Ecclesiæ replicavit quod ad hoc saltem erant merito privilegia exhibenda ut si forsan tu contrariam sententiam reportares, cum innovato a nobis privilegio a te abbatissa judicibus ipsis exhibito, quod juxta mamdatum nostrum in prænominato casu corrumpi debebat, etiam antiqua privilegia scinderentur. Cumque coram ipsis judicibus, qui testibus utriusque partis receptis, et eorum depositionibus solemniter publicatis, de causæ meritis certiores effecti super controversiæ decisione tractabant, tu et pars adversa super privilegiorum exhibitione non desineretis adinvicem litigare, causam ipsam cum attestationibus et allegationibus ad nos remisere sufficienter instructam. Partibus itaque propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, licet coram judicibus supradictis renuntiatum fuerit allegationibus et conclusum, ex abundanti tamen audivimus quæcunque fuerunt ex utraque parte proposita. Et licet super privilegiorum exhibitione ac quibusdam aliis litigatum fuisset aliquandiu coram nobis, quia tamen liquido constitit quod nos dudum eadem

(35) Vide cap. *Cum vobis.* De præscriptionibus.
(36) Vide Novel. 131, Justin. et capp. 13, 14, 15. De præscrip.

privilegia præsentata nobis in judicio diligenter inspicientes et examinantes prudenter, sententialiter approbavimus utraque parte præsente, petitionem magistri Hugonis canonici et procuratoris ejusdem Ecclesiæ decrevimus reprobandam. Investigantibus autem nobis sollicite an præscriptio legitima, scilicet centenaria, probata esset procurator ipse fuit de plano confessus quod aliter probata non erat nisi per testes quosdam qui dixerant testimonium de auditu, adjiciens nihilominus in hoc casu testimonium de auditu merito admittendum, cum vix posset aliquis inveniri qui haberet memoriam temporis tam longævi. Sed et illud deprehendimus manifeste, quod non sufficeret Hildesemensem Ecclesiam præscriptionem centenariam probavisse; quia cum secum juris ordinem et formam mandati nostri debuerint schismatum tempora de computatione subduci, et constet insuper quod in Romana Ecclesia schismata fere per sexaginta quatuor annos diversis vicibus infra centum annorum limitem duraverunt non solummodo de præscriptione centum annorum, sed etiam centum sexaginta quatuor constare debuit ut intelligeretur præscriptio centenaria consummata Nos igitur allegationem prædictam, ut scilicet testimonium de auditu in hoc casu admitti deberet, frivolam reputantes, cum in hujusmodi casu hoc minime permittatur a jure, maxime cum illud inconveniens sequeretur, ui duo potens contradictorie opposita comprobari, quia nobis constitit evidenter monasterium vestrum, sicut præmissum est ad Romanam Ecclesiam pertinere, ac Hildesemensem Ecclesiam centum annorum præscriptionem, quam objicerant, non probasse, de consilio fratrum nostrorum te, filia abbatissa, nomine Romanæ Ecclesiæ, cujus fueras procuratrix, ab impetitione Ecclesiæ Hildesemensis absolvimus, statuentes ut monasterium vestrum ea de cætero gaudeat libertate quæ in innovato a nobis privilegio invenitur expressa. Nulli ergo... nostræ deffinitionis et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Laterani, v Idus Maii, anno nndecimo.

## LXXXV.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS, ABBATIBUS, ET ALIIS PRÆLATIS ECCLESIARUM IN REGNO FRANCIÆ CONSTITUTIS.

*Commendat eis Gualam cardinalem et legatum.*

(Anagnæ, IV Kal. Junii.)

Tetendisse Dominus arcum suum in internecionem populi sui quemadmodum inimicus et quasi hostis dexteram suam firmavisse videtur ut plaga inimici percuteret terram sanctam, cujus contritio magna est sicut mare, nec invenitur qui medeatur eidem. Bibit enim calicem iræ Dei profundum et latum, et amaritudine vehementi repleta, non habet ex omnibus charis suis qui sibi consolationem impendat. Clamat autem ad Dominum, nec exaudit; vociferatur ad eum vim patiens, et non salvat quia destruxit eam et non pepercit, inimicum super ipsa lætificans, et cornu hostium

A suorum exaltans. Quis jam ergo Christi sanguine pretioso Redemptori existere non videatur ingratus si locum suæ redemptionis tanta videns calamitate contritum, toto sibi non competitur affectu ? Cujus, inquam, saxo viscera duriora miseratione tantæ miseriæ non frangantur? Quis in tanta contumelia Cruxifixi tanto zelo debeat non succendi ut ad ejus injuriam repellendam ibi se pretiosæ morti, si oporteat, non evitet exponere ubi dignatus est ille pro ipso crucem ignominiosam subire; quandoquidem loca Christi nativitate sanctificata pollui conspicit spurcitiis paganorum, et ante oculos quasi Jesu pendentis in Cruce blasphemantes perfidos insultare : *Si Filius Dei es, nunc de Cruce descendas, et salva teipsum* (*Matth.* XXVII), quem in tuis iterum B crucifigimus et in tuo, viciniam Dominici diversorii minime reverentes, nec trepidantes ne suis injuriis lacessitus de vicino præsepio infans vagiat, ac de putridis immunditis eorumdem prope sedens puerpera virgo pudescat. Hujus itaque nos doloris immensitate percussi, hujus indignitate prægrandis injuriæ provocati, multifarie multisque modis, diligenter quidem quanquam non efficaciter, hactenus ad liberationem sanctæ Christi hæreditatis intendimus, et quantum nobis Altissimus ministraverit intendere non cessantes, cum ex apostolicæ provisionis officio nobis ad præsens incumbat legatum in regnum Franciæ de nostro latere destinare, inter cætera quæ suo ministerio sunt gerenda, negotium crucis specialiter ei commisimus promovendum. C Cum igitur idem regnum inter alia regna mundi fuerit semper et sit nobis et apostolicæ sedi devotum ac speciali prærogativa dilectum, ut affectum sinceræ dilectionis quem gerimus circa ipsum in persona legati evidentius monstraremus, talem de consilio fratrum nostrorum illuc duximus delegandum quem inter cæteros fratres nostros speciali charitate diligimus et familiari benevolentia suis exigentibus meritis amplexamur, dilectum videlicet filium nostrum Gualam Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, virum utique vita, fama, scientiaque præclarum, concessa sibi plenaria potestate ut evellat et destruat, ædificet et plantet quæ in Ecclesia Dei evellenda et destruanda, ædificanda cognoverit et plantanda. Proinde universitatem vestram monemus attente et exhortamur in D Domino per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus præfatum cardinalem tanquam legatum apostolicæ sedis et magnum in Ecclesia Dei locum habentem, imo personam nostram in eo recipientes humiliter et devote, ipsiusque salutaribus monitis et præceptis tam super Orientalis Ecclesiæ subventione quam super aliis quæ vice nostra duxerit disponenda pronis mentibus intendentes, mandata pariter et statuta ipsius tanquam devotionis filii recipiatis firmiter et servetis ; de cujus nimirum circumpectione provida et providentia circumspecta indubitanter fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus, ita regia via curabit incedere

quod, sicut et viva voce dedimus in mandatis, non declinabit ad dexteram vel sinistram. Ipsi proinde universi et singuli reverentiam debitam et devotam obedientiam impendere satagatis; ne si, quod absit! a quoquam esset aliter attentatum, præter ipsius cardinalis offensam cujus sententiam, si quam in contumaces aut rebelles exigentibus meritis duceret promulgandam, faceremus usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari, nostram quoque indignationem incurreret, qui secundum Apostolum omnem inobedientiam parati sumus ulcisci.

Datum Anagniæ, IV Kal. Junii, anno undecima.

LXXXVI.

GUALÆ SANCTÆ MARIÆ IN PORTICU DIACONO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Committitur ei causa divortii Philippi regis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Plenam gerentes de tua discretione fiduciam, causam quæ vertitur inter charissimum in Christo filium nostrum Philippum regem in charissimam in Christo filiam nostram Ingeburgem reginam Francorum illustres super malificio quo idem rex asseritur impeditus, tuæ duximus experientiæ committendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus provisa eidem reginæ plenaria libertate, causam ipsam appellatione remota diligenter examines, et si de partium processerit voluntate canonico fine decidas; alioquin ipsam sufficienter instructam ad nostrum remittas examen, præfigens partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam per idoneos responsales nostro se conspectui repræsentent.

Datum, *ut in alia.*

LXXXVII.

LONDONIENSI ET ROFFENSI EPISCOPIS, ET DECANO LINCOLNIENSI.

*De interdicto provinciæ Eboracensis servando.*

(Anagniæ, VI Kal. Junii.)

Inter cæteras angustias et pressuras quibus peccatis exigentibus Ecclesia subjacet Anglicana, gravem venerabilis fratris nostri Eboracensis archiepiscopi nuper accepimus quæstionem, quod cum charissimus in Christo filius noster Joannes rex Anglorum illustris ab ecclesiis et eleemosynis Eboracensis provinciæ tertiam decimam disposuisset recipere, idem archiepiscopus hoc præsentiens, pro tuenda ecclesiastica libertate sedem apostolicam appellavit, se ac sua et universos ejusdem provinciæ clericos sedis apostolicæ protectioni supponens. Verum rex ipse a proposito quod præconceperat non recedens, non solum de dominio ipsius et ab ipso tenentibus, sed etiam a religiosis et plerisque clericis Eboracensis provinciæ tertiam decimam suorum proventuum contra ecclesiasticam libertatem recepit. Ad hæc, cum idem archiepiscopus, hu-A jusmodi mala ferre non prævalens, de Anglicanis partibus recessisset ad nostram præsentiam accessurus, idem rex ipsum ac suos temporalibus mobilibus et immobilibus spoliavit (37), ac jurisdictionem ejusdem circa spiritualia multipliciter juxta suæ beneplacitum voluntatis impediens, possessiones ejus et nemora in grave præjudicium Eboracensis Ecclesiæ fecit distrahi, in pluribus aliis sibi et suis injuriosus existens admodum et molestus. Quia igitur tantam Dei et Ecclesiæ suæ injuriam, non tantum propter dispendium temporalium quantum propter periculum animarum, nequaquam nos convenit conniventibus oculis pertransire, licet super hoc venerabilibus fratribus nostris Eliensi, Wigorniensi et Herefordensi episcopis apostolicas litteras duxe-B rimus destinandas, nihilominus tamen vobis præcipiendo mandamus quatenus, omni mundano timore postposito, dictum regem monere attentius et inducere quantocius studeatis ut suæ saluti consulens et honori, tam ipsi archiepiscopo quam ecclesiis et aliis ad eum spectantibus infra trium mensium spatium postquam fuerit a vobis commonitus ablata restituat universa, et de damnis et injuriis satisfaciat competenter. Alioquin, cum Deo magis oporteat nos deferre quam homini, præfatum regem ad hoc per interdictum totius Eboracensis provinciæ, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellatis, non permittentes in ipsa aliquod divinum officium præter parvulorum baptisma et pœnitentias morientium celebrari, et facientes illud usque ad satisfactionem condignam C auctoritate nostra inviolabiliter observari. Si vero rex ipse contra eumdem archiepiscopum aliqua duxerit proponenda, restitutione plenaria prius facta, audiatis hinc inde proposita; et si mota quæstio ecclesiasticum forum exposcat, eam diligenter examinare curetis, ac instructam plenius ad nostram præsentiam remittentes, præfigatis partibus terminum competentem quo per idoneos responsales nostro se conspectui repræsentent, per nos dante Domino justitiam recepturæ. Verum si quæstio talis fuerit quod mere ad forum pertineat sæculare, idem archiepiscopus eam sub suo judice tractari sustineat et decidi. Provideatis autem attentius et appellatione remota sub pœna consimili districtius inhebere curetis ut quandiu quæstio D mota duraverit, nihil in ipsius archiepiscopi et suorum præjudicium innovetur, sed redeundi in Angliam et morandi plenam et liberam habeant facultatem. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Anagniæ, VI Kal. Junii, anno undecimo.

(37) Vide supra lib. X, epist. 172.

LXXXVIII.

MAJORIS ECCLESIÆ ET SANCTI GEREONIS DECANIS, ET PRÆPOSITO SANCTORUM APOSTOLORUM COLONIEN.

*Committitur eis quædam causa archiepiscopi Coloniensis.*

(Laterani, III Id. Maii.)

(38) Postquam Adulphus quondam Coloniensis archiepiscopus in præsentia legatorum nostrorum juravit nostris parere mandatis super iis pro quibus fuerat excommunicatione notatus, ad præsentiam nostram absolutus accessit, et gravem querelam exposuit coram nobis quod venerabiles fratres nostri archiepiscopus Maguntinus et Cameracensis episcopus ac dilectus filius magister Henricus scholasticus Sancti Gereonis inique processerant ad depositionem ipsius, tum quia mandati nostri fines excesserant, tum quia juris ordinem non servarant, adjiciens eos sibi fuisse manifeste suspectos, et litteras quarum occasione processerant per expressionem falsitatis et veritatis suppressionem obtentas. Unde petebat ut dignaremur eorum revocare processum ipsumque in eum statum reducere in quo fuerat antequam esset in eum hujusmodi sententia promulgata, offerens se præscripta omnia probaturum. Ipsi vero in nostra præsentia constituti processum suum multipliciter excusantes, asseruerunt hæc omnia penitus esse falsa. Venerabilis autem frater noster Bruno Coloniensis archiepiscopus; contra quem ipsius Adulphi petitio dirigi videbatur, non contestando litem, nec ingrediendo judicium, elidens petitionem ipsius, quodam oppido quod dicitur Nuxia se per eum asseruit spoliatum, quod per violentiam detinebat. Unc cum spoliatus spoliatori non debeat secundum canonicas sanctiones in judicio respondere, dicebat eumdem Adulphum audiendum non esse nisi prædictum sibi esset oppidum restitutum. Nos igitur auditis iis et aliis quæ fuere proposita coram nobis, de communi fratrum nostrorum consilio ita duximus providendum, ut quoniam æstatis imminente fervore propter acris intemperiem neutri securum erat in urbe meram protrahere longiorem, ne interim propter hoc pacis negotium, quod tractatur circa imperium, turbaretur, Adventum Domini proximo futurum peremptorium terminum utrique præfiximus, in quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, ut tam super spoliatione quam aliis super quibus curaverint prosequi causam tuam, auctore Domino procedamus sicut fuerit procedendum, prædictus autem Bruno archiepiscopus jurisdictionem archiepiscopalem in omnibus exsequatur, et universi tam clerici quam cives, ministeriales, barones, et nobiles, seu quilibet ordinis cujuscunque in Coloniensi provincia constituti ei respondeant super cunctis in quibus teneri archiepiscopo dignoscuntur. Memoratum vero Adulphum castris illis non providimus interim spoliandum quæ ante archiepiscopi sæpedicti captivitatem noscitur tenuisse, inhibentes eidem ne præfatum Brunonem archiepiscopum, ecclesias, vel civitatem Coloniensem vel ministeriales beati Petri per se vel per alium molestare præsumat, sed et temporalia universa quæ idem archiepiscopus obtinet sibi et suis in pace dimittat. Universa vero quæ de beneficiis ecclesiasticis ab excommunicationis suæ tempore attentavit in irritum revocamus, hoc pronuntiantes nihilominus ad cautelam, quod etsi delegati prædicti ad depositionem ipsius minus legitime processissent, quod ipsi tamen inordinate fecissent nos possemus facere ordinate. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quod a nobis taliter est provisum faciatis auctoritate nostra sine refragatione qualibet firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Quod si non omnes...., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, III Idus Maii, anno undecimo.

LXXXIX.

JOANNI REGI ANGLORUM ILLUSTRI.

*De negotio Cantuariensi.*

(Anagniæ, VI Kal. Junii).

(39) Si diligenter attendas quod is qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, factus obediens Deo Patri usque ad mortem crucis, profecto non injuriosum sed gloriosum potius reputabis coram suo sibi humiliari vicario, qui est Rex regum et Dominus dominantium, per quem etiam reges regnant et principes principantur, cui servire nihil est aliud quam regnare. Hoc utique tantum tui Redemptoris exemplum regium debet animum inclinare ut in quo te pro Dei reverentia coram nobis humiliare cœpisti, aliud non retineas quod humilitatis hujusmodi plenum posset meritum impedire, nec ad humiliandum te sub potentissima manu Dei contrariis affectibus capiaris, sed regis more prudentis animo dominatus, totam ad illud inflectas arbitrii libertatem, sententiam Salomonis regum sapientissimi considerando dicentis: *Melior est patiens viro forti, et expugnatore urbium qui animo dominatur* (*Prov.* XVI). Ingredere igitur, fili dilectissime, ad cor tuum, et urbem hostium in ipso contra te aggredere communitam. Admove circa ipsam divini timoris arietem, salutifero cujus impulsu adversus te in teipso consistentia castra confringas; ut remotis hostilium machinarum obstaculis, contrariam tibi arcem prorsus expugnes, ac demum in hac interiori pugna idem ipse victus et victor, tyranno penitus inde fugato, mentis tuæ pacifices civitatem, in qua residens et præsidens sicut rex, circa negotium de quo agimus affectum carnis sub dominio redigas rationis. Gaudemus autem in Domino et in potentia virtutis ipsius quod hoc salutiferæ pugnæ modo vim tibi tecum confligendo fecisse videris (40), et circa negotium Cantuariensis Ec-

(38) Vide Raynald. ad ann. 1206. § 11.

(39) Vide supra lib. X, epist. 219.

(40) Vide lib. XI, epist. 220.

clesiæ, in quo forte plus debito tuo duximus deferendum honori, non quidem ut consuetudinem approbaremus iniquam, sed ne juri tuo videremur aliquatenus derogare, majori jam ex parte ab inconsulto proposito et improvido consilio recessisti (41) per dilectum filium abbatem Belliloci, per quem apostolatui nostro scripsisti ut ea quæ nobis ex tua parte proponeret crederemus, liberalite offerendo quod licet in ipso negotio te reputes multipliciter aggravatur, ob devotionem tamen et reverentiam quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asseris te habere, paratus es venerabilem fratrem nostrum Stephanum Cantuariensem archiepiscopum S. R. E. cardinalem sicut archiepiscopum Cantuariensem recipere et tractare, præstita securitate tam sibi quam suis quæ ad hoc visa fuerit opportuna, et restitutionem plenariam ablatorum promittens personis pariter et ecclesiis faciendam. Monachos quoque Cantuarienses permittes ad ecclesiam suam redire ac manere securos, quanquam hoc tibi grave plurimum videatur ex eo quod in ipso negotio contra te credis eosdem proditorie machinatos. Regalia vero per eumdem abbatem in nostris manibus posuisti, ut nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Qui nimirum interrogatus cur non eadem ipse conferres, sed potius nobis traderes conferenda, respondit quod nondum animus tuus potuerat inclinari ut familiarem eidem archiepiscopo gratiam exhiberes. Nos igitur iis auditis, de consilio fratrum nostrorum hoc modo circa præfata regalia duximus procedendum, ut et reciperemus ea sine præjudicio juris tam ecclesiastici quam regalis, et archiepiscopo memorato tribui mandaremus, si forsan ad hoc induci nequiveris ut ea sibi conferas per teipsum, ita quod ipse tibi pro ipsis quemadmodum suis prædecessores tuis progenitoribus teneatur venerabilibus fratribus nostris Londoniensi Eliensi et Wigorniensi episcopis per nostras dantes litteras in mandatis ut nisi requisitus ab ipsis ea sibi volueris ipse conferre, ipsi proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, dictoque archiepiscopo conferant vice nostra, et iis quæ superius sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo præfatum archiepiscopum, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci; quem profecto monemus et per nostras litteras exhortamur ut suam ponens principaliter spem in Domino, circa te talem se satagat exhibere quod ad profectum Ecclesiæ sibi commissæ melius promovendum familiaritatis et gratiæ tuæ possit sibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cujus manu cor regis existit, et quocunque voluerit vertet illud, quod sicut in hoc negotio consilium tuum in parte dirigere jam incœpit, ita ipsum finali quoque prosequetur effectu; ut ad curam suscepti regiminis efficaciter exsequendam ei non solum impedimentum non inferas, sed adjumentum A impendas. Licet igitur in præmissis tuam devotionem plurimum acceptemus, attendentes tamen non tam nobis quam tibi existere honorificum ut per te ipsa regalia conferantur, serenitatem regiam rogamus attentius et propensius exhortamur, in remissionem tibi peccaminum injungentes quatenus hoc nobis liberaliter concedas in donum ut per teipsum memorato archiepiscopo præfata regalia largiendo, debitam ab eo fidelitate recipias, nostris in hoc potissimum consiliis acquiescens magnificentiæ tuæ absque dubio profuturis. Jam ergo de mansuetudine regali securi, et de ipsius archiepiscopi providentia non incerti, ipsum et Cantuariensem Ecclesiam summo Deo et in ipso tibi fiducialiter commendamus sperantes et pro certo tenentes quod erga te se B talem exhibere curabit, quod tuam sibi ex merito comparabit gratiam et favorem, ac in rerum experimento cognosces quam fideliter et veraciter apud te institerimus pro eodem.

Datum Anagniæ, VI Kal. Junii, anno undecimo.

## XC.

CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO S. R. E. CARDINALI.

*De eodem argumento.*

(Datum, *ut in alia.*)

(42) Charissimus in Christo filius noster Joannes rex Anglorum illustris nuper nobis per dilectum filium abbatem Belliloci litteras hujusmodi destinavit, ut quæ nobis ex parte sua proponeret crederemus. Ipse vero poposuit quod licet se in negotio Cantuariensis Ecclesiæ reputaret multipliciter aggravatum, ob devotionem, tamen et reverentiam C quam erga Romanam Ecclesiam nostramque personam asserit se habere, paratus est sicut Cantuariensem archiepiscopum te recipere ac tractare, præstita securitate tam tibi quam tuis quæ ad hoc visa fuerit opportuna, restitutionem plenariam ablatorum promittens personis pariter et ecclesiis faciendam, monachos quoque Cantuarienses permittet ad ecclesiam suam redire ac manuere securos, quanquam hoc sibi grave plurimum videatur ex eo quod in ipso negotio contra se credit eosdem proditorie machinatos. Regalia vero in manu nostra posuit per eumdem abbatem, ut nos ea pro nostro beneplacito conferamus. Interogatus autem cur non idem ipsa conferret, sed potius nobis traderet conferenda respondit quod nondum animus ejus potuerat inclinari ut fami- D liarem tibi gratiam exhiberet. Nos igitur iis auditis, de consilio fratrum nostrorum hoc modo circa præfata regalia duximus procedendum, ut et reciperemus ea sine præjudicio juris tam ecclesiastici quam regalis, et tibi etiam tribui mandaremus, ita quod sibi pro ipsis quemadmodum tui prædecessores suis progenitoribus tenearis. Unde venerabilibus fratribus nostris Londoniensi, Eliensi, et Wigorniensi episcopis per nostras damus litteras in mandatis ut, proviso prudenter ne quid deceptionis contra libertatem ecclesiasticam interveniat, prælibata regalia præscripto modo recipiant, tibique conferant vice

(41) Vide epist. seq. et Gesta Innoc. III, cap. 132.

(42) Vide epist. 89, et Gesta Innoc. III, cap. 132,

nostra, si forsan idem rex, cui super hoc affectuosissime scribimus, induci nequiverit ut ipse conferat ea tibi, et his quæ superius sunt expressa rite peractis, sententiam interdicti relaxent, faciendo te, sicut expedit, ad Cantuariensem Ecclesiam proficisci. Monemus ergo fraternitatem tuam et exhortamur attentius, per apostolica tibi scripta mandantes qualenus tuam ponens principaliter spem in Domino, circa præfatum regem talem te satagas exhibere quod ad profectum Ecclesiæ tibi commissæ melius promovendum familiaritatis et gratiæ suæ possis tibi comparare favorem. Speramus enim in eo in cujus manu cor regis existit, et quocunque voluerit vertet illud, quod sicut in hoc negotio consilium ejus in parte dirigere jam incœpit, ita ipsum finali quoque prosequetur effectu, ut ad curam suscepti regiminis efficiter exsequendam tibi non solum impedimentum non inferat, sed adjumentum impendat.

Datum, *ut in alia.*

## XCI.

LONDONIENSI, ELIENSI, ET WIGORNIENSI EPISCOPIS.

*De eodem argumento.*

(Datum, *ut in alia.*)

Fraternitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus mandatum quod super negotio Cantuariensis Ecclesiæ per alias litteras nunc ultimo vobis facimus diligenter per omnia observantes, cum universa quæ continentur sub ipso fuerint rite peracta, si forte super aliquo quidquam quæstionis emerserit, a charissimo in Christo filio nostro Joanne rege Anglorum illustri idonea cautione recepta quod nostro consilio et mandato pareat super eo, interdicti sententiam nihilominus relaxetis.

Datum, *ut in alia.*

## XCII.

NICOLAO ABBATI MONASTERII SANCTÆ CRUCIS QUOD DICITUR DE SAXOVIVO.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Anagniæ, III Kal. Junii.)

(43) In privilegia felicis memoriæ Paschalis papæ secundi de verbo ad verbum sic perspeximus contineri:

« PASCHALIS, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Alberto abbati monasterii Sanctæ Crucis quod dicitur de Saxovivo ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Divinis præceptis et apostolicis monitis informamur ut pro Ecclesiarum omnium statu impigro vigilemus effectu. Eapropter ecclesiam Sancti Apolenaris juxta Sambrum fluvium tuæ tuorumque successorum sollicitudini regendam disponendamque committimus. Quam videlicet ecclesiam Mevanius judex in juris proprii fundo constituens, beato Petro sanctæque ejus Romanæ Ecclesiæ obtulisse memoratur; ubi etiam seipsum sæcularibus curis exutum ordini monastico mancipavit, in quo nimirum loco jamdudum disciplinæ dissolutio contigit. Ad reformandam igitur ordinis monastici disciplinam, supradictam beati Apolenaris ecclesiam tibi tuisque successoribus committentes, monasterio vestro, quod per Dei gratiam disciplina dicitur ac religione pollere, tanquam membrum capiti in perpetuum counimus, statuentes ut universa ad supradictam ecclesiam pertinentia in vestra semper dispositione permaneant, nec nulli deinceps personæ liceat aut ipsam ecclesiam aut prædia vel bona quælibet ad eam pertinentia quibuslibet in locis sita a monasterii vestri possessione subtrahere; sed sic in perpetuum conservetur sicut in præsentis decreti pagina officii nostri sancit auctoritas. Si quis autem, quod absit! ausu temerario huic nostro decreto contraire tentaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, aut excomunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, Sane pro eadem ecclesia censum denariorum quatuor quotannis Lateranensi palatio persolvetis Datum Laterani, per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii XVI Kal. Aprilis, indict. IX, Incarnationis Dominicæ anno 1116, pontificatus autem domini Paschalis II papæ anno septimodecimo.» Nos igitur ipsius prædecessoris nostris vestigiis inhærentes, ut ejus constitutio debitum consequatur effectum, eamdem constitutionem præsenti pagina innovamus, statuentes ut nulli omnino hominum... nostræ confirmationis et innovationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Anagniæ, III Kalendas Junii, anno undecimo.

## XCIII.

NOBILIBUS VIRIS RINGRAVIO ET UBERTO SUNNEMBURCH.

*Temporalia archiepiscopatus Maguntinensis eis committuntur.*

(Anagniæ, III Non. Junii.)

Quanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem archiepiscopum sinceriori diligimus in Domino charitate, tanto circa suas justitias conservandas abundantiorem ei favorem nos convenit impertiri. Cum igitur ipse de fide ac prudentia vestra confidens, negotia sua vobis commiserit procuranda, nobilitatem vestram monemus attentius et hortamur quatenus universa jura temporalia Maguntinensi archiepiscopo competentia, illis nunc duntaxat exceptis quæ ad regalia pertinere noscuntur, ad opus et mandatum ipsius taliter procuretis quod de fideli et prudente possitis sollicitudine commendari. Nos enim principibus, commitibus, baronibus, ministerialibus, et aliis in Maguntinensi diœcesi constitutis, apud quos idem archiepiscopus hujusmodi habet jura, direximus scripta nostra ut super ipsis vobis, prout tenentur, respondeant vice sua.

Datum Anagniæ, III Non. Junii, anno undecimo.

(43) Vide lib. XIII, epist. 207.

XCIV.

ABBATIBUS, PRÆPOSITIS, ET UNIVERSO CLERO ET POPULO MAGUNTINENSI.

*De eodem argumento.*

(Datum, *ut in alia.*)

Quanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem archiepiscopum, etc., *usque* impertiri. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, per apostolica scripta mandantes quatenus his quibus ipse jura tam spiritualia quam temporalia Maguntinensi archiepiscopo competentia, illis nunc duntaxat exceptis quæ ad regalia pertinere noscuntur, procuranda commiserit vice sua, curetis, prout tenemini, respondere de ipsis. Alioquin; venerabili fratri nostro archiepiscopo Treverensi et dilectis filiis abbati de Remestorf Treverensis diœcesis et archidiacono Treverensi dedimus in mandatis ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Datum, *ut in alia.*

XCV.

ABBATIBUS, PRÆPOSITIS ET UNIVERSO CLERO, COMITIBUS, BARONIBUS, MINISTERIALIBUS ET ALIIS IN MAGUNTINENSI DIOECESI CONSTITUTIS.

*Super eadem materia.*

(Data eadem.)

Quanto venerabilem fratrem nostrum Maguntinensem archiepiscopum, etc., *usque* impertiri. Monemus ergo universitatem vestram et exhortamur attentius, per apostolica scripta mandantes quatenus his quibus ipse jura, etc., *usque* de ipsis. Alioquin, venerabili fratri nostro archiepiscopo Treverensi, etc., *ut supra usque ad finem.*

Data eadem.

XCVI.

PRÆPOSITO, DECANO ET CAPITULO SUESSIONENSI.

*Ut Robertum Vaisliaci permittant gaudere præbenda Suessionensi.*

(Laterani, VIII Id. Maii.)

Olim bonæ memoriæ Suessionensi episcopo in partibus Constantinopolitanis agente, oficiales ipsius per litteras nostras rogando duximus et monendos, nihilominus ipsis præcipiendo mandantes ut dilecto filio Roberto Vaisliaci diacono ecclesiasticum beneficium non habenti præbendam in Suessionensi Ecclesia, si qua vacaret ibidem, pro reverentia beati Petri et nostra sine qualibet difficultate conferrent; alioquin, primo vacaturam donationi nostræ præcepimus reservari personæ idonæ conferendam, vobis dantes etiam in præceptis ut ad præbendam, si qua in vestra ecclesia tum vacaret, vel quam primo vacare contingeret, nullum recipere præsumeretis in canonicum nisi cui nos conferendam provideremus eamdem. Cum autem postmodum quædam in ecclesia ipsa vacasset præbenda, præfatus episcopus interim de sua peregrinatione reversus, ipsam, apostolico præcepto contempto, nepoti suo de facto, cum de jure nequiverit, pro sua voluntate concessit. Deinde vero, licet vos nobis scripseritis contra cle-

A ricum antedictum, quod nequaquam indonaitatis meritis juvaretur ad hujusmodi beneficium obtinendum dictusque nepos episcopi processu temporis a nobis postularit instanter ut præbendam ipsam confirmare ipsi auctoritate apostolica dignaremur, nos tamen reputantes indignum mandatum apostolicum sic eludi, petitionem ejus in hac parte nullatenus volumus exaudire. Verum præfatus clericus apud sedem apostolicam longo tempore moram trahens sedulus exspectavit si forsan aliquis compareret qui vellet in personam ejus aliquid objicere ac probare propter quod ei de jure beneficium ecclesiasticum negaretur, sed tandem nullo sibi super hujusmodi adversario comparente, nobis humiliter supplicavit ut dignaremur eidem misericorditer providere.

B Nos igitur ejus petitionibus inclinati, dilectis filiis abbati Sancti Auberti, decano et magistro R. de Bekerel canonico Cameracensi districte dedimus in præceptis ut sine dilatione qualibet post susceptionem mandati nostri prædicto episcopo et vobis spatio trium mensium assignato, nisi infra idem spatium aliquod canonicum coram eis ostensum foret pariter et probatum propter quod erga ipsum gratia non deberet apostolicæ provisionis impleri, extunc iidem, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ipsum episcopum vel qui gereret vicem ejus, si forsan ipsum abesse contingeret, et vos etiam ut eumdem R. recipientes in canonicum et in fratrem, ei prænominatam præbendam curaretis conferre vel in æquivalenti sibi aut majori sine difficultate qualibet providere, per

C censuram ecclesiasticam compellere non differrent, facientes ei sufficienter ab ipsis in victus et vestitus necessariis provideri donec provisum esset eidem in altero præmissorum, contradictores et rebelles districtione simili appellatione postposita compescendo. Cæterum excutores prædicti, sicut ex litteris ipsorum accepimus, partes ad suam præsentiam evocarunt, et cum vobis nostræ litteræ fuissent exhibitæ, nihil objecistis in personam prædicti R. infra spatium nostris litteris denotatum, propter quod ipsum ab impetitione vestra denuntiaverunt penitus absolutum. Sed thesaurarius ejusdem ecclesiæ, qui tunc vices agebat episcopi memorati, aliqua in personam ipsius objecit, et testes produxit ad ea quæ objecerat confirmanda. Sed

D postquam ipsos diligenter examinare curarant, nil sufficiens in eorum testimonio invenerunt per quod idem indignus apostolicæ provisionis gratia videretur. Id ergo in publicum per sententiam proferentes, thesaurario prædicto auctoritate nostra dederunt firmiter in mandatis ut eidem R. in præbenda Suessionensi vel æquivalenti aut majori juxta mandati nostri continentiam provideret; qui ad hoc se paratum proponens, præbendam in Roiensi Ecclesia ipsi obtulit coram eis; quam cum dictus clericus refutaret, asserens quod Suessionensi præbendæ dignitate non erat nec valentia æquipollens, adjecit quod de primo vacatura in

Ecclesia Roiensi alius clericus auctoritate nostra canonicari debebat. Sed ad utrumque thesaurarius respondit se legitime probaturum præbendæ Suessionensi æquipollere in vallentia Roiensem præbendam, et si in probatione deficeret, æquivalentem vel majorem ei in Suessionensi Ecclesia vel alibi assignaret, et si præbendam Roiensem acciperet, eum faceret pacifica ipsius possessione gaudere. Cumque idem R. postularet instanter ut de receptione ipsius ad Suessionensem præbendam nobis scribere procurarent, noluerunt facere quod petebrt, eo quod thesaurarius ad nostri exsecutionem mandati se paratum firmiter assebat. Sed altercationibus inter eos exortis de valentia præbendarum, præfatus R. se ac sui processum negotii ad sedem apostolicam postulavit remitti. Quod cum parti alteri placuisset, negotium ad nostram præsentiam remiserunt. Partibus itaque in nostra præsentia constitutis, et volentibus ad invicem litigare dilectum filium nostrum Galam, Sanctæ Mariæ in-Porticu diaconum cardinalem, eis concessimus auditorem; in cujus præsentia cum aliquandiu litigassent, idem cardinalis nobis fideliter retulit quæ fuerunt proposita coram eo. Nos igitur attendentes dictam præbendam, quam donationi nostræ mandavimus reservari, in elusionem mandati apostolici dicto clerico assignatam fuisse, quidquid de ea factum est auctoritate apostolica irritantes, eamdem præbendam adjudicavimus R. diacono memorato, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eumdem R. recipientes in canonicum et in fratrem, præbendam eamdem permittatis ipsum pacifice possidere. Nos enim dilectis filiis decano, succentori et Miloni de Lagereio canonico Remensi nostris damus litteris firmiter in præceptis ut contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant.

Datum Laterani, VIII Idus Maii, anno undecimo.

XCVII.

*De eadem re.*

*In eumdem ferc modum scriptum est* electo *usque* eidem capitulo per scripta nostra disctricte præcipiendo mandantes ut eumdem R. recipiens in canonicum et in fratrem, præbendam ipsam permittat eum pacifice possidere. Nos enim dilectis filiis decano, succentori, et Miloni de Lagereio canonico Rem., etc.: *ut in alia.* Datum.

XCVIII.

*De eadem re.*

(Laterani, VII Id Maii.)

*In eumdem fere modum scriptum est eisdem usque* districte præcipiendo mandantes ut eumdem R. recipientes in canonicum et in fratrem, præbendam ipsam, quam per dilectum filium Suessionensem electum ei præcipimus assigari, permittant eumdem R. pacifice possidere. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus quatenus contradictores et rebelles, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Laterani, VII Idus Maii, anno undecimo.

XCIX.

DECANO ET CANONICIS GURCENSIBUS.

*De electione episcopi Gurcensis.*

(Anagniæ, Non. Junii.)

Turbulentissimam quæstionem et plurimum intricatam super electione prontificis in vestra Ecclesia facienda, inter vos et Salzburgensem Ecclesiam temporibus bonæ memoriæ Alexandri (44) et Lucii prædecessorum nostrorum non sine magnis expensis et gravibus laboribus agitatam, nostris quoque temporibus contigit suscitari, parte vestra firmiter asserente quod libertas eligendi vobis pontificem ad vos tam de jure communi quam antiqua consuetudine ac speciali privilegio competebat. Unde procurator vester postulavit a nobis ut faceremus vos pacifica libertatis ipsius possessione gaudere, partem alteram compellendo a vestra super hoc indebita molestatione cessare. Cui cum ex altera parte quædam objiceretur sententia quæ super hoc pro Salzburgensi dicebatur Ecclesia promulgata, idem procurator asseruit nullam penitus super hoc sententiam fuisse prolatam. Verum exhibitis nobis quibusdam litteris bonæ memoriæ Friginsensis episcopi et abbatis Sanctæ Crucis, quæ videbantur latam ab ipsis dictam sententiam continere, idem proposuit subsequenter quod cum dicti episcopus et abbas non fuerint ordinarii judices, nec constaret quod fuerint arbitri communiter electi a partibus, vel judices a sede apostolica delegati, quod statuerant robur habere non poterat firmitatis, contendens vos hactenus libere vobis pontificem elegisse, quem usum sufficienter se asseruit probaturum. Cumque fuisset ei ex adverso responsum prædictos judices ex delegatione jam dicti Alexandri papæ tertii prædecessoris nostri habuisse auctoritatem negotium terminandi, super eligendi usu et commissione ipsa venerabilibus fratribus nostris Brixinensi, Friginsensi, et Tergestino episcopis receptionem testium quos alterutra partium vellet producere duximus committendam. Partibus autem postea in nostra præsentia constitutis et attestationes super illis duobus articulis offerentibus nobis clausas, procurator vester fuit in judicis protestatus quod non credebat super hoc sententiam latam fuisse, et si forte fuisset lata, per metum utique fuerat contra vestram ecclesiam judicatum; quem ad nos secreto vocavimus, et de metus inquisivimus qualitate. Sed cum nobis metum hujusmodi expressis et qui sufficienter probatus minime videbatur auferre

(44) Vide Aventin. lib. VII sub initium.

adminiculum parti vestræ, ac se nolle probare alium fateretur, postulans inducias ad metum quem expresserat comprobandum, nos ad concordiam intendentes tam sibi quam procuratori partis alterius consuluimus ut adventum venerabilis fratris nostri Salzburgensis archiepiscopi exspectarent, qui venturus tunc temporis ad sedem apostolicam sperabatur. Qui cum nequaquam venisset diutius exspectatus, et quidam ex vobis interim ad vestram ecclesiam accessisent, secum quosdam testes redeuntes duxerunt per quos alium metum, scilicet quod per comitem Palatinum et germanos Salzburgensis archiepiscopi qui tunc erat compulsi fuerant contra se Gurcenses canonici confiteri, prædictus probare voluit procurator, tunc demum confitens sententiam latam fuisse, proponens quod cum in jure civili habeatur expressum quia quod vi metusve causa gestum est prætor nullo tempore ratum habeat, nec illo tempore rata debebat haberi sententia quæ occasione metus lata fuerat a judicibus memoratis, ad hoc idem probandum quasdam alias rationes inducens. Idem præterea procurator obtulit juramentum quod de novo in suam notitiam devenerat talis metus. (45) Quare audiri debebat illa consimili ratione, quod si quisquam tempore contracti matrimonii præsens fuit, nec tunc aliquid proposuit contra ipsum, et illud velit processu temporis accusare, ac consanguinitatem inter contrahentes existere juraverit se postea didicisse, auditur accusans. Item ex variatione hujusmodi proponebat vestram Ecclesiam non debere periculum sustinere; quia nonnunquam prætor variantem admittit, nec mutantis consilium aspernatur. Ad hæc proposuit pars adversa quod bonæ memoriæ G. (46) Salzburgensis archiepiscopus de conniventia et consensu tam apostolicæ sedis quam imperatoriæ celsitudinis in quadam parte suæ diœcesis Gurcensem episcopatum creavit, constituens ut Gurcensis (47) episcopus tam in spiritualibus quam etiam temporalibus Salzburgensis archiepiscopi perpetuus foret vicarius. Unde cum electio vicarii, sicut et vicedomini, ad eum solummodo de jure pertineat cujus vicarius efficitur aut etiam vicedominus, profecto Gurcensem episcopum asserebat ratione patronatus et vicariæ a Salzburgensi fore archiepiscopo eligendum, adjiciens quod procurator ipse audiri aliquatenus non debebat multiplici ratione, tum quia confessus fuerat quod metum alium proponere non volebat, tum quia cum a principio latam sententiam negavisset, per fraudem postmodum contrarium est confessus, tum etiam quia confessus fuerat vos Salzburgensi archiepiscopo in talibus obedientiam præstitisse post sententiam memoratam; per quæ præsumebatur vos eadem sententiam approbare. Proposuit insuper quod postquam vos præfato Lucio III, prædecessori nostro de ipsa sententia querimoniam obtulistis, ab eo fuit eadem sententia confirmata, quodque vos sponte per multos annos sententiæ paruistis eidem. Quas rationes pars vestra responsionibus diversis elidens adjunxit quod post translationem archiepiscopi memorati ad Ecclesiam Maguntinam ecclesia vestra supradicto prædecessori nostro Lucio papæ, quando potuit reclamare, super violentia exposuit quæstionem; sed ipse, sicut in privilegio quod super electione, institutione, ac consecratione Gurcensis episcopi felicis recordationis Alexander papa II, dicebatur Salzburgensi Ecclesiæ concessisse, ita et in sententia circumventus, asserens se diligenter examinasse, ac verum illud privilegium invenisse quod nos falsum vel falsatum reperimus manifeste, eam vobis absentibus confirmavit. Nos autem iis et aliis intellectis quæ coram nobis partes multipliciter allegarunt, interloquendo concessimus ut procurator vester probandi metum illum facultem haberet, præstito juramento se illum postea didicisse; sicque testes produxit quos per dilectos filios nostros Leonem tituli Sanctæ Crucis presbyterum et Gualam Sanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinales examinari mandavimus, et eorum depositiones conscribi. Cæterum quia prædicti archiepiscopi procurator tam super hoc quam super eo quod vos assuerit spontanea voluntate sententiæ paruisse, necnon etiam quod tam metu quam aliis coram sæpedicto Lucio papa in judicio allegatis idem prædecessor noster per privilegii paginam præfatam sententiam confirmavit, testes in vestris partibus producere intendebat, præfato episcopo Brixinensi et Aquilegensi præposito et scholastico Augustensi dedimus in mandatis ut testes quos utralibet pars super præmissis articulis et super transactione quæ post tempus sententiæ dicebatur facta fuisse aut in personas testium duceret producendos recipere procurarent et attestationas redactas in scriptis nobis similiter transmittentes, præfigerent tam vobis quam parti adversæ terminum competentem quo vos nostro repræsentaretis conspectui sententiam recepturi, nisi forsan interim ad amicabilem concordiam venire possetis, quam utrique parti credebamus plurimum expedire. Qui juxta mandati tenorem recipientes testes utrinque productos, cum inclinare vos ad compositionem amicabilem nequivissent, procuratores vestros et partis adversæ cum attestationibus et scriptis authenticis sub sigillis propriis fideliter consignatis ad nostram præsentiam remiserunt. Quibus postmodum in nostra præsentia constitutis, nos universis attestationibus publicatis, et tam eis quam scripiis authenticis utriusque partis diligenter inspectis, et intellectis attente quæcunque procuratores ipri proponere curaverunt, apud eosdem pro amicabili concordia, ad quam ab ipso litis exordio vos et partem alteram induxisse dignoscimur, institimus diligenter. Quibus nostris acquiescentibus pag. 78.

(45) Cap. *A nobis*, Qui matrim. acc. poss.

(46) Gebehardus. Vide t. I, *Metrop. Salisburg.*

(47) Vide Gesta Innoc. III, cap. 130.

monitis, præpositus ecclesiæ vestræ ac magister G. vestras exhibuerunt litteras coram nobis; per quas constabat eosdem a vobis recepisse mandatum, non solum agendi et respondendi, sed etiam componendi. Magister quoque Marcualdus et R. Salzburgensis archiepiscopi procuratores, etsi litteras archiepiscopi non exhibuerint per quas probarent se supra concordia facienda recipisse mandatum, in consistorio tamen publice juraverunt quod super hoc mandatum ab archiepiscopo memorato receperant juxta formam sibi ab archiepiscopo eodem expressam nobisque insinuatam ab ipsis, et quod præfatus archiepiscopus mandatum ipsum, eis scientibus, ab eis nullatenus revocarat, quodque ipsi darent fideliter operam efficacem ut compositionem faciendam a nobis idem archiepiscopus observaret. Nos igitur postmodum deliberato cum fratribus nostris consilio, attendentes tam vobis quam adversæ parti multipliciter expedire controversiam ipsam concordia potius quam judicio terminari, compositionem hujusmodi de partium conniventia inter vos duximus faciendam, ut episcopo vestro defuncto, Salzburgensis archiepiscopus vocatus a vobis ad ecclesiam Gurcensem accedat, et tres personas, unam videlicet de gremio ejusdem ecclesiæ, quam utiliorem bona fide crediderit tam ad regimen præsulatus quam etiam officium vicariæ ac duas extraneas, vobis denominare procuret, vos vero seorsum super denominatis vobis personis diligenti deliberatione tractetis, et vobis tandem ac eodem archiepiscopo in capitulo residentibus, is ex denominatis personis ab archiepiscopo primum in episcopum et vicarium et consequenter a vobis in episcopum eligatur in quem omnes vel saltem major pars vestrum penitus consensissent, ac postmodum electione ipsa per decanum vel præpositum seu quemlibet alium ecclesiæ vestræ canonicum ad hoc a capitulo deputatum solemniter publicata, electum ipsum Salzburgensi archiepiscopo, utpote metropolitano vestro, præsentare curetis, ab eodem confirmationis beneficium recepturum, cui metropolitanus ipse sine difficultate qualibet tam confirmationis quam consecrationis munus gratanter impendat. Ne vero cujusquam machinationis astucia circa hoc aliquid in Ecclesiæ vestræ dispendium attentetur, auctoritate omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, ex parte quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, excommunicationis sententiam interponimus, quam Salzburgensis archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, incurrat si quando de gremio ecclesiæ vestræ quemquam denominare præsumpserit nisi quem ad præsulatus regimen et officium vicariæ utiliorem æstimaverit bona fide. Quam compositionem æstimaverit bona fide. Quam compositionem procuratores ipsi pariter approbantes, eamdem humiliter receperunt. Nos etiam ad postulationem eorum compositionem eamdem juxta præscriptam formam a nobis, et ab ipsis procuratoribus, sicut præmissum est, approbatam, auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut nec sententia nec privilegium aut quodlibet aliud instrumentum huic compositioni unquam obsistat, quin etiam quantum ad hoc penitus sint invalida, ut ipsa compositio sine quovis obstaculo robur obtineat perpetuæ firmitatis. Nulli ergo... nostræ compositionis, confirmationis, et constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Anagniæ, Nonis Junii, anno undecimo.

*In eumdem modum scriptum est Salzburgensi archiepiscopo.*

C.

EPISCOPO AMBIANENSI.

*De supplenda negligentia patronorum.*

(Anagniæ, Id. Junii.)

Oblatæ nobis tuæ fraternitatis litteræ continebant quod cum interdum quidam qui jus patronatus in quibusdam ecclesiis tuæ diœcesis obtinent, auctoritate nostra mereantur excommunicationis vinculo innodari, easdem ecclesias multo tempore vacare contingit, patronis ipsis propter excommunicationis impedimentum potestatem non habentibus præsentandi. Unde quæsivisti a nobis an post sex menses in tali casu tibi liceat easdem ecclesias personis idoneis assignare. Quocirca fraternitati tuæ præsentium insinuatione mandamus quatenus patronos ipsos moneas efficaciter et inducas ut pro iis satisfacere studeant pro quibus dignoscuntur excommunicatione notati, ut sic beneficio absolutionis obtento, personas idoneas ad prædictas ecclesias valeant præsentare. Si vero tuis monitis obedire contempserint, post sex menses a tempore vacationis, appellatione remota, personis idoneis ecclesias memoratas assignes, ita quod ex hoc patronis ipsis nullum in posterum præjudicium generetur.

Datum Anagniæ, Idibus Junii, anno undecimo.

CI.

EIDEM.

*Non debet separari matrimonium quando ambo conjuges sunt adulteri.*

(Datum, *ut in alia.*)

(48) Tua fraternitas requisivit a nobis utrum aliquo denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum conjugale, si postmodum ipse cum alia perpetret adulterium manifeste, an uxore agente pœnitentiam de commisso et veniam humiliter postulante, vir cogi debeat ut eamdem maritali affectione pertractet. Super quo tibi taliter respondemus, quod cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare.

Datum, *ut in alia.*

(48) Cap. *Tua fraternitas.* De adulteris.

## CII.

NIVERNENSI ET AURELIANENSI EPISCOPIS, ET ABBATI CURIÆ DEI CISTERCIENSIS ORDINIS.

*Ut pallium assignent archiepiscopo Remensi.*

(Anagniæ, III Non. Junii.)

Circa venerabilem fratrem nostrum Albericum Remensem archiepiscopum videmus et gaudemus impletum quod legimus et recolimus in Psalmo prædictum : *Considerat peccator justum et quærit perdere eum; Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus; nec damnabit ipsum cum judicabitur illi* (*Psal.* XXXVI). Sane cum olim venerabiles fratres nostri Parisiensis et Atrebatensis episcopi ac dilectus filius abbas de Clarimarisco eumdem Albericum, tunc Parisiensem archidiaconum, virum utique vita, fama, scientiaque præclarum, secundum formam mandati quod a nobis acceperant præfecissent Remensi Ecclesiæ in pastorem, Theobaldus de Pertico archidiaconus et Petrus de Stampis canonicus Ecclesiæ memoratæ se ipsis temere opponentes, inter cætera quæ nobis per suas litteras contra ipsorum intimavere processum, hæc adversus præfatum archiepiscopum specialiter expresserunt, quod videlicet esset irregularis, indiscretus, et manumissus. Quapropter episcopis interdixerant qui convenerant ad consecrationem ipsius, ne talem in episcopum consecrarent, cum idem Petrus probaturum hoc die data se promitteret coram eis. Sed præfatus Parisiensis episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso eodem judice replicante, duos presbyteros convocavit, quorum testimonia contra ipsum absentem et ignorantem super infamia clam recepit, et sic admissus non fuit ad irregularitatem probandam, videlicet quod cum vidua conjugalem copulam contraxisset, eoque taliter a probatione repulso, post appellationem ad sedem apostolicam interpositam illum utcunque fecit in episcopum consecrari. Unde nos tantum sacramenti defectum clausis nolentes oculis pertransire, maxime quia præfati archidiaconus et canonicus super hoc apud nos per iteratas litteras institerunt, vobis dedimus in præceptis ut inquisita et cognita veritate, si memoratum Petrum inveniretis a tali exceptione probanda præscripto modo fuisse repulsum, non obstante quod actum inordinate fuisset, denuntiaretis eidem Petro et archidiacono supradicto ut si vellent et possent, ambo vel alter irregularitatem objectam regulariter sub examine vestro probarent, et si probare infra duos menses nollent aut nequirent eamdem, sive quod in canonica probatione deficerent, seu etiam quod contingeret ipsos canonice a probatione repelli, dilecto filio Raynerio subdiacono et familiari nostro protinus injungere curaretis ut pallium secundum formam sibi datam memorato archiepiscopo consignaret, quod si sufficienter probarent irregularitatem objectam, a regimine Remensis Ecclesiæ penitus amoveretis eumdem. Cumque die ad hoc

A statuta partes in vestra præsentia convenissent, et post altercationes non modicas inter eos super modo procedendi subortas, tandem nostro acceptato rescripto secundum formam ipsius petissent in negotio memorato procedi, vos ad inquisitionem super modo repulsionis prædicti canonici legitime procedentes, receptis testibus hinc inde productis, et attestationibus publicatis, ac disputato sufficienter a partibus super eis, quia sola sententia jam testante perpendistis ad relationem nostro apostolatui faciendam partium animos inclinatos, causam ipsam instructam cum depositionibus testium et testimonialibus quoque litteris nobis remittere procurastis. Nos autem negotio ipso diligenter examinato comperimus nequaquam esse probatum B quod dictus Petrus præscripto modo fuisset ab irregularitatis probatione repulsus, imo per testes omni exceptione majores ostensum quod cum die quo præfatus Albericus in Remensem archiepiscopum exstitit nominatus, memorati Theobaldus et Petrus insufficientiam contra ipsum, et in crastinum idem Petrus adversus eumdem irregularitatem et insufficientiam objecisset, ac utrobique se promisisset eas incontinenti probare, delegatis volentibus admittere probationes oblatas, ipse se usquequaque tergiversando subtraxit. Unde ille ejus versutiam attendentes, diem ad impendendam consecrationem archiepiscopo memorato ferme post hebdomadas tres futuram publice præfixerunt. Et cum interim dictus Petrus super hoc eos minime C requisisset, demum processum eorum attentata quasi fraude præservans, Sabbato diem Dominicam præcedente qua erat idem archiepiscopus consecrandus se ipsorum conspectui præsentavit, et postulavit instanter, appellationem ad nos nihilominus interponens, ne ad consecrationem procederent, sed super irregularitate prædicta probationes reciperent quas dicebat se in continenti exhibere paratum. Unde judices de re ipsa maturiore consilio deliberare volentes præceperunt eidem ut in crastinum summo mane in eorum præsentia compareret. Quod tandem efficiens, irregularitatem objectam simili modo sicut et ante promisit se in continenti probare. Cui cum dicti judices probandi hæc, sicut petebat, copiam indulsissent, ille variavit protinus verbum suum, postulans ad testes D inveniendos inducias sibi dari. Deinde præfatus archidiaconus requisitus si vellet testes super irregularitate producere, respondit quod ipse de irregularitate nihil proponere volebat omnino; super insufficientia vero probationes aliquas non exhibuit, nec exhibiturum se dixit. Unde patet quod cum idem Theobaldus et Petrus omnia hæc suppresserint, et super repulsione id expresserint tantum nobis, quod videlicet ipse Petrus eo modo qui superius est expressus inordinate fuerat ab objectorum probatione repulsus, de quo nihil penitus probaverunt, rescriptum apostolicum per suppressionem veritatis et falsitatis expressionem

exstitit impetratum, cum sit etiam sufficienter ostensum quod presbyteri ad infamiam præfati Petri probandam, non duo tantum, sed quatuor, nec ab episcopo Parisiensi, sed a Milone de Nantolio, fuere producti, nec ob hanc causam, id est propter infamiam, sed ob aliam, id est propter tergiversationem, eum non solus Parisiensis, sed et conjudices repulerunt; quem, etsi propter hanc causam minus canonice repulissent, non tamen jam admitti deberet ad irregularitatem probandam, cum aliam repulsionis causam se promiserit probaturum, in cujus probatione omnino defecit. Cum igitur juxta formam nostri mandati, quam pars acceptavit utraque, ac secundum ipsam postulavit in causa procedi, debuisset probari quod præfatus Parisiensis episcopus, qui ad promotionem illius omnimodis intendebat, nemine contra Petrum nisi duntaxat ipso eodem judice replicante, duos presbyteros convocarit, quorum testimonia contra ipsum absentem et ignorantem super infamia clam recepit, et sic admissus non fuerit ad irregularitatem probandam, videlicet quod cum vidua conjugalem copulam contraxisset, ut tandem hoc probato valeret ad irregularitatem probandam admitti, quoniam aliis quæ sunt præscripta probatis, de hoc nihil penitus est ostensum, de consilio fratrum nostrorum, ab impetitione prædictorum archidiaconi et canonici sententialiter absolvimus archiepiscopum memoratum; maxime cum idem canonicus multipliciter vacillaverit et variaverit coram nobis, quin etiam ex sua confessione sit de calumnia manifeste convictus, ex eo quod coram nobis confessus est se irregularitatem quam objecerat a principio postmodum didicisse, sicque quod nesciebat objecisse adversus archiepiscopum sæpedictum. Ne vero temeraria ejus præsumptio et præsumptuosa temeritas remaneat impunita qui præsumpsit ponere os in cœlum, cum lingua ejus transeat super terram, ut juxta quod legitur, justus lavet manus suas in sanguine peccatoris, sæpedictum Petrum ab omni officio et beneficio clericali suspendimus, donec apud vos et eumdem archiepiscopum reatus sui veniam consequatur. Ipsum autem de infamia non notamus, in cujus probatione dignoscitur minus ordinate processum; cum etiamsi legitime probata fuisset, non directe fuerit contra eum, sed in modum exceptionis, objecta. Licet autem archidiaconum sæpedictum sincera diligamus in Domino charitate, quia tamen pater filium quem diligit corripit, et Deus quos amat arguit et castigat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus moneatis eumdem ut apud ipsum archiepiscopum infra mensem indulgentiam flagitet humiliter et devote super eo quod de arcu suo per alienam manum in ipsum sagittam emisit. Alioquin interdicatis ei per totam Remensem provinciam contradicendi vocem in electionibus prælatorum, donec humiliaverit semetipsum ad indulgentiam postulandam. Cæterum licet dictus

A archiepiscopus nobis nequaquam sit incredibilis vel suspectus, et sicut per regis ac suffraganeorum omnium testimonia necnon abbatum et capitulorum Remensis provinciæ aliorumque multorum accepimus, propter illius irregularitatis objectum non in minimo ejus sit opinio aggravata, quia tamen ipse purgationem spontaneam ad clarificandum propriam innocentiam obtulit per se ipsum, si eam voluerit exhibere, cum quota manu episcoporum vel abbatum seu etiam sacerdotum ipse maluerit, et infra mensem ad ipsam recipiendam publice designatum recipere procuretis, ad Remensem Ecclesiam, ubi compugnatores commodius habebuntur, gratia recipiendæ purgationis personaliter accedentes. Præfacto autem subdiacono nostro nihilominus injun-

B gatis ut pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, dicto archiepiscopo secundum formam sibi a nobis expressam assignet. Quod si non omnes, etc., duo vestrum sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo ea nihilominus exsequantur.

Datum Agnaniæ, III Nonas Junii, anno undecimo.

CII (*bis*).

ELIENSI ET LONDONIENSI EPISCOPIS.

*Consolatoria.*

(Agnaniæ. XVIII Kal. Junii.)

(49) Licet ex litteris quas vobis super negotio Cantuariensis Ecclesiæ per dilectum filium abbatem Belliloci et magistrum Simonem nuperrime destinavimus, fraternitati vestræ jam innotuisse

C credamus quid sit oblatum a rege, quidve mandatum a nobis, ad majorem tamen cautelam transcriptum illarum quas ipsi regi direximus mittimus vobis præsentibus interclusum, monentes et obsecrantes in Domino quatenus sicut fuistis in ligando prudentes, ita sitis in absolvendo discreti, sub ea temperantia post vinum oleum infundentes ut plaga livens et tumens debeat perfecte curari. Cum autem super contumelia et injuria quas propter obedientiam et justitiam sustinetis, illorum vos imitari credamus exemplum qui, juxta quod legitur, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, præ oculis semper habentes quod obedientia melior est quam victimæ, majusque sit auscultare quam adipem arietum of-

D ferre, ac beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam cum probati fuerint, accipient coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se, vos quidem non consolatione, quæ noscitur esse mœrentibus necessaria, sed exhortatione, quæ solet esse pugnantibus opportuna, credimus indigere; quanquam hoc ipsum et ad consolationem et ad exhortationem vobis sufficiat colligentibus multa de paucis, illis merito comparandis qui pleni erant oculis intus et foris. Ad perseverantiam ergo vos potius exhortantes, quæ, cum cæteræ virtutes currant in stadio, sola tandem accipit bravium, Do-

(49) Vide gesta Innoc. III, cap. 132.

mino protestante quod qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, scientes quod infirmitas ista non est ad mortem, sed ut Ecclesia Dei glorificetur per illam. Vestris denique consultationibus respondemus (50), quod cum occasione interdicti novum chrisma in cœna Domini nequiverit consecrari, veteri est utendum in baptismate parvulorum, et si necessitas postulaverit, ipsi chrismati, ne deficiat est oleum commiscendum per manum pontificis aut etiam sacerdotis. Quamvis autem viaticum pertinere videatur ad pœnitentias morientium, si tamen haberi non possit, illud in hoc casu quod legitur credimus obtinere : *Crede, et manducasti :* cum sacramentum non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludat, ipsaque necessitas speretur in proximo defutura (51). Si tamen viris religiosis ab initio licuisset juxta suorum privilegiorum tenorem, exclusis excommunicatis et interdictis, clausis januis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, nec nobis fuisset molestum, nec absonum exstitisset ; possetque per illud tam in hoc quam in aliis congruum remedium adhiberi, præsertim ut per oblationem hostiæ salutaris divina placaretur in hac necessitate majestas.

Datum Anagniæ, XVIII Kal. Julii, anno undecimo.

CIII.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO LEGIONENSI.

*De presbytero cui virilia abscissa fuerant per vim.*

(Anagniæ, VIII Id. Junii.)

Dilectus filius G, presbyter in nostra proposuit præsentia constitutus quod cum olim ipsum adhuc diaconum M. miles Legionensis diæcesis, dolum et fraudem sub liberalitatis specie pallians, ad suum convivium invitasset, ex eo quod falso quamdam ipsius militis concubinam dicebatur carnaliter cognovisse, miles ipse quod gerebat in pectore detegens simultatem, eidem diacono abscidere virilia non expavit. Cum autem id ad principis terræ audientiam pervenisset, ac dictus diaconus fere mortuus pateretur, idem princeps zelo vindictæ accensus, militem et concubinam ipsius fecit incendio concremari. Postmodum vero præfatus diaconus de vulnere convalescens, hoc tacito procuravit se in presbyterum promoveri ; qui ad apostolicam sedem accedens, nobis humiliter studuit supplicare ut secum super hoc misericorditer agere dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit presbyterum sæpedictum ab imposito sibi crimine fornicationis immunem et in illa quam exercuit princeps vindicta inculpabilem penitus exstitisse, in suscepto ministrare ordine permittentes eumdem, ipsi super hoc eo prætextu nullam injuriam irrogetis, indicentes ipsi purgationem canonicam, si forte super iis fuerit infamatus.

Datum Anagniæ, VIII Idus Junii, anno undecimo.

(50) Vide cop. 19, De sent. excom. in 6.
(41) Vide infra epist. 258.

CIV.

FRATRIBUS HOSPITALIUM SANCTI SPIRITUS APUD URBEM ET MONTEMPESSULANUM DOMINO FAMULANTIBUS.

*Ut caput ordinis S. Spiritus sit in urbe Roma.*

(Anagniæ, VI Id. Junii.)

Defuncto Romæ felicis memoriæ Guidone, qui vestrorum Hospitalium primus exstitit institutor et rector, cum quidam ex fratribus vestris a Montepessulano directi (52), et alii venientes ab Urbe pro substitutione rectoris, in nostra essent præsentia constituti, de ipsorum consilio et assensu, quia videbatur plurimum expedire, statuimus ut caput et magisterium ordinis vestri perpetuo perseveret in Urbe apud hospitale Sancti Spiritus in Saxia, ita quod rector ipsius præsit universis fratribus ordinis vestri tam præsentibus quam futuris, omnesque sibi teneantur impendere obedientiam et reverentiam regularem, cum autem hospitalis quod est apud Montempessulanum rector fuerit eligendus, de consilio et assensu rectoris hospitalis quod est apud Urbem, regulariter eligatur. Unde nos secundum formam constitutionis hujusmodi eligi fecimus dilectum filium fratrem P. de Granerio in summum rectorem hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, firmiter injungentes ut de ipsius consilio et assensu in hospitali Sancti Spiritus apud Montempessulanum rector idoneus eligatur. Quocirca universitatem vestram per apostolica scripta monemus quatenus quod a nobis est salubriter institutum, a vobis et successoribus vestris et nunc et semper inviolabiliter observetur, cæteris in suo robore permanentibus quæ in privilegio utrique hospitali a nobis indulto continentur expresse. Nulli ergo... nostræ constitutionis et jussionis. etc. Si quis autem, etc.

Datum Anagiæ, VI Idus Junii, anno undecimo.

CV.

ARCHIEPISCOPO RAGUSINO ET ARCHIDIACONO TRAGURIENSI.

*Irritatur sententia lata contra Templarios.*

(Anagniæ, III Id. Junii.)

Significarunt nobis fratres militiæ Templi de Uratia [Croatia] quod cum ad venerabilem fratrem nostrum episcopum Tinniensem contra Nonensem episcopum nostras litteras impetrassent, idem Nonensis episcopus amicabiliter super iis de quibus inter ipsos quæstio vertebatur composuit cum eisdem, sed præfatus Tinniensis episcopus ex litteris nostris occasione suscepta præfatum Nonensem episcopum contra quem rancorem conceperat, eisdem fratribus nescientibus, excommunicationis vinculo innodavit, ductus arbitrio propriæ voluntatis, non judicio rationis. Quocica discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius veritate, si rem inveneritis ita esse, præfa-

(52) Vide infra epist. 169.

tam excommunicationem denuntietis irritam et inanem. Nullis litteris, etc.

Datum Anagniæ, III Idus Junii, anno undecimo.

CVI.

YPORIENSI EPISCOPO.

*Ut consentiat translationi suæ ad Ecclesiam Thessalonicensem.*

(Apud S. Germanum, V Kal. Julii.)

Cum Thessalonicensis metropolis, quæ in regno Græcorum quasi præcipua post Constantinopolitanam sedem habetur (53), pastoris sit regimine destituta, nos ei volentes paterna sollicitudine providere, personam tuam, quam multiplici dote virtutum reputamus idoneam, ejus regimini duximus deputandam, terræ potestatis accedente consensu, quin etiam desiderio concurrente. Credentes igitur, imo pro certo tenentes quod tuum jactans in Domino cogitatum, a quo gressus hominis diriguntur, illud debeas respondere, *Domine, si populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, fraternitatem tuam rogandam duximus et monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, in remissionem peccanimum injungendo, quatenus divinæ vocationi consentiens, onus istud pro Deo reverenter assumas, et novellæ plantationi, quæ si tuo fuerit exculta labore, fructum speratur multimodum productura, manum irrigationis apponas, ut ille tribuat incrementum qui tuum ministerium in hac parte requirit. Dispositis itaque quæ ad hoc cognoveris necessaria, nostro te conspectui repræsentes, recepturus a nobis consilium et auxilium opportunum.

Datum apud Sanctum Germanum, V Kal. Julii, anno undecimo.

CVII.

CAPITULO GERUNTINENSI.

*De electione episcopi*

(Apud S. Germanum, VI Id. Julii).

(54) Dilectus filius magister Guillelmus concanonicus vester olim apostolatui nostro suggessit quod bonæ memoriæ episcopo vestro viam universæ carnis ingresso, major et sanior pars vestri convenerat in eumdem et ipsum eligere in episcopum proponebat sed impediente nobili viro comite Cuntronensi non fuit electio celebrata. Postmodum autem idem comes de ipso episcopatu Madium capellanum suum investiens, vobis injuxit ut vel a terra recederetis ipsius, vel eligeretis eumdem Madium in pastorem. Quod cum venerabilis frater noster archiepiscopus Sanctæ Severinæ tunc electus audisset, prædictum Guillelmum ad suam præsentiam accersivit, et asserens quod propter negligentiam vestram ad ipsum erat eligendi auctoritas devoluta, ipsum induxit ut electioni de se faciendæ præberet assensum. Qui suis monitis acquiescens, electus exstitit ab eodem, suffraganeorum ejus interve-

A veniente conniventia et consensu. Verum postquam hoc innotuit comiti supradicto, vos ad suam præsentiam convocatos tandiu fecit in custodia detineri donec præfatum Madium communiter elegistis. Qui accedens ad præsentiam dilecti filii nostri Gerardi Sancti Adriani diaconi cardinali apostolicæ sedis legati, beneficium obtinuit confirmationis ab ipso. Sed memoratus Guillelmus postmodum ad eumdem cardinalem profectus, ne illum faceret consecrari nostram audientiam appellavit, et tandem in nostra proposuit præsentia constitutus quo idem Madius prodiderat quoddam castrum, et mediante pecunia investituram episcopatus de manu receperat laicali, ac etiam ante confirmationem obtentam multa bona Ecclesiæ dilapidando vastarat. Unde B nos venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cusentino et Bisinianensi et Geneocastrensi episcopis dedimus in mandatis ut vos et alios quos contingeret nominari compellerent super iis omnibus dicere veritatem, et si de prædicto Madio invenirent electionem irregulariter celebratam, denuntiarent eam irritam et inanem ipsum ad restitutionem rerum Ecclesiæ mediante justitia compellentes ac postmodum inquisita circa electionem præfati Guillelmi sollicite veritate, quod justum esset statuerent appellatione remota. Qui, sicut in eorum litteris perspeximus contineri, cum semel ac secundo ac tertio peremptorio tam prænominatum Madium quam et vos, necnon etiam abbates Ecclesiæ Geruntinæ ad suam præsentiam citavissent, dictus C Madius per menses quatuor exspectatus nec accessit ad ipsos, nec vos permisit accedere, vel abbates. Cum autem propter suspicionem dilapidationis ab episcopalium administratione suspendissent eumdem, et ipse nihilominus administrare præsumeret, excommunicationis in eum sententiam protulerunt; qua ille contumaciter vilipensa non destitit celebrare. Unde cum eis per dicta juratorum testium constitisset quod idem Madius investituram episcopatus de manu susceperat laicali, et perjurium incurrerat, ac proditionem et homicidia necnon etiam Simoniam multipliciter perpetrarat, quod etiam electio ejus extorta fuerat, et consecratio, non solum post appellationem, verum etiam alias contra canones attentata, demum habito prudentum consilio quod D factum de ipso fuerat sententialiter cassaverunt. Nos igitur iis et aliis quæ super ipso negotio nobis fuerunt exposita diligenter auditis, attendentes quod canon Lateranensis concilii contra negligentes editus ad archiepiscopatus vel episcopatus non solet extendi, sed ad personatus alios et minora (55) ecclesiastica beneficia coarctari, electionem præfati Guillelmi qui ab archiepiscopo et suffraganeis ejus fuit, ad quos electio non spectabat, eiectus, non reatu personæ, sed justitia cassavimus exigente. Dictum quoque Madium, qui per inquisitio-

(53) Factus est postea patriarcha Antiochenus. Vide infra lib. XII, epist. 8, 38, 39.

(54) Cap. *Dilectus*, De concess. præbenda.

(55) Cod. Andegav., *aliaque minora*.

nem a præfatis delegatis de ipso factam inventus est multis criminibus præpeditus, et latam in se suspensionis et excommunicationis sententiam non servavit, imo administravit suspensus et et excommunicatus non erubuit celebrare, sicut ex relatione judicum plene constitit, a Geruntinensi prorsus Ecclesia censuimus removendum. Nolentes igitur quod dominico gregi diutius desit cura pastoris, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus infra mensem post susceptionem præsentium curetis ecclesiæ vestræ de persona idonea per electionem canonicam in episcopum providere. Alioquin præfatis archiepiscopo et episcopis nos dedisse noveritis in mandatis ut extunc auctoritate nostra suffultis idoneum vobis pastorem assignent, contradictiones per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum apud Sanctum Germanum, VI Idus Julii, anno undecimo.

*In eumdem fere modum scriptum est Gregorio Sancti Theodori diacono cardinali. Initium epistolæ:* Ex litteris bonæ memoriæ. *Ita nos docet vetus exemplar Andegavense tertiæ collectionis decretalium.*

## CVIII.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANO APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Ei legatio prorogatur in quadriennum.*

(Apud S. Germanum, VII Id. Julii.)

Cum exitus quadriennii videatur instare per quod tibi commisimus in Hierosolymitana provincia legationis officium exercendum, et neque circa te nostra gratia neque circa nos tua devotio refriguerit, quinimo necessitas terræ sanctæ, propter quam hujusmodi tibi fuit indulta legatio non cessarit, legationem ipsam tibi duximus in aliud quadriennum committendam, fraternitatem tuam rogantes attentius et monentes ac per apostolica tibi scripta mandantes quatenus auctoritate præsentium commissæ tibi sollicitudinis ministerium per præfinitum tempus, exerceas laudabiliter et prudenter.

Datum apud Sanctum Germanum, VII Idus Julii, anno undecimo.

## CIX.

EIDEM ET DILECTIS FILIIS MILITIÆ TEMPLI ET HOSPITALIS HIEROSOLYMITANI MAGISTRIS.

*Monentur ut invigilent custodiæ terræ sanctæ.*

(Apud S. Germanum, VI Id. Julii.)

Super miseria terræ sanctæ per diem ac noctem quasi torrentem lacrymas deducentes, subventionem ipsius quomodocunque ac etiam undecunque possumus, nec destitimus hactenus nec etiam adhuc desistimus procurare, ita quod ad nostræ sedulitatis hortatum plurimus Christianorum exercitus in Alamania cum nobili viro duce Austriæ ac in Francia cum comite Augi aliisque magnatibus ad ejusdem auxilium præparatur, et in Theutonia generalis fit pro sua subventione collecta de universali assensu principum constituta et nostræ auctoritatis munimine roborata. Quia igitur pro ipsius terræ detentione pecuniam vobis esse credimus necessariam qræsentium vobis auctoritate mandamus quatenus eleemosynam Cisterciensis ordinis et quadragesimam de mandato nostro a venerabili fratre nostro Parisiensi episcopo destinatam, depositam apud Templum, accipere ac tam ipsam quam mille libras Provenienses (56), quas nuper in subsidium terræ sanctæ de beati Petri eleemosyna destinavimus, expendere procuretis prout terræ sanctæ necsssitati et utilitati noveritis expedire. Apud nos autem sunt quædam aliæ fidelium eleemosynæ, quas vobis opportunitate mittemus inventa, circa subventionem ejusdem terræ sine intermissione qualibet diligentem et utinam efficacem operam impensuri. Rogamus autem discretionem vestram propensius et hortamur quatenus ad gubernandum hæreditatis Christi reliquias prudenter et constanter per eos et alios quos habetis auxiliarios intendatis, non solum in finibus vestris, verum etiam in Antiochia et in Tripoli, donec præduce Deo præparata jam et in proximo præparanda militia vobis Christiana succurrat. Nos autem propter hoc specialiter intendimus incessanter ad pacem, non solum in imperio, verum etiam et in regnis, ubicunque desuper datum fuerit, reformandam, ut tanto copiosius exinde terræ sanctæ subsidium procuretur quanto cessantibus domesticis simultatibus, ad id intendere poterunt efficacius ii quos tangit injuria crucifixi.

Datum apud Sanctum Germanum, VI Idus Julii, anno undecimo.

## CX.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANO APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*De electione patriarchæ Antiocheni.*

(Apud S. Germanum, IV Id. Julii.)

(57) Quasi non suffecissent Antiochenæ provinciæ impietatum scelera scelerumque impietates quibus graviter iram Domini provocavit, apposuit Tripolitanus comes mittere manum suam in christum Domini, piæ memoriæ patriarcham Antiochenum patrem ac dominum suum carceri mancipando, in quo tandem miserabiliter exspiravit. O nobilis Antiochia, urbs perfectæ decoris, et terræ quasi gaudium universæ, quam graviter esse cerneris per tam grave ignobilitata flagitium, quam turpiter per tam turpe facinus offuscata! Cui comparabimus te, vel cui tuam possumus miseriam adæquare? Omnis enim calumnia in medio tui est: quæ cisterna facit frigidam aquam suam, ita militiam tuam frigidam reddidisti. Præterea cum comparatione prævaricationis tuæ sororum tuarum justificasse animas videaris, velut inimicus tetendit Dominus arcum suum, suamque firmavit dexteram quasi hostis ut nisi per pœnitentiæ dignos fructus a fa-

(56) Vide infra lib. XII, epist. 28.

(57) Vide supra lib. X, epist. 214.

cie arcus fugias, plaga inimici te feriat et percutiat castigatione crudeli, fiatque sicut mare contritio tua magna, et egrediatur ut ignis super te indignatio Domini ac succendat, tuque demum [dum] qui possit extinguere non invenias, profundum et latum bibas calicem iræ Dei. Super quibus omnibus, post illud quod speramus e cœlo, ad cujus nos auxilium convertemus nisi, dilectissime ac desiderantissime frater, ad tuum; qui, etsi pari nobiscum affectu super tanta calamitate complores, fortasse tamen merito potiori occurrere sibi potes? (58) Quia igitur propter varias circumstantias per præsentiam tuam melius posse credimus Antiochenæ Ecclesiæ subveniri quam a nobis absentibus valeat designari, committendas tibi duximus super hoc plenarie vices nostras fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus canonicis ejusdem Ecclesiæ, si quos excommunicatos inveneris, juxta formam Ecclesiæ absolutis, commoneas et inducas illos ad quos patriarchæ Antiocheni spectat electio ut infra tempus quod eis duxeris præfigendum personam idoneam de provincia ipsa vel alia citra mare vel ultra per electionem canonicam cum consilio tuo sibi præficiant in pastorem. Alioquin extunc habito præ oculis solo Deo, talem eis undecunque in pastorem assignes qui tanto congruat oneri et honori, obedientiam et reverentiam debitam ei faciens exhiberi, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo compescendo Circa decanum autem ecclesiæ memoratæ, qui multipliciter dicitur malignatus in eam, licet a multis contrarium asseratur, inquisita super eis et cognita veritate statuas appellatione remota quod secundum Deum et utilitatem ipsius ecclesiæ videris statuendum. Præfatum vero comitem qui tantum sacrilegium perpetravit, tanquam excommunicatum anathematizatum, et maledictum, tandiu facias arctius evitari donec per satisfactionem condignam, si tamen ei de tanto scelere satisfacere digne detur, absolutionis beneficium mereatur. Denique, ne quid de contingentibus omittamus, tam super eis quam etiam super omnibus quæ negotium hoc contingunt plenam tibi conferimus potestatem, ut vice nostra de universis statuas et de singulis appellatione postposita quod videris expedire.

Datum apud Sanctum Germanum, IV Idus Julii. anno undecimo.

### CXI.

RICHARDO ABBATI ET CONVENTUI SANCTÆ MARIÆ DE BOLONIA SUPRA MARE TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Germanum, VI Id Julii.)

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri; ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ Boloniensi super mare, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Honorii prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetui ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, etc., *usque* illibata permaneant, in quibus hæc propriis, etc. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, terris, vineis, pratis, pascui et pasturis, silvis, aquis molendinis, piscationibus, ecclesiis, villis, domibus, hospitibus, comitatibus, familiis, advocationibus, cunctisque suis mobilibus vel immobilibus, cultis vel incultis. Totam parochiam civitatis Boloniæ, ac parochiala jura, et quæ continentur in subditis. Infra muros ejusdem civitatis Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ. Extra muros ecclesiam Sancti Martini cum decimis et appendiciis suis. Et in eadem parochia capellam leprosorum, capellam Sancti Petri de Nienburc, capellam Sancti Nicolai de Nienburc extra muros, et capellam hospitalis Sanctæ Catherinæ infra muros in usus vobis proprios deputatam. Infra muros ejusdem civitatis duas mansuras Carleti, mansuram Ardulfi panetarii, mansuram Petri de Rua; mansuram unam Eustachii de Pernes, mansuram Allelmini, mansuram Willelmi camerarii, tres mansuras Ingelranni decani, mansuras parvulas, mansuram Lamberti Sicci, mansuram Rogeri Lipardi, mansuram Ermescendis, mansuram Bernardi clerici, mansuram Ostonis, mansuram Balduini filii Azonis, mansuram Balduini Mundolfi, mansuram Clarembaldi de Indreham, mansuram Godeberti, mansuram Guarini de Felnes, mansuram Leivardis, quatuor mansuras Gozelini de Odra, mansuram Flamerici, mansuram Otberti, mansuram Olrici, mansuram Gumburgis, mansuram Guarneri, mansuram Frononis, mansuram Otberti sacerdotis. In vico Fori mansuram Martini. Ad posternam quatuor mensuras. In Nienburc omnes mansuras quæ sunt in sabulo quod dicitur Sanctæ Mariæ. In Arkesten terram Radulfi Bevarag. et mansuram Elemberti et mansuram Rayneri, mansuram Erembergæ, mansuram Alulfi, mansuram Soimani, mansuram Soimeri, mensuram Theobaldi, et mansuram Erkenfridi. Altare de Hissingehem, altare, de Condeta, altare de Bandingetune, altare de Gestingehem cum deciminis suis, altare de Curs, altare de Belebrone altare de Alingetuna, altare de Wirla cum decimis et appendiciis suis, altare de

(58) Vide lib. XII. epist. 8.

Hesding, altare de Nieles, altare de Nameringehem, capellam de Colesbere, altare de Ingehem cum tota decima et duabus carrucis terræ in eadem villa, et capellam de Halketa, et curtem de Avions cum decimis et appendiciis suis, hospites et redditus in castello de Lens decimam de Telingetum, decimam Guastinæ, decimam cappellæ, decimam de Godingetuna, decimam de Aquingehem, decimam de Timbron. In decima de Altafontaina quinque polkinos avenæ. In decima de Issingehem septem polkinos frumenti quos dedit ecclesiæ vestræ quondam Girardus de Buxin, et decimam de Huppen. In Licernes et in Frenc hospites et terram. In Cormonte hospites et terram. In Camier hospites et terram cum parte molendini. In Dalnis terram, in Nieles terram, in Flemis terram, in Novo Castello terras et redditus, in Vacaria terram, in Froingehem terram et hospites, et terram, in Letingehem hospites et terram in Walbingehem et Tegata terras, in Hermarenges et Isica terras et pratum, in Cahem et in Helkeningesterras et redditus, in Hockingehem et Issingehem terras et redditus, in Badinteguna terram, in Tornes terram, in Makingehem et in Celles hospites et terram, in Bellomonte terram et hospites, in Bovemberg terram et hospites, in Deningehem et Wicardenges terram, et hospites, in Odra et Telingetuna terram et hospites, in Faingehem terram, in Ouringehem et Poteria terram et hospites, in Westrehoua terram et hospites, in Ostrehen terram et redditus, in Bokendale terram, in Stalis et Odressele terras et hospites, in Squifein et Hungrevelt terras et redditus, in Tudingetuna terras et redditus, in Wadingetuna terras, in Hodingehem terras et redditus, in Goningesele terram et redditus, in Seiles terram redditus, in Lokingehem terram, in Raventum terras et redditus, in Ambletue redditus, in Basingehem terras et redditus, in Ostova redditus, in Wincela redditus, in Pernes redditus, in Yweslo terram, in Helingetuna terram, in Buæerdes partem decimæ, in Felnis terram, in Hardentuna terram, in Markisa terram redditus, in Wisifra terram et redditus, in Holesfort terras et redditus, in Hesdin terras et redditus, in Hecolt pratum in Wahingehem octo polkinos frumenti ad, mensuram de Gines, in Pitesfelt terras et redditus, in Fogenhove terras et redditus, et in Manengehem terras in redditus, in Honingetuna terras et redditus, in Wimulge terras et redditus, in Lesingehem terras et redditus, et in Humeris terram et nemus. Terras etiam et mansuras ex dono comitis Eustachii ecclesiæ vestræ collatas, et medietatem tertiæ partis decimæ de Hissingehem, et sextam partem ejusdem remanentis, et in Telingetuna quatordecim polkinos avenæ et duos solidos et duos denarios, et in Fogenhove quatuor solidos et duodecim denarios quos habetis ab Ecclesia Andernenensi, et subterias quas habetis in navibus piscantium vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus etiam ut in parochiis vestris nullus capellam refragante voluntate vestra ædificare præsumat. Salvis privilegiis Romanorum pontificum. Nullusque presbyter sive clericus in ecclesiis vel capellis vestris sine vestro assensu in libera voluntate per se vel per vim alterius licentiam habeat permanendi aut aliquod sibi officium assumendi. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus. etc. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes, etc. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, etc. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, etc. Salva tamen canonica justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullis ibi, etc. In parochialibus vero ecclesiis quas habetis liceat vobis sacerdotes eligere et diœcesano episcopo præsentare; quibus si idonei fuerint episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Statuimus etiam ut nemini liceat ecclesiæ vestræ novas et indebitas exactiones imponere, aut in vos vel ecclesiam vestram seu clericos vestro sine manifesta et rationabili causa excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare. Libertates quoque et immunitates antiquas et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ concessas et hactenus observatas ratas habemus et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, etc. Salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justititia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *usque* ultimi subjaceat. Cunctis autem eidem loco, etc., *usque in finem*. Amen.

Datum apud Sanctum Germanum per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, VI Idus Julii, indict. XI, Incarnationis Dominicæ anno 1208, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno undecimo.

## CXII.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITULO ATHENIENSI.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Germanum, VI Id Julii.)

Solet annuere, etc., *usque* consensu, personas et ecclesias vestras, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipiscis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et ea vobis ac per vos ecclesiis vestris, sicut ipsa juste ac pacifice possidetis, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus Nulli ergo. . . nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum apud Sanctum Germanum, VI Idus Julii, anno undecimo.

CXIII.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITULO ATHENIENSI.

*Ut Ecclesia Atheniensi ordinetur secundum consuetudines Ecclesiæ Parisiensis.*

(Apud S. Germanum, II Id. Julii.)

Sacrosancta Romana Ecclesia, cui disponente Domino præsidemus, eo efficacius exaudire suos subditos consuevit, quo devotius suffragium ab ipsa requirunt. Quia igitur a nobis cum reverentia debita postulastis ut vestram ecclesiam dignaremur secundum institutiones Parisiensis Ecclesiæ ordinare, ac ejus consuetudines faceremus in ipsa firmiter observari, vobis portiones legitimas possessionum suarum, redditum et proventum assignantes, certo canonicorum numero, quem dilectus filius noster Benedictus tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis tunc apostolicæ sedis legatus ibidem instituit, in suo robore remanente, nos postulationi vestræ grato concurrentes assensu, universitati vestræ concedimus quatenus, si fieri potest absque detrimento ipsius ecclesiæ ac justo scandalo cleri et populi ac terræ illius principis, eam secundum consuetudinem Parisiensis Ecclesiæ libere ordinetis.

Datum apud Sanctum Germanum, II Idus Julii, anno undecimo.

CXIV.

DIMICENSI EPISCOPO.

*Episcopatus Calidoniensis ei commendatur.*

(Datum, *ut in alia.*)

Ex eo te sedi apostolicæ reverentiam debitam perpendimus exhibere, quod præter ipsius consilium et mandatum tibi jurisdictionem indebitam nou usurpas, sed in his potius requiris gratiam ab eadem ad quæ quadam necessitate iuduceris requirenda. Sane in nostra proposuisti præsentia constitutus quod cum ad Dimicensis Ecclesiæ regimen per electionem canonicam evocatus, quæ fuit per venerabilem fratrem nostrum Larissenum archiepiscopum postmodum confirmata, non possis de ipsius redditibus sustentari, nobilis vir A. comestabulus regni Thessalonicensis, princeps illius terræ, tuæ compatiens paupertati, episcopatum Calidoniensem tuo contiguum tibi voluit assignare; cujus concessioni acquiescere minime voluisti nisi de nostra licentia speciali, sed nostram super eo misericordiam postulasti. Nos autem cum fratribus nostris deliberato consilio tibi duximus concedendum, quatenus Dimicensem episcopatum tanquam tuum possidens, si fieri potest absque detrimento ecclesiæ utriusque ac sine justo scandalo cleri et populi et terræ illius principis, tandius episcopatum Calidoniensem teneas et habeas commendatum, donec per apostolicam sedem aut ejus legatum aliud contigerit ordinari, sic tamen ut ejus curam utiliter administres.

Datum, *ut in alia.*

CXV.

CITRIENSI ELECTO.

*Episcopatus Platamonensis ei commendatur.*

(Eadem data.)

Ex eo te sedi apostolicæ reverantiam, etc., *ut in*

A *alia, usque* constitutus, quod cum ad Ecclesiæ Citriensis regimen per electionem canonicam evocatus, quæ fuit per dilectum filium nostrum Benedictum tituli Sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem tunc apostolicæ sedis legatum postmodum confirmata, non possis de ipsius redditibus sustentari, nobilis vir Rolandus Piscius, princeps illius terræ, tuæ compatiens paupertati, episcopatum Platanonensem contiguum tuo tibi voluit assignare, cujus concessioni, etc., *ut in alia, usque in finem.* Eadem data.

CXVI.

NOBILIBUS VIRIS DOMINIS THEBARUM.

*Ut persolvaut decimas Ecclesiæ Thebanæ.*

(Datum, *ut in alia.*)

Nobilitatem vestram rogandam duximus et monendam per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ab Ecclesia Thebana et clericis archiepiscopatus ejusdem non præsumentes crusticam vel aliquid contra justitiam extorquere, ab indebitis eorum exactionibus de cætero taliter desistati, quod nullam de vobis justam habeant materiam conquerendi, vobis nihilominus injungentes ut decimas quas quilibet Christianus tenetur de jure solvere, cum Dominus ipse præceperit in horrea sua decimationes inferri, persolvatis Ecclesiæ memoratæ, ac ei, prout tenemini, faciatis persolvi tam a Græcis vobis subditis quam Latinis.

Datum, *ut in alia.*

CXVII.

NOBILIBUS VIRIS DOMINIS NIGRIPONTIS.

*De eadem re.*

Nobilitatem vestram, etc, *ut in alia, usque* mandantes quatenus ab Abinonensi Ecclesia et clericis episcopatus ejusdem non præsumentes, etc., *usque in finem.*

Datum.

CXVIII.

NOBILIBUS VIRIS DOMINIS FERMOPILENSIBUS ET DOMINIS THEBARUM.

*De eadem re.*

(Datum, *ut supra.*)

Nobilitatem vestram, etc., *ut in aliis, usque* mandantes quatenus decimas ab Ecclesia Fermopilensi et clericis episcopatus ejusdem non præsumentes, *ut in aliis, usque in finem.*

Datum, *ut supra.*

CXIX.

NOBILI VIRO ROLANDO PISSA.

*De eadem re.*

(Datum, *ut supra.*)

Nobilitatem tuam, etc., *usque* mandantes quatenus ab ecclesia Platamonensi et clericis episcopatus ejusdem non præsumens, etc.

Datum, *ut supra.*

CXX.

NOBILI VIRO COMESTABULO THESSALONICENSI.

*Ut dignitates et possessiones Ecclesiæ Dimicensi restituat.*

(Data eadem.)

Nobilitatem tuam, etc., *usque* mandantes quatenus

papates et possessiones ecclesiasticas, tam a te quam illis qui tuæ sunt jurisdictioni subjecti detentas, cum fructibus inde perceptis restituens et restitui faciens, sicut justum fuerit, ecclesiæ Dimicensi, ab ipsa ecclesia et venerabili fratre nostro episcopo et clericis episcopatus ejusdem non præsumas crusticam vel aliquid contra justitiam extorquere, sed ab indebitis ejus exactionibus sic desistas, quod nullam de te justam habeant materiam conquerendi, tibi nihilominus injungentes ut decimas, etc., *ut supra. usque in finem.*

Data eadem.

CXXI.

NOBILI VIRO O. DE ROCCA, DUCI ATHENARUM.

*De solutione decimarum.*

(Data eadem.)

Nobilitatem tuam, etc., *usque* mandantes quatenus ab Atheniensi Ecclesia et clericis archiepiscopatus ejusdem non præsumentes, etc., *ut in superioribus*

Data eadem.

CXXII.

LARISSIENSI ARCHIEPISCOPO.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Apud S. Germanum, VI Id. Julii.)

Solet annuere, etc., *usque* assensu, possessiones qua ecclesia tua olim possedit et adhuc juste possidet et quiete, tibi et per te ipsi ecclesiæ auctorite apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum apud Sanctum Germanum, VI Idus Julii anno undecimo.

CXXIII.

MAGISTRO ET FRATRIBUS HOSPITALIS SANCTI SANSONIS CONSTANTINOPOLITANI.

*De confirmatione privilegiorum.*

Cum a nobis petitur, etc., *usque* assensu, personas vestras et hospitale Sancti Sansonis, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum Deo propitio justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Institutiones quoque quas dilectus filius Benedictus tituli Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis tunc apostolicæ sedis legatus ibidem fecisse dignoscitur, sicut rationabiliter factæ sunt et in ejusdem authentico plenius continentur, ratas habentes, ipsas præcipimus firmiter observari. Nulli ergo... nostræ protectionis et jussionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum *ut in alia.*

CXXIV.

ABBATI ET CONVENTUI FOSSÆ NOVÆ.

*Dedicatione altaris.*

(Apud monasterium Casinense, XII Kal. Augusti.)

Si olim in veteri testamento altaris consecratio A celebris habebatur, quanto magis nunc in novo debet solemnis haberi, cum non minus inter illud et istud quam inter lucem et umbram distet altare. In illo sane carnales et irrationales hostiæ mactabantur, in isto vero illud unicum et vivificum holocaustum semper offertur quod pro redemptione humani generis semel in ara crucis exstitit victimatum, videlicet unigenitus Dei Filius Jesu Christus, idem ipse sacrificium et sacerdos, qui et pretium se dedit in cruce, ut moriens fideles suos a morte redimeret, et cibum se tribuit in altari, ut vivens fideles suos alat ad vitam, incorporans sibi ejus edentes, ut per hoc quod accepit ipse de nostro, et accipimus ipsi de suo, in unum corpus caput et membra in solubiliter uniamur, ipso rogante ut omnes in ipso B sicut in Patre ac Pater in ipso sint unum. Cum ergo magnum et arduum sit sacramentum altaris, utique longe majus quam nos possimus ordiri, ad consecrandum in monasterio vestro novum altare quod in nova basilica erexistis a vobis cum multa supplicationis instantia multoties invitati, ad monasterium ipsum descendimus, imo verius ascendimus ad montem Bethel, in quo degunt filii prophetarum, utinam illo igne cœlitus inflammati qui secundum præceptum Dominicum semper in altari debet ardere, ipsumque sacrosanctum altare cum honorabili cœtu episcoporum et cardinalium (59); asistente fidelium multitudine copiosa, XIV Kal. Julii solemniter propriis manibus consecravimus, hanc expetentes et exspectantes a Christo mercedem, ut C quoties super illud in mysterio salutari mortis ejus memoria frequentabitur, ipse sit nostri memor in bonum; ut per suæ mortis virtutem et a morte gehennæ nos eripiat in futuro, illorum piis precibus exoratus qui pro salute vivorum ac defunctorum super ipsum altare holocaustum ei offerent medullatum. Ut igitur ipsius altaris consecratio veneranda singulis annis devotius celebretur, universis qui ad celebritatem consecrationis ipsius infra quindecim dies devote convenerint, de injunctis sibi pœnitentiis pro peccatis indulgentiam unius anni concedimus, de illius pietate confisi qui est remissio peccatorum. Licet autem monasterium vestrum juris et proprietatis sit sedis apostolicæ speciale quia tamen ex hoc juris et proprietatis ipsius quasi specialius est effectum, nos illud sub speciali cura et D principali tutela beati Petri suscipimus cum omnibus rebus quas inpræsentiarum justo titulo possidet aut in futurum justis modis poterit adipisci, ut secundum privilegia prædecessorum nostrorum ac nostra semper eas sine contradictione possideat, gaudens ubique privilegiis et indulgentiis universis tam generalibus quam etiam specialibus a sede apostolica impetratis. Cunctos igitur ipsius jura servantes apostolica benedictio prosequatur, eosque divina majestas et justificet in præsenti et glorificet in futuro. Turbatores autem ipsius, nisi com-

(59 Chron. Fossæ Novæ ad ann. 1208: *Feria quarta, clarente die D., papa dedicavit altare majus Ecclesiæ novæ.*

moniti resipuerint, reos se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscant et munere apostolicæ benedictionis immunes, scientes quod ideo sub altare reliquiæ martyrum reconduntur ut ibi contra persecutores ipsius loci vindicta justi sanguinis postuletur ubi sanguis justus commemoratur effusus, juxta quod legitur: *Vidi sub altare Dei animas occisorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant, et clamabant dicentes* : *Usquequo, Domine* (*sanctus et verus*), *non judicas et vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant super terram*. (*Apoc.* VI). Omnibus autem eidem loco sua jura servantibus consolatio sancti Spiritus tribuatur hic et in ævum. Amen.

Datum apud monasterium Casinense, XII Kal. Augusti, anno undecimo.

CXXV.

RAYNALDO CAPUANO ARCHIEPISCOPO EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum*

(Apud S. Germanum, x Kal. Augusti.)

Cum ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, quo cunctis Christi fidelibus ex superni dispositione arbitrii præeminemus, singulorum paci et tranquillitati debeamus intendere, præsertim pro illorum quiete oportet nos esse sollicitos qui pastorali dignitate sunt prædicti et ad officium pontificale promoti. Nisi enim nos eorum utilitatibus intendentes ipsorum dignitates et jura, in quantum Deo permittente possimus, integra conservemus, et auctoritate apostolica eos ab iniquorum hominum incursibus defendamus, de illorum salute non poterunt esse solliciti qui sibi ad regendum Domino sunt disponente commissi. Hujus itaque rei consideratione, venerabilis in Christo frater archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus (60), statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, etc., *usque* permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Episcopatum Aquinatem, episcopatum Venafranum, episcopatum Yserniensem, episcopatum Theanensem, episcopatum Suessanum, episcopatum Calinensem, episcopatum Calvensem, episcopatum Cajatiensem, et episcopatum Casertanum. In Capua abbatiam Sanctæ Mariæ Majoris, ecclesiam Domini Salvatoris, ecclesiam Sancti Joannis ad Curtem, ecclesiam Sancti Michaelis, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Arcu, ecclesiam Sanctorum Apostolorum, ecclesiam Sancti Jacobi in Castello. In diœcesi Ecclesiæ Theanensis, ecclesiam Sancti Erasini, ecclesiam Sanctæ Mariæ, ecclesiam Sanctæ Helenæ et ecclesiam Sancti Nicolai quæ sunt

A in territorio Scarpati, in loco Bairan, ecclesiam Sancti Heliæ, et ecclesiam Sancti Martini. In Fontana de Corrigiis ecclesiam Sanctæ Mariæ. In diœcesi Ecclesiæ Suessanæ ecclesiam Sanctæ Luciæ de loco Sorbelli. In diœcesi Ecclesiæ Calinensis, in Rocca montis Draconis, ecclesiam Sancti Ruffini, et ecclesiam Sancti Marci. In territorio Calinensi ecclesiam Sancti Pancratii. In diœcesi ecclesiæ Calvensis, ecclesiam Sancti Andreæ ad Cementa, ecclesiam Sancti Germani ad Palera, ecclesiam Sancti Tamari de Monte, ecclesiam Sancti Pauli de Cormello, ecclesiam Sancti Petri de Borleiano, ecclesiam Sancti Simachi, ecclesiam Sancti Erasmi de Moscardino, ecclesiam Omnium Sanctorum de loco Sanguinari. Ad Sclavos ecclesiam Sancti Michaelis,
B ecclesiam Sancti Petri, ecclesiam Sanctæ Mariæ, ecclesiam Sancti Nazarii, ecclesiam Sancti Angeli de Jano, et ecclesiam Sanctæ Mariæ. In loco Camillani, ecclesiam Sancti Angeli, ecclesiam Sanctæ Mariæ, et ecclesiam Sancti Nicolai. In diœcesi Caiatiensi, ecclesiam Sancti Angeli de Melanico, et ecclesiam Sancti Petri ad Bagnatori. In diœcesi ecclesiæ Casertanensis, ecclesiam Sancti Viti de Hercule, ecclesiam Sancti Nazarii in campo Buzariensi, ecclesiam Sancti Petri ad Boffoli, ecclesiam Sancti Secundini, et ecclesiam Sancti Felicis. In territorio Mutronensi, ecclesiam Sanctæ Mariæ, ecclesiam Sancti Felicis, ecclesiam Sancti Petri, et ecclesiam Sancti Stephani. Juxta ipsam diœcesim, ecclesiam Sanctæ Eufemiæ, ecclesiam Sancti Joannis ad Gajanum, ecclesiam Sanctæ Mariæ ad Lupinum, ecclesiam Sancti Felicis, ecclesiam Sancti Prisci. In
C loco Casapuli, ecclesiam Sancti Nicolai, ecclesiam Sancti Arpii, ecclesiam Sancti Petri de Sarsana. In loco Marzanesi, ecclesiam Sancti Angeli et ecclesiam Sancti Martini. In loco Campurcipi, ecclesiam Sancti Cæsarii, ecclesiam Sancti Præcopii, et ecclesiam Sanctæ Beneræ. In loco Airolis, ecclesiam Sanctæ Julianæ et ecclesiam Sancti Nicolai ad Ravulas. In territorio Castelli ad mare, ecclesiam Sancti Adjutoris, ecclesiam Sancti Marcelli, et ecclesiam Sancti Blasii, ecclesiam Sancti Stephani, et aliam ecclesiam Sancti Blasii, ecclesiam Sancti Joannis, ecclesiam Sancti Nicolai, ecclesiam Sanctæ Catherinæ, ecclesiam Sanctæ Crucis. In loco Cancelli, ecclesiam Sancti Angeli, et ecclesiam Omnium
D Sanctorum, ecclesiam Sancti Joannis, et ecclesiam Sancti Apollinaris de Patresano, ecclesiam Sancti Georgii, ecclesiam Sancti Joannis de Turre, ecclesiam Sancti Viti, ecclesiam Sancti Petri, ecclesiam Sancti Nicolai, ecclesiam Sancti Marci, ecclesiam Sancti Castrensis, ecclesiam Sancti Martini de Rosellis, ecclesiam Sancti Flaviani, ecclesiam Sanctæ Barbaræ, ecclesiam Sanctæ Julianæ, ecclesiam Sancti Andreæ. In loco Arnonæ, ecclesiam Sanctæ Mariæ, et ecclesiam Sancti Blasii, ecclesiam Sancti Pauli, ecclesiam Sancti Erasmi de Cazolis. In loco

(60) Vide tom. VI *Ital. sac.* pag. 400.

Grazanesi ecclesiam Sancti Joannis, ecclesiam Sanctæ Mariæ, et ecclesiam Sancti Maximiliani, et ecclesiam Sancti Nicolai. Præterea Judecam decimam et redditum ducentarum librarum ceræ de bajulatione regali. Proventum Castelli ad mare, feudum Panduli compalatii, alveum fluminis a molendino Ricardi de Citro et Roberti de Rocca usque ad potem, sicut ea omnia juste ac pacifice possides, tibi et per et ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Diffinitivam quoque (61) sententiam ab eodem prædecessore nostro super causa quæ inter bonæ memoriæ Alfanum prædecessorem tuum et abbatissam monasterii Sanctæ Mariæ Capuanensis super subjectione ac libertate ipsius monasterii vertebatur exigente justitia promulgatam, sicut in ejus authentico plenius continetur, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Pallium quoque, videlicet plenitudinem pontificalis officii, tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate largimur quo utique infra tuam ecclesiam uti memineris iis diebus quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania Ypapanti, Dominica in Ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecosten, tribus festivitatibus Sanctæ Mariæ, natale Sancti Joannis Baptistæ, solemnitate Omnium Apostolorum, commemoratione Omnium Sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, consecrationibus episcoporum, et ordinationibus clericorum et anniversario tuæ consecrationis die. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, etc., *usque* omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *usque* subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, etc., *usque in finem*. Amen.

Datum apud Sanctum Germanum per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, x Kal. Augusti, indictione XI, Incarnatione Dominicæ anno 1208 pontificatos vero domini Innocentii papæ III anno undecimo.

CXXVI.

RAYNALDO CAPUANO ARCHIEPISCOPO.

*Confirmatur sententia lata per Alexandrum III.*

(Apud S. Germanum. XII Kal. Augusti.)

Solet annuere sedes apostolica, etc., *usque* inclinati, diffinitivam sententiam a felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro super causa quæ inter bonæ memoriæ prædecessorem tuum et abbatissam monasterii Sanctæ Mariæ Capuanensis super subjectione ac libertate ipsius monasterii vertebatur exigente justitia promulgavit, sicut in ejus authentico plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus; cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus litteris fecimus adnotari.

« ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ALFANO Capuano archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Officii nostri debito et auctoritate compellimur ut controversias quæ ad apostolicæ sedis perferuntur examen exacta diligentia et studio debeamus audire; et quæ apud eam decisa fuerint et fine congruo terminata, ne in scrupulum recidivæ contentionis valeant devenire, apostolicis scriptis convenit adnotari. Ad hoc enim ecclesiarum omnium matrem atque magistram sacrosanctam Romanam Ecclesiam providentia divina constituit ut implicitas et graves quæstiones explicare debeat, et quæ dubietate aliqua detinentur, judicii sui examine servato rigore justitiæ diffinire. Cum tu siquidem et dilecta in Christo filia nostra Math., abbatissa Sanctæ Mariæ Capuanensis, pro causa quæ inter te et eam vertebatur super subjectione quam in eodem monasterio requirebas, et libertate pariter in qua eadem abbatissa proclamabat, in nostra essetis præsentia constituti, jam dicta abbatissa privilegia principum et trium prædecessorum nostrorum, Zachariæ videlicet, Leonis, et Adriani Romanorum pontificum, coram nobis in medium protulit. Tu vero econtra proposuisti quod cum infra fines tuæ diœcesis, imo juxta muras tuæ civitatis idem sit monasterium fundatum, jure communi ad ecclesiam tuam debeat pertinere, et super hoc multorum te canonum auctoritate fretum dixisti quibus expresse monstratur quod monasteria et ecclesiæ ad episcopos pertinent in quorum territorio fundata noscuntur. Allegasti etiam quod a sexaginta annis retro ecclesia tua et ii qui te in archiepiscopatus dignitate præcesserunt possessionem ejusdem monasterii, benedictiones abbatissarum et monialium, et celebrationes missarum publicarum, obedientiam et fidelitatem, ac suspensionem clericorum ejusdem monasterii habuissent. Quatuor quoque testes nihilominus produxisti, tres quorum jurati deposuerunt quod Atta abbatissa, cum vacante Ecclesia Capuana a Roberto quondam Suessano episcopo ejusdem Ecclesiæ suffraganeo benedicta fuisset, ad suggestionem canonicorum Capuanæ Ecclesiæ ab eodem episcopo requisita de obedientia et fidelitate ipsi Ecclesiæ exhibenda, tam ecclesiæ quam archiepiscopo, cum foret substitutus, obedientiam et fidelitatem juravit. Adjecisti insuper quod quamdam monialem, quam ejecerat, ad tuam commonitionem et mandatum recepit, et ei in quadam monasterii sui cella de Teano providit. Præterea ipsius monasterii clerici a te et prædecessore tuo de fidelitate requisiti, eam vobis exhibuerunt. Sane cum super iis fuisset hinc inde diutius litigatum, privilegiis principum, quantum ad libertatis donationem et monasterii exemptionem, quia nec illi nec alii laici

(61) Exstat in epist. seq.

hujusmodi possunt ecclesiis libertatem donare, nullatenus, sicut dignum est innitentes, privilegium Zacharia propter stylum dictaminis et corruptionem grammaticæ artis et propter Simoniacum contractum quem continebat, videlicet quod ecclesiam venditam, quod de tam sancto viro nefas est credere, confirmasset, et propter pergamenum etiam, quod vix centum videbatur esse annorum, cum quadringentorum annorum, prout in chronicis habetur, spatium pecurrerit quod idem Zacharias decessit, privilegium autem Leonis propter vitium et corruptionem grammaticæ artis, de quo tam litterato et prudenti viro absurdum est existimare quod tam idiotas scriptores habuerit, et propter bullam, quæ a bullis ejusdem Leonis, quæ coram nobis productæ fuerunt, omnimo comparebat dissimilis ei diversa, cum illæ inter se comparerent per omnia similes, suspecta et fide non digna judicavimus. Porro privilegium bonæ memoriæ Adriani papæ nullam prælibato monasterio absolute libertatem conferebat, sed cum conditione, sicut habuerat antiquitus, confirmabat. Cæterum licet multitudo testium qui ex parte abbatissæ producti fuerant constanter asseverarent præscriptum monasterium semper fuisse liberum et nulli nisi Ecclesiæ Romanæ et principi Capuano subjectum, interrogati tamen si certa signa subjectionis Romanæ Ecclesiæ scirent, se id nescire asseruerunt. Testati sunt quoque se non vidisse quod abbatissæ obedientiam prædecessoribus tuis promiserint aut fidelitatem juraverint. Profitebantur tamen quod eas viderint ab eisdem tuis prædecessoribus benedici. Nos igitur cognoscentes tam ex iis quæ ex parte tua allegata sunt quam ex attestatione partium alterius partis quod antecessores tui abbatissas et moniales sæpedicti monasterii benedixerint, missas ibi publicas celebraverint, et prædictæ Attæ obedientiam et fidelitatem receperint, et quomodo etiam clerici illius monasterii eis obedientiam exhibuerint et fidelitatem juraverint, attendentes quoque cautum esse canonibus quod omnis Ecclesia episcopo in cujus episcopatu consurgit subesse debeat, te a petitione memoratæ abbatissæ super libertate quam sibi adversus te vindicare nitebatur de communi fratrum nostrorum consilio absolvimus, et tam tibi quam ecclesiæ tuæ idem monasterium adjudicavimus et perpetuo subesse decrevimus. Ut autem hæc nostræ diffinitionis sententia rata firma permaneat, et perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, eam auctoritate apostolica roboramus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere; vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem, » etc.

Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum apud Sanctum Germanum, XII Kal. Augusti, anno undecimo.

## CXXVII.

PRIORI ET CLERICIS SANCTORUM JOANNIS ET PAULI TUDERTINENSIS.

*Ecclesia S. Hilarii eis adjudicatur.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum inter vos ex parte una, et dilectum filium abbatem Sancti Petri de Monte Spoletanæ diœcesis ex altera, coram venerabili fratre nostro episcopo Tudertine et dilectis filiis priore et I. canonico Sancti Gregorii Spoletanensis a nobis judicibus delegatis super Ecclesia Sancti Hilarii Tudertinensis quæstio verteretur, ex parte tua, fili prior, fuit propositum coram eis tertiam partem ipsius ecclesiæ Sancti Hilarii tam in possesionibus et oblationibus quam in cellis etiam de jure ad suam ecclesiam pertinere. Cæterum ex parte ipsius abbatis fuit propositum ex adverso ipsam ecclesiam Sancti Hilarii pertinere ad ipsum cum possessionibus et omnibus quæ habebat. Super quibus cum testes ex utraque parte producti, recepti, et examinati fuissent, iidem tandem judices attestationes ipsorum cum propriis sigillis signatas cum quibusdam aliis authenticis scriptis nobis mittere curaverunt, præfigentes partibus terminum competentem, in quo cum ipsis nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Cumque partes essent in nostra præsentia constitutæ, dilectum filium A. subdiaconum et capellanum nostrum eis concessimus auditorem; coram quo attestationibus, sicut decuit, publicatis, fuit super ipsis aliquandiu disputatum, qui nobis retulit diligenter quæ proposita fuerant coram eo. Sane cum pars tua, fili prior, per suos testes niteretur probare in prænominata ecclesia Sancti Hilarii jus patronatus habere ac ipsam ecclesiam pro tertia parte a quadraginta annis et amplium in oblationibus et mortuariis aliisque proventibus Pacifice tenuisse, necnon ad se pertinere pro præfata terra clericos ordinare in ecclesia memorata, hoc solum invenimus sufficienter esse probatum, quod a quadraginta annis et amplius tertiam partem oblationum ecclesiæ Sancti Hilarii ecclesia Sanctorum Joannis et Pauli recepit, et ipsam clericis institutis per abbatem de Monte ac clericis Sanctorum Joannis et Pauli commisit aliquando colligendam. Nos igitur quæ proposita sunt diligentius attendentes, ecclesiæ Sanctorum Joannis et Pauli tertiam partem oblationum in ecclesia Sancti Hilarii adjudicare curavimus, auctoritate præsentium decernentes ut sibi liceat, sive institutis in eadem ecclesia per abbatem, sive Sanctorum Joannis et Pauli clericis, sicut probatum est et hactenus consuetum, partem ipsam committere colligendam, super aliis perpetuum tibi silentium imponentes. Nulli ergo... nostræ constitutionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

CXXVIII.

STEPHANO NEPOTI NOSTRO.

*Ei adjudicatur præbenda Bajocensis.*

(Apud S. Germanum, Non. Julii.)

Dilectis filiis P. clerico nuntio tuo et R.Joannis de Waureio clerici procuratore in nostra præsentia constitutis,idem nuntius graviter est conquestus quod cum in Bajocensi Ecclesia sibi fuerit præbenda collata quam venerabilis frater noster Bajocensis episcopus ante promotionem suam obtinuisse dignoscitus,ejusdem præbendæ liberam dispositionem habere non poteras nec ecclesias et res alias pertinentes ad ipsam pacifice possidere, dicto I. falso asserente se in ipsa præbenda vicarium perpetuum constitutum, et te hujusmodi occasionis obtentu multipliciter molestante. Unde petiit supradictum I. a sui molestatione compesci. Procurator vero prædictus ex adverso proponens eumdem I.olim in eadem præbenda perpetuum vicarium institutum, nec pro ea nisi ad annuam pensionem triginta quatuor librarum Turonensis monetæ teneri,nobis humiliter supplicavit ut liberam ejusdem præbendæ provisionem ac rerum pertinentium ad eamdem dictum I.faceremus habere, sicut hactenus consuevit, non permittentes eumdem ab aliquibus super hoc indebite molestari.Ad fundandum autem intentionem suam et defensionem ejusdem I. transcripta quarumdem litterarum exhibuit, quibus tantummodo se asseruit uti velle,quarum authentica penes dictum I. esse dicebat. Porro in uno transcriptorum ipsorum perspeximus contineri bonæ memoriæ Constantiensem episcopum ad præsentationem H. quondam canonici Bajocensis eidem I.ecclesiam de Waureio cum pertinentiis suis in perpetuam eleemosynam concessisse, ita videlicet quod idem I. duodecim libras Andegavenses prædicto H. solveret annuatim.Ad quod tua pars ita respondit, quod,etsi transcriptis hujusmodi fides nequaquam esset habenda, per illud tamen transcriptum idem I. prædictæ præbendæ vicarius nullatenus eese probatur, sed potius quamdam ecclesiam sub anno censu in eleemosynam recepisse.Verum ejusdem eleemosynæ liberalitas ab ipso episcopo ad præsentationem ejusdem H. sibi factæ ultra tempus vitæ ipsius H. in præjudicium substituendi canonici non potuit prorogari,maxime cum consensus episcopi et capituli Bajocensis,ad quos ea res principaliter pertinebat, accessisse nullatenus allegetus.In transcripto vero litterarum felicis recordationis Clementis papæ prædecessoris nostri, quod idem obtulit procurator, continebatur expresse quod ad petitionem ejusdem I.qui se in jamdicta Ecclesia proposuit perpetuum vicarium institutum ac pensionem ejusdem longe magis adauctam quam fuisset tempore Lateranensis concilii celebrati,dictus prædecessor noster memorato episcopo Constantiensi mandavit ut pensionem ipsam ad eum statum appellatione remota reduceret quo tempore celebrati concilii fuisse constaret.Qui

A ejusdem auctoritate mandati pensionem ipsius ecclesiæ,tanquam adauctam, ad quatuor libras et decem solidos Andegavensis monetæ sententialiter reducere procuravit,sicut ex transcripto litterarum ipsius argui poterat evidenter,cujus sententiam,sicut rationabiliter erat lata, memoratus prædecessor noster asseritur confirmasse. Ad quod probandum quoddam rescriptum dictus exhibuit procurator.Ad hæc autem fuit a tua parte responsum quod cum in prænotato transcripto Constantiniensis episcopi tantummode exprimeretur eumdem I.dictam Ecclesiam in eleemosynam recepisse, non utique vicarium constitutum,manifeste constare dicebat supradictas litteras prædecessoris nostri, in quibus asseruit se perpetuum vicarium constitutum et ejusdm ecclesiæ B pensionem adauctam,per falsitatis suggestionem obtentas,unde nec ex ipsis nec ex sententia Constantiensis episcopi,qui earum auctoritate processit,nec ex etiam confirmatione apostolica subsecuta debebat idem I.aliquod commodum reportare,præsertim cum tam beneficio litterarum illarum quam sententiæ prædicti episcopi renuntiasse penitus videretur cum eamdem ecclesiam postmodum ad firmam recepit sub longe majori annua pensione, sicut aperte colligitur ex transcripto inferius adnotato. Transcriptum enim litterarum bonæ recordationis episcopi, decani,et capituli Bajocensis præsentavit, per quod causam suam idem procurator potissimum defendere nitebatur;in quo continetur expresse quod magister R. de Ablegiis (62) tunc canonicus, nunc C episcopus Bajocensis de ipsorum consensu præbendam suam de Wareto cum pertinentiis suis, tam ecclesiis quam hominibus,et dominicis ecclesiarum, et aliis, sub annua firma triginta quatuor librarum Andegavensium eidem I. concesserat perpetuo retinendam; quam concessionem post promotionem suam idem episcopus innovavit, et eamdem Constantiensis episcopus dignoscitur approbasse, sicut per transcripta litterarum ipsorum videbatur liquido comprobari. Verum ad hoc pars tua respondit quod per transcriptum præmissum episcopi et capituli Bajocensis dictus I.non vicarius sed firmarius potius seu pensionarius probabatur..Unde cum hujusmodi firma de jure vel consuetudine diutius durare nequiverit nisi donec is qui dedit ad firmam jus habuerit in præbenda,constare dicebat quod postquam D idem magister R. assumptus exstitit in episcopum, ipsa fuit utique firma finita,quia licet idem magister,cum præbendam dedit ad firmam,eam concesserit perpetuo possidendam, intelligendum tamen est quod tamdiu esset eadem concessio duratura donec ipse præbenda jus aliquod obtineret, ut illud secundum sanum intellectum ad suum perpetuum referatur. Sed nec per consensum episcopi et capituli idem I.jus aliquod retinere potuit in præbenda postquam ipsam habere desiit qui eam dedit ad firmam,quia cum concensus ipse accederet facta canonici, dictus I. non potuit diutius

(62) Vide cap. *Auditis*, De elect.

commodum ex ipso censensu perspicere quam concessio a canonico facta duraret; præcipue cum episcopus et capitulum nequiverint in tam enormem substituendi canonici læsionem suum accommodare consensum, nec sub annua firma triginta quatuor librarum idem I. præbendam ipsam perpetuo retinere, quæ centum viginti libras valere proponitur annuatim; cum et hoc, non solum in damnum, sed etiam opprobrium redundaret Ecclesiæ, ut canonicus modica pensione præbendæ suæ contentus existeret, et idem I. de ipsius proventibus abundaret; qui, quantum ad regularitatem et vitam, qualis perhibeatur existere subticemus. Proposuit pars tua insuper concessionem factam ab eodem Bajocensi episcopo nullam esse, cum eo tempore facta fuerit quando ad eum minime pertinebat. Unde per consequentiam approbatio Constantiensis episcopi nullum tibi potuit præjudicium generare. Nos igitur iis et aliis quæ nuntius et procurator prædicti proponere curaverunt plenius intellectis, habito consilio cum fratribus nostris eumdem I. ad restitutionem ecclesiarum Sanctæ Trinitatis de Waureio, Sanctæ Mariæ de Ver, et S. Petri de Manilhamant, cum pertinentiis earumdem et aliarum rerum ad præbendam de Waureio spectantium duximus condemnandum, tam super vicaria quam super firma, quæ jam procul dubio noscitur esse finita, ei perpetuum silentium imponentes, decernendo ut tu tam de ipsis ecclesiis quam de aliis ad tuam prebendam spectantibus libere de cætero absque cujuslibet contradictione disponas. Nulli ergo... nostræ diffinitionis, etc. Si quis autem, etc.

Datum apud Sanctum Germanum, Nonis Julii. anno undecimo.

CXXIX.

DILECTIS FILIIS MAJORI ET WILLELMO ARCHIDIACONIS, ET PRIORI SANCTI VICTORIS PARISIENSIS.

*De præbenda S. Martini Turon. adjudicata M. Willelmo.*

(Soræ, VIII Id Augusti.)

Inducti dudum laudabili testimonio quod dilecto filio magistro Willelmo latori præsentium de moribus et scientia reddebatur, suæque necessitati paterno condescendentes affectu, cum ecclesiasticum beneficium, quo utique dignus erat, ad inopis vitæ solatium non haberet, capitulo Beati Martini Turonensis dedimus in mandatis ut eum reciperent in canonicum et in fratrem. Cumque dilectus filius Windocinensis abbas et commonitores ipsius eos ad id sollicite monuissent sicut ipsis per suas nobis litteras retulerunt, respondere quidem distulerunt imprimis occasionem absentiæ decani sui et thesaurarii prætendentes; quibus demum in ipsius receptione magistri assensum suum per suas litteras impendentibus, illi finaliter responderunt quod licet personam ejus notam haberent, utpote qui diu fuerat apud eos laudabiliter conversatus, eisque, sicut vir discretus et prudens, esse poterat necessarius, quia tamen quosdam alios ex promissione recipere tenebantur, et Ecclesiæ suæ facultates minime suppetebant, commode tunc non poterant mandatum apostolicum adimplere. Unde nos iteratis humilitatis suæ supplicationibus inclinati, dilectis filiis abbati Sanctæ Genevofæ ac coexsecutoribus ejus per scripta nostra præcepimus ut præfatum capitulum, nisi rationabilem causam objiceret et probaret propter quam non deberet hoc vel non posset impleri, præsertim cum idem magister de morum ac litteraturæ sufficientia commendaretur ab eo, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam coercerent, quod ipsum in fratrem reciperet et canonicum, et stallum in choro et locum in capitulo assignaret eidem. Qui, sicut per suas nobis litteras intimarunt, rite in ipas negotio procedentes licet pars capituli nonnullas exceptiones frivolas prætendisset, et quidam pro parte ipsa coram uno prædictorum exsecutorum frustratorie ad nostram audientiam appellaverint ante diem quæ partibus exstiterat assignata, quia demum nihil fuit contra præfatum magistrum ostensum propter quod mandatum deberet apostolicum impediri, et tam per confessionem partim quam depositiones testium plene constitit plures canonicos illius ecclesiæ postquam ordinata ultimo fuerat, discessisse, in quorum locis nondum erant aliqui substituti, ad audiendum sententiam peremptorium terminum partibus præfixerunt. Quia vero prædictum capitulum peremptorie sæpe citatum contumaciter se subtraxit, duo exsecutorum ipsorum, tertio legitime excusato, sententialiter decreverunt ut non obstantibus illis quæ objecta fuerant a capitulo, dictus magister in fratrem reciperetur et canonicum ecclesiæ memoratæ atque stallum in choro et in capitulo locus assignaretur eidem, capitulo ipsi firmiter injungentes ut hoc effectui demandaret. Quod quia contumaciter adimplere contempsit, suspensionis primnm, ac demum, quia post suspensionem nihilominus celebravit, excommunicationis in ipsum sententiam protulerunt; et sic tandem quidam de capitulo ipso redeuntes ad cor, præfatum magistrum juxta præscriptam sententiam receperunt aliis in sua non metuentibus contumacia perdurare. Nuper autem cum idem magister in nostra præsentia constitutus processum exsecutorum suorum peteret confirmari, tam ipsum quam dilectum filium A. canonicum ecclesiæ supradictæ, qui pro negotiis ejus ad apostolicam sedem procurator accesserat, mandavimus per dilectum filium Tullium subdiaconum et capellanum nostrum audiri. In cujus præsentia cum canonicus ipse penitus recusasset aliquid proponere vel agere contra eum, demum ipsum ad pacis osculum in fratrem et canonicum de mandato nostro recepit. Cum igitur quædam litteræ contra præfatorum exsecutorum processum per quemdam nuntium ecclesiæ memoratæ, cujus petitionem pluries super hoc dicimur repulisse, nomine ipsius capituli veritate supressa dicantur a nobis et expressa falsitate subreptæ, videlicet in hunc modum, quod cum

inter ipsos ex parte una et præfatum magistrum ex altera coram dicto abbate ac conjudicibus suis super receptione ipsius in eorum Ecclesia quæstio verteretur, iidem judices in negotio ipso perperam procedentes, post appellationem ad nos legitime interpositam iniquam retulerunt sententiam contra ipsos volentes ejusdem magistri laboribus et expensis finem imponere discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus aublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, revocato in statum debitum si quid per hujusmodi litteras inveneritis immutatum, dictas sententias, diffinitivam videlicet, ut est justa, et suspensionis et excommunicationis, sicut rationabiliter sunt prolatæ, faciatis usque ad satisfactionem condignam per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, sollicite provisuri ne per defectum vestrum multiplicetur memorato magistro necessitas ulterius propter hoc ad sedem apostolicam laborandi ; qui occasione laboris hujusmodi attenuatus est graviter, non solum in rebus, verum etiam in persona. Nullis litteris veritati etc. Quod si non omnes... duo vestrum, etc.

Datum Soræ, VIII Idus Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

### CXXX

COMITIBUS, BARONIBUS, CIVIBUS ET CÆTERIS REGNI FIDELIBUS IN APULIA CONSTITUTIS.

*Super adjutorio præstando regi Siciliæ.*

(63) Affectum dilectionis et gratiæ quem habemus ad regem et regnum Siciliæ licet in multis multoties ostenderimus, nunc tamen evidentius et expressius per effectum operis demonstramus, cum propter necessitatem urgentem in regnum personaliter descenderimus, cæteris mundi negotiis ex magna parte postpositis propter hoc unum, ut in ipso videlicet pacem et justitiam reformemus. Bonum ergo per Dei gratiam initium assecuti, progressum intendimus facere meliorem, ut finis optimus subsequatur. Quocirca devotionem vestram monemus exhortamur in domino, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus sicut divinam et apostolicam ac regiam gratiam charam habetis, ordinationem quam fecimus super regis adjutorio et succursu, defensione ac pace regni, ad exemplar aliorum comitum et baronum ac etiam civitatum recipiatis hilariter et efficaciter observetis, prout ipsa ordinatio in capitulari continetur expressa bulla nostra munito, magistris Capitaneis humiliter intendentes qui ad excusationem ipsius de mandato nostro fuerint constituti; ne si forte, quod absit! quisquam præsumeret refragari, pœnam in ipsa ordinatione statutam incurrat, et nos manus nostras in eum spiritualiter ac temporaliter aggravemus. Quia vero propter fervorem ætatis ad præsens non possumus personaliter descendere in Apuliam, vices nostras super iis committimus exsequendas dilecto
A filio nostro Gregorio Theodori diacono cardinali apostolicæ sedis legato, cui dilectum filium O. acolythum nostrum a latere nostro transmissum duximus adjungendum.

### CXXXI.

GREGORIO SANCTI THEODORI DIACONO CARDINALI APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, ET O. ACOLYTHO NOSTRO.

*De eadem re.*

Quia propter fervorem æstatis non possumus ad præsens descendere in Apuliam, vices nostras vobis duximus committendas, ut ordinationem quam fecimus super succursu et adjutorio regis et defensione ac pace regni proponatis comitibus, baronibus atque civibus per Apuliam constitutis, et inducatis eosdem ut ad exempla eorum qui ordinationem ipsam
B apud Sanctum Germanum in nostra præsentia juraverunt, jurent et ipsi se fideliter servaturos, duos ex ipsis, quos magis idoneos provideritis, magistro Capitaneos statuentes. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus id prudenter et efficaciter exsequi procuretis.

*In nomine Domini. Amen. Ordinationem quam dominus Innocentius papa fecerit super succursu et adjutorio domini regis, et super pace ac defensione regni ego... bona fide servabo, et pro posse meo faciam alios observare. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

### CXXXII.

(64) Hæc est ordinatio quam facimus super succursu et adjutorio regis et super pace ac defensione
C regni Siciliæ. Videlicet ut nobiles viri P. Celanensis et R. Fundanus comites sint magistri Capitanei, quibus super iis in Apulia omnes intendant. Quicunque ordinationem istam receperint, ad invicem sibi pacem observent. Et si quisquam ab alio fuerit offensus, non statim reoffendat eumdem ; sed apud prædictos comites querelam deponat, qui eam secundum rationem et consuetudinem regni faciant emendari. Qui autem ordinationem istam recipere noluerit aut servare, tanquam hostis publicus habeatur, et a cæteris impugnetur. Ducenti milites dirigantur in succursum et adjutorium regis usque ad Kalendas Septembris, moraturi per manum in expensis eorum a quibus fuerint destinati. Distribuantur autem secundum extimatorum arbitrium
D quos ad hoc specialiter deputabimus, pensatis debitis servitiis et propriis facultibus comitum et baronum ac etiam civitatum ; proviso etiam ut ad opus eorum victualia dirigantur. Civitates autem comites et barones assignet in propriis expensis certum numerum bellarorum ad mandatum comitum prædictorum, si quando guerra contra quemquam propter hoc fuerit exercenda. In omnibus autem reservamus nobis plenarium potestatem addendi et minuendi, mutandi et declarandi, prout viderimus expedire.

—

(63) Vide Gesta Innoc. III. cap. 40.

(64) Vide Gesta Innoc. III, cap. 40.

### CXXXIII.

COMITIBUS, BARONIBUS, CIVIBUS, CÆTERISQUE REGNI FIDELIBUS A SALERNO USQUE CEPERANUM DE MARI CONSTITUTIS AD MARE.

*De eadem re.*

Universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus quatenus nobilibus viris P. Celanensi et R. Fundano comitibus, quos super succursu et adjutorio regis et pace ac defensione regni magistros Capitaneos constituimus, per omnia intendatis, ut ordinatio nostra per eos ad salutem et quietem regis ac regni debitum consequatur effectum, statutis et mandatis ipsorum comitum sine qualibet contradictione parentes, tam de militibus ad succursum regis in Siciliam destinandis, quam etiam de militibus exibendis contra illos qui præsu- B merent infringere pacem regni, secundum extimationem illorum qui de concessione nostra milites ipsos distribuent ad mandatum comitum prædictorum. Latorem vero præsentium dilectum filium W. scriptorem nostrum specialiter destinamus, ut ad exemplar eorum qui super ordinatione servanda juramentum in nostra præsentia præstiterunt, simile ab aliis recipiat juramentum.

### CXXXIV.

ILLUSTI REGI ARAGONUM.

*De matrimonio Frederici regis Siciliæ.*

(Soræ, VI Id. Augusti.)

(65) Ut charissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ rex illustris charissimam in Christo filiam nostram Constantiam sororem tuam, quondam reginam Hungariæ, ducat in conjugem, apostolicum C impertimur assensum, et quod statutum est et concessum de duobus dodariis, donationibus videlicet propter nuptias, approbamus. De tertio vero, quod est arbitrio nostro commissum, hoc tuæ serenitati mandamus, quod media via duximus incedendum, ita videlicet ut secundum tenorem conventionum cæteris adimpletis, illud super hoc exspectetur implendum quod nostra decreverit providentia, ipsi profecto negotio sine majoris expressionis indicio profutura. Quocirca tuam regalem prudentiam fideliter exhortamur sollicite commonentes quatenus moras ulterius non innectens, ad consummationem hujus negotii studiose procedas; quia longe majus quam hactenus tibi ostium est apertum.

Datum Soræ, VI Idus Augusti, pontificatus nostri D anno undecimo.

### CXXXV.

NOBILIBUS VIRIS RECTORIBUS, CONSULIBUS, CASTELLANIS, CIVIBUS, ALIISQUE FIDELIBUS NOSTRIS PER CAMPANIAM CONSTITUTIS.

*De moneta recipienda per totam Campaniam,*

(Soræ, Non. Augusti.)

Cum ex paucitate denariorum de Flore ac ponderatione ipsorum multa impedimenta proveniant, communi super hoc utilitati providere volentes, A universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus atque præcipimus quatenus passim de cætero tam in magnis commerciis quam in parvis nostram recipiatis monetam, quæ vulgo dicitur de Senatu, et per totam Campaniam recipi faciatis, inhibentes districtius ut denarii de Flore amodo non ponderentur ab aliquo, nec pro mercimoniis exigantur. Si quis autem eos exigere vel ponderare præsumpserit, quadraginta solidos curiæ nostræ pro pœna persolvat. Quicunque vero debet denarios censuales, pro duodecim de Flore reddat sedecim de Senatu.

Datum Soræ, Nonis Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

### CXXXVI.

EPISCOPO AVERSANO.

*Mandatum de prima præbenda vacatura.*

(Apud S. Germanum, VIII Kal. Augusti.)

Cum in ecclesia tua beneficium non vacaret ad præsens quod dilecto filio S. acolytho nostro posses conferre, pollicitus es eidem quod primum in eadem ecclesia vacans benficium assignare volebas; quod cum ad nostram notitiam pervenisset, fecimus tibi proponi ut præbendale beneficium primum in tua ecclesia vacaturum reservares donationi nostræ, personæ idonæ conferendum, quod tu liberaliter acceptasti. Quocirca fraterniiati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus primum præbendale beneficium quod in tua vacabit ecclesia donationi nostræ studeas reservare.

Datum apud Sanctum Germanum, VIII Kalend. Augusti. pontificatus nostri anno undecimo.

### CXXXVII.

ABBATI ET CLERICIS SANCTÆ MARIÆ DE FLUMINE DE CECCANO.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Soræ, XIV Kal. Septembris.)

(69) Justis petentium desideriis, etc., *usque* inclinati, personas vestras et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Flumine, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ inpræsentiarum rationabiliter possidetis, etc., *usque* suscipimus. Specialiter autem Sancti Stephani et Sancti Quirici ecclesias cum omnibus tenimentis et pertinentiis suis, forestam juxta ecclesiam Sancti Stephani, et de capite pontis de Prato et de Gineis, molendina, vineas juxta ecclesiam ipsam, et aliam quam emistis in loco qui appellatur Marana, redditus, decimus, oblationes, homines, hortos et possessiones alias ad vestram ecclesiam pertinentes, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos cidem ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Libertates quoque et immunitates, necnon exemptiones sæcularium exactionum a dilecto filio nobili viro Joanne de Ceccano tam pie quam provide vobis et ecclesiæ vestræ concessas, sicut in ejusdem nobilis authentico perspeximus contineri, ratas habemus, et eas

(65) Vide supra epist. 4.

(66) Vide t. I. *Ital. sac.* pag. 725, et in append., pag. 483.

perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere. Cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ duximus inserendum.

« In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis 1195, pontificatus domini Cælestini tertii papæ anno sexto, indictione XIV, mense Julii, die vigesimo quarto. Hac die ego Joannes de Ceccano in præsentia domini Jordani cardinalis Sanctæ Pudentianæ charissimi patrui mei et venerabilium episcoporum Berardi Ferentinatis,et Petri Sigini, et Joannis Anagnini, et Taddæi Alatrini, et Oddonis Verulani,et Thedelegarii Terracinensis, et multorum hominum totius Campaniæ et Maritinæ tam clericorum quam etiam laicorum, inductus amore divino, et pro redemptione animæ meæ atque meorum parentum præteritorum, præsentium, et futurorum, concedo ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Flumine et domino Landulpho dilecto abbati ejusden ecclesiæ et universæ familiæ ejus,tam clericis quam etiam laicis præsentibus et futuris,plenam et perpetuam libertatem, abrenuntiando datæ, malo usui, et omnibus exactionibus. Et si quis pro quocunque crimine commisso ad ecclesiam istam confugerit, nec ego nec successores mei per me vel per ministros meos ei, dum ibidem fuerit, violentiam aliquam nec injuriam inferemus,nisi in mortem meam, meorum hæredum, vel in proditionem castrorum meorum, vel in combustionem ipsorum castrorum fuerit machinatus. De ordinatione clericorum et destitutione me nullatenus intromittam. Si vero clericus aut laicus ejusdem ecclesiæ in aliquando offenderit, abbas cum clericis in eorum capitulo cogent ipsum ad justitiam exhibendam. Salvo jure patronatus. De consilio igitur communi domini Jordani cardinalis et omnium episcoporum et consensu domini Joannis de Ceccano institum est ut quicunque contra hanc concessionem fecerit, vinculo anathematis innodetur, et partem cum Dathan et Abiron habeat. Ad majorem itaque cautelam, ne quod factum est diuturnitate temporis in oblivionem veniat, presbytero Benedicto dilecto notario nostro id scribere mandavimus,et chartam ipsam fecimus sigili nostri munimine insigniri.» Nulli ergo. . . nostræ protectionis et confirmationis, etc. Si quis autem, etc.

Datum Soræ, XIV Kal. Septembris, pontificatus nostri an. undecimo.

## CXXXVIII.

TRECENSI EPISCOPO.

(Soræ, XVII Kal. Septembris.)

Diligenter auditis et perspicaciter intellectis depositionibus testium qui de mandato nostro in causa quæ inter dilectum filium P. electum ex parte una, et V. la. lo. et A., canonicos ecclesiæ Sancti Martini Trecensis ex altera vertebatur,fuere recepti,de fratrum nostrorum consilio eumdem electum ab impetitione ipsorum duximus absolvendum,fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus electo præfato ut super labe Simoniacæ pravitatis, quæ illi objecta exstiterat, cum tertia manu sui ordinis se canonice purget, indicas, et eidem purgato facias a canonicis omnibus obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Canonicos vero præfatos,quos fuisse constat contra eumdem electum multipliciter malignatos,sicut etiam quidam eorum sponte confessi sunt coram nobis, ab invicem dividas, et ad agendum pœnitentiam in alliis monasteriis ponas eos, singulos in singulis collocando; ut ecclesia memorata, quæ per insolentiam eorumdem graviter est afflicta, valeat respirare.

Datum Soræ, XVII Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CXXXIX.

JOANNI DE CARBONE AC BENEDICTO FRATRIBUS.

*Confirmatur permutatio facta inter eos et monasterium Casinense.*

(Soræ, II Id. Augusti.)

Justis petentium desideriis, etc., *usque* complere. Eapropter,dilecti in Domino filii,vestris justis precibus inclinati, permutationem inter dilectos filios Roffridum tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem abbatem et conventum Casinensem ex parte una et vos ex altera super quibusdam hominibus quos charissimus in Christo filius noster Fredericus Siciliæ rex illustris tibi,fili Joannes,et hæredibus tuis in castro Plumbarolæ concesserat, pro quibus in territorio dicti castri præfati abbas et monachi vobis quamdam startiam concesserunt, rationabiliter factam, sicut sine pravitate provide facta est ab utraque parte sponte recepta, et in instrumento exinde confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocidio communimus. Ad majorem autem evidentiam instrumentum ipsum de verbo ad verbum nostræ paginæ duximus inserendum.

«In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejus 1208, et undecimo anno regni domini nostri Frederici gloriosissimi regis, mense Julii,octavo decimo die ejusdem mensis,Indictione XI. Profitemur nos Roffridus Dei gratia cardinalis et Casinensis abbas recepisse in mandatis a supradicto domino nostro Frederico Dei gratia illustrissimo rege ut homines et redditus quos regia curia olim tenuerat in castro nostro Plumbarolæ,quos videlicet ex concessione ejusdem curiæ Joannes de Ariano aliquando tenuit, casatam scilicet diaconi Joannis Guinisi cum familia sua, casatam Joannis Petri Guinisi, casatam Leonardi Guinisi, casatam Roffridi Joannis Boni, casatam Riccadi Joannis Sensi, casatam Benedicti de Taddæo, casatam Joannis de Litto, casatam Vigoritæ de Roffrido; assignaremus tibi Joanni de Carbone filio Riccardi Benedicti de Falco. Verum quia nobis durum videbatur eos tibi assignare,eo quod totum castrum Plumbarolæ in domanium nostrum tenebamus,et ad jactu-

ram monasterii nostri redundare videbatur si aliquos ex ipsis hominibus alicui concederemus, tu litteras supradicti domini nostri regis deprecatorias domino nostro papæ Innocentio detulisti: ut idem dominus papa nobis injungeret et quatenus ipsum mandatum regium nos faceret adimplere. Nos ergo de mandato supradicti domini papæ et domini regis, de consensu fratrum nostrorum nobiscum habendo magistrum Berengerium judicem et advocatum Casinensem de voluntate tua qui supra Joannes ex causa permutationis per hanc chartam libellariam concedimus vobis Joanni et Benedicto fratribus, filiis videlicet supradicti Riccardi, startiam nostram quam habemus in territorio supradicti castri Plumbarolæ; et habet hos fines: A prima parte viam publicam, a secunda parte terram hæredum Guttefridi, et terram Petri de Ruben, et terram Petri de Juliano, et terram hæredum Donati. A tertia parte viam publicam. A quarta parte terram Petri filii supradicti magistri Berengerii. His finibus istam startiam cum omnibus ibi habitis inferius et superius et cum via sua intrandi et exeundi vobis Joanni et Benedicto ex causa permutationis libellario jure concedimus ad potestatem vestram et hæredum vestrorum, ad habendum et possidendum et faciendum inde omnia quæ nobis placuerint usque in annos viginti et novem; ita ut omni anno in festo Sancti Benedicti reddatis inde monasterio Casinensi nomine census tarenos Amalfiæ octo. Completis vero annis viginti et novem nos vel nostri successores aut pars nostri monasterii vobis vel hæredibus vestris renovat debeamus hunc libellum pro uncia auri una. Et ex hac permutatione recepimus a te qui supra Joannes omnes supradictos homines et redditus a supradicta regia curia tibi concessos, quos longe utiliores monasterio nostro esse cognoscimus quam supradicta startia quam vobis concessimus. Unde obligamus nos et posteros nostros et partem nostri monasterii vobis et hæredibus vestris supradictam startiam defendere et antestare amodo et usque ad supradictum tempus ab omnibus hominibus omnibusque partibus. Si autem non defenderimus vobis et non compleverimus omnia supradicta, vel si hanc permutationem quocunque ingenio infringere vel hanc chartam in quavis parte refutare tentaverimus, pœnam dupli quantum supradicti homines et redditus quos a te qui supra Joannes recepimus valent, nos et posteros nostros et partem nostri monasterii vobis vestrisque hæredibus componere obligamus, et insuper hoc scriptum firmum permaneat usque ad supradictum tempus. Et taliter nos Roffridus Dei gratia cardinalis et Casinensis abbas de consensu fratrum nostrorum nobiscum habendo supradictum judicem et advocatum Casinensem qualiter nobis congruum fuit fecimus, et tibi Nicolao nostro et civitatis Sancti Germani publico notario hunc chartam scribere jussimus. Actum in supradicto monasterio Casinensi. Ego qui supra Roffridus Dei gratia cardinalis et Casinensis abbas. Ego frater Petrus comes Casinensis decanus. Ego frater Vitalis sacerdos et monachus. Ego frater Senioretus sacerdos et monachus. Ego frater Petrus sacerdos et monachus. Ego frater Philippus Soræ sacerdos et monachus. Ego frater Lando Casinensis hospitalarius. Ego frater Joannes Casinensis vestararius. Ego frater Maurus sacerdos et monachus. Ego frater Roggerus sacerdos et monachus. Ego frater Thomas sacerdos et monachus. Ego frater Clemens sacerdos et monachus. Ego frater Girardus sacerdos et monachus. Ego frater Joannes P. sacerdos et monachus. Ego frater Adenulfus diaconus et monachus. Ego frater Lando diaconus et monachus. Ego frater Otto diaconus et monachus. Ego frater Joannes diaconus et monachus. Ego frater Alexander diaconus et monachus. Ego frater Roffridus diaconus et monachus. Ego frater Robertus diaconus et monachus. Ego frater Joannes diaconus et monachus. Eho frater Jeremias diaconus et monachus. Ego frater Philippus diaconus et monachus. Ego frater Simon subdiaconus ef monachus. »

Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc:

Datum Soræ, II Iudus Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

### CXL.

MAGISTRO MILITIÆ SANCTI JACOBI.

*Respondet ad ejus consulta.*

(Soræ, Kal. Septembris.)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod quidam miles, ut idem asserit, infirmitate detentus, apud fratres Grandimontenses professionem fecit tantummodo, sed habitum non recepit; quem cum restitutus postmodum sanitati humiliter postulasset, fratres præfati, nisi pretium hæreditatis suæ secum afferret, sibi concedere noluerunt, nec etiam dare licentiam ad religionem aliam transeundi. Porro miles prædictus ad quamdam domum militiæ Sancti Jacobi veniens, ibidem facta professione suscepit habitum regularem, fratribus domus ejusdem ignaris penitus præmissorum. Unde postulabas per sedem apostolicam edoceri utrum ipsius militis assertioni simplici sit credendum ut a præfata domo recedat vel in eamdem debeat remanere in qua ipsum non est dubium facta professione habitum suscepisse. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus quod cum Grandimontensis ordinis regula longe arctior sit quam vestra, ei ad illam maxime redire volenti non est difficultas aliquatenus ingerenda. Tua nos præterea devotio requisivit, cum plures fratres militiæ Sancti Jacobi a prædecessoribus tuis accepta licentia, quæ secundum institutionem ordinis non debet petentibus denegari, in expensis domus tibi commissæ extra ipsam vitam elegerint arctiorem, utrum eos, cum eidem domui videris expedire, ad collegium valeas revocare, ita quod inter fratres vitam quam elegerant arctiorem agunt, ad melioris conversationis exemplum. Ad

hoc tibi breviter respondemus. quod cum nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus sit regno Dei, non est quisquam talium reducendus ad locum quem propter regnum Dei provida deliberatione reliquit, nisi causa necessitatis urgentis aut evidentis utilitatis alicui specialiter ex dispensatione sedis apostolicæ concedatur.

Datum Soræ, Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CXLI.

LONDONIENSI, ELIENSI, ET WIGORNIENSI EPISCOPIS.

*De causa Ecclesiæ Cantuariensis.*

(Soræ, XI Kal. Septembris.)

(67) Absit a nobis ut illis merito comparemur quibus improperat Psalmista dicendo : *Filii Ephrem intendentes arcum et mittentes sagittas in die prælii sunt conversi* (*Psal.* LXXVII) ; ne forte quod summus Pastor avertat ! etiam mercenario comparemur, qui secundum parabolam evangelicam videt lupum venientem et dimittit oves et fugit : cum potius parati simus pro domo Domini nos murum opponere ascendentibus ex adverso et animam nostram dare pro ovibus nostris, si necessitas postularet. Licet igitur affectemus inter regnum et sacerdotium pacem plenissiman in Anglia reformari, quantum in nobis est pacem cum omnibus hominibus habere volentes, frustra tamen quivis hominum machinatur vel alienis suggerere vel propriis persuadere commentis quod nos occasione quacunque contra libertatem ecclesiasticam declinare velimus ad dexteram vel sinistram, cum hujus causa certaminis hunc absque dubio tendat ad finem ut Ecclesia Dei, quæ ancillata jacebat, liberata resurgat. Quocirca fraternitatis vestræ prudentiam insinuatione præsentium reddimus circumspectam, ut a vanis suggestionibus penitus avertentes auditum, quæ profecto immissiones sunt per angelos malos, secundum tenorem et formam mandatorum nostrorum, omni sinistra interpretatione cessante, fideliter procedatis, ita videlicet ut sententiam interdicti nec prius nec aliter relaxetis quam charissimus in Christo filius noster Joannes rex Anglorum illustris venerabilem fratrem nostrum Stephanum Cantuariensem archiepiscopum S. R. E. cardinalem tanquam archiepiscopum Cantuariensem recipiat et pertractet, præstita securitate tam sibi quam suis quæ ad hoc secundum vestræ discretionis arbitrium visa fuerit opportuna, et restitutionem plenariam exhibeat ablatorum tam eidem archiepiscopo quam monachis Cantuariensis Ecclesiæ necnon aliis Ecclesiis et personis ; ipsosque monachos ad ecclesiam suam redire permittat ac manere securos, et regalia universa vel per se ipsum eidem archiepiscopo conferat et assignet, vel, si maluerit, vos vice nostra illa conferatis et assignetis eidem ; ita quod ipse sibi pro illis quemadmodum ejus prædecessores suis progenitoribus teneatur, proviso prudenter ne A quid deceptionis ex hoc super articulis quibuscunque contra ecclesiasticam interveniat libertatem, iisque rite peractis, relaxetis sententiam interdicti, faciendo præfatum archiepiscopum, sicut expedit, ad Cantuoriensem Ecclesiam proficisci. Si vero circa horum aliquid, de quo merito valeat dubitari, quidquam emerserit quæstionis vos recepta parius ab ipso rege idonea cautione quod nostro consilio et mandato pareat super eo, interdicti sententiam nihilominus relaxetis. Testes qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint quominus testimonium perhibeant veritati, ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogentes ; quatenus inquisita et cognita veritate, si quid super ablatarum restitutione, recompensatione damnorum B et satisfactione injuriarum propter quæstionem subortam remanserit imperfectum, per consilium et mandatum apostolicum compleatur. Hic est tenor mandatorum nostrorum juxta prudentem et simplicem intellectum, quem et in litteris nostris evidenter expressimus, et dilecto filio abbati Belliloci præfati regis nuntio exposuimus diligenter. Unde non solum indignum, sed et impium reputamus, si quis ausu sacrilego dixerit aut crediderit quod nos intentionem nostram uno modo uni et altero modo alteri exposuimus, seductorie variando, cum apostolica sedes per Dei gratiam et sententiam prudentiam et simplicitatem habeat columbinam. Cæterum nostris noveritis auribus imitatum quod cum omnes monachi ordinis Cisterciencis in Anglia cœpissent C pariter observare sententiam interdicti, paucis diebus elapsis quidam auctoritate propria celebrarunt, alii longo post tempore ad mandatum (68). Cisterciensis abbatis celebrare cœperunt, nonnuli vero adhuc interdictum observant. Porro si, quemadmodum vobis per alias litteras meminimus respondisse, viris religiosis ab initio licuisset juxta suorum privilegiorum tenorem, exclusis excommunicatis et interdictis, clausis jaunis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, nec nobis fuisset molestum, nec absonem exstitisset. Verumtamen si ex hoc debilitatur sententia vel negotium enervatur, quacunque occasione quidam ad celebrandum processerint, sive propter illud capitulum quod est eis ab apostolica sede concessum. D ut videlicet nullæ litteræ habeant firmitatem quæ tacito nomine Cisterciensis ordinis contra tenorem apostolicorum privilegiorem fuerint impetratæ, sive propter præmissum responsum, quod forsan ad eos aliquo revelante pervenit, vos auctoritate nostra suffulti fiducialiter statuatis quod ipsi negotio videritis expedire, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Ad hæc, præfatum regem moneatis prudenter et efficaciter inducatis ut ea quæ per dictum abbatem Belliloci ex parte sua promissa sunt et oblata, sicut superius sunt expressa, sine

(67) Vide Gesta Innoc. III, cap. 131, 132.

(68) Vide infra epist. 213, 258, 259.

mora et difficultate qualibet exsequatur; quia procul dubio suæ convenit utilitati pariter et saluti ut reputetur ab omnibus favarem et gratiam apostolicæ sedis plenius obtinere; neque nos dissimulare possemus quin manus nostras aggravaremus in illum, si forte cor ejus persisteret induratum ut Deo et Ecclesiæ satisfacere non curaret.

Datum Soræ, XI Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CXLII.

MELDENSI EPISCOPO ET ARCHIDIACONO PARISIENSI.

*Ut infames et criminosi non habeant præbendas in Ecclesia Carnotensi.*

(Soræ, XVII Kal. Octobris.)

Dilecti filii P. præpositus, S. G. et H. ac quidam alii canonici Carnotenses olim nobis denuntiando monstrarunt quod antiqua et approbata consuetudo in Ecclesia obtinuit Carnotensí, ad cujus observationem episcopus loci juramento tenetur, ut vacante præbenda ipse personam idoneam eligat ad eamdem, et decano, cantori, subdecano et succentori præsentet electam, ad quos pertinere non ambigitur præsentatam vel approbare pro merito vel etiam reprobare; quam utique approbatam decanus capituli nomine in capitulo repræsentat episcopo, ut ipse illam investiat de præbenda. Cum igitur venerabilis frater noster episcopus Carnotensis nuper quemdam camerarium suum, R. videlicet de Salneriis, elegisset ad ecclesiæ memoratæ præbendam, et ipsum dilectis filiis decano, cantori, subdecano et succentori ejusdem ecclesiæ secundum prælibatam consuetudinem præsentasset, idem decanus habens, pro certo illum multiplici fore respersum infamia. utpote reum furti, sacrilegii et usuræ ac testamentorum ruptorum quæ in ultima voluntate adecedentibus condebantur, ut legata in pias causas suis et aliis usibus applicaret, ipsum recipere recusavit, excipiens contra eum et apostolicam sedem appellans, et se offerens legitime probaturum dictum camerarium publica super iis infamia laborare. Super quo denuntiatores prædicti inquisitionem fieri petiere. Nos autem dilectis filiis abbati de Sarnaio et priori Sanctis Victoris et decano Sancti Germani Antissiodorensis Parisiensis nostris dedimus litteris in mandatis ut inquisita super iis diligentius et cognita veritate, quod canonicum esset appellationne remota statuerent, et facerent quod super iis ducerent statuendum per consuram ecclesiasticam firmiter observari. Qui sicut ex litteris eorum accepimus, juxta mandatum nostrum in negotio procedentes, Carnotum ad diem præfixum partibus accesserunt; ubi facta inquisitione juxta mandatum apostolicum diligenti, dictum camerarium non solum publica laborantem infamia, verum etiam irretitum prænominatis criminibus invenerunt, et reversi Parisius, præhabito ibidem bonorum et prudentum virorum consilio, silentium imposuerunt eidem super præbenda Carnotensis Ecclesiæ quam petebat, ipsum ab omni officio et beneficio ecclesiastico suspendentes, et ad restitutionem eorum [condemnantes] quos variis rapinis, videlicet usuris, venditione matrimoniorum, ruptione testamentorum nequiter spoliarat, in manibus nostris beneficia ejusdem ecclesiastica retinentes. Licet autem dictus camerarius ad nostram præsentiam accessisset, et postulasset, a nobis sibi super sententia dictorum judicum provideri, quia tamen nondum ad nos pervenerat relatio judicum eorumdem, a nobis nihil potuit obtinere. Cum itaque tam per litteras judicum eorumdem quam per attestationes receptas ab ipsis, quas nobis suis sigillis signatas mittere studuerunt, constiterit evidenter dictum camerarium præscriptis esse criminibus irretitum, quod per eosdem factum est approbamus, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus non obstantibus aliis litteris quas falso se asserit super eodem negotio impetrasse, cum eædem litteræ minime se contingant, nec super eodem sint negotio impetratæ, cum in illis de quibusdam criminibus in modum exceptionis, in istis autem in modum inquisitionis super criminibus agi mandetur, sicut ex disputatione coram nobis habita diligenti constitit manifeste, quod factum est per judices memoratos faciatis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari. Ut autem cæteri qui audierint addiscant a similibus cautius abstinere, Carnotensi episcopo ex parte nostra firmiter injungatis ut de cætero personas hujusmodi a sua penitus familiaritate repellat; quia cum talis ipsi possint ascribi, verendum erit ei pariter et timendum ne, cum divina et nostra patientia sit abusus, pœna sibi gravior infligatur.

Datum Soræ, XVII Kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CXLIII.

EPISCOPO ET CLERICIS NARNIENSIBUS.

*Ut observent interdictum latum in civitatem.*

(Soræ.)

(69) Cum Narnienses ita sint in reprobum sensum dati ut in profundum vitiorum jam prolapsi contemnant, nos, qui ex injuncto nobis officio singulorum tenemur errata corrigere, insolentiam eorum non valentes ulterius sustinere, civitatem ipsorum districtissimo subjicimus interdicto, ita quod nullum ibi divinum officium, nullum penitus celebretur ecclesiasticum sacramentum, præter, duntaxat in extremis articulis, pœnitentias morientium et baptismata parvulorum. Sepulturam vero penitus interdicimus, ita quod si quis aliquem eorum apud ecclesiam in Christiano præsumpserit cœmeterio tumulare, vinculo se sciat excommunicationis astrictum. Mercimonia quoque cum ipsis fieri a quo-

(69) Vide Gesta Innoc. III, cap. 16.

cunque vetamus ; et qui contra prohibitionem apostolicam in iis eis communicare tentaverit, excommunicationis se noverit laqueo innodandum, alias temporaliter puniendus a nobis, si quis hujusmodi temporalis nostræ jusrisdictionis existit. Ne igitur vos eorum consortio maculemini, cum is qui tetigerit picem inquinetur ab ea, universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus et in virtute obedientiæ districte præcipimus quatenus sceleratorum civitatem pariter exeuntes, per circumposita loca, ubi commodius et honestius potueritis, maneatis, denuntiantes eisdem quod nisi a sua contumacia resipuerint, cum se ac civtatem suam episcopalis reddiderint dignitatis indignos, si tamen civitas dici poterit quæ peccato suo civitatis honore privabitur, pontificalem eis cathedram auferemus, parochiam ejus per vicinas diœceses divisuri ; sic tamen quod tibi, frater episcope, quem obedientem novimus et devotum, recompensationem congruam impendemus ; alias, dante Domino, cervicositatem eorum spiritualiter et temporaliter adeo compressuri quod per ingens pondus oppressionis in ipsos inductum agnoscent quam gravis sit manus Ecclesiæ super eos qui Deum et ipsam indurato corde contemnunt. Quocirca devotioni vestræ præcipimus quatenus quæ præmissa sunt inviolabiliter observetis, et faciatis ab aliis observari, ne, si secus egeritis, quod non credimus, in pœnam vestram eorum culpa redundet; denuntiantes illos diffidatos a nobis, et universis nostris fidelibus injungentus ut eos tanquam diffidatos impugnent.

Datum Soræ, pontificatus nostri anno undecimo.

CXLIV.

WINDOCINENSI CARNOTENSIS DIOECESIS ET SANCTI JULIANI TURONENSIS ABBATIBUS, ET PRIORI MAJORIS MONASTERII TURONENSIS.

*Super correctione Burguliensis monasterii.*

(Soræ, XII Kal. Octobris.)

Tenorem litterarum quæ vobis ex parte nostra dicuntur super correctione Burguliensis monasterii præsentatæ in litteris citatotiis inspeximus comprehensum quas dilectis filiis Lucæ abbati et conventui ejusdem monasterii direxistis. Verum si quem vos habere deceret discretionis spiritum haberetis, ex eo saltem credere potuistis easdem litteras de conscientia nostra minime processisse quod nos tam inconstantes et mobiles reputare nullatenus debuistis, ut qui paulo ante non sine sollicitudine diligenti per delegatos a nobis monasterium ipsum salubriter corrigi feceramus, recenter voluerimus quæ fuerant bene acta perverte ac redivivam in eo religionis monasticæ disciplinam recidivæ correctionis occasione vexare. Sed et illud vobis intelligentiam dare potuit quod præfatæ litteræ nequaquam de nostra conscientia manaverunt, quia cum monasterium ipsum, non solum publico sui nomine, verum etiam per sui negotia multiplicia, quæ nos frequenter in instantia nostræ sollicitudinis ocuparunt, notissimum nobis existat, verisimile non apparet quod ejus monachos de Burguol, sicut in eisdem litteris continetur, Gallico idiomate scripsissemus, quos sermone Latino Burgulienses consuevimus appellare. In quo procul dubio deprehenditur quod si litteræ ipsæ quomodocumque a nostro auditorio processerunt, fraudulenter fuit, ut insuetum, Gallicum nomen positum, ne per Latinum, ut assuetum, monasterium ipsum fuisset redditum nobis notum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si nondum per illas litteras precessistis, procedere per eas nullatenus præsumatis, et si quid occasione ipsarum forsitan attentastis, illud sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo penitus revocetis, sollicite provisuri ut consideratis omnibus quæ circa litteras ipsas consideranda videritis, si falsitatem ipsarum per vos ipsos potueritis deprehendere, tam impetratores ipsarum quam eos qui scienter fuerint usi eis secundum pœnam contra falsarios editam appellatione, postposita puniatis. Quod si per vos earum nequiveritis deprehendere falsitatem, ipsas nobis vestris litteris interclusas dirigere non tardetis; proviso quod mandatum nostrum taliter exsecutioni mandetis ne per alium illud oporteat adimpleri. Alioquin de Claromonte, de Chaloceio, et de Buxeria abbatibus Cisterciensis ordinis, Cenomannensis et Andegavensis diœcesum dedimus in præceptis ut vobis in ejusdem exsecutione mandati cessantibus, ipsi appellatione remota illud post mensem exsequi non postponant. Quod si non omnes, duo vestrum, etc...

Datum Soræ, XII Kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

CXLV.

LUCÆ ABBATI MONASTERII BURGULIENSIS EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM(70).

*De confirmatione privilegiorum.*

(Soræ, XI Kal. Octobris.)

(71) Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sancti Petri Burguliensis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Silvestri papæ (72) prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus, etc. Præterea quascunque possessiones,

(70) Vide supra lib. x, epist. 14.
(71) Vide l. IV *Gall. Christ.* p. 206.

(72) Vide ibid. pag. 202.

etc., idem monasterium inpræsentiarum juste ac rationabiliter possidet, etc, *usque* permaneant, in quibus hæc propriis,etc.Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus possessionibuset pertinentiis suis.CurtimBurguliensem cum ecclesia Sancti Germani et ecclesia Sancti Nicolai ac omnibus utilitatibus ad ipsam curtim et ecclesias pertinentibus. Ecclesiam quoque Chociacum super fluvium Ligeris cum portu et quidquid ad ipsam pertinet.In pago autem Turonico quartas tres ex beneficio Carbonis militis Item ex supradicto milite quartas quatuor de curti Suliacinse. Item medietatem curtis deCassanias,cum medietate ecclesiæ Sanctæ Mariæ omnibusque utilitatibus ad medietatem pertinentibus. Item ecclesiam Sancti Hilarii,cum medietate de curtis Vosaliaomnibusque utilitatibus suis. Item emptiones quasdam, id est, villam de Cruolio cum iis quæ ad ipsam pertinent. Item ecclesiam Sancti Dionysii in curti Galnaica,et quidquid ad ipsam ecclesiam vel altare pertinet. Item villas iis nominibus nuncupatas, hoc est Boorias, Canavas, Laliacum, et quidquid ad ipsas aspicit. Ecclesiam quoque in honore Sancti Hilarii, cum curti Fusciacensi etiis quæ adipsam pertinent. Item ecclesiam in honore Sanctæ Mariæ in Bellomonte constitutam,cum decimis et utilitatibus suis. Vineas etiam, prata et domos,ubicunque adjacent, in circuitu castriFontaneti,quasscilicet monasterio Sancti Petri Burguliensis bonæ memoriæ Emma (73) Comitissa Pictavensis fundatrix ejusdem pia liberalitate donavit.Item ecclesiam in honore Sancti Stephani cum villa tota quæ dicitur Lotias. Villam quoque Cassaniam integerrime. Ecclesiam quoque Sancti Christofori cum tota villa ac feria, cum vicaria et theloneo integerrime,absque alicujus personæ dominatione.Villam quoque vocatam ad Brolium Aldefredi. Ecclesiam etiam de Oziaco cum tota villa.Item has villas,videlicet Podium Caninum, vel regia Lemovicinaria,Podium Letardi de Donnavineda, Mansum Ledramniet Aloda,et juxta Cassanum viilam supradictam. Ecclesiam in honore Sancti Martini cum tota villa quæ vocatur Villaris. Item villas duas, videlicet Drogiacum et Turtum. Item quartas quatuor in villa de Odriaco. In Alniasi pago duas ecclesias, unam in honore Sancti Petri, et alteram Sancti Nazarii, sitas ad Ingolinas supra littus maris.Item præbendam Sancti Martini ex regali abbatia quemadmodum accipiunt qui intus serviunt. Præbendam quoque Sancti Martini Condatensis vici, cum ecclesii, domibus et pratis ad ipsam pertinentibus.In pago autem Ebroicensi curtim quæ vocatur Coldra,et villam quæ dicitur Francavilla, cum ecclesiis et omnibus pertinentiis suis, et tertiam partem de Longavilla super fluvium Secanæ. Prioratum Sancti Christofori de Castroforti, cum ecclesiis parochialibus et aliis pertinentiis suis. Prioretum Sancti Saturnini de Cabrosia cum paro-

A chialibus ecclesiis et aliis pertinentiis suis. Prioratum Sancti Martini de Palatiolo, prioratum Sancti Petri de Limos, prioratum Sanctæ Mariæ de Plaisiaco, et prioratum Sancti Andreæ de Nielfa, cum ecclesiis parochialibus et aliis pertinentiis suis. Prioratus etiam de Consannivilla,de Espelteriolis, de Bancort,de Turtiniaco,de Niolio,de Sancto Leodegario, de Sancto Andrea de castro Mirebelli, de Sancto Porcario infra civitatem Pictavensem, de Sancto Hilario, de Gorgeio de Raiatia, de Faya, Sanctæ Mariæ de Perusia, Sanctæ Mariæ de Belloloco in civitate Engolismensi,de Gratiaco,de Trau, de Coz, de Someraco, Sancti Melanii de castro Cainonis, de Sancto Michaele; de Ingrandia,de Darevalle, de Essartis, de Escol,de Bremio, et de insula

B Ulgerii, cum ecclesiis parochialibus et aliis pertinentiis suis. Parochialem ecclesiam Sanctæ crucis Turonensis, parochialem ecclesiam de Varennis, parochialem ecclesiam de Secundiaco,et parochialem ecclesiam de Oleta, cum redditibus quos debetis percipere ab eisdem.Curtim de Plessiaco,curtim de Callonia, curtim de Millevrello, curtim de Brollia,curtim de Roca-Monachi,et curtim de Buccello cum parochiali ecclesia et aliis pertinentiis suis.Anctoritate quoque præsentium inhibemus ne cujusquam civitatis episcopus concilium in eodem monasterio absque consensu et voluntate abbatis ac monachorum ejusdem loci celebrare præsumat, quemadmodum est de consensu Raynaldi tunc Andegavensis episcopi ab eodem nostro prædeceesore statutum. Ecclesiæ vero monaterii vestri,

C in quibuscunque territoriis sitæ fuerint,absque alicujus episcopi seu archidiaconi necnon et alterius personæ inquietudine, excepto synodali vel quæ vulgo circada vel parata dicitur, redditione consistant.Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate,etc. *usque* beati Benedicti Regulam providerint eligendum.Cum autem generale interdictum terræ fuerit, etc,, *usque* celebrare. Paci quoque ac tranquillitati vestræ, etc., *usque* audeat exercere. Præterea præsentium auctoritate vetamus ut de novalibus vestris, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat etiam vobis clericos vel laicos liberos, etc., *usque* retinere. Chrisma vero,oleum sanctum, etc.,

D *usque* aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis, etc., *usque* quod postulatur impendat.Ad hæc, novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis seu decanis,aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusque personis omnino fieri prohibemus.Sepulturam quoque, etc.,*usque* corpora assumuntur.Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium, etc., *ueque* usibus omnimodis profutura.Salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonicajustitia.Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularive persona, etc.,

(73) Vide t. IV, *Gall. Christ.*, pag. 201.

*usque* ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco, etc., *usque* præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Soræ per manum Joannnis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, xi Kal. Octob., indictione xii, Incarnationis Dominicæ anno 1308, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno undecimo.

CXLVI.

RECTORIBUS ROMANÆ FRATERNITATIS.

*Respondetur ad eorum consulta.*

(Soræ, x Kal. Octobris.)

De homine qui ab adolescentia sua bellica castra secutus, mulierem, quæ successive fuerat concubina duorum, sibi matrimonio copulavit, susceptaque prole de ipsa, defuncta demum eadem habitum religionis assumpsit, hoc vobis duximus respondendum, quod, sicut vos ignorare non decet, nequaquam debet ad sacros ordines promoveri; qui si fuerit forte promotus, in suscepso sic ordine sustineri non debet; maxime si sibi suoque ordinatori super irregularitate hujusmodi denuntiatio facta fuerit, eaque contempta exstiterit ordinatus. Is autem qui de magis arcta religione transit ad minus arctam, non est sustinendus in illa, nisi forte propter debilitatem aut infirmitatem seu aliam causam rationabilem ab eo dispensatum cum ipso fuerit qui potuit dispensare. Cæterum hujusmodi quæstiunculas leves reputavimus, imo nullas, et de quibus nec consulere Patres urbis nec patrem orbis consuli opus erat, cum a canone diffinitæ difficultatem aliquam continere minime dignoscantur. Sed facilibus difficilem addidistis, incipientes a minimis, et ad maximam pertingentes; quas profecto cum diligenter evolvimus, quasi de rota quæ ad fingendum urceum volveretur exiret amphora, quæstionem vestram aggravatam sentimus (74). Quæsivistis enim a nobis quid de incauto presbytero videatur, qui se sciens in mortali crimine constitutum, missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, pro sui facinoris conscientia dubitat celebrare, arctatusque graviter e duobus, dum divinum exsequi ministerium(75) metuit, ne populum illud exspectantem offendat, et corpus Christi conficere perhorrescit, ne sumens ipsum indigne, judicium sibi manducet et bibat, peractis cæteris circumstantiis missam celebrare se fingit, et suppressis verbis quibus conficitur corpus Christi, panem et vinum tantummodo purum sumit, ita credens per id quod prætendit populo satisfacere, ut per hoc quod intendit Deum non debeat provocare. Cum ergo falsa sint abjicienda remedia quæ sunt veris periculis graviora, licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, ab hujusmodi sacramento reverenter debeat abstinere, ac ideo peccet graviter si se ingerit irreverenter ad illud, quamvis tamen procul dubio videtur offendere qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare, cum ille culpam vitando dum facit, in solius misericordis Domini manum incidat, iste vero culpam faciendo dum vitat, non solum Deo, cui non veretur illudere, sed et populo quem decipit, se astringat.

Datum Soræ, x Kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

CXLVII.

RECTORI ET FRATRIBUS HOSPITALIS SANCTI BARTHOLOMÆI IN SILICE LUCANENSI.

*Definitur quæstio de electione rectoris ejusdem hospitalis.*

(Soræ, iv Non. Augusti.)

(76) Cum olim super eligendis in hospitali vestro rectore ac fratribus inter vos et dilectum filium priorem ecclesiæ Sancti Bartholomæi Lucani coram priore Sancti Fridiani et primicerio Sancti Martini Lucanensis a sede apostolica judicibus delegatis quæstio verteretur, et utraque pars in eosdem judices compromittens, ipsorum arbitrium se promiserit servaturum, ac ipsi judices certum duxerint arbitrium proferendum, super prolato arbitrio utrinque dubitatio est exorta, quam petiistis per sedem apostolicam declarari. Nos igitur, publico instrumento arbitrium continente diligenter inspecto, cognovimus quod secundum formam arbitrii prior Sancti Bartholomæi Lucani tenetur habere consilium cum familia hospitalis ejusdem et tractare cum eade inveniendo rectore, seu sive concorde sive discordet familia cum ipso priore, idem srior eligere debet in utroque casu rectorem. Propter quod dicimus quod nisi prior super inveniendo rectore tractaverit cum familia hospitalis et ipsius consilium requisierit, non habet potestatem eligendi rectorem et si alio modo rectorem elegerit, ejus electio haberi debet irrita et inanis. Verum (77) habita cum familia consilio et tractatu de inveniendo rectore, ipse prior libere potest rectorem eligere, duntaxat idoneum, sive concordet sive discordet cum ipso familia super inventione rectoris. Ne vero familia concordante in personam idoneam, prior ab ipsa malitiose discordet, sub obtestatione divini judicii districte præcipimus ut prior malitiose non respuat personam idoneam in quam familia concordaverit, sed eam cum ipsius consilio et tractatu eligat in rectorem; ita quod si contra hoc districtum præceptum ausu processerit temerario, postquam id apud superiorem fuerit sufficienter ostensum, et ejus cassetur electio, et ipse canonice puniatur. Licet autem secundum formam arbitrii fratres qui recipiendi sunt in hoc hospitali recipi debeant per manus prædicti prioris, ei obedientiam promittendo, ne tamen idem prior malitiose recuset recipere fratres, ut defunctis præsentibus et in locum eorum nullis aliis substitutis ipsum hospitale liberius pro sua ordinet voluntate, sub præmissa districtione ju-

(74) Cap. *De homine*, De celebr. miss.
(75) In tertia Collect. *mysterium*.
(76) Cap. *Cum olim*. De arbitris.
(77) In tert. Collect. *Unde*. At vv. cc. habent *Verum*, ut hic.

bemus ne defectum fratrum prior malitiose procuret, sed cum consensu rectoris et familiæ hospitalis fratres sine difficultate recipiat, quandocunque necessitas postulaverit; ita quod si hanc contempserit jussionem, postquam de tali fuerit præsumptione convictus, præter pœnam canonicam quam sibi meretur infligi, per rectorem et familiam ea vice fratres in hospitali qui necessarii fuerint ordinentur ipso penitus inconsulto.

Datum Soræ, IV Non. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

CXLVIII.

ABBATI ET CONVENTUI DE COLDRIZ PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Soræ, VII Kal. Septembris.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus quæ inpræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis Deo propitio poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem locum de Neubon cum Capella, ecclesiam de Acastre, partem proventuum ecclesiæ de Cuventona, pasturam Destwissel, et terram et pasturam de Chautim, sicut ea omnia juste ac pacifice possedis, vobis et per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. Si quis autem hoc, etc., *usque* incursurum.

Datum Soræ, VII Kal. Septembris, etc., *ut in alia.*

CXLIX.

CAPITULO TURONENSI.

(Ferentini, IV Non. Octobris.)

Diligenter auditis et perspicaciter intellectis omnibus quæ coram nobis a partibus proposita et allegata fuerunt super duabus electionibus in vestra Ecclesia celebratis, quia per ea nobis constitit evidenter quod pars illa quæ dilectum filium (78) cantorem Parisiensem elegit erat tam auctoritate quam numero longe minor, et eum extra capitulum pluribus ex fratribus inconsultis legitima provocatione contempta eligere non expavit, nos exigente justitia electionem de ipso factam duximus irritandam. Quia vero pars altera, quæ dilectum filium (79) decanum vestrum elegit, auctoritate longe major erat et numero, quamvis eum post quatuor appellationes elegerit, quia tamen ex eis duæ non fuerunt legitimæ, unde illis non fuerat deferendum, et contra reliquas duas nihil exstitit attentatum, cum ejus persona multorum testimonio nobis fuerit multipliciter commendata, et contra eam nihil omnino fuerit ab adversa parte probatum, nos de communi fratrum nostrorum consilio electionem de ipso factam auctoritate curavimus apostolica confirmare (80). Quocirca devotioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ei de cætero tanquam pastori vestro curetis obedientiam et reverentiam exhibere tam debitam quam devotam.

Datum Ferentini, IV Nonas Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

CL.

SEQUENS EPISTOLA CARET INSCRIPTIONE IN VETERI CODICE.

*De electione abbatissæ de Mantignano.*

(Soræ.)

Per originales litteras nostras, quas dilectis filiis abbati de Plana de Septimo et priori Camaldulensi super facto electionis monialium Sanctæ Mariæ de Mantignano Florentinæ diœcesis miseramus, nobis constitit evidenter quod ultima earum clausula nequiter rasa fuit, et eædem litteræ ipsis judicibus tales fuerunt exhibitæ, sicut ex litteris eorumdem, in quibus tenor continebatur ipsarum cognovimus manifeste; quarum occasione dicti judices procedere præsumpserunt. Quia vero id non est a nobis clausis oculis transeundum, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quidquid factum est occasione litterarum illarum penitus irritantes [irritetis], et quem falsasse noveritis litteras supradictas, tanquam falsarium sublato appellationis obstaculo puniatis. Cæterum quia per privilegium felicis memoriæ Cœlestini papæ prædecessoris nostri, quod nos ipsi perspeximus, libertas ipsius monasterii declaratur, volumus et mandamus quatenus, nisi venerabilis frater noster episcopus Florentinus infra duos menses in præsentia vestra ostenderit et probarit quare dictum monasterium eadem uti non valeat libertate, perpetuum ei super hoc silentium imponatis, examinantes postmodum electionem ipsarum monialium et electam, et si eam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, ipsam auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo confirmetis.

Datum Soræ, pontificatus nostri anno undecimo.

CLI.

BARTHOLOMEO CARDICENSI EPISCOPO.

*Recipitur sub protectione apostolicæ sedis.*

(Ferentini, III Non. Octobris.)

(81) Justis petentium desideriis, etc., *usque* complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis et venerabilis fratris nostri Larissiensis archiepiscopi super hoc apostolatui nostro porrectis precibus inclinati, auctoritate præsentium inhibemus ne quis super beneficio Cardicensi et Valestino, quod idem archiepiscopus provida tibi liberalitate concessit, temere te molestare præsumat. Nulli ergo omnino hominum... paginam nostræ inhibitionis infringere, etc., *usque* contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc., *usque* incursurum.

Datum Ferentini, III Nonas Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

(78) Robertum de Vitreio.
(79) Joannem de Faya.

(80) Vide t. I *Gall. Christ.*, pag. 774.
(81) Vide lib XVI, epist. 115.

## CLII.

PATRACIENSI ET THEBANO ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPO FERMOPILENSI.

*Ut dominam Thessalonicæ admoneant sui officii.*

(Ferentini, IV Non. Octobris.)

Quanto dilectam in Christo filiam nobilem mulierem relictam marchionis Montisferrati dominam Thessalonicæ sinceriori diligimus in Domino charitate, tanto eam propensiori studio ducimus admonendam ut hoc modicum corruptibilis vitæ tempus cum ea satagat innocentiæ puritate decurrere quod ad æternæ beatitudinis mereatur gaudium pervenire. Proinde, licet eam deceat esse circa quæque opera pietatis intentam, specialiter erga ecclesias et viros ecclesiasticos eadem convenit religiosam devotionem habere, ut eos imo illum revereatur in ipsis qui se vult in suis honorari ministris, et sine cujus offensa nequaquam illi possunt offendi. Ad nostram siquidem audientiam noveritis pervenisse quod prædicta nobilis venerabili fratri nostro archiepiscopo Larissiensi et suffraganeis ejus molesta in pluribus, non solum abbates et abbatias necnon et presbyteros de Larissa pariter et Larimorond pertinentes ad ipsos in præjudicium eorum detinet, verum etiam Græcis episcopis contra ipsos, (quod, si verum est, grave gerimus et indignum), ne nobis obediant, favorem suum impendere non formidat. Cum igitur hæc nec ab ipsa nobili sine animæ detrimento præsumi, nec a nobis sine dispendio possint libertatis ecclesiasticæ tolerari, eidem relictæ per scripta nostra dedimus in præceptis ut abbates cum abbatiis et presbyteros supradictos memorato archiepiscopo et suffraganeis suis libere restituere non postponat nec attentet eos molestare de cætero super ipsis, ab injuria quam ei super præfatis episcopis imo nobis dicitur intulisse taliter desistendo quod super hoc manum nostram apponere non cogamur. Alioquin, quantumcunque ipsi deferre velimus, quia tamen contra Deum non est homini deferendum, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatam nobilem moneatis prudenter et inducere procuretis ut mandatum nostrum adimplere procuret. Alioquin ipsam ad id per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota cogatis. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, IV Non. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

*Scriptum est eidem nobili super hoc.*

## CLIII.

LARISSIENSI ET ATHENIENSI ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPO SITHONIENSI.

*De decimis et primitiis Ecclesiæ Thebanæ.*

(Ferentini, VI Id. Octobris.)

Exposita nobis venerabilis fratris nostri Thebani archiepiscopi conquestio patefecit quod Hospitalari[1] in sua provincia consistentes tam dominos Thebanos quam populum undique constitutum pravis suggestionibus dehortantur quo minus decimas et
A primitias Ecclesiæ Thebanæ ac aliis quibus debent exsolvant, ipsi eas contra justitiam usurpare nitentes, cumque Thebana Ecclesia non habeat in redditibus nisi nongentos duntaxat hyperperos, prædicti Thebani domini septingentos de ipsis exactionis nomine quæ crostica dicitur annuatim extorquent. Unde fit quod nonnisi ducenti tantum hyperperi restant archiepiscopo memorato pro se ac suis clericis totius anni spatio sustentandis. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Hospitalarios et Thebanos ut ab ipsius archipiscopi super iis indebito gravamine conquiescant moneatis prudenter et efficaciter inducatis. Alioquin ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota mediante justitia
B compellere procuretis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, VI Idus Octobr., etc., *ut supra.*

## CLIV.

ATHENIENSI ET THEBANO ARCHIEPISCOPI, ET EPISCOPO CASTORIENSI.

*Scribitur pro clero de Larsc.*

(Ferentini, IV Non. Octobris.)

Cum dilectus filius nobilis vir Guillelmus de Larse diœcesis Larissiensis regulam evangelicam excedere sine animæ detrimento non possit, quæ Cæsari quæ sunt Cæsaris et quæ Dei sunt præcipit Deo reddi, eidem nobili per scripta nostra dedimus in mandatis ut abbates et abbatias, presbyteros etiam et viros acclesiasticos de Larse molestare de
C cætero, sicut feciose dicitur hactenus, non præsumat, sed debito sibi censu contentus, quem reddidisse dicuntur, in plena permittat eos quiete ac libertate manere. Quorcirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præfatus nobilis mandatum apostolicum non curaverit adimplere, vos eum ad id per censuram ecclesiasticam, ricut justum fuerit appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Ferentini, IV Non. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

*Scriptum est eidem nobili super hoc.*

## CLV.

LARISSIENSI ARCHIEPISCOPO.

*Ut ritum Latinorum observet in consecrationibus.*

D (Ferentini, IV Non. Octobris.)

Super episcoporum consecrationibus et abbatum ac monialium Græcorum benedictionibus, de quibus a nobis certificari petisti, hoc tuæ fraternitati duximus respondendum, ut quos consecratos vel benedictos inveneris, in suo statu dimittas, eis autem qui consecrandi vel benedicendi fuerint consecrationis et benedictionis munus secundum ritum Latinorum impendas, monachabus et monachis normam vitæ secundum regulam approbatam quam professi fuerint injungendo.

Datum Ferentini, IV Non. Octobris, etc., *ut supra.*

CLVI.

ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS ET DILECTIS FILIS ABBATIBUS PRIORIBUS, ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS PER REGNUM FRANCIÆ CONSTITUTIS.

*Crucesignati suscipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.*

(Ferentini, v Id. Octobris.)

Cum pro Ecclesiæ libertate pugnantes Ecclesiæ deceant patrocinio confoveri, auctoritate apostolica constituimus ut dilecti filii ad obsequium Christi signati contra provinciales hæreticos vel signandi, ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum ipsos hæreticos secundum ordinationem legatorum nostrorum in pectoribus suis susceperint, tam cum personis quam terris, possessionibus et hominibus, necnon et cæteris bonis suis sub apostolicæ sedis et nostra protectione consistant, et donec de ipsorum reditu vel obitu certissima cognoscatur, ea omnia in suo statu libera permaneant et quieta. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si quis vestrarum diœcesum prædicta bona ipsorum interim perturbare tentaverit, cum a procuratoribus, officialibus, vel nuntii eorum fueritis requisiti, injuriatores seu perturbatores eorum per censuram canonicam appellatione postposita compescatis.

Datum Ferentini, v Idus Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

CLVII.

UNIVERSIS CLERICIS AD OSEQUIUM CHRISTI SIGNATIS CONTRA PROVINCIALES HÆRETICOS VEL SIGNANDIS.

*De eadem re.*

Cum orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem decreveritis proficisci, præsentium vobis auctoritate concedimus quatenus redditus vestros pro pietatis hujus opere adimplendo liceat vobis pignori per biennium obligare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, etc., *usque* contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc., *usque* incursurum.

Datum Ferentini, VIII Idus Octobr., pontificatus nostri anno undecimo.

CLVIII.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ET DILECTIS FILIIS ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS IN REGNO FRANCIÆ CONSTITUTIS.

*De eadem re.*

(Ferentini, VII Id. Octobris.)

Ut contra crudelissimos hostes suos Ecclesia sancta Dei terribilis quasi castrorum acies ordinata procedat ad exterminandum pravitatis hæreticæ sectatores, quæ serpens ut cancer Provinciam pene totam infecit, præsidia militiæ Christianæ de circumpositis regionibus duximus convocanda, venerabilibus fratribus nostris Consoranensi et Regensi episcopis necnon et dilecto filio Cisterciensi abbate apostolicæ sedis legatis deputatis ipsis in duces ut A defensuri sanctæ Trinitatis honorem, sub trino triumpheut regimine magistrorum. Quapropter universitatem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus apud subditos vestros studio sedulæ prædicationis et exhortationis instetis ut ad opus tam sanctum tam per se quam per sua obsequium Deo devotum et auxilium Ecclesiæ opportunum impendant, scientes remissionem peccaminum a Deo ejusque vicario universis indultam qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad opus se accinxerint hujusmodi pietatis, ut eis labor tam sanctus ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis pro quibus cordis contritionem et oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Cum autem pro fraterna defensione pu- B gnantes a fraternis deceat injuriis expediri, volumus et mandamus ut si qui nobilium clericorum seu etiam laicorum contra pestilentes hujusmodi procedentium ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, creditores eorum in vestris diœcesibus constitutos, cum ab ipsis fueritis requisiti, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis ut eos a juramento penitus absolventes, ab usurarnm ulterius exactione desistant. Quod si quisquam creditorum ipsos ad solutionem coegeret usurarum, ipsum ad restituendum easdem, postquam fuerint persolutæ, simili censura sublato appellationis obstaculo coarctetis, creditores talium diligentius quam poteritis inducentes quatenus terminos ad solutionem debitorum præfixos, donec illi labori C vacaverint hujusmodi pietatis elongent ; ut sic demum retributionis eorum gaudeant participio quorum certamen tali promovent adjumento. Præterea cum non videatur absurdum ut qui publicam causam gerunt, publicis stipendiis sustententur, universos tam clericos quam laicos in terra nobilium virorum duci Burgundiæ et Nivernensis et Sancti Pauli comitum necnon etiam aliorum qui ad tam gloriosum certamen signati fuerint constitutos moneatis prudenter et efficaciter inducatis ut quemadmodum venerabiles fratres nostri archiepiscopus Senonensis et suffraganei ejus fecisse noscuntur, de cunctis proventibus suis unius anni ad tam sanctum et sumptuosum opus implendum portionem eis decimam largiantur, deputatis aliquibus viris providis ac fidelibus ad eleemosynam hujusmodi colligendam D qui collectam assignent sicut prædicti legati duxerint disponendum.

Datum Ferentini, VII Idus Octob., pontificatus nostri anno undecimo.

CLIX

PHILIPPO ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Ut Judæi remittant usuras crucesignatis.*

(Ferentini, VII Id. Octobris.)

Ut contra crudelissimos hostes suos Ecclesia sancta Dei, etc., *ut in alia, usque* : Quapropter serenitatem regiam rogandam duximus et monendam, in remissionem sibi peccaminum injungentes quatenus

cum a prædiciis legatis fueris requisitus, consilium A cis ad hoc et auxilium opportunum impendas, populos tibi subditos inducendo ut ad opus tam sanctum tam per se quam per sua obsequium Deo devotum et subsidium Ecclesiæ necessarium exhibere procurent, scientes remissionem peccaminum, etc., *usque* obtulerint vero Deo. Quia igitur apud eos districtio forte poterit proficere temporalis a quibus super hoc spiritualis inductio non admittitur, tuam regalem mansuetudinem in Domino deprecamur quatenus Judæos sub tuo dominio constitutos inducas regiaque potestate compellas ut debitoribus suis in hujusmodi Dei obsequium profecturis omnino relaxent usuras, et terminos ad exsolvendum sortem præfixos, si fieri potest, prorogent competenter; ut præter subventiones alias quas Ecclesiæ in tam sancto negotio B ministraveris, ex hoc quoque merces tibi æternæ retributionis accrescat.

Datum Ferentini, VII Idus Octobr., pontificatus nostri anno undecimo.

### CLX.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO

*Datur sibi licentia residendi apud Ferchikam.*

(Ferentini, III Id. Octobris.)

Supplicavisti nobis at cum in sede tua propter hostium circumstantiam sine damno rerum et propriæ timore personæ residere non possis, residendi apud Ferchikam largiri tibi licentiam dignaremur, qui videlicet locus diœcesana sibi est lege subjectus, et in eo dudum sedes archiepiscopalis noscitur exstitisse; maxime cum loci comestabulus, si hoc fiat, C locum ipsum intendat beneficiis ampliare. Quocirca fraternitati tuæ per apostolicæ scripta mandamus quatenus ob neccessitatem hujusmodi residentiam tuam in loco facias memorato, ita tamen ut per hoc priori loco archiepiscopalis dignitas minime auferatur.

Datum Ferentini, III Idus Octobr., pontificatus nostri anno undecimo.

### CLXI.

MAGISTRO AIMERO CANONICO SANCTI ANDREÆ PICTAVENSIS.

*Respondetur ad ejus consulta.*

(Ferentini, xv Kal. Novembris.)

Super litteris quæ ab aliquibus ex malitia, et a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate vel falsitate D suggesta impetrantur a nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus eos debere prorsus carere omni commodo litterarum, cum mendax precator carere debeat impetratis, aliis vero dicentibus quod, etsi forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus tamen juxta rigorem juris sit a delegato judice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos qui per fraudem vel malitiam et illos qui per simplicitatem vel ignorantiam a nobis litteras impetrant, hujusmodi credimus discretionem habendam, ut ii qui priori modo falsitatem exprimunt vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex litteris commodum consequantur ita videlicet quod delegatus, postquam sibi super hoc fuerit facta fides, nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem qui posteriori modo litteras impetrant dicimus distinguendum quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas vel veritas occultata quæ, quamvis, fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi litteras dedissemus, delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam secundum ordinem juris in causa procedat. Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem vel suppressionem etiam veritatis litteræ fuerint impetratæ qua tacita vel expressa nos nullas prorsus litteras dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus ut partibus ad suam præsentiam evocatis, de precum qualitate cognoscat; ut sic in utroque casu eadem ratio quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum, et ubi delegans suas litteras denegaret, delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat.

Datum Ferentini, xv Kal. Novembr., pontificatus nostri anno undecimo.

### CLXII.

WILLELMO DOIARD CANONICO THEBANO.

*Confirmatur sibi præbenda Thebana.*

(Ferentini, XIII Kal. Novembris.)

Solet annuere sedes apostolica, etc., *usque* impertiri. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis postulationibus grato concurrentes assensu, præbendam quam in Ecclesia Thebana es canonice assecutus, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ confirmationis, etc. Si quis autem hoc etc., *usque* noverit incursurum.

Datum Ferentini, XIII Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

### CLXIII.

GUALTERIO CATHANIENSI EPISCOPO, REGNI SICILIÆ CANCELLARIO.

*Ut archiepiscopo Montis-regalis impendat reverentiam et honorem.*

(Ferentini, XIII Kal. Novembris.)

Humilitatem tuam et venerabilis fratris nostri archiepiscopi Montis-regalis commendamus in Domino charitatem, per quam videlicet non quæ sua sed quæ Jesu Christi sunt quærens, non est exaltatum cor suum ex eo quod humiliari te non refugis coram eo, obedientiam sibi et reverentiam, sicut per suas litteras intelleximus, offerendo, quæ Montano archiepiscopo Cathaniensis Ecclesiæ ratione debetur. Cum igitur regiis negotiis ac servitiis familiaritate necessaria et familiari necessitudine sis implexus, ac ideo sit necesse ab omni tibi suspicione caveri, eidem archiepiscopo per nostras dedimus litteras in mandatis ut tuæ regiæque commoditati ac nostris precibus condescendens, tibi super juramento sibi debito impendendo necessitate deferat exigente. Quocirca fraternitatem tuam monemus at-

tentius et hortamur, per apostolica tibi scripta (A) mandantes quatenus gratiæ quam tibi fecerit non ingratus, ipsum habeas in ea reverentia et honore in qua cum fores juramento præstito habiturus, exhibitis ei, si voluerit, ad majorem cautelam litteris tuis, in quibus spondeas et promittas quod et ad mandatum nostrum tempore opportuno, si necesse fuerit, fidelitatem sibi debitam exhibebis, et interim ei obedientiam et reverentiam, ac si fidelitatem præstitisses, impendes ; sollicite providendo ut de gratiæ nostræ favore securus talem erga nos et Romanam Ecclesiam satagas te habere quod qui tecum in veritate procedimus, eo quod et te ambulare jam scimus in veritate nobiscum, ad honorem et incrementum tuum, ad quod ferventer intendimus, ferventius accedi possimus, cum illius in hac parte (B) noverimus vestigia imitari qui dicit : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I).

Datum Ferentini, XIII Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

*Scriptum est super hoc archiepiscopo Montis-regalis.*

## CLXIV.

BARTHOLOMÆ DE CEPERANO.

*Confirmatur quædam sententia lata pro ipso.*

(Ferentini, x Kal. Septembris,)

Cum dilectus filius Orandinus de Pontecurvo miles coram dilecto filio Jacobo subdiacono et capellano nostro, quem tibi et ei dedimus auditorem proposuisset te suum esse vassallum, teque ratione querumdam molendinorum, domorum, vinearum et quarumdam aliarum possessionum ad se spe- (C) ctantium, ut dicebat, quæ apud Ceperanum habere dignosceris, teneri sibi cum unico equo servire, te quæ præmissimus omnino negante, post præstitum ab utraque parte calumniæ juramentum ad præmissa probandum, idem Orandimus quosdam testes produxit, quibus postmodum publicatis, cum subdiaconus memoratus tam dicta testium quam ea quæ utrinque fuere proposita coram eo nobis fideliter intimasset, nos eidem injunximus ut de consilio dilecti filii Pelagii Sanctæ Luciæ ad septa solis diaconi cardinalis sententiam promulgaret. Qui cognoscens prædictum Orandinum intentionem suam minime fundavisse, cum auctore non probante reus, etsi nihil præstiterit, debeat obtinere juxta legitimas sanctiones, ad impetitione ipsius de (D) consilio cardinalis ejusdem sententialiter te absolvit, semper præmissis omnibus ei perpetuum silentium imponendo. Nos igitur ejus sententiam ratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc., *usque* incursurum.

Datum Ferentini, x Kal. Septembris, pontificatus nostri anno undecimo

(82) Cap. *Ex parte*, De feudis.

## CLXV.

MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO S. R. E. CARDINALI.

*De feudis alienandis vel non.*

(Ferentini, x Kal. Novembris.)

(82) Ex parte tua nostro est apostolatui reseratum quod sæpius dubitasti utrum cum contingit tuum vassallum decedere et ad te feudum ipsius redire, feudum ejus alii liceat tibi dare, cum juramento tenearis astrictus non infeudare de novo, Romano pontifice inconsulto. Ad hæc, si vassallum tuum feudum alienare contingat, an ipsius filium vel consanguineum consortem ejusdem feudi de ipso valeas investire. Alia quoque tua dubitatio continebat utrum cum feudum alienatum repereris quod per te facile recuperare non potes, possis alicui laico in feudum illud concedere, qui et illud recuperet et in feudum per Ecclesiam recognoscat. Nos igitur super iis de mente tua scrupulum volentes dubitationis auferre, præsentium tibi significatione mandamus quatenus si quando præfati casus emeserint, in primo feudum decedentis libere, si videri expedire, concedas, ac in secundo filium vel consanguineum alienantis investiens, in tertio feudum alienatum ei poteris licenter concedere per quem ipsum Ecclesia valeat rehabere.

Datum Ferentini, x Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXVI.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI VINCENTII.

*Eis decimæ adjudicantur.*

(Ferentini, XII Kal. Novembris.)

Cum inter vos et venerabilem fratrem nostrum Ricc. episcopum Treventinum coram dilecto filio nostro Pelagio Sanctæ Luciæ ad septa solis diacono cardinale, cui vos commisimus audiendos, controversia verteretur, ipso episcopo proponente quod decimæ possessionum quæ sunt circa Rivum obscurum ac Sangrum versus monasterium vestrum, ac per habitatores castrorum Rivi obscuri et Alfedenæ coluntur, ad ipsum de jure spectabant, et quod in castris ipsis, utpote in sua diœcesi constitutis, per vos chrisma minime conferri debebat, vobis autem econtrario respondentibus quod, etsi præfatæ decimæ ad eumdem episcopum nequaquam alio jure spectarent, tuti tamen præscriptione quadragenaria, quam obligastis vox probaturos, eratis, nos auditis et intellectis rationibus et attestationibus utriusque partis coram præfato cardinali productis et nobis relatis fideliter per eumdem, ab impetitione ipsius episcopi super decimis prælibatis justitia vos absolvimus exigente, imponentes ei silentium super ipsis, collationem vero chrismatis in prædictis castris adjudicavimus episcopo memorato Nulli ergo. . . . . . hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc., *usque* incursurum.

Datum Ferentini, XII Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecime·

CLXVII.

LUCANO EPISCOPO.

*Confirmantur privilegia monasterii de Fichecho.*

(Ferentini, II Kal. Novembris.)

(83) Dum olim, frater episcope, cum dilectis filiis abbate ac monachis Sancti Salvatoris de Fichecho super plebe de Salamazano et adjacentibus capellis ipsius in nostra præsentia litigando, institutionem clericorum in eis et alia ad jus episcopale spectantia vindicares, ad fundandam intentionem tuam jus commune principaliter allegabas, cujus auctoritate dicebas universa spiritualia in prædictis locis, quæ sunt in tua diœcesi constituta, ad te tanquam ad diœcesanum episcopum pertinere. Arbitrium præterea super hoc promulgatum a bonæ memoriæ Pistoriensi episcopo et archipresbytero ac primicerio Lucanis a partibus electis allegans, quod ab utraque parte fuerat communiter approbatum, in quo continetur expresse ut postquam in eadem plebe conversus quisquam in plebanum electus fuerit ab abbate, Lucano episcopo præsentetur, ab ipso confirmationis gratiam recepturus, et promissurus eidem cum suis presbyteris sub hac forma obedientiam manualem ut ad synodum, capitulum, et etiam litanias ad ecclesiam Sancti Martini cum populo suo vadat, et episcopo in annua procuratione ac de quarta respondeat decimarum, et cum necesse fuerit, ei subministret auxilium, et servet ejus sententiam interdicti latam in populum Fichéclensem, etsi plebanus vel presbyteri sui Lucanam Ecclesiam forsan offenderent in iis quæ in arbitrio continentur, et abbas semel et bis requisitus infra viginti dies offensam non faceret emendari, liceret Lucano episcopo pro illa culpa eos tanquam suos presbyteros judicare. Ad elidendam autem intentionem tuam abbas prædictus felicis recordationis Gregorii septimi papæ prædecessoris nostri privilegium exhibebat, quod prædictum arbitrium multo videbatur tempore præcessisse, per quod tam Ficheclense monasterium quam plebs et capellæ prædictæ videbantur libertate donatæ. In ipso siquidem continetur quod jam dictus prædecessor noster Ecclesia de Salamazano cum capellis adjacentibus monasterio memorato concessis instituit ne quis archiepiscopus vel episcopus locum ipsum seu plebem et capellas prædictas molestare audeat, vel presbyteros ab abbate qui pro tempore fuerit inibi constitutos excommunicare vel etiam judicare, sed sub tutela et immunitate ac judicio Romani pontificis consistentes omnipotenti Deo secure deservire procurent. Aliorum quoque Romanorum pontificum, Urbani scilicet, Paschalis, Calixti, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri, et Lucii dictus abbas privilegiis utebatur post arbitrium promulgatum obtentis qui libertatis sibi privilegia concedere videbantur. Sic enim in singulorum privilegiis inter cætera reperitur: *Sancimus etiam ut nec episcopo nec archi-*

A *episcopo cuiquam aut eorum ministris liceat locum ipsum*, scilicet monasterium Ficheclense, *vel ejus monachos aut adjacentes ecclesias de Salamazano cum capellis suis vel presbyteros ab abbate constitutos ibidem præter Romani pontificis conscientiam excommunicare aut supponere interdicto*. Proposuit præterea dictus abbas quod, etsi prædicta ad se de communi jure spectarent, super iis tamen tam ipsum quam monasterium suum legitima constabat præscriptione munitum. Per testes quoque suos et partis tuæ, qui coram dilecto filio priore Sancti Fridiani Lucani de mandato nostro fuerant utrinque producti, dicebat esse probatum quod super præmissis omnibus monasterium suum per quadraginta annos et amplius pacifica fuerat possessione gavisum, allegans insuper per arbitrium sæpedictum

B nullum potuisse monasterio præjudicium generari, tum quia major et sanior pars capituli ejusdem loci nullatenus compromissioni memoratæ consenserat, tum etiam quia Romanæ sedis auctoritas, ad quam monasterium et ecclesiæ pertinebant, accessisse minime probabatur. Ad hæc autem ex parte tua exstitit sic responsum, quod privilegio Gregorii papæ, utpote manifeste suspecto, fides adhibenda non erat. Nam in ea sui parte inveniebatur abrasum in qua vis quæstionis existit, ubi videlicet fit mentio de capellis. Sed nec per alia privilegia proponebas eumdem abbatem aliquod debere commodum reportare, cum illa viderentur per subreptionem obtenta, cum de prædicto arbitrio a partibus approbato, quod in rei judicatæ auctoritatem transierat,

C nullam faciat mentionem. Adjiciens insuper te non posse præscriptionis objectu ab adversa parte repelli; quia licet quidam testes deponant se a quadraginta annorum tempore recordari, et adjiciant se vidisse monasterium super iis quæ ad jus episcopale spectant in prædictis locis libertate gavisum, per depositiones tamen hujusmodi de quadraginta annorum possessione continua non sit fides; cum hæc duo concurrere satis possint, ut testes a quadraginta annorum tempore recordentur, et a decennio citra duntaxat monasterium ipsum in possessione viderint prædictorum. Sed hoc frivolum pars altera reputando respondit quod, etsi testes aliqui verbis dubiis sic utantur, plures tamen testes sunt qui aperte testantur se a quadraginta annis et

D ultra monasterium memoratum in continua prædictorum omnium possessione vidisse. Contra quod pars tua proposuit replicando quia licet de quadraginta annorum præscriptione constaret, tempus tamen (84) schismatis quod in Lucana Ecclesia intervenisse per testes erat ostensum debebat merito de computatione subduci. Econtra parte altera respondente quod licet de schismate quod intercesserat fuerit facta fides cum quanto tempore duraverit minime sit ostensum, et potuerit modico tempore duravisse propter hoc tamen præscriptionis objectio non po-

(83) Cap. *Cum olim*, De præscript.

(84) Vide supra epist. 84.

terat efficaciter impediri, præcipue cum per plures testes quadraginta quinque annorum præscriptio sit probata. Nos igitur iis et aliis quæ coram nobis utrinque fuere proposita perspicaciter intellectis, quia prædictus abbas sufficienter ostendit monasterium suum super institutionibus, destitutionibus, et ordinationibus plebani et clericorum, baptismo, pœnitentia in levioribus culpis, sepultura, decimarum perceptione, ac divinis officiis celebrandis tam in plebe quam capellis etiam supradictis, in excommunicando quoque, interdicendo, et etiam absolvendo, legitima præscriptione munitum, abbatem ipsum ab impetitione tua super jamdictis articulis de consilio fratrum nostrorum duximus absolvendum super illis tibi perpetuum silentium imponendo, super aliis omnibus quæ ad jus episcopale spectare noscuntur juxta tenorem arbitrii eumdem abbatem quoad plebem et capellas prædictas sententialiter condemnantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc. *usque* incursurum.

Datum Ferentini, II Kal. Novemb. pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXVIII.

ABBATI ET MONACHIS TANCTI SALVALORIS DE FICHECO.

*De eadem re.*

(Ferentini.)

Cum venerabilis frater noster Lucanus episcopus super plebe de Salmazano et adjacentibus capellis ipsius vobiscum in nostra dudum præsentia litigando institutionem clericorum in eis et alia ad jus episcopale spectantia sibi intenderet vindicare, ad fundandam intentlonam suam jus commune principaliter allegabat, etc., *in eumdem fere modum*, *usque* : Ad elidendam autem intentionem episcopi sic fundatam, tu fili abbas, etc., *in eumdem fere modum ut supra*, *usque in finem*.

Datum Ferentini, etc., *ut in alia*.

## CLXIX.

GERARDO FUNDATORI CAPELLÆ IN SUBURBIO WIENNÆ AD HONOREM SANCTI SPIRITUS ET BEATI ANTONII CONSTITUTÆ.

*Suscipitur sub protectione apostolicæ sedis.*

(Ferentini, XI Kal. Novembris.)

Dilectus filius nobilis vir dux Austriæ per suas nobis litteras intimavit quod cum de suo consilio et consensu capellam in suburbio Wiennæ ad honorem sancti Spiritus ac beati Antonii construxisses, et ad opus pauperum cum decem et novem areis tuis ibidem adjacentibus eam pio dotavisse amore, sentiens odoris fragrantiam quæ per Dei gratiam de religione hospitalis nostri Sancti Spiritus (85) in Saxia procedit, illam ei committere decrevisti, censum unius marcæ argenti sibi annualiter reddituram. Nos igitur tuis et ejusdem ducis precibus inclinati, capellam ipsam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ impræsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum dante Domino justis modis poterit adipisci, necnon etiam et personas consistentes in ipsa sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, eamque sub prætaxato censu hospitali prædicto Sancti Spiritus applicamus, præsentium auctoritate mandantes quatenus, sicut hactenus, sub tua interim gubernatione consistat, donec magister hospitalis jam dicti per se vel suum nuntium eam visitans, secundum Deum et suam Regulam de ipsius utilitate disponat. Nulli ergo, etc., *usque* incursurum.

Datum Ferentini, XI Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXX.

ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO.

*De donatione cujusdam ecclesiæ.*

(Ferentini.)

Bonæ memoriæ, etc., *usque* investire. Cæterum licet transmissæ nobis tuæ litteræ continerent quod ecclesia memorata ad donationem Ecclesiæ Beneventanæ pertineat, quamvis per felicis memoriæ Alexandrum papam prædecessorem nostrum prædicto collata fuerit cardinali, quia tamen a nonnullis accepimus quod ipsius collatio specialiter spectat ad Romanum pontificem, ac Romanam Ecclesiam in hac possessione reperimus, eamdem ecclesiam de manu nostra duximus conferendam, nolentes ex donatione hujusmodi ullum Ecclesiæ Beneventanæ præjudicium generari, si volueris vel potueris forsan ostendere quod eadem ad donationem tuam debeat pertinere.

Datum Ferentini.

## CLXXI.

LARISSENO ET THEBANO ARCHIEPISCOPIS.

*Ut inquirant de postulato ad Ecclesiam Thessalonicensem.*

(Ferentini, Kal. Novembris.)

(86) Dilecti filii canonici Sanctæ Sophiæ Thessalonisensis suas nobis litteras direxerunt, per quas una cum dilecta in Christo filia nobili muliere relicta marchionis Montisferrati necnon et dilectis filiis nobilibus viris comite de Blanderada Bajulo et aliis Thessalonicensis regni baronibus, qui super hoc ipso sua nobis scripta misere, multiplices Ecclesiæ Thessalonicensis ac regni necessitates et angustias exponentes, nostro humiliter apostolatui supplicarunt ut Postulationem quam iidem cononici, prædictorum accedente favore, de venerabili fratre nostro archiepiscopo Verissiensi fecerunt admittere dignaremur, cum per ipsius circumspectam prudentiam et circumspectionem prudentem singulariter quasi sperent, non solum Ecclesiæ, sed et regni posse necessitatibus provideri. Quia igitur nobis plene non potuit de ipsa postulatione constare, cum juxta morem Ecclesiæ Romanæ canonibus concor-

(85) Vide gesta Innoc. III, cap. 144.

(86) Vide lib. XIII, epist. 13.

dantem postulationes hujusmodi, sicut electiones, A regularem examinationem deposcant, eo quod in postulationibus plura sunt quam in electiontbus attendenda, fraternitati vestræ per apostolica scripta madamus, atque præcipimus quatenus inquisita diligenter et cognita veritate, si postulationem ipsam ab iis qui eam celebrare possunt et debent inveneritis canonice celebratam, et præfatum archiepiscopum, sicut a quibusdam nobis fuerat intimatum, administrationi Thessalonicensis Ecclesiæ se minime ingessisse, propter multam necessitatem vice nostra postulationem admittatis eamdem, et absolventes eum a vinculo quo Verissiensi Ecclesiæ tenebatur, injungatis eidem ut palleum quod sub nomine ipsius Ecclesiæ Verissiensis accepit nobis remittere non postponat, aliud, dante Domino, B prout convenit, ad nomen Thessalonicensis Ecclesiæ recepturus. Quod si vel postulationem minus canonice celebratam vel illum administrationi se constiterit ingessisse, auctoritate nostra districte inhibere sibi curetis ne prioris Ecclesiæ mediocritate despecta, Thessalonicensi tanquam celebriori quoquo modo ingerere se præsumat, sed in ea vocatione qua vocatus est permanens Ecclesiam quæ prius ei commissa fuerat studeat gubernare, considerans quod in hoc multam gratiam sibi facimus, maxime si sic præfatæ administrationi repertus fuerit irrepsisse, cum secundum canonicas sanctiones si qui supra mensuram sui juris affectans augeri, priori cathedra derelicta sine conniventia Romani pontificis, cui soli est auctoritas reservata translationes præsulum concedendi, ad aliam se transtulerit, C et prima carere debeat, quam per superbiam sprevit, et a secunda repelli, quam per avaritiam concupivit (87). Ne vero prædicta Thessalonicensis Ecclesia diutius maneat pastorali regimine destituta, illos ad quos pertinet ipsius electio moneatis ut absque mora personam idoneam per electionem canonicam sibi præficiant in pastorem. Si autem propter personarum defectum, quo non solum ipsam Ecclesiam sed et totam provinciam credimus laborare, personam idoneam non potuerint ad ejus regimen invenire, vos id nobis per vestras litteras intimetis. Qui, si canonici memorati cum favore præfatæ nobilis et aliorum quos supra nominavimus desiderio per litteras quas nobis duxerint destinandas expresso proposcerint, eis auctore Domino di- D gnum pontificem de nostris manibus consecratum et decoratum palleo, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officii, curabimus destinare, qui et sciet et poterit cum sapientiæ divinæ potentia commissam sibi Ecclesiam spiritualiter et temporaliter gubernare.

Datum Ferentini Kal. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

—

(87) Leo I, epist. 84, et apud Gratian, 7, q. I, c. 31, *Si quis episcopus*.

## CLXXII.

DILECLO IN CHRISTO FILIO PONTIO ABBATI MONASTERII SANCTI ÆGIDII EJUSQUE SUCCESSORIBUS REGULARITER SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, II Id. Novembris.)

Quamvis ecclesiarum omnium cura nobis et sollicitudo immineat, illis tamem locis atque personis quæ beato Petro et sanctæ Romanæ Ecclesiæ specialius adhærere et in ejus fidelitate atque obedientia devotius permanere noscuntur attentiori cura providere nos convenit. Ut autem pro beati Ægidii monasterio, cui Deo auctore præesse dignosceris, diligenti sollicitudine vigilemus tanto amplior nobis necessitas est injuncta quanto idem locus ab exordio suæ fundationis ad jus et dominium ejusdem apostolorum principis specialiter dignoscitur pertirere. Tuis itaque, dilecte in Domino fili Ponti abbas, justis postulationibus benignum impertientes assensum, ad exemplar prædecessorum nostrorum sanctæ recordationis Innocentii, Eugenii, et Adriani quarti Romanornm pontificum, omnem libertatem seu immunitatem vobis ac vestro cœnobio per antecessorum nostrorum privilegia contributam præsentis privilegii pagina roboramus, statuentes ut nulli omnino archiepiscopo vel episcopo liceat super idem cœnobium vel abbatem sive monachos ibidem Domino servientes manum excommunicationis aut interdictionis extendere, sed tam vos quam monasterium cum villa quieti semper ac liberi ab omni episcopali exactione vel gravamine per omnipotentis Dei gratiam maneatis. Monachos vero et presbyteros seu clericos qui in vestris obedientiis commorantur, pro delictis suis a quibuslibet laicis capi, verberari, aut ad redemptionem cogi penitus prohibemus. Præterea statuimus ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Abbatias videlicet Sancti Ægidii (88) de ungaria et Sancti Eusebii de Provincia, ecclesias Sancti Ægidii de Accio, ecclesiam Sancti Ægidii de Duno, ecclesiam Sancti Ægidii de Supervia cum villa, ecclesiam Sancti Eusebii de Longobardia, ecclesiam Sancti Baudilii de Hispania, ecclesiam Sanctæ Eulaliæ de Barbasta, ecclesiam de Revinas cum sua villa, ecclesiam de Boccona cum villa, ecclesiam Sancti Andreæ de Lucapello, ecclesiam Sancti Ægidii de Tolmone, ecclesiam Sancti Ægidii de Creissaco, ecclesiam Sancti Hippolyti de Melseo cum villa, ecclesiam Sancti Lupi, ecclesiam Sancta Mariæ de Fraixeneto, ecclesiam Sancti Joannis de Gardonenca cum villa, ecclesiam Sanctæ Crucis de Molazano, ecclesiam Sancti Martini de

(88) Vide lib. II Miscellaneor. nostror. pag. 183.

Cerbario cum sua capella, ecclesiam Sancti Stephani de Corconna, ecclesiam Sancti Amantii cum villa ecclesiam Sancti Martini de Orianegues, ecclesiam Sancti Martini de Cinciano, ecclesiam Sancti Andreæ de Berniz cum cappella sua, ecclesiam Sancti Saturnini de Seura cum ipsa villa, villam de Bionz, ecclesiam Sanctæ Ceciliæ de Stagello cum ipsa villa, ecclesiam Sancti Felicis de Aspirano cum ipsa villa, ecclesiam Sanctæ Columbæ cum media villa, ecclesiam Sancti Andreæ de campo Mariniano ecclesiam Sanctæ Mariæ de Saturanicis, ecclesiam Sancti Ægidii de Missiniaco, ecclesiam Sancti Stephani de Castlar cum capella, ecclesiam Sancti Petri de Prevencheriis cum villa et ecclesiis suis, ecclesiam Sancti Andeoli de Robiaco cum capella et villa, ecclesiam Sancti Victorini, ecclesiam Sancti Andreæ, ecclesiam Sancti Petri de Vannis cum ipsa villa, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monte alto cum capella de villa, ecclesiam Sancti Baudilii de Somerio cum capella, ecclesiam Sancti Servii ultra Rhodanum cum villa, ecclesiam Sancti Petri et Sancti Michaelis juxta castrum Rossilianis, ecclesiam Sancti Privati cum villa, ecclesiam Sancti Stephani de Menerba cum capellis et villa, ecclesiam Sancti Christofori de Vacheriis cum capella et villa, ecclesiam Sancti Joannis de Albenatis cum villa et parochiali ecclesia Sanctæ Mariæ, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Redosc cum villa, ecclesiam Sanctæ Columbæ de Capingo, ecclesiam Sancti Ægidii de Paternis, ecclesiam Sancti Maximi de Medenis, ecclesiam Sancti Petri de Inter-montes cum ipsa villa, ecclesiam Sancti Petri de Trincatallis, ecclesiam Sancti Joannis de Meiano, ecclesiam Sancti Sebastiani de Montepesato ecclesiam Sancti Petri de Launiaco, ecclesiam Sancti Salvatoris de Caisanigis, ecclesiam Sancti Eugenii de Orbesat cum capella, ecclesiam Sancti Genesii de Mediogozez, ecclesiam de Acione, ecclesiam de Malbosc cum sua capella, ecclesiam de Rocca ecclesiam de Camponaz, ecclesiam de Lardario, cum ecclesiis et omnibus earum pertinentiis, castrum de Montfort, castrum de Lennatio, et quinque modiatas terræ ac quatuor candelas quotidianas quæ quondam de Berjaco monasterio Sancti Ægidii testamento reliquit. Transactiones præterea quæ inter vos et Joannem Nemausensem atque Raimundum Uzeticensem episcopos de ecclesiarum quartonibus factæ sunt, et authentico scripto firmatæ, vobis nihilominus confirmamus. Illud autem auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus abbas vel monachus thesaurum honores vel possessiones præfati monasterii seu cellarum ad ipsum pertinentium, quæ aut modo habentur, aut in futurum largiente Domino acquirentur, alienare, distrahere, impignorare, vel in feudum, censum, seu beneficium alicui militi dare præsumat, nisi forte pro redemptione videlicet captivorum, pro communi et graviori famis inopia, et pro emptione seu pro redemptione possessionum. Id ipsum autem si contigerit, totius fiat communi deliberatione capituli: ut nihil dolo vel subreptione aliqua, sed prædictarum necessitatum instantia committatur. Abbas vero vel monachus qui hoc attentaverit, abbas siquidem abbatiæ regimine careat et excommunicationis sententia percellatur, monachus autem a monasterio penitus et ab ejus honoribus excludatur et ejusdem excommunicationis sententia teneatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Prohibemus etiam ut infra villam Sancti Ægidii et circa eamdem villam usque ad unam leugam nulli Hospitalariorum seu militum Templi vel cuilibet alii personæ absque abbatis et capituli consensu liceat religiosam domum, ecclesiam, oratorium, seu munitione construere, cœmeterium habere, divina officia populo celebrare cum villa ipsa cessaverit, signa pulsare, oblationes a populo in missarum celebratione suscipere, baptizare, et parochianos vestros ad officia divina suscipere. Obeunte vero ejusdem vestri loci abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres ipsius monasterii communi assensu vel pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum, Electus autem ad Romanum pontificem benedicendus accedat. Sane illam Tolosani comitis nobilis memoriæ Reimundi abdicationem auctoritate sedis apostolicæ confirmamus. Siquidem comes ipse honores omnes ad beatum Ægidium pertinentes tam in valle Flaviana quam in extrinsecis, quidquid juste vel injuste videbatur tenere, omnes rectas sive pravas consuetudines quas ipsius antecessores aut ipse habuerant, ob honorem Dei et beati Ægidii reverentiam apud Nemausense (89) concilium, in manu prædecessoris nostri beatæ memoriæ Urbani papæ jurans, Odiloni abbati et ejus fratribus noscitur reliquisse, et se atque universo successores suos, si forte hoc donum irritum facere pertentarent, quod ad se erat, damnatione ac maledictione mulctavit, atque a præfato antecessore nostro excommunicationis inde sententiam in concilio dari fecit. Quia vero præfatus Adrianus papa prædecessor noster devotioni præfati comitis annuens apostolica auctoritate constituit neminem successorum ejus aliquid de iis quæ a prædicto comite Raimundo præfato monasterio Sancti Ægidii relicta sunt ulla posse temporis longævitate præscribere, ut maledictionem et damnationem evadat a præfato comite constitutam, quod ab eo provide factum est auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc adjicientes pro ampliori beati Ægidii veneratione statuimus ut infra terminos a nostris prædecessoribus constitutos nemo prorsus aut super ipsam Ægidii villam prædationem vel assultum facere aut graviorem personæ cuilibet inferre audeat læsionem. Nulli ergo omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre; vel ablatas retinere, vel minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed illibata omnia et integra conserventur

(89) Vide tom. X Concll. pag. 610.

eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesanorum episcoporum in supradictis capellis canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, II Idus Novemb., indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno 1208 pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno undecimo.

CLXXIII.

LUNDENSI ARCHIEPICOPO.

*De electione episcopi Slawicensis.*

(Ferentini, II Non. Novembris.)

(90) Cum diabolus misisset in cor episcopo Waldemaro ut pedem in vestigio Judæ ponens a præsentia nostra fraudulenter abscederet, et nos, qui eum de durissimo carcere liberatum in apostolicæ sedis gremio, vere ut serpentem in sinu, familiaris gratiæ dulcedine foveramus, in amaritudinem induceret vehementem, ob enormes et multiplices ejus excessus processimus contra ipsum, non solum in eum, sed et in fautores ejusdem ecclesiasticam promulgando censuram; quemadmodum venerabili fratri nostro Magdeburgensi archiepiscopo per nostras meminimus litteras intimasse. Ipse vero in reprobum sensum datus, proverbium Salomonis implendo dicentis : *Si quasi ptisanas stultum in pila pilo desuper feriente contuderis, stultitia ejus non auferetur ab ipso* (*Prov.* XXVII), renuit accipere disciplinam; quin potius iniquitatem super iniquitatem apponens, dolo pariter et perjurio, quæ commiserat fugiendo latenter a nobis, contemptum clavium et canonum transgressorem adjunxit, administrationi Bremensis Ecclesiæ se nequiter ingerendo, nesciens, vel si scivit, modicum hoc apprecians, quod secundum canonicas sanctiones nullus episcopus de una sede transire possit ad aliam sine Romani pontificis licentia speciali, cui soli est auctoritas reservata translationes hujusmodi concedendi. Propter quod, si cæteræ quoque culpæ cessarent, hac sola non tantum Bremensi, verum etiam Slewicensi Ecclesia se reddidisset indignum; cum secundum instituta canonica is qui priori cathedra derelicta sine Romani pontificis conniventia præsumpserit ad aliam se transferre (91), et prima carere debeat, quam per superbiam sprevit, et repelli nihilominus a secunda, quam per avaritiam concupivit. Quia igitur in tot abusionum enormitatibus et enormitatum abusionibus virum apostatam et inutilem, rebellem et contumacem, diutius non debemus nec possumus sustinere, dicto archiepiscopo et venerabilibus fratribus suis ac Bremensis Ecclesiæ suffraganeis, necnon et Osnaberiensi et Monasteriensi episcopis districtæ præcepimus ut præfato Waldemaro firmiter ex parte nostra injungant ut omni excusatione ac dilatione cessante infra mensem post commonitionem eorum iter arripiat ad sedem apostolicam accedendi, super excessibus suis veniam humiliter petiturus; alioquin ex tunc sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo depositum et degradatum auctoritate nostra ac omni ecclesiastico beneficio et officio denuntiare procurent eumdem, et faciant ab omnibus tanquam anathematizatum usque ad satisfactionem condignam arctius evitari, si tamen de tot et tantis perversitatibus digne satisfacere sibi detur; inhibentes nihilominus universis ne quis ei communicare vel favere præsumat, ita quod si qui venire tentaverint in contrarium, laicos hujuscemodi excommunicationi subjecto et a Bremensi Ecclesia beneficium obtinentes, eo in perpetuum spoliatos, clericos autem omni ecclesiastico beneficio et officio destitutos auctoritate nostra denuntiare procurent; civitatem vero seu castrum aut hominum quodcunque commune, si contra inhibitionem hujusmodi dicto Waldemaro præsumpserit adhærere, districtissime interdicto supponant, ita quod præter pœnitentias morientium et baptismata parvulorum nullum ibi divinum officium nullumque celebretur ecclesiasticum sacramentum; quod si quis clericus ausus fuerit violare, ab omni ecclesiastico beneficio et officio deponant eumdem; si qui vero super re tam illicita juramentum ei aliquod præstiterunt, denuntietur ab illis ad observationem illius penitus non teneri. Quia vero in memorata Bremensi Ecclesia electionem accepimus in discordia esse factam, dictis archiepiscopo et episcopis dedimus in mandatis ut tam his qui pro electione ipsa quam illis qui fuerint contra eam apostolica auctoritate injungant quatenus infra mensem post commonitionem eorum per se vel idoneos responsales vicem et potestatem aliorum habentes iter arripiant ad nostram præsentiam veniendi; ut præmissa examinatione canonica, si prædicta electio confirmanda fuerit, ejus confirmationem obtineant, sin autem, cum consilio nostro ecclesiæ suæ de persona idonea provideant in pastorem. Quod si forsan ii qui se contra præfatam electionem opponunt vel ad nos accedere, sicut prædiximus non curaverint infra mensem, vel jam dicto Waldemaro favere tentaverint, denuntient eos ex tunc in electionis negotio partes aliquas non ha-

(90) Vide infra lib. XIII, epist. 173.

(91) Vide supra epist. 171.

bere, sollicite provisuri ut hæc omnia tam prompte quam efficaciter exsequantur quæ in virtute Spiritus sancti sub obedientiæ debito illis injungimus, exsequenda, districte præcipientes ut si forsan, quod non credimus, quivis eorum mandatum apostolicum non perfecerit, responsales idoneos infra mensem alium ad præsentiam nostram dirigat, satisfacturus de contemptu per ipsos : qui et si hoc duxerit negligendum, rebellionem et contumaciam suam digna curabimus dante Deo castigatione punire. Hoc autem mandatum ita præcepimus ipsos universos implere ut illud sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo non solum simul omnes, sed etiam per se singuli exsequantur. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus cum ab ipsis vel eorum aliquibus tibi fuerit intimatum. Slewicensi Ecclesiæ sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo per electionem canonicam provideri facias in pastorem.

Datum Ferentini II Non. Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXXIV.

WASTINANO LINCOPENSI, ET SCARENSI EPISCOPIS.

*Ut Ericum invasorem regni Succiæ compescant.*

(Laterani, Id. Novembris.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse qualiter pradecessores Erici, qui in regnum Sueciæ se violenter intrusit, illustris recordationis S. Sueciæ regis morte per quemdam ipsius camerarium procurata, filium ejus postmodum de unanimis populi voluntate promotum non modicum de ipsis, quos suorum oblitus scelerum misericorditer receperat, confidentem, violatis fide ac juramento quibus ei obligati fuerant, occiderunt. Tandem vero post interitum patris dicti Erici, qui præfatis regibus taliter interemptis regni gubernacula per violentiam occuparat, charissimus in Christo filius noster S. Sueciæ rex illustris, qui ad charissimum in Christo filium nostrum regem Donarum illustrem contingentem eumdem proxima consanguinitatis linea se contulerat, ad regni regimen est assumptus, qui super ipsius invasoris regni sui filiis, quos videbat puberes et omni auxilio destitutos, misericordi compassione commotus, sibi eos in filios injuriarum suarum immemor adoptavit, tanto eos fovens affectu quod, in multa familiaritate delectatus eorum, a præsentia sua non sustineret absentes. Tanto itaque operi pietatis invidens humani generis inimicus, seminatis inter ipsos et regem zizaniis per quosdam suæ nequitiæ sectatores, eos ad machinandum in mortem regiam concitavit; quorum tandem tribus post detectum scelus eorum in prætio quod adversus regem moverant interremptis, dictus Ericus, qui congregata post tempora multitudine regni fines violenter intrara, occurrens sibi cum suis, eodem rege fugato, regnum obtinuit, se rege præfato ad dictum regem Daciæ, comite venerabili fratre nostro Upsalensi archiepiscopo, conferente. Cum igitur tum propter ecclesiarum destructionem et oppressionem etiam viduarum, tum quia dictus rex sub Ecclesiæ Romanæ ac nostra protectione consistens, regno suo asseritur contra justitiam destitutus hæc non sint a nobis clausis oculis omittenda, præsertim cum alium non inveniat ad quem pro justitia obtinenda recurrat, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus, dictum Ericum ut cum præfato rege componat, et regnum ipsum eidem, prout ad ipsum pertinet, dimittat in pace, monere diligentius et inducere procuretis. Alioquin eum ad hoc per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione remota cogatis ; illud specialiter procurantes, ut præfato archiepiscopo satisfiat. Quod si non omnes, etc., duo vestrum etc.

Datum Laterani. Idibus Novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXXV.

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI S.R.C. CARDINALI, ET YPORIENSI EPISCOPO ET DILECTO FILIO ABBATI DE TILIETO.

*Adversus civitatem Placentinam.*

(Laterani, v Kal. Decembris.)

(92) Inter multiplices angustias et pressuras quibus in hoc mundi vespere sancta mater Ecclesia vehementer affligitur et vexatur, illud vehementius nos affligit et vexat quod ii qui tanquam filii, uberibus consolationis ejus replentur, ei non solum in angustiis non subveniunt, sed dolorem vulneribus ejus addunt, et ab illis contempta quos materno nutrit affectu, vix jam invenit qui misereatur ipsius ex omnibus charis ejus, sed amici ejus spreverunt eam, et ei facti sunt inimici ; sicut, quod dolentes recolimus, in episcopo Placentino et clero suo recenti et familiari docemur exemplo. Cum enim olim consules et consiliarii Placentini cum concivibus suis, malignis seducti fallaciis, spretis quoque apostolicæ sedis monitis et mandatis molirentur matrem suam Placentinam Ecclesiam ancillare, sicque seipsos in servitutem redigere, cum sequantur filii conditionem maternam juxta legitimas sanctiones, nec metuerent propter Deum nec propter homines erubescerent immanitatem illius tyrannidis exercere quam non exercuerint in sacerdotes et levitas illius temporis etiam Pharao rex Ægypti et rex Persidæ Artaxerses, qui non solum eis non imposuerunt onera, sed fecerunt alimenta de publico ministrari, præfati episcopus et clerus ipsius eligentes potius exsulare quam videre mala sua pariter et sanctorum, exeuntes de civitate, pulverem de pedibus suis in testimonium excusserunt, et per totam provinciam miserabiliter sunt dispersi. Sed laici suas indurantes facies supra petram, et non solum ad eorum mobilia manus extendentes sacrilegas, sed per ini-

(92) Vide lib. x, epist. 222.

quitatis ministros universos proventus ecclesiasticos colligentes, pauperum substantias in usus illicitos converterunt. Quare in consules, consiliaros, et alios principales hujus iniquitatis actores excommunicationis sententiam promulgavimus,et civitatem totam subjecimus ecclesiastico interdicto. Illorum vero calamitatibus et pressuris paterno compatientes affectu,et episcopo de nostris proventibus congruos fecimus redditus assignari,et ab universis clericis Lombardiæ tam ei quam clericis Placentinis honestissime provideri, ita ut plerisque melius esset in alienis domibus quam in suis, et exilium possent quasi pro patria reputare. Cumque memorati cives in sua tandiu duritia perdurassent quod nos communicato fratrum nostrorum consilio decreverimus statuendum ut nisi ad mandatum Ecclesiæ infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum redirent super iis pro quibus ecclesiasticam censuram incurrerant satisfactionem debitam impensuri, episcopali dignitate ipsorum civitas privaretur, ac diœcesis ejus inter vicinos divideretur episcopos,ei bona mercatorum suorum,ubicunque inveniri possent, præceperimus detineri, tandem quia vel dedit eis vexatio intellectum, vel eorum corda splendor divinæ gratiæ illustravit, in manibus delegatorum nostrorum præstiterunt parendi nobis super iis omnibus corporaliter juramentum,et sic excommunicationis et interdicti sententia meruerunt absolvi.Qui tandem dilectos filios nobiles viros Ub. vicecomitem et... ad sedem apostolicam destinarunt; per quos gratanter et humiliter obtulerunt episcopo et quibusdam clericis Placentinis in nostra præsentia constitutis se obligaturos eisdem universæ civitatis communia tandiu detinenda donec de ipsorum proventibus recompensationem reciperent oblatorum, cum pecuniam non haberent quam pro ipsa possent recompensatione præstare. Sed episcopo et clericis hoc minime acceptantibus, dictis consulibus et civibus sub debito præstiti juramenti præcepimus ut de cætero contra tenorem Lateranensis concilii non gravarent episcopum vel clerum Placentinum exactionibus vel collectis ; ac restituerent omnes fructus exstantes quos eis abstulerant vel fecerant a quoquam auferri. Super aliis autem rebus ablatis condescendentes eisdem, præcepimus ut tunc tria millia librarum illis redderent,et pro residuo, sicut obtulerant, eis communia obligarent donec ipsis esset plenarie satisfactum. Si vero modum istum minime acceptarent, eis sub eadem districtione præcepimus ut summam pecuniæ pro rebus ablatis secundum æstimationem factam infra sex menses cum integritate persolverent,et possessiones quas habebant Ecclesiæ Placentinæ in eum statum reducere procurarent in quo fuerant tempore violentiæ irrogatæ, neque contra præceptum hujusmodi vi vel dolo aliquid aliquando attentarent. Alioquin, præter notam et noxam perjurii, eos statuimus in priorem reduci sententiam, et in ipsos juxta prælibatam formam

A procedi, restitutione igitur novem millium librarum tum in pecunia,tum in aliis mobilibus a civibus plene facta,episcopus cum clero suo motu proprio, vel forsan alieno suasu, tanquam prodigus dispensator,suis civibus restituit vel potius largitus est universa, eis existens nimium liberalis qui contra eum valde fuerant insolentes.In quo,præter alias circumstantias, in hoc eum constat graviter excessisse, quia cum a te, frater Yporiensis episcope, consilium habuisset ut ante restitutionem hujusmodi apostolicam sedem consuleret, ac responderit ipse tibi quod id a nobis sibi prohiberi credebat, in gravem apostolicæ sedis contemptum thesaurum ecclesiasticum in casu a canonibus non concesso ipse cum clero suo distraxit vel potius

B dissipavit enormiter,illi villico merito comparandus qui cum dissipasset domini sui bona,et non posset de ipsis reddere rationem,a sua exstitit villicatione remotus. Enormiter quoque totam scandalizavit provinciam, et exemplum perniciosum transmisit ad posteros,ac simul in unum et ipse perdidit et ab aliis perdi fecit operam et impensam. Cum igitur ralatione multorum ad aures nostras hæc iniquitas pervenisset, volentes scire utrum episcopus cum clero suo clamorem qui ad nos venerat opere complevisset,vobis, fratres archiepiscope et episcope Yporiensis,et venerabili fratri nostro Papiensi episcopo dedimus in mandatis ut super iis inquireretis plenius veritatem,et eam nobis rescribere fideliter curaretis. Vobis igitur cum eodem episcopo apud

C Placentiam consiitutis,per juramentum episcopi et multorum aliorum certissime cognovistis quod inter clerum et laicos nullum prorsus colludium intercessit,licet episcopus cum suis fautoribus prædicta, sicut præmissimus,restituerit vel donaverit universa Quamvis ergo secundum juris rigorem potuissemus præfatum episcopum ab omni officio ecclesiastico in perpetuum degradare, ut quibuscunque culpa fuit in scandalum,pœna fieret in exemplum, memores tamen verbi quod in litteris nostris civibus expressimus Placentinis, monenso et obsecrando, ut quod petebatur ab eis,nobis gratuita liberalitate donarent,sub spe non solum mercedis æternæ ipsis a Domino conferendæ,verum etiam præmii temporalis a sede apostolica concedendi, de quo, sicut accepimus,ipsi spem et fiduciam non modicam con-

D ceperunt, rigorem ita duximus temperandum, ut episcopus et alii ecclesiarum prælati hujus iniquitatis auctores suspensi sint ab omni officio prælaturæ,et tam ipsius episcopi quam aliorum beneficia clericorum,qui pecuniam vel pignora reddiderunt, in duas partes devidantur æquales; quarum una sibi pro sustentatione retenta, illis altera tribuatur a quibus exsilii tempore subsidia receperunt ; et cum persecutoribus suis liberales exstiterint,benefactoribus suis sint munifici vel inviti.Fredentium vero Sancti Antonini canonicum et præfati episcopi capellanum,quem super iis apud ipsum episcopum didicimus multipliciter excessisse, ab officio eccle-

siastico præcipimus manere suspensum. Præfatos autem cives, quos constat non solum per juramentum quod unus præstitit in animas aliorum, verum etiam per juramenta tam episcopi quam aliorum clericorum qui super hoc deposuere jurati, nullum adhibuisse dolum vel fraudem, imo nec promissionem nec spem sibi datam fuisse de restitutione pecuniæ vel pignorum facienda, super ablatorum restitutione, quam injunximus eis ut clericis et ecclesiis exhiberent, credimus liberatos; salvo jure, si quod ecclesiis competit, ad repetendum thesaurum male distractum; eoque similiter salvo, ut nisi episcopus et clerus humiliter portent impositam sibi pro meritis disciplinam, aut si forsan ipsi cives minus gratam haberent gratiam sibi factam, vel scandalum non cessaret, nervum rigoris, quem non dissolvimus, sed inflleximus, extendere valeamus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus quæ a nobis sunt super iis provida deliberatione statuta faciatis sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari, episcopum et clerum, si necesse fuerit, compellentes ut interposito juramento medietatem suorum proventuum ob causam prædictam juxta providentiam vestram distribuendam assignent. Vos autem auctoritate nostra suffulti defectum eorum super iis a quibus suspensi sunt sublato cujuslibet contradictionis et appellatione obstaculo suppleatis. Quod si non omnes iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, x Kal. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXXVI.

EPISCOPO BAJOCENSI.

*Respondetur ad ejus consulta.*

(Laterani, x Kal. Decembris.)

(93) Cum in jure peritus existas, et copiam habeas peritorum, non possumus non mirari quod super quibusdam juris articulis nos consulere voluisti qui nihil aut modicum dubitationis continere noscuntur. Primus siquidem tuæ consultationis articulus continebat quod cujusdam ecclesiæ decano defuncto, ejusdem loci capitulum sub hac forma in septem ex ipsis canonicis compromisit, ut illum quem ex se vel ex aliis de gremio ipsius ecclesiæ omnes pariter vel major eorum pars duceret nominandum, idem capitulum reciperet in decanum. Unde cum unus ex illis septem a tribus ipsorum, et alius, qui non erat de numero eorumdem; (94) in decanum fuerint nominati, a nobis tua fraternitas requisivit uter eorum assumi debeat a capitulo in decanum. Super quo tibi taliter respondemus, quod is qui, de numero septem a tribus eorum dignoscitur nominatus, juxta compromissi tenorem debet in decanum assumi, dummodo electioni de se factæ consentiat et aliquid canonicum non obsistat (95).

A Præterea quæsivisti, cum tibi ab aliquo sub hac forma mandatur: *Auctoritate qua fungor injungo ut talem denunties excommunicationis sententiæ subjacere*, ac tibi super mandato apostolico hæsitanti ab aliquo non fit fides, an mandatum hujusmodi exsequi tenearis. Super quo hujusmodi tibi damus responsum, quod nisi de mandato sedis apostolicæ certus exstiteris, exsequi non cogeris quod mandatur. Contigit insuper quod cum quidam post appellationem ad nos legitime interpositam fuerit excommunicatione notatus, et super absolutione sua per nuntium ad certos judices nostras litteras impetravit, postquam litteræ fuerunt obtentæ, sed priusquam fuissent judicibus præsentata, pro alia causa fuit vinculo excommunicationis astrictus. B Unde responso nostro postulas edoceri an iidem judices cognoscere valeant de anathematis sententia secundo loco prolata. Super quo fraternitati tuæ duximus respondendum quod jurisdictio judicum eorumdem ad cognoscendum de prædicta sententia extendi non debet, cum eo tempore quo ad eos litteræ nostræ obtentæ fuerunt, eadem sententia minime lata fuerit, nec de ipsa etiam cogitatum.

Datum Laterani, x Kal. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

## CLXXVII.

FLORENTEM EPISCOPO, ET ABBATI SAXIVIVI, ET PRIORI CAMALDULENSI.

*Eis committitur visitatio monasteriorum Tusciæ.*

(Laterani, VII Kal. Decembris.)

C Cum ex apostolicæ servitutis officio in vinea Domini Sabaoth, cujus custodia disponente Domino nobis dignoscitur esse commissa, exstirpare nociva et plantare utilia teneamur, nec hoc possimus implere ubilibet per nos ipsos, ad hujus sollicitudinis ministerium illos advocamus interdum quos ad hoc idoneos reputamus. Cum igitur inter cæteros prælatos Tusciæ geramus de vobis fiduciam pleniorem, super omnibus monasteriis tam in Tuscia usque Viterbium et Reate quam etiam in Marchia constitutis committendas vobis duximus vices nostras. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus omnes pariter vel duo saltem ex vobis, si quando quisquam vestrum nequiverit interesse, cum sociorum et evectionum numero D moderato eadem monasteria visitantes, corrigatis appellatione remota quæ fuerint corrigenda, statuentes in eis quæ saluti et honestati videritis expedire. Illam autem maturitatem et temperantiam in exsequendo visitationis officium observetis ut ii ad quos vos declinare contigerit non minus in vestro recessu gaudeant quam accessu.

Datum Laterani, VII Kal. Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

—

(93) Cap. *Cum in jure*, De elect.

(94) In tert. Collect. additur, *a tribus aliis*, etiam in codicibus mss. Colbertino et Andegavensi.

(95) Cap. *Cum in jure*, De off. jud. deleg.

## CLXXVIII.

TERRACONENSI, BRACARENSI, ET COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPIS.

*Non licere fratribus S. Joannis Hierosolym. transire ad Cisterciensis.*

(Laterani, VI Kal. Decembris.)

(96) Licet quibusdam monachis et canonicis necnon Hospitalariis et Templariis a sede apostolica sit indultum ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis invitis arctioris etiam religionis obtentu transire, ut unusquisque secundum Apostolum in ea vocatione permaneat in qua dignoscitur esse vocatus, quia tamen ubi Spiritus Dei est, ibi libertas, et qui spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia lex posita non est justo, ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum ne quis ex temeritate vel levitate in jacturam et in ruinam sui ordinis sub prætextu majoris religionis ad alium ordinem transvolaret, sicut frequenter a multis constat esse præsumptum, non quidem ut ei transeundi licentia denegetur qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, quatenus non ficte, sed vere, ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo postquam a prælato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quæ publicæ lege præjudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitæ propositum adimplere, nonobstante proterva indiscreti contradictione prælati, qui privilegium meretur amittere cum concessa sibi abutitur potestate; cum et Romanus pontifex, qui supremam obtinet in Ecclesia potestatem, archiepiscopis et episcopis cedendi licentiam ex juxta causa petentibus sine difficultate concedat. Quocirca noverint universi quibus hujusmodi privilegium est concessum se ad concedendum transeundi licentiam taliter postulantibus de jure teneri, quia sicut subditus a prælato cum humilitate ac puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, sic profecto prælatus subdito sine difficultate ac pravitate debet (97) transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si vero probabiliter dubitetur utrum quis velit ad ordinem arctiorem an laxiorem ex charitate an ex temeritate transire, superioris est judicium requirendum, ne forte angelus Satanæ in lucis angelum se transformet; illa semper regula inviolabiliter observata, ut nullus absque licentia Romani pontificis præsumat occasione quacunque deserere præsulatum, quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur; et in hoc casu recte præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, et labor quieti. Ad quod utique designandum unigenitus Dei Filius Jesus Christus non de Rachele secundum carnem natus est, sed de Lia; nec legitur eum in domum suam Maria excepisse, sed Martha, unde quandiu putet episcopus præesse pariter et prodesse, non debet cedendi postulare licentiam aut etiam obtinere. Sane dilecti filii fratres Hospitalis Hierosolymitani in partibus Hispaniæ constituti gravi nobis conquestione monstrarunt quod quidam fratres eorum, qui administrationem et magistratum habuerant in domibus Hospitalis, et alii ejusdem ordinis, cum mandatum aliquod recipiunt a magistris quod sibi non placeat aut durum etiam videatur, se ad ordinem Cisterciensem transferunt, et sic domus Hospitalis bonis suis multoties spoliatur. Quia vero eorumdem fratrum gravamen clausis non possumus oculis pertransire, dilectis filiis universis abbatibus Cisterciensis ordinis in Hispania constitutis nostris litteris dedimus in præceptis ut quæ præmissa sunt diligenti meditatione pensantes, procurent eadem firmiter observare, provisuri attentius ut quod sibi fieri nolunt, minime faciant fratribus antedictis. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si dicti abbates mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos memoratos fratres contra præmissorum tenorem non permittatis aliquatenus molestari, quinimo tam recedentes fratres quam illos qui eosdem contra præmissam formam recipere fore præsumpserint, ut ab hujusmodi præsumptione desistant per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, VI Kal. Decembris, anno undecimo.

## CLXXIX.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI, ET EPISCOPO DAVALIENSI, ET ABBATI SANCTI LUCÆ NIGRIPONTENSIS DIOECESIS.

*Scribitur pro Theodoro episcopo Nigripotensi.*

(Laterani, VI Id. Decembris.)

Sua nobis venerabilis frater noster Theodorus episcopus Nigripontis fecit conquestione monstrari quod licet coram dilecto filio Benedicto tituli Sanctæ Susannæ presbytero cardinale tunc apostolicæ sedis legato sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ canonicam obedientiam promiserit exhibere præstito juramento, et idem legatus episcopatum ipsum auctoritate qua fungebatur confirmarit eidem, archiepiscopus tamen Atheniensis metropolitanus ipsius, occasione assumpta ex eo quod idem inungi nolebat juxta consuetudinem Latinorum (98), præsertim cum idem archiepiscopus mandatum super hoc non haberet apostolicum speciale, ipsum pro suæ voluntatis arbitrio præsumpsit destituere, juris ordine prætermisso, et alium in episcopum loci ejusdem eligi fecit in ejus præjudicium et gravamen. Cum igitur dictus episcopus tam nobis quam ipsi archiepiscopo paratus sit, sicut asserit, canonicam obedientiam exhibere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, ipsum

(96) Cap. *Licet*, De regularib.

(97) In tert. Coll. additur, *qualibet*. Sed hæc vox non exstat in cod. Andegav.

(98) Vide gesta Innoc. III, cap. 75.

A ad episcopatum prædictum mediante justitia sublato cujuslibet appellationis obstaculo restitui faciatis, nec permittatis eumdem super eo indebite molestari contradictores per censuram ecclesiasticam compescentes. Quod si non omnes, etc. Duo vestrum ea, etc.

Datum Laterani, VI Idus Decembr., pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXX.

LITTERÆ PHILIPPI REGIS FRANCORUM AD DOMINUM PAPAM.

*De causa divortii.*

Sanctissimo Patri et domino clarissimo Innocentio Dei gratia sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ summo pontifici Philippus eadem gratia Francorum rex salutem et tam debitam quam devotam in omnibus reverentiam.

Paternitati vestræ, de qua plene confidimus, preces affectuosas ex toto cordis afectu porrigimus quatenus viro venerabili domino Gualæ legato vestro, qui est in terra nostra, detis potestatem separandi matrimonium nostrum appellatione remota, sive per affinitatem, sive per maleficium, sive intrando religionem, sive alio quocunque modo rationabili per quem solet separari matrimonium tempore vestro et temporibus antecessorum vestrorum, et leviorem dispensationem quam poteritis erga nos, si placet, faciatis. Super iis autem et super aliis fideli et familiari clerico nostro Guidoni de Atheiis latori præsentium ex parte nostra indubitanter credatis.

CLXXXI.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO PHILIPPO ILLUSTRI REGI FRANCORUM.

*Responsoria epistolæ superioris.*

(Laterani, VII Id. Decembris.)

Super causa conjugii alias tibi litteras satis prolixas dirigimus, quæ pro majori parte utriusque partis continent rationes, hac præsertim ex causa, ut illis inspectis deliberes cum viris prudentibus, qui non minus respiciant ad justitiam quam personam, utrum expediat tibi super ipsa causas ubire judicium, quod exerceri quidem oportet sine omni acceptione personæ. Nos autem, qui et tuam secundum animam desideranus salutem, et tuum secundum corpus zelamur honorem, hoc tuæ regali prudentiæ recta fide consulimus et suggerimus intentione sincera, quatenus non solum inclines animum, sed etiam cogas ipsum tanquam rex fortis et prudens, qui tuo quoque debes animo dominari, ad exhibendum charissimæ in Christo filiæ nostræ Ingeburgi reginæ Francorum uxori tuæ conjugalem affectum, quod quidem si feceris, nos apud Deum tibi volumus esse sponsores quoniam et in præsenti et in futuro ipse tibi mercedem retribuet supra merita insperatam.

Datum Laterani, VII Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXXII.

EIDEM.

*Super eadem materia.*

(Laterani, V Id. Decembris.)

(99) Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius Guido nuntius tuus regias nobis litteras præsentavit, petens ex parte tua suppliciter viva voce ut charissima in Christo filia Ingeburgi regina Francorum uxore tua sponte ad religionis propositum transeunte ac publice confitente in loco securo, sicut legatus noster statuerit, teque jurante quod eam carnaliter non cognoveris, liceat tibi aliam ducere in uxorem; quia, sicut felicis memoriæ Alexander papa prædecessor noster respondit (100), licet in Evangelio Dominus dixerit non licere viro B uxorem suam nisi ob causam fornicationis dimittere, intelligendum est tamen secum sacri expositionem eloquii de iis quorum matrimonium est cardinali copula consummatum, sine qua matrimonium consumari non potest; et ideo si non est a viro suo cognita mulier, licitum ei est ad religionem transire (101), sicut idem alibi dicitur, quod post legitimum de præsenti consensum licitum est alteri conjugum eligere monasterium, etiam altero repugnante, quomadmodum quidam sancti de nuptiis vocati fuerunt, dommodo carnalis commistio non fuerit subsecuta, et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum esse videtur ut ad secunda possit vota transire; quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest C transire unus ad Deum et alter in sæculo remanere. Cum igitur hanc solam causam assignet, quod si mulier per commistionem carnalem non est effecta una caro cum viro, eo etiam repugnante ad religionem valeat transmigrare, nullam aliam circumstantiam allegando, patet profecto quod existente causa, subsequi potest effectus, præsertim cum sicut commistio sexuum designat unionem inter verbum et humanam naturam, quia Verbum caro factum est et habitavit in nobis, sic animorum consensus significat charitatem inter Deum et justam animam, quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo; et ideo sicut vinculum unionis inter Verbum et humanam naturam separari non potest, sic vinculum conjugale inter virum et uxorem eis viventibus non potest dissolvi postquam per com- D mistionem sexuum effecti sunt una caro; sed sicut glutinum charitatis inter Deum et animam sæpe dissolvitur, ita conjugalis potest connexio separari quando solus inter conjuges consensus existit animorum, propter illud quod inquit Apostolus, protoplasti verbum exponens dicentis, *Erunt duo in carne una: Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V). Porro cum veritas ipsa, quæ Deus est, non per apostolum vel prophetam, sed per se ipsam in Evangelico suo dicat: *Quod Deus conjunxit homo non separet* (*Matth.* XIX); et:

(99) Vide infra lib. XV, epist. 104, 105.
(100) Cap. *Verum*, De convers. conjugator.

(101) Cap. *Ex publico*, eod. tit.

*Vir non dimittas nisi propter causam fornicationis uxorem* (*I Cor.* VII), non est a nobis extendenda licentia ut causa religionis vir ab uxore vel uxor a viro discedat, nisi quantum exempla sanctorum et Patrum statuta declarant, ne humana præsumptio constitutionem divinam transgredi videatur. Profecto legimus quosdam sanctos ex ipsis nuptiis ad eremi solitudinem et peregrinationis pauperiem evolasse; quorum exemplo forte commoniti quidam prædecessores nostri dixerunt quod *desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere, monasterium tamen eligere sibi licet, et decreta legalia desponsatam si converti voluerit, nulla censuerunt damno mulctari* (102), quamvis exempla paucorum communem legem non faciant, præsertim illorum qui creduntur ab inspiratione divina fecisse, cum de nuptiis vocati legantur; quoniam, ut inquit Apostolus : *Ubi Spiritus Dei est, ibi libertas* (*II Cor.* III), et qui Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege. Præfata vero decreta non de conjugibus sed de sponsis quidam intelligi voluerunt, sicut ipsorum verba demonstrant, quæ non conjugatam sed desponsatam appellant. Sed nec ex prædictis decretis vel exemplis colligitur quod alterutris conjugum, si tales etiam conjuges reputentur, ad religionis propositum transeuntibus, reliqui ad copulam transierint conjugalem, nisi quod præfatus Alexander Papa legitur (103) cuidam episcopo de quadam muliere mandasse quod si vir ejus eam carnaliter non cognoverat, et ipsa vellet ad religionem transire, sufficientem ab ea cautionem reciperet, ut vel ad religionem transiret, vel ad virum suum infra duorum mensium spatium accederet procuraret. Verum utrum intentio tua, fili charissime, infra hos limites concludatur quos exempla sanctorum vel Patrum decreta præfigunt, diligenter oportet adverti; ne si fuerit in hoc casu, quod Deus avertat, erratum, nobis ac tibi grande periculum et grave scandalum oriatur. Manifestum est enim quod ad prædictam reginam conjugem tuam aliquoties accessisti ut carnaliter eam cognosceres, diligentem ad hoc operam impendendo : cui licet te asseras non potuisse carnaliter commisceri, fortasse tamen in ipso tali commercio aliquid circa eam extraordinarie peregisti. Nunc autem etsi necessaria sibi facias congrue ministrari, quantum ad victum pertinet et vestitum, ipsam tamen in arcta facis custodia detineri, ut de suis neminem secum habeat marem aut feminam, nec etiam ipsa palatium in quo tenetur possit exire, neque quisquam ad eam sine tuo speciali mandato infra ipsum palatium possit intrare; quam hoc modo detentam multifariam induci fecisti per inductores utique multiformes, multis et magnis promissis muneribus, ne dicamus comminationibus intentatis, ut habitum religionis assumat et se dicat a te cognitam non fuisse, ut sic aliam tibi copulere possis uxorem; quamvis ipsa legatis A nostris confessa fuerit in judicio quod tu eam carnaliter per commistionem sexuum cognovisti, et hoc ipsum nobis multoties intimaverit, quasdam nobis ante triennium patentes litteras suo sigillo munitas in testimonium destinando, in quibus constantissime profitetur quod tu eam carnaliter cognovisti, et si forte contrarium confiteretur aliquando, nunquam contrariæ confessioni credamus, quia confessionem hujusmodi extorqueret ab ea vel metus pœnæ vel studium evadendi, sicut in simili casu Teberga regina legitur contra Lotharium regem olim sanctæ memoriæ Nicolao papæ prædecessori nostro scripsisse. Ex præmissis vero decretis vel exemplis propositis haberi non potest quod ii qui causa religionis suas deseruerunt uxores, ad illas intraverint. B Tu autem ad præditam conjugem tuam non solum intrasti, sed ut carnaliter ipsam cognosceres diligentem operam impendisti. Nullus illorum uxorem induxit ut ad religionem transiret, quatenus ipse ad aliud conjugium transvolaret. Tu vero non solum ad hoc præfatam induxisti reginam, verum etiam multis promissionibus provocasti; quinimo juramentum ab illa ut hoc ageret accepisti, mille libras annui redditus pollicendo. Nullus illorum vel modico tempore in custodia coarctavit uxorem. Tu autem per octo jam annos præfatam reginam in arcta fecisti custodia detineri. Quinimo cum illi legantur transisse de nuptiis, vel alii transire voluerint antequam ad nuptias pervenissent, hæc post sextum decimum annum a contracto conjugio transire monetur, utinam non cogatur : A nullo illorum uxor C conjugale debitum postulavit. A te vero memorata regina frequenter exegit, sed illud ei reddere denegasti. Nullius illorum uxor se cognitam dixit ab ipso. Sæpefata vero regina constanter asseruit, etiam in judicio, quod tu eam carnaliter cognovisti. Unde si nunc contrarium fateretur, non esset ejus simplici verbo credendum, cum et de his qui causa frigiditatis affirmant se non potuisse ad invicem commisceri beatus Gregorius papa (104) statuerit ut eorum uterque septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis dicat jurejurando quod nunquam permistione carnis conjuncti una caro effecti fuissent. Quanto magis ergo illa præstare debet simile juramentum quæ nimio tædio videtur affecta ut non dicamus, correpta timore, seducta consiliis, D vel illecta promissis. Vides ergo, fili charissime, quod circa præfatam reginam longe amplius processisti quam secundum exempla proposita vel præmissa decreta fuerit processum ab aliquo qui causa religionis suam deseruerit uxorem, vel cujus uxor ob causam eamdem reliquerit suum virum. Nec putes quod ista dicamus quasi circa te nimium velimus exercere rigorem, cum ex comparatione similis facti possis advertere nos erga te magnæ benignitatis gratiam impendisse. Tempore quippe præfati prædecessoris nostri Nicolai papæ memo-

(102) 27, q. 2, c. 27, 28.
(103) Cap. *Ex publico*, De conv. conjug.

(104) Vide cap. *Laudabilem*, De frigid. et malefic.

ratus Lotharius rex, non minimus, sed maximus inter reges, Thebergam uxorem suam propria temeritate dimisit, et superduxit Gualdradam, faciens illam in arcta custodia detineri et istam regali honore tractari. Cumque præfato prædecessori nostro suam illa querelam deponeret, inter cætera libellum appellatorium destinavit, in quo non quidem adhuc confessam, sed cogi se ut contra se falsum diceret crimen innotuit, subjungens quod si amplius foret compulsa, sciretur, quod non veritate, sed timore mortis, et evadendi studio, quia non posset aliter, diceret quod rex vellet. Ex iis potes et debes advertere quantum tuæ magnificentiæ curaverimus et in verbis et in factis deferre. Pradictus enim prædecessor superinductum Gualdradam pellicem Lotharii appellabat; nos autem superinductam a te nunquam appellavimus tuam pellicem, sed nobilem mulierem. Ille præfatum Lotharium non appellabat simpliciter regem, sed si rex veraciter dici posset qui nullo salubri regimine appetitus corporis refrenabat. Nos autem te non solum regem simpliciter appellavimus, sed catholicissimum principem et christianissimum regem. Ille duos archiepiscopos, Coloniensem videlicet et Treverensem, deposuit pro eo quod injustam sententiam in causa conjugii protulerunt. Nos autem nec unum archiepiscopum deposuimus. Remensem videlicet, avunculum tuum, qui sententiam divortii seu potius ludibrii famulam promulgavit. Ille Lotharium regem et superinductam Gualdradam excommunicationis mucrone percussit. Nos autem, etsi protulerimus sententiam interdicti, non quidem in totum regnum, sed in partem aliquam regni tui, non tamen te vel superinductam excommunicationi subjecimus, sed nec illi vel tibi officia divina subtraximus vel ecclesiastica subduximus sacramenta. Licet etiam te sæpissime monuerimus ut præfatam conjugem tuam debitæ restitueres libertati et regali faceres honorificentia pectractari, nondum tamen ad hoc apostolica te compulimus potestate; sed nec ad reddendum ei debitum conjugale sæpissime postulanti adhuc ecclesiastica censura compulimus, multoties commonitum diligenter. Putasne, magnifice rex, quod, etsi præfatus prædecessor noster præstantior nobis fuerit merito et scientia, nos eo simus officio et potestate minores, ut quod ille justitiæ zelo succensus erga tantum regem egisse dignoscitur, nos erga te pari zelo succensi agere non possimus, vel amodo minus juste agere valeamus quod hactenus forte plus justo distulimus exercere? Ut autem cognoscas affectum dilectionis et gratiæ quam erga te gerimus, ecce temperato rigore mandamus dilecto filio Gualæ Sanctæ Mariæ in porticu diacono cardinali apostolicæ sedis legato quatenus, quemadmodum per regias litteras postulasti, ut tuis verbis utamur, appellatione remota procedat super negotio matrimonii, sive de affinitate, sive de maleficio (105), sive de religionis proposito, sive alio quocunque modo rationabili per quem solent matrimonia separari, causa fuerit proposita coram eo; ita videlicet ut licet hujusmodi variatio sit suspecta, modo de affinitate, modo de maleficio, modo de religione proponere, seu quolibet alia indistincte ad conjugium dirimendum, si tamen ad quæstionem affinitatis volueris habere recursum, formam observet quam super eodem articulo aliis legatis duximus præfigendam; si vero causam volueris prosequi maleficii, formam sequatur sibi præfixam. Quod si de proposito fuerit religionis agendum, idem legatus et præscripta prudenter attendat et proponenda consideret diligenter: ac demum si de partium processerit voluntate, causam in quolibet casu canonico fine decidat, vel ipsam, sufficienter instructam ad nostrum remittat examen, præfigens artibus terminum competentem quo per responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent justam auctore Deo sententiam recepturæ: illo semper in omnibus observato, ut præfatæ reginæ omnimoda provideatur libertas, quemadmodum in simili casu jamdictus prædecessor noster Nicolaus constituit ita dicens: *Sive de conjugii fædere, sive de adulterii crimine sit judicium agitandum, nulla patitur ratio Tebergam cum Lothario inire posse certamen, nisi prius ad tempus suæ reddita fuerit potestati, et consanguineis prius libere sociata. Inter quæ locus est etiam providendus in quo nulla vis multitudinis formideatur, ne sit difficile testes producere vel cæteras personas quæ tam a sanctis canonibus quam a venerandis Romanis legibus in hujusmodi controversiis requiruntur* (106). Ecce, fili charissime, non de corde nostro nova verba confingimus, sed de jure canonico authentica producimus instituta, sicut viri prudentes te potuerunt plenius edocere. Quocirca regalem prudentiam rogamus attentius et monemus quatenus et quid liceat et quid deceat et quid etiam expediat in hoc agi negotio solerter attendas, ab illis avertens auditum qui caput tuum oleo peccatoris impinguant: quoniam, ut divinis verbis utamur, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, illud tibi sub obtentu divini judicii pro tuorum remedio peccatorum in virtute Spiritus sancti mandantes, quatenus præfatam reginam in nullo permittas offendi vel ad aliquid invitam compelli, sed eam et debita facias libertate potiri et regali honorificentia, pertractari; ne si secus feceris, quod non credimus, indignationem divinam et apostolicam merearis, et præter grandem offensam, gravem quoque pœnam incurras, tuaque novissima primis et mediis hujus peccati merito non concordent.

Datum Laterani, v Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

(105) Vide supra epist. 180.

(106) 33. q. 2. cap. *Sive*.

CLXXXIII.

DILECTO FILIO GUALÆ SANTÆ MARIÆ IN PORTICU DIACONO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Super eodem.*

(Laterani).

Super causa conjugii charissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francorum illustri scribimus in hunc modum : *Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius Guido nuntius tuus*, etc., *ut in alia usque in finem.* Ideoque discretioni tuæ, fili legate, per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus secundum formam præscriptam prævia ratione procedas.

Datum Laterani, etc.

CLXXXIV.

MAGUNTINO ET MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPIS.

*De matrimonio regis Boemiæ.*

(Laterani, III Id. Decembris.)

Olim per litteras a venerabili fratre nostro Avelbergensi episcopo et dilecto filio abbate in Sichem nobis destinatas accepimus quod cum O. (107) illustrem regem Boemiæ super causa matrimonii quæ vertitur inter ipsum et nobilem mulierem A. sororem marchionis Misnensis auctoritate tam nostra quam legatorum nostrorum peremptorie citavissent, parte mulieris ipsius in eoram præsentia comparente, idem rex contumaciter se subtraxit. Cum autem ab ejusdem mulieris fuisset parte propositum quod memoratus rex B. presbyterum, quem præfati judices cum litteris citatoriis miserant ad eumdem, capi fecerat et arctæ custodiæ mancipari, ac iidem judicis post peremptoriam diem biduo exspectassent si forsan aliquis pro præfato rege in eorum præsentia compareret, quia demum jam die tertia probato per testes idoneos quod pervenerant litteræ citationis ad ipsum, suam manifeste contumaciam cognoverunt, excommunicationis in eum sententiam protulere. Cum igitur dictus rex diceretur recusasse prædictos judices ut suspectos, venerabili fratri nostro Hostiensi episcopo et dilecto filio Leoni tituli Sanctæ Crucis presbytero cardinali, quibus tunc fuerat pro causis imperii ac Ecclesiæ ad partes illas officium legationis injunctum, dedimus in mandatis quatenus juratoria cautione ab ipso rege recepta quod juri pareret, beneficium impenderent absolutionis eidem, et inquirerent, si tamen possent ad hoc intendere, per se ipsos, vel facerent per aliquos idoneos viros inquiri utrum prædicti judices ab ipso possent rationabiliter recusari : quod si forent rationabilirer recusati, audirent causam vel facerent audiri appellatione remota, itaquod cum esset usque ad sententiam in ipsa processum, nobis remitteretur instructa, præfixo partibus termino competente quo se per procuratores idoneos nostro conspectui præsentarent justam auctore Deo sententiam recepturæ ; alioquin partes ad priorum judicum remitterentur examen. Verum quoniam ipsi legati, A propter miserabilem illum eventum qui rerum statum inopinata morte principis immutavit, de arrepto legationis itinere recedentes, iis intendere nequiverunt, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus absoluto, præfato rege secundum formam præscriptam, inquiratis sollicite per vos ipsos utrum judices antedicti possint ab eo rationabiliter recusari, et in cæteris mandatum apostolicum, quod prædictis fuit legatis injunctum, sublato cujuslibet contradictionis et appelationis obstaculo exequi procuretis.

Datum Laterani, III Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXXV.

UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS PER LOMBARDIAM ET MARCHIAM CONSTITUTIS. B

*De succursu terræ sanctæ.*

(Laterani, IV Id. Decembris.

Utinam Dominus et nobis efficacem sermonem et vobis ac aliis perfectum largiretur auditum ; ut quod de cœlestis regis obsequio suademus, saltem per parabolam inducamini regis temporalis implere, qui cum servorum suorum culpa regnum proprium amisisset, ad recuperationem ipsius auxilium sæpe flagitavit eorum ; quibus ei non solum illud impendere contumaciter recusantibus, quinimo manus suas convertentibus hostiliter in se ipsos, ipse demum propria recuperavit potentia regnum suum. Num igitur quis ex vobis tam misericors est vel demens qui si vice regis hujusmodi fungeretur, ac- C cepto tempore justitiam judicandi servos tales, tanquam regios proditores et perfidos infideles, exilio vel incidio, suspendio, sive forsan alio duriori supplicio non puniret, ut malis male perditis, in eorum bona fideles alios subrogaret ? Porro si sic rex faceret temporalis, qui solum in corpore potestatem haberet, quanto magis Dominus Jesus Christus rex regum et Dominus dominantium, qui et corpus et animam nobis contulit, et utrumque potens est mittere in gehennam ingratitudinis vitio et velut infidelitatis crimine suos servos poterit condemnare, si ei de terra quam pretio sanguinis comparavit, ob culpam profecto non suam, sed ipsorum, ejecto, ac illam recuperandam neglexerint subvenire. Ecce ipse de sua hæreditate pro nostris iniquitatibus pulsus exsulat, ecce ad suam subventionem auxilium nostrum quasi ex- D hæredatus implorat, nec est qui vel foveat exsulem vel adjuvet implorantem. Expansis in cruce brachiis iteratam quasi crucifigentium se nobis insinuat contumeliam, et pene penitus nullus est qui ad ejus debita moveatur devotione vindictam. Transfigitur lancea latus ejus, manus et pedes clavis crudelibus configuntur, et neminis fere pectus compassio crudelitatis tantæ transverberat ut mortem sibi retributurus, quam tribuit illi pro ipso, in adjutorium ejus exsurgat. Aggravata sunt et enim corda omnium et eo jam fere spiritum emittente voce magna, qua

(107) *Otthokarum.* Vide supra lib, II, epist. 188, etc, cap. *Constitutis,* De testib.

clamat, nequeunt excitari. O quam omnes sine pietate sunt facti et in crudeles universi mutati, quandoquidem puerpera virgo de paupere præsepii diversorio cum puero vagiente depellitur, et a nullo sibi debito humanitatis studio subvenitur! Væ genti peccatrici, væ populo pleno peccatis! Vere animi duri es, et ærea tua frons, ac nervus ferreus cervix tua. Dominus qui fecit, et non solum tibi tribuit id quod habes; sed etiam et quod es, cæditur et conspuitur, blasphematur et flagellatur, quin potius jam cunctis ludibriis et suppliciis, quæ sustinuit corporaliter, spiritualiter innovatis, non solum ad crucem usque deducitur, imo ipsa sibi etiam crux aufertur, in hoc rabie modernorum crucifixorum veterum tyrannidem excedente quod cum illi nihil in cruce dimisissent eidem, isti nec crucem; et tu tantam tuis dissimulas ignominiam Creatoris. Heu servos ingratos! heu famulos indevotos, qui cum cœli ac terræ Dominus ad recuperandum proprium patrimonium, non suis, sed eorum culpis amissum, adjutorium implorat ipsorum, non solum illud impendere damnabiliter sibi renuunt, verum etiam in se ipsos hostiliter arma convertunt! Proh dolor! quis furor est, et quæ licentia tanta ferri domesticorum cruorem per civilia bella condere, ac perfidas et perferas nationes de Christi sinere patrimonio triumphare! Nunquid abreviata et parvula facta est manus ejus, ut possit redimere, aut non est virtus ad liberandum in ipso? Nonne ipse, qui malefaceret in sua increpatione desertum, indueret cœlos tenebris, et saccum poneret operimentum eorum, funiculum hæreditatis suæ in solo posset oris sui verbo salvare? Deus siquidem sempiternus Dominus, qui terminos terræ creavit, qui dat lapso virtutem, et iis qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat, non deficiet nec etiam laborabit quin orientalem provinciam quando voluerit et sicut voluerit de manibus eruat impiorum; sed in occupatione ac detentione ipsius peccata nostra sic forsitan punienda prævidit ut pœna ipsa impœnitentibus majorem verteretur in culpam et pœnitentibus proficeret ad coronam; ut unde contumacium aggravaret excessus, inde remitteret humiliantium se reatus. Sciens etenim quod diligentibus se omnia cooperantur in bonum, non ut scientiam sibi per experientiam compararet, cum universa noverit et præviderit ab æterno, sed ut nos de virtute vel infirmitate nostra redderet certiores, et daret intelligi plenius qui sunt ejus, salutiferæ crucis signum, in quo ipse salus nostra perpendit, et terram nativitatis suæ quam proprio sanguine consecravit, capi ab inimicis fidei Christianæ permisit, si quem forsan tangeret ejus injuria, si quem zelus divinæ legis accenderet, et ad vindicandam crucis injuriam excitaret. Dormiebant etenim somnum suum omnes viri divitiarum, dormiebant, et in suis voluntatibus ac voluptatibus dormitabant, cum factus est repente de cœlo sonus de inopinato Christi hæreditatis excidio, non solum excitans dormientes, sed universos Christianorum

A fines concutiens; ut quia nullus de Dei potentia dubitabat, id singuli suis criminibus imputarent, et sic saltem reverterentur ad Dominum, et de suis pœniterent excessibus qui prius in cordibus suis dixerant: *Non est Deus* (*Psal.* XIII). Cum igitur Dominus in hoc forsan occasionem nobis voluerit præstare salutis, imo salvationis causam præbere, universitatem vestram monemus attentius et exhortamur in Domino, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, quatenus, ante oculos cordis habentes exsilium crucifixi, qui potentes sunt prælium Domini præliari, et crucem et arma capessant; qui vero non sunt habiles ad pugnandum, in expensis suis secundum proprias facultates aliquos dirigant bellatores, nec sit qui se ab hujusmodi obsequio sub-

B ventionis excuset quin aliquid saltem modicum vel unum nummum imperialem propter hoc devote ac libenter impendat, cum ad mercandum regnum cœlorum interdum calix sufficiat aquæ frigidæ, ac pauper mulier in gazophylacium duo minuta mittendo laudetur plus cæteris obtulisse. Proinde, charissimi filii, dum communis instat necessitas, simultates domesticas deponatis, et operam quam essetis bellis aut guerris mutuis impensuri, in terræ sanctæ vos juvet auxilium exercere, quæ pro peccatis nostris viris et viribus, operatoribus et opibus destituta in tanta necessitate consistit in quanta prorsus ab initio suæ visitationis nequaquam nescitur exstitisse. Ut autem de vestra jam quasi retributione securi laborem tam sanctum confidentius assumatis, de Dei omnipotentis misericordia et beatorum aposto-

C lorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem hujus itineris in propriis personis subierint et expensis plenam peccatorum suorum, de quibus cordis et oris egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, et in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantum expensis juxta qualitatem et facultatem suam viros idoneos destinarint illuc per annum moraturos ad minus, et illis similiter qui licet in alienis expensis in propriis tamen personis, assumptæ peregrinationis laborem, impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus esse

D participes juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum et bona, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, necnon et sub archiepiscoporum et omnium prælatorum Ecclesiæ Dei consistere defensione jubemus, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta consistant. Quod si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti,

creditores eorum per Ecclesiarum prælatos, ut remittant eis præstitum juramentum, et ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum ad solutionem eos coegerit usurarum, ipsum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Concedimus etiam venerabilibus fratribus nostris Cremonensi et Yporiensi episcopis et dilecto filio abbati de Tilieto, quibus specialiter auctoritatem tradidimus inducendi vos ad opus hujusmodi pietatis, necnon aliis archiepiscopis et episcopis in quorum diœcesibus permanetis, ut circa eos qui de bonis suis terræ sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum et rerum quantitate pensatis, et considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possint in opus eleemosynæ faciendæ.

Datum Laterani, IV Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXXVI.

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ET ALIIS ECCLESIARUM PRÆLATIS PER LOMBARDIAM ET MARCHIAM CONSTITUTIS.

*De eadem re.*

(Datum, *ut in alia.*)

Utinam Dominus et nobis efficacem sermonem, etc., *in eumdem fere modum usque in finem.* Quocirca universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus apud populos vobis subditos studio sedulæ prædicationis et exhortationis instetis ut juxta nostram et prædictorum episcoporum et abbatis exhortationem memoratæ terræ sanctæ succurrant, constitutionem et mandatum nostrum in cæteris quæ superius sunt expressa sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo efficaciter exsequentes, quadragesimam quoque partem ecclesiasticorum reddituum proventuumque vestrorum et aliorum nihilominus clericorum, necnon et alias fidelium eleemosynas, quas dudum ad subventionem ipsius terræ mandavimus congregari, si quidem collectæ sunt, assignari prædictis episcopis et abbati quantocius faciatis, in ejusdem terræ subsidium juxta suæ discretionis arbitrium transmittendas. Alioquin eas colligi diligenter, et ipsis faciatis fideliter assignari.

Datum, *ut in alia.*

CLXXXVII.

EPISCOPO YPORIENSI ET ABBATI DE TILIETO VISITATORIBUS LONBARDIÆ.

*De episcopo Albiganensi removendo.*

(Laterani, II Id. Decembris.)

Ex litteris vestris accipimus quod cum ad Albiganensem Ecclesiam una cum venerabili fratre nostro Pisano archiepiscopo, tunc episcopo Vercellensi, accessissetis (108), visitationis officium impleturi, Albiganensis episcopus inter cætera quæ proposita fuerant contra ipsum, hoc vobis ore proprio est

A confessus quod cum quidam in villa quadam ad ipsius jurisdictionem spectante infamaretur, de furto, et idem illud inficiaretur omnino, offerens quod candentis ferri judicio se purgaret, adjiciendo ut suspendio puniretur si deficeret in eodem, dictus episcopus a judice requisivit quid super hoc videretur eidem, et cum judex respondisset ut fieret sicut fur ipsemet dixerat; ferrum candens in ipsius episcopi præsentia est allatum; quod cum accepisset fur ille, combustus est. Unde judex expavefactus, quid sibi super hoc videretur consuluit episcopum memoratum; qui respondit quod si fur idem sic evaderet, malum esset; quanquam per litteras quas idem episcopus nobis modo direxit affirmet, se talibus verbis usum fuisse: *Auditis quantus est clamor populi, omnes dicunt quod malum est si evaserit* B *impunitus*, et sic episcopus et judex villam ipsam cum multitudine sunt egressi; in quorum præsentia fur prædictus auctoritate ipsius episcopi est suspensus, propter quod ipsum cum litteris vestris ad sedem apostolicam destinastis. Sed idem in nostra præsentia constitutus nihil unquam super iis proposuit coram nobis; nec litteras vestras vidimus, licet idem se nobis illas asserat præsentasse; quinimo statim cum dictus archiepiscopus ad apostolicam sedem accessit, qui nobis hujus rei seriem plenarie indicavit, idem episcopus a nostra discessit præsentia, et perquisitus non potuit inveniri. Nos autem super iis cum fratribus nostris deliberavimus diligenter, et quia idem episcopus, non solum in judicio candentis ferri, verum etiam in furis sus- C pendio graviter noscitur deliquisse, cum his non tantum auctoritatem præstiterit, verum etiam præsentiam exhibuerit corporalem, ipsum indignum altaris ministerio reputamus. Cum igitur pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ut episcopatui cedat moneatis eumdem. Alioquin ipsum auctoritate apostolica ab Albiganensi Ecclesia sublato appellationis obstaculo amoventes, faciatis eidem per electionem canonicam de persona idonea provideri, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes.

Datum Laterani, II Idib. Decemb., pontificatus nostri anno undecimo.

D

CLXXXVIII.

PRIORI OSENSI ET SUPERIORI SANCTÆ FREDESWIDÆ.

*Scribitur pro abbate de Bello.*

(Laterani, II Id. Decembris.)

(109) Ex tenore litterarum vestrarum intelleximus evidenter quod cum causam quæ inter I. clericum ex parte una et abbatem et conventum de Bello ex altera super reddita decem marcharum vel quindecim quas idem exigebat ab ipsis, eo videlicet quod eidem, quam cito se facultas offerret, in tantum se promiserant provisuros, nec promissionem suam curaverant adimplere, noscitur agitari, vobis

(108) Cap. *Ex litteris.* De excess. Prælator. Vide infra lib. XIII, epist. 134.

(109) Cap. *Ex tenore,* De concess. præb.

dureximus committendam, dictus clericus post litis A contestationem chartam quamdam monachorum ipsorum continentem expresse quod ei primam Ecclesiam ad suam donationem spectantem valentem decem marchas vel quindecim assignare promiserant exhibuit coram vobis, nihilominus per idoneos testes probans ipsos post promissionem hujusmodi, licet potuerint, nolle sibi, quanquam super hoc admoniti fuerint providisse, quare dictos abbatem et monachos ad assignandum sibi redditum decem marcharum ad minus cogi cum instantia postulabat. Ad hæc autem fuit ex adverso responsum quod ratione promissionis hujusmodi, utpote factæ contra concilii Lateranensis statuta, quæ probari per chartam exibitam videbatur, eos non poterat convenire, præsertim cum non de ali- B qua Ecclesia, sed de promissione tantum in litteris nostris mentio haberetur. Cum igitur aliis ipsos posse conveniri asserentibus, aliis vero contrarium sentientibus super hoc fuisset hinc inde coram vobis diutius disputatum, vos quid juris sit in hoc articulo dubitantes, in negotio ipso ulterius procedere noluistis donec super hoc reciperetis nostræ beneplacitum voluntatis, nobis humiliter supplicantes ut quid sit in hac parte agendum vos dignaremur per nostras litteras reddere certiores. Nos igitur attendentes quod promissio prædicta non tenet, utpote contra statuta præfati concilii attentata, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, memorato clerico super hoc silentium imponentes, ab impetitione ipsius dictos abbatem et monachos absolvatis. C

Datum Laterani, II idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXXIX.

NEOPATRENSI ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO DAVALIENSI, ET DILECTO FILIO ELECTO NAZORESCENSI.

*De obedientia quam episcopi debent suis metropolitanis.*

(Laterani, VI Id. Decembris.)

Venerabilis fratrer noster Larissiensis archiepiscopus sua nobis conquestione montravit quod venerabilis frater noster Dimitriacensis episcopus suffraganeus Larissiensis Ecclesiæ, fultus potentia laicali, eidem denegat obedientiam et reverentiam debitam exhibere. Quodcirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus præfa- D tum episcopum ut debitam obedientiam et honorem exhibeat archiepiscopo memorato monere diligentius et inducere procuretis, eum ad hoc, si necesse fuerit, districtione qua convenit appellatione remota cogentes. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, VI Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

—

CXC.

ELECTO NAZORESCENSI.

*Suscipitur sub protectione apostolicæ sedis.*

(Laterani, V Id. Decembris.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, Nazorescensem Ecclesiam cum omnibus quæ impræsentiarum rationabiliter possidet, etc., *usque* communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis infringere vel ei, etc. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc., *usque* incursurum.

Datum Laterani, V Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CXCI.

EPISCOPO DAVALIENSI.

*De eodem argumento.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, etc., *usque* assensu, Davaliensem Ecclesiam cum omnibus quæ impræsentiarum rationabiliter possidet, etc., *usque* communimus. Decernimus ergo... hanc paginam nostræ protectionis infringere, etc., *usque* incursurum.

Datum, *ut in alia per totum.*

CXCII.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO CREMONENSIBUS.

*De electione abbatis de Cornu.*

(Laterani, XVI Kal. Januarii.)

Cum venerabilis frater noster Yporiensis episcopus et dilectus filius Albertus presbyter Mantuanus ad monasterium Sancti Stephani de Cornu ob visitationis et correctionis officium accessissent, statutis in eo plurimis quæ regulari congruunt honestati, quia P. tunc abbas ejusdem monaterii super lapsu carnis, crimine Simoniæ, ac multis aliis graviter fuerat infamatus, cum ipsi juxta officii sui debitum super iis vellent inquirere veritatem, idem abbas eis humiliter supplicavit ut secundum formam juris procederent circa ipsum, cum notoria res non esset, nec vexaret eum fama publica vel privata, nec etiam contra eum accusator aliquis appareret. Cumque ipsi supplicationes vel potius exceptiones hujusmodi tanquam frivolas non admitterent, dictus abbas sedem apostolicam appellavit. Sed iidem appellatione hujusmodi, velut frustratoria, non admissa, a priore ac multis monachis ipsius cœnobii, qui super hoc deposuere jurati, de præmissis inquisierunt plenius veritatem. Interim autem cum de prædictis visitatoribus abbas ipse in auditorio nostro gravem fecisset conquestionem deponi, venerabili fratri nostro Uberto Mediolanensi archiepiscopo S. R. E. cardinali dedimus in mandatis ut inquireret ab episcopo et presbytero memoratis qua de causa inducti fuerint ad inquisitionem hujusmodi faciendam et nisi aliam rationabilem causam ostenderent, ne procederent ad inquisitionem prædictam auctoritate ip-

sis apostolica prohiberet, in statum debitum revocato si quid post appellationem ad nos rationabiliter interpositam in ipsius abbatis præjudicium attentassent; alioquin canonicum haberent eadem inquisitione processum. Cum igitur de ipsorum processu tam per litteras eorumdem quam per relationem episcopi memorati nobis plenius constitisset, dictum abbatem ab eadem abbatia exigente justitia duximus removendum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandantes quatenus et quod a nobis est super hoc provida deliberatione statutum faciatis per censuram ecclesiaticam sublato contradictionis et appelationis obstaculo firmiter observari, ac priori et fratribus ipsius monasterii auctoritate apostolica injungatis ut personam idoneam per electionem canonicam sibi præficiant in abbatem. Ipsum quoque depositum ad restitendum privilegia monasterii et alia quæ suæ fuerant custodiæ per censuram eamdem sublato appellationis obstaculo compellatis; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles districtione simili compescentes.

Datum Laterani, XVI Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CXCIII.

SICIBALDO ABBATI MONASTERII SANCTÆ MARCÆ DE ROSEVELDE, EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum*

(Laterani, V Id Decembris.)

Quoties illud a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Mariæ de Rosevelde, in quo divino mancipati estis obsequio, quod ad jus et proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere dignoscitur, ad exemplar felicis memoriæ prædecessorum nostrorum Adriani et Alexandri Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possesiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regnum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus experimenda vocabulis Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum pertinentiis suis, decimam de Lu, quam bonæ memoriæ Albero Hamburgensis Ecclesiæ archiepiscopus ex conniventia totius cleri et populi eidem monasterio vestro in concambium dedit decimam de Roselvede, quæ item in concambium pro silva quæ dicitur Frankenholt vobis data est, curiam

A quæ dicitur Coningohof cum omnibus pertinentiis suis, officium Elikeri cum omnibus attinentiis suis, vetus officium cum pertinentiis suis, duodecim mansos juxta Albium cum pertinentiis suis, in Sclavia villam quæ Lanchua dicitur, et possessiones quæ jacent juxta Lu, bona quæ bonæ memoriæ Ermengardis marchionissa Ecclesiæ vestræ contulit in Tumarisco, curiam scilicet Crimpestede cum omnibus suis pertinentiis, curiam Fragistede cum pertinentiis suis, totam terram quæ dicitur Busin cum pertinentiis suis, officium Oddonis cum pertinentiis suis, officium Hermanni et Wiberni cum omnibus pertinentiis suis, officium Siberni cum pertineutiis suis, officium Hesingi cum pertinentiis suis. Cum autem generale interdictum terræ
B fuerit, etc., *usque* celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano, suscipietis episcopo, etc., *usque* voluerit exbibere. Alioquin ad quemcunque malueritis antistitem recurratis, qui apostolica fultus auctoritate quæ postulantur indulgeat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, etc., *usque* secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Quod si forte, quod absit! in suo collegio invenire nequiverint qui huic regimini idoneus habeatur liceat eisdem de quocunque maluerint loco sui ordinis et suæ professionis assumere. Prohibemus insuper ut nullus abbatum Roseveldensis monasterii bona infeudare, vel vendere, seu alio quolibet titulo
C alienare sine assensu majoris et sanioris partis capituli vestri præsumat. Præterea decernimus, sicut prædicti antecessores nostri Adrianus et Alexander Romani pontifices decrevisse noscuntur, ne alicui archiepiscopo vel episcopo seu alii ecclesiasticæ sæcularique personæ aliqua disponere vel ordinare aut exactiones vel paratas recipere sine consensu et voluntate fratrum ibi Deo servientium liceat, sed tantum Romano pontifici ad obediendum vel serviendum teneatur. Ad hæc statuentes sancimus ut nullus unquam monasterii vestri advocatus esse præsumat nisi quem fratres communi consensu præviderint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci, etc., *usque* nullus obsitat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mor-
D tuorum corpora assumuntur. Decerminus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium, etc., *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem præceptæ hujus a Romana Ecclesia libertatis, secundum quod Udo marchio cum fratre suo Rodulfo et matre Odda, in quorum patrimonio monasterium ipsum situm est, instituisse dignoscitur, per annos singulos bizantium unum nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si qua igitur in futurum, etc., *usque* subjaceat. Cunctis autem eidem loco, etc., *usque* præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Ma-

riæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, v Idus Decembris, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1208, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno undecimo.

CXCIV.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI VEDASTI ATREBATENSIS.

*De libertate ejusdem monasterii.*

(Laterani, XVI Kal. Januarii.)

Ex privilegio felicis memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri, quod monasterio vestro concessit, et nos ad exemplar ipsius duximus innovandum, evidenter apparet monasterium ipsum nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinere. Licet autem dilectus filius... Atrebatensis canonicus nuntius venerabilis fratris nostri Atrebatensis episcopi nuper in nostra præsentia constitutus firmiter asseruerit quod tempore bonæ memoriæ Urbani papæ prædecessoris nostri super hoc inter ipsius episcopi et tuum, fili abbas, prædecessores exstitit litigatum, quia tamen privilegium libertatis apparet, et de ipsius episcopi jure non constat, eidem episcopo per nostras litteras duximus inhibendum ne contra tenorem ipsius privilegii vos tam in personis quam rebus ad ipsum monasterium pertinentibus molestare præsumat; sed in idem episcopus de jure confidit, causam suam ordine judiciario prosequatur. Alioquin sententiam, si sententia dici debet, quam in vos episcopus ipse proferret, decernimus non servandam, tanquam a non suo judice promulgatam.

Datum Laterani, XVI Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CXCV.

PRIORI ET FRATRIBUS ANDRENSIBUS.

*Ut rehabere laleant possessiones pignori obligatas.*

(Laterani, XIII Kal. Januarii.)

(110) Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod nonnulla ad feudum vestri monasterii pertinentia obligata potentibus ab infeodatis in pignus, facta sunt, non quidem de jure, sed tantum de facto, ab eodem monasterio usuris excrescentibus aliena. Unde nobis humiliter supplicastis ut terras, redditus, et alia quæ prædicto modo ad monasterium vestrum spectant, vobis, ne omnino alienari contingant, in pignus recipere de nostra permissione liceret, ita videlicet quod recepti fructus vobis computari non debeant pro usuris. Volentes autem monasterii vestri indemnitatibus paterna sollicitudine præcavere, annuimus postulatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, etc., *usque in finem.*

Datum Laterani, XIII Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CXCVI.

ARCHIEPISCOPO ET SUFFRAGANEIS TERRAGONENSIS ECCLESIÆ.

*De negotio Durandi de Osca et sociorum ejus.*

(Laterani, XV Kal. Januarii.)

(111) Ejus exemplo qui non est Deus dissensionis, sed pacis, volens omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, venientes ad apostolicam sedem dilectos filios Durandum de Osca et socios ejus paterna benignitate suscepimus, et ea quæ nobis tam pro se quam pro fratribus suis exponere curaverunt pleno concepimus intellectu. Ex iis ergo quæ nobis de articulis fidei et sacramentis Ecclesiæ diligenter examinati dixerunt cognovimus eos fidem sapere orthodooam et Catholicam astruere veritatem. Ad majorem tamen expressionem appositis evangeliis, et scripto confessionis eorum imposito super illa, recepimus ab eis hujusmodi juramentum : *Ego*, inquit, *Durandus de Osca inter manus tuas consecratas, summe pontifex domine Innocenti, Deum invoco testem in animam meam quod ita simpliciter et veraciter credo sicut in hoc scripto per omnia continetur, et contrarium nunquam credam, sed contrarium credentibus pro posse resistam. Tibi vero tanquam beati Petri apostoli successori et archiepiscopis et episcopis aliisque prælatis in quorum diœcesibus vel parochiis commorabor obedientiam et reverentiam exhibebo tam debitam quam devotam.* Scriptum autem confessionis est tale.

« Pateat omnibus fidelibus quod ego Durandus de Osca I. et E. et B. et omnes fratres nostri corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, et simplicibus verbis affirmamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres personas esse, unum Deum, totamque Trinitatem coessentialem et consubstantialem et coæternalem et omnipotentem, et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum; sicut in *Credo in Deum,* et in *Credo in unum Deum*, et in *Quicunque vult* continetur. Patrem quoque et Filium et Spiritum sanctum unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium, corde credimus et ore confitemur. Novi et Veteris Testamenti unum eumdemque auctorem credimus esse Deum, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens de nihilo cuncta creavit, Joannemque Baptistam ab ipso missum esse sanctum et justum et in utero matris suæ Spiritu sancto repletum. Incarnationem divinitatis non in Patre nec in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur; ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis Filius, homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris

(110) Vide tom. IX Spicilegii Dacheriani, pag. 382.
(111) Vide lib. XII, epist. 17, 66, et seqq. lib. XIII, epist. 77, 73.

et animam humanam rationabilem, simul utriusque naturæ, id est Deus et homo, una persona, una Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu sancto, omnium auctor et rector, natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate, manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suæ passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suæ resurrectione et vera animæ ad corpus resumptione; in qua post quam manducavit et bibit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et in eadem venturus est judicare vivos et mortuos. Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non hæreticorum, sed sanctam Romanam catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque quæ in ea celebrantur inæstimabili atque invisibili virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benivolo animo tanquam a justissimo amplectimur; quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam consecrandam, nec ad cætera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium; qui se defuncti fuerint post baptismum antequam peccata commitant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa quæ voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande accipiendam esse censemus. Sacrificium (112), id est panem et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus; in quo nihil a bono majus, nec a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus sancti. Unde firmiter credimus et confitemur quod quatumcunque quilibet honestus religiosus sanctus et prudens sit, non potest nec debet eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere nisi sit presbyter a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria, scilicet certa persona, idem presbyter ab episcopo, ut prædiximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba quæ a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis. Ideoque firmiter credimus et fatemur quod quicunque sine præcedenti ordinatione episcopali, ut prædiximus, credit et contendit se posse sacrificium eucharistiæ facere, hæreticus est et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere pœnitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Conjugia carnalia esse contrahenda secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disjungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua conjuge salvari credimus et fatemur; nec etiam secunda vel ulteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minime culpamus. Non condemnamus juramentum, imo credimus puro corde quod cum veritate et judicio et justitia licitum sit jurare. [(113) De potestate sæculari asserimus quod sine peccato mortali potest judicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed judicio, non incaute sed consulte procedat.] Prædicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus; tamen ex auctoritate vel licentia summi pontificis vel prælatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus vero locis ubi manifesti hæretici manent, et Deum et fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ abdicant et blasphemant, credimus quod disputando et exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiæ adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos et omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur humiliter collaudamus et fideliter veneramur. Diabolum, non per conditionem, sed per arbitrium, malum esse factum credimus. Corde credimus et ore confitemur hujus carnis quam gestamus et non alterius resurrectionem. Judicium quoque per Jesum Christum esse futurum, et singulos pro iis quæ in hac carne gesserunt recepturos vel pœnas vel præmia firmiter credimus et affirmamus. Eleemosynas, sacrificium, cæteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in sæculo et suas possidentes eleemosynas et cætera ex rebus suis agentes, præcepta Domini servantes salvari fatemur et credimus. Decimas, primitias et oblationes ex præcepto Domini credimus clericis persolvandas. » Quia vero non solum fides recta, sed bona etiam operatio exigitur ad salutem, quoniam sicut sine fide impossibile est placere Deo, ita fides sine operibus mortua est, propositum quoque conversationis eorum præsenti paginæ duximus adnotandum; cujus tenor est talis :

« Ad honorem Dei et ejus Ecclesiæ Catholicæ, et ad salutem animarum nostrarum, fidem Catholicam per omnia et in omnibus integram et inviolatam corde credere et ore proposuimus confiteri sub magisterio et regimine Romani pontificis permanendo. Sæculo abrenuntiavimus, et quæ habebamus, velut a Domino consultum est, pauperibus erogavimus, et pauperes esse decrevimus; ita quod de crastino sollicit esse non curamus, nec aurum nec argentum

(112) In lib. XIII, epist 78, scriptum est : *In sacrificio eucharistiæ, quæ ante consecrationem erant panis et vinum, post cons.*

(113) Hæc addita sunt ex libro XIII.

vet aliquod tale præter victum et vestitum quotidianum a quoquam accepturi sumus. Consilia evangelica velut præcepta servare proposuimus, orationi juxta horas canonicas septies insistentes, dicendo quindecies *Pater noster*, insuper *Credo in Deum, et Miserere mei, Deus,* et orationes alias. Cum autem ex magna parte clerici simus et pene omnes litterati, lectioni, exhortationi, doctrinæ et disputationi contra omnes errorum sectas decrevimus desudare. Disputationes tamen a doctioribus fratribus in fide catholica comprobatis et instructis in lege Domini dispensentur, ut adversarii catholicæ et apostolicæ fidei confundantur. Per honestiores autem et instructiores in lege Domini et in sanctorum Patrum sententiis verbum Domini consuimus proponendum (114) in schola nostra fratribus et amicis cum prælatorum vero licentia et veneratione debita, per idoneos et instructos in sacra pagina fratres, qui potentes sint in sana doctrina arguere gentem errantem et ad finem modis omnibus trahere et in gremio sanctæ Romanæ Ecclesiæ revocare. Virginitatem et castimoniam continuam inviolabiliter conservando, duas quadragesimas et jejunia secundum ecclesiasticam regulam instituta annis singulis facere proposuimus. Religiosum et modestum habitum ferre decrevimus, qualem consuevimus deportare, calceamentis desuper apertis ita speciali signo compositis et variatis ut aperte et lucido cognoscamur nos esse, sicut corde, sic et corpore, a Lugdunensis et nunc et in perpetuum segregatos, nisi reconcilientur catholicæ unitati. Ecclesiastica sacramenta suscipiemus ab episcopis et sacerdotibus in quorum diœcesibus vel parochiis commorabimur. et eis obedientiam et reverentiam debitam impendemus. Si qui vero sæcularium in nostro voluerint concilio permanere, consulimus ut exceptis idoneis ad exhortandum et contra hæreticos disputandum, cæteri in domibus religiose et ordinate vivendo permaneant, res suas in justitia et misericordia dispensando, manibus laborando, decimas, primitias, et oblationes Ecclesia debitas persolvendo. »

Nos igitur habito fratrum nostrorum consilio per apostolica vobis scripta mandamus quatenus, recepto a cæteris fratribus simili juramento, reconcilietis eos ecclesiasticæ unitati, et denuntietis ipsos vere catholicos ac recte fideles, in præscriptis et aliis eos secundum Deum ab omni scandalo et infamia servantes immunes, et in litteris testimonialibus et aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adjuvetis.

Datum Laterani, xv Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CXCVII.

DURANDO DE OSCA EJUSQUE FRATRIBUS, QUI PAUPERES CATHOLICI NUNCUPANTUR, IN FIDE CATHOLICA PERMANENTIBUS.

*Super eodem.*

(Laterani.)

Ne quis de cætero conversationis vestræ propositum calumnietur injuste, maxime circa illos qui secundum formam quam in aliis litteris nostris expressimus reconciliati fuerint ecclesiasticæ unitati, nos illud auctoritatis nostræ munimine approbando, præsenti pagina duximus adnotandum. Quod quidem est tale :

Ad honorem Dei ei ejus Ecclesia catholicæ et ad salutem animarum nostrarum, etc., *ut in alia usque* persolvendo.

Datum Laterani, etc., *ut in alia.*

## CXCVIII.

DURANDO DE OSCA ET EJUS FRATRIBUS IN FIDE CATHOLICA PERMANENTIBUS.

*Ne teneantur ad bellum procedere contra Christianos.*

(Laterani, xv Kal. Januarii.)

Postulastis a nobis ut iis qui remanentea in sæculo, ad honorem Dei et salutem animarum suarum in vestro proponunt consilio permanere, concedere dignaremur ne contra Christianos cogantur ad bellum procedere vel pro rebus sæcularibus, veluti pro petendo communi, juramentum præstare. Nos autem prædicta concedimus quantum aliorum præjudicio et scandalo possent salubriter observari, maxime cum permissione sæcularium dominorum.

Datum Laterani, xv Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CXCIX.

PRIORI ET FRATRIBUS ANDRENSIS MONASTERII.

*De capellis non construendis intra terminos monasterii.*

(Laterani, xvi Kal. Januarii.)

(115) Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., *usque* perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus inclinati, ne quis infra parochiarum vestrarum terminos oratoria seu xenodochia construere contra vestram et diœcesani episcopi voluntatem præsumat, salvis privilegiis pontificum Romanorum, auctoritate præsentium inhibemus. Nulli ergo, etc., *usque* incursurum.

Datum Laterani, xvi Kal. Januarii pontificatus nostri anno undecimo.

---

(113) In libro XIII, legitur: *Proponendum fratribus et amicis, cum prælatorum conscientia et assensu; ita quod ab eis propter hac nec ecclesiarum frequentatio nec clericorum prædicatio postponentur, virgin.*

(115) Vide t. IX Spicilegii Dacher. pag. 581.

## CC.

HENRICO PRIORI MONASTERII ANDRENSIS EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FATURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum*

(Laterani, XII Kal. Januarii.)

(116) Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium; ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Erpropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sancti Salvatoris et Sanctæ Rotrudis virginis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis memoriæ Paschalis papæ II, prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticas, qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam in eodem monasterio, etc., *usque* observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, altare villæ Andrensis, capellam Sanctæ Mariæ infra oppidum Gignes, altare de Bredenarda, altare de Lullinghahem, altare de Fernes, et altare de Elingahem, cum omnibus decimis et pertinentiis eorum, et universa quæ bonæ memoriæ Balduinus comes Gisnensis cum uxore sua Adela et Manasses ejus filius vel barones eorum eidem monasterio contulerunt, videlicet pasturam omnem circa ipsum locum Andernes, et commoditatem aquæ, paludis et cespitum, terram de Hantengehem cum bosco, villanis et omnibus redditibus suis, in villa Gignes stagnum et sedem molendini, terram de Suavatas et manerium cum villanis suis et commoditate aquæ et tertia parte decimæ, terram de Campagnes et tertiam partem decimæ, terram et comitatum de Bredenarda cum manerio ibidem sito et eleemosyna a nobili viro A. Gisnensi comite vobis intuitu pietatis collata, terram, villanos, boscum, stagnum, et molendinum quæ Garinus de Filnes et mater ejus Ecclesiæ vestræ pietatis intuitu concesserunt, altare in villa Brocredes cum omnibus decimis et pertinentiis suis, duas portiones redditurum altaris de Terdinghaem, in parochia de Pithen manerium cum terra et comitatu, in monte qui dicitur Mas terram, manerium cum bosco, pastura et comitatu, in parochia de Spelleka duas partes A totius decimæ (117), in villa Elcekom decimam a bonæ memoriæ Petro abbate vestro acquisitam, in territorio de Merch redditus quos a Gualtero Blundo et Thoderico clerico et Herberto Folin milite noviter acquisistis, in villa quæ dicitur Sancti Audomari Ecclesia terram in eleemosynam vobis collatam, in villa Craierwic unam marcam super terram Balduini quondam fratris vestri vobis assignatam, in villa Landertun decimam quam habetis ex dono nobilis viri (118) Ingelramni de Fielnes, in villa Erudinghem tertiam partem totius decimæ, id villa Buxin decimam quondam Danielis, terram et redditus quos noviter requisistis, foragium quoque de vinis quæ ad vestros usus emitis per totum castrum Sancti Audomari a bonæ memoriæ (119) Willelmo B castellano vobis concessum et suo scripto nihilominus confirmatum, in villis Iorni, Audenhem, Foxole, Landortim, Westehoc, et Antingherem, terras, societates et decimas ab antiquis temporibus a vobis possessas, redditus et procurationes quos super quodam nemore debet vobis annuatim Ecclesia de Wasto, duas marcas quas super quodam manerio vobis abbatia de Belloloco solvere annuatim tenetur, in villa de Hames terram, villanos et redditus ab antiquo a vobis possessos, in villa Balinghen ex dono antiquorum nobilium tertiam partem totius pasturis, et paludibus, et eleemosynas in eadem villæ in terris, villanis, comitatu, stagno. molendino, villa vobis concessas a nobilibus viris Hugone et simone fratre suo, Radulfo Bailol et participibus ejus. C in villa Hochtinghem universos mansionarios quos habetis, cum redditibus et comitatu et paludibus ad usus vestros a bonæ memoriæ Balduino comite monasterii vestri fundatore concessis, in villa Ferenes terras cum comitatu, villanos et redditus ab antiquo a vobis possessos, in villa Odersele redditus a Guidone de Vlesoge quondam fratre vestro vobis concessos, decimam quoque de monte de Fielnes, decimam de Dolo, decimam de Dirlirgetum, et substitutionum capellani ad oratorium ejusdem vici, vavassores quoque a vobis feodatos, et tam ad placitandum pro vobis quam ad equitandum vobiscum ab antiquis temporibus attitulatos, et forum Ecclesiæ vestræ cum omnibus justis et approbatis consuetudinibus, sicut eas juste hactenus et pacifice possedistis. D Sepulturam vero ejusdem loci omnino liberam esse sancimus, ut tam supradictorum comitum progenies quam barones omnes, qui Pares castelli vocantur, sepeliantur (120) ibidem. Cæterorum quoque qui illic sepeliri deliberaverint devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut

(116) Vide t. IX Spicil. Dacher. pag. 578.
(117) Vide t. IX Spicilegii Dachoriani pag. 498
(118) Vide ibid. pag. 488 et seqq. 534.
(119) Vide ibid. pag. 486, 527.
(120) In chronico Andrensi additur: *juxtu votum es deliberationem suam,*

ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia et debita reverentia monasterii Karroffensis. Si qua igitur in futurum, etc., *usque* subjaceat. Cunctis autem, etc., *usque* præmia æternæ pacis inveniant.

Datum Laterani, per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, XII Kal. Januarii, indict. XI, Incarnationis Dominicæ anno 120 , pontificatus vero Domini innocentii papæ III, anno undecimo.

## CCI.

ABBATI ET CONVENTUI KAROSSENTIBUS.

*De confirmatione prigilegiorum.*

(Laterani, XIII Kal. Januarii.)

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus inclinati, de Bovesrezia, de Alneto, et de Formeria ecclesias, cum justitiis et pertinentiis suis quæ rationabiliter vos proponitis assecutos, sicut ea juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo ommino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, etc., *usque* incursurum.

Datum Laterani, XIII Kal. Januarii pontificatus nostri anno undecimo.

## CCII.

*Ne quid pro benedictione exigeant ab abbate Andrensi.*

(Laterani, X Kal. Januarii.)

Congruam officii nostri actionem prosequimur cum viros religiosos charitate debita confovemus eorumque votis et desideriis apostolicæ favore benignitatis annuimus, et ne indebitis agitentur molestiis, ipsis apostolicæ sedis defensionis subsidium impertimur. Volentes igitur Andrensi cœnobio paterna sollicitudine providere, auctoritate vobis præsentium inhibemus ne de cætero pro benedictione abbatis ipsius palefredum, pastum vel cappam præsumatis sericam extorquere.

Datum Laterani, X Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCIII.

*Ut Walterum admittant ad præbendum.*

(Laterani, XIII Kal. Januarii.)

Cum ad nostram dudum audientium pervenisset quod Ferricus de Dompnapetra, qui tenebat in eccle-
A sia vestra præbendam, ad militiam se transtulerat laicalem cum quadam in Apulia publice contrahendo et venerabilis frater noster Beneventanus archiepiscopus, cui mandavimus ut super hoc inquireret veritatem, per suas nobis litteras respondisset quod id notorium in partibus illis erat, demum eidem Ferrico per nostra scripta præcipimus ut infra mensem nostro se conspectui præsentaret, si forsan ad excusationem suam ostendere rationabile quidquam posset. Ipse vero cum testimonialibus quoque litteris venerabilis fratris nostri episcopi Bivinensis, per quem eum super hoc mandavimus admoneri, per suas nobis litteras respondendo confessus et quod cum olim circa octavum annum ætatis suæ pater suus clericali militiæ tradidisset eumdem, duodecimo tandem
B anno transacto resilivit ab ea, et ad arma sæcularia se exercens, denique cnm claræ memoriæ Waltero Brenensi comite Apuliam introivit et hactenus ibi mansit, fructibus jam dictæ præbendæ quisbusdam creditoribus obligatis, quam recognoscere se dicebat contra conscientiam tenuisse, ac ideo debitum quod super eadem præbenda contraxerat extenuatum penitus esse dicens, eam in nostris manibus resignavit. Nos igitur idoneæ personæ in ipsa provideri volentes, eam dilecto filio magistro Waltero, viro provido et honesto, de vestris partibus oriundo, duximus concedendam, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandates quatenus ipsum per procuratorem suum in corporalem possessionem ipsius inducere ac in fratrem et canonicum recipere
C procuretis, stallum chori et locum capituli sibi nihilominus assignando mandatum apostolicum taliter impleturi quod gerere possimus acceptum. Alioquin dilectis filiis decano, cantori et G. Pedilupi canonico Remensi dedimus id mandatis, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant.

Datum Laterani, XIII Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecime.

*Scriptum est illis super hoc.*

## CCIV.

LONGIPONTIS ET IGNIACENSI ABBATIBUS, ET PRIORI IGNIACENSI SUESSIONENSIS DIOECESIS.

*Ut subdiaconus ad uxorem suam redeat.*

(Laterani, III Kal. Januarii.)

D Ex litteris dilectorum filiorum decani, cantoris, et G. canonici Remensis intelleximus evidenter quod cum Isabel mulier adversus R. virum suum Laudunensis diœcesis, qui non curabat eidem necessaria ministrare nec maritale ipsi debitum exhibere, nostras impetrasse ad eos litteras continentes quod si res taliter se haberet, dictum R. ut tanquam uxorem suam exiberet eamdem et maritali affectione tractaret, censura ecclesiastica, sublato appellationis obstaculo, coercerent, ipsi partes legitime citaverunt. Quibus in eorum præsentia constitutis, præfata mulier intentionem suam fundare voluit coram eis, asserens dictum R. cum ipsa legitime matrimonium contraxisse, nec sibi velle in necessariis providere

vel debitum reddere conjugale. Cum autem, dicto hæc inficiante omnino, testes producti essent pariter et recepti, judices super hoc sententiare nolentes, depositiones ipsorum et ea quæ hinc inde fuere proposita coram eis, sub sigillis suis nobis fideliter transmiserunt. Nos igitur, visis et intellectis depositionibus testium productorum, quia per dicta eorum de matrimonio nobis constitit evidenter, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus memoratum R. nonobstante quod post contractnm matrimonium se fecit in subdiaconum promoveri, ad recipiendam uxorem suam et eam maritali affectione tranctandam monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, III Kal. Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCV.

DECANO SARISBERIENSI PARISIUS COMMORANTI, A. ARCHIDIACONO, ET MAGISTRO P. PEVEREL CANONICO PARISIENSI.

*De electione abbatis Andrensis.*

(Laterani, III Non. Januarii).

(121) Cum dilecti filii Willelmus Andrensis Ecclesiæ monachus, qui pro electo ejusdem Ecclesiæ se gerebat, et Gaufridus Daubius monachus ac procurator monasterii Karroffensis super jure eligendi abbatem in Andrensi monasterio et ejusdem Willelmi electione invicem in nostra præsentia litigarent, idem Willelmus electionem suam a fratribus Andrensibus concorditer celebratam auctoritate petiit apostolica confirmari, asserens tam de jure communi quam privilegio speciali eis a felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro, et a nobis postmodum (122) confirmato, liberam eligendi auctoritatem ad eosdem fratres tantummodo pertinere. Nam de jure communi omnis congregatio monachorum eligere sibi debet abbatem, et in ejusdem Alexandri privilegio continetur ut (223), obeunte monasterii Andrensis abbate nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres vel eorum pars consilii sanioris secundum Deum et Beati Benedicti Regulam duxerint eligendum. A nobis quoque prædictis fratribus dignoscitur esse concessum ut licitum sit eisdem, cum Ecclesiam suam abbate vacare contigerit, personam idoneam de gremio ejusdem Ecclesiæ vel aliunde per regularem electionem sibi præficere in pastorem Karroffensi monasterio præsentandam, ut ab ipso confirmationem accipiat, et reverentiam ei quam debet impendat. Dictus vero Gaufridus procurator proposuit ex adverso quod, cum olim ad petitionem comitis Balduini, uxoris et filiorum ejus, Andrensis

A Ecclesiæ patronorum a bonæ memoriæ (124) Gerardo Morinensi episcopo fuerit constitutum quod si præfatus locus divino munere adeo pullularet ut prior aut abbas constitueretur ibidem, lectio ejus penes fratres ejusdem loci et capitulum Karroffense penderet, et hujusmodi obtentu statuti sic fuerit longe retroactis temporibus observatum ut, monasterio Andrensi vacante, Andrenses fratres in Karrofensi capitulo aliquem de gremio monasterii Karrofensis sibi elegerint in abbatem: electio prædicti Willelmi tam contra statuti tenorem quam etiam contra consuetudinem approbatam, quæ optima est legum interpres, minus canonice attentata, merito cassari debebat, et mandari fratribus antedictis ut juxta quod hactenus est obtentum procederent ad

B electionem abbatis, adjiciens quod, per privilegium supradicti prædecessoris nostri nec etiam confirmationem nostram, præjudicari poterat monasterio Karroffensi cum nulla penitus de prædicto statuto et approbata consuetudine habita mentione fuerint per subreptionem obtenta. Proposuit insuper idem G. quod ex alia quoque causa dicta electio cassari debebat, quia videlicet ab interdictis et de interdicto fuerat celebrata. Cum enim bonæ memoriæ Lambertus Morinensis episcopus supradictis fatribus dederit in præceptis, prout in ejus patentibus (125) litteris perspeximus contineri, ut ad Karroffensem Ecclesiam, de cujus gremio eligere debebant abbatem, infra octo dierum spatium accedentes, ibidem eligerent, ut debebant, quod si non facerent, scirent

C se ab omni officio et beneficio et ecclesiarum ingressu fore suspensos: ipsi mandato episcopi vilipenso, infra præfixum tempus, prout debebant, eligere contempserunt. Unde cum post elapsum terminum suspensionis sententia cœperint esse ligati, electio post hæc ab ipsis præsumpta debebat irrita judicari. Ad hoc autem fuit ex adverso responsum quod cum prædicto modo eligere Andrenses monachi minime tenerentur, episcopo sine causæ cognitione hoc præcise mandanti non tenebantur obedire; ac ideo prædicta sententia interdicti eos ligare non potuit, utpote minus rationabiliter promulgata; maxime cum infra terminum ab episcopo constitutum ad Karroffense monasterium accedentes, licentiam petierint de suo monasterio eligendi, licet eam ne-

D quiverint obtinere. Contra quod pars altera replicavit quod etsi fuisset forsitan dicta sententia minus justa, humiliter tamen parere tenebantur eidem, cum fuisset a diœcesano episcopo promulgata. His igitur et aliis quæ coram nobis ntrinque fuere proposita perspicaciter intellectis, quia nobis constitit electionem ipsam a suspensis et de suspenso etiam celebratam, ipsam de consilio fratrum nostrorum justitia cassavimus exigente. Excommunicationis autem et suspensionis in ipsum Willelmum et alios mona-

(121) Cap. *Cum dilectus*, De consuetud. Vide t. IX Spicileg. Dacheriani, pag. 578.
(122) Supra lib. x. epist. 97.

(123) T. IX. Spicil, pag. 461.
(124) Ibid., p. 344.
(125) Ibid., pag. 559.

chos Andrenses et interdicti sententias in eorum Ecclesias a venerabili fratre nostro (126) Silvanectensi episcopo et conjudicibus ejus post appellationem ad nos interpositam promulgatas ad cautelam duximus relaxandas. Cæterum cum supradictum statutum, videlicet quod penes fratres ejusdem loci et capitulum Karroffense pendeat abbatis electio, ita sane possit intelligi quod per illud nec juri communi nec apostolico privilegio derogetur, ut videlicet ad sæpedictos fratres electio spectet abbatis, et ad Karroffense capitulum confirmatio, devotioni vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus auditis hinc inde propositis, si ex parte Karroffensis cœnobii talis fuerit consuetudo probata quæ juri communi præjudicet in hac parte (127), vos secundum illam consuetudinem decernatis electionem Andrensis abbatis de cætero faciendam. Quod si talis consuetudo probata non fuerit, per quam in hoc casu præjudicetur juri communi, vos Andrensibus monachis jus eligendi abbatem sublato appellationis obstaculo adjudicare curetis, ut sic de cætero liberam habeant facultatem vel de gremio Ecclesiæ suæ vel etiam aliunde per electionem canonicam eligendi personam idoneam in abbatem præsentendam Karroffensi capitulo, ut ab eo, si canonica fuerit electio, confirmetur. Porro si partes maluerint ut nobis sententia reservetur, vos causam instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem quo nostro se conspectui repræsentent recepturæ Deo dante judicium æquitatis. Testes autem qui fuerint nominati, etc., *usque* perhibere. Nullis litteris obstantibus si quæ apparuerint a sede apostolica præter assensum partium impetratæ. Quod si non omnes, etc., duo vestrum.

Datum Laterani, III Nonas Januarii anno undecimo.

## CCVI.

WLTERRANO EPISCOPO.

*Committitur ei quædam causa matrimonialis.*

(Laterani, III Id. Januarii.)

(128) Ex parte M. mulieris fuit propositum coram nobis quod cum eam adhuc infra pubertatis tempora constitutam quidam patruus suus... filio... Senensis civis nondum septem annorum voluerit in matrimonio copulare, ac eadem traducta fuerit in domum civis ejusdem, ipsa ex quo ad nubiles annos pervenit, ratum nolens habere quod a dicto patruo suo circa hoc fuerat procuratum, a venerabili fratre nostro Senensi episcopo nubendi alii licentiam postulavit. Cumque partes idem episcopus citavisset, et præfata M. per procuratorem idoneum in judicio compareret quærens possessiones et res alias sibi restitui dotis nomine pro se data, et pars altera restitutionem peteret mulieris ejusdem, asserens eam non posse per alium causam agere, sed debere ipsius tractatui personaliter A teresse, præfatus episcopus dubitans quid super iis statuere posset de jure, prout nobis suis litteris intimavit, processu negotii supersedit. Quia igitur non credimus ambigendum quin ipsa mulier, quamvis minor esse dicatur, et causam possit matrimonii per procuratorem tractare, ac pars alia restitui nequaquam debeat, quæ nullo juris seu possessionis est commodo destituta cum per solam traductionem prædictam, quam non præcesserunt sponsalia vel consensus legitimus nec fuerunt etiam subsecuta, nullum inter eos obligatorium vinculum sit contractum, ut finis litibus imponatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, si est ita, nonobstantibus exceptionibus supradictis, partibus convocatis, au- B dias quæ hinc inde duxerint proponenda, et quod canonicum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a sede apostolica impetratis.

Datum Laterani, III Idus Januarii pontificatus nostri anno undecimo.

## CCVII.

LITTERÆ HENRICI CONSTANTINOPOLITANI IMPERATORIS AD DOMINUM PAPAM.

*De debellatione Voullæ apud Philippopolim.*

(In expeditione Pamphil. Septembris.)

Sanctissimo Patri ac domino INNOCENTIO Dei gratia summo et universali pontifici, HENRICUS C eadem gratia fidelissimus in Christo imperator, a Deo coronatus, Romaniæ moderator, et semper Augustus, salutem et tam promptam quam debitam in omnibus obedientiam.

Non hominum sed Dei omnipotentis potissimum fuit, et præcipue meritis et intercessionibus beatissimi Petri et Ecclesiæ Romanæ non nostris meritis hoc evenit, ut imperium Romaniæ nostro potentatui subjaceret. Cum enim miraculose factum fuerit ut ad honorem beati Petri Constantinopolis caperetur, miraculosius his diebus, beatissimo Petro dimicante pro nobis, Christus operatus est in nobis, cujus auxilio, vigilia ipsius Petri festi quod vocatur ad Vincula, iniquissimum persecutorem Ecclesiæ Dei Voullam D apud Philippopolim debellavimus, eumque, infinita strage facta suorum, de campo fugavimus; et ut gaudeatis nobiscum in Domino, quindecim dietas terræ imperio nostro de suo acquisitas habemus. Status noster melioratus est, et de die in diem suscipit incrementum; nec nobis ascribimus, sed potius Deo et vobis, et fidei quæ in Ecclesia Romana subsistit. Noverit sanctitas vestra quod sani sumus et incolumes, quod libentissime audiremus de vobis, et quod pro fide Ecclesiæ beatissimi apostolorum Principis, cujus

(126) T. IX Spicil., pag. 564, 567.
(127) Vide infra, lib. XIV, epist. 19.

(128) Cap. *Ex parte* De restitut. spoliator.

vicem geritis, subire martyrium non timemus; cui quidquid facimus, quidquid acquirimus, pro nomine ipsius et in ipso est et erit. Grates infinitas vobis referimus de honore a vobis exhibito G. famulo nostro, et de negotiis nostris a vobis obtentis. Litteras vestras gratanter suscepimus et devote. Rogamus omnimodis Deum ut vos, quem ad honorem suum et Ecclesiæ ipsius erexit pastorem, in sua constituat sede sanos et incolumes diutius permanere, et conservet nobis vos, famulum suum; vosque, cujus preces efficacissimæ sunt apud Deum, rogate pro nobis ut ipse nobis pro ipso dimicantibus opem conferat salutarem et vitam diutinam et victoriam nobis donet. Volumus ut Ecclesia Romana nos habeat mandatorum exsecutores suorum; quia nos non sumus ejus domini, sed ministri. Pater sancte, valeat sanctitas vestra, subveniendo nobis in nostris petitionibus, quæ pro nobis et pro terra nostra mittentur ad vos. Hucusque pia mansuetudo vestra nostras preces et petitiones benigne recepit, et quod bono inchoata est principio, placido consequatur effectu; quia nisi patrocinio vestro terra et imperium nostrum totius Romaniæ regatur, non est dubium quin succumbat; sed si vestrum auxilium habuerimus, cedet nobis adversitas præliorum. Nihil enim possumus sine vobis. Videte ergo ut quod bene cœpistis in Domino, opere compleatis.

Datum in expeditione nostra Pamphil., mense Septembri, indictione XII, imperii nostri anno tertio.

## CCVIII.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO FREDERICO ILLUSTRI REGI SICILIÆ.

*Suadetur ne jurisdictionem spiritualem sibi vindicet.*

(Laterani, v Id. Januarii.)

Ex tenore litterarum tuarum nostris est auribus intimatum quod Panormitana Ecclesia viduata pastore, capitulum ejusdem Ecclesiæ tibi multoties supplicarunt ut eis præberes licentiam pontificem eligendi, quibus cum tandem benignum præbuisses assensum, mandans eisdem ut invocata Spiritus sancti gratia in personam idoneam convenirent, cantor, succentor, et quidam alius a reliquis recedentes tuis jussionibus restiterunt, ejus concanonicis inhibentes ne ad nominationem procederent, ad sedem apostolicam appellando. Super quo tu vehementer commotus, disposuisti acriter in personas eorum injuriam hujusmodi vindicare, sed pro reverentia nostra et ordinis clericalis motu animi temperato, solum eis exsilium indixisti, ut de cætero in regno tuo malignandi materiam non haberent, quod ob hoc nobis significare curasti, ne persuaderi nobis posset aliud ab eisdem. Nos igitur iis auditis mirati fuimus non modicum et commoti A graviter contra eos qui hæc tibi persuadere, fili charissime, præsumpserant, cognoscentes profecto quod prava sint latera tua, quæ tibi hujusmodi persuadent. Unde nimirum timemus ne persuasionibus eorumdem inductus, imo seductus potius, imitari velis vestigia crudelium tyrannorum, qui de terra viventium, suis iniquitatibus exigentibus, sunt abscissi et nunc forte acrius cruciantur, cum non tua sorte contentus, nostram præsumpseris usurpare, jurisdictionem in clericos exercendo. Temporalibus enim debueras esse contentus, quæ tamen habes a nobis, et non ad spiritualia, quæ ad nos pertinent, extendere manus tuas. Nescis quod cum Oza arcam fœderis temere tetigisset, a Domino correptus interiit, et Ozias rex, dum adolere vellet incensum, B lepræ macula est respersus? Considerare quippe debueras et timere ne forte propter delicta prædecessorum tuorum, qui quædam spiritualia sibi præsumpserant usurpare, hæc supervenerit tribulatio qua oppressum est hactenus et adhuc premitur et quatitur regnum tuum, et humiliari nihilominus in conspectu Altissimi, ut placatus converteret procellam in auram, et cessaret quassatio comprimens et conturbans. Certe si melius notavisses hæc et ea quæ regnis cæteris evenerunt in quibus iis similia fuerant attentata, timuisses utique manum in clericos extendere ultionis, pro eo quod ad sedem apostolicam appellarant, nec a regno proscripsisses eosdem, cum et si te gravissime offendissent, nobis vindicta fuisset potius reservanda; quia secundum Apostolum servus suo domino stat aut cadit, nec ad C te judicare servum pertinet alienum. Verum fortassis ex eo te putas offensum quod in quodam (129) privilegio prædecessoribus tuis concesso, imo ab initio magis extorto, de appellationibus continetur, quasi appellando præfati clerici venerint contra illud. Sed si diligentius attendisses quid actum fuerit super iis tempore claræ memoriæ imperatricis Constantiæ, tunc reginæ Siciliæ, nostris tuæ, nequaquam id ad animum revocasses. Cum enim eadem venerabilem fratrem nostrum Neapolitanum archiepiscopum et dilectos filios Ham. archidiaconum Cataniæ, magistrum Thomam de Gaieta justitiarum, et Nicolaum judicem Vigiliensem pro innovando prædicto privilegio et concedendo ac confirmando ei ac tibi regno ad nostram præsen- D tiam destinasset, et illi pro iis multipliciter institissent, non potuerunt a nobis aliquatenus obtinere ut illud vellemus privilegium innovare, propter quatuor capitula quæ continebantur in eo (130), videlicet de conciliis, legationibus, appellationibus et electionibus prælatorum. Tandem vero duo illorum ad prædictæ matris tuæ præsentiam redeuntes, reliquis apud sedem apostolicam remanentibus, exposuerunt eidem super iis nostræ beneplacitum voluntatis; cui cum eadem, sicut religiosa persona, acquiescere studuisset, iidem ad sedem aposto-

(129) Vide Baron. ad an. 1097.

(130) Vide epistolam Willelmi regis ad Adrianum IV, apud Rocchum Pirrum.

licam iterum accesserunt, et obtinuerunt a nobis illud privilegium innovari et confirmari ei et tibi regnum, tribus capitulis de appellationibus, legationibus et conciliis a privilegio prorsus amotis, et quarto, de electionibus scilicet, moderato (131). Quid autem super electionibus inter nos ac præfatam matrem tuam fuerit ordinatum, cedula quam tibi præsentibus mittimus interclusam te poterit plenius edocere. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur attentius quatenus divinæ considerationis intuitu de cætero non attentes tibi jurisdictionem in spiritualibus vindicare, ne contra te ac regnum tuum divinam propter hoc provoces majestatem; sed in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ firmiter perseverans, eidem reverentiam debitas exhibeas et honorem, quæ, sicut pia mater, in iis et aliis necessitati ac utilitati tuæ diligenti sollicitudine providebit, et præfatos clericos revoces et permittas in terra tua pacifice commorari et sua beneficia libere possidere, dimittens omnino rancorem quem contra eos propter appellationem ab ipsis ad nos interpositam concepisti; sciturus pro certo quod nos constitutum de electionibus inter nos et sæpedictam imperatricem matrem tuam habitum per totum regnum faciemus solemniter publicari, ut secundum illud electiones de cætero celeberentur. Caveant autem illi qui te perversis consiliis non metuunt fascinare ne super hoc de cætero malignentur, quia divinam et nostram non effugient ultionem; cum tolerabilius sit ut humana vindicta percutiat perversores quam ira divina in te ac regnum tuum, propter eorum iniquitates, desæviat, si remanserint incorrectæ.

Datum Laterani, v Idus Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCIX.

PRIORI SANCTI THOMÆ MARTYRIS ACONENSIS ET SANCTI GEORGII DE SISTO EJUSQUE FRATRIBUS.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, IV Id. Januarii.)

Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, loca ipsa in quibus divino estis obsequio mancipati et personas vestras cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Sanctæ Mariæ, Sancti Petri et Sancti Nicolai de Campo Anglorum ecclesias, et hospitale Sancti Thomæ, ac possessiones alias, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ipsis ecclesiis vestris auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Quod autem prædecessori tuo, fili prior, et successoribus suis felicis recordationis Alexander papa prodecessor noster quotidianum usum annuli, virgæ pastoralis, et mitræ in præcipuis festivitatibus de sedis apostolicæ benignitate concessit, nos ratum habemus, ejus vestigiis inhærentes. Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ protectionis ac liberalitatis duos sarracenatos nobis nostrisque successoribus annuis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc., *usque* incursurum.

Datum Laterani, IV Idus Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCX.

PRIORI ET FRATRIBUS DE TINEMVAHE

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, III Non. Januarii.)

Justis petentium desideriis dignum est facilem nos præbere assensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, possessiones vobis pia fidelium liberalitate collatas, libertates etiam et alia bona a claræ memoriæ rege Ricardo et charissimo in Christo filio nostro (132) Joanne rege Anglorum illustri Ecclesiæ vestræ concessa, sicut ea juste ac pacifice possidetis, et in eorumdem authenticis plenius continetur, necnon ecclesias et pensiones earum eidem Ecclesiæ per metropolitani et diœcesani episcopi litteras confirmatas, libertates quoque ac immunitates monasterio Sancti Albani pro suis cellis concessas, vobis et per vos Ecclesiæ vestræ, cum sit cella monasterii memorati, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Num ergo... hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc., *usque* incursurum.

Datum Laterani, III Nonas Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCXI

LONDONIENSI, ELIENSI ET WIGORNIENSI EPISCOPIS.

*De negotio Cantuariensi.*

(Laterani, II Id. Januarii.)

(133) Super negotio Cantuariensis Ecclesiæ charissimo in Christo filio nostro illustri regi Anglorum scribimus in hunc modum. « Tacti sumus dolore cordis intrinsecus et vehementi mœrore turbati quod cum ex illa specialis dilectionis prærogativa qua te sedes apostolica diligebat inter cæteros principes speravimus ut versa vice rependeres ei reverentiam et honorem, odium ei pro dilectione retribuis, et quasi conjuraveris in te ipsum, tuo

(131) Vide lib. I, epist. 410, 411, 412.
(132) Vide Monasticon Anglic. t. I, pag. 335.

(133) Vide gesta Innoc. III, cap. 131.

non parcis honori, ut nostro valeas derogare, quinimo, tuam et famam negligens et salutem, in præjudicium utriusque temere contra nostram et Ecclesiæ, imo Dei dispositionem erigeris, non attendens quod in vacuum eam evacuare moliris, cum extentam manum Altissimi nemo possit avertere quodque fuerit ab ipso decretum nullus valeat immutare. Sane quantum et qualiter super negotio Cantuariensi Ecclesiæ tuæ regali celsitudini detulerimus, etsi tu forsan hoc non recolas ut ingratus, de memoria tamen universalis Ecclesiæ facile non poterit aboleri, quæ bonitate malitiam non vincente, nostram circa te nimiam patientiam admiratur. Heu! quæ, charissime filii, duritia tuum obturavit auditum, ut salutaria monita tibi a nobis toties inculcata non caperes? Quæ duritia tuum absorbuit intellectum, ut discreta consilia tibi a nobis suggesta sæpius non servares? Jam sic induratus esse conspiceris quod in immensum crescentem vulneris tui plagam non sentias. Ita fascinatus esse videris quod nec medicaminis opem nec operam medicantis admittas, ut quasi de te possimus conqueri cum Propheta dicendo: *Cui loquemur, et quem contestabimur amplius? Incircumcisæ sunt aures ejus et audire non possunt* (*Jer.* VI). Piget te verbi quod pro tua tibi salute suggeritur, tædet te boni quod pro tua tibi honorificentia suadetur, dum nec animæ tuæ detrimenti te miseret, nec famæ quoque, ne infamiæ dixerimus, mundatæ [*f.* mandare] te pudet. Unde tanto magis te super tanta duritia miseramur quanto in crudelem ipse tibi mutatus, misereri tui hactenus miserabilius refugisti. Licet autem paterna charitas, ex qua ista tibi suggerimus, tibi sit forsitan odiosa, circa te tamen prudentis et amantis medici vices agimus, qui quandoque infirmum invitum et improvide reluctantem salubriter secat et urit. Ideoque si morbum tuum, quod absit! invenerimus induratum, violentiori nos coges insistere medicinæ, juxta quod necessaria cura deposcet; cujus asperitatem etsi forsan in præsenti refugias, sanitate tamen recepta, ipsius collaudabis effectum, ac peritum quoque medicum benedices. Ut autem adhuc lenitatis apponamus unguentum, si forsan ipso mollitus asperiora molimina non exspectes, serenitatem regiam rogamus attentius et monemus, per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos obtestantes quatenus, usus consilio saniori, a tanto revoceris errore, saltem in ipso negotio procedendo juxta continentiam litterarum quas dilectus filius abbas Belliloci a nobis tuo dudum nomine impetravit; quia procul dubio, præter culpam priorem, hoc ad culpam alteram tibi poterit imputari, si ab eo recedere videaris quod sub tuarum litterarum testimonio tam expresso cum tanta fuerit instantia postulatum, per quas videlicet litteras nobis humiliter supplicabas ut quidquid idem abbas de negotio ipso tuo nomine nobis diceret firmiter crederemus. Pro-

A pter quod debueras sine difficultate qualibet adimplere quod per suam fuit sollicitudinem impetratum; præsertim cum hoc demum visus fueris acceptare, quandoquidem propter illud a te prius diligenter auditum et examinatum prudenter, delegatos nostros ad præsertiam tuam postea quasi pro complemento negotii venire fecisti. Quapropter, fili charissime, ne sis durus, et negotio ipsi difficultatem de cætero nullam ingeras; ne te, quod absit! in illam difficultatem inducas de qua facile non valeas expediri. Alloquin, quantumcunque personam tuam sincere in Domino diligamus, et canonicam disciplinam indignanter sis forsitan recepturus, quia tamen cum is qui diligiter castigatur, tunc circa cum pietas exercetur, eo quod amor habeat B plagas suas, quæ dulciores sunt cum amarius inferuntur, nisi usque ad tres menses post susceptionem aut recusationem præsentium quæ præmisimus adimpleveris, extunc ex parte Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, quorum, licet indigni, auctoritatem habemus, te anathematizatum decernimus et a fidelium communione præcisum, venerabilibus fratribus nostris Londoniensi (134), Eliensi, et Wigorniensi episcopi dantes firmiter in præceptis ut sententiam ipsam, appellatione remota, non differant publicare, facientes eamdem singulis Dominicis et festivis diebus, pulsatis campanis et candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam solemniter innovari; quam etiam et non ipsi solemniter ore proprio publicabimus, ut sic certius et validius pœna C ejus in omnem Ecclesiam innotescat, cujus culpa generalem noscitur Ecclesiam offendisse: adhuc cum Altissimi adjutorio contra te multipliciter processuri, si nec sic tuum corrigere festinaris errorem. Ecce tensus est arcus. Fuge ergo, fili charissime, a sagitta quæ non consuevit abire retrorsum, ne sauciatus ab illa ita graviter infirmeris ut non solum non possis ad meliora proficere, verum etiam vix valeas ad priora redire, cujus utique plaga sine deformi non poterit cicatrice sanari. »

Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus firmiterque præcipimus quatenus si dictus rex ea quæ præmissa sunt infra tempus non impleverit prænotatum, vox extunc in ipso negotio juxta præscriptam formam, sublato cujuslibet contradictio- D nis et appellationis obstaculo, procedere non tardetis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, II Idus Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

### CCXII.

PRIORI ET COVENTRENSI.

*De electione episcopi Coventrensis.*

(Laterani, Id. Januarii.)

Cum certa sint tempora constituta ultra quæ non debent Ecclesiæ pastoribus destitutæ vacare, cha-

(134) Vide Matth. Paris, ad an. 1208.

rissimus in Christo filius noster illustris rex Angliæ, quod dolentes dicimus, prævaricationi prævaricationem addendo, facit, prout dicitur, ordinationem earum in regno suo vacantium ultra quam liceat prorogari, ut sic forsan earumdem proventus sibi possit, occasionaliter vindicare quoadusque de personis quæ sibi placeant ordinentur, sperans majorem a nobis gratiam, ut videtur, multiplicatis excessibus extorquere: cum potius contra quemlibet, quantumcunque nobis sit charus, injurias Ecclesiæ Dei tam perseveranter prosequi disponamus, ut nulla supplicatione seu rebellione, donec ipse a persecutione desistat vel in ea defecerit, convertamur. Unde nos eumdem regem nostris litteris monemus attentius et hortamur ut non impediat nec per suos impediri permittat quominus tam cathedrales quam regulares Ecclesiæ sic vacantes personas idoneas per electionem liberam et canonicam sibi præficiant in pastores. Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus convenientes in unum, invocata gratia sancti Spiritus, personam idoneam quæ tanto congruat oneri et honori, per electionem canonicam in pastorem vobis præficere studeatis. Alioquin, nos vobis cum divino consilio et auxilio, secundum officii nostri debitum, talem curabimus in pastorem præficere, qui vobis præesse valeat et prodesse, pro nulla injustitiæ violentia prosecutioni justitiæ defuturi, et inobedientiam vestram digna pœna curabimus auctore Domino castigare.

Datum Laterani, Idibus Januarii, etc., *ut in alia.*

*In eumdem modum scriptum est priori et conventui Dunelmensi.*

*In eumdem modum decano et capitulo Cicestrensi.*

## CCXII.

*De eodem argumento.*

*In eumdem modum capitulo Exoniensi.* Cum certa sint tempora constituta, etc., *usque* convertamur. Quia igitur quantumcunque regem ipsum in Domino diligamus et suo velimus honori deferre, pro rege terreno cœlestem regem offendere non debemus, eumdem nostris litteris monemus attentius et hortamur, etc., *ut in alia usque in finem.*

*In eumdem modum decano et capitulo Lincolinensi, ut in præcedenti usque in finem.*

Datum, *ut in alia.*

## CCXIV.

LONDONIENSI, ELIENSI, ET WIGORNIENSI EPISCOPIS.

*De licentia celebrandi tempore interdicti.*

(Laterani.)

(135) Ad petitionem venerabilis fratris nostri Stephani Cantuariensis archiepiscopi S. R. E. cardinalis discretioni vestræ committimus quatenus non obstante interdicti sententia quam tulistis, conventualibus ecclesiis quæ ipsum patienter ac humiliter et continue ab initio servaverunt licentiam concedatis pro conficienda eucharistia semel ac secreto in hebdomada celebrandi divina, ut virtus divinissimi sacramenti finem impetret huic negotio salutarem. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum, Laterani, etc., *ut supra in alia.*

## CCXV.

EISDEM.

*Non esse communicandum cum excommunicatis.*

(Laterani, II Id. Januarii.)

Grave gerimus et indignum quod cum F. de Cantolu et R. de Cormeill. pro negotio Cantuariensis Ecclesiæ justitia exigente sint vinculo excommunicationis astricti, quidam tam clerici quam laici majores pariter et minores passim et scienter eis communicare præsumunt. Nolentes igitur ut per hujusmodi præsumptores dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus inquiratis super hoc, appellatione remota, sollicite veritatem, et eam nobis fideliter rescribatis; ut per vestram relationem certiores effecti, contra tantam insolentiam auctore Domino procedamus sicut fuerit procedendum. Testes autem qui fuerint nominati, etc., *usque* perhibere. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, II Idus Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCXVI.

STEPHANO CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO S. R. E. CARDINALI.

*De eadem re.*

(Datum, *ut supra in alia.*)

Ex paternæ benignitatis affectu quem erga salutem gerimus singulorum occasionem indurandi nulli volentes, sed causam potius pœnitendi præstare, fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatenus F. de Cantalu et R. de Cormeill. qui nominatim excommunicati fuerunt eo quod ad Ecclesiam tuam manus sacrilegas extendere, beneficium absolutis impendas cum illud duxerint humiliter implorandum, dispensando cum ipsis, si expedire cognoceris, de labore quem essent veniendo pro absolutione petenda ad sedem apostolicam subituri, maxime si spes fuerit quod per absolutionem eorum pax debeat efficacius provenire.

Datum, *ut supra in alia.*

—

(135) Vide Matth. Paris., ad ann. 1209. Vide infra epist. 258 259.

CCXVII.

EIDEM.

*De licentia celebrandi tempore interdicti.*

(Datum, *ut supra.*)

Fraternitati tuæ præsentium auctoritate concedimus quatenus, non obstante interdicto pro Ecclesia tua lato, si pro Ecclesiæ tuæ pace ad præsentiam charissimi in Christo filii nostri illustris regis Angliæ te contigerit utiliter accersiri, permittere tibi liceat ut in locis ad quæ in tuo transitu declinaveris celebrentur tibi ac venerabilibus fratribus nostris Londoniensi, Eliensi et Wigornensi coepiscopis tuis et familiæ tuæ suppressa voce divina.

Datum, *ut supra.*

CCXVIII.

WINTONIENSI EPISCOPO.

*Ut ea impleat quæ supra nominati episcopi ei injunxerint.*

(Laterani, Id. Januarii.)

Fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus et in virtute obedientiæ sub obtentu gratiæ nostræ districte præcipimus quatenus ea quæ venerabiles fratres nostri Londoniensis, Eliensis, et Wigorniensis episcopi vel eorum duo super Ecclesiæ Cantuariensis negotio tibi duxerint injungenda, omni occasione, difficultate, seu dilatione postposita implere procures. Alioquin illud in caput tuum gravissime redundaret.

Datum Laterani, Idibus Januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCXIX.

HERVEO EPISCOPO TRECENSI EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, xv Kal. Februarii.)

Cum honestas tua, frater episcope, ac devotio mereantur ut apud nos in tuis debeas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentius in iis quæ secundum Deum duxeris requirenda deferimus quanto gratiam apostolicæ sedis comparasse tibi nosceris pleniorem. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri Trecensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam de Sancto Leone et ipsam villam cum appendiciis et pertinentiis earum, ecclesiam de Aquis et villam cum appendiciis et pertinentiis suis, decimam de Barbereio, decimam capellæ Sancti Lucæ tam in annona quam in vino, ecclesiam de Calixto,
A ecclesiam de Villagruis, ecclesiam de Nigella, ecclesiam de Monte Poterii, ecclesiam de Monte Gevoldi, ecclesiam de Larbusia, ecclesiam de Pontibus, ecclesiam de Nogento, ecclesiam Sancti Petri et Sancti Martini de Bocenaio, ecclesiam de Avenz, ecclesiam de Mariniaco, ecclesiam de Castris, ecclesiam Sancti Saviniani, ecclesiam de Saveriis, ecclesiam Sanctæ Mauræ, ecclesiam de Corlavelleio, ecclesiam de Verreriis, ecclesiam de Lusineio, ecclesiam de Bulliaco, ecclesiam de Villamauri, ecclesiam Sancti Medardi, ecclesiam de Bretteniaco, ecclesiam de Fols, ecclesiam de Barbona, ecclesiam de Esterniaco, ecclesiam de Campo Guidonis, ecclesiam de Busseiaco, ecclesiam de Curia Givoldi, ecclesiam de Tombis, ecclesiam de Sancto Justo,
B ecclesiam de Sancto Ferreolo, ecclesiam de Arceiis, ecclesiam Troci de Sancto Basolo, ecclesiam Sancti Ulfi, ecclesiam de Salona, ecclesiam de Calderiaco, ecclesiam de Allebauderiis, ecclesiam de Viaspero cum capella Bonævicinæ, ecclesiam de Grandivilla, ecclesiam de Herbita ecclesiam de Villeriis, ecclesiam de Semonia cum capella Campi Grillonis, ecclesiam de Ulmis, ecclesiam de Estraellis, ecclesiam de Bolegiis, ecclesiam de Summovere, ecclesiam de Septem fontibus, ecclesiam de Puellari monasterio, ecclesiam de Poenz, ecclesiam de Nucerio ecclesiam de Dienvilla ecclesiam de Crespeio, ecclesiam de Sublenis, ecclesiam de Pigneio, ecclesiam de Hispania, ecclesiam de Loves, ecclesiam de Sumpsefio, ecclesiam de Sancta Susanna, ecclesiam de Pipere, ecclesiam
C de Guasconia, ecclesiam de Marcilliaco, ecclesiam de Summofonte. Præterea canonicales ecclesias ad jus Trecensis Ecclesiæ pertinentes, scilicet ecclesiam sancti Nicolai de Sezanna, ecclesiam Sancti Remigii de Pleiotro, ecclesiam Sancti Blicherii de Breccis, ecclesiam Sancti Flaviti de Villamauri, ecclesiam Sancti Nicolai de Pugeio, ecclesiam Sancti Laurentii de Planceio, ecclesiam quoque Sancti Stephani prope civitatem Trecensem, cujus curam decani ejusdem loci de manibus tuis debent suscipere, cum omni obedentia et subjectione quam tibi tuisque successoribus iidem decani cum hominii tenentur exhibitione persolvere, auctoritate apostolica confirmamus. Ad instar præterea bonæ memoriæ Eugenii papæ prædecessoris nostri abbatiam Sancti Lupi, abbatiam Sancti Petri de Cella,
D abbatiam Sancti Martini, abbatiam Sancti Petri Aremarensis, abbatiam Sancti Petri de Nigella, abbatiam quæ vulgo dicitur Oia, abbatiam Sancti Sereni de Cantnmerula, abbatiam Sanctæ Mariæ de Arripatorio, abbatiam Sanctæ Mariæ de Bullencurt, abbatiam Sanctæ Mariæ de Recluso, abbatiam de Belloloco, abbatiam de Capella, abbatiam de Bassofonte, abbatiam Sanctæ Mariæ quæ sita est in suburbio Trecassino, abbatiam quæ vocatur Paracletus, decimam de Molceio, decimam de Marineio, decimam de Jardourio, decimam de Summofonte, decimam de Avantz, decimam de Villa Arduini, decimam de Sancto Leone, decimam de Martileio,

decimam de Bretenais decimam de Sancto Victore, decimam de Claellis, decimam de Novico, decimam de Fontebetun, et decimam de Busseriis, tibi et eccesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, cum de prudentum et relgiosorum virorum consilio bonæ memoriæ Matthæus prædecessor tuus statuisse dicatur ut in Trecensi Ecclesia septem canocorum ad minus præsbyteri et septem diacones, præter archidiaconos, sint assidui, quibus decedentibus nulli debeant subrogari nisi presbyteri vel diaconi aut etiam alii in talibus ordinibus constitui quod propinquioribus Quatuor Temporibus quæ occurunt ad illos ordines assumantur, promissione ac professione nihilominus præstita de assiduitate in prædicta Ecclesia facienda, idem Alexander prædecessor noster ejusdem episcopi petitionibus benigne, prout decuit, annuendo, constitutionem ipsam ratam habens et firmam, eamdem perpetuis temporibus illibatam manere decrevit, adjiciens quod si eis inferiorum ordinum clerici fuerint substitui, et commoniti primis Quatuor Temporibus illos ordines non reciperent, liceret dicto episcopo et successoribus suis illis loca sua et fructus interdicere præbendarum, et si nec sic in subsequentibus Quatuor Temporibus ordines illos recipere procurarent, eis prorsus amotis alios subrogandi liberam haberet auctoritate apostolica facultatem. Præterea de ipsius episcopi conscientia et voluntate idem prædecessor noster instituit ut si qui canonici Trecensis Ecclesiæ ejusdem episcopi vel successorum suorum aut etiam in ejusdem Ecclesiæ servitio forsan existerent, vel cum licentia jam dicti episcopi et capituli vacarent scholasticis disciplinis, aut essent infirmitate detenti, suarum nihilominus integros fructus perciperent præbendarum alii vero canonici, qui Ecclesiæ assidue non servirent, viginti tantummodo solidos perciperent annuatim. Insuper idem Alexander prædecessor noster adjecit ut tam a præfato episcopo quam a successoribus suis in prædicta Ecclesia, cum decans careret, in decanum presbyter canonicus statuatur, aut etiam diaconus, qui primis Quatuor Temporibus quæ occurerint in presbyterum ordinetur, et si commonitus in eisdem Quatuor Temporibus ordinem presbyterii suscipere forte neglexerit, fas præfato episcopo et suis successoribus esset illi auctoritatem et potestatem ipsius officii et sedem in choro et capitulo interdicere, ac si nec sic in subsequentibus Quatuor Temporibus ordinem presbyteratus susciperet, eo amoto libere alium subrogaret. Nos igitur ejusdem prædecessoris nostri vestigis inhærentes, quæ ab ipso super præmissis articulis approbata vel saluta sunt approbando, eadem auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, ad instar ejusdem Alexandri prædecessoris nostri sancimus ut nec tibi neque tuis successoribus liceat præscriptas parochiales ecclesias de mensam epi-

A scopi specialiter rertinentes a mensa vestra sine auctoritate Romani pontificis aliquatenus alienare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel abbatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, conta eam temere venire tentaverit, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate

B cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmium æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani, per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, xv Kal. Februarii, indictione xii, Incarnationis Dominicæ anno 1209 pontificatus vero domni Innocentii papæ III, anno undecimo.

### CCXX.

ILLUSTRI REGI HUNGARIÆ.

C *De negotio episcopi Bamberg. et archiepiscopi Colocensis.*

(Laterani, xii Kal. Februarii.)

(136) Licet Babembergensis episcopus se nobis multipliciter exhibuerit in devotum, ad regium tamen honorem et ecclesiasticam honestatem congruum respectum habentes, negotium suum sub hac forma legatis nostris duximus committendum ut si super nece claræ memoriæ Phillippi ducis Sueviæ, accusatore contra eum legitimo comparente, culpabilis coram eis fuerit comprobatus, eum ab omni officio et beneficio ecclesiastico, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis impedimento deponant, alioquin indicant ei purgationem canonicam; in qua si forte defecerit, eadem ipsum censura condemnent; quod si legitime se purgaverit, denuntient

D eum super objecto crimine penitus innocentem; ante omnia providentes, ut si quid contra eum vel ejus Ecclesiam est perperam attentatum, in statum debitum revocetur. Concedimus autem ut si maluerit coram nobis prosequi causam suam, ad apostolicam sedem accedat, et ibi eam illo quo decet ordine prosequatur. Utrumlibet autem tam nobis quam ipsis legatis non differat intimare, ut sine dubitatione sciatur ubi sit judicium actitandum. Præterea de tua regali prudentia valde conquerimur tibi ipsi, qui de Colocensi electo per instantiam ni-

(136) Vide Infra lib. xii, epist. 118 et seqq., et regestum de negotio imp. epist. 182.

miam nos graviter circumvenisse videris, detrahentibus nobis multis, sicut et habere videntur materiam detrahendi, quod illum præfecimus in magistrorum magistrum qui nondum discipulorum discipulus esse norat, cum eum in episcoporum episcopum concesserimus promovendum, qui scientia pontificali officio congruente asseritur ex majori parte carere, in tantum ut cura commissæ sibi Ecclesiæ derelicta, quæ quasi gravius vivo pastore videtur quam mortuo destituta, Vincentiam se transtulerit, ibique circa prima rudimenta versetur, non præcavens imperitiam suam, quam caute domi studo potuisset utcunque redimere, foris indecenter vagando turpiter publicare. Quapropter ei per nostras dedimus litteras in præceptis ut, omni dilatione postposita, continuo ad Colocensem Ecclesiam revertatur, et aliquos viros peritos familiariter secum habens, proficere in scientia sub ipsorum satagat disciplina, sollicite providendo ut litteraturæ defectum ita studeat prærogativa morum et conversationis honestæ redimere quod nos, uno per alterum compensato, possimus eum aliquatenus tolerare. Alioquin, ejus exemplo qui dicit: *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI), cogitare de ipso aliter oportebit; ut quod circumventi construximus, circumspecti demum favente Domino destruamus. Quodcirca serenitatem regiam monemus attentius et hortamur quatenus ipsum ad hoc ita diligenter inducas, ne, si secus egerit, quem allevare tantopere studuisti, dejecisse potius te contingat.

Datum Laterani, XII Kal. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

### CCXXI.

ILLUSTRI REGI ANGLIÆ.

*De negotio Cantuariensi.*

(Laterani, X Kal. Februarii.)

(137) More pii patris, qui filium offendentem offensus etiam odisse non potest, et quandoque de malo ejus gravius quam ipse turbatur, indurato tibi non possumus indurari; sed paterna pietate moliti, te tantopere in tua damna molitum omni ope vel opera qua valemus satagimus emollire, ut te a tuo damnabili et damnoso proposito revocemus, tristantes plurimum si quod veremur contingeret te incurrere, sed majoris causam tristitiæ reputantes quia noluisses illud, cum posses præmunitus toties et præmonitus, evitare. Fortuitum namque malum doloris habet qualecunque remedium. Quod autem spontaneus quis incurrit, durius post se ingerit dolendi tormentum. Tu vero, fili charissime præcave diligenter ne volens et sciens illi periculo te subjicias a quo te cupimus tanto studio præservare, quodque demum tanto tibi majorem incuteret pœnam quanto minus provide rejecisses ostensam tibi de illo vitando cautelam. Illud autem regalem prudentiam nolumus ignorare, quod multa nobis de præsentis negotii circumstantiis innotescunt quæ a A tua notitia per illorum versutias abcendentur qui tibi nolunt ostendere vulnus tuum, nescientes vinum increpationis infundere, scientes autem adulationis oleum illinere; utinamque callide non procurent ut semper in angustia perseveres, quatenus in angustia constitutus semper illos habeas chariores. Quapropter nos, qui et prudenter illud aspicimus et curare salubriter affectamus, consilia monitis monitaque consiliis inculcantes, blanditiis minas et minis blanditias interserimus, vice periti medici medicinalis artis auxilia variando, qui ferum adhibet ubi fomenta non prorsunt, et potione tepentis aquæ languores emendat qui medicinæ violentiam non senserunt; quoniam, etsi velut adamans duru esses deberet utique te artificii tanti sedulitas emollire, B cum ille tametsi cedere ferro nescias, hircini sanguinis infusione mollescat. Vide quoque ne cursum tuæ prosperitatis impedias, quia nobiscum pacem habere non posset quicunque vellet in hoc errore fovere. Jam igitur apud te quasi ultimis remediis insistentes, quæ ultra tibi adhibere possimus remedia non habemus, et inter repugnantes sibi sanare volentis et sanari nolentis affectus, donec spes hujusmodi curæ foret, mallemus levibus et suavibus quam duris et asperis te curare: cum illa nullam deserant post se saniem, ista vero deformen soleant relinquere cicatricem. Ne itaque nos et te in majorem necessitatem inducas, esse familiariter petimus, ecce dulciter admonemus, ecce paterne consulimus, ecce benigne rogamus, sub obtentu divini judicii in remissionem tibi peccaminum in- C jungentes quatenus super Ecclesiæ Cautuariensis negotio nobis et Ecclesiæ, imo Deo, sine ulteriori mora satisfacere non postponas, pro illa dilectione sincera qua te inter cæteros principes et dileximus et diligimus, hoc saltem nobis concedens in donum, qui spem utique habebamus, nec desperamus adhuc quod si petissemus majora, negare nullatenus debuisses (138); præsertim cum, sicut alia tibi vice curavimus intimare, licet supra jus tuo fueri juri delatum, ex iis autem quæ acta fuerant vel gerenda nullum tibi voluerimus aliquando præjudicium generari. Eligas ergo, filii charissime, tam dulcibus monitis et consiliis salutaribus acquiecere, non autem adulantium perversitatibus et perversorum adulationibus assentire; quoniam, ut utamur verbo D divino. *Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt* (*Isa.* III). Alioquin, cœlum et terram contra te in testimonium invocamus quod ex pertinacia tua non ex nostra severitate continget, si manum apostolicam in te pateris aggravari, quam hactenus vix potuimus, sed de cætero nunquam poterimus continere. Quære quæsumus, diligenter ab illis qui caput tuum oleo peccatoris impinguant ad quem finem valeas ex hac pugna venire. Non audebunt profecto aliud respondere nisi quod non poteris vincere nisi victus, sed gloriosior erit tibi victoria cum de victo fueris victor

(137) Vide supra epist. 210.

(138) Vide supra epist. 89, et lib. X, epist. 219.

effectus; quia tunc vinces procul dubio cum vinceris, nec ab homine, sed a Deo, a quo gloriosum est homini vinci, ut semper det homo Deo gloriam et honorem. Unde nemo te vana suggestione seducat, quod nisi tu cesseris nobis, nos in hæc pugna quovis tibi modo cedamus, qui facilius possemus occidi quam vinci.

Datum Laterani, x Kal. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCXXII.

GIRARDO ECCLESIÆ THEBANÆ THESAURARIO.

*Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.*

(Soræ, VI Kal. Septembris.)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationiobus grato concurrentes assensu personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis, etc., *usque* protectione suscipimus. Specialiter autem thesaurariam Ecclesiæ Thebanæ, sicut eam juste possides et quiete, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc., *usque* incursurum.

Datum Soræ, VI Kal. Sptembris, pontificatus nostri anno undecimo.

CCXXIII.

JOANNI REGI ANGLORUM ILLUSTRI.

*Ut bona B, Anglorum reginæ restituat.*

(Laterani, XII Kal. Februarii).

Quantum celsitudini regiæ in negotio charissimæ in Christo filiæ Berengariæ, quondam Anglorum reginæ illustris, hactenus detulerimus (139), si melius notavisses, forsitan et tu nobis, imo ei cujus vicem licet immeriti, gerimus, ad quem ascendunt a maxilla descendentes ab oculo lacrymæ viduarum, quas etiam exaudire, cum ad eum vociferaverint, se Altissimus pollicetur, curasses in hac parte deferre, ac tandem vincens salubriter temetipsum, preces et monita nostra tibi super hoc plus quam octies replicata effectui mancipasses, nec coegisses præfatam reginam toties fatigari laboribus et expensis, quam ex strenuitate regali, nobis non exhortantibus, honorare debueras et ab aliis pro viribus defensare, considerato perspicue quod id ad tuum honorem cederet et salutem. Ecce jam octo annis et amplius apud te propter hoc precibus et monitionibus insistentes exspectavimus patienter si quo modo tuæ saluti consulens et honori, eidem reginæ super dotalitio suo, medietate mobilium inclytæ recordationis regis Ricardi fratris tui, et quibusdam aliis quæ sibi competere asserit, satisfacere procurares deferendo Deo nobis, qui forte plus debito tibi detulimus in hac parte. Sed nec sic adhuc potuimus proficere, sicut effectus indicat, et sæpedictæ reginæ querela nostris auribus toties inculcata, cum non ei satisfacere non curaveris verum etiam nec coram judicibus illis quibus negotium ipsum dignoscimur pluries commisse volueris justitiam exhibere, qui non tantum cavere debueras ne a te injuriarum actio nasceretur, sed etiam cohibere quoslibet tuæ ditioni subjectos ne injuriam cuiquam facerent, cum ab malefactorum vindictam, laudem vero honorum gladium susceperis bajulandum. Certe non minus serenitati regiæ quam ipsi reginæ, imo longe amplius expedisset nostris super hoc acquievisse monitis et consiliis, per quæ divinam placare potueras majestatem, quam propter injuriam sæpedictæ reginæ illatam videris graviter offendisse, ac etiam laudem in conspectu hominum promereri; quia, etsi ei super damnis esset rerum temporalium satisfactum, tibi damnum innocentiæ resarcisses, quod non est dubium esse majus. Verumtamen si te forsan existimes eidem in aliquo non teneri, coram nobis, qui personam hominis in judicio non accipimus, sed justum judicium, prout ille nobis inspirare dignatur qui omne judicium dedit Filio, judicamus, saltem ipsi debueras justitiam exhibere, ac non uti potentiæ magnitudine contra illam, sciens quod potentior est te ille qui facit misericordiam et judicium omnibus injuriam patientibus et in regno hominum dominatur. At tu hæc prout convenit non attendens nec satisfacere illi nec subire super prædictis judicium cum eadem hactenus voluisti. Cum enim post octo annos elapsos, per quos regiæ serenitati detulimus, nolentes ulterius deferre homini contra Deum qui viduam voce prophetica præcipit defensari, tibi dederimus in mandatis ut usque ad festum Nativitatis beatæ Mariæ proximo præteritum per procuratorem idoneum te nostro conspectui præsentares, exhibiturus sæpefatæ reginæ vel procuratori ejusdem super præmissis et aliis, si qua forte adversus te duceret proponenda, quod ordo posceret rationis, tu id efficere penitus contempsisti, licet dilectus filius prior Wigorniensis de mandato venerabilis fratris nostri Wigorniensis episcopi, exhibitis tibi litteris nostris, præfatum terminum ex parte nostra tuæ magnitudini peremptorium assignarit, sicut venerabiles fratres nostri Eliensis et præfatus Wigorniensis episcopi, quibus super hoc direximus scripta nostra, per suas nobis litteras intimarunt; procuratore ipsius reginæ ad prædictum terminum ad sedem apostolicam accedente, ac per quatuor menses et amplius exspectante. Quia igitur contra salutem nostram et tuam tibi deferre ulterius nec volumus nec debemus serenitatem regiam mon[e]mus et exhortamur attentius, in virtute Spiritus sancti firmiter injungentes quatenus usque ad sex menses post susceptionem præsentium aut præfatæ reginæ satisfacias congrue de prædictis, aut componas, si fieri possit, amicabiliter cum eadem, vel per sufficientem et idoneum responsalem te nostro conspectui repræsentes, exhibiturus eidem vel procurator

(139) Vide lib. XIII, epist. 74.

suo super iis et aliis quæ adversus te duxerit proponenda justitiæ complementem. Alioquin, extunc in Sumersetsire manerium de Yvecestre et manerium de Meretoc cum pertinentiis eorumdem, et totam Rotelandam cum pertinentiis ejus, et manerium de Keten cum tota Soka, et Brudcerost, et Nortulham, cum pertinentiis eorumdem, et in Barchescire manerium de Lamburn. cum pertinentiis ejus, et in Wiltescire, Westburi, Wilton et Malmesburi, cum pertinentiis eorumdem, et in Sudsex villam Arundellæ cum honore ac pertinentiis suis et civitatem Cicestriæ cum ipsius pertinentiis, et in Oxonefordescire villam de Stanton, cum pertinentiis ejus, et in Nordhantonscire Rokingham cum pertinentiis ejus, et villam de Nordhanton. in Devenescire manerium de Keinton et Leston cum pertinentiis suis ac manerium de Alrichescote, cum villa de Sloncumbis, et Quenewke cum pertinentiis suis, et civitatem Exoniæ, et in Sudhamtonscire manerium de Wlfintonia cum pertinentiis suis, et in Heresfordescire Berchamested, cum toto honore ac pertinentiis ejus ac in Essex. villam de Waltham cum pertinentiis ejus, et in London. Eya reginæ et in Lincolncire Grahan cum pertinentiis suis, et viliam de Stamford cum pertinentiis ejus, ac in Glowescestrescire honorem de Berkeleia aç pertinentias ejus cum omnibus aliis maneriis, villis, et castris quæ ad dotalitium præfatæ reginæ spectare noscuntur, necnon domania, manseria tua in prædictis comitatibus constituta, de quibus sæpefata regina lanam debet habere, licet omnia prædicta ex alia causa supposita sint sententiæ interdicti, propter hoc pari sententia specialiter decernimus alligata, ut in iis omnibus nequaquam interdicti sententia relaxetur donec super hoc satisfaceris competenter, dantes districte venerabilibus fratribus nostris Lossensi et Saresberiensi episcopi nihilominus in præceptis ut ipsi, humana gratia et mundano timore postpositis, præfatam sententiam publicent et faciant, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, auctoritate nostra firmiter observari. Quod si nec sic tua poterit durities emolliri, in te manus nostras fortius curabimus aggravare; sciturus quod, quantumcunque te sicut charissimum in Christo filium diligamus quia tamen in tuæ salutis dispendium tibi ulterius non credimus deferendum, nulla omittemus penitus ratione quin nostrum officium exsequamur donec ad cor rediens super hoc apostolicæ sedi te offeras pariturum.

Datum Laterani, XII Kal Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCXXIV.

ROFFENSI ET SARESBERIENSI EPISCOPIS

*De eadem re.*

(Laterrani.)

Si charissimus in Christo filius noster Joannes A rex Anglorum illustris melius notavisset quantum celsitudini regiæ hactenus detulerimus in negotio charissimæ in Christo filiæ Berengariæ quondam Anglorum reginæ illustris, forsitan et ipse nobis, imo ei cujus viem licet immeriti gerimus, etc., *in eumdem modum ut in alia usque* observare, præfato regi litteras nostras, quas propter hoc eidem dirigimus, exhibentes. Qualiter autem in exsecutione præcepti apostolici processeritis, nobis per litteras vestras curetis fideliter intimare, præceptum nostrum taliter impleturi quod non possitis de negligentia reprehendi, sed de obedientia potius commendari. Quod si non ambo iis exsequendis, etc., alter vestrum ea nihilominus exsequatur.

Datum Lateranni, etc., *ut in alia*

B

CCXXV.

PRÆPOSIO ET CAPITULO BRIVATENSI.

*De excmptione eorum.*

(Laterani, v Kal. Februarii.)

(140) Cum dilecti filii S. Ecclesiæ vestræ ac D. venerabilis fratris nostri Claromontensis episcopi procuratores ad sedem apostolicam accessissent, et nos eis benignam audientiam dedissemus procurator ejusdem episcopi proposuit coram nobis quod cum Ecclesia vestra in ipsius episcopi sit diœcesi constituta et ob hoc deberetis eidem tanquam diœcesano vestro in spiritualibus respondere, vosipsi jura episcopalia penitus subtrahentes, in Ecclesiis aliis ejusdem diœcesis, quas ad vos petinere proponitis, non permittitis ipsum jurisdictionem debitam exercere, pro- C curationem quam idem et prædecessores ipsius ab ipsis Ecclesiis aliquando habuerunt sibi pro vestræ voluntatis arbitrio subtrahendo. Verum procurator Ecclesiæ vestræ proposuit ex adverso quod cum eadem a jurisdictione cujuslibet præterquam Romani pontificis penitus sit exempta, sicut per privilegium piæ recordationis Calixti papæ prædecessoris nostri evidenter apparet, non tenebamini ei nec pro capite nec pro membris quæ ad vos pertinent pleno jure in aliquo respondere. Porro pars altera replicavit quod idem privilegium formam privilegii non videtur habere, cum verbum exemptionis non contineatur in eo, sed inhibitionis tantum inveniatur insertum, proponens illud nequaquam suspicione carcere, cum stylum cancellariæ D nostræ non sapiat, et subcriptionibus cardinalium non appareat communitum, propter quod idem debere carcere viribus proponebat, et nullam esse per ipsum præstitam libertatem, attamen etsi aliquas vires obtineat, licet capiti per illud utcunque tribuatur libertas, membra tamen ab episcopali non eximit potestate, cum de libertate membrorum nullam expressam faciat mentionem. Unde asserebat eadem memorato episcopo esse debere diœcesani lege subjecta, siculi Ecclesiæ illæ suis absunt episcopis quæ ad quædam monasteria pertinent quæ sedem apostolicam nullo respiciunt mediante. Ad quod

(140) Vide infra lib. XVI, epist. 72, 73.

fuit ex parte vestra responsum quod libertas per A præfatum privilegium Ecclesiæ vestræ concessa non solum ad caput debet referri, verum etiam ad membra ipsius extendi;quia illud quod continetur in eo,*Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium et ecclesiarum et ordinationes claricorum qui ad sacros ordines fuerunt promovendi , a quocumque malueritis catholico suscipietis episcopo.* ad minores est ecclesias referendum, cum in majori ecclesia baptismus minime celebretur, ratione cujus chrisma et oleum sanctum sunt potissime opportuna,et ad consecrationes altarium et subditarum ecclesiarum et ordinationes etiam clericorum tam membrorum quam capitis semper consueveritis vicinos episcopos convocare. Unde si quantum ad ista, quæ sine ministerio episcopi fieri non possunt, minores ecclesiæ sunt exemptæ, multo fortius quantum ad alia B intelligi debent libertate gaudere quæ sine officio episcopi possunt expediri, cum indulsisse videatur minora qui majora concessit. Adjecit insuper procurator prædictus quod si non sufficent supradicta, tanto tempore usa fuerat Ecclesia vestra tam in capite quam in membris hujusmodi libertate quod legitima esset super ea contra prædictum episcopum præscriptione munita. Nam ad exsequendum prædicta quæ,sicut supra dictum est, non possunt nisi per episcopum expedire, semper quos voluit episcopos convocavit. Alia vero , utpote clericorum institutiones et destitutiones eorum, tam clericorum, quam laicorum coactiones et decisiones causarum tam criminalium quam civilium,semper exercuit per se ipsam. C Sacrista etiam et hebdomadarii Ecclesiæ vestræ sacerdotes et clericos subditarum ecclesiarum ad synodum evocant bis in anno, et eis synodalia dant præcepta, et corrigunt tam in clericis quam in laicis quæ inveniunt corrigenda. Præterea minores Ecclesiæ adeo sunt annexæ majori quod sunt de corpore præbendarum et etiam dignitatum ejusdem, quæ in villa Brivatensi oblationes et decimas recipit, injungit pœnitentias, et recipit ad sepulturam defunctos ; licet sint ibi aliæ quædam ecclesiæ quæ ab ipsa omnino dependent, propter multitudinem populi,ad succursum. Cæterum cum Claromontensis episcopus terram supponit ecclesiastico interdicto, in Ecclesia vestra et in membris ipsius divina officia celebrantur,nec unquam in officiis ecclesiasticis Claromontensis D Ecclesiæ consuetudinem imitantur. Nos igitur iis et aliis quæ coram nobis fuere proposita plene auditis ac perspicaciter intellectis, quia præfatum privilegium in duobus locis plenariam Ecclesiæ vestræ continere perspeximus libertatem, de fratrum nostrorum consilio ipsam in capite liberam omnino esse decrevimus, ut nulli unquam in spiritualibus teneatur præterquam Romano pontifici respondere. Membra vero ipsius adjudicavimus episcopo memorato fore lege diœcesana subjecta, illis duntaxat exceptis super quibus vos pronare poteritis legitima præscriptione munitos. Quia vero privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate, nisi libertate vobis concessa curaveritis bene uti, ut ex ea propter absentiam correptoris non captetis licentiam delinquendi, sed potius propter gratiam largitoris benefaciendi materiam assumatis, illo vos privilegio noveritis esse privandos ; præsertim cum a nullo prædecessorum nostrorum fuerit innovatum. Nulli ergo.. . hanc paginam nostræ definitionis infringere, etc., *usque in finem.*

Datum Laterani, v Kal Februarii nontificatus nostri anno undecimo.

## CCXXVI,

ABBATI SANCTÆ GENOVEFÆ, ET ARCHIDIACONO, ET MAGISTRO P. PEVEREL CANONICO PARISIENSI.

*De electione episcopi Morinensis.*

(Laterani, IV Kal. Februarii.)

(141) De prudentia dilectorum filiorum abbatis Sancti Victoris,decani,et magistri Roberti de Corzon canonici Parisiensis non possumus non mirari, quod cum super negotio dilecti filii Morinensis electi per litteras nostras certa forma fuerit illi expressa per omnia consona rationi,eam ipsi pro suæ voluntatis arbitrio excesserunt.Eam cum fuerit ipsis injunctum ut illos tres electores, in quos canonici Morinenses potestatem episcopum eligendi contulerant, astringerent vinculo juramenti dicere veritatem quot ex canonicis, examinationis tempore, in præfatum convenerunt electum,et si tres simul aut duo saltem ex ipsis jurati dicerent quod canonicorum major pars convenerat in eumdem,iidem contradictoribus silentium imponere non differrent,et si per eorum dipositiones constaret dictum electum exstitisse a paucioribus nominatum,tunc demum diligenter audirent quidquid utraque pars proponeret ad probandam formam secundum quam eligendi præfatis tribus electoribus potestas asseritur fuisse concessa, et si foret sufficienter ostensum quod de gremio Ecclesiæ secundum formam sibi datam deberent eligere in quem omnes vel major et sanior pars capituli conveniret,ipsi electionem ejus omnino cassarent;alioquin, quod de ipso factum est ratum habentes, contradictores per censuram ecclesiasticam ab ejus impetitione compescerent appellatione, remota : ipsi,sicut ex litteris eorum accepimus,illos tres electores ad suam præsentiam evocarunt, et primo duobus eorum et tertio postmodum in ipsorum præsentia constitutis, ab eis sub jurejurando fideliter et sollicite de numero canonicorum Morinensium qui dicebantur electum nominasse prædictum studuerunt inquirere veritatem.Sed quia ipsi videbantur quandoque loqui eumdem excogitatum sermonem,quandoque etiam vacillantes,ipsum multimodis variabant,in tantum ut quanto examinabantur fidelius,tanto minus fidei afferebant iidem

(141) Vide supra apist. 43.

interloquendo dixerunt ad alium esse articulum procedendum, forma mandati nostri penitus prætermissa, propter quod pars dicti electi seniens se gravari, ad nostram audientiam appellavit,ex parte nostra firmiter inhibens judicibus memoratis ne ulterius in negotio ipso procedere attentarent. At ipsi appellationi ejusdem minime deferentes. in ipso negotio procedere decreverunt. Ex præmissis autem evidenter apparet nos in ipsa commissione tres articulos distinxisse, utrum videlicet per depositiones trium electorum vel saltem duorum ex ipsis plures ex canonicisin præfatum electum concordasse claresceret,an pauciores ex ipsis in eumdem convenisse constaret,vel neutrum per attestationes hujusmodi probaretur, et in duobus quidem articulis, scilicet primo et ultimo, electionem ipsius ratam haberent,contradictoribusejus perpetuum silentium imponendo, in unico vero, videlicet medio, ipsius electionem cassarent, dummodo constaretquod sub hac forma fuisset tribus electoribus potestas eligendi concessa, ut videlicet illum de gremio Ecclesiæ Morinensis eligerent in quem major et sanior pars capituli concordaret.Porro, sicut ex depositionum transcriptis, quæ nobis tam sub sigillo dilecti filii Gualæ Sanctæ Mariæ in porticu diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati,quam venerabilis fratris nostri Silvanectensis episcopi et plurium aliorum nobis transmissa fuero, comperimus,major pars canonicorum Morinensium qui examinationis tempore aderant, in præfatum convenit electum, Et ideo delegati prædicti,sive depositionibus testium fidem præbere, sive fidem adimere voluissent, profecto secundum formam præscriptam electionem ipsius debuissent ratam habere, cum non probato quod minor pas convenisset in illum, inutiliter etiam probaretur quod secundum formam sibi datam tres electores illum debuisset eligere in quem major pars capituli conveniret.Quocirca ne prafata Morinensis Ecclesias ulterius aggraveturlaboribus et expensis, et tam in spiritualibus quam in temporalibus ingens detrimentum incurrat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis,ad majorem cautelam originales testium depositiones faciatis vobis a præfatis judicibus exhiberi, et transcripta quæ vobis sub bulla nostra dirigimus cum originalibus conferentes,si hæc illis inveneritis concordare,quidquid post appellationem a præfato electo ad sedem apostolicam interpositam contra eum inveneritis attentatum,sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, decernatis irritum et inane,quodquo de ipso fatum est solemniter confirmantes,contradictoribus ejus perpetuum silentium imponatis, et denutietis archiepiscopo suo ut ipsum non differat in episcopum consecrare, illum præbenda Morinensis Ecclesiæ spoliantes qui se spontaneus ad hanc pœnam, si forsan in probatione dificeret,obligavit.Quod si torsan ipsi delegati vobis intra decem dies postquam fuerint requisiti attestationes noluerint vel nequiverint exhibere, vos nihilominus fidem adhibentes rescriptis, maxime cum secundum tenorem litterarum quas ipsi nobis miserunt intentionem suam non fundaverit pars adversa, juxta præscriptam formam in ipso negotio procedatis,similiter processuri si forsan, quod non credimus, originalia discordaverint aliquatenus a rescriptis,dummodo non sit per illa probatum quod minor pars in præfati electi nominatione convenerit : quia, secundum legitimas sanctiones, auctore non probante, is qui convenitur, etsi nihil præstiterit, debet absolvi. Quod si non omnes, etc., duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Lacterani iv Kal. Februarii pontificatus nostri anno undecimo.

## CCXXVII.

EISDEM.

*De eadem re.*

(Laterani, III Kal. Februarii

Ne pastoralis provisio diu desit Ecclesiæ Morinensi,per apostolica vobis scripta mandamus quatenus, si adversarii dilecti filii Morinensis electi nequiverint infra spatium triginta dierum intra provinciam vel in vicinis partibus inveniri vos citationis edicto ad eorum domicilium manifeste transmisso, nihilominus procedatis secundum formam quam in aliis litteris vobis duximus exprimendam, cum jam in ipse negotio usque ad publicationem testium sit processum.

Datum Laterani, III Kal. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCXXVIII.

EPISCOPO, ET SANCTI PETRI ET DE SECURETO ABBATIBUS ANICIENSIBUS.

*Eis committitur causa canonicor. Brivatensium.*

(Laterani, v Kal. Februarii.)

Licet ex injuncto nobis apostolatus officio omnibus paterna sollicitudine teneamur adesse, illis tamen debemus specialiter apostolicum præsidium impertiri qui apostolicam sedem nullo respiciunt mediante. Cum igitur dilecti filii canonici Brivatensis Ecclesiæ,quæ ad nos nullo medio noscitur pertinere, frequenter et a multis injurias, damna sustineant et rapinas, cum diœcesanum non habeant ad quem possint recurrere quoties indebite aggravantur,nos ad supplicationem eorum ipsis duximus providendum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, quoties ab eisdem fueritis requisiti, de malefactoribus suis in Claromontensi,Aniciensi et Mimatensi diœcesibus constitutis faciatis eis auctoritate nostra,sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo,justitiæ plenitudinem exhiberi, eosdem ad id monitione præmissa per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo. Quod si non omnes,... tu, frater episcope, cum eorum altero, etc.

Datum Laterani, v Kalend. Vebruarii, *ut supra.*

## CCXXIX.

ILLUSTRI REGI FRANCIÆ.

*Inducitur ad expugnationem hæreticorum provincialium.*

(Laterani, III Non. Februarii.)

Religiosa fides et fidelis religio, quæ in te a progenie in progeniem derivata Christianissimis tuis patribus Christianissimum principem te substituit, nos inducit ut negotium Ecclesiæ Dei, cum expedit, providentiæ tuæ confidentissime committamus. Cum ergo sit provide cogitatum ut iis qui orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandum provinciales hæreticos se accingunt unus in capitaneum deputetur sub cujus unius consilio unanimiter universi procedant, serenitatem regiam rogamus attentius et monemus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eis vel eorum aliquibus, prout B expedit, convocatis, aliquem virum strenuum, providum, ac fidelem eis auctoritate regia præficere non postponas, qui prælium Domini præliantes sub divino præsidio tuoque vexillo conducat : hanc pii operis providentiam ita prudenter et hilariter impleturus quod dum omnes ad agonem sanctæ pugnæ succinxeris, in omnium quasi manibus ipse quoque bellari bellum Domini comproberis, ac retributionis eorum efficias te participem quorum certaminis te taliter exhibueris adjutorem; ante omnia et in omnibus sollicite providendo ut in tanto Dei servitio illam servent et unitatis concordiam et concordiæ unitatem quod per astutiam Satanæ, qui operibus pacis invidet, nulla discordia inter ipsos, nulla possit æmulatio suboriri, ita strenue, ita caute in hoc nego- C tium cum tuo subsidio et consilio processurus quod illud possint feliciter et salubriter consummare ; ne, si secus accideret, quod divinitus avertatur, in quo proficere poterat Ecclesiæ causa deficeret, et hæretica pestis unde potuerat aboleri deterius inoleret.

Datum Laterani, III Non. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCXXX.

UNIVERSIS FIDELIBUS IN OBSEQUIUM CHRISTI CONTRA PROVINCIALES HÆRETICOS CERTATURIS.

*De eodem argumento.*

(Datum, *ut supra*)

Benedicti vos in Domino qui fecit cœlum et terram ; quoniam cum committeret draco bellum et Ecclesiam sanctam Dei machinarum suarum molimine conquassaret, apprehendistis arma et scutum, et in ejus adjutorium surrexistis. Quia igitur omnis qui in agone contendit abstinet se ab omnibus ut unum certaminis sui cursum eo melius quo liberius valeat consummare, universitatem vestram rogamus attentius et monemus, per apostolica scripta in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus tam arduum et tam sanctum Dei obsequium aggressuri, postpositis omnibus quæ hunc vestrum sanctum agonem impedire valerent, ante omnia et in omnibus caveatis ut illam servetis et unitatis concordiam, etc., *sicut supra usque in finem.* Eia igitur, po- A tentissimi Christi milites, eia strenuissimi militiæ Christianæ tirones. Opponite vos Antichristi præambulis, et pugnate cum serpentis antiqui ministris. Pugnastis fortassis hactenus pro gloria transitoria, pugnate jam pro gloria sempiterna. Pugnastis pro corpore, pugnate pro anima. Pugnastis pro mundo, pugnate pro Deo. Non enim pro præmio qualicunque ad tantum Dei servitium vos hortamur, sed pro regno cœlesti, quod ob hoc confidentissime pollicemur.

Datum, *ut supra.*

## CCXXXI.

UNIVERSIS FIDELIBUS AD OBSEQUIUM CHRISTI SIGNATIS CONTRA PROVINCIALES HÆRETICOS VEL SIGNANDIS TAM IN REGNO QUAM EXTRA REGNUM FRANCIÆ CONSTITUTIS.

*Suscipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.*

(Datum, *ut in alia.*)

Cum orthodoxæ fidei zelo succensi ad expugnandam hæreticam pravitatem decreveritis proficisci, auctoritate apostolica constituimus ut ex quo vivificæ crucis signum ad expugnandum hæreticos secundum ordinationem legatorum nostrorum in vestris pectoribus susceperitis, cum personis, terris, possessionibus, hominibus, ac cæteris bonis vestris sub protectione sedis apostolicæ maneatis, et donec de vestro reditu vel obitu certissime cognoscatur, ea omnia in suo statu libera maneant et quieta consistant. Nulli ergo... nostræ constitutionis, etc., *usque in finem.*

Datum, *ut in alia.*

## CCXXXII.

REGENSI ET CONSORANENSI EPISCOPIS, ET ABBATI CISTERCIENSI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATIS.

*De negotio comitatus Melgoriensis.*

Licet nobis jamdudum comes Tolosanus per suos nuntios supplicaverit ut super comitatu Melgoriensi, qui beati Petri juris et proprietatis existit, fidelitatem ab eo recipere dignaremur, ne tamen ipsum hoc modo quasi confirmare videremur eidem, preces suas non duximus admittendas, considerantes hoc ipsum quod tu, fili abbas, per tuas nobis litteras suggessisti, ut videlicet si fortassis in incœpta malitia pertinaciter perduraret, ipso demum eo juxta meritum spoliato, statueremus de ipso quod Ecclesiæ negotio expediret. Quia vero a nobis est sollicite requisitum qualiter procedendum sit circa D comitatum eumdem fideli exercitui signatorum, id vobis providimus suadendum, quatenus ad Apostoli dicentis : *Cum essem astutus, dolo vos cepi (II Cor. XII)*, magisterium recurrentes, cum talis dolus prudentia potius sit dicendus, deliberato cum eorumdem signatorum prudentioribus opportuno consilio, divisos ab Ecclesiæ unitate divisim capere studeatis, dummodo videritis quod ex hoc idem comes vel aliis minus assistere vel per se ipsum minus debeat insanire, non statim incipiatis ab ipso, sed eo primitus arte prudentis dissimulationis eluso, ad exstirpandos alios hæreticos transeatis ; ne si squamis Leviathan sese conjungentibus una vi

fueritis simul omnes aggressi, tanto demum hujus modi satellites Antichristi difficilius possint conteri quanto pertinacius ipsos in unum conjunctionis vinculum contingeret glomerari. Sic enim et illi facilius sterni poterunt remissius adjuti per istum ac iste illorum interim visa strage ad cor fortasse redibit, vel si perseveraverit in malitia, tandem contra ipsum et solum et destitutum levius procedatur. Hæc ergo vobis suggerimus ad cautelam. Vos autem, qui rerum circumstantias eo plenius quo præsentius agnoscetis, sic vel aliter circa singula procedatis quemadmodum tam vobis quam aliis quorum fuerit utendum consilio de cœlo fuerit revelatum, circa præfati comitis negotium processuri prudenti deliberatione præmissa, prout ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ videritis expedire.

### CCXXXIII.

EISDEM.

*De negotio fidei.*

Super negotio signatorum et hæreticorum excidio litteras vobis destinamus ad præsens quales novimus expedire. Monemus ergo discretionem vestram et exhortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus, prout opus fuerit ipsis utentes, prudenter atque constanter circa singula procedatis, ante omnia et in omnibus caute ac sollicite providendo ut illam servent, etc., *sicut in prima.*

### CCXXXIV.

EISDEM.

*Ut absolvant Guidonem comitem Alvernensem.*

(Laterani.)

(142) Licet nobilis vir Guido comes Alverniensis circa captionem venerabilis fratris nostri Claromontensis episcopi, germani sui, graviter excessisse noscatur, quia tamen nulli veraciter pœnitenti debet venia denegari, precibus ejusdem episcopi, qui super hoc nostro apostolatui supplicavit, inducti, et zelo utilitatis ecclesiasticæ provocati, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si hoc Ecclesiæ noveritis expedire, cujus negotium multipliciter posse per eum dicitur adversus hæreticos promoveri, præfato comiti secundum formam ecclesiasticam absolutionis beneficium impendatis, te injungatis eidem quod talibus consuevit injungi.

Datum Lateran., etc., *ut in prima.*

### CCXXXV.

CISTERCIENSI ABBATI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Arguitur de pravis suspicionibus.*

(Datum, *ut supra.*)

Licet æquanimiter tulissemus si venerabilis frater noster Londoniensis episcopus et coexsecutores ipsius Cisterciensis ordinis monasteria non sic arcte interdicto ab initio conclusissent quo minus pos-
A sent secundum indulta eis apostolica privilegia celebrare, quia tamen et ipsi benefacere arbitrati monasteria ipsa interdicto hujusmodi constrinxerunt (143), et illa cœperunt ipsum humiliter observare, sine gravis præsumptionis offensa nequaquam illud postea violarunt. Cæterum laudamus te, sed in hoc laudare non possumus quod consultus consulentibus respondisti ut nisi rescripti nostri copia eis fieret, vel si forsan illud obtentum per subreptionis vitium appareret, per appellationis objectum se a præfatis exsecutoribus tuerentur; cum, etsi secundum juris rigorem per hujusmodi subtilitatis astutiam potueritis respondere, de tanti tamen nominis ac meriti pontificibus nunquam debueris suspicari quod vel auctoritatem quam non dedis-
B semus eisdem sibi temere arrogassent, vel eamdem datam ad aliud malitiose intorsissent; præsertim cum aliorum animos ex proprio metientem non te decuerit contra illos in scrupulum hujusmodi suspicionis incidere, qui si contra te in similem incidissent, reputasses forsitan eos conscientiam scrupulosam habere. Attendentes itaque nec utile nec honestum existere ut aliter in ipso negotio, circa hunc præsertim articulum, disponamus quam ipsi exsecutores providerint disponendum, rescriptum illud de quo fecimus superius mentionem a nobis de certa processisse scientia declaramus, id volentes in hoc firmiter observari quod illi pensatis negotii circumstantiis provida deliberatione mandaverint observandum.

Datum, *ut supra.*

C

### CCXXXVI.

BURDEGALENSI ARCHIEPISCOPO.

*De præbenda Santonensi conferenda Fulch.*

(Laterani, Non. Februarii.)

Licet super omnium clericorum provisione nos deceat esse sollicitos, pro illis tamen nos convenit sollicitudinem gerere specialem pro quibus apud nos et morum honestas et litteraturæ gratia interpellat. Hinc est quod cum dilectus filius nobilis vir Calo dominus de Ponte præbendam quam in Xanctonensi Ecclesia obtinebat, per suas nobis litteras duxerit resignandam, et dilectus filius magister Fulch. de Xantonensi diœcesi oriundus de vita pariter et scientia nobis fuerit multorum testimoniis
D commendatus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ad cautelam ab eodem milite præbendæ resignatione recepta, eamdem auctoritate nostra memorato magistro, sublato appellationis obstaculo, conferas et assignes, faciens ipsum ejusdem præbendæ pacifica possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Laterani, Nonis Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

(142) Vide supra lib. I, epist. 498.
(143) Vide supra epist. 213, et infra epist. 259, 260

CCXXXVII.

ABBATI SANCTI AUBERTI ET DECANO ET MAGISTRO R. DE BEKEREL CANONICO CAMERACENSI.

*Ut Ægidium admittant ad presbyteratum.*

(Laterani, Non. Februarii).

Cum olim abbati et conventui Sancti Michaelis, qui dicebantur Ægid. sacerdotem ad presbyteratus ordinem præsentasse, scripsissemus in forma communi pro ipso, dilecti filii cantor Sancti Quintini suique commonitores, postquam constitit eis de idoneitate personæ, super repræsentatione ipsius testes recipere curaverunt, nobisque miserunt depositiones eorum. Licet igitur per eas in auditorio nostro lectas visum non fuerit usquequaque plene probatum quod idem presbyter præsentatus ab abbate memorato fuisset, quia tamen in hoc semiplena probatio plena debet pietate juvari, cum pia beneficia non semper rigida jura requirant, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dicto abbatem et conventum ut præfato presbytero juxta formam prioris mandati provideant monere ac inducere procuretis, ipsos ad hoc, si opus fuerit, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam compellentes. Quod si non omnes, etc. duo vestrum, etc.

Datum Laterani, Non. Februarii, pontificatus nostri an. undecimo.

CCXXXVIII.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO

*Suscipitur sub protectione sedis apostolicæ.*

(Laterani, x Kal. Februarii.)

(144) Cum a nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam et Atheniensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ inpræsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ protectionis, etc., *usque* incursurum.

Datum Laterani, v Kal. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCXXXIX.

HUGONI CANONICO THEBANO.

*Confirmatur sibi ecclesia de Kalenda.*

(Laterani, x Kal. Februarii).

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, etc., *ut in alias usque* suscipimus, specialiter autem ecclesiam de Kalenda, sicut eam juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... protectionis et confirmationis, etc., *usque in finem.*

Datum, *ut in alia.*

(144) Vide infra epist. 256.

CCXL.

ROBERTO DE SUCIACO CANONICO ATHENIENSI.

*Confirmatur ei præbenda Atheniensis.*

(Laterani, x Kal. Februarii).

Cum a nobis petitur, etc., *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem præbendam quam in Atheniensi Ecclesia es canonice assecutus, etc., *ut in alia usque in finem.*

Datum, *ut supra.*

CCXLI

MAGISTRO GUILLELMO CANONICO THEBANO.

*De eodem argumento.*

(Laterani, x Kal. Februarii.)

Cum a nobis petitur, etc., *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem ecclesiam Sancti Joannis de Araquio, sicut eam juste possides et quiete, etc., *usque in finem.*

Datum, *ut in prima.*

CCXLII.

HUGONI CANONICO THEBANO

*De eodem argumento.*

(Laterani, x Kal. Februarii.)

Cum a nobis petitur, etc., *ut in alia usque* suscipimus, specialiter autem præbendam quam in Thebana Ecclesia es canonice assecutus, sicut eam juste possides, etc., *ut in alia usque in finem.*

Datum Laterani, etc., *ut supra.*

CCXLIII.

MAGISTRO RANDULPHO DECANO DAVALIENSI.

*Confirmatur ei decanatus Ecclesiæ Davaliensis.*

(Laterani, x Kal. Februarii.)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecte in Domino fili, etc., *usque* suscipimus, specialiter autem decanatum Davaliensis Ecclesiæ, sicut illum juste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo... nostræ protectionis et confirm., etc. *usque in finem.*

Datum, *ut supra.*

CCXLIV.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO, ET DILECTIS FILIIS CITRIENSI ET NAZORESCENSI ELECTIS.

*Scribitur eis pro archiepiscopo Atheniensi.*

(Laterani, x Kal. Februarii.)

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod venerabilis frater noster Atheniensis archiepiscopus, timore ductus, nobili viro Ottoni de Rocca domino Athenarum, qui uxoratus est, quemdam personatum Atheniensis Ecclesiæ, qui thesauraria vulgariter appellatur, conferre præsumpsit in enormem ipsius Ecclesiæ læsionem. Volentes igitur indemnitati ejusdem Ecclesiæ paterna sollicitudine providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super præmissis diligentius veritate, quod per dictum archiepiscopum super hoc in præjudicium ipsius Ecclesiæ inveneritis attentatum, sublato appellationis obstaculo, in statum debitum revocetis. Nullis litteris veritati

et justitiæ, etc. Quod si non omnes... tu ea, frater archiepiscope, cum eorum altero, etc.

Datum Laterani, x Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCXLV.

NOBILIBUS VIRIS BALMO THESSALONICENSI COMESTABULO, OTTONI DE ROCCA DOMINO ATHENARUM .. MARCHIONI, ... DOMINO NIGRIPONTIS, T. DE OSTREMUNCOUT, ET ALIIS PRINCIPIBUS ROMANIÆ.

*De dicimis solvendis.*

(Laterani, IX Kal. Februarii.

Quanto personas vestras sinceriori diligimus in Domino charitate, tanto majori dolore turbamur cum ea nobis de vestris actibus referuntur quæ famam vestram obnubilant apud homines et conscientiam maculant apud Deum. Cum igitur, sicut venerabiles fratres nostri Atheniensis archiepiscopus, episcopus Fermopilensis [Thermopyl.], et dilectus filius Nazorescensis electus in nostra præsentia constituti pro se ac aliis ecclesiarum Romaniæ prælatis nostris auribus intimarunt, ecclesias et abbatias, personatus et redditus detineatis ecclesiasticos in salutis vestræ dispendium occupatos, devotionem vestram rogamus attentius et monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus prædicta omnia ecclesiis quibus debentur liberaliter resignantes, decimas eis integre persolvatis, facientes subditos vestros, Græcos videlicet et Latinos, prælatis suis obedientiam et reverentiam exhibere. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Thessalonicensi et Larissensi archiepiscopis et episcopo Davaliensi nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id monitione præmisssa per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante compellant.

Datum Laterani, IX Kal. Februarii, anno undecimo.

*Scriptum est ipsis super hoc.*

## CCXLVI.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO.

*De residentia canonicorum.*

(Laterani, *ut supra.*)

Proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quod quidam Ecclesiæ tuæ canonici nolunt Atheniensi ecclesiæ, prout tenentur, personaliter deservire. Quare dicta ecclesia divinis officiis plurimum defraudatur. Ne igitur dicti canonici ex hoc commodum valeant reportare ac dicta ecclesia debito servitio defraudetur, præsentium tibi auctoritate concedimus ut ipsos per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, tibi compellere liceat ad debitam in ipsa ecclesia residentiam faciendam.

Datum Laterani, etc., *ut supra.*

## CCXLVII.

NAZORESCENSI ELECTO.

*Super eodem.*

(Laterani, VIII Kel. Februarii.)

Proposuisti nobis in nostra præsentia constitutus quod quidam ecclesiæ Nazorescensis canonici nolunt eidem ecclesiæ, prout tenentur, personaliter deservire, etc., *ut in alia.*

Datum Læterani, VIII Kal. Februarii, anno undecimo.

## CCXLVIII.

HELIENSI EPISCOPO.

*De præcentore Ecclesiæ London.*

(Laterani, II Non. Februarii

(145) Cum olim venerabilis frater noster Londoniensis episcopus nostris auribus intimasset quod in sua ecclesia proposuerat statuere præcentorem, certum redditum assignaturus eidem sine læsione cujusquam, nos ejus precibus inclinati licentiam ei concessimus præcentorem hujusmodi ordinandi, dummodo in conferendis sibi redditibus nulli præjudicium inferretur, nihilominus statuentes ut præcentor taliter institutus in sessionibus, processionibus, et aliis illam haberet in Londoniensi Ecclesia dignitatem quam habent alii præcentores in aliis ecclesiis Anglicanis. Postmodum autem nostris fuit auribus intimatum quod licet idem episcopus dilectum filium B. in eadem instituissset ecclesia præcentorem, quod tamen a nobis fuerat de prælibata dignitate statutum biennio jam elapso exsequi non curarat. Quapropter tibi dedimus in mandatis ut illud sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo exsequi non postponeres, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. Noviter vero dilecti filii decanus et quidam alii personatus habentes in ecclesia memorata suam nobis transmisere querelam quod cum per Anglicanas ecclesias consuetudines sint diversæ, ac quidam cantorum minorem, quidam vero majorem habeant dignitatem, nec possint dignitates eorum, cum sint vel variæ vel repugnantes, convenire simul in unam, is qui noviter est institutus in Ecclesia Londoniensi præcentor, non contentus eo quod habere potest sine præjudicio aliorum, occasione litterarum nostrarum quasdam ipsius decani et aliarum personarum ejusdem ecclesiæ dignitates sibi nititur in eorum præjudicium arrogare. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus si secundum diversas locorum consuetudines diversos habere noveris præcentores in Anglicanis ecclesiis dignitates, jam dictum præcentorem illam habere facias in Londoniensi Ecclesia dignitatem eaque, appellatione remota, permanere contentum quam rationabilibus et approbatis consuetudinibus ejus salvis sine alieno præjudicio poterit obtinere.

Datum Laterani, II Non. Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

(145) Cap. *Cum olim*, De consuetudine.

## CCXLIX.

HUBALDO EPISCOPO IN ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM ELECTO.

*Ut faventinæ ecclesiæ episcopum eligi faciat.*

(Laterani, IV Id. Februrarii.)

(146) Post translationem tuam ad Ecclesiam Ravennatem cum dilecti filii præpositus, canonici, abbates et primicerii Faventini totusque civitatis clerus, sicut per litteras eorumdem accepimus, in dilectum filium I. presbyterum canonicum. Faventinum liberam eligendi auctoritatem unanimiter contulissent ipse sancti Spiritus gratia invocata dilectum filium Joachim Sancti Fridiani Lucani canonicum, olim episcopum Serzenatem, in Faventinum episcopum postulandum elegit; per cujus sollicitudinem circumspectam, qui primo canonicus et postea præpositus in Faventina Ecclesia fuit laudabiliter conversatus, multiplicia sperantur eidem ecclesiæ commoda proventura. Porro a dilecto filio Sancti Fridiani priore super hoc requisito et obtento consensu, præpositus et alii supradicti postulationem eamdem approbari a nobis humiliter petierunt(147). Verum postulationi hujusmodi videbatur concili Constantinopolitani capitulum prima facie obviare, in quo statutum esse dignoscitur ut quicunque de pontificali dignitate ad monachorum vitam in pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam ulterius ad pontificatum resurgat. Unde contra dictum concilium, cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor evangelia catholica Ecclesia veneratur, nullatenus videbatur eadem postulatio admittenda. Cæterum speciales quidam casus inveniuntur in quibus, prædicto concilio non obstante, is qui vitam monachalem elegit, licite rursum potest ad episcopatum assumi. Si enim quisquam, persecutionis rabie sæviente vel præpediente invaletudine corporis, cum proficere nequeat in regimine pastorali, de superioris auctoritate ad monasticam vitam descendat, persecutionis vel ægritudinis impedimento cessante, ad episcopalem resurgere poterit dignitatem. Item, si quis propter litteraturæ defectum, ne tanquam cæcus præbeat cæco ducatum, locum regiminis auctoritate apostolica deserendo ad otium se contulerit monachale, ac per exercitium lectionis scientiæ receperit margaritam, poterit procul dubio denuo vocatus a Domino cathedram reascendere pastoralem. Rursus si quis cupiditate parentum, eo tamen penitus ignorante, fuerit episcopatum adeptus, et hoc comperto, episcopatum ipsum de licentia superioris dimittens, observantiam elegerit regularem, etsi ad eumdem episcopatum redire postmodum nequeat juxta canonicas sanctiones, ad alium tamen licite poterit reassumi. Quanquam autem in iis et consimilibus casibus iis qui episcopatu dimisso vitam monasticam eligit resurgere valeat ad officium pastorale, nihil tamen in hujusmodi casibus contra præscri-
A ptum intelligitur concilium attentari; quod in eo loquitur casu, cum propter aliquod crimen episcopatum quis deserens, ad vitam monasticam pœnitentiæ causa descendit. Unde quidam in eo casu loqui dixerunt capitulum supradictum, cum quis pro crimine de quo convinctus fuerit vel confessus ab episcopali dignitate depositus, in monasterio exstitit ad pœnitentiam agendam inclusus, vel cum aliquis propter grave criminem, pro qna episcopatum retinens pœnitentiam digne agere non valebat, cedendi obtenda licentia, vitam monachalem elegit, aliis asserentibus sic intelligendum esse præscriptum capitulum ut per resurgero nequeat, id est repetere quasi debitum quod tali modo dimisit, quanquam eligi possit, præsertim si locum tantum
B et non ordinem resignavit. Cum ergo nobis plene constare nequiverit ob quam causam prædictus Joachim olim episcopatui cesserit, cum in nostris litteris super hoc transmissis eidem hoc solummodo exprimatur quod nos litteris super sua resignatione receptis ejus propositum in Domino commendantes quod temporali honori salutem animæ proponebat, eumdem absolvimus ab onere sollicitudinis pastoralis quanquam per quemdam Sancti Fridiani canonicum nobis nuperrime sit suggestum quod idcirco dictus Joachim cedenti licentiam postulabat quoniam ad notitiam ejus pervenerat quod quidem parentes ipsius ut eligeretur in episcopum quædam dederant, licet pauca, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus inquisita super iis diligentissime veritate, si
C tibi constiterit quod propter aliquam ex præmissis causis seu consimilibus idem Joachim episcopatui cesserit memorato, tu auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, dummodo necessitas et utilitas id exposcat, licentiam ei tribuas accedendi ad regimen Ecclesiæ Faventinæ; maxime si veritate subnititur quod tam præfati præpositus et canonici Faventini quam prior et capitulum Sancti Fridiani nobis suis litteris expresserunt, quod videlicet dictus Joachim loco tantummodo cesserit, et non ordini vel etiam dignitati. Tunc enim esset vehementissime præsumendum quod non propter crimen ab eo commissum causa pœnitentiæ peragendæ ad vitam migraverit regularem; præsertim cum apostolica sedes post
D cessionem multo minus quam ante permisisset eidem tali crimine irretito in pontificali ordine ministrare. Alioquin, cum durum nimis existeret contra tam solemne concilium hujusmodi postulationem admittere, præposito et canonicis memoratis injungas ut aliam personam idoneam sibi eligant in pastorem.

Datum Laterani, IV Idus Februari, pontificatus nostri anno undecimo.

—

(146) Cap. *Post. translat.*, De renuntiat. Vide infra epist. 278.

(147) Vide lib. V De conc. sac. et imp., cap. 21, § 12.

CCL.

ABBATI ET CANONICIS DOMINICI TEMPLI.

*Suscipiuntur sub protectione apostolicæ sedis.*

(Laterani, XI Kal. Februarii.)

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, devotionem quam erga beatum Petrum et nos ipsos habere noscimini attendentes, personas vestras cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem Sancti Nicolai de Varvar Constantinopoli, Sanctæ Trinitatis Atheniensis, Sancti Nicolai Thebani, Sancti Nicolai de Nigroponte, et Sanctæ Mariæ de Clusurio diœcesis Fermopilensis ecclesias cum omnibus possessionibus et pertinentiis earumdem, necnon et præbendam Atheniensem, sicut eas juste ac pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo . . . hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, etc. *usque* incursurum.

Datum Laterani, XI Kal. Februarii, anno undecimo.

CCLI.

ABBATI ET CONVENTUI MOLISMENSI.

*De visitatione monasterii Molismensis.*

(Laterani, VI Id. Februarii.)

Cum olim ad nostram audientiam pervenisset quod monasterium Molismense graviter esset in temporalibus spiritualibusque collapsum, dilecto filio abbati Cisterciensi dedimus in mendatis ut ad ipsum cum ea diligentia qua solebat suas filias visitare annuatim accedens, corrigeret tam in capite quam in membris quæ corrigenda regulariter inveniret et statueret statuenda. Postmodum autem plerique viri religiosis per suas nobis litteras intimarunt quod abbate ipso præfatum monasterium visitante, repertum fuit in bono spiritualium et temporalium statu manere, ac sicut tu, fili abbas, per evidentem exposueras rationem, debitum viginti duorum millium librarum, quo cum suscepisti administrationem ipsius illud inveneras oneratum, per factam solutionem extenuaras in tantum quod nisi mille quingentæ libræ remanserant exsolvendæ reductis etiam ad monasterium ipsum possessionibus multis et magnis quæ sub fenore fuerant obligatæ, mille septingentis libris exceptis quas in monasterio reparando constiterat te per testes idoneos expendisse. Unde pro monasterio ipso nobis fuit humiliter supplicatum ut cum ex visitatione prædicta, quæ dicebatur per æmulos monasterii fuisse subrepta, eidem monasterio utilitas aliqua non pervenerit, neque proventura etiam crederetur, quin potius jam fuisset inutiliter in expensis ejus occasione gravatum, maxime quia timebatur ne prætextu visitationis ipsius jus correctionis perpetuæ usurparetur in eo, revocare dignaremur eamdem. Nos ergo, sicut fueramus ante tristati cum de lapsu ipsius monasterii nobis exstitit nuntiatum, ita postea de boni status ipsius relatione gavisi, attendendo quod præfatus abbas ad exsequendum commissæ sibi legationis officium de mandato nostro contra hæreticos proficiscebatur in provinciam Narbonensem, quo minus poterat monasterii sæpedicti negotium procurare, venerabili fratri nostro Trecensi episcopo et collegis ipsius dedimus in præceptis ut cum idem abbas nihil nobis de hujusmodi nuntiasset, nonobstantibus litteris obtentis ad ipsum, super præmissis inquirerent diligentius veritatem, et inquisitam nobis fideliter rescribere procurarent, ut per eos certiores effecti procederemus in facto sicut nobis Dominus inspiraret. Ipsi vero in inquisitionem eorum sollicite procedentes ad præsentiam nostram inquisita remittere curaverunt; per quæ videtur ostensum quod idem monasterium per laudabilem regiminis tui curam spiritualiter et temporaliter profecit in multis, cum, sicut et assertum a pluribus et a nemine contradictum, contractorum antea debitorum numerosa solutio et obligatarum possessionum redemptio studiosa, muralis quoque reparatio fabricæ, ac moralis reformatio disciplinæ, te, fili abbas domui tuæ bene præpositum fateantur. Super quo sollicitudinis tuæ prudentiam plurimum in Domino commendantes, monemus attentius et hortamur quatenus sequentia continuando prioribus, in incœpto bono non deficias, sed proficias, ac more navis contra ictum fluminis ascendentis, quæ uno in loco nequaquam stare permittitur, quoniam ad inferiora relabitur nisi ad superiora conetur, posteriorum oblitus ad anteriora cum Apostolo te extendas, et inceptum opus studio satagas incessaute perficere; ne, quod absit! hoc ipsum quod operatus es incidens possit remissio vacuare. Ut autem eo melius quo liberius utilitates valeas dicti monasterii promovere, quod per Dei gratiam et diligentiam tuam in eo asseritur esse statu quod visitatoris extrinseci sollicitudine non indigeat, a prædicto visitationis mandato auctoritae præsentium vos reddimus absolutos, præsertim cum idem ex injuncto sibi legationis officio contra provinciales hæreticos Ecclesia negotiis occupatus, si etiam expediret, minus posset circa ista versari, et caveri quoque sicut petis oporteat ne prætextu visitationis ipsius jus correctionis perpetuæ in monasterio ipso valeat usurpari. Tu ergo, fili abbas, ita vigila circa ipsum ut alienam non oporteat ibi vigiliam adhiberi; ne si secus faceres, aliter nos de ipso compelleres cogitare.

Datum Laterani, II Idus Februarii, pontificatus nostri anna undecimo.

—

CCLIII.

LARISSENO ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPO DAVALIENSI, ET CITRIENSI ELECTO.

*De residentia canonicorum in loco tuto.*

(Laterani, VIII Id. Februarii.)

Venerabilis fratris nostris episcopi et dilectorum filiorum capituli Cermopilensis [Thermopyl.] nobis exposita significatio patefecit quod destructa quondam Cermopilensi civitate per guerrarum incursus,» episcopus et canonici qui tunc erant, in loco quem Bondoniciam vocant incolæ secus mare quoddam oratorium, ut divinum in eo celebrarent officium, construxerunt ; quem locum adeo piratis et aliis malefactoribus pervium asseverant quod plerique superveniant canonicis ibidem volentibus celebrare, quorum timore iidem canonici, vestibus et aliis ecclesiasticis ornamentis abjectis, relictoque Dei servitio, fugam petunt, personarum periculum metuentes, cum quidam episcopus, tertius a præfato episcopo qui nunc præest, ab hujusmodi malefactoribus in eodem loco crudeliter fuerit interemptus. Unde a nobis humiliter postularunt ut indemnitati Ecclesiæ ac securitati earum misericorditer providentes, eis concedere dignaremur ut in abbatia quæ Communio vulgariter appellatur in proprio Cermopilensis Ecclesiæ fundo sita valeant commorari. Quia vero nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super iis diligentius veritate, si necessitas hoc exposcit, ipsis sine præjudicio monachorum in dicto monasterio commorandi, donec alias provideatur eisdem, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, licentiam tribuatis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes, etc., duo vestrumea, etc.

Datum Laterani, VIII Idus Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCLIII.

ABBATI ET CONVENTUI SANCTI MAURI ANDEGAVENSIS.

*Ecclesia Sancti Petri de Culturis adjudicatur.*

(Laterani, III Id. Februarii.)

Cum causam quæ super jure patronatus Ecclesiæ Sancta Petri de Culturis inter vos et Andegavensem Ecclesiam vertebatur dilectis filiis decano Sancti Petri et de Cella et Sanctæ Radegundis prioribus Pictavensibus commiserimns decidendam, ipsi utriusque partis receptis testibus, instrumentis et aliis rationibus intellectis, usque ad diffinitivam sententiam servato juris ordine procedentes, ad nos causam eamdem remiserunt instructam, partibus terminum præfigentes quo cum attestationibus ipsis et aliis instrumentis nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, inspectionem instrumentorum et testium depositiones dilectis filiis Joanni Sanctorum Cosmæ et Damiani et Pelagio Sanctæ Luciæ ad septa solis diaconis cardinalibus duximus com- A mittendam : qui cum omnia inspexissent diligentius et nobis fideliter retulissent, jus patronatus ipsius ecclesiæ Sancti Petri de Culturis adjudicavimus monasterio Sancti Mauri, Andegavensi Ecclesiæ super hoc perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo... hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, etc. *usque* incursurum.

Datum Laterani, III Idus Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

CCLIV.

EPISCOPO ET CAPITULO LEXOVIENSIBUS.

*De thesauraria et præbenba Lexoviensi reservatis a papa.*

(Laterani, II Id. Februarii.)

Cum thesaurariam pariter et præbendam quas B bonæ memoriæ Joannes subdiaconus noster in ecclesia vestra tenuit donationi nostræ dudum reservassemus personæ idoneæ conferendas, te, frater episcope, per nostras litteras et monuimus et rogavimus ut in hoc ita gratuitum impertireris assensum et tuam nobis quantocius super eo rescriberes voluntatem quod ipsarum demum collatio tuæ liberalitati non minus quam nostræ posset gratiæ imputari ; quarum profecto collationem sic in nostra retinuisse nos intimavimus potestate ut donec tuum ad nos responsum et nostrum tandem ad te recurreret beneplacitum, super eis nihil ab alio de ipsis attentari liceret, et si quid interim attentari contingeret, irritum decrevimus et inane. Vos autem nobis per vestras litteras respondistis quod cum C de ipsius Joannis obitu vobis certissime constitisset, decimo die antequam vel per nuntium vel per litteras super iis quidquam vobis de nostra innotesceret voluntate, thesaurariam dilecto filio magistro Willelmo Arundel, cui multiplex morum asseritis et litteraturæ meritum suffragari, præbendam vero in duas portiones divisam duobus viris idoneis, vita commendabilibus et scientia, de communi dederatis consensu, ut in duabus ecclesiis quæ ad jam dictam pertinebant præbendam plenius et sufficientius ministrari valeret, ac utrique oneris parte detracta, animarum cura posset ab eis et sustineri facilius et diligentius exerceri. Unde nobis humiliter supplicastis ut si vel erratum esset in hujusmodi ordinatione corrigere, vel si foret recte processum, illud apostolico dignaremur mu- D nimine roborare. Licet igitur, si præhabita undecunque prælibati nostri notitia constitui vel vos ad conferendum vel illi ad recipiendum prædicta beneficia processissent, non solum id quod esset taliter attentatum deberet in irritum revocari, verum etiam vos et illi graviter deberetis de contemptu puniri. Quia tamen, si res ita se habet quemadmodum per vestras litteras expressistis, de comtemptu excusabiles apparetis, discretioni vestra committimus intuendum quatenus si considerato constituto prædicto, quod sic actum est cognoveritis de jure posse valere, ii quibus ipsa beneficia contulistis, non solum ex permissione, verum etiam ex conce-

sione nostra ipsa retineant confidenter ; si vero quod taliter factum est ne jure stare non potest, ne justitiam simul et conscientiam offendatis, eo in statum quem per nostrum statutum expressimus revocato, id nobis quantocius per vestras litteras intimetis, ut de ipsis juxta quod nobis Dominus inspiraverit ordinemus.

Datum Laterani, II Idus Februarii, pontificatus nostri an. undecimo.

CCLV.

ATREBATENSI EPICOPO, ET DE DUNIS ET URSICAMPI ABBATIBUS MORINENSIS NOVIOMENSIS DIOECESUM.

*De collatione præbendarum Ariensium.*

(Laterani, XIV Kal. Martii.)

(148) Dilecto filio G. Ariense præposito nobis innotuit exponente quod cum causam quæ inter ipsum et nobilem mulierem comitissam Flandrensam super donatione sex præbendarum sacerdotalium agitatur vobis, frater episcope ac fili abbas de Dunis, necnon et dilecto filio Atrebatensi decano duxerimus committendam, idem præpositus citra litis contestationem proposuit coram vobis quod testimonium ipsius decani necessarium sibi erat in causa prædicta, cum de jure suo nonnisi per ipsum et alium unicum tantum testem facere fidem posset. Unde postulavit instanter ut vel vos duos in causa illo procederetis excluso, vel supersederetis negotio quoadusque nos loco ejus alium substitui mandaremus. Vos autem petitionem ejus in hoc admittere recusastis ; quinimo post appellationem quam ad nos ipse propter hoc et alia interposuit, a præbendarum ipsarum donatione suspendistis eumdem. Ne igitur ob hujusmodi testis defectum præpositi memorati justitia valeat deperire, te, fili abbas Ursicampi, loco prænominati decani duximus subrogandum ; per apostolica scripta mandantes quatenus si præmissis veritas suffragatur, prælibata suspensione præpositi relaxata, in causa ipsa juxta prioris mandati tenorem ratione prævia procedatis. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, XIV Kal. Martii, anno undecimo.

CCLVI.

BERARDO ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO, EJUSQUE SUCCESSORIBUS CANONICE SUBSTITUENDIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum*

(Laterani, Id. Februarii.)

(149) Antiquam Atheniensis gloriam civitatis innovatio gratiæ non putitur antiquari, quæ, quasi modernæ religionis figura in prima ejus fundatione præluserit, cultum quem tribus distincta partibus tribus falsis numinibus impendebat, sub tribus demum personis erga veram et individuam Trinitatem convertit, studioque mundanæ scientiæ in divinæ sapientiæ desiderium immutato, arcem famosissimæ Palladis in sedem humiliavit gloriosissimæ genitricis veri Dei nunc assecuta notitiam

A quæ dudum ignoto exstruxerat Deo aram. Civitas quidem ipsa præclari nominis ac perfecti decoris philosophicam prius artem erudiens, et in apostolica fide postmodum erudita, dum et poetas litteris imbuit et prophetas demum ex litteris intellexit, dicta est mater artium et vocata civitas litterarum. Hanc autem, si velimus interpretans in interpretatum convertere, Cariathsepher possumus appellare ; quam quia Othoniel imperio Calep subdidit, filia ejus Axa data in conjugem illi fuit. Subdita ergo Deo, venerabilis in Christo frater archiepiscope, hac egregia civitate, ut ipsam in ejus subjectione conserve, sponsam in ea tibi spirituali conjugio copulasti, quam instar Axæ veluti a te monitam intelleximus suspirando deposcere ut arentia sua apo-

B stolicæ benedictionis irriguis perfundere dignaremur. Nos igitur non incongruum reputantes munus illuc apostolici patrocinii litteratorie destinare, unde copiam scientiæ litteralis in orbem pene totum novimus effluxisse, justis postulationibus clementer annuimus, et Atheniensem ecclesiam, cui favente Deo, præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus ac præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quacunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regnum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque succes-

C soribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda : Casalia, Procovenico, Vertipos, Triclini, Platan, Felin, Curiomonaster, Cassas, Menidi, Ducheleos, Calixtes, Perseconar, Catraperseta, Clazazundas, Chandebride, Alianastasis, Pothamo, Pirgo, Hu, Mareton, Oargite, Largedo, Lalaconite, Vatia, Literne, Mortar. Episcopatus quoque inferius adnotatos ecclesiæ tuæ ab antiquis temporibus metropolitico jure subjectos tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet episcopatum Ægripontis, Cermopilensem, Davaliensem, Abelonensem, Zorconensem, Caristiensem, Coroniacensem, Andrensem, Megarensem, Squirensem et Cheensem. In Caristiensi episcopatu duo casalia, Lesboveries, Lepesin, Leperistere, Lamarogna, Locarimera. Lomoni, Lo-

D chichemi, Lopoistille, Cundegrat, Lapisto, Vineas Conizari, Muscarel, Catachephalar, Agiafronesis. Quadringentas palicas et ducentos papates commorantes Athenis, et centum palicas in Thebis, et centum in Nigroponte. Molendina ecclesiæ, hortos et balnea, et macella de Nigroponte et Athenarum, et flumina unde rigantur horti. Abbatias Sancti Siriani, Sancti Michaelis, Sancti Joannis et Sancti Nicolai. Monasteria Beati Nicolai de Catapercica Beati Nicolai de Columnis, et Sanctæ Mariæ de Blakernis. Monasteria Cinoloitarum, Sancti Pro-

(148) Cap. *Dilecto*, De testibus.

(149) Vide supra epist. 237, 243, 245.

thasii, Sanctæ Trinitatis, Sancti Georgii, Sancti Dionysii Areopagitæ, Sancti Theodori, Sanctorum Cosmæ et Damiani, Beati Nicolai de Ducheleo, Beati Nicolai de Menide, Beati Phillipi, Sancti Lucæ, Sancti Georgii de Insula, monasterium Copreæ et Sancti Blasii. Usum quoque pallei ad pontificalis officii plenitudinem tuæ fraternitati apostolicæ sedis liberalitate concedimus, quo utique infra tuam ecclesiam ad missarum solemnia uti memineris eis diebus quibus prædecessores tuos usos fuisse cognocis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, hypapanti, Dominica in Ramis palmarum, cœna Domini, Sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus sanctæ Mariæ, natale beati Joannis Baptistæ, solemnitate omnium apostolorum, commemoratione Omnium Sanctorum, dedicationibus ecclesiarum, ecclesiæ tuæ principalibus festivitatibus, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum et anniversario tuæ consecrationis die. Cœmeteria insuper ecclesiarum tuæ diœcesis et ecclesiastica beneficia nullus hæreditario jure possideat. Quod si quis hoc facere contenderit, censura canonica compescatur (150). Porro quia quidam monachorum jus suum episcopis auferre contendunt auctoritate apostolica prohibemus ne monachi in diœcesi Atheniensi capellanias teneant sacerdotis, seu capellani beneficium aut officium sine auctoritate pontificali usurpent, sed presbyteris capellanis integre conserventur quæcunque ad jus capellaniæ pertinere noscuntur. Statuimus præterea ut nullus cujusquam ordinis clericus ecclesias in vita sua tantum sibi commissas ad jus archiepiscopii pertinentes sine conscienta vel consensu tuo vel successorum tuorum faciat censuales aut in cujusquam transferat potestatem ; et si factum fuerit, irritum habeatur. Sed nec monachi aut canonici, seu quilibet alii clerici in ecclesiis ad tuam diœcesim pertinentibus sine auctoritate tua instituere vel removere audeant capellanos, nisi forte pontificum Romanorum privilegio vel antiqua et rationabili consuetudine muniantur. Præterea quod a te communi assensu capituli vel majoris partis sanioris consilii in tua diœcesi canonice fuerit institutum, ratum et firmum volumus permanere. Prohibemus autem ne presbyteri vel alii capellani ecclesiarum ad ecclesiæ tuæ jus pertinentium possessiones earum absque consensu tuo, salvis tamen canonicis institutionibus, distrahere, vendere vel obligare, seu alio quolibet modo alienare præsumant. Quod si factum fuerit, irritum habeatur. Apostolica insuper auctoritate vetamus ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia et consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice et promulgatam aliquis venire præsumat, nisi forte periculum mortis

(150) Imitatum ex Urbano II, 16 q. 2, cap. 6, *Sane quia.*

A immineat, ut dum præsentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam ecclesiæ satisfactione præmissa oporteat ligatum absolvi. Ad hæc, omnes libertates et immunitates, dignitates quoque ac rationabiles et approbatas consuetudines ecclesiæ tuæ, necnon et exemptiones sæcularium exactionum a regibus seu principibus aut aliis fidelibus rationabiliter tibi et ecclesiæ tuæ ac clericis ejus indultas auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nilli omnino hominum liceat Atheniensem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac B sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salvis semper in omnibus apostolicæ sedis auctoritate, reverentia et mandato. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorique sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi ; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, C et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, Idibus Februarii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1208, pontificatus vero domni Innocentii papæ III anno undecimo.

## CCLVII.

PARISIENSI EPISCOPO.

*De clerico falsario.*

(Laterani, XIV Kal. Martii.)

(151) Novimus expedire ut verbum illud quod et in antiquis canonibus et in nostro quoque (152) decreto contra falsarios edito continetur, ut videlicet clericus per judicem ecclesiasticum degradatus sæculari tradatur curiæ puniendus, apertius exponamus ; D cum et quidam prædecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, et quorumdam sit opinio a pluribus approbata, ut clericus qui propter hoc vel aliud grave flagitium non solum damnabile, sed damnosum fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur, cum ab ecclesiastico fuerit foro projectus ; cujus utique degradatio celebranda eo sæculari potestate præsente, ac prænuntiandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum accipiat degradatum, et sic intelligitur tradi curiæ sæ-

(151) Cap. *Novimus*, De verbor. significat.
(152) Cap. *Ad falsarior.*, De falsariis.

culari; pro quo tamen Ecclesia debet efficaciter intercedere ut citra mortis periculum citra eum sententiam moderetur. Pro illo vero falsario scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum includas, pane doloris et aqua angustiæ sustentandum, ut commissa defleat et flenda ulterius non committat.

Datum Laterani, XIV Kal. Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCLVIII.

AVRIENSI EPISCOPO.

*De jure patronatus.*

(Laterani, II Id. Februarii.)

(155) Postulasti per sedem apostolicam edoceri ut cum rectores parochialium ecclesiarum quandoque quosdam præsentent ad suarum ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos rectores pertineat vel etiam ad patronos, et si in iis patronorum non est requirendus assensus, utrum jus illis salvum remaneat eligendi, ut cum ipsas ecclesias vacare contigerit, intitulati hujusmodi non sint aliis præferendi. Ad quod fraternitati tuæ breviter respondemus, quod per intitulationem hujusmodi nullum patronis præjudicium generatur quin possint alios ad ipsas ecclesias, cum vacaverint, præsentare, nisi de patronorum processerit assensu.

Datum Laterani, II Idus Februarii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCIX.

UNIVERSIS EPISCOPIS PER ANGLIAM CONTITUTIS.

*Commissio adversus eos qui non servarunt interdictum.*

(Laterani, IX Kal. Martii.)

(154) Cum Cisterciensis ordinis monasteria per Angliam constituta interdictum ecclesiasticum pro negotio Cantuariensis ecclesiæ auctoritate nostra generaliter promulgatum incœpissent arcte servare, postmodum quædam eorum, sicut accepimus, appellationis prætextu quam occasione privilegiorum suorum interposuisse dicuntur, ipsum non solum quoad eorumdem privilegiorem indulta temera violarunt, verum etiam in campanis sonantibus ac boantibus cantilenis, apertis januis, et ad communionem aliis invitatis, solemnius præsumpserunt solito celebrare. Licet igitur tantam præsumptionis audaciam de viris religiosis credere vix possimus, quia tamen, si verum est quod asseritur, non sine gravi jactura libertatis ecclesiasticæ debilitari posset per illud nervus canonicæ disciplinæ, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus super hoc inquiratis diligentissime veritatem, et abbates sive priores monasteriorum illorum quæ taliter inveneritis celebrare suspensos ad præsentiam nostram ad satisfaciendum de tanto contemptu, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam accedere compellatis, monasteria cogentes ipsa simili censura ut secundum mandatum venerabilium fratrum nostrorum Londoniensis episcopi (155) et coexsecutorum suorum inviolabiliter prælibatum interdictum observent, nonobstante quolibet privilegio, cum nec possit mandato apostolicæ auctoritatis obstare, qua semper salva hujusmodi privilegia conceduntur. Quod si non omnes... singuli vestrum ea nihilominus exsequantur, etc.

Datum Laterani, IX Kalend. Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCLX.

ABBATI CISTERCIENSI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*De eadem re.*

(Laterani, IX Kal. Martii.)

(156) Grave gerimus et indignum quod cum monasteria tui ordinis per Angliam constituta interdictum ecclesiasticum, etc. *ut in alia usque* canonicæ disciplinæ, venerabilibus fratribus nostris episcopis per Angliam constitutis districte dedimus in præceptis ut super hoc inquirant diligentissime veritatem, et abbates sive priores monasteriorum illorum, quæ taliter invenerint celebrasse, suspensos, etc. *usque* per censuram ecclesiasticam venire compellant, monasteria ipsa simili censura cogentes ut secundum mandatum venerabilium fratrum nostrorum Londoniensis episcopi et coexsecutorum suorum, etc. *ut in alia usque* conceduntur. Quia vero tanto reputamus indignius hoc a Cisterciensi ordine sustinere quanto minus apostolica sedes et nos meruimus apud illum ut pro gratia nobis injuriam et contemptum rependeret pro honore, propter quod, nisi rationabilem animi nostri motum ille zelus ferventissimæ charitatis quem circa te aliosque religiosos ejusdem ordinis gerimus temperaret, hujusmodi temeritatis actores graviori curavissemus animadversione punire, discretionem tuam monemus attentius et hortamur, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus super eo dolens et mœrens quod ex tuo videtur hortatu tantus provenisse contemptus, quandoquidem, sicut ipse nobis per tuas dudum litteras intimasti, et nos per nostras super hoc familiari ratiocinatione jurgavimus, appellandi causas et audaciam celebrandi consultus consulentibus suggessisti, eum de mandato quod superius est expressum accipias intellectum ut sic alios tui ordinis a simili culpa præserves ne pœnam similem seu forsan graviorem illa quæ nunc istis infligitur ad ipsos contingat extendi; quia profecto si secus, quod non credimus, attentares, caput et membra, juxta quod hoc vel illa peccassent, castigatione debita puniremus.

Datum Laterani, Kal. Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

(153 Cap. *Postulasti*, De jure patron.

(154) Vide Matth. Paris ad an. 1209, et supra epist. 102, 214.

(155) Vide supra epist. 141, 214, et infra lib. XII, epist. 9.

(156) Vide epist. super.

CCLXI.

MELDENSI ELECTO, ET ABBATI SANCTÆ GENOVEFÆ, ET GUILLELMO ARCHIDIACONO PARISIENSI.

*De electione episcopi Virdunensis.*

(Laterani, x Kal. Martii.)

Dilectus filius magister Herbertus Virdunensis canonicus in nostra proposuit præsentia constitutus quod necato dudum in armis episcopo Virdunensi, decanus et capitulum Virdunensis Ecclesiæ foraneorum et quorumdam residentium quoque fratrum, qui studiorum vel aliis necessariis causis aberant, captantes, ut videbatur, absentiam, octavum diem sepulturæ pontificis interempti ad eligendum sibi pastorem præpropere statuerunt: in quo videlicet die idem magister casu non vocatus interfuit; eoque cum aliis ingresso capitulum, decanus primo verbo ad B electionem spectante dixit se ac alios in primicerium consensisse, continuoque in aure archidiaconi secreto susurrans sermonem iteravit consimilem, quibusdam subjungendo dicentibus id quod ille dixerat verum esse. Cumque protinus primicerium ipsum pro persolvendis debitis prædecessoris sui rogare cœpissent, magister memoratus admirans si adeo processum fuisset ab eis, inquit decano non esse ita præcipitanter sed cum diligenti deliberatione ante nominationem super electione tractandum, cancellario respondente quod de ipso jam antea pertractarant. Ad hæc igitur ipse magister facti novitate permotus surrexit, et accedens propius, auctoritate cœpit apostolica prohibere ne quid contra canonicam formam fieret, appellare intendens et appellationis causas nihilominus assignare. Plurimi autem C audito quod auctoritatem apostolicam nominasset, consurgentes circumdederunt eumdem, et conclamantes improbe cum clamante, loquentis interrupere sermonem, volentemque intermissa verba resumere, confusi clamores fremitu prohibebant audiri, ac demum jurgatum graviter ut taceret, et superpellicio tractum fortiter, ad sedem propriam redire fecerunt. Qui tandem viso quod primicerius idem surgens pavimento procubuit, quasi electionis suæ gratias redditurus, iterum proclamavit in continenti se offerens paratum ostendere quare idem primicerius eligi non deberet, appellans ad nos, et proximo tunc futuras octavas Omninum Sanctorum terminum appellationi prosequendæ præfigens. At illi eum, sicut et prius, clamore vincentes, primicerium D ipsum in episcopali cathedra nihilominus posuerunt. Quod cum ad notitiam quatuor concanonicorum qui studebant Parisiis pervenisset, tres eorum præfato adhæsere magistro; quorum duo ad Virdunensem Ecclesiam redeuntes, pro se ac tertio contradicere curaverunt; qui etiam acceptis litteris ejusdem tertii concanonici ac prædicti magistri factum continentibus et inhibentibus cum appellationis objectu ne talis confirmaretur electus, ad Treverensem archiepiscopum accessere; in cujus præsentia cum confirmationem electionis hujusmodi studuissent prudenter et fideliter impedire, multorum demum

A devicti precibus in illam consensisse dicuntur, quanquam postea cum ipsis et sex aliis sæpe dictus, magister coram eodem archiepiscopo constitutus, una cum eis pariter interdixerit ne ad consecrationem procederet impendendam, super quinque articulis ad nostram audientiam appellando, quatuor in factum et uno in personam expressis, primo videlicet quod ad faciendam electionem absentes legitime non fuere vocati, secundo quod super ipsius tractatu deliberatio debita non processit, tertio quod eidem magistro audientia cum debita tranquillitate fuerat denegata, quarto quod post appellationem ad nos legitime interpositam processum fuerat in negotio, quinto autem quod litteraturæ defectum dicebant eumdem primicerium sustinere, asserentes insuper electionem ipsius ex multis aliis fuisse suspectam. Super quibus omnibus licet idem magister cum sociis suis et rationes et canones allegasset, ac tam præsentatoribus quam consecratoribus necnon etiam consecrando appellationem innovando pluries inhibuerit ne ab consecratione procedere attentarent, illi tamen nihilominus processerunt. Unde cum sociis suis supplicabat humiliter ut quod sic illicite factum fuerat in irritum revocantes, eos quoque per quos fuerat attentatum debita dignaremur pœna punire, ac præcipere nihilominus de aliis quæ duxerint proponenda veritatem inquiri. Cæterum dilectus filius R. procurator partis adversæ proposuit econtrario quod cum decanus et canonici Virdunenses a civibus suis essent de civitate propria pro Ecclesiæ libertate depulsi, omnisque ipsorum substantia devorata, mortuo demum episcopo memorato tutum convenerunt in locum, et non solum seditiones civiles, verum etiam hostilia bella pensantes, ut in utrisque sibi salubriter in pastoris substitutione consulerent, inducias a civibus petere decreverunt, quatenus ad eligendum sibi pontificem in suum possent capitulum convenire. Cumque breves eis induciæ concessæ fuerint difficulter ab illis, diem electioni faciendæ unanimiter præfixerunt, infra quem vocatis omnibus concanonicis qui vel debuerunt vocari vel vocari commode potuere, de persona eligenda in choro et capitulo deliberarunt ac sollicite tractaverunt. Præfixa itaque die convenientibus universis qui vocati venire voluerunt in unum, decanus, qui medio tempore diligentiam maximam adhibuerat in perscrutandis voluntatibus et intentionibus singulorum, de communi assensu ad petitionem totius capituli præfatum primicerium, virum integræ famæ, nobilem ac facundum, in temporalibus providum, et in spiritualibus sufficienter instructum, eo modo quo decuit nominavit et in pastorem elegit, consentientibus universis qui aderant, prædicto magistro duntaxat excepto, qui non erat de residentibus in Ecclesia, sed foraneus, nes aliquam rationabilem causam sui dissensus ostendit. Cumque prænominato archiepiscopo electionem ipsius confirmandam præsentassent ex more, die demum confirmationis ipsius contradixerunt quidam; sed postmodum con-

sentientes in ipsum, simul cum aliis petierunt ut idem archiepiscopus electionem confirmaret prædictam et diem consecrationis præfigeret impendendæ. Quapropter archiepiscopus de prudentum consilio electionem confirmavit eamdem, et diem consecrationi præfixit, in qua denique sæpedictus magister et quidam alii qui prius in electionem consenserant, ac duo alii qui conquerebantur se non fuisse vocatos, consecrationem impedire moliti sunt, rationes quasdam, diligenter quidem, sed non efficaciter proponendo, quibus demum archiepiscopus ipse pro frivolis reputatis, de concilio episcoporum, abbatum, et jurisperitorum præfatum electum in episcopum consecravit ipso magistro cum suis a præsentia ejus contumaciter recedente. Unde procurator jam dictus suppliciter postulabat ut quod circa electionem et consecrationem memorati episcopi nitebatur astruere canonice factum esse, ratum dignaremur habere; præsertim cum, etsi non eminentis litteraturæ, competentis tamen esse asseveraret eumdem, et Ecclesiam Virdunensem in multis jam sub ejus regimine profecisse. Quia igitur nobis non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus habentes præ oculis solum Deum, vocatis qui fuerint evocandi, inquiratis super iis diligentissime veritatem, et usque ad calculum diffinitivæ sententiæ, sublato appellationis obstaculo, procedentes, causam sufficienter instrutam nobis remittere procuretis, præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent; ita quod si dictus episcopus maluerit ad præsentiam nostram in propria persona venire, super litteraturæ duntaxat articulo, cum per examinationem præsentem satis nobis valeat de ipsa liquere, minime procedatis. Alioquin de ipsa diligenter examinantes eumdem, quod inveneritis simili modo ad nostram præsentiam transmittatis. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam cessante appellatione cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exsequendis, etc. duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, x Kal. Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

### CCLXII.

CYNTHIO RITULI SANCTI LAURENTII IN LUCINA PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

*Respondet ad ejus consulta.*

(157) Officii tui laudabilem exsequeris actionem cum super illis de quibus dubitas per nos postulas edoceri. Sane nobis tuis litteris intimasti quod cum monasterium quoddam possessionibus convenienter ditatum, sed positum in medio nationis pravæ et perversæ postore careret, monachi de electione abbatis tractantes necessarium duxerint personam eligere aliquam cujus potentia valeret a persecutoribus

A liberari, cumque non possent sui ordinis idoneam invenire personam, in quemdam virum nobilem oculos direxerunt, per quem melius poterat defensari, et consilio quorumdam jurisperitorum adierunt patrem ipsius, humiliter postulantes quod filium suum induceret ut habitum susciperet monachalem, nullam patri de ipsius promotione fiduciam tribuentes, et pater ad hoc induxit filium discretum, providum, litteratum, et viginti quinque annorum ætatis; qui monachus est effectus, nulla spe, ut asserit, de sublimatione tributa, sed die in quo monachus est effectus, fuit in abbatem electus: cujus electio fuit per dilectum filium nostrum G. de Lab. subdiaconum nostrum rectorem Messanæ, apostolicæ sedis legatum, qui in omnibus prædictis interfuit, confirmata.

B Cum autem idem sit paratus purgare se quia nulla fuit ab hoc ambitione inductus, per litteras nostras postulas edoceri utrum dictus legatus potuit hujusmodi electionem confirmare vel dispensare ut quod factum est stare possit, et utrum electione rite cassata, iterum valeat eligi in abbatem. Nos autem consultationi tuæ taliter respondemus, quod licet ex his quæ in continenti subsecuta sunt ostendatur quod talis taliter eligi non possit in abbatem maxime cum ex eo quod, antequam esset discipulus, voluit esse magister, electionem illam irritam esse decernimus et inanem. Verum postquam fuerit in regula competenter instructus, si urgens necessitas et evidens utilitas ipsius monasterii postulaverit, purgatione recepta poterit in adbatem assumi, ne monasterium opprimatur incursibus malignorum.

C (158) Secunda quæsisti, cum quis in testamento relinquit episcopo propriam portionem, et alia multa monasteriis vel ecclesiis aliisque dimittit, utrum episcopus ex illis legitimam possit petere portionem adjiciens an cum aliquis ex testamento in fraudem modicum constituerit mortuarium et alia dimiserit pro anima sua plura, nihilominus possit episcopus exigere portionem de aliis a canone constitutam. Nos autem super iis consultationi tuæ taliter respondemus, quod si portionem illam cum conditione legavit episcopo ut esset ea sola contentus, et eam episcopus acceptavit, quia per hoc aliis renuntiasse videtur, de cæteris non poterit exigere portionem. Quod si eam ipsi absolute reliquit, portionem sibi debitam poterit nihilominus de cæteris vindicare.

D Si vero constiterit quod in fraudem modicum constituit mortuarium, ut in cæteris episcopus portione debita fraudaretur, quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent, episcopus portionem ex illis poterit exigere a canone constitutam, salvis indulgentiis pontificum Romanorum quæ quibusdam regularibus sunt concessæ.

(159) Requisisti de his quæ testator pro anima sua legat in ultima voluntate, qualiter sint inter episcopum et ecclesias dividenda. Et quidem regulariter verum est quod episcopus debet de his secundum

(157) Cap. *Officii*, De elect.
(158) Cap. *Officii*, De testam.

(159) Cap. *Requisisti*, Du testam. Vide infra lib. xii, episc. 58.

diversas consuetudines tertiam vel quartam portionem habere. Sed considerandum est diligenter utrum testator leget hoc modo, *Relinquo*, inquit, *istud episcopo*, an : *Relinquo istud ecclesiæ*,vel : *Relinquo istud episcopo et ecclesiæ*, an : *Relinquo istud episcopo, et relinquo illud ecclesiæ.* In primo casu distiguendum est utrum relinquatur illud episcopo ab extraneo, an propinquo. Si ab extraneo, generaliter verum est quod præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ. Unde cathedralis ecclesia canonicam de illo potest petere portionem; quemadmodum episcopo competit sua portio,si aliquid ipsi ecclesiæ relinquatur.Et hoc utique verum est, nisi testator exprimat quod velit illud esse tantum episcopi, non Ecclesiæ. In quo casu servanda est dispositio testatoris. Secus autem si exprimat quod velit illud esse tantum Ecclesiæ,non episcopi, (160) quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare. Nec est contrarium quod in canoni legitur (161),videlicet quod pontifices quibus ab extraneis aliquid aut cum Ecclesia aut sequestratum dimittitur aut donatur (quia ille qui donat, pro redemptione animæ suæ,non pro commodo sacerdotis,probatur offerre), non quasi suum proprium,sed quasi dimissum Ecclesiæ,inter facultates Ecclesiæ computabunt: quoniam hoc est verum cum testator ita sequestratim legat illud episcopo quod non exprimit utrum velit ad episcopum tantum et non ad Ecclesiam pertinere. Si vero relinquatur illud episcopo a propinquo, præsumitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi forte contrarium probaretur ; et de isto nihil potest Ecclesia petere in vita ejus. Quod si relinquitur episcopo et ecclesiæ,de illo canonica inter ipsos est divisio facienda. Si vero istud episcopo et illud Ecclesiæ relinquatur, sive æqualia sive inæqualia sint relicta,reducenda sunt ad divisionem canonicam inter episcopum et ecclesiam cathedralem,nisi ambo velint esse testatoris dispositione contenti; quam propter ultimæ voluntatis favorem satis decens est observari ubi neque fraus intervenit neque dolus, nec quisquam nimium defraudatur debita portione.Secus est autem si aliquid legetur episcopo et aliquid capellis vel monasteriis aut aliis piis locis. Nam in hoc casu quod legatur episcopo, ejus est præcipum cum ecclesia cathedrali, quemadmodum si cuilibet alii legaretur, et de iis quæ illis legantur portionem canonicam nihilominus obtinebit,quoniam non est tanta communio inter episcopum et capellas vel monasteria seu alia pia loca quanta est inter ipsum et ecclesiam cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus.Unde quæ acquirit episcopus, non illis, sed isti tantum acquirit. Illud autem est generaliter observandum circa eum qui potest proprium possidere prælationem vel administrationem Ecclesiæ non habentem, quod si ei aliquid specialiter relinquatur,non solum a propinquo,verum etiam ab extraneo,intelligitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ sed personæ, nisi probatio in contrarium appareret. Et idcirco de illo non episcopus nec Ecclesia potest in vita ejus sibi aliquid vindicare. Et hoc intelligitur esse verum cum fraus minime procuratur; quæ si detecta fuerit, patrocinari non debet.

(162) Significasti præterea, quamdam mulierem in pœnitentia fuisse confessam quod timans ne viri possessio devolveretur ad alios, inducta cujusdam consilio veneficæ mulieris quarumdam herbarum quotidie succum potabat, et sic ejus venter intumuit ; et inde gravidam se ostendens, tandem sibi partum supposuit alienum,timensque maritum,non vult facinus ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione qualibet esse suam.Quoniam igitur per nostras postulas litteras edoceri utrum ei, hac fraude durante, sit pœnitentia injungenda,inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod sicut mulieri quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda, ita nec illi debet pænitentia denegari,maxime si per alios intelligas alienos,ad quos timeat possessionem viri devolvi,sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet injungi. *Et infra*: Postremo (163) quæsisti utrum is qui propter plures excessus a pluribus prælatis jus in ipsum habentibus excommunicationis est vinculo innodatus, et uni prælatorum de uno tantum satisfacere vult excessu,ab eo sit absolvendus de quo satisfacere vult eidem, et cum de alio non satisfecerit,alii absolutus valeat nuntiari.Quia vero super hoc inter scholasticos diversæ sunt sententiæ diversorum, nos ad præsens nulli præjudicare volentes, id solummodo tibi super hoc articulo respondemus, quod supprimenti veritatem absolutio subrepta non prodest,et veritatem intelligens, absolutionem hujusmodi exhibere non debet (164).

## CCLXIII.

ARCHIEPISCOPO ET MAGISTRO GERNANDO CANONICO MAGDEBURGENSIBUS

*De electione abbatissæ Herisiensis.*

(165) Cum dilecta in Christo filia R. custos Herisiensis ecclesiæ ac Volpertus clericus procurator G.

(160) Cod. Andeg. *Episcopo relictum.*
(161) 12, q. 3, cap. *Pontifices.*
(162) Cap. 9 De pœnit.
(163) Cap. 24 De sent, et excom.
(164) Hæc epistola mutila est in Regesto,ubi duo capita desunt quæ nos reduximus ex antiquis collectionibus decretalium istius nostri pontificis,primum videlicet et tertium. Nam illa ita incipit in Regesto : *Officii*, etc., Et infra : *Secundo quæsisti.* Deinde post vocem *concessæ*, in qua desinit secundum capitalum, legitur. *Et infra :* et statim scribitur : *Significasti præterea quamdam mulierem.* Nos voces illas, *Et infra*, sustulimus, et capita quæ deerant reposuimus. Superest capitulum quintum, cujus loco in Regesto positum est, *Et infra*, verum reperire illud non potuimus in libris Decretalium.
(165) Cap. *Cum dilecta.* De rescriptis.

monialis olim ad sedem apostolicam accessissent, et super electionibus celebratis de custode ac moniale jam dictis litigassent aliquandiu coram nobis, nos iis diligenter auditis quæ tam a procuratore ipso fuere proposita quam custode, Helerwardensi et Hergensi abbatibus ac præposito Geismariensi dedimus in mandatis ut quidquid factum fuerat super monialis electione jam dictæ, auctoritate nostra suffulti, nullius contradictione vel appellatione obstante, denuntiarent irritum et inane, ac super ipsius electione custodis veritate diligentius inquisita, si electionem ipsius canonicam et personam idoneam invenirent, ipsam auctoritate apostolica confirmarent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Verum cum ipsa custos mandatum hujusmodi judicibus præsentasset, quod de præfata moniali factum fuerat denuntiaverunt irritum et inane. Quæ cum nollet dimittere abbatiam, judices ipsi excommunicationis eam vinculo innondantes, mandaverunt eamdem arctius evitari; sed ipsa cum electricibus suis post aliquot dies super electione sua per nuntium appellavit. Judices autem appellationi nullatenus deferentes, præsertim cum de nostro expresso mandato fuisset ejus electio irritata et appellatio esset in litteris nostris inhibita, citato Herisiensi conventu, de ipsius electione custodis, prout ipsis injunctum fuerat, inquirere studuerunt. Cumque ipsius electionem invenissent canonicam idoneamque personam, habito prudentum consilio electionem confirmantes ipsius, abbatiam Herisiensem auctoritate nostra per diffinitivam sententiam adjudicaverunt eidem. Et licet diœcesanus episcopus appellarit et inhibuerit Herisiensi conventui ne illi tanquam abbatissæ præsumerent obedire, ipsi tamen eam in corporalem ejusdem abbatiæ possessionem cum omni mansuetudine induxerunt, a qua per.. fratrem monialis prædictæ ac fautores ipsius per violentiam est ejecta, et præter alia mala quæ ibidem fuere nequiter perpetrata per illos, dictam R. coegerunt sacramento firmare ut usque ad festum Beati Martini tunc proxime futurum Herisiensem Ecclesiam non intraret nec etiam domo simplici vel quod ibidem obtinebat stipendio uteretur. Porro cum dicta R. super iis et aliis graviter vexaretur, ad nostram duxit præsentiam recurrendum, memorata G. moniali similiter veniente. Cumque super iis ipsa R. proposuerit quæstionem, et postulaverit confirmari processum judicum prædictorum et ut satisfieret sibi de damnis et injuriis irrogatis, dicta G. proposuit ex adverso quod cum electa fuerit in Herisiensis Ecclesiæ abbatissam a majori et saniori parte conventus, et ejus electio per diœcesanum fuerit episcopum confirmata ipsa custos ad abbatem de Conradesburch et ejus conjudices litteras impetravit. Ad quorum præsentiam cum ipsa G. citata veniret et ostenderet se spoliatam fuisse ipsius occasione custodis, sententiam ab ipsis judicibus reputavit se illi nullatenus respondere teneri nisi foret primitus restituta, sed ipsa custos ab eadem sententia provocando, appellationem suam est personaliter prosecuta. Cæterum cum ipsa G. ad hoc tantum procuratorem transmiserit ut eadem confirmaretur sententia, procurator ipsius mandati fines excedens passus est obtinere custodem quod voluit contra ipsam, et ad supradictos judices litteras reportavit; quorum unus excommunicationis sententiæ subjacebat, prout litteræ venerabilis fratris nostri Maguntinensis archiepiscopi nobis exhibitæ continebant: cum quo alter eorum, absente tertio, in omnibus inordinate processit, et licet tam ipsa quam Herisiense capitulum pro diversis gravaminibus appellarint, ipsi tamen nihilominus procedentes, eamdem custodem per Albertum familiarem ipsius, qui, sicut ex eisdem litteris memorati archiepiscopi probabatur, vinculo erat excommunicatis astrictus, et B. plebanum in corporalem fecerunt possessionem induci. Ad probandum vero quod procurator jam dictus mandatum tale receperit, ut videlicet appellationem interpositam prosequi procuraret, testes coram auditore sibi dato produxit. Sed econtra responsum est quod etsi testes illi mandatum tale probassent, per hoc tamen nullatenus est ostensum quin aliud recepisset, et ideo cum esset pro sententia præsumendum, præsertim cum fuisset a nobis cum maturitate consilii promulgata, manifeste intelligi poterat quod super principali negotio procurator prædictus mandatum receperat generale; sicut eadem custos per testem unicum, quem produxit, plenius ostendebat. Nos autem iis et aliis intellectis quæ fuerunt ab unaque parte proposita, præfatam G. monialem ab administratione ipsius abbatæ sententialiter duximus removendam, dilectis filiis scholastico Hildesemensi, custodi et scholastico Mindensibus dantes nostris litteris in præceptis ut ad ipsam Ecclesiam personaliter accedentes, abbatiæ administrationem ejusdem alii personæ idoneæ committere procurarent, cui ad opus Ecclesiæ fieret hinc inde resignatio subtractorum, ipsi vero interim de confirmationis sententia, quæ super electione custodis lata erat a delegatis judicibus, cognoscentes, sicut justum esset, confirmarent vel infirmarent eamdem; ita videlicet quod si pro eo quod unus ex judicibus delegatis, qui eamdem sententiam tulerant, excommunicationis esset vinculo publice innodatus quando sententia lata fuit, sicut per metropolitani litteras monstrabatur, aut ex alia causa ipsam constaret sententiam infirmandam, ea cassata, cognoscerent iterum de ipsius electione custodis, et quæ in factum fuissent proposita vel personam plenius audientes, ipsam, si fuisset inventa canonica, confirmarent; alioquin ea penitus infirmata, darent sororibus facultatem liberam eligendi, et quam in abbatissam sibi ducerent regulariter eligendam ejus electionem sublato appellationis obstaculo confirmarent, ac præfatæ custodi de bonis Ecclesiæ facerent in expensis legitimis provideri; contradictores nihilominus vel rebelles ut a sua temeritate desisterent per censuram ecclesiasticam

appellatione remota cogentes. Testes etiam qui nominati essent, si se gratia, odio, vel timore subtraherent, per districtionem eamdem cessante appellatione cogerent veritati testimonium perhibere. Ipsi vero judices tam custodem ipsam quam conventum Herisiensis Ecclesiæ ad suam præsentiam evocantes, dilationis eis terminum indulserunt; sed dilatione pendente, præposita Herisiensis cum complicibus suis abbati de Reinvehusen, præposito de Nova Ecclesia, et plebano de Eschenshuseim nostras litteras præsentavit, in quibus eisdem judicibus mandabatur ut supradicta custos quadam ipsius ecclesiæ ornamenta, custodiæ quoque proventus ad usum ecclesiæ pertinentes, et redditus de Meinchsern, qui debebant sororum necessitatibus ministrari ac quædam alia de præbendis earum, quæ per quosdam prædones malitiose subtraxerat et ipsa pro suæ voluntatis arbitrio detinebat, per censuram ecclesiasticam appellatione remota justitia mediante restituere cogeretur; quarum auctoritate custos ipsa citata, cum statuto sibi die non posset coram judicibus comparere, ipsi post appellationem a Lamberto clerico interpositam pro parte custodis ejusdem, ipsam excommunicationis sententiam protulerunt. Et licet eodem die procurator ipsius comparuerit coram eis, et eadem excommunicationis sententiam, utpote minus rationabiliter latam, peteret relaxari, cum in nullo penitus audiretur, appellationem a prædicto Lamberto clerico interpositam ratam habuit, et recessit. Ipsi vero appellationi minime deferentes receperunt testes a præpositæ ac complicum ejus parte productos, et eorum depositionibus in ipsius custodis absentia publicatis, ipsam cum complicibus suis ad restitutionem centum quinquaginta marcarum et de furto ac sacrilegio nihilominus condemnarunt, excommunicationis sententiæ supponentes easdem. Postmodum autem cum procurator custodis ipsius prædictorum scolastici Mindensis et conjudicum suorum conspectui se statuto termino præsentasset pro eadem custode in judicio processurus, iidem judices asserentes quod cum præfata custos excommunicata esset a judicibus memoratis, sicut ipsa non poterat agere, sic nec ejus debebat procurator audiri, eum ab agendo per sententiam repulerunt. Procurator autem ex adverso respondit quod talis excommunicationis sententia sibi nocere non poterat vel custodi, cum per legitime appellationis obstaculum, quæ sententiam ipsam præcesserat, de jure fuerit impedita. Cumque judices ipsi, allegationem hujusmodi frivolam reputantes, nollent de appellatione cognoscere, procurator jam dictus ad sedem apostolicam appellavit; sed ipsi appellationi deferre nolentes, testes quos pars altera producere voluit ad probandum quod unus ex delegatis judicibus qui sententiam tulerant pro custode tunc excommunicatus erat cum pro ea confirmationis sententia lata fuit, ea occasione sumpta quod quidam ex ipsis testibus a remotis partibus venerant, receperunt. Propter quod quædam sorores

A Herisienses pro se ac prædicta custode ad sedem apostolicam provocarunt. Qui appellationem interpositam contemnentes, G. monialem ab administratione Herisiensis Ecclesiæ removerunt, ipsam ejusdem Ecclesiæ præpositæ committentes, aliquas personas idoneas in suum adjutorium recepturæ. Iidem quoque judices articulum de resignatione subtractorum intermittentes, qui primo fuerat in mandato nostrarum litterarum insertus, testes super alio articulo receperunt, quia videlicet ab abbate prædicto et conjudicibus suis legitime olim fuerat provocatum, eo quod rescripti nostri copiam partibus facere noluerunt. Qui receptos testes super præmissis articulis postmodum publicantes, confirmationis sententiam pro sæpedicta custode

B latam penitus infirmarunt; ac de ipsius electione nihilominus inquirentes, tanquam celebratam minus canonice cassaverunt, concessa sororibus eligendi libera facultate. Quæ convenientes in unum sæpedictam G. monialem unanimiter elegerunt; cujus electionem dicti judices confirmantes, abbatiæ possessionem et cathedram solemniter assignarunt eidem, supradictam custodem et fautrices ejus excommunicatas publice nuntiando. Subsequenter autem ii qui super articulo prænotato, de resignatione scilicet subtractorum, auditores fuerant a prædictis judicibus deputati, recipientes testes a prædictæ præpositæ ac suarum complicum parte productos, depositiones ipsorum sub sigillis propriis interclusas eisdem judicibus transmiserunt. Verum cum custos ipsa iter arripuisset ad sedem apostolicam

C veniendi, memorati judices noluerunt dicto testium publicare, ad nostram præsentiam eadem sub sigillis suis destinantes inclusa. Nos igitur hæc et alia quæ tam custos prædicta quam I. clericus, qui pro eodem negotio venerat contra ipsam, nuper apud sedem apostolicam constuti proponere voluerunt et acta judicum ab eisdem nobis exhibita diligentius attendentes, deprehendimus manifeste prædictas litteras ad memoratum abbatem de Reineshusers et suos conjudices impetratas per subreptionem obtentas, cum in eis illius articuli, videlicet de subtractorum resignatione, fuerit præter nostram conscientiam cognitio demandata, qui litteris fuerat insertus prioribus, de quibus in secundis litteris mentio aliqua non fiebat. Et ideo quod ipsarum

D litterarum occasione dignoscitur attentatum, penitus duximus irritandum. Dictum insuper scholasticum Hildesemensem et conjudices suos invenimus minus provide processisse, quia cum in nostris literis eisdem principaliter mandaretur ut ad prædictam ecclesiam personaliter accedentes, personæ idoneæ administrationem committerent abbatiæ, cui ae opus ejusdem abbatiæ fieret hinc inde resignatio subtractorum, ipsi formam mandati apostolici transponentes, illo capitulo prætermisso, de aliis articulis inordinate plurimum cognoverunt, propter quod processum ipsorum, contra nostri formam rescripti ac juris ordinem attentatum, irritum

decrevimus et inanem, præsentium vobis auctoritate in virtute Spiritus sancti districte præcipiendo mandantes quatenus convenientes in loco competenti et tuto, G.A. et quibusdam aliis ejusdem ecclesiæ sororibus, sicut justum fuerit, restitutis, et forma mandati nostri exacta diligentia observata, in negotio ipso juxta tenorem præcedentium litterarum appellatione remota ratione prævia procedatis, ita quod per vestam sollicitudinem circumspectam saltem hac vice negotio tandiu prorogato finis debitus saltem hac vice negotio tandiu prorogato finis debitus imponatur. Quia vero propter causam istam diutius jam protractam Herisiensis ecclesiam graves dignoscitur sustinuisse jacturas, volumus et mandamus ut tu, frater archiepiscope, in expensis propriis cognitioni causæ studeas interesse.

## CCLXIV.

ARCHIEPISCOPO ET MAJORIS MONASTERII ET SANCTI JULIANI ABBATIBUS TURONENSIBUS.

*Committitur eis causa de succentoria Pictaviensi.*

(166) Inter dilectos filios Bocardum et Petrum Coeth canonicos Pictavienses super succentoria Pictaviensis ecclesiæ quæstione suborta, eorum utroque firmiter asserente succentoriam ipsam se per Pictaviensem cantorem, ad quem ejus donatio pertinebat, canonice assecutum, prædictus Bocardus propter hoc ad sedem apostolicam veniens, coram dilecto filio nostro Guala, Sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali, quem sibi et procuratori prædicti Petri dedimus auditorem, affirmans sibi succentoriam ipsam canonice fuisse collatam, adjecit quod, etsi cantor eam memorato Petro alias canonico contulisset, donatio tamen ipsa propter indignitatem personæ consequi non debebat effectum, cum idem Petrus esset publicus aleator et usurarius manifestus. Licet autem post altercationes multas, non solum ad hoc, sed etiam ad principale probandum præfatus Bocardus induxerit quosdam testes, quia tamen tam ipse quam pars adversa super principali et incidentibus plures testes producere intendebat, dilectis filis decano et cantori Sanctæ Radegundis Pictaviensis et Toarcensi decano causam ipsam commisimus fine canonico terminandam attestationes prædictas eis sub bulla nostra transmittentes inclusas. Coram quibus postea partibus constitutis, cum jam dictus Bocardus testes suos recipi postularet, fuit ex adverso responsum quod non erat aliquatenus audiendus, utpote qui per dilectos filios archipresbyterum, magistrum scholarum, et magistrum P. Parvum canonicum Bituricenses, judices delegatos a nobis, sententia erat excommunicationis astrictus pro eo quod ad mandatum eorum (167) Hugonem clericum in canonicum Fayensem admittere recusabat. Cumque postmodum idem Bocardus super absolutione sua litteras eorumdem judicum præsentasset, adversa pars eas cœpit arguere falsitatis, eo quod clausula finalis earum tam in incausti colore quam in litterarum forma a scriptura reliqua discordabat, allegans eumdem B. tauquam reum criminis falsitatis ab intentione sua penitus repellendum. Porro post contentiones multiplices et diversas, judices ipsi de voluntate partium testes tam super principali quam incidentibus receperunt. Sed eodem B. postmodum ad nostram audientiam appellante, judices ipsi partes cum attestationibus et actis judicii sigilis propriis consignatis ad nostram præsentiam remiserunt. Partes itaque propter hoc nuper apud sedem apostolicam constitutæ, coram dilecto filio nostro Cynthio tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, quem ipsis deputavimus auditorem, aliquandiu litigarunt: qui cum nobis quæ audierat fideliter retulisset, nos uniusque partis attestationibus diligenter inspectis, invenimus evidenter esse probatum eumdem Petrum publicum aleatorem esse ac usurarium manifestum, utpote qui undecim denarios pro duodecim publice mutuarat in ludo. Unde licet ad palliandum tantæ præsumptionis excessum proposuerit idem Petrus quod hoc fecerat juxta Gallorum consuetudinem clericorum, secundum quam fere clerici universi mutuant sic frequenter et ludunt, nos tamen, qui ex officii nostri debito pestes hujusmodi exstirpare proponimus, atque ludos voluptuosos, occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis malitiam devenitur, penitus improbamus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem, quæ dicenda est corruptela potius, palliatur, frivolam reputantes, cum in illis magis plectibilis sit offensa per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur, quod circa eumdem Petrum de succentoria prædicta factum esse dignoscitur, propter indignítatem ac vilitatem ipsius duximus irritandum, cum personis vilibus et indignis portæ dignitatis patere non debeant juxta legitimas sanctiones. Præterea contra præfatum Bocardum fuit manifeste probatum quod de conscientia judicum prædictorum Bituricensium ultima clausula inserta non fuerat litteris eorumdem, sicut in ipsorum depositionibus exprimitur evidenter. Robertus quoque diaconus ad hoc probandum testis inductus illud idem deposuit et adjecit, quod cum deberet easdem litteras sigillare, illas diligenter inspexit, nec eamdem clausulam appositam tunc invenit. Unde pars altera proponebat quod cum prædictus B. scienter usus fuerit litteris sic falsatis, debebat merito tanquam falsarius omnino repelli. Verum nos attendentes quod, etsi constaret evidentissime quod dicta clausula litteris illis fuisset apposita præter conscientiam judicum prædictorum, quia tamen nobis fides facta non fuit quod dictus B. illam clausulam apposuerit vel procuraverit ut ab alio poneretur, vel etiam quod scienter usus fuerit litteris sic falsatis, ab hujusmodi falsitatis objectu eumdem duximus absolvendum; maxime cum post-

(166) Cap. *Inter dilectos*, De excess. prælator.

(167) Vide supra epist. 45.

quam hoc sibi objectum fuit, prætermiserit penitus uti eis. Ad hæc, per testes Bocardi super principali negotio productos fuit satis sufficienter ostensum quod quinta feria et, ut loquamur expressius, die Jovis post festivitatem Sancti Michaelis, biennio jam elapso, succentoris sibi concessa fuerat supradicta; sed per confessionem ejusdem apparuit quod idem festum eodem anno die Jovis fuerat celebratum, sicque fuit per consequentiam comprobatum quod octavo die post festum ipsum eidem B. dicta donatio facta fuit. Cæterum per sex testes, cantorem scilicet, Oliverium, W. Gerru, R. Agnellum, I. Marinum, P. de Marcai, quos supradictus P. ad probandum quod donatio sibi facta præcesserat introduxit, exstitit manifeste probatum quod anteriori tempore sibi fuerat succentoria sæpedicta collata, cum Oliverius, W. et I. manifeste dicant quod secunda vel tertia, et cantor quod tertia vel quarta die post dictum festum, et P. quod in hebdomada post idem festum eidem Petro donatio facta fuit. Verum per testes quos Bocardus ad reprobationem testium jam dictorum induxit, Oliverius et Willelmus fuerunt tanquam manifesti fornicarii reprobati. Cantor quoque per multos testes convincitur esse perjurus; quia cum juratus dixerit quod Bocardo succentoriam nunquam dederat supradictam, per multos testes probatum est ex adverso quod ipsis præsentibus cantor investivit eumdem. Insuper R. Agnellus nihil deposuisse dignoscitur super negotio principali, licet pars Petri dicens ipsum amphibologice fuisse locutum ostendere nisa fuerit quod idem testis super principali dixerit illud idem quod Oliverius et Willelmus. Duo vero residui, scilicet I. Marinus et P. de Marcai, remanserunt qui nequiverunt rationabiliter reprobari, quia licet dixerit pars Bocardi quod ipsius P. testimonio fides habenda non erat, quoniam in causa Petri fuerat procurator, quod ex eo nitebatur astruere quia testes ejusdem Bocardi dixerant quod idem I. litteras Petri portaverat, quæsierat testes, et quædam hujusmodi fecerat, quia tamen nobis non constitit quod ejusdem P. fuerit procurator, ejus testimonio fidem censuimus adhibendam. Sed et illud frivolum reputavimus quod proposuit eadem pars Bocardi, videlicet quia cum Petrus de Marcai dixerit quod in hebdomada post prædicatum testum sæpedicto Petro donatio facta fuit, innuitur quod donationem ipsius B. quæ octavo die post idem festum facta fuerat, eadem Petri donatio minime præcessisset. Nam cum hebdomada vel septimana nequaquam ultra diem septimum extendatur, apparet quia donatio quæ facta fuerat in hebdomada vel etiam septimana, citeriori utique tempore fuit facta quam illa quæ facta fuit postmodum in octavo. Cum igitur per depositiones saltem duorum testium, qui nullatenus reprobati fuerunt, nobis constiterit evidenter quod concessio Petro facta præcesserit, quanquam propter indignitatem ejusdem P. meruerit reprobari, conversionem Bocardo factam irritam decrevimus et inanem. Quia vero cantor, ad quem ipsius succentoriæ donatio spectare proponitur, ut de ipsius perjurio taceamus, adeo inconstanter se habuit in hoc facto ut, sicut præmissum est, prima donatione non reprobata secundam facere attentarit, et dignum sit ut in eo quis puniatur in quo visus est deliquisse, in hoc ejus duximus varietatis inconstantiam puniendam ut concedendi succentoriam ipsam hac vice nullam habeat facultatem, præsentium vobis auctoritate mandantes quatenus eamdem auctoritate nostra suffulti sublato appellationis obstaculo personæ idoneæ assignetis, contradictores, etc.

## CCLXV.

PARISIENSI ET TRECENSI EPISCOPIS, ET ABBATI SANCTÆ GEDOVEFÆ PARISIENSIS.

*De causa monasterii Vezeliac. contra comitem Antisiodorensem.*

(Laterani.)

(168) Cum olim dilecti filii abbas et conventus Virzicenses sua nobis conquestione monstrassent quod nobilis vir Petrus comes Antisiodorensis quoddam stagnum, molendinum, et domum in terra eorum construere nitebatur in ipsorum præjudicium et gravamen, venerabili fratri nostro episcopo et dilecto filio thesaurario Nivernensi commisimus causam ipsam; in quorum præsentia partibus constitutis, sicut per litteras eorumdem accepimus, lite super petitionibus Ecclesiæ contestata, receptis utrinque testibus, et attestationibus publicatis, cum super dictis testium inter partes fuisset postmodum disputatum, tandem pars comitis proposuit coram eis quod de damnis in nemoribus et rebus aliis datis, super quibus testes deponere videbantur, cognoscere non debebant, cum in rescripto nostro nulla de damnis mentio haberetur, adjiciens quod res illæ super quibus quæstio agebatur de feudo erant nobilis viri ducis Burgundiæ, sicut idem dux in patentibus litteris fatebatur, et ideo super illis ad dominum feudi potius quam ad dictos fuerat judices recurrendum. Ad quod fuit ex adverso responsum, quod si non expresse, tacite tamen de damnis datis in nostris litteris mentio habebatur, cum nomen gravaminis esset litteris ipsis insertum, propter quod de ipsis cognoscere poterant, saltem tanquam de accessoriis seu appendiciis negotii principalis. Item cum super omnibus articulis de quibus testes deposuerant lis fuisset solemniter contestata, de ipsis cognoscere ac pronuntiare judices tenebantur. Sed et super exceptione feudi sero nimis, utpote post testium publicationem, objecta, audiendum non esse comitem asserebat. Ad hæc pars comitis replicavit quod etsi super damnis a procuratore lis fuerit contestata, ei tamen ex hoc non poterat præjudicium generari, cum ad hoc procura-

(168) Cap. *Cum olim*. De off. jud. delegati.

tor datus non fuerit, sed ad illam duntaxat causam quæ fuerat in litteris commissionis expressa, super castro videlicet, stagno, et molendino; ad hoc parte altera respondente quod procuratoris factum [comes] ulterius impugnare non portat, quod usque post publicationem testium minime duxerat revocandum. Judices autem super hinc inde propositis habito consilio discretorum interlocuti sunt quod super damnis a comite ad eos cognitio pertinebat. Quo audito comes ad appellationis beneficium convolavit. Unde licet ipsum judices evotatum et nec per se nec responsalem idoneum comparentem excommunicationis vinculo astrinxissent, eo tamen in contumacia perdurante, causam eamdem cum attestationibus fideliter consignatis ad nostram præsentiam remiserunt. Porro procuratoribus utriusque partis propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, procurator monasterii proposuit coram nobis quod cum villa de Vetenedo Virziliacensi et Sancti Germani Antissiodorensis monasteriis sit communis, ita quod terragium, spanagium, albergariam, censum, tertias, laudas, vendas, et retentionem habeant in eadem, prædictus comes, qui nihil aliud quam duos denarios annuatim a quolibet rustico custodiæ seu salvamenti nomine percipere consuevit, nunc in ipsa jurisdictionem sibi contra justitiam usurpando, ab unoquoque villano quinque solidos extorquet in quodam loco ejusdem villæ post inhibitionem tam sibi quam Hospitalariis factam, qui locum ipsum in censiva monasterii obtinebant, ab eis per commutationem recepto, castrum, stagnum, et molendinum ædificando in ipsorum præjudicium et gravamen, in nemoribus, lapidibus et rebus aliis gravibus damnis datis. Propter quod ædificia supradicta, utpote post inhibitionem et nuntiationem exstructa, idem procurator petiit demoliri, et compelli comitem supradictum a Virziliacensis monasterii super hoc molestatione cessare, super damnis datis eidem compensationem congruam exhibendo. Procurator vero comitis allegavit quod cum in prædicto loco de Vetenedo suæ jurisdictioni subjecto perpetrarentur sæpissime homicidia et rapinæ, ipse volens tot et tantis obviare periculis, quamdam domum in solo quod ab Hospitalariis per commutationem acceperat, ubi domum fortem olim exstitisse didicerat, ad transeuntium securitatem construxit, quodam stagno et molendino ad opus custodum ipsius domus ædificatis ibidem. Verum abbas et conventus prædicti falso dicentes se super hoc prægravari, litteras ad prædictos judices impetrarunt; et cum ipsis in præsentia judicum obtulerit dictus comes quod si qua damna probarent se ob illa ædificia pertulisse, non solum in simplum sed duplum ipsis damna eadem resarciret, ipsi tam hoc verbum quam etiam alias pacis species penitus respuerunt. Cum autem per judices fuerit in eadem causa usque ad testium publicationem processum, quoniam attestationibus publicatis apparuit eos super multis deposuisse articulis super quibus lis contestata non fuerat, pars comitis allegavit quod judices super illis cognoscere non valebant. Unde judicibus se de damnis datis cognoscere ac pronuntiare posse interloquentibus, ad nostram fuit audientiam provocatum. Nos autem auditis iis et aliis quæ procuratores proponere curaverunt, et attestationibus uniusque partis diligenter inspectis, intelleximus pro monasterio esse probatum in supradicta villa terragium, spanagium, albergaria, census, tertias, laudas, vendas, ac retentiones ad prædicta monasteria pertiuere, ac stagnum et calceria supradicto partim in proprietate Virziliacensis cœnobii, et partim in ipsius et Sancti Germani censiva fuisse constructa. Item quod Hospitalariis, qui pro prædicto loco annuum censum monasteriis exsolvebant, ne locum ipsum, censivam videlicet monasteriorum, transferrent in comitem, et comiti ne censivam ipsam reciperet, prohibitio facta fuit. Pro parte vero comitis videbatur esse probatum quod justitia nemoris supra fortalitia est ipsius, et quod absque cujusquam injuria dictus comes ad albergagium hominum ipsius villæ potest concedere nemus ipsum, quodque comes ipse justitiam habet in villa, et pro salvamento de qualibet domo villæ duos denarios recipere consuevit. Item quod in pratis Hospitalariorum est fortalitia ipsa fundata, et quod quicunque aliquid habet ad censum, illud salvo censu potest vendere cui vult. Rursus quod in eadem villa olim fuerat domus fortis clausa palitiis et fossatis. Quia vero super damnis datis antequam lis fuerit contestata nequaquam ad dictos judices cognitio pertinebat, cum in rescripto nostro nulla de ipsis mentio haberetur, nec ad ipsos potuerit jurisdictio prorogari, cum procurator ad illa intelligatur solummodo constitutus quæ in commissionis litteris inveniuntur expressa, et postquam comes publicatis attestationibus intellexit super damnis illis fuisse depositum, protinus contradixit, nos eosdem judices protinus pronuntiavimus minus juste interlocutos fuisse ac sæpedictum comitem, qui ob hoc ad appellationis beneficium convolavit, excommunicationis sententia non fuisse ligatum. Cæterum quia ex procuratoris ejusdem comitis confessione didicimus post nuntiationem novi operis sibi factam supradicta fortalitia, stagnum, et molendinum ædificasse, præsentium vobis auctoritate præcipiendo mandamus quatenus utramque partem ad compositionem amicabilem faciendam, quam utrique necessariam credimus, moneatis prudenter et efficaciter inducatis. Quod si forsitan infra mensem postquam a vobis fuerint diligenter admoniti vestris acquiescere monitis non curarint, vos auctoritate nostra sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo sententiam proferatis quam sub bulla nostra vobis mittimus interclusam, facientes eam per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. Quod si non omnes, etc., duo vestrum, etc.

Datum Laterani, anno duodecimo.

## CCLXVI:

*Testes quomodo recipiantur.*

(168*) Quoniam frequenter in dubium revocatur a multis an lite non contestata testes recipi valeant, auctoritate præsentium duximus declarandum regulariter verum esse quod lite non contestata non est ad receptionem testium procedendum, nisi forte de morte testium timeatur vel absentia diuturna, in quibus casibus cum civiliter est agendum, ne veritas occultetur, et probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, senes et valitudinarii et alii testes de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, etiam lite non contestata sunt procul dubio admittendi: sive pars conventa sit contumax, sive sit absens absque malitia, ut conveniri non possit. Sed si ector non convenirit adversarium infra annum ex quo poterit conveniri, vel saltem receptionem hujusmodi testium non denuntiaverit illi, attestationes sic receptæ non valeant, ne forte hoc procuret in fraudem ut processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum testes vel aliæ locum habere non possint. Porro speciales causæ possunt occurrere in quibus casualiter esset aliud observandum; ut verbi gratia, si super alicujus electione vel copula maritali quæstio moveatur. Tunc etenim, ne propter longam moram in spiritualibus vel temporalibus patiatur Ecclesia læsionem, vel viro seu mulieri fornicationis occasio præbeatur, maxime cum propinquitatis gradus opponitur divina lege prohibitus, in hujusmodi casibus testes sunt merito admittendi, si videlicet contumax apparuerit is in quem fuerit actio dirigenda, sive quia peremptoria citatione recepta venire contemnit, sive quia malitiose se ipsum occultat, sive quod impedit ne possit ad eum citatio pervenire. Si vero aliter absens fuerit et agatur de spirituali conjugio inter prælatum et ecclesiam jam contracto, electione maxime confirmata, illud in hoc articulo volumus observari quod super exspectatione talium personarum in sacris est canonibus diffinitum. Quod si forsan agatur de spirituali conjugio contrahendo, is qui est in prælatum electus, per spatium sex mensium exspectetur, nisi pensatis negotii circumstantiis per superioris providentiam magis vel minus fuerit exspectandus. Si autem de carnali conjugio sit agendum, tandiu alteruter conjugum exspectetur donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur; quia cum sine culpa sit absens, ut si captivitate vel ægritudine aut alio justo impedimento forsitan teneatur, aut etiam ex propria sed non malitiosa voluntate in remotis partibus moram faciat, ut de facili vel in brevi citari non possit, et quidem præjudicari non debet, cum habeat forsan exceptiones legitimas ad intentionem contrariam elidendam; eo nequaquam obstante quod de lapsu carnis posset opponi quoniam in conjugio multi casus occurrunt in quibus conjuges sine culpa, sed non sine causa, continere coguntur. Sunt et alii A casus similiter speciales, quos alibi nos meminimus dixtinxisse, in quibus absque litis contestatione legitime possuut testes produci, ut quando excessuum inquisitio vel testium publicatio imminet facienda. in aliis vero casibus prudenter est attendendum utrum contumax actione reali vel personali conveniatur. Si reali, mittendus est utique actor in rei petitæ possessionem, ut tædio affectus reus veniat responsurus. Quod si venerit infra annum, judicio sisti præscita cautione, ac exhibita satisfactione congrua expensarum, possessionem recuperet. Quod si cautionem offerre neglexerit infra annum, actor, post annum verus constituetur possessor, super proprietate duntaxat adversæ parti defensione legitime reservata. Quod si super rebus immobilibus B quisquam conveniatur, qui eas nomine possidet alieno, debet statim in judicio dominum nominare, certo dierum spatio a judice finiendo, eoque ad ejus notitiam perducendo; ut vel ipse veniens, vel idoneum dirigens responsalem, actoris intentionem excipiat. Si vero post tempus indultum quod dispositum est noluerit adimplere, tanquam lite quæ ingeritur ex eo die quo possessor ad judicium vocatus est ad interrumpendam præscriptionem longi temporis contestata, dominum possessionis judex edictis legitimus evocabit, et tunc ipso in eadem voluntate manente, negotium summatim examinans, in possessionem ipsarum rerum actorem mittere non tardabit, omni allegatione absenti super principali quæstione servata. Si autem personali actione conveniatur, vel mittendus est actor in possessionem C mobilium bonorum ipsius vel immobilium, si mobilia forte non habeat, pro modo debiti declarati, vel in contumacem est ecclesiastica sententia proferenda; ita videlicet quod alterutra pœna, quæ magis timeri debeat, judex a principio sit contentus, ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit protervitas contumacis; qui veniens infra annum, vel post annum etiam, audietur juxta distinctionem in aliocasu superius adnotatam.

## CGLVII.

FERRARIENSI EPISCOPO.

*Respondetur ad ejus consulta.*

(169) Responso nostro postulas edoceri an cum Ferrarienses cives excommunicationis et interdicti D sententiis sint ligati, liceat tibi viros et mulieres semel in hebdomada vel in mense apud aliquam ecclesiam convocare, quibus prædices verbum Dei, et eosdem ad correctionem inducas. Super quo fraternitati tuæ taliter respondemus, quod sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris cum videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum officium celebretur. Præterea quæsivisti, cum Ferrariensis civitas interdicto sit et excommunicationi supposita, et ideo sint ibidem, præter baptisma parvulorum et pœnitentiam mo-

(168*) Cap. *Quoniam.* Ut lite non contestata.

(169) Cap. *Responso.* De sent. et excommun.

rientium, universa sacramenta ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo taliter tibi duximus respondendum, quia sicut baptizari possunt pueri, sic et baptizati ad confirmationem in frontibus a te possunt sacro chrismate deliniri.

CCLVIII.

EPISCOPO SANCTI ANDREÆ, ET ABBATI DE BERBORC, T. PRIORI, R. ARCHIDIACONO, ET MAGISTRO, L. OFFICIALI SANCTI ANDRÆÆ.

Cum dilecti filii abbas et canonici de Cambuskinel abbatem et monachos de Dunfermelin diœcesis Sancti Andreæ coram venerabili fratre nostro Dublinensi episcopo et dilectis filiis de Cupre et de Scona abbatibus diœcesis Sancti Andreæ super quibusdam decimis ad Ecclesiam suam de Egres spectantibus et damnis et injuriis irrogatis auctoritate litterarum nostrarum traxissent in causam, et ipsi eosdem abbatem et canonicos ex delegatione nostra coram dilectis filiis priore Sanctæ crucis et decano de Tinihec ejusdem diœcesis ad te, fili officialis, super capella de Nipast et decimis ad eamdem spectantibus convenissent, utraque pars, etc. *ut supra lib.* x, *epist.* 31.

CCLXIX.

*Respondet consultationi cujusdam.*

(170) Inquisitioni tuæ breviter respondentes credimus distinguendum utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non possit carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an impedimentum hujusmodi non sciat pro certo, sed credat. In primo itaque casu potius debet excommunicationis sententiam humiliter sustinere quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo vero casu distinguimus utrum habeat conscientiam hujuscemodi ex credulitate levi et temeriaria, an probabili et discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium, conscientia levis et temeriariæ credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet; ne in alterutro vel contra legem conjugii vel contra judicium conscientiæ committat offensam. Tu ergo secundum responsionem prædictam super illo procedas articulo de quo nos consulere voluisti.

CCLXX.

FLORENTINO ET FESULANO EPISCOPIS, ET ARCHIPRESBYTERO PISTORIENSI.

*Hospitale Sancti Allucii adjudicatur. Hospitalariis.*

(171) Inter dilectos filios Hospitalarios Sancti Sepulchri de Pisis hospitalis Hierosolymitani ex una Parte ac fratres Hospitalis Sancti Allucii quæstione A suborta, cum iidem Hospitalarii super possessorio quod semel et iterum, ex causis tamen dissimilibus, intentarunt contrariam sententiam reportassent, demum ad petitorium recurrentes per procuratorem suum coram dilecto filio Andræa subdiacono et capellano nostro, quem sibi et procuratori partis alterius auditorem concessimus, pronopere curaverunt quod cum B. quondam rector et patres ac patroni ejusdem hospitalis Sancti Allucii habito communi tractatu deliberassent hospitale ipsum Hospitalariis supponere supradictis, commiserunt in hoc tribus procuratoribus vices suas, communiter statuentes ut quod per ipsos super hoc fieret acceptarent. Qui postmodum ad prædictos Hospitalarios accedentes, cum eisdem taliter statuerunt, ut ad ipsum hospitale aliqui mitterentur qui eorum nomine reciperent B assignationem ipsius. Cum autem fratrem M. et B. propter hoc illuc transmisissent, iidem in camera prædicti rectoris donationem et assignationem hospitalis prædicti tam a præfato magistro quam supradictis procuratoribus et aliis ejusdem domus fratribus receperunt. *Et infra*: Procurator autem partis alterius ex adverso respondit quod prædicta donatio debebat non immerito retractari, quoniam multis ex fratribus inconsultis a prædicto rectore ac paucioribus fratribus excommunicatis nihilominus et perjuri ac de re litigiosa et in fraudem Plebani de Piscia, qui super eodem hospitali moverat quæstionem, fuerat celebrata; et hæc omnia proponebat sufficienter esse probata per depositiones testium productorum. Ad hæc vero parte altera multipliciter C respondente, hinc inde fuit aliquandiu disceptatum. Nos igitur iis et aliis intellectis quæ coram capellano prædicto partes proponere curaverunt, et ipsarum attestationibus diligenter inspectis, attendentes quod fratres et patroni Sancti Alucii pro se, imo potius contra se suam turpitudinem allegabant, videlicet perjurium, excommunicationem et fraudem, non utique contra ipsos, sed ab ipsis commissam, et intelligentes donationem ab eis præfatis Hospitalariis factam puram ac simplicem exstitisse, quia non deceptoribus, sed deceptis jura subveniunt, unde per ea quæ superius sunt proposita se contra factum proprium legitime defendere non valebant, cum et quædam ex ipsis non fuerint comprobata, de consilio fratrum nostrorun hospitale prædictum Sancti Allu- D cii cum pertinentiis suis Hospitalariis Sancti Sepulcri adjudicare curavimus; ita quod per hanc nostræ diffinitionis sententiam diœcesano episcopo et plebano de Piscia nullum præjudicium generetur, cum res inter alios acta non debeat aliis præjudicium generare,

CCLXXI

EPISCOPO PICTAVENSI

*Respondet ad ejus consulta.*

(172) Licet undique confluentium negotiorum multiplicitas copiosa nostrum animum ad varias

(170) Cap. *Inquisitioni*, De sent. excomm.

(171) Cap. *Inter dilectos*, De donationibus. Vide etiam cap. *Per tuas*. De arbitris.

(172) Cap. *Licet undique*. De offic. jud. deleg.

curas impellere non desistat, fraternitas tamen tua, quam sincera complectimur in Domino charitate, sollicitudinem ad tempus deponere compulit quam in exsequendis aliis ex debito pastoralis officii gerebamus, atque tuam dubitationem apostolico certificare responso. Cum igitur a nobis duxeris requirendum si causam aliquam tribus judicibus delegamus, in nostris apponi litteris illam clausulam facientes: *Quod si non omnes iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur*, et unus postquam commiserit cuidam ex aliis vices suas, de medio sit sublatus, tertius ut suspectus merito recusetur, an collega superstes suo nomine ac defuncti possit negotium diffinire, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod si jurisdictione a suo sibi collega delata eo vivente uti non cœpit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatarii exspiravit, non habet solus officium judicandi. Si vero ante mortem illius jurisdictione uti cœperit taliter demandata, vices suas et illius poterit adimplere.

## CCLXXII.

EPISCOPO ANTISSIODORENSI.

Cum in diœcesi tua, etc. *ut supra lib.* x, *epist.* 71.

## CCLXXIII.

LEONI TITULI SANCTÆ CRUCIS PRESBYTERO CARDINALI.

*De ordinando abbate S. Quirici.*

(173) Tuam in Domino diligentiam commendantes, quam super monasterio Sancti Quirici reformando dignosceris adhibere, devotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus si non potes eidem monasterio de persona idonea melius providere, tu monachum illum quem in litteris tuis de honestate ac industria commendasti, per quem status ejusdem loci creditur reformandus, nullum prorsus habens respectum ad petitionem illicitam quam quidam laici faciebant, sed ex tuæ duntaxat provisionis officio institutas in abbatem, ita videlicet quod ad sacros ordines non ascendat, cum instante necessitatis articulo possit in abbatem assumi etiam si minoribus ordinibus constitutus, et laici memorati non sint consanguinitate vel affinitate conjuncti monacho memorato, ut ex ipsorum petitione debeat contra eum aliqua sinistra suspicio suboriri.

## CCLXXIV.

UNIVERSIS DOCTORIBUS SACRÆ PAGINÆ, DECRETORUM, ET LIBERALIUM ARTIUM PARISIIS COMMORANTIBUS.

*Confirmatur quoddam eorum statutum.*

(174) Ex litteris vestræ devotionis accepimus quod cum quidam moderni doctores liberalium artium a majorum suorum vestigiis in tribus præsertim articulis deviarent, habitu videlicet inhonesto, in lectionum et disputationum ordine non servato, et pio usu in celebrandis exsequiis decedentium clericorum jam quasi penitus negligenter omisso, vos cupientes

A vestræ consulere honestati, octo ex vobis juratos ad hoc unanimiter elegistis, ut super dictis articulis de prudentum virorum consilio bona fide statuerent quod foret expediens et honestum, ad illud imposterum observandum vos juramento interposito communiter astringendo, excepto duntaxat magistro G, qui jurare renuens et formidans fidejussoriam præse tantum obtulit cautionem. Fuit insuper ad cautelam a vobis fide præstita protinus constitutum ut si quisquam magistrorum adversus alios duceret resistendum, et primo, secundo, tertiove commonitus infra triduum universitati parere contemneret magistrorum, extunc beneficio societatis eorum in magistralibus privaretur. Et quidem hoc ultimum quidam ex vobis simpliciter, quidam vero nisi satis-

B faceret, et nonnulli nisi per nos se admitti ab aliis obtineret, se intellexisse fatentur. Cum autem supradictus magister G. infra triduum universitati non paruerit requisitus, juxta condictum vestrum extunc a vobis habitus est exclusus, qui cum satisfactioni condignæ se postmodum obtulisset, in quatuor vestrum juramento interposito compromisit illorum dictum pro bono pacis se gratum et ratum pariter habiturum. Illi vero usi consilio sapientum dictum suum communiter promulgarunt, memorato magistro in virtute juramenti præstiti prohibentes ne deinceps in licitis universitati resisteret magistrorum, et injungentes eidem ut tandiu in eo statu persisteret quo tunc erat donec per se vel procuratorem suum se posse ab aliis magistris admitti per

C sedem apostolicam obtineret, salva in omnibus honestate. Unde nobis humiliter supplicastis ut eumdem magistrum, virum utique providum et bonestum, qui tanquam obedientiæ filius quod sibi prædicti quatuor injunxerunt suscepit humiliter et patienter observat, ex benignitate apostolica faceremus communioni restitui magistrorum. Nos igitur ex præmissis intelligentes eidem magistro fuisse mandatum ut tandiu in eo statu persisteret quo tunc erat donec magistrorum communioni de mandato sedis apostolicæ redderetur, et paratus sit super præmissis satisfactionem congruam exhibere, licet fuerit constitutum ut si quis magistroram adversus alios duceret resistendum, et primo, secundo, tertiove commonitus infra triduum universitati parere

D contemneret magistrorum, extunc beneficio societatis eorum in magistralibus privaretur, et ob hoc ipse fuit eorum communione privatus, quia tamen constitutum non fuit ut in perpetuum hujusmodi privatio perduraret, et tam juris canonici quam nostri moris existat ut is qui propter contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat, universitati vestræ præsentium auctoritate mandamus quatenus supradictum magistrum statutis vestris humiliter parere curantem ad communionis vestræ consortium in magistralibus admittatis.

(173) Cap. *Tuam in Domine*, De temp. ordinat.

(174) Cap. *Ex litteris*, De jurejur.

## CCLXXV.

*Litteras apostolicas non valere ultra annum.*

Plerumque contingit quod aliqui contra quosdam super aliquibus rebus nostris litteris impetratis, illis uti multo tempore postponentes, tunc demum eas exhibere procurant cum aliarum litterarum auctoritate ab eisdem contra quos ipsi primitus litteras impetrarunt cœperint conveniri, dicentes posteriores litteras non valere,utpote non facientes de prioribus mentionem.Cum igitur non sit malitiis hominum indulgendum, præsentium auctoritate statuimus quatenus si quis nostras litteras impetrans, infra annum postquam copiam judicum habuerit, ex malitia vel negligentia postposuerit uti eis, auctoritate posteriorum valeat conveniri, licet in ipsis nulla de prioribus mentio habeatur.

## CCLXXVI.

SANCTÆ MARIÆ IN CAGIA ET VALLIS SECRETÆ ABBATIBUS, ET M. CANONICO REMENSI.

*Committitur eis accusatio adversus abbatem S. Dionysii Remensis.*

(175) Cum I. et A. canonici Sancti Dionysii Remensis ad nostram dudum præsentiam accessissent, ex parte quorumdam canonicorum ejusdem ecclesiæ nostro apostolatui reserarunt quod abbas eorum super dilapidatione,perjurio,simonia,et quibusdam aliis erat multipliciter infamatus, et cum super iis et aliis cum procuratore ipsius abbatis apud sedem apostolicam aliquandiu litigassent,non postmodum venerabili fratri nostro Catalaunensi episcopo et dilectis filiis decano Sancti Quintini Noviomensis diœcesis et magistro Simoni de Vallibus canonico Laudunensi dedimus in mandatis ut ad Ecclesiam ipsam pariter accedentes, tam in capite quam in membris appellatione postposita corrigerent corrigenda et statuerent quæ statuenda viderent. *Et infra* : Unde judices de voluntate partium abbate ipso ad administrationem spiritualium restituto, quibusdam discretis et fidelibus viris curam temporalium commiserunt.Post hæc autem abbatis et canonicorum juramenta recipientes, quosdam eorum examinaverunt eodem die, ad examinandos alios diem alium statuendo; quem gratanter pars utraque recepit. Sed statuto die abbate coram eis minime comparante,abbas Sancti Jacobi Pruviniensis avunculus ejus se cum litteris de rato patentibus præsentavit. Quo nequaquam contradicente, in examinatione ipsa judices processerunt; et cum die sequenti parati essent sententiam promulgare,procurator jamdictus litteras exhibuit coram eis, in quibus continebatur expresse quoniam appellationem quam prima die interposuerat,innovabat.Sed judices attendentes quod idem abbas appellationi prædictæ tacite renuntiaverat juramentum præstando et ipsorum judicium subeundo,maxime cum appellationis obstaculum nostris esset litteris inter-
A clusum, et de ipsius ecclesiæ lapsu irreparabili timeretur, habito virorum prudentum consilio, memoratum abbatem ab administratione ipsius ecclesiæ per sententiam removerunt, correctione membrorum dilata. quam tunc non poterant expedire; a qua sententia tanquam iniqua procurator prædictus an nostram audientiam appellavit, pro eo quod interlocuti fuerant delegati prædictis ex causis ab appellatione fuisse recessum. Porro præfatus abbas et procurator canonicorum propter hoc nuper ad sedem apostolicam venientes, coram dilecto filio nostro Joanne Sanctæ Mariæ in via Lata diacono cardinali, quem ipsis dedimus auditorem, idem abbas multa proposuit, per quæ dicebat ipsam sententiam merito reprobandam ; tum quia
B litteræ illæ, quarum auctoritate judices processerant, per suppressionem unitatis fuerant impetratæ, cum canonici per quos fuerunt obtentæ de triplici excommunicationis sententia, quam per eum pro eo quod aleatores erant et tabernas frequenter intrabant et inobedientes existebant eidem: ligati fuerant, non fecerant mentionem; tum quia post appellationem ad nos interpositam in inquisitione ipsa, cum denuntiationem charitativa commonitio minime præcessisset,eo non restituto, et lite non contestata, in negotio ipso processerant; tum etiam quia juramenta conspiratorum recipientes judices contra ipsum, depositionibus minime coram partibus publicatis nec ostensis eidem, ad sententiam procedere præsumpserunt. *Et infra* : Quia vero de conspirationis articulo no-
C bis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita plenius veritate, si vobis constiterit quod illi conspiratores fuerint quorum constat a judicibus juramenta recepta, et quod hoc ipsum abbas probare voluit coram eis,et quod eorum dicta judices secuti tantummodo, cum per alios eadem probata non essent, sententiam protulerunt, vos appellatione remota irritantes processum eorum, in negotio ipso juxta præscriptam formam in prioribus comprehensam litteris procedatis,Si vero eos conspiratores fuisse nequiverit comprobari, vel licet de hoc constaret, appareat tamen illos nihil super iis deposuisse pro quibus idem fpit abbas amotus,vel etiam si aliqua deposuerint super iis, ea tamen
D per aliorum dicta fuerant.sufficienter ostensa,processum ipsorum judicum sufficienter ostensa,processum ipsorum judicum sublato appellationis obstaculo confirmetis. quia licet adversus abbatem non debuerint conspiratores admitti, juramenta tamen ipsorum de veritate dicenda super statu ipsius domus recipi potuerunt, ut per ipsorum dicta super aliis fides posset hoberi quæ abbatem minime contingebant, præsertim cum tunc probatum non esset eos conspiratores fuisse.

—

(175) Cap. *Cum I. et A.*, De sentent. et re judic.

### CLXXVII.

CAPITULO MESSANENSI.

*Conceditur ei ut cohabitet secundæ uxori quam duxit priore vivente.*

(176) Veniens ad præsentiam nostram G. laicus lator præsentium humili nobis insinuatione monstravit quod cum olim in civitate Lemovicensi quamdam sibi matrimonialiter copulasset, et per biennium cohabitasset eidem, ab ea demum animi levitate recessit, cumque per sæculum evagando Messanam advenerit, ibidem M. mulierem insciam penitus quod idem G. aliam haberet uxorem sibi solemniter copulavit ex qua duos filios dignoscitur suscepisse. Verum cum eidem in pœnitentia fuisset injunctum ut ad legitimam rediret uxorem, et ipse propter hoc in suam patriam rediisset, uxorem suam inveniens carnis debita persolvisse, ad Messanensem A rediit civitatem, et supradictæ M. tanquam legitimæ cohabitavit uxori. Nunc autem impositam sibi pro priori excessu pœnitentiam agens, humiliter et devote cohabitandi eidem M. a nobis licentiam postulavit. Licet autem præfatus G. vivente legitima conjuge prædictam M. sibi copulare nequiverit in uxorem, quia tamen uxore defuncta, utpote a lege ipsius solutus, in eamdem. M. de novo potuit matrimonialiter consentire, dummodo non præstiterit fidem adulteræ vel machinatus non fuerit in mortem uxoris, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si præmissis veritas suffragatur, eumdem G. ut supradictæ M. affectu adhæreat conjugali, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, licentiam concedatis, non permittentes eumdem super hoc ab aliquibus indebite B molestari.

# APPENDIX LIBRI UNDECIMI.

### CCLXXVIII.

DILECTIS FILIIS FRATRIBUS COENOBII SANCTI PROSPERI SUBTUS CIVITATEM REGII CONSTITUTIS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, x Kal. Februarii.)

Quoties a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sancti Prosperi, quod ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Cœlestini prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esce dignoscetur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, etc., *usque* permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus tenimentis et pertinentiis suis et cæmeterio suo. Novem jugera terræ cum capella Sancti Nazarii quam a quodam præposito ejusdem ecclesiæ Sancti Prosperi infra castrum ejusdem civitatis sitæ per commutationem juste factam abbas qui tunc temporis erat accepit, necnon et omnem terram illam de Corticella vel in circuitu ipsius monasterii quæ ab episcopis vel canonicis vel quibuscunque fidelibus jam dicto monasterio data est. Insuper duodecim mansos in Fossule, quatuor in Palude, quatuor in Campagnola, tres in Quingenta, unum in Curtenova, unum in Gurgo, unum in Fossadunde, quinque in Bagnolo, et capellam Sanctæ Mustiolæ cum suis pertinentiis, unum mansum in Crustulo veteri, unum in vico de Sbregato, unum in magno Casali, et capellam Sancti Silvestri cum dominicatu de eadem villa magni Casalis, tres mansos in regio et ducatu regii, Braidam regis et omnem terram C prædicti monasterii circa eamdem civitatem sitam, tres mansos in Rodano, tres in Marmirolo, unum in Aliano, unum in Bibiano, unum in Piano unum in Mulazano, unum in Planzo, unum in castre Oleriani, et curtem de Nasseto cum Lama Praularia et campo, et rivum de Nasseto, quæ a Carolo piissimo rege per præceptum juxta fines designatos regiensi Ecclesiæ data esse dignoscitur, et terram quam dedit Rolandus filius Heriberti. In Mutilena quatuor mansos, cum capella, et quamdam partem castri. In Albinea quatuor mansos, et capellam Sanctæ Mariæ in Pisignano, cum oliveto sibi adjacente. In Vergnano duos mansos, et octo mansos quos dedit Ardicio filius Attonis filii Gandulphi, et capellam Sancti Dalmatii in Medule, quam dedit Ubertus comes, cum septem mansis. Capellam D Sancti Petri de Canarolo cum omnibus suis pertinentiis. In Spezano unum mansum, unum in Floriano, in monte Baranzonis unum, et quartam partem in capella Sancti Martini in Revere, et quatuor partes in prædicta Revere, duas in ecclesia Sanctæ Mariæ, unam in Sancto Florentino, unam in Sancto Laurentio, duos mansos in Pulianello, et quidquid juris intra Italicum regnum juste possidet seu de jure possidere debet. Sane novalium vestrorum, etc., *usque* præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel

(176) Cap. *Veniens*, De eo qui duxit.

laicos liberos et absolutos a sæculo fugientes in monasterio vestro ad conversionem recipere et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem monasterio professionem, etc., *usque* retinere. Obeunte vero te abbate, etc., *usque* eligendum. Ob reverentiam quoque beati Prosperi confessoris Domini, ad exemplar ejusdem Alexandri papæ prædecessoris nostri statuimus ut liceat abbati et fratribus ipsius monasterii, quibus idem abbas injunxerit, dummodo sacerdotii fungantur officio, populis undecunque ejusdem sanctissimi coufessoris limina visitantibus, vel ipsius terræ incolis ad eamdem Ecclesiam convenientibus, super ipsius sacras reliquias missarum solemnia publice celebrare, dummodo non sint excommunicati vel interdicti, ipsosque reficere pane verbi Dei, et post solemnem et publicam confessionem ab eis factam, remissionem et benedictionem communem super ipsos proferre, orationum vestrarum aliorumque bonorum operum quæ in monasterio vestro jugiter fiunt eis participationem concedere, prout ipsorum devotio promeretur. Præcipimus quoque ne quis ejusdem civitatis episcopus vel metropolitanus aut quælibet magna parvaque ecclesiastica sæcularisve persona quidquam eorum quæ supra taxavimus pervertere audeat, neque quavis occasione inibi missas publicas celebrare aut ordinationem aliquam, quamvis parvissimam, sine voluntate abbatis et fratrum agere, aut excommunicationem contra ipsos facere, vel aliquod officium contradicere, sed neque aliquam potestatem vel jurisdictionem contra ipsum venerabile cœnobium exercere præsumat, sicut hactenus est obtentum. Sepulturam præterea illius loci liberam esse decernimus, etc., *usque* mortuorum corpora assumentur. Decernimus ergo ut nulli, etc., *usque* profutura. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ libertatis, bisantium unum nobis nostrisque successoribus singulis annis exsolvetis. Si qua igitur in futurum, etc., *usque* inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii x Kal. Februarii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1208 pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno undecimo.

## CCLXXIX.

CAPITULO BIVINENSI.

*De confirmatione privilegiorum.*

(Laterani, III Non. Februarii.)

Cum a nobis petitur, etc., *usque* effectum. Eapropter, dilecti filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, donationes et concessiones casalium, videlicet Sancti Petri in Drugaszano, Balnei, Castelluccii, de Sclavis, casalis domni Leonis, casalis Sanctæ Mariæ de Nebula, casalis Sabuceti, et aliorum jurium seu libertatum quas Robertus olim Palatinus comes Loretelli Bivinensi fecit Ecclesiæ, cujus privilegio nobis ostenso plenius et apertius continetur, inveniente confirmatione dilecti Ecclesiæ filii illustris Siciliæ regis Guillelmi primi typario suo bulla aurea ad æternam rei memoriam communita, et præterea ipsius ecclesiæ capitulo specialiter casale quoddam et territorium Sancti Petri de Matrice per eumdem donata comitem filium bendictum ejus speciali privilegio continetur, necnon antiquas consuetudines et jura per eumdem obtenta capitulum eo tempore cujus memoria non exstabat, prout apparuit manifeste, ex apostolicæ sedis clementia perpetuam firmitatem habere volentes, auctoritate apostolica confirmamus, continentiam infrascripti privilegii donationes factas capitulo, dimissis aliis suo esse munimine regio roboratoris, de verbo ad verbum præsenti confirmationi nostræ jussimus inserendam:

(117) *ROBERTUS Dei gratia Palatinus comes Loretelli*, etc. Quæ prædicta omnia nostra confirmatione præhabita præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat dictam ecclesiam et capitulum temere perturbare sive quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra, etc., *usque* ultioni. Cunctis autem prædictis Ecclesiæ et capitulo sua jura servantibus. etc., *usque* consequantur.

Datum Laterani, per manus Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, III Non. Februarii, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1208, pontificatus domini Innocentii papæ III, anno undecimo.

## CCLXXX.

HUBALDO EPISCOPO FAVENTINO.

*Transfertur ad Ecclesiam Ravennatem.*

(178) Ecclesia Ravennæ suo viduata pastore, suffraganei et capitulum ejusdem ecclesiæ Ravennatis convenientes ad invicem de substitutione pontificis... venerabilibus fratribus nostris Joanne Cerviensi et Alberto Sassinate episcopis, et dilectis filiis presbytero Joanni et Donato canonicis et presbyteris, Voberto et Martino cantoribus ejusdem ecclesiæ Bernardo Sancti Apollinaris in Classe, et Ambrosio Sancti Apollinaris in novo abbatibus, et presbytero Joanne, ac Petro diacono primicerii [diaconorum primicerio] eligendi seu postulandi pontificem..... præhabita diligenti... te in archiepiscopum postularunt, nobis humiliter supplicantes ut postulationi ipsorum annuere dignaremur. Nos ergo, non solummodo approbantes, verum etiam ratam habentes postulationem [eamdem, te a vinculo quo] tenebaris Ecclesiæ Faventinæ duximus absolvendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus ad Ecclesiam Ravennatem accedens, circa regimen ejus insistere studeas salubriter et prudenter. Nos enim suffraganeis ejusdem ecclesiæ et clero et populo Ravennatensi per nostras damus litteras in

(117) T. VIII Ital. sac., pag. 364.

(178) Vide supra epist. 249.

mandatis ut tibi tanquam pastori suo [impendam] et exhibeant reverentiam debitam et honorem.

Datum Laterani, Kal. Junii, anno undecimo.

## CCLXXXI.

ROFFRIDO TITULI SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI PRESBYTERO CARDINALI ABBATI ET CONVENTUI CASINENSI.

*De revocandis alienationibus.*

(Apud S. Germanum, VIII Kal. Augusti.)

Licet ex apostolicæ servitutis officio, quo generaliter summa sapientibus et insipientibus debitores, de universis ecclesiis curam et sollicitudinem gerere teneamur, ad monasterium tamen vestrum eo propensius non convenit aciem nostræ provisionis extendere quo specialibus juris et proprietatis apostolicæ sedis existit, cum non alium supra se quam Romanum habere pontificem dignoscatur. Sane cum ad idem monasterium visitationis gratia venissemus, investigato de statu ejus in interioribus et exterioribus diligenter, ab hospitali, vestiario, sacristia, infirmitorio, et cellario multa minus licite alienata comperimus; de qua subtractione prælibata officia detrimentum multiplex sustinebant. Volentes igitur indemnitatibus monasterii memorati paterna sollicitudine præcavere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus universa quæ ab officiis ipsis minus licite alienata noscuntur, ad ea curetis in integrum revocare, illorum quibus deputata sunt usibus omnimodis profutura, auctoritate apostolica statuentes ut nec tu, fili abbas, nec tuorum quilibet successorum de his quæ taliter revocabitis, seu illis quæ impræsentiarum præfata officia possident, alienare, distrahere vel concedere præsumatis, salvo semper in omnibus apostolicæ sedis mandato. Ne vero hujusmodi nostra provisio temeritate cujuslibet possit impediri, auctoritate vobis præsentium indulgemus ut tam ea quæ superius sunt expressa quam etiam ex terratica, necnon alia quæ a monasterio vestro in ejus dispendium minus legitimus alienata vel concessa noscuntur, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo legitime revoletis ad ipsum. Decimas autem de possessionibus ad ecclesias vestras parochiali jure spectantibus, in quibus jus plenum habetis, liceat vobis nomine prædictarum ecclesiarum exigere, ac recusantes solvere, cum tam ex veteris quam ex novæ legis præcepto decimæ debeantur ecclesiis, ad solvendum spirituali et temporali districtione, si opus fuerit, coercere, cum utramque jurisdictionem habeatis in ipsis; ita quod cum clericis qui deserviunt prædicta ecclesiis de hujusmodi decimis rationabiliter componatis, tanquam etsi hactenus eas minime percepissent. Cæterum si tu, filii abbas, per te aliqua de spectantibus ad præscripta officia distraxisti, quæ de levi fortasse non possis sine scandalo vel injustitia revocare, volumus et jubemus ut secundum æstimatione eorum, de iis quæ specialiter pertinent ad mensam abbatis officiis tantumdem assignes in usus eorum libere convertendum donec illa fuerint revocata; firmiter injungentes quatenus hospitalitati et eleemosynæ plenius insistatis, et ab iniquis et immoderatis exactionibus omnino cessetis, ut et pauperes Christi de pia subventione lætentur, et homines monasterii de gravimine non tristentur injusto. Præterea supplicationibus vestris grato condescendentes assensu, reditum duarum librarum argenti quas apostolicæ sedi venerabilis frater noster Turritanus archiepiscopus ab ecclesiâ Sanctæ Mariæ de Teugo exigebat, vobis in vita nostra donamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ jussionis, constitutionis, concessionis et donationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud Sanctum Germanum, VIII Kal. Augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

## CCLXXXII.

DILECTIS FILIIS ROFFRIDO ABBATI MONASTERII SANCTI BENEDICTI CASINENSIS EJUSQUE FRATRIBUS TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS REGULAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETUUM.

Omnipotenti Deo, cujus melior est misericordia super vitas, gratias agimus copiosas, quoniam gloriosus in sanctis suis atque mirabilis est, et virtutes suas ubicunque vult ineffabili bonitate demonstrat. Ipse quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum Patrem constituit monachorum, ipsum monasticæ legis latorem et operatorem esse disponens, ut merito Casinense monasterium, in quo et sanctissime vixit et gloriosissime obiit, omnibus per occidentem monasteriis dignitatis privilegio antecellat. Quoniam igitur dignum est ut tam celebre ac solemne monasterium apostolica sedes specialius amplectatur, monasterium ipsum ad exemplar felicis memoriæ Clementis papæ ac prædecessoris nostri sub beati Petri ac nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut idem monasterium et omnia quæ ad ipsum pertinent pleno jure, quieta semper et ab omni jugo mortalium libera, sub solius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jure ac perpetua defensione consistant. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Imprimis monasterium Domini Salvatoris positum ad pedem Casini montis, monasterium Sanctæ genitricis Dei virginis Mariæ quod vocatur Plumbarola, monasterium Sanctæ Mariæ in Cingla, cellam Sancti Benedicti in Capua cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Angeli ad Formam cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Joannis puellarum, Sancti Rufi, Sancti Be-

nedicti Pizoli, Sancti Angeli ad Odaldiscos, Sanctæ Agathæ in Aversa, Sanctæ Cæciliæ et Sancti Dimitrii in Neapoli. In civitate Beneventana ecclesiam Sancti Benedicti ad portam Rufini, Sancti Nicolai in civitate nova, Sancti Benedicti in Pantana, Sancti Nicolai in Petrapulecina, Sancti Georgii in Fenuclo, Sancti Joannis in Turlecuso, Sancti Petri in Roflano, Sancti Angeli in Capraria, Sancti Januarii prope Beneventum, Sancti Martini ibidem, Sancti Dionysii in ponte, Sancti Anastasii, Sanctæ Mariæ in Canneto juxta fluvium Trinium, Sancti Benedicti et Sancti Laurentii in Salerno, Sancti Liberatoris in Marchia cum omnibus suis pertinentiis, Sancti Benedicti in Marsi, Sanctæ Mariæ in Luco cum pertinentiis suis, Sancti Cosmatis in Civitella, Sancti Angeli in Barcio cum omnibus pertinentiis suis, Sanctæ Mariæ ancillarum Dei in civitate Cosentina, Sancti Petri de Lacu, Sancti Petri de Avellana cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Erasmi et Sancti Benedicti et Sanctæ Scholasticæ et Sancti Martini in Cajeta, Sancti Magni in Fundis cum cellis et pertinentiis suis, Sanctæ Agathæ, Sancti Benedicti, et Sancti Stephani in Tarracina, Sancti Petri in Foresta cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Eliæ in Ambrisia, Sancti Pauli in Foresta, Sanctæ Mariæ et Sancti Vincentii in Pontecurvo cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Benedicti in Bagnarola, Sanctæ Mariæ et Sanctæ Luciæ in Rivo Matricio, Sancti Nicolai et Sancti Petri in Castello, Sancti Joannis in Carrica, Sancti Angeli et Sancti Nicandri et Sancti Thomæ in Troja, Sancti Eustachii in Pantasia, Sancti Benedicti in Alarino, Sancti Benedicti in Pettinari, Sancti Pauli in Campo Martino, Sanctæ Mariæ in Casale plano, Sanctæ Illuminatæ in castello Limosano, Sanctæ Trinitatis et Sancti Georgii in Termole, Sancti Focatis in Lesina cum foce et piscaria, Sancti Benedicti in Asculo, Sancti Eustachii in Petra abundanti, Sancti Eustachii in Vipera, Sanctæ Mariæ in Barrotano, Sanctæ Scholasticæ in Pinnis, Sancti Salvatoris in Tave, Sancti Nicolai juxta fluvium Fustinum in Aprutio cum pertinentiis suis, Sancti Joannis ad Scurionem, Sancti Benedicti in Trunto, Sancti Benedicti in Tisino fluvio, Sancti Apollinaris in Firmo qui dicitur ad Oplanis, Sanctæ Mariæ in Arbusta, Sancti Martini in Saline, Sancti Angeli in Marano, et Sanctorum septem Fratrum, et Sancti Laurentii, Sancti Benedicti in Ripaursa. In comitatu Aquinensi cellam Sancti Gregorii, Sancti Mauritii, Sancti Pauli, Sancti Constantii, Sancti Christophori, Sancti Nicolai, et Sanctæ Mariæ in Albaneto, Sancti Nicolai in Ciconio, Sancti Benedicti in Elya, Sancti Nazarii in comino, Sancti Valentini et Sancti Martini, Sancti Urbani, Sancti Angeli, Sancti Pauli, Sancti Felicis et Sancti Salvatoris, Sancti Angeli in Valle Luce, Sancti Michaelis in Olveto, Sancti Nicolai in Pica cum capellis suis, Sancti Onufrii et Sanctæ Mariæ de Egypto, Sancti Angeli in Canutio, Sancti Joannis de Plesclo, Sanctæ Mariæ in Verule, Sancti Petri in

A Escleta, Sanctæ Luciæ et Sancti Petri in Curuli, et Sancti Nicolai de Francavilla, Sancti Joannis de Plantana, Sancti Silvestri et Sancti Martini et Sanctæ Luciæ in Arpino, Sanctæ Mariæ de castello Zopponis, Sancti Benedicti in colle de Insula, Sanctæ Mariæ in Vanuco, Sancti Nicolai in Turrice, Sancti Juliani in Friselone, Sancti Valentini in Ferentino. In Anagnia Sancti Cæsarii, Sancti Angeli in Algido, Sancti Marci in Cesano, Sanctæ Agathæ in Tusculano; et Sancti Hieronymi, Sancti Benedicti in Albano. In Roma monasterium Sancti Sebastiani quod dicitur Palladium. In Lucano cellam Sancti Georgii, Sancti Saltatoris in Civitella. In ducatu Spoletino, Sancti Germani in Sora, Sancti Benedicti in Peschesana, Sancti Petri in Morinis, Sancti Angeli in

B Pescocanale, Sancti Petri in Formis, Sancti Angeli in Albe, Sancti Erasmi in Pomperanio, Sanctæ Mariæ in cellis. In Venafro, Sancti Benedicti, Sancti Nazarii, Sancti Martini in Issa Furca et curte, Sanctæ Mariæ in Salo, et Sancti Benedicti Piccioli. Ibidem Sancti Benedicti in Cesinia, Sancti Jacobi de Pace, Sancti Benedicti et Sancti Leonis in Suessa, et curtem quæ dicitur Lauriana, et feudum quod fuit Pandulli de Patricia, Sancti Joannis in Currenti, Sancti Benedicti in Trano, Sanctæ Mariæ in Calvo, et Sancti Agapiti in territorio Calvi, Sancti Nazarii in Anglona, Sancti Adjutoris et Sancti Benedicti in Aliphis, Sancti Domini in Telesia, Sancti Martini in Vulturno, Sancti Petri in Sesto. In Amalphi, Sanctæ Crucis et Sancti Nicolai, Sanctæ Crucis

C in Serina, Sancti Marci in Carpineta, Sanctæ Mariæ in Calena, Sancti Benedicti in Trano, Sancti Benedicti in Bari, Sancti Petri imperialis in Tarento. In Calabria ecclesiam Sanctæ Anastasiæ, castellum Fellæ et Sancti Nicolai in Sellettano, Sanctæ Mariæ in Tropea, Sanctæ Euphemiæ in Marchia, ecclesiam Sancti Martini in pede arcis. Item civitatem quæ dicitur Sancti Germani positam ad pedem ipsius montis. Pontemcurvum, et castellum Sancti Petri quod ab antiquis dictum est castrum Casini. Castellum Sancti Angeli, Pignatarium, Tramum, Plumbarolam, Pedemonte, et villam de Pedemontis. Castellum Sancti Stephani, castellum Sancti Georgii, castellum Sancti Apollinaris, castellum Sancti Ambrosii, castellum Sancti Andreæ vallis frigidæ;

D castellum novum Fractæ, ecclesiam Sancti Martini, Mirtulam cum ipsa curte quæ dicitur casa Furtiva, Roccam de Vandra cum omnibus pertinentiis suis, Sugium, Turrim a mare juxta flavium Garilianum Sancti Salvatoris qui vocatur Cocuruzo, Vandram Comitaris, Vandram monasticam, Camimum, Venturam, Torollum, Cervariam, Sanctum Victorem, Sanctum Petrum in fine, Sanctum Eliam, Valtem rotundam, Saranescum, castrum Atini cum omnibus pertinentiis suis, Cardetum, Aquam fundatam, Vitecosum, castrum Citrariæ cum omnibus ecclesiis et pertinentis suis, ecclesiam Sancti Marini in pede arcis. In Marchia Theatina castellum Sastinianum, montem Albericæ, Mucelanum, Sanctum Quiricum

cum portu Frisani, Sanctam Justam. In comitatu Esculano, castellum quod dicitur Octavum post montem Cimanum, Trivilianum et Cavinum. In principatu castellum Ripæursæ, Montembellum, Petram Fracidam. In Comino Vicum album. In territorio Carseolano castellum Auzicula, Piretum, Roccam incameratam, Fossam cæcam, et Capriatam. In Amalphi Fundicum. In territorio Trojano Castellionem de Baruncello, Sanctam Justam, villam Sancti Nicolai quæ dicitur de Gallicianis. In monte Sancti Angeli hospitale. In territorio Capriano gualdum de Liburia. In comitatu Tenensi curtem Sancti Felicis cum ecclesia Sancti Hippolyti. In comitatu Aretino monasterium Sancti Benedicti. In territorio Pisanæ civitatis, Sancti Silvestri et Sancti Benedicti. In crema ecclesiam Sancti Nicolai prope portam castri Martinæ in Pesulo. In regno Francorum ecclesiam Sancti Mauri Glannofoliensis cum cellis et pertinentiis suis. In Sardinia insula ecclesiam Sanctæ Mariæ in tergo, Sancti Eliæ in monte, et Sancti Elisæi, cum omnibus earum pertinentiis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Sabundo, et Sanctæ Mariæ de Storalbo, Sanctæ Mariæ de Tanede, Sancti Petri de Trecingle, Sancti Nicolai et Sanctæ Mariæ in Solio cum pertinentiis earum, Sancti Nicolai de Telasa, Sancti Michaelis in Feruzisi, Sancti Georgii in Ricello, Sancti Petri de Symbrano, Sancti Petri in Urzi, Sancti Nicolai de Nugulbi, Sancti Joannis et Sancti Eliæ de Sitim. In Tuscia prope civitatem Castri monasterium Sancti Columbani cum cellis et pertinentiis suis. Præterea Patrum nostrorum beatæ memoriæ Urbani, Calixti, et dicti Clementis Romanorum pontificum vestigia sequentes venerabile cœnobium cæteris per occidentem cœnobiis præferendum asserimus (179), et tam te quam successores tuos in omni conventu episcoporum seu principum superiorem omnibus abbatibus consedere atque in judicio priorem cæteris vestri ordinis juris sententiam proferre sancimus. Usum quoque compagorum, chirothecarum, tunicæ, dalmaticæ ac mitræ, virgam pastoralem, et quotidianum usum annuli tam tibi, fili abbas, quam successoribus tuis auctoritate apostolica indulgemus. Sane tam in ipso venerabili monasterio quam in cellis ejus cujuslibet ecclesiæ episcopum vel sacerdotem præter Romanum pontificem ditionem quamlibet aut excommunicandi, aut interdicendi, aut ad synodum provocandi præsumere prohibemus; ita ut nisi ab abbate vel priore loci fuerit invitatus, nec missarum solemnia inibi audeat celebrare. Liceatque ipsius monasterii et cellarum ejus fratribus clericos cujuscunque ordinis vel laicos de quocunque episcopatu a sæculo fugientes et liberos et absolutos ad conversionem venientes absque cujuslibet contradictione suscipere. Liceat quoque absque cujuslibet sæcularis vel ecclesiasticæ potestatis inhibitione subjectos monasteriis suis tam monachos quam moniales feminas judicare. Liceat

A etiam fratribus per cellas in civitatibus constitutis ad divina officia quandocunque voluerint signa pulsare, et januas ecclesiæ aperire, et populum Dei tam in ipsum cœnobium quam et in cellas ejus ad Dei verbum audiendum ingredi, et confitendi peccata sua nullus episcopus, excepto pro communi totius civitatis vel parochiæ interdicto, prohibeat. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes monachorum seu clericorum a quocunque malueritis catholico accipietis episcopo. Baptismum vero et oleum infirmorum, visitationes in oppidis vestris aut villis ad vos pertinentibus pleno jure per clericos vestros agetis. Ad perpetuum etiam hospitalium tibi, fili abbas, tuisque successoribus Palladii cellam concedimus, ut de vestra illic congregatione quem B volueritis ordinetis; quem si forte Romano pontifici in abbatem promovere placuerit, omnino tamen tanquam vestræ congregationis monachum sub vestra decernimus dispositione persistere. Redditum quoque qui ab officialibus nostris apud Ostiam vel Portum de navibus exigi solet navi vestræ, si qua venerit, relaxamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris de collegio vestro aut de alieno, si ibidem idoneus repertus non fuerit, secundum Dei timorem et Beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum pontificem consecrandus accedat. Ad hæc C tam præsentium quam futurorum avaritiæ ac nequitiæ obviantes, omnes omnino seditiones, quas lævas dicunt, seu direptiones in cujuscunque morte aut electione fieri auctoritate apostolica interdicimus. Sepulturam sane loci vestri et monasteriorum vestrorum liberam omnino esse censemus ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint nullus obsistat, salva semper justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Præterea cum vobis tam in capite quam in membris ab apostolica sede sit concessa libera sepultura, Alexandri, Innocentii, et dicti Clementis prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, vobis et vestris fratribus tam præsentibus quam futuris duximus indulgendum ut quoties pro corporibus mor- D tuorum in processione vos exire contigerit, crucem, incensum et aquam benedictam portandi juxta morem terræ liberam, nullius contradictione vel appellatione obstante, habeatis de nostra licentia facultatem. Ad exemplar quoque ipsius patris et prædecessoris nostri Clementis licentiam concedimus tibi ac legitimis successoribus tuis ut si quis ejusdem monasterii vestri et cellarum ejus possessiones aut res violenter abstulerit, postquam ipsorum episcopi a vobis tertio invitati justitiam de his facere omnino noluerint, vos super eosdem raptores secundo

(179) Vide Præfat. ad lib. II Micellaneor, nostrorum.

tertiove commonitos canonicam excommunicationis sententiam proferatis. Ea vero quæ monasterium vestrum a quadraginta retro annis bona fide noscitur pacifice possedisse vobis et eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, ita quidem quod super his nullo unquam tempore impediri debeatis vel quomodolibet molestari. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia et integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica seu sæcularis persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temere tentaverit, secundo tertiove A commonita nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, ac in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum apud Sanctum Germanum per manum Joannis Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis S. R. E. cancellarii, VIII Kalendas Augusti, indictione XI, Incarnationis Dominicæ anno 1208, pontificatus vero domini Innocentii papæ III, anno B undecimo.

—

*Sequentes quoque epistolas, quamvis datæ non sint anno undecimo, visum est isthic edere, quia pertinent ad causam de qua agitur in epistola 56 istius libri. Eam porro ob causam addidimus etiam epistolas Honorii II et III, et litteras Romani cardinalis de compositione inter episcopum Meldensem et abbatissam Jotrensem; post quas sequuntur rursum aliquot epistolæ Innocentii III, et Alexandri III, de eodem argumento.*

### I.

PARISIENSI EPISCOPO ET ABBATI LATINIACENSI.

*Adversus abbatissam Jotrensem.*

(180) Conquerente venerabili fratre nostro Meldensi episcopo nostris est auribus intimatum quod Hugo presbyter Sancti Petri Jotrensis, licet a prædecessore suo curam susceperit animarum et ei teneatur super hoc respondere, monitus ab eo ad præsentiam ejus venire contempserit, et audito ejus mandato statim in vocem appellationis prorupit, quam, cum sit jam annus elapsus, non fuit per se vel per alium prosecutus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus eumdem presbyterum ut super hoc ipsi episcopo debitam satisfactionem impendat et deinceps mandatis illius obediat, ut tenetur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per districtionem ecclesiasticam appellatione postposita compellatis veritati testimonium perhibere; nullis litteris veritati et justitiæ præjudicium facientibus, si quæ apparuerint a sede apostolica impetratæ. Quod si non ambo iis exsequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, ea nihilominus exsequaris.

Datum Laterani, x Kal. Junii, pontificatus nostri anno quarto.

### II.

EISDEM.

Sicut venerabilis frater noster Meldensis episcopus in nostra præsentia constitutus sua nobis conquestione monstravit abbatissa Jotrensis illi obedientiam quam debet impendere, clerici etiam et homines ejusdem villæ, ipsi velut episcopo suo renuunt obedire. Ne igitur, si eorum inobedientia remaneat incorrecta, eis incentivum pariat delinquendi, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus qua- C tenus abbatissam, clericos et laicos supradictos, ut super hoc memorato episcopo debitam satisfactionem impendentes, deinceps eidem sicut episcopo suo, prout tenentur, obedientiam exhibeant et honorem, per districtionem ecclesiasticam sublato appellationis diffugio justitia mediante cogatis. Testes autem, etc.

Datum, *ut in alia.*

### III.

DILECTIS FILIIS LONGIPONTIS SUESSIONENSIS ET SANCTI JUSTI BELVACENSIS DIOECESUM ABBATIBUS, ET MAGISTRO G. ARCHIDIACONO SUESSIONENSI.

(Anagniæ, XI Kal. Januarii.)

In nostra præsentia constitutus dilectus filius venerabilis fratris nostri Meldensis episcopi procurator D proposuit coram nobis quod cum Jotrense monasterium a suæ fundationis tempore fuerit Ecclesiæ Meldensi subjectum, ita quod Meldensis episcopus tam in benedictione et obedientia abbatissæ quam consecratione altarium et ecclesiarum, velatione virginum, clericorum ordinatione, procurationibus, pœnitentiis imponendis pro majoribus criminibus, ac aliis in monasterio ipso et villa Jotrensi episcopalem jurisdictionem consueverit exercere, abbatissa quæ monasterio modo præest debitam ei obedientiam et reverentiam et procurationes quæ ipsi et prædecessoribus ejus fuerunt exhibitæ denegans, presbyterum etiam, clericos et laicos villæ Jotrensis

(180) Vide infra epist. 8, ad electum Catalau. et abbatem Trium Fontium.

ab ejus obedientia revocavit. Cumque propter hæc idem episcopus suam ad nos querimoniam destinasset, venerabili fratri nostro Parisiensi episcopo et dilecto filio abbati Latiniacensi causam commisimus terminandam. Coram quibus cum restitutionis beneficium super abbatissæ obedientia et jurisdictione quam prædecessores ejus in monasterio et villa Jotrensi exercuerant postulasset, procurator monasterii et hominum villæ prædictæ multa proposuit contra eum; quæ quoniam judices reputarunt frivola, sicut erant, procurator ipse ad nostram audientiam appellavit. Judices vero appellationi frustrariæ nullatenus deferentes, præsertim cum per litteras nostras sublatum fuisset partibus diffugium appellandi, in abbatissam excommunicationis et tam clerum quam populum villæ Jotrensis interdicti sententiam protulerunt, et mandaverunt post modum utramque sententiam per vicinas ecclesias publicari. Sed nec abbatissa se pro excommunicata habuit, nec clerus et populus interdicti sententiam servaverunt. Verum quoniam eos citare cœperunt, aliqui vicinorum per nuntios ad sedem apostolicam destinatos ad venerabilem fratrem nostrum (181) Catalaunensem episcopum tunc electum et dilectum filium abbatem Trium Fontium sub certa forma litteras impetrarunt: qui, licet pars monasterii nullam exceptionum probaverit quas proposuerat coram nobis, prædictam sententiam relaxarunt, certum terminum partibus præfigentes quo se nostro conspectui præsentarent. Petebat igitur procurator episcopi pro episcopo memorato ante omnia beneficium sibi restitutionis impendi, cum non deberet causam ingredi spoliatus, et canonice tam abbatissam quam clericos et laicos Jotrensis villæ puniri, quia latam in se sententiam non servarant. Cæterum procurator partis alterius proposuit ex adverso quod cum monasterium Jotrense plena gaudeat libertate, ac in villa Jotrensi tam spiritualem quam temporalem jurisdictionem habeat abbatissa, sicut prædecessorum nostrorum privilegia monasterio concessa Jotrensi plenius manifestant, prædictus episcopus non ignarus eorum monasterium et villam Jotrensem per litteras ad prædictos judices impetratas graviter molestavit. Coram quibus per procuraturem proprium pars eadem constituta non contestando litem, sed excipiendo potius contra eos, libertatem suam et jus sedis apostolicæ allegavit, adjiciens quod cum venerabilis frater noster Hostiensis episcopus, tunc apostolicæ sedis legatus, justitiam nostram et exemptionem monasterii per ipsius privilegia cognovisset, electam a monialibus benedixerat abbatissam, et professionem ab ea pro nobis et Ecclesia Romana receperat et solitum etiam juramentum. Verum cum judices delegati et assessores eorum postulatas ab abbatissa et... inducias ad exhibenda libertatis privilegia denegassent, procurator earum ad sedem apostolicam appellavit, excipiens contra judices

A delegatos quod cum prædictus Parisiensis episcopus adversus dilectum filium abbatem Sanctæ Genovefæ movisset similem quæstionem (182), erat ei de jure suspectus, cum vix credibile videretur quod aliam sententiam promulgaret quam vellet in simili pro se ferri. Præterea cum sine conjudice suo interloqui voluisset, licet pars abbatissæ illum peteret exspectari, ex hoc quod notam subreptionis incurrerat apud ipsas et suum induxerat in suspicione collegam, quem asseruit quidquid vellet ipse facturum, insuper cum de privilegiis apostolicæ sedis nullam facerent mentionem, et per privilegia ipsa suam defenderet monasterium libertatem, non cogebatur ad prædictas litteras respondere. Cæterum judices nec appellationi ad nos interpositæ nec propositis

B exceptionibus deferentes, excommunicationis in abbatissam et in clerum et populum interdicti sententias protulerunt. Nuntiis ergo Jotrensis Ecclesiæ in nostra præsentia constitutis, nobisque privilegium apostolicum ostendentibus, per quod constabat Jotrense monasterium ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere, quia pro parte altera non comparebat sufficiens responsalis, licet diutius fuerit exspectatus, quamvis nuntius quidam simplex prædicti Parisiensis et conjudicis sui nobis litteras præsentasset, privilegium Ecclesiæ Jotrensi concessum duximus innovandum, ita tamen quod per innovationem ipsius nihil accresceret juris ipsi ultra id quod ei per antecessorum nostrorum privilegia fuerit acquisitum, cum per hoc non novum jus ipsi concedere sed antiquum vellemus potius conservare.

C Quia vero de prædictis exceptionibus nobis non poterat fieri plena fides, prædictis Catalaunensi episcopo et abbati Trium Fontium dedimus in mandatis ut si pars Jotrensis Ecclesiæ illis vel aliis probandis instaret circa sententias memoratas, partibus convocatis audirent quæ proponerentur utrinque; et si constaret sententias ipsa post appellationem ad nos legitime interpositam fuisse prolatas, denuntiarent eas sublato appellationis obstaculo non tenere; quod si alias minus rationabiliter essent latæ, ipsas exigente justitia revocarent; alioquin, cum propter contumaciam tantum promulgatæ fuissent, tam ab abbatissa quam ab aliis a quibus exigendam viderent juratoriam reciperent cautionem quod super iis ad mandatum apostolicum juri sta-

D rent, et sic relaxarent sententias memoratas, ad majorem cautelam facientes id ipsum, si abbatissa fugiens strepitum quæstionum ab exceptionum suarum probatione cessaret. Ad hæc, cum nollemus ut de privilegiis Romanorum pontificum alii de facili judicarent, eisdem dedimus in mandatis ut si de jure suo vellet Meldensis episcopus experiri, præfigerent partibus terminum competentem quo per se vel procuratores idoneos nostro se conspectui præsentarent. Unde cum abbatissa strepitum judiciorum evitans exceptiones probare propositas noluisset, judices

(181) Vide cap. *Ex parte*, De privileg. infra, n. VIII.

(182) Vide lib. V, epist. 100.

juxta mandatum apostolicum procedentes prædictas sententias relaxarunt. Cum ergo propter hoc mandaverimus partes ad nostram præsentiam destinari quia judicari de privilegiis sedis apostolicæ per alios nolebamus, et per privilegia non possessio sed proprietas potius demonstretur, procurator monasterii asserebat quod super proprietate venerat tractaturus, nec tenebatur super restitutionis articulo respondere. Præterea idem episcopus mercato quodam confirmato Jotrensi monasterio per sedem apostolicam illud temere spoliarat, cum sub pœna excommunicationis inhibuit ne quis illud prout solitum fuerat frequentaret, sic quod Jotrensi Ecclesiæ non modica damna intulerat et jacturas. Idem etiam episcopus a quibusdam Jotrensis Ecclesiæ non modica damna intulerat et jacturas. Idem etiam episcopus a quibusdam Jotrensi Ecclesiæ [*f*, hominibus, quos] non modica, quos absolvere propria temeritate præsumpserit, exegit in monasterii præjudicium juramentum quod durante interdicto Jotrum de cætero non redirent. Nos igitur attendentes quod etsi de privilegiis antecessorum nostrorum non mandaverimus, sed quodammodo inhibuerimus per alios judicari, volentes nobis eorum judicium reservare, quia tamen adjecimus ut si prædictus episcopus de jure suo vellet forsitan expetiri, præfigeretur partibus terminus quo se nostro conspectui præsentarent, et non tantum ad proprietatem sed etiam ad possessionem se habeat verbum juris, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cum lis tam super episcopi spoliatione quam impedimento fori coram nobis fuerit contestata, quæ super præmissis proposita fuerint audiatis et recipiatis appellatione remota, tam instrumenta quam testes, depositiones publicetis et examinetis legitime ac si partes consenserint, ad sententiam procedatis, Alioquin causam sufficienter instructam ad nos remittere procuretis, statuentes terminum competentem partibus quo recepturæ sententiam per se vel responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio et timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes iis exsequendis potueritis interessse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Anagniæ, XI Kal. Januarii, pontificatus nostri anno sexto.

IV.

DILECTIS FILIIS DECANO SANCTI THOMÆ CRISPIACENSIS SILVANECTENSIS DIOECESIS, GERMENDO CANONICO SUESSIONENNSI, ET MAGISTRO GIRARDO DE SANCTO DIONYSIO CANONICO NOVIOMENSI.

Olim inter procuratores venerabilis fratis nostri Meldensis episcopi et dilectæ in Christo filiæ abbatissæ Jotrensis lite in auditorio nostro legitime contestata tam super obedientia quam dictus episcopus ab eadem abbatissa conquerebatur sibi esse subtractam in consecratione altarium, dedicatione ecclesiarum, velatione virginum, ordinatione clericorum, exhibitione procurationum, et pœnitentiis pro majoribus criminibus imponendis, ac aliis quæ in monasterio et villa Jotrensi Meldensis episcopus consueverat exercere, quam impedimento fori, super quo abbatissa conquerebatur per ipsum episcopum illatas sibi et monasterio suo graves injurias et jacturas, nos examinationem hujus negotii dilectis filiis Longipontis et Sancti Justi abbatibus et magistro G. archidiacono Suessionensi duximus committendam. Qui auditis confessionibus, receptis testibus, et allegationibus intellectis, causam ipsam sufficienter instructam cum quorumdam instrumentorum rescriptis ad nostrum remiserunt examen, præfigentes partibus terminum competentem quo recepturæ sententiam nostro se conspectui præsentarent. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, postquam de meritis causæ fuimus sufficienter instructi, de fratrum nostrorum consilio restitutionem obedientiæ super præscriptis capitulis, salva quæstione proprietatis, adjudicavimus episcopo faciendam, illis duntaxat exceptis super quibus in clero et populo villæ Jotrensis asserebat obedientiam sibi fuisse subtractam; super quibus ab impetitione episcopi quoad judicium possessorium absolvimus abbatissam, eumdem episcopum nihilominus absolventes super impedimento fori de quo eum ad restitutionem damnorum impetierat abratissa. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prælibatam sententiam per censuram ecclesiasticam facientes firmiter observari, postquam idem episcopus fuerit restitutus, audiatis quæ super jure proprietatis proposita fuerint coram vobis, et causam sufficienter examinatum ad audientiam ternostram fideliter remittatis per nostræ diffinitionis sententiam terminandam. Si vero præfatus episcopus infra mensem post factam sibi restitutionem nollet coram vobis super petitorio respondere, vos eum de contumacia punientes, abbatissam in possessionem libertatis super præscriptis capitulis reducatis. Testes autem qui fuerint nominati, etc. Nullis litteris, etc. Quod si non omnes, etc., duo vestrum sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo ea nihilominus exsequantur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrnm, V Kal. Februarii, pontificatus nostri anno octavo.

V.

DILECTIS FILIIS SANCTI JUSTI BELVACENSIS DIOECESIS ET LONGIPONTIS ABBATIBUS, ET G. ARCHIDIACONO SUESSIONENSI.

Significavit nobis venerabilis frater noster Meldensis episcopus quod cum causam quæ inter ipsum ex una parte et abbatissam, clerum et populum Jotrenses Meldensis diœcesis ex altera, super obedientia, procurationibus et aliis quæ in monasterio ejusdem loci et villa Jotrensi idem episcoqus sibi diœcesano jure competere asserebat, sub certa forma vobis duxerimus committen-

dum, vos interlocutoriam protulistis quod dictus episcopus contra clerum et populum per litteras illas agere non valebat. Quare idem episcopus vobis dari in mandatis a nobis humiliter postulabat ut eum tam contra abbatissam quam dictos clerum et populum audientes, in causa prædicta juxta prioris mandati nostri tenorem procedere ratione prævia curaretis. Cumque dilectus filius magister P. procurator cleri et populi Jotrensis se opponeret ex adverso, dilectum filium A. subdiaconum et capellanum nostrum ipsis dedimus auditorem. In cujus præsentia idem magister proponere procuravit quod cum idem episcopus contra abbatissam, clerum et populum Jotrensem litteras apostolicas impetrasset de libertatibus vel privilegiis quæ ipsis a sede apostolica sunt indulta, quarum episcopus ipse non erat ignarus, nulla penitus habita mentione, auctoritate illarum litterarum agere voluit contra eos, et propter contumaciam fecit in ipsos, post appellationem ad nos legitime interpositam, excommunicationis et interdicti sententias promulgari; quas postmodum venerabilis frater noster Catalanensis episcopus et dilectus filius Trium-Fontium abbas auctoritate apostolica relaxantes, partibus certum terminum quo se nostro conspectui præsentarent de mandato sedis apostolicæ præfixerunt. Cumque procuratores utriusque partis termino constituto fuissent in nostra præsentia constituti, procurator ipsius episcopi contra abbatissam intendens, nihil penitus contra clerum et populum proponere procuravit. Unde ad suscitandam contra clerum et populum quam semel omiserat quæstionem admitti iterum non debebat. Quia vero de præmissis nobis non potuit fieri plena fides, vobis de communi partium assensu per apostolica scripta mandamus quatenus tam in abbatissam quam clerum et populum Jotrensem juxta commissionis vobis sanctæ tenorem ratione prævia procedatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Nonis Martii, pontificatus nostri anno octavo.

VI.

*Honorii III, epistola de eadem controversia.*

Honorius episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis archidiacono et cantori Sancti Petri et Thesaurario Sancti Stephani Trecensis salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte venerabilis fratris nostri Meldensis episcopi fuit nobis humiliter supplicatum ut cum abbatissa quæ Jotrensi monasterio modo præest, de speciali mandato nostro fuerit benedicta, et præjudicium sibi afferre non debeat quod nos circa hoc fieri fecimus, super jure benedicendi abbatissas in monasterio Jotrensi imposterum eligendas faceremus eidem justitiæ plenitudinem exhiberi. Nos igitur ejusdem episcopi postulationibus inclinati, nolentes sibi ex benedictione auctoritate nostra præstita præjudicium generari, discretioni vestræ de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, etc. Quod si non omnes, etc. duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Viterbii, v Idus Martii, pontificatus nostri anno quarto.

VII.

*Compositio facta inter episcopum Meldensem et Ecclesiam Jotrensem.*

Romanus miseratione divina Sancti Angeli diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit in Domino salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Noverit universitas vestra quod suborta inter venerabilem patrem Petrum episcopum Meldensem ex parte una et dilectos in Christo abbatissam et conventum, clerum et populum Jotrensem ex altera super subjectione ipsius monasterii et eorumdem cleri et populi materia quæstionis, idem episcopus proposuit in jure libellum hujusmodi contra eos :

« Petit Meldensis episcopus ab abbatissa et conventu Jotrensi quod sibi obediant tanquam suo episcopo in visitationibus faciendis, in corrigendis excessibus, in cognitionibus causarum tam civilium quam spiritualium quam criminalium quarum cognitio ad episcopum diœcesanum pertinet tanquam ad judicem ecclesiasticum, et in decisionibus earumdem, et in iis quæ ad cognitionem et decisionem pertinent, videlicet in veniendo ad citationes, recipiendo dierum assignationes, et in aliis quæ ad cognitionem et decisionem pertinent, et in observatione mandatorum suorum et statutorum suorum legitimorum, et processionibus faciendis episcopo Meldensi quando post consecrationem suam primo accedit ad ecclesiam earum, et in omnibus aliis ad jus episcopale pertinentibus. Petit etiam quod abbatissa in omnibus prædictis obedientiam ei promittat, his exceptis in quorum possessione est idem episcopus et quorum possessio fuit ei adjudicata auctoritate domini papæ, videlicet in consecratione altarium, in dedicatione ecclesiarum, velatione virginum, ordinatione clericorum, exhibitione procurationum, et pœnitentiis pro majoribus criminibus injungendis ; de quibus ad præsens non agit, cum sit in possessione eorumdem. Petit etiam idem episcopus ut non impediant ipsum uti de cætero jurisdictione omnimoda quam potest exercere in suis subditis episcopus diœcesanus in clero et populo Jotrensi. Petit a clero Jotrensi episcopus Meldensis quod sibi obediat tanquam suo episcopo in visitationibus faciendis, in corrigendis excessibus, in cognitionibus causarum tam civilium quam criminalium quarum cognitio ad episcopum diœcesanum tanquam ad judicem ecclesiasticum pertinet, et in decisionibus earumdem, et in his quæ ad cognitionem et decisionem pertinent, videlicet in veniendo ad citationes, recipiendo dierum assignationes, et in aliis quæ ad cognitionem et decisionem perti-

nent, et ad exsecutionem eorum faciendam; et in observatione mandatorum et statutorum suorum legitimorum, et in omnibus aliis ad jus episcopale pertinentibus, hoc excepto in cujus possessione est idem episcopus, videlicet in ordinatione eorum. Petit episcopus Meldensis a populo Jotrensi quod sibi obediant tanquam suo episcopo in corrigendis excessibus omnibus quorum correctio ad episcopum diœcesanum tanquam ad judicem ecclesiasticum pertinet, in cognitionibus causarum tam civilium quam spiritualium, quam criminalium quarum cognitio ad episcopum diœcesanum tanquam ad judicem ecclesiasticum pertinet, et in decisionibus earumdem, et in his quæ ad cognitionem et decisionem pertinent earumdem, videlicet in veniendo ad citationes, recipiendo dierum assignationes, et in aliis quæ ad cognitionem et decisionem pertinent; et ut sententias excommunicationis et interdicti ab ipso latas in ipsos observent, et ut obediant et in omnibus aliis ad jus episcopale pertinentibus. Quidquid autem idem episcopus ab abbatissa et conventu et clero et populo Jotrensi petit, petit salvo jure addendi, minuendi, mutandi.» Istis autem petitionibus procurator abbatissæ et conventus, cleri et populi Jotrensis in hunc modum respondit :

« Dicunt abbatissa et conventus monasterium Jotrense exemptum esse et subesse immediate domino papæ in omnibus et proprietatem totius jurisdictionis ecclesiasticæ in monasterio Jotrensi nullo mediante ad dominum papam pertinere, et usum esse monasterium longissimo tempore hac libertate; sicut probabimus, si necesse fuerit, per privilegia et testes et instrumenta. Et ideo dicunt abbatissa et conventus quod non tenentur obedire episcopo Meldensi in visitationibus faciendis nec in alia re pro visitatione facienda, in excessibus corrigendis, in causarum civilium vel spiritualium vel criminalium cognitionibus, nec in decisionibus earumdem; nec tenentur venire ad citationes ipsius nec recipere dierum assignationes, nec mandata vel statuta observare, nec ei processionem facere quando primo accedit post consecrationem suam ad ecclesiam Jotrensem, nec alias ei in aliquibus ad episcopale jus pertinentibus obedire. Item non tenetur ei abbatissa super præmissis vel aliquo præmissorum vel aliqua re in mundo obedientiam repromittere. Quod autem dicit episcopus se ipsum esse in possessione quantum ad pœnitentias pro majoribus criminibus imponendas, negant abbatissa et conventus ipsum esse in possessione. Aliorum vero articulorum in quorum possessione dicit se esse idem episcopus, dicunt ipsum nullum jus habere in proprietate. Dicunt etiam abbatissa et conventus omnimodam justitiam ecclesiasticam et forensem in clero et populo Jotrensi pertinere ad abbatissam. Dicit clerus Jotrensis quod non tenetur obedire episcopo Meldensi in visitationibus faciendis et in corrigendis excessibus et cognitionibus causarum tam civilium, quam spiritualium, quam criminalium, quarum cognitio ad episcopum diœ-

A cesanum tanquam ad judicem ecclesiasticum dicitur pertinere, nec in decisionibus earumdem, nec venire ad citationes ipsius, nec assignationes dierum accipere, nec mandata ejus observare, nec ei in aliquo obedire. Dicit populus Jotrensis omnimodam justitiam ecclesiasticam et forensem in populo Jotrensi pertinere ad abbatissam Jotrensem. Et ideo respondet per se idem quod clerus respondet per se, et quod in nullo tenetur obedire Meldensi episcopo. Hæc omnia respondet abbatissa et conventus, clerus et populus Jotrensis; salvis privilegiis domini papæ, et salvo jure Ecclesiæ Romanæ et salvo jure addendi, minuendi, corrigendi et mutandi. » Cumque super iis fuisset coram judicibus a sede apostolica delegatis diutius litigatum, tandem B utraque pars tam super iis de quibus alt. exstiterat quam etiam super omnibus aliis quæ quoquo modo poterant ratione proprietatis vel possessionis ad jus episcopale lege diœcesana vel jure communi seu alio quocunque jure spectare commiserunt se judicio, diffinitioni, seu ordinationi nostris sub iis formis :

« Omnibus præsentes litteras inspecturis Petrus Dei gratia Meldensis episcopus salutem in Domino.

« Noverit universitas vestra quod cum inter nos ex una parte et abbatissam et conventum, clerum et populum Jotrensem ex altera, super subjectione ipsius monasterii et eorumdem cleri et populi tam ex petitorio judicio quam possessorio quæstio verteretur, quod monasterium cum eisdem clero et populo nobis dicebamus pleno jure subjectum necnon et omni jure subjectionis ad nos et successores nostros tanC quam loci diœcesanos lege diœcesana spectare, et posse in ipso monasterio, clero et populo Jotrensi libere procurationem recipere, visitationem, correctionem, et omnia jura episcopalia exercere quod eædem abbatissa et conventus negantes, ipsum monasterium, clerum et populum Jotrensem asserebant ad jus et proprietatem Ecclesiæ Romanæ nullo medio pertinere, super præmissis et omnibus aliis quæ possent ad jus episcopale spectare de consensu decani et archidiaconorum et capituli nostri commisimus nos judicio, diffinitioni, seu ordinationi venerabilis [Patris] Romani Sancti Angeli diaconi cardinalis apostolicæ sedis legati, in ipsum tanquam in legatum et judicem consentiendo, promittentes nos judicium, diffinitionem, seu ordinationem ipsius D in perpetuum servare et nullo tempore contravenire renuntiando omnibus judicibus, commissionibus, processibus et actis quæ nobis competebant vel competere possent in causa ista. In cujus rei testimonium, ad majorem præmissorum omnium firmitatem, præsentes litteras exinde confectas sigillo nostro duximus roborandas.

« Actum Meldis anno Domini 1225, mense Octobri.

« Omnibus præsentes litteras inspecturis decanus, Briensis et Meldensis archidiaconi, totumque Meldensis Ecclesiæ [Capitulum] salutem in Domino.

« Noverit universitas vestra nos litterasvenerabi-

nostri sigillo sigillatas inspexisse formam hujusmodi continentes. PETRUS, Dei gratia Meldensis episcopus, etc., *ut superius continentur*. Nos igitur, præscriptarum litterarum tenore diligenter inspecto, factum dicti episcopi nostri in hac parte approbavimus et ratum habuimus nostrum super præmissis omnibus impartientes assensum. In hujus itaque rei evidentiam sigilla nostra præsentibus duximus litteris appendenda. Actum Meldis anno Domini 1225, mense Octobri.] Omnibus præsentes litteras inspecturis abbatissa et conventus, clerus et populus Jotrensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum inter nos ex una parte, et venerabilem Patrem Petrum episcopum Meldensem ex altera, super subjectione nostra tam petitorio judicio quam possessorio quæstio verteretur, cum idem episcopus assereret Jotrense monasterium et nos pleno jure sibi subesse nec non et omni jure successionis ad ipsum et successores ipsius tanquam loci diœcesanos lege diœcesana spectare et posse in ipso monasterio et nobis libere procurationem recipere, visitationem, correctionem et omnia jura episcopalia exercere, quod nos negantes, dictum monasterium Jotrense asserebamus ad jus et proprietatem Ecclesiæ Romanæ nullo medio pertinere, super præmissis et omnibus aliis quæ possent ad jus episcopale spectare commisimus non judicio, diffinitioni, seu ordinationi venerabilis Patris Romani, Sancti Angeli diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, in ipsum tanquam in legatum et judicum consentiendo, promittentes nos judicium, diffinitionem seu ordinationem ipsius in perpetuum servare et nullo tempore contravenire, renuntiando omnibus judicibus, commissionibus, processibus et actis quæ nobis competebant vel competere possent in causa ista. In cujus rei testimonium, ad majorem præmissorum omnium firmitatem, præsentes litteras exinde confectas non abbatissa et conventus sigillis nostris duximus roborandas. Nos vero clerus et populus, quia sigillum proprium non habemus, eisdem sigillis abbatissæ et conventus fidem volumus omnimodam adhiberi. Actum Meldis anno Domini 1225 mense Octobri. » Nos autem, rationibus utriusque partis diligenter auditis, inspectis Jotrensis monasterii privilegiis, habito etiam super hoc cum viris prudentibus diligenti tractatu, pronuntiamus, difinimus et ordinamus quod abbatissa et conventus monasterii Jotrensis chrismo, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, benedictiones monialium et ordinationes clericorum qui ad ordines fuerint promovendi a dicto Meldensi episcopo et successoribus suis suscipiant et non ab aliis, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et sine difficultate voluerit exhibere. Alioquin liceat eis quemcunque voluerint catholicum adire antistitem, qui eis licenter exhibeat postulata. Quando vero episcopum Meldensem ab eisdem abbatissa et conventu propter hæc exsequenda contigerit evocari, dictus episcopus exhibeatur honeste, cum nullus teneatur secundum Apostolum, suis stipendiis militare. Cæterum abbatissa a quocunque maluerit episcopo absque professione et promissione cujuslibet obedientiæ libere consecretur. In omnibus autem aliis dictum monasterium Jotrense cum universo clero et populo villæ et parochiæ Jotrensis sibi subjectis pronuntiamus, diffinimus et ordinamus ab omni jure et jurisdictione episcopali et omnimoda subjectione Meldensis Ecclesiæ omnino liberum et exemptum, ita quod in eisdem monasterio, clero et populo prædictis seu personis aliquibus monasterii, villæ et parochiæ Jotrensis dictus episcopus, Ecclesia Meldensis, seu quæcunque alia Meldensis Ecclesiæ persona nec procurationem eidem episcopo aliquando a sede apostolica adjudicatam nec aliud quodcunque præter præmissa sibi valeat aliquatenus vindicare; salvis duobus modiis quos habet episcopus in granchia de Troci, quæ est Ecclesiæ Jotrensis, et cera thesaurarii Meldensis. Sane ordinamus quod dicti abbatissa et conventus decem et octo modios bladi decimalis ad mensuram Meldensem, duas partes hibernagii, et tertiam partem avenæ, annuatim episcopo memorato suisque successoribus in perpetuum persolvent apud Malleum infra Purificationem beatæ Mariæ. Et si decima ejusdem villæ ad dicti bladi persolutionem non sufficeret, residuum infra dictum terminum apud Troci solvetur in decima quam ibi habet Ecclesia Jotrensis; ita quod si bladum hujusmodi aliquibus decimis [*f.* ab aliquibus decimariis] Meldensis diœcesis abbatissa et conventus Jotrensis justo modo poterint adipisci, episcopus contractui suum impertiri teneatur assensum, et ipsum bladum taliter acquisitum accipiens, illo solo debeat esse contentus, ita quod tantumdem sibi valeat quantum valebit in locis superius adnotatis. In decimis sane quæ sunt de feudo episcopali non tenebitur suum præstare consensum, si ipse vellet eas redimere. In his enim ipse episcopus præferetur. Hanc autem ordinationem partes ratam habuerunt, et expresse consenserunt in ipsam. Nos vero volentes ipsius ordinationis notitiam ad posteros pervenire, ut futuris temporibus inviolabiliter observetur, præsentem paginam exinde confectam sigillo nostro duximus roborandam. Actum Meldis, anno Domini 1225, mense Novembris, pontificatus domini Honorii papæ III anno decimo.

Romanus, miseratione divina Sancti Angeli diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos inter venerabilem Patrem episcopum Meldensem et abbatissam et conventum, clerum et populum Jotrensem ordinationem quamdam deliberatione provida fecimus, eamque in scriptis redactam et a partibus approbatam nostri sigilli duximus munimine roborandam. Verum, antequam protulissemus eamdem, retinuimus nobis expresse de auctoritate nostra et com-

muni partium assensu liberam potestatem declarandi et interpretandi si quid in eadem ordinatione repertum fuerit dubium vel obscurum. Actum Parisiis anno Domino 1225, II Nonas Novembris.

VIII.

*Innocentii III, epistola ad electum Cathalunensem et abbatem Trium Fontium, de qua fit mentio supra epist. 2, ad Paris. episc. et abbatem Latiniac.*

(183) Ex parte abbatissæ ac sororum Jotrensis Ecclesiæ nostris fuit auribus intimatum quod venerabilis frater noster Meldensis episcopus (184) commissionis occasione cujusdam ad venerabilem fratrem nostrum Parisiensem episcopum et dilectum filium abbatem de Latiniaco a nobis obtentæ, in qua nulla mentio habebatur de ipsarum privilegiis, quæ illas et earum Ecclesiam, clerum et populum Jotrensem ad apostolicam sedem nullo mediante spectare declarant, quorum ipse non erat ignarus, eas incœpit graviter molestare, obedientiam ab ipsis ac clero et populo villæ Jotrensis, qui secundum privilegia sedis apostolicæ gaudent consimili libertate, subjectionem omnimodam impendendam sibi requirens. *Et infra* : Verum, cum judices et assessores eorum ipsas valde gravarent, ad appellationis beneficium convolarunt. *Et infra* : Sed judices ipsi appellationi minime deferentes, nec fragilitati sexus compatientes earum, in abbatissam (et conventum) excommunicationis, in clerum et populum villæ Jotrensis interdicti sententias protulerunt. Sane cum nuntii Jotrensis Ecclesiæ prædicta et alia multa in nostra præsentia retulissent, quibus eas et suos contra libertatem eis concessam gravatos dicebant, privilegium nobis apostolicum ostenderunt per quod Ecclesiam Jotrensem constabat ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere. Nos autem eos diutius detinentes propter appellationem prædictam, quia tandem nullus apparuit idoneus responsalis qui partem defensaret adversam, licet postmodum quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisiensis episcopi et Latiniacensis abbatis litteras præsentasset, privilegium apostolicæ sedis Ecclesiæ Jotrensi concessum duximus innovandum, ita tamen ut per innovationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil juris plus accrescat quam per privilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cum per hoc novum ei non concedere, sed antiquum jus conservare velimus.

IX.

*Epistola Honorii II de subjectione monasterorium Resbacensis et Jotrensis.*

HONORIUS, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BURCARDO, Meldensi episcopo, ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula, disponente Domino, constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros episcopos debemus diligere, et Ecclesiis sibi a Deo commissis suam debemus justitiam conservare. Proinde, charissime in Christo frater Burcarde, episcope Meldensis Ecclesiæ, cujus a Deo tibi cura commissa est, salubriter statuimus ut omnes tam clerici quam laici in villa Resbacensi et Jotrensi commorantes Meldensi Ecclesiæ jure parochiali subjaceant, et ea quæ de eis ad jus parochiale pertinent, tibi tuisque successoribus libera et illibata serventur. Decernimus etiam ut abbas Resbacensis et Jotrensis abbatissa canonicam tibi tuisque successoribus obedientiam persolvant. Benedictio quoque eorum, sicut per tuos antecessores hactenus celebrata constiterit, sic per te tuosque successores deinceps exhibeatur. Promotiones etiam monachorum ad ecclesiasticos ordines per Meldensem administrentur episcopum, si videlicet gratis eas sine pravitate voluerit exhibere et gratiam apostolicæ sedis habuerit. Si quis autem, quod absit! huic nostro decreto sciens contraire tentaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Datum Laterani, XVII Kal. Maii.

X.

*Epistolam Alexandri III qua confirmat superiores Honorii II litteras.*

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri STEPHANO Meldensi episcopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula, etc., *ut in alia Honorii usque.* Proinde, charissime in Christo frater Stephane Meldensis Ecclesiæ, cujus a Deo tibi cura commissa est, salubriter providentes, ad exemplar sanctæ recordationis Patris et prædecessoris nostri Honorii papæ, statuimus ut omnes tam clerici quam laici in villa Resbacensi et Jotrensi commanentes Meldensi Ecclesiæ jure parochiali subjaceant, etc., *ut in alia Honorii usque.* Si quis autem contra hanc nostræ constitutionis paginam venire præsumpserit, secundo tertiove commonitus nisi temeritatem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantibus autem hæc sit pax Domini nostri Jesu Christi ; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud supremum Judicem gaudia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Turonis anno 1163.

(183) Cap. *Ex parte*, De privilegiis.

(184) Vide supra, col. 1601.

# INDEX RERUM

## QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

*INNOCENTIUS III ROMANUS PONTIFEX.*

REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM LIBER SEXTUS. — *Pontificatus anno* VI, *Christi* 1203.

FINIS TOMI DUCENTESIMI DECIMI QUINTI.

Sancti-Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY.